

Ex Libris Rev. Josephi Riedl





CURIOSIORA, ET SELECTIORA VARIARUM SCIENTIARUM MISCELLANEA

R.P. MARTINI SZENTIVANY E. SOC: JESU.

CURIOSA
ET
SELECTIORA
Variarum Scientiarum
MISCELLANEA.
AUCTORE
P. MARTINO SZENT-JVANY,
Societatis JESU Sacerdote.

DECADIS SECUNDÆ
PARS PRIMA.

Cum Facultate Superiorum, & Privilegio Sacræ Cæsareæ Regiæq; Majestatis, Speciali.

TYRNAVIAE Typis Academicis, per Ioan. Adamum Fried.
M. DC. LXXXXI.



SERIES ET INDEX DISSERTATIONUM
Secundæ Hujus Decadis.

I. Geographia Universalis.
II. De Insulis, Antris, Speluncis, Montibus, Voraginibus, & Hiatibus terræ admirandis.,
III. De Locorum terræ Proprietatibus.
IV. Horographica, Politica, & Historica Sacræ Coronæ Regni Hungariæ Notitia.
V. De Lapidibus.
VI. De Peste.
VII. Optica.
VIII. De Rerum novarum Inventione.
IX. De Rerum memorabilium Orbis terrestris desitione, ac deperditione.
X. De Variarum rerum dubia, aut ficta Existentia.







EMINENTISSIMO AC REVERENDISSIMO PRINCIPI, AC DOMINO DOMINO

LEOPOLDO
S. R. E. TITULO S. HIERONYMI
PRESBYTERO CARDINALI
A KOLLONICZ,

Archi-Episcopo Ecclesiarum Colocensis & Bachiensis Canonicè Unitarum, Episcopatûs Jaurinensis Administratori, Locique ejusdem, ac Comitatûs Supremo ac Perpetuo Comiti; Ordinis S. Joannis Hierosolymitani Priori, & Commendatori Egræ, ac Maylbergæ S. C. Regiæq; Majestatis Consiliario Intimo &c. D.D. ac Patrono colendissimo.



ADes tandem, Comitibus bonis Angelis, desideratissime Tuis, *expectatissime nobis, optatissime omnibus*, Princeps Eminentissime: *cujus diu suspiratum ab Urbe reditum dum sibi, dum* Eminentiæ Vestræ *Aula Cæsarea, Regnum Apostolicum, Pastoralis Cathedra, Summi demum quiq; communi studio gratulantur & infimi; ingrati animi reum me fore crederem, si tot, ac tantis obstrictus nominibus, faustis cæterorum apprecationibus vota mea non adjungerem. Venio*

nio igitur, & votum pridem conceptum exolvo; atq; hoc quale quale Opusculum Honori, ac Nomini Suo pridem debitum, nunc recenter inscriptum, ut Eminentia Vestra benignè (utì semper assolet) dignetur admittere, supplex oro. Impar quidem, quod in majora intentum Eminentiæ Vestræ obtutum subeat; sed ne impar sit inscribenti, Purpuratum, & grande Nomen ejus efficiet, cui sacrum, & inscriptum esse volui. Debet Eminentiæ Vestræ Universa Societas Nostra plurimum, debet hæc Austriaca Provincia nostra multò amplius, debeo inter cæteros ego tantum, quantum nè quidem conceptis verbis explicare satìs possum. Equidem confusio operuit faciem meam, dum recolo, non Eminentissimi Principis duntaxat favorem, sed amantissimi Patris erga me Clientum suorum infimum, explicatissimam charitatem tot argumentis contestatam, quot nè quidem à Progenitoribus meis accepisse me profiteri compellor. Damnabilem proinde ingratæ mentis notam non effugero; nisì & conatus ac studia mea Eminentiæ Vestræ in acceptis retulero, & per hæc ipsa tanti Nominis Eminentissimæque Virtutis præconem egero. Majora quidem longè sunt præconijs meis Ejus Virtutis decora, quæ magnitudine suâ orbem implet Christianum: silere tamen non licet uni, quod prædicant universi. Non capit brevis pagina gestorum amplitudinem, quibus annalium integra debentur volumina. Quæ pro Ecclesiæ Dei dignitate ac decore, quæ pro fidei Orthodoxæ Zelo & incremento, quæ pro publicæ rei commodo ac felicitate, quæ pro miseræ captivæq; Christianitatis libertate ac salute, quæ pro Sacræ contra Barbaros militiæ progressu & Victorijs, quæ pro Apostolici Regni conservatione, ampliatione, ac tranquillitate, quæ pro Societatis etiam nostræ, tum Universæ, tum hujus maximè Provinciæ tutela, firmitate, omnique commodo egit Eminentia Vestra; tanta omnino sunt, ut ea ab uno fieri nunquam posse crederemus, nisì ab uno facta fuisse conspiceremus. Nulla unquam hæc tacebit ætas. Transmittentur in seræ posteritatis memoriam per annales publicos; quæ jam in Libro Vitæ registrata sunt ad Beatorum gratulationem. Nitriensis, Neostadiensis, Jaurinensis, Colocensis, & Bachiensis, tum Cathedrales, tum Archi-Episcopales Ecclesiæ venerantur etiamnum, & longè latéque deprædicant vigilantissimi Pastoris, zelosissimi Præsulis, amantissimi Patris, munificentissimi Cultoris, & Instauratoris liberalissimam dexteram, indefessum Zelum, profusissimam charitatem, Eminentissimam Virtutem. Nulla sanè in tot amplissimis Diœcesibus Parochialis Ecclesia est, quam vel è manibus Barbarorum vindicatam cultui divino, & gregis Christiani

stiani

stiani usibus non reparari fecisset: vel per injurias bellorum desolatam supellectili necessariâ non instruxisset : vel in officio suo perseverantem non firmâsset, auxisset, excoluisset. Nullus Curionum Pastorali Suo muneri subjectorum, qui opportunum in quavis necessitate subsidium non accepisset ; aut qui à munifica Pastoris Magni dextera vacuus recessisset. Quis porrò unquam pro dignitate satìs memoret Zelum illum ac inexplicabile studium, quo adnitente gravissimas inter difficultates, obtrectationes, pericula, longè latéq; per universam Ungariam abactis ovium Christi prædonibus Ecclesias Pastoribus legitimis, Pastores Ecclesijs redditos gratulamur? Quantâ inde ad gregem Domini Ovium, tantâ ad Eminentiæ Vestræ *æternaturam laudem meritorum accessione. Non latuit Illustrissimus iste Zelus, & vasta Charitas Apostolicam in Urbe Sedem; convertit merito Suo Supremi Pastoris, & Vicarij Christi vigiles, paternósque in se oculos, ut in Sacrum Purpuratorum Patrum Senatum, non alienæ commendationis titulo, aut procurati artificiosè favoris prærogativâ ; sed solius dignissimæ Virtutis, & meritorum ingentium suffragio ac jure adlegeret eum, quem cæteris etiam Ecclesiæ Dei Rectoribus proponeret in exemplum. Nec Purpura tam pro dignitate fuit, quàm pro dignissimæ Virtutis testimonio; non ad splendorem accepta, sed ad labores admissa. Non licuit in ea ferias curis indicere, quam vastiores è vestigio curæ sequebantur. Biennio nondum evoluto, bis in Urbem, Sacratiorem Orbis Regiam, longâ festinatione, difficillimis itineribus, durâ tempestate properandum fuit, ad Sacra pro novo Ecclesiæ Pastore Comitia. In his quæ, quantáque sustinuerit, egerit, promoverit, difficilius mihi foret edicere, quàm* Eminentiæ Vestræ *fuerit peregisse. Inclinabant in Eandem plurium desideria, ut Summum in terris Christi Vicarium adorarent, quem tot Ecclesiarum Zelosissimum æquè ac vigilantissimum Pastorem didicerant. Non defuerunt meritissimæ Virtuti vota, nec votis merita ; nisì placuisset Altissimo reddere nobis, Patriæque majori commodo Principem, quem sic etiam Universalis Ecclesiæ cura non effugeret. Copiosius Virtutis dignissimæ testimonium est, mereri dignitatem, quàm consequi. Magnum illinc operæ pretium* Eminentia Vestra *retulit, quòd sapientiâ suâ electionem Supremi Pastoris ad maturiorem opinione plurium exitum promoverit, quam humanæ artes, partiúmque studia moratura in longum credebantur. Nec minus alterum censendum est, quòd ex Orbe Christiano in unum collectis Purpuratis Ecclesiæ Principibus coràm cernere, ac nosse licuerit, cujus jam pridem Nomen, &*

ingen-

ingentium virtutum, rerúmque gestarum fama orbem impleverat. Avebant utique conspicere Heroum progeniem, Antistitum normam, Fidei vindicem, Patriæ Patrem, publicæ felicitatis assertorem; qui, ut rem Christianam belli mole, æmulantium invidiâ, Barbarorum furore, ac multitudine in angustias redactam, rursus in libertatem assereret, obsessæ Cæsarum Urbis Viennæ mœnibus includi voluit, & pro felicitate publica Suæ incolumitatis pericula ustinere. Ambiebant revereri Principem, cujus pervigili curâ, indefesso labore, magnanimo zelo, incredibili studio, industriâ, supra humanam admirabili, gravissimæ super ætatem hominum obsidionis tempore, & civium fides, & propugnantium animi, & communia Ordinum omnium studia steterunt inconcussa; & sauciorum simul, ægrotantiúmque (quorum feracissima erat illa belli tempestas) necessitati, amantissimè pariter, ac abundantissimè prospectum est. Gestiebant amplecti dexteram illam; cujus princeps cura fuit, pulsis ab obsidione Viennensi Barbaris ex hostilibus castris non alia spolia & manubias congerere, quàm raptos à Scythis ac Thracibus Christianorum parvulos in unum colligere, necessitati omnium paternè providere; & hâc veluti opimâ prædâ divitem triumphare. Illam dexteram, quæ tot à Mahometi perfidia ad Christi fidem deductos, vel sacris ipsamet undis expiavit, vel prô baptismi sponsore sustinuit, ac salutari fonte ablutos, largâ stipe donatos in tuto collocavit. Dexteram illam, cujus inexplicabili charitate, ac inexhaustâ munificentiâ innumeri mortales ex omni ætate, sexu, & conditione à dira Barbarorum servitute in libertatem suspiratam asserti fuère. Non erubuit (quod vidimus ipsi, vidit Aula Cæsarea, viderunt domestici, & exteri, vidit & obstupuit Urbs, Orbis compendium, Vienna) non erubuit, inquam Eminentissimæ Dignitatis *Purpura spectari palàm è suggestu, dum ad frequentissimam omnium Ordinum concionem* Purpuratus Princeps *ardentissimo zelo verba faceret, miserorum necessitates, captivorum gemitus, duram popularium servitutem exponeret, ac in eorum subsidia palàm ad Ecclesiæ fores à confertissima Procerum, & populi multitudine stipem corrogaret. O facinus nunquam satìs deprædicandum! ô charitatem sæculis omnibus, omnibus mundi plagis memorandam! Atque hæc, multóque ampliora erant, quæ in spectatissimo illo Purpuratorum Patrum Collegio* Eminentiæ Vestræ *amorem conciliabant & venerationem: sed quàm Illis acceptum tanti* Principis *consortium, tam nobis gravis erat communis velut omnium Parentis absentia diuturnior. Et ut, qui privatis immoror, publica sileam, & grandiora,*

ra, quæ res ipsa ubique loquitur; quæque nec invidia carpere, nec æmulatio minuere, nec hostes ipsi possunt dissimulare: egentes certè ac necessitate pressi omnes, uti absentem Eminentiam Vestram continuis votis ardenter suspirabant; ita nunc felicissimè reducem, velut è cœlo Angelum Domini, faustissimis gratulationibus prosequuntur: memores, patere denuo miseris omnibus januam ad Eminentissimæ, ac plus quàm paternæ charitatis aram, & amplissimum inexhaustæ munificentiæ Sacrarium; à quo nullum hactenus sua vilitas deterruit; neminem Purpurata quantumvis, & æmula Regiæ dignitas prohibuit. Spectavimus equidem (& quis non spectavit sæpius?) spectatissimam illam, ac divinitatis æmulam Eminentiæ Vestræ benignitatem, quâ humilium neminem, quantumvis minimum, ab alloquio suo repulit; quin facilem universis aurem accommodavit. Vidimus cum agrestibus, peregrinis, egentibus, non extra fores præstolantibus per interpretem, sed in ipsum conclave aut admissis, aut ultro accitis eâ facilitate, eáque affabilitate agere consuevisse, quâ cum Illustribus & Inclytis. Et hinc est, quòd non alio, quàm ejusmodi pauperum egentiúmque satellitio, in vicem excubitorum fores palatij Eminentiæ Vestræ obsiderentur: invitante omnes, imò inquirente plures inexplicabili munificentiâ illâ, quæ nulli egeno esse permittit; amplius pauperibus erogans, quàm egestas ipsa petere auderet, aut sperare posset. Nemo egenorum sic in abdito delitescit, qui pervigiles ad benefaciendum oculos fallat. Nec unquam ærario largitas defuit; quamvis largitati ærarium deesse videretur. Ut miraculo proximum sit, tot ac tantis pietatis impensis censum suffecisse, ac etiamnum sufficere. Sed nempe fœneratur Domino, qui miseretur pauperis: & pro suo censu habet, quidquid Deus possidet. Sed ecce dum alios memoro, mei pene ac meorum obliviscor. At oblivioni detur dextera mea, si unquam cesset memorare omni paterno majorem Eminentiæ Vestræ affectum, quo Societatem nostram, quo me minimum ejus filium, complecti dignatur. Hunc si nos ipsi taceremus, etiam æmuli propè ad invidiam exaggerarent. Satìs est hominem esse de Societate, ut affectum, ut gratiam Eminentiæ Vestræ mereatur. Sic amplectitur universos, ut diligat singulos, non minùs, quàm Pater amantissimos filios. Nullum est Provinciæ nostræ Domicilium (nè singula recenseam) quod singularem Eminentiæ Vestræ favorem expertum non fuisset. Hæc Sibi per itinera omnia pro stationibus dignatur deligere, ut in ijs be-

neficentiæ

neficentiæ Suæ *documenta*, *ſuaviſſimæque virtutis fragrantiam relinquat immortalem. Infinitum eſſet memorare ſingula. Nolim proinde ulteriùs Purpuratæ modeſtiæ gravis eſſe, cui magis amicum eſt agere laudabilia, quàm acta prædicari. Hoc ad extremum voveo, ut* Eminentiam Veſtram *Divina Bonitas pro Eccleſiæ ſuæ gloria, & publicæ rei commodo, quibus tam indefeſsè inſudat ſemper, incolumem faciat, ac longævam: & quemadmodum Ipſa nobis benefacere non ceſſat; ſic nos viciſſim omnes, dum Familiam hanc perennare Dominus faciet, grati eſſe nunquam deſinamus; etſi nunquam ſatis grati eſſe poſſimus. In cujus grati, ac memoris animi non moriturum teſtimonium, hanc Opellam Honori ac Nomini* Eminentiæ Veſtræ *inſcribo; Ejúsque pedibus unà mecum humillimè adſterno.*

TYRNAVIÆ In Collegio Academico S. J.

EMINENTIÆ VESTRÆ

Humillimus in Chriſto Servus

Martinus Szent-Ivany

A D-

ADMONITIO AD LECTOREM.

INtendebam omnino, ſicuti primâ Decade adpromiſeram, reliquas quóque partes, hujus Secundæ Decadis, ſimul cum hac prima parte in lucem edere; ſed quia pro illis revidendis & coordinandis, ob alias occupationes tempus non vacabat, iſtius autem editionem, plurimi accelerari cupiebant: ideo hac ſolâ nunc fruere, donec reliquæ quôque duæ opportuniori tempore ſubſequantur.



FACULTAS REVERENDI PATRIS PROVINCIALIS.

EGo Ferdinandus Acatius Societatis JESU per Provinciam Austriæ Præpositus Provincialis, potestate mihi factâ, ab A. R. P. Nostro Thyrso Gonzalez Præposito Generale, facultatem concedo, ut Secunda Observationum Astrologicarum, & variarum Dissertationum Decas à Patre Martino Szentjvani è Societate IESU composita, atque à tribus memoratæ Societatis Patribus, de more, revisa, & approbata Typis mandetur. In quorum fidem manu meâ subscripsi, & consvetum Officij sigillum appressi. Tyrnaviæ 19. Maji Anno 1690.

Ferdinandus Acatius.

L.S.



DISSERTATIO PRIMA GEOGRAPHICA.

Geographia, est Terrarum Orbis, hoc est Terraquei hujus Globi, in quo degimus, quo ad Figuram, magnitudinem, Locum, Situm, Internam, & Externam Constitutionem, Divisionem, aliasque Affectiones, descriptio.

§ I.

De Globi Terraquei Figura.



Terraqueam hanc molem rotundæ, seu sphœricæ esse figuræ, ita, ut ex terra, & aqua unus idemque efficiatur globus, res est indubitata apud Mathematicos: rectaque idipsum svadet ratio. Etenim sive procedamus ab oriente ad occidentem, aut è contrà, sive à Septemtrione ad Meridiem, & vice versâ, manifestè deprehendimus eam undíque omninò esse rotundam. Primò, Sol, Luna; & Stellæ omnes priùs oriüntur populis, & regionibus Orientalibus, priusque ad eorundem Meridianum perveniunt, & priùs etiam occidunt, quàm Occidentalioribus in eodem Climate existentibus, ita ut, qui gradibus 15. Orientaliores sunt, illis horâ unâ Sol, aliáque Sydera oriantur citiùs, & occidant. Atqui hujus alia causa esse non potest, quàm terraquæ ab Oriente ad occidentem, & è contrà, rotunditas. Igitur terraqueam hanc molem ab Oriente in occidentem, & è contrà, rotundam esse necessè est. Major patet tùm experientiâ Nauclerorum, qui totum Orbem ab oriente ad occidentem circumnavigârunt, tùm ex Eclipsibus Lunaribus; licèt enim Eclipses Lunæ in eodem contingant momento, tamen si ijs, qui 15. gradibus sunt orientaliores tunc est hora secunda noctis, occidentalioribus erit hora prima noctis, ut ex accurata observatione Astronomorum, omniumque temporum historijs constat; signum ergò est, quòd illis unâ horâ citiùs Sol occubuerit, & consequenter priùs etiam ortus fuerit, quàm istis. Atquè eadem est ratio de alijs quoque Syderibus. Minor autem probatur. Quia si Terraqua ab Ortu ad occasum non esset rotunda, sed plana, omnes populi haberent eundem Horizontem, omnibusque eodem tempore orirentur, & occiderent astra, omnibusque simul inciperet dies, & nox, & omnes eandem numerarent initiò

Eclipsis Lunaris horam, siquidem tunc nihil esset, quod impediret, ut non possint simul conspici ab omnibus, & quare simul etiam non omnibus oriantur, vel occultentur, sicuti nunc rotunditas, & globositas terræ impedit.

Pari ratione existentibus versùs Septemtrionem, quædam stellæ circa partes Cœli Septemtrionales sunt perpetuæ apparitionis, id est nunquam occidunt; & quædam circa partes Cœli Australes sunt perpetuæ occultationis, id est nunquam oriuntur: existentibus verò versùs Austrum omnino contrarium accidit, quod nullatenus accideret, si Terraqua non esset rotunda. Præterea procedentibus à Septemtrione ad Austrum, & ab Austro in Septemtrionem, directè sub eodem Meridiano tàm mari, quàm terrâ, stellæ, quæ semper apparebant; occultantur, & quæ semper occultabantur, apparent; & unus Polorum elevatur paulatim, alter deprimitur: quædam item stellæ paulatim elevantur supra Horizontem in Meridiano, quædam deprimuntur; ad eum ferè modum, quo, cùm montem conscendimus, res antea non visæ in montis summitate, & latere opposito apparent, & visæ ex hac parte disparent; quod similiter non contingeret, si Terraqua non esset à Septemtrione in Austrum, & vice versâ rotunda.

Eadem rotunditas Terræ, simul ac Maris, colligitur ex accessu navium, recessuque à littoribus, stans enim quis in littore maris, videt totam altitudinem mali, & fundum navis ab eodem littore recedentis; quâ deinde magis recedente, non videt nisi partes Superiores ejusdem, ac tandem tota navis unà cum malo ita descendit infra aspicientis Horizontem sensibilem, ut nulla pars ejus conspici valeat. His verò omnia contraria accidunt, advenientem ad littus navem aspicienti.

Similiter ipsis recedentibus à littore in altum paulatim desinunt apparere turres, ac montes juxta littus positi, nempè prius partes inferiores, deinde etiam superiores; accedentibus verò ab alto ad littus, priùs apparent montium, ac turrium cacumina, deinde paulatim mediæ partes, ac tandem infimæ. Item navigia, quæ non videntur ex littore, videntur ex alta turri; Item incolentibus altiorem locum Sol oritur citiùs, & occumbit tardiùs, quam habitantibus in imo, & ex editioribus locis amplior, & amplior camporum, atque æquoris prospectus patet, quod nequaquam fieret, si terraqueus globus alterius alicujus figuræ esset, quàm rotundæ, seu sphæricæ.

Veritatem hujus doctrinæ confirmat. Primò Scriptura Sacra, quæ terraqueam hanc molem Psal. 23. & 92. Orbem terræ apellat. Secundò Figuræ Lunarum Ecclipsium, quæ ubivis terrarum, mariumve, discum circularem imitari observatæ sunt, quod signum est corpus projiciens talem umbram in faciem Lunæ, esse rotundum. Eclipses autem Lunares pvovenire ex incursu Lunæ in umbram globi terraquei tanquam aliunde certum supponimus, ac proinde etiam inde eum rotundæ figuræ esse manifestè concludimus. Tertiò: Incrementa dierum, ac noctium in partibus Septemtrionalibus, & Australibus, quæ aliunde provenire non possunt, nisi ex rotunditate terræ, ab Austro Septemtrionem versùs, & vice versâ

Neque huic rotunditati terraquæ præjudicare poterit visus, vi cujus ad sensum superficies terræ, & maris apparent planæ: In his enim (uti etiam in alijs rebus

bus

bus plurimis) fallitur oculus, ratione ex Opticæ principijs petitâ in similibus corrigendus: In præsenti igitur casu deceptio hæc oculi refundenda est, in exiguitatem spatij, ad quam se acies oculi extendit, & terraquei globi amplitudinem, planè sicut si quis ex ingenti circulo acciperet aliquod exiguum segmentum, videretur illi esse linea recta, nec posset facilè deprehendi flexura illius; ita à fortiori, si tantilla pars superficiei videatur tanti globi, sicut est terraqueus, non erit mirum, si nulla convexitas in eo deprehendatur.

Verùm neque eiusdem rotunditati obstant, tot, & tanti montes, & tot, tantæque valles, neque enim adstruimus terraquæ, Mathematicam, sed Physicam duntaxat rotunditatem. Hæc siquidem ejus inæqualitas, præ magnitudinæ terræ, si ea simul tota consideretur, meritò non æstimatur: ex eo enim, quod in aliquo globo una pars sit elevatior alterâ, per unam nongentesimam, aut etiam per unam quadringentesimam, quinquagesimámque partem, non desinit physicè esse rotundus; maximorum vero montium altitudo supra valles, non est major, quàm unius, vel ad summum duorum milliarium Germanicorum ad perpendiculum, & multo minor reliquorum; semidiameter verò terræ est milliarium 860. Diameter autem 1720. proximè, in quo numero binarius continetur octingentesies sexagesies, & unitas millies septingentesies vigesies; sume igitur, si experiri placet, globum, cujus diameter sit 1720. particularum, & illi super impone grana aliquot, vel monticulos cereos, quorum altitudo sit æqualis uni tali particulæ, aut etiam duabus, & videbis oculari experimento, eorum quantitatem nihil obesse physicæ rotunditati globi, præsertim à longè spectati.

Jam verò, quod ex Terra, & aqua unus, idemque conficiatur globus patet tum ex hactenus dictis, tùm quia terra, & aqua, omniaque gravia in ijs constituta habent idem omnino centrum, ad quod partes eorum homogeneæ æquali impetu feruntur, ut æqualiter ab eodem distent, nam si terra, aqua, aliaque gravia in illis constituta ab eodem puncto demittantur, semper per eandem lineam descendunt, quod fieri non posset, si non haberent idem centrum; consequens igitur est ex ijs confici unum, eundemque globum; æquidistantia namque partium, est argumentum, & proprietas ejusdem molis figuræ, sphæricæ, seu globi. Præterquam quod moles hæc Terraquæ simul sumptæ projiciat umbram conicam, ut ex Lunarium Eclipsium observationibus patet. Una verò, eademque umbra conica, non potest projici, nisi ab uno eodemque globo. Igitur ex terra, & aqua unus, idemque conficitur globus, qui Orbis Terrarum, sumptâ denominatione à potiori dicitur.

§ II.

De Terraquei Globi Magnitudine.

MAgnitudo globi terraquei, uti & aliorum omnium corporum, ac rerum, alia est absoluta, alia respectiva.

Quæri igitur potest primò. Quænam sit absoluta Terraquei Globi magnitudo? Et quis modus sit eandem investigandi?

Respondeo: Magnitudinem absolutam Globi Terraquei, varios esse investigandi modos, communissimus tamen, & facillimus est ex eis, quem hîc subjungo. *Primo*: Quia certum est uni gradui Cœlestis circuli maximi correspondere 15. milliaria Germanica, multiplico 360. (tot enim sunt gradus in quovis circulo cœlesti) & prodeunt 5400. milliaria Germanica, pro maximo ambitu terræ circulari. Quia verò circumferentia circuli habet se ad suam diametrum ut 314. ad 100. (uti demonstravit Archimedes de dimensione circuli, Theoremate 3. & Clavius lib. 4. Geometriæ practicæ) duco 5400. per 100, & productum divido per 314. reperioque Globi Terraquei diametrum esse 1720. milliarium Germanicorum (omissis fractionibus) & consequenter superficiem terræ, à centro terræ distare milliaribus 860. quæ unam semidiametrum terræ faciunt. Rursus, ut idem Archimedes demonstratum reliquit; Area circuli est æqualis rectangulo comprehenso sub semidiametro circuli, & lineâ æquali semicircũferentiæ, duco igitur quartam partem circumferentiæ terræ 1230. per diametrum ejusdem 1720. & invenio aream circuli terræ maximi 2322000. milliarium Germanicorum quadratorum. Tandem quia juxta eundem Archimedem *Prop. 15 Lib. de Sphæra, & Cylindro*, sphæræ cujuslibet superficies quadrupla est ad aream maximi in ea circuli, si area circuli terræ maximi proximè inventi quadruplicetur, numerus, qui ambitum convexum totius globi terraquei ostendet, erit 9288000. milliarium Germanicorum. Demùm, quia rectangulum solidum comprehensum sub semidiametro sphæræ, & tertia parte superficiei convexæ ejusdem, æquale est toti sphæræ quoad soliditatem, ut demonstravit *Clavius lib. 4. Geometriæ practicæ*, duco tertiam partem superficiei convexæ sphæræ, quæ est 3096000. per semidiametrum terræ 860. reperio soliditatem totius terraquei globi milliarium cubicorum 2662560000.

Quæri potest *Secundò*. An globus terrestris respectu Firmamenti sit tantùm instar unius puncti? Respondeo Affirmativè. Nam primò, ubique terrarum aut marium, videtur unum Hemisphærium cœli, & alterum occultatur; semper sex signa Zodiaci integra sunt supra Horizontem, & sex alia infrà eundem: ex duobus syderibus distantibus à se invicem 180. gradibus, hoc est mediâ parte cœli, quando unum cernitur in Horizonte orientali, alterum cernitur in Horizonte occidentali: stellæ in Ecliptica, aut propè, sita duodecim horis æquinoctialibus supra Horizontem versantur, & duodecim alijs horis infra eundem. Quæ omnia falsa essent, si globus Terraqueus respectu cœli haberet notabilem molem. Ergo. Secundò Instrumenta Astronomica, quæ adhibentur in superficie terræ pro cœlestibus Phænomenis indagandis, & horologia, quæ in eadem superficie construuntur, perinde nobis motus, & loca syderum ostendunt exactè, ac si centra eorum, & stylorum apices, essent in centro terræ, & id supponendo non reperitur ullus sensibilis error, ergo distantia superficiei terræ à suo centro, licèt in se sit magna, respectu tamen cœli, erit valde exigua, ipseque adeo globus terrestris instar alicujus puncti. *Tertiò*. Si terræ magnitudo esset notabilis respectu Firmamenti, stellæ fixæ etiam sudo, & sereno tempore semper apparerent nobis in Horizonte minores, quàm in meridie, aut alia Cœli parte; in Horizonte siquidem constitutæ

notabiliter essent, à nobis remotiores; atqui hæ non apparent nobis in Horizonte minores, ergo globus hic terrestris non est ullius notabilis magnitudinis respectu Cœli, sed tantùm instar unius puncti. Unde non minùs pulchrum, ac verum est illud Senecæ effatum: *Hoc est illud punctum, quod inter tot gentes ferro, & igne dividitur. O quàm ridiculi sunt mortalium termini! Punctum est illud, in quo navigatis, in quo bellatis, in quo regna disponitis:*

Quæri potest *Tertiò*. An terra sit minor, quàm stellæ? Respondeo: Globum hunc terraqueum omnibus stellis fixis, quæ sub sensum cadunt esse minorem, aut saltem nullâ omninò esse majorem. Deducimus id ex eo, quod stellæ fixæ, quæ sub sensum cadunt, in oppositione diametrali simul in apparentes orientis, & occidentis veniant, ita, ut oriente unâ videatur occumbere altera, quod non fieret si globus terrestris major esset, quàm stellæ, diametri enim seu latitudinis terrestris excessus supra diametrum stellarum efficeret, ut apparente stellâ unâ in oriente, altera diametraliter illi correspondens in occidente depressior redderetur infra Horizontem apparentem, adeoque videri simul cum alia non posset. Quantâ autem proportione magnitudinis, superent stellæ fixæ magnitudinem globi terrestris, uti & quibus planetis Terrâ, & quâ proportione major, vel minor sit, dictum est in dissertatione Astronomica.

§ III.

De Loco, & Immobilitate Globi Terraquei.

TErram esse centrum mundi, & in centro cœli supremi, sentiunt omnes Peripatetici. Idque probant iisdem ferè argumentis, quibus pauló ante primo loco exiguitatem ejusdem terræ respectu cæli probavimus. Nam si terra non esset centrum mundi, in centro cæli supremi stelliferi, non essent nobis sex omnino signa Zodiaci conspicua supra nostrum Horizontem: nec videremus mediam Cœli partem, nec cerneremus in oppositione Solis, & Lunæ, qualis est Tempore plenilunij, illo oriente hanc occumbere, nec observaremus stellas fixas, quæ sunt in circulo æquatoris ita diurno motu ferri ab ortu suo usque ad occasum supra horizontem, ut sint duodecim horis supra illum, totidemque infra illum, usquè ad novum ortum. His accedit ratio à gravitate petita; omnia siquidem gravia sublunaria, naturâ suâ tendunt ad centrum universi, ergo & terra, quæ est omnium sublunarium corporum gravissima tendit ad idem centrum Universi, ita ut, si extra illud collocaretur, eò iterùm naturâ suâ recideret, ibique quiesceret, adeoque cum de facto naturaliter in suo loco existat, naturâ suâ in eodem centro Universi existit. Unde mirum non est, quod Terraqua, in medio aëris hæreat nullis suffulta fundamentis, potiùs mirùm esset, si inde dimoveretur, quia si hoc fieret, tunc terra ascenderet, ascensus siquidem nihil aliud est, quàm motus rei à suo centro. Idem probari potest hoc argumento *Clavij, & Regiomontani*: Lunares Eclipses nunquam fiunt, nisi quando diametraliter sibi opponuntur Sol, & Luna,

ma, tunc autem necessario debent esse, nec possunt non fieri, quia nimirum solum tunc ipsa terra interponitur inter utrumque luminare, & impedit, quò minùs Luna à Sole illustretur. Atqui si terra non esset in medio universi, possent Luna, & Sol sibi diametraliter opponi, & tamen nulla sequi Eclipsis Lunæ, possent siquidem ambo luminaria in punctis Zodiaci sibi adversis existere, absque eo, quòd terra interponeretur in illa mundi diametro, & è contra Luna posset defectum pati, & eclipsari, quando minùs à Sole distaret, quàm semicirculo seu integrà diametro, quæ omnium Astronomorum calculationibus, manifestisque observationibus repugnant. Ergo terra revera est in centro Universi, seu in medio totius mundi.

Jam vero quod ad immobilitatem terraquei globi attinet, rejecto etiam omni motu Copernicano à Tellure, sive diurnæ revolutionis, seu vertiginis, quo Copernicus spatio 24. horarum perhibebat terram circa suum centrum, & axem ab occasu in ortum moveri, sive translationis, quo volebat terraquam circa ipsum solem, intrà tempus unius anni & sex horarum circumvolvi, sive librationis axis, quo terram ab Austro in Septemtrionem sex mensibus, & à Septemtrione ad Austrum alijs sex mensibus opinabatur librari, restabit adhuc de alijs immobilitatibus ejusdem inquirere. Tenendum igitur est primò terrestrem globum, in suo centro omninò esse immobilem, ita, ut per gravitatem sibi naturalem in medio mundi, seu universi positus, omni motui recto tam sursum, quàm transversùm resistat. Is enim est proprius omnis globi totalis in suo centro constituti effectus. Tenendum est secundò eum immobilem esse etiam circa centrum. *Primò.* Quia ipsa scriptura Sacra docet: Terram in æternum stare, neque inclinare in sæcula. *Secundò* Quia eodem in loco terrarum semper eadem apparet Poli elevatio, quod secùs omnino eveniret, si terra circa suum centrum moveretur. *Tertiò.* Quia tam necesse fuit ad bonum generationum Naturalium, terram esse immobilem circa centrum, quàm in centro, seu ad centrum. Ergo.

Hanc tamen ipsam immobilitatem, non habet præcisè vi suæ gravitatis, quia etiam hac non obstante, posset nihilominùs undequaque agitari in orbem, vel à reciprocante maris æstu, vel ab ipso ventorum impetu non secùs, ac ex Staticis principijs, globus æqualis gravitatis suspensus ad æquilibrium, posset viribus quibuscunque, saltèm non maximis inclinari, & moveri in orbem. Convenit igitur illi hæc immobilitas ratione virtutis magneticæ à natura sibi inditæ, vi cujus ita polis mundi correspondet, ut nullo modo ab hoc situ dimoveri possit. Non minùs enim decuit terram esse immobilem circà centrum suum, per qualitatem aliquam naturalem, quàm ut sit naturâ suâ immobilis in centro, vel ad centrum, solet siquidem Deus pro sua providentia, res naturales ijs qualitatibus instruere, quæ ad earum conservationem; & statum necessariæ sunt; ad conservationem autem terræ, & earum rerum, quæ in illa sunt, etiam necessaria est immobilitas ejusdem circa suum centrum, igitur terra circa suum centrum à natura sua immobilis est. Cùm verò virtus magnetica præstet omnia illa, quæ tali immobilitati necessaria sunt, meritò illa ei attribuitur. Solùm superest probare hanc virtutem magneticam de facto terræ inesse, quod quidem facilè deducitur. Primò: Ex eo, quod longiora ferramenta,

menta, quæ rectà diutiùs ad terram steterunt semper in parte inferiori imbuantur virtute illius poli, qui ijsdem propter est. Secundò: Quia nulla potest alia ratio adferri inclinationum acûs magneticæ, nisi quòd Polus terræ acum, ad se pertrahat. Tertiò: Quia neque est alia causa, cur acus Magnetica diversis in locis, diversam habeat declinatinationem? nisi diversa terrarum dispositio, unde plus, vel minus virtutis magneticæ affunditur, sicque acus magnetica plus, vel minùs, à rectâ lineâ polorum abducitur.

Tenendum est Tertio. Globum terraqueum immobilem esse etiam motu trepidationis, seu librationis. Primò: Quia id conformius est Scripturæ Sacræ, quæ absolutam stabilitatem terræ tribuit. Secundò: Quia longè magis excedit moles terræ, quodvis pondus ei addi, ac demi solitum. Neque obstat, quod terra ita circa mundi centrum constituta sit, ut centrum gravitatis ipsius exactè congruat centro Universi, adeoque sita sit in æquilibrio, & partes ejus circa mundi centrum æquiponderent. Nam esto quovis minimo pondere ex una parte terræ addito, vel ablato mutetur illius centrum gravitatis, non tamen illico sequitur ejusdem motus, tùm propter improportionem ponderis cujuscunque cum mole terræ; tùm quia gravitas terræ, ejusquè dicta vis magnetica ita illam affigunt loco semel à Deo, & natura ipsi attributo, ut dimoveri inde non possit, nisi impetu, vel pondere toti terraqueo globo proportionato, qualis impetus, & quale pondus in hac providentia non datur. Quodvis enim pondus, quod addi potest terræ ex una parte æquilibrij, habet minorem proportionem ad ejus motum excitandum, quàm ala muscæ, aut levissimus pulvisculus additus uni lancium manentium in æquilibrio, & sustinentium utrinque 10. aut plures etiam centenarios.

Tenendum est Quartò. Terraqueo globo convenire partialem, seu aliquarum partium motum, qui communiter *terræ motus* dicitur. Patet id experientia. Hic tamen ipse motus non est naturalis, sed violentus terræ, proveniens à copia aëris, ventorum, & halituum inclusorum in terra, qui ubi incalescentes rarefiunt, majus spatium sibi quærunt, quod ut habeant, ipsam terram rumpunt, ac commovent.

§ IV.

De Constitutione Externa, & Interna Globi Terraquei.

Moles hæc terræ universa, si sumatur secundùm profunditatem, commodè in tres partes dividi potest. Quarum prima est ea, quæ citima est superficiei; secunda est infrà, in qua ut plurimùm fiunt generationes lapidum, metallorum, gemmarum, mineralium, variorumque fossilium. In qua etiam reperiuntur meatus, & veluti canales, per quos è mari devolvuntur aquæ ad generationes fluviorum, ac fontium; ad quam etiam pertinent ignes subterranei. Postea verò est terra pura usque ad centrum, in quo esse constitutum carcerem damnatorum credimus. His omnibus supereminet extima superficies globi terraquei, cujus

jus partes integrantes sunt: Terra, & Aqua. Sub terræ nomine continentur montes, valles, colles, speluncæ, seu cavernæ, campi, seu planities, sylvæ, ripæ, littora. Sub nomine aquæ verò, maria, flumina, stagna, paludes, vortices, rivi, torrentes, & fontes. Alia autam divisione partes terræ sunt. Primò: *Continens, seu terra firma* nullâ parte sui aquis clausa. Secundò: *Insula*, quæ est undiquè aquis conclusa. Tertiò: *Peninsula* seu Chersonesus, maximâ parte aquis cincta, aliquâ tamen continenti cohærens. Quartò: *Isthmus*, angusta terra, quâ Peninsula continenti cohæret. Quintò: *Promontorium*, quod est mons, seu pars terræ amplior in mare procurrens.

Aquarum pars principalis est Mare, dividiturque in Oceanum, & Mare Mediteraneum. Oceanus toti terræ circumquaque affunditur. Mare Mediteraneum, medijs ipsis terris veluti concluditur. Secunda: *Sinus maris*, estque ipsius maris pars aliqua in terras angusto spatio effusa. Tertia: Fretum, estque spatium quoddam angustius, quo mare coarctatur, tum ultra sese expandit.

Oceanus quamvis unus sit, & idem per varias partes terræ continuus, varias tamen, ex ijs regionibus, quas alluit, sortitur appellationes. Ac primò quidem ex IV. Mundi præcipuis partibus dicitur Mare Orientale, Occidentale, Septemtrionale, & Meridionale. Item à cognatis gentibus vocatur Mare Norvegicum, Germanicum, Anglicum, seu Britanicum, Hybernicum, Gallicum, Hispanicum, Indicum, Æthiopicum, Sinense, Japonicum.

Oceani Sinus præcipui sunt: Primus Sinus: Ille ingens ad Septemtrionem inter Pomeraniam, Daniam, Svetiam, Livoniam, & Prussiam, qui nunc vulgò mare *Balticum* nuncupatur. Secundus: *Persicus* in Mari Indico, qui Persiam ab Arabia dividit. Tertius: *Arabicus* in eodem Indico Mari, disterminans Arabiam ab Africa, & hic *Mare rubrum* appellatur Quartus Sinus *Mexicanus* ad partes orientales Americæ, quâ Europam, & Africam respicit. Quintus Sinus: *Californiæ* ad partes occidentales Americæ, quà Asiam respicit. Sextus Sinus: *Grandvicus* ad Mare Septemtrionale, & nunc Mare Album nuncupatur, vulgò *Biele More* patriâ incolarum lingvâ.

Celebriora Freta Oceani sunt: Primum Fretum Gaditanum, sive Herculeum, disterminans Europam ab Africa ad partes occidentales; per quod irrumpens Mare Mediteraneum efficit. Secundum Fretum Magallanicum, Americam à terra Australi Incognita dirimens. Tertium Fretum Anianum, non magno tractu Americam ab Asia separans. Quartum Fretum Davis in eadem parte Septemtrionali Americæ orientem versùs. Quintum Fretum Nassovium inter Sarmatiam Asiaticam, & novam Zemblam.

Mare Mediterraneum, quod per Fretum Gaditanum prodit, atque inter Europam, & Africam longè latéque diffunditur ad Asiam usque, varia similiter assummit nomina, prout varijs regionum littoribus affunditur. Hujus duo maximè insignes sunt sinus: Primus est Venetus, & Mare Adriaticum dicitur: alter est Ægeum mare, varijs sparsum insulis, quod nunc Archi-pelagus vocatur. At illud modò in angustius spatium cogit sese, modò sese relaxat, nunc iterùm coarctatur, latiusque

iterum

iterùm aperit ſeſe. Ubi primùm ſe coarctat, vocatur Helleſpontus; ubi verò ſe extendit dicitur Propontis; ubi iterum cogitur, Boſphorus Thracius appellatur, At ubi iterùm effundit ſeſe, eſt Pontus Euxinus (ſeu Mare nigrum) qui poſt magnum littoris flexum jungitur Mæotidis paludis oſtio, quod Boſphorum Cimmerium vocant; ipſeque lacus Mæotis recipit Tanaim fluvium.

Præter hæc maria, eſt quoque Mare Caſpium, ſeu Hyrcanum, reliquo mari non continuum, ſed undequaque potiùs terris concluſum, à Ruſſis accolis proprio idiomate *Chvalenske More* dictum.

Occaſione autem hujus tantæ molis aquarum marinarum duplex inter Geographos oritur quæſtio. Prima eſt: Utrùm ex ſuperficie terraquei globi majorem partem occupet terra, vel aqua? Altera verò eſt, utrùm non tantùm ſecundùm ſuperficiem, ſed etiam quo ad ipſam ſoliditatem in globo terraqueo plus ſit de aqua, vel terra? Ad quas reſpondeo, quòd quidem aquæ facies plus occupet ex ſuperficie terraquei globi, præſertim ſi mari addantur lacus, ſtagna, paludes, & flumina; quoad ſoliditatem tamen in globo terraqueo longè plùs ſit terrarum, quàm aquæ. Prima pars reſponſionis patet ex recentioribus, & magis accuratis Mappis Geographicis. Altera autem reſponſionis pars evincitur hac ratione: quia nec terra omnis aquâ obtegitur, neque ullibi ſunt aquæ, quibus major terrarum profunditas non ſubſternatur. Etenim Terra profunda eſt uſque ad centrum terraquei globi 860. milliarium Germanicorum, Mare autem, ubi maximè altum eſt, vix ſolet medium milliare Germanicum excedere; unde Naucleri ad tentandam maris profunditatem non ſolent demittere funem cum bolide longiorem ducentis orgijs. Quod ſi his viſibilibus aquis addantur etiam illæ, quæ ſunt in ſubterraneis occultis meatibus, nec ſic quidem aquarum copia adæquabit ſoliditatem terræ; aquæ ſiquidem illæ occupant ſolum aliquas partes terræ ſecundæ quaſi regionis, cum tamen ſoliditas terræ attingat ferè ipſum centrum mundi.

§ V.

De Situ Globi Terraquei, ejusque diviſione reſpectivè ad Cœlum.

Ratione diverſitatis ſitûs reſpectivè ad Cœli partes, Globus terraqueus variè dividitur à Geographis. Et *Primò.* quidem ſecundùm ſitum æquatoris ad Horizontem. Aut enim æquator ſecat Horizontem ad angulos rectos; & hinc oritur *Sphæra recta*; aut ad angulos obliquos; & hinc *Sphæra obliqua*; aut concidit cum Horizonte, adeo, ut Paralleli æquatoris, ſint etiam Paralleli Horizontis, & hinc fit *Sphæra Parallela.* *Secundò.* Secundùm ejuſdem ſitum quoad quatuor circulos minores Cœleſtes, quales ſunt Tropicus Cancri, Tropicus Capricorni, Polaris Arcticus, & Polaris Antarcticus, & ſic dividitur totus Globus terraqueus in 5. Zonas. Eſt autem Zona nihil aliud, quàm ſpatium in globo terræ inter duos Circulos minores, vel inter Circulum minorem, & polum comprehenſum. Ex quibus duæ ſunt frigidæ, una Borealis, altera Auſtralis, duæ temperatæ, una

Borealis, altera Australis, & una Torrida. Frigida Borealis est illa terræ portio, quæ inter Polum Arcticum, & circulum Arcticum interjacet. Frigida Australis, quæ est inter Polum Antarcticum, & Circulum Antarcticum. Temperata Borealis est terræ pars inter circulum Arcticum, & Tropicum Cancri comprehensa. Zona temperata Australis est terræ pars, quæ inter Tropicum Capricorni, & Circulum Antarcticum continetur. Zona torrida est illa terræ pars, quæ inter utrumque Tropicum jacet. *Tertiò.* Secundùm situm quoad Parallelos æquatoris, respectu quorum globus terraqueus dividitur in varia climata. Est autem *Clima* nihil aliud, quàm certum terræ spatium inter certos parallelos æquatoris interceptum, in quo respectu alterius similis spatij versùs æquatorem positi maxima dies artificialis dimidiâ horâ est major. *Quartò.* Secundùm situm ejusdem respectu circuli meridiani, & æquatoris, à quibus longitudo, & latitudo terræ desumitur. Est ergò longitudo terræ, vel regionis alicujus, distantia meridiani in illa, à primo meridiano versùs Orientem computato. Primus porrò Meridianus est is, qui per Canarias insulas transit. Latitudo verò loci in Terraqua est distantia ejus ab æquatore versùs alterutrum Polum; & hæc duplex est, Borealis, & Australis, prout loca recedunt ab æquatore versùs Boream aut Austrum. Utraque semper est æqualis altitudini Poli. Quare etiam latitudo & elevatio Poli coincidunt. Tanta igitur est alicujus regionis longitudo, quot gradus, & minuta intercipiuntur in æquatore, inter ejus meridianum, & inter meridianum primum; & tanta latitudo, quot gradibus & minutis ab æquatore distat, seu quot gradus, & minuta in meridiano illius inter æquatorem, & loci Parallelum intercipiuntur? *Quinto.* Secundùm situm ejusdem respectu cardinalium cœli punctorum, & sic totus terrarum orbis in quatuor partes dividitur, nempe in Orientem, Occidentem, Septemtrionem, & Meridiem. Atque ex hac diversitate sitûs globi terrestris provenit in diversis partibus orbis tanta diversitas dierum, noctium, crepusculorum, tempestatum anni, umbrarum, aliarumque rerum ab his dependentium, vel cum his connexionem habentium.

Porrò duo adhuc restant inquirenda. *Primò*: Utrum omnes quinque Zonæ undequaque sint habitabiles. *Secundò*: Utrum dentur Antipodes. Et veteres quidem Zonam torridam, & frigidas, inhabitabiles esse credebant, illam quidem propter perpetuos ardores Solis, cujus viæ subjecta est; has verò ob nimium frigus, utpotè, quæ longissimè à Solis via sepositæ sunt. Antipodas autem dari pro fabula reputabant. Verùm utramque hanc opinionem fuisse falsam ocularis, & manifesta ævi nostri ostendit experientia. Defacto siquidem Zonam torridam incolunt in Asia Indi, in Africa Æthiopes, in America Brasilienses, & Peruviani. Neque hanc inhabitabilem reddit nimius Solis ardor, nam primò, cum noctes diebus sint ibi ferè æquales, nocturnum frigus diurnum calorem temperat. *Secundò*: Illæ regiones pluvijs abundant, ex vaporum copia, quæ à mari circumfuso educitur. *Tertiò*: Temperantur maximè à ventis frequenter eas perflantibus. Similiter de Zona frigida constat ex Historia *Olai Magni*, narrantque Hollandi recentiores, qui ad Polum Arcticum navigârunt, frigus illarum regionum varijs ex causis particularibus

ticularibus leniri. Pari ratione certum est dari Antipodas, cùm dentur regiones, ac defactò incollantur ex diametro alijs regionibus oppositæ. Fuerunt siquidem Naucleri, qui navigando semper versùs occidentem, sub eâdem ferè linea æquinoctiali, redierunt totum orbem circumnavigando ad eundem locum à quo fuerant profecti, omnesque regiones, quas transierunt invenerunt habitatas, aut saltèm habitabiles. Neque inde sequitur illud inconveniens, ob quod veteres dari Antipodas negârunt, nempe quòd si darentur, necesse esset eos ad alteram partem Cœli cadere: item quòd omnia in parte inferiori nobis essent obversa, & pendula, adeoque fruges, & arbores crescerent deorsum, pluviæ è contrà, nives, & grandines caderent sursum. Nam quòd Antipodes non cadant ad alteram Cœli partem ratio est, quia vi suæ gravitatis ad idem omninò centrum terræ tendunt, ad quod nos tendimus. Fruges etiam & arbores mittunt suas radices versùs medium, seu centrum terræ, cacumina autem versùs circumferentiam Cœli; è contrà verò nives, & grandines cadunt ad idem centrum terræ ab eadem Cœli circùmferentia, hoc autem est cadere deorsum, & illud crescere sursum. Ergo.

§ VI.

Brevis Totius Terrarum Orbis Descriptio.

PArtes totius Orbis terrarum sunt quatuor: *Europa*, *Africa*, *Asia*, & *America*. Quibus addi possunt duæ aliæ, una, quæ continetur sub Polo Arctico; altera, quæ est sub Polo Antarctico. Ad priorem harum duarum pertinent. 1. *Regio subpolaris incognita.* 2. *Groenlandia.* 3. *Spitsbergia.* 4. *Islandia.* 5. *Nova Zembla* cum mari *Hyperboreo*, seu glaciali, & Fretis duobus *VVaygaz & Davis.* Ad alteram verò terra incognita ingentis vastitatis cum suis regionibus in littoribus ejusdem aliquantulùm jam cognitis, ut est *Nova Gvinea*, Regio Psitacorum, & variæ circa eam sparsæ, in Mari Pacifico insulæ. Duabus igitur his omissis, quatuor reliquas perlustrabimus, sed quàm brevissimè.

PARS PRIMA.

Continens Descriptionem Europæ.

EUropæ longitudo summa inter Hispaniæ promontorium Sacrum, ad Obij fluminis ostium, est milliarium circiter 900. Germanicorum. Latitudo maxima ab extremo Peloponensi promontorio Tænaro, ad Strickfinniæ Promontorium Boreale milliarium Germanicorum 550. circiter.

Dividitur hodie Europa in duo Imperia, complura Regna, diversos Principatus, & Ducatus, variasque Provincias, & Respublicas.

Prima Regnorum Europæ est Hispania (utpote vicinissima primo Meridiano, à quo longitudo Regionum incipit) habens in sua longitudine milliaria Germanica 190. circiter, in latitudine vero 160. Quæ rursus subdividitur in plura regna, ac

Provincias, quarum hæc sunt nomina: *Catalonia, Aragonia, Navarra, Cantabria, Asturia, Legio. Galatia, Portugallia, seu Lusitania, Algarbia. Andaluzia, Granada, Murcia, Valentia, Castilia vetus, Castilia nova, Estremadura.* Montes Hispaniæ præcipui sunt *Pyrenæi*, qui pro locorum ratione varia sortiuntur nomina. Flumina in Hispania notantur 50. ex quibus præcipua sunt: *Ilerus, Durius, Tagus, Anas, Bætis.* Urbes celebriores sunt: *Cæsaraugusta, Pampelona; Valentia, Murcia, Granada*, (trium regnorum à se denominatorum capita) *Carthago* nova, *Hispalia*, seu *Sevillia, Corduba, Toletum, Madritum, Compostella, Vlissipona, Burgi.* Academiæ illustriores: *Salmantica, Complutum, Conimbrica.* Insularum Hispaniæ adjacentium celebriores sunt: *Baleares duæ*, quarum una *Majorica*, altera *Minorica* dicitur. Item *Ivica*, & *Gades.*

Gallia Hispaniæ proxima in longitudine sua habet milliaria Germanica 180. in latitudine verò 140. Tota patet uni Regi in partes varias divisa. Urbes præcipuæ illius sunt: *Lutetia Parisiorum, Ambianum, Rotomagus, Cadomum, Andegavum, Turonum, Blense Castrum, Aurelianum, Augustodunum, Lemovicum, Pictavium, Lugdunum, Burdegala. Tolosa, Mons pessulanus, Massilia, Arelatum, Aquæ Sextiæ, Avenio.* Academiæ illustres: *Parisiensis, Andegavensis. Aurelianensis, Bituricensis, Pictaviensis, Burdigalensis, Tolosana, Montepessulana.* Fluvij: *Rhodanus, Garumna, Ligeris, Sequana.* His aliquando minores, *Matrona*, & *Arar*, Montes Galliæ præcipui sunt *Pyrenæi, Alpes, Gebennæ, Vogesus, Iura.* Lacuum maximus est *Lemanus.*

Gallico littori adjacent Insulæ quàm plurimæ Britanicæ dictæ, quæ hodie tria constituunt regna, scilicet *Angliæ, Scotiæ, & Hiberniæ. Anglia* in longitudine occupat milliaria Germanica 80. In longitudine 60. & alicubi etiam 70. Tota 70. Comitatibus est distincta. Archi-Episcopatus habet duos, quibus 24. subsunt Episcopi. Urbium Princeps est *Londinum*: hanc sequitur *Eboracum*, post hanc *Oxonium, Bristalium, Cantabrigia, Cantuaria*, & aliæ multæ. Academias habet duas *Oxoniensem, & Cantabrigensem.*

Scotiæ longitudo est milliarium Germanicorum 70. Latitudo 50. Urbium clarissima est *Edenburgum*, regni caput, sedesque regia. Archi-Episcopatus habet tres, Episcopatus 13. Academiam unam.

Hibernia formam habet quasi ovalem. Comitatus per totum Regnum sunt 32. Caput Regni est *Armacha* civitas, sedes Archi-Episcopalis cui subsunt 12. Episcopi. Circa has Insulas Britanicas plurimæ aliæ minores adjacent, ex quibus circa solam Scotiam versùs Occasum sunt 30. ampliùs numero *Hebrides* dictæ, ad Septemtrionem autem *Orcades* 40. ampliùs numero. Ultima Britanicarum Insularum erat Thule.

Altera ex parte post Alpes Galliæ sequitur Italia. Ejus summa longitudo est milliarium Germanicorum 225. Latitudo varia. Prima illius regio est ex parte Galliæ *Ora Genvensis.* 2. *Thuscia sive Hertruria.* 3. Latium. 4. *Regnum Neapolitanum* variè subdivisum. 5. *Marchia Anconitana.* 6. *Umbria*, & *Sabinia*, sive *Ducatus Spoletanus.* 7. *Romaniola.* 8. *Provincia Veneta.* 9. *Longobardia Cispadana*

dana, complectens ducatum *Parmensem, Mutinensem, Ferrariensem, Monferratensem, & Comitatum Mirandulanum.* 10. Longobardia Transpadana complectens Ducatum *Mediolanensem, Mantuanum, & Venetorum Ditionem.* 11. *Pedemontium, & Sabaudia.* 12. *Forum Iulij.* 13. *Histria, Liburnia*, & reliquæ partes circa alpes Italiam à Germania separantes.

Epitheta octo Italiæ eximiæ claritatis sunt hæc : Roma sancta, Neapolis nobilis, Venetiæ opulentæ, Genua splendida, Mediolanum ingens, Florentia pulchra, Bononia pingvis, Patavium doctum. Cæterum in tota Italia 200 Urbes dicuntur numerari. Montes celebriores Italiæ sunt : Alpes, Appenninus, Massicus, Gavis sive Gallicanus, Tifatus, Vesuvius, Garganus. Fluvij vero : *Padus sive Eridanus, Athesis, Tiberis, Anassus, Arsia, Arnus-Vmbro, Liris, Vulturnus, Silarus, Ansidus, Aterus, Truentum.* Lacus : *Verbanus, Larius, Sebinus, Benacus, Transumenus, Aprilis, Bulsinus, Fucinus, Sebatinus.*

Academiæ illustres sunt *Patavij, Bononiæ, Pisis, Senis, Perusiæ:* minùs celebres, *Ferrariæ, Romæ, Firmi, Neapoli, Salerni, & Maceratæ.* Archi-Episcopatus in universa Italia sunt 30. Episcopatus innumeri pœnè, sed admodum tenues. Insulæ ad Italiam spectantes sunt : Sicilia ambitu suo complectens 600. milliaria Italica circiter, cujus Urbes præcipuæ sunt : *Panormus, Messana, Catana, Syracusæ. Melita*, cujus ambitus est milliarium Italicorum 60. *Liparenses Insulæ, Sardinia, Corsica*, & aliæ minoris nominis.

Transgressis Alpes occurit Germania, quæ bifariam dividitur, in inferiorem scilicet, & superiorem. Inferior uno nomine Belgium appellatur, 17. constans Provincijs, ex quibus 4. sunt Ducatus, nempe *Brabantia, Limburgum, Luxenburgum, Geldria.* Comitatus 7. *Flandria, Artesia, Hannonia, Hollandia, Zelandia, Namurcum, Zutphania. Marchionatus unus S. Imperij Antverpia.* Dominia 5. *Frisia occidentalis, Mechlinia, Vltrajectum, Transisalania, Groninga.* Omnes hæ Provinciæ licèt in circuitu suo vix quintam partem Italiæ adæquent, continent tamen Urbes clausas 208. Oppida urbibus haud inferiora 150. Pagos majores plus minus 6300. Minores sine numero ferè præter plurimas arces, & propugnacula : Belgij flumina celebriora sunt : *Scaldis, Lisa, Tenera, Levia, Ypra, Aa, Scarpa, Rupella*, & alia. Portus sunt : *Slusa, Ostensa, Neoportus, Dunckerca, & Gravelinga.* Germania superior amplectitur eò plures adhuc Provincias. Præcipuarum nomina sunt hæc : *Helvetia* cum *Vallesia*, & *Rhætia, Alsatia* cum *Briscoja, Palatinatus Rheni, Electoratus Moguntinus, Electoratus Trevirensis, Leodiensis Provincia, Ducatus Iuliacensis, Coloniensis Archi-Episcopatus, Ducatus Borgensis. Clivia, Ducatus Montium, VVestphalia, Frisia Orientalis, Bremensis Archi-Episcopatus, Holsatia, Meckelburgensis Ducatus, Pomerania, Marchia Brandeburgensis, Lusatia, Silesia, Moravia, Austria, Styria, Carinthia, Carniolia, Tyrolis, Bavaria, Svevia, VVittemberga, Franconia, Thuringia, Hassia, Brusvicensis Ducatus, Luneburgensis Ducatus, Saxoniæ Ducatus, Misniæ Marchionatus, Bohemiæ Regnum.* Ad Germaniam quoque revocantur tanquam fines, & feuda Imperij *Lotharingia, & Burgundia.* Singulæ autem harum Provinciarum habent

suas Urbes, & Metropoles. Archiepiscopatus in Germania sunt septem, ex quibus Primatis Germaniæ locum defacto obtinet *Salisburgensis*, sub quibus Episcopatus quàm plurimi. Academiæ illustres, *Basile*, *Friburgi*, *Argentorati*, *Heidelbergæ*, *Ingolstadij*, *Tubingæ*, *Pragæ*, *Viennæ*, *Gracij*, *Francofurti*, ad Oderam, *Vittenbergæ*, *Lipsiæ*, *Ienæ*, *Erfordiæ*, *Coloniæ*.

Totum etiam Imperium est divisum in decem ditiones, quos circulos appellant, qui sunt: Franconicus, Svevicus, Bavaricus, Austriacus, Rhenensis, Electoralis, Westphalicus, Saxonicus superior, Saxonicus inferior, Burgundicus.

Fluvij celebriores Germaniæ sunt: Danubius, *Rhenus*, *Mœnus*, *Neccarus*, *Visurgis*, *Mosella*, *Amasis*, *Albis*, *Sala*, *Odera*, *Dravus*, *Savus*, *Athesis*, *Oenus*, & *alij*.

Germaniæ adjacet Polonia cujus latitudo est milliarium Germanicorum 200. longitudo verò milliarium 150. Dividitur in majorem, & minorem. Ejus Provinciæ præcipuæ sunt: *Prussia*, *Cassubia*, *Samogitia*, *Livonia*, *Massovia*, *Podelasia*, *Volinnia*, *Podolia*, *Russia Nigra*. Urbes præcipuæ: Gedanum sive *Dantiscum*, *Turonium*, *Elbinga*, *Bransberga*, in Prussia, *Riga* in Livonia, *Vilna* in Litvania, *Varsavia*, *Cracovia*, *Posnania*, *Camenecum*, *Leopolis*, Archiepiscopatus in universo regno sunt tres, Episcopatus 16. Academiæ celebres: Cracoviensis, Posnaniensis, Vilnensis. Majorem intersecat *VVarsa* fluvius, minorem *Vistula* fluvius pererrat.

Vicinum Poloniæ Regno est Regnum Hungariæ plura alia Regna, & Provincias Coronæ suæ incorporatas habens uti sunt: *Croatia*, *Dalmatia*, *Sclavonia*, *Rasci a*, *Bosnia*, *Transylvania*, *Bulgaria*, *Servia*, *Valachia*, *Moldavia*. Figura ejus quadra est, cujus latera quatuor mundi cardines spectant. Ejus maxima longitudo est milliarium Germanicorum 60. ac par fermè est latitudo. Dividirur in Superiorem & inferiorem. Comitatus quasi diversæ Provinciæ in universa censentur 50. Urbes illius celebriores sunt: *Buda*, *Strigonium*, *Alba Regalis*, *Posonium*, *Cassovia*, *Eperjesinum*, *Leutschovia*, *Neosolium*, *Sopronium*, *Szakolcza*, *Tyrnavia*. Fortalitia majora: *Szakmarinum*, *Jaurinum*, *Comaromium*, ac *Leopoldopolis*, recenter secundùm omnes Architectonicæ militaris regulas exstructa munitio. Archi-Episcopatus sunt duo, Strigoniensis, & Colocensis, sub quibus duodecim Episcopatus numenantur. Academiæ Tyrnaviensis, Cassoviensis, & Budensis, ac in Transylvania Claudiopolitana. Fluvij: Danubius, Tibiscus, Savus, Dravus, quos etiam in suis gestat insignibus. Uti & montes tres, qui vulgari lingvâ *Tatra*, *Fatra*, & *Matra* appellantur. Cæterum præcipuæ illius Alpes sunt montes Carpathij eandem à Polonia, Russia, & Moldavia separantes. Lacus *Fertô* & *Balaton*. Regio à natura est in omnibus abundè provisa, nec ad sui commodam felicitatem aliud requirit, quàm quietem ab hostibus, unitatem fidei, & bonum rerum ordinem. In *Transylvania* Urbes majoris nominis sunt: Cibinium, Alba Julia, Claudiopolis, Bistricia, Sciburgium, Megyesinum, Corona. *Sclavonia* propriè dicitur ea regio, quæ inter Dravum, & Savum amnes jacet, ab occasu Styriâ, ab ortu Danubio clausa, cujus longitudo ab oppido Crapina ad influxum Saviin Danubium, est milliarium Germanicorum 50 Latitudo 12. Metropolis ejus est

Zagrabia

Zagrabia. Ad inferiorem partem Savi ultra Danubium, est *Rascia*. *Bosniæ* Regnum est situm inter Vnnam, & Drinam amnes, Betiosque montes. Longitudo ejus milliarium Germanicorum 40. Latitudo verò milliarium Germanicorum 15. *Croatia* sita est inter fluvios Vnnam, & Colapim, cujus caput Bihatsium. Inter Croatiam, & Mare superum jacet *Dalmatia*, terminaturque ab occasu Istriâ Provinciâ Italiæ ultimâ à qua sejungitur Arsiâ flumine; à Septemtrione Croatiâ, & Bosniâ à quibus separatur montibus; ab oriente Timaco fluvio, & Drilore amne quibus separatur à Græcia, & Bulgaria, à Meridie Adriatici maris sinu. Celebriores ejus urbes sunt: Ragusa, Segnia, & Jadera. Post Rasciam, & Sclavoniam jacet Regnum Serviæ, olim Mœsia superior, Metropolis illius est Belgradum. Serviæ adhæret Bulgaria ad occasum, habens à meridie Macedoniam, ab occasu Bosniam, à Septemtrione Danubium, & Rasciam, olim vocabatur Mœsia inferior, cujus metropolis est Sophia. Trans Danubium post Bulgariam sequitur *VValachia* & Moldavia. Ad Septemtrionem Bulgariæ est *Romania*.

Illyrico conjuncta est *Græcia*, cujus longitudo maxima est milliarium Germanicorum 100. Latitudo 80. Ejus regiones sunt: Epirus, Peloponnesus, Græcia propriè dicta, Thessalia, Macedonia, eidemque adjungitur etiam Thracia, in qua Imperij Græcorum sedes Constantinopolis. Reliquæ urbes in Thracia sunt: Hadrianopolis, Philippopolis, Trajanopolis, Galli polis, Sestus, cui in Asia objacet Abydus, quæ duo loca appellantur vulgò *Dardanelli*, suntque claves Imperij Turcici. Olim Urbes clarissimæ Græciæ erant: Corinthus, Lacedæmon, sive Sparta, Epidaurus, Thebæ, Athenæ. Montes Græciæ sunt Stymphalus. Parnassus, Helicon, Hymettus, Cithæron, Olympus, Pelion, Ossa, Athos. Insulæ ad Græciam spectantes in Archipelago sunt ferè innumeræ, Cyclades, Sporades, Corcyra Zacynthus, Chius, Pathmus, & omnium maxima Creta, quæ nunc Candia appellatur.

Tartariæ pars, quæ in Europa est, appellatur *Tartaria minor*, jacetque inter Boristhenem, ac Poloniæ Regnum ab occasu, Mare nigrum à meridie, Tanaim Fluvium, ab ortu, & Moschoviticas regiones à Septemtrione. Divisa est in Præcopensem, & Cremensem.

Ultima Regio Asiam versùs Europæ est *Moscovia*, seu Russia Alba. Longitudo ejus est milliarium Germanicorum 380. Latitudo milliarium Germanicorum 300. Dividitur in complures Ducatus ac Provincias, quæ plerumque à præcipuis Urbibus denominatur. Caput Moscoviæ est Moscva urbs ingens, ut quæ quadraginta unum millia, & quingenta ædificia (lignea tamen omnia) complectitur.

Ad Septemtrionem verò pars ultima Europæ est ingens illa Peninsula, quam Scandiam veteres appellabant, quæ cum adjectis sibi insulis tria efficit regna, nempe *Norvegiæ, Sveciæ, & Daniæ*. *Norvegia* est terra vastissima, sed maximè aspera, saxoque sterili, aut sylvis ingentibus horrida. Urbes in ea sunt: *Nidrosia* caput Regni, *Bergi*, & *Anslo*. Metropolis Sveciæ Regumque sedes est *Stokholmium* urbs posita in stagnis marinis, palis superstructa, naturâ operibusque munitissima. Secunda est *Upsalia* Academiâ Archiepiscopatuque insignis. Provinciæ ejus

ejus sunt: Gothia, Botnia, Scrikfinia, Lappia, Finnia, regiones planè steriles, si primam excipias. Daniæ Regni urbs primaria, Regumque sedes est *Hafnia* sive *Coppenhagen*. Cæterùm dividitur tota Dania in tres partes, quarum prima est Cimbrica Chersonesus; altera & quidem præcipua est Scania, de qua tam acre Danos inter, & Svecos est certamen; tertia pars regni in insulis dispersa medium situm obtinet.

PARS SECUNDA.

Brevis Descriptio Asiæ.

ASia magnitudine suâ creditur superare Europam, & Africam. Longitudo summa inter Hellespontum & Malaccam extremum Indiæ Emporium est milliarium Germanicorum 1300. Latitudo inter fauces Arabici sinûs, & Tabin promontorium, quod est Fretum Anian, milliarium Germanicorum 1220. Olim variè dividebatur, nunc commodè distribui potest in partes quinque, nempe in Imperium Turcicum, Persicum, Indicum, Chinense, & Tartaricum. Provinciæ, quas Turcicum in Asia Imperium complectitur sunt: Albania, Iberia, Colchides, Armenia, Cappadotia, Gallatia, Pontus, Bythinia, Asia minor sive Natolia, Lycia, Pamphilia, Cilicia, Syria, cum Palæstina, Arabia triplex, Insulæ Cyprus, & Rhodus.

Persicum Imperium clauditur à Septemtrione Mari Caspio, Oxo flumine, & Cavensi monte; ab oriente Indo fluvio; à Meridie mari ac sinu Persico; ab occasu Euphrate, Tigri, & Araxe fluvijs. Longitudo ejus est milliarium Germanicorum 460. Latitudo 270. Ad Persiam his finibus inclusam spectant hæ regiones: Mesopotamia, Babylonia, Media, Assyria, Susiana, Persis, Parthia, Asia, Hyrcania, Margiana, Bactriana, Arachosia, Paropamisis, Drangiana, Gedrosia, & Carmania, cum Regno Armuziæ.

Post Persicum Regnum Orientem versùs per longissimum tractum extenditur India, pars Asiæ uti maxima, ita nobilissima fæcundissimáque auri, & argenti. In duas partes fluvio Gange divisa 47. regna olim continens, quorum tamen aliqua nimium modica, & arctis finibus fuêre constricta; nunc à Geographis commodiùs in novem dividitur partes, sive regiones, quarum nomina sunt: *Cambaja, Narsinga, Malabar, Bengala, Pegu, Sian, Camboja, & Magni Mogoris* Imperium in aliquot rursus regna subdivisum, quæ ferè tertiam partem Indiæ complecti perhibentur. Post omnes has Provincias, versùs Meridiem, & Orientem sunt duo alia vastissima Regna, *Concincina*, & *Tunckium*, quæ olim erant pars Chinensis Imperij, nunc proprios agnoscunt Reges.

Chinarum, sive Sinarum Regio, extenditur in latitudinem à Tropico Cancri usquè ad Parallelum 52. in longitudinem verò à Meridiano 130. ad 160. Dividitur in 25. Provincias amplissimas, urbibus, oppidis, pagis, & castellis, frequentiáque populorum supra omnem modum refertas.

Tartaro-

Tartarorum Imperium in Asia contentum totam illam partem, quæ inter Moscoviam & Regni Chinensis muros interjacet, occupat. Et nunc in quinque potissimùm dividitur partes, quarum nomina sunt hæc: *Tartaria deserta*, *Tartaria Zagataja*, *Turkestan Regnum-Magni Cham Imperium*, & *Tartaria vetus*.

Insulæ circa Asiam sunt: *Sumatra* omnium Asiaticarum Insularum maxima circuitu milliarium bis mille, & centum. *Corea* longitudine 230. milliarium Germanicorum, latitudine 50. *Insulæ Japonicæ* plures numero, universâ Italiâ haud minores: *Insulæ Philippinæ* ferè innumeræ. *Insulæ Moluccæ* variorum aromatum feraces. *Nova Guinea*, quæ an sit Insula, an verò continentis terræ Australis pars incognita, necdùm satis compertum est. Hæ in Oceano. In Mari verò Mediterraneo præcipuæ sunt duæ: Insula *Cyprus* integrum Regnum constituens à Turcis Anno 1570. Venetis erepta: Insula *Rhodus* ab ijsdem Turcis 1522. occupata.

Flumina Asiæ præcipua sunt: *Tigris*, *Euphrates*, *Indus*, *Ganges*, *Volga*, & multa alia in Tartaria. Mons maximus *Taurus*, totam quasi Asiam in duas partes dividens.

PARS TERTIA

Africæ Summaria Descriptio.

LAtitudo Africæ à *Freto Herculis* ad *Promontorium bonæ spei est* milliarium Germanicorum 1148. longitudo inter *Promontorium Hesperium*, & *fauces Arabici sinûs* milliarium Germanicorum 1150. Nunc dividitur in septem potissimùm Regiones, quarum nomina sunt: *Ægyptus*, *Barbaria*, *Beledulgerit*, *Sarra*, *Nigritarum regio*, *Æthiopia interior*, (quæ est Abyssina) & *Æthiopia exterior*. Urbs præcipua, & caput Ægypti, est *Cayrus* (olim Memphis) deinde *Damiata*, tùm *Alexandria*. Barbaria dividitur in quinque regna, ac unam Provinciam. Provincia est *Barcana*; Regna verò, *Tunetanum*, *Tremesinum*, *Fessanum*, *Morrocanum*, & *Darense*. *Beledulgerit* continet tria Regna, quæ sunt: *Targa*, *Berdoa*, & *Guaga*. *Sarra* complectitur *Gualatam regnum*, *Libiam interiorem*, Regnum *Borno*, & Regnum *Nubiæ*. Nigritarum Regio constat 17. minimùm regnis. Æthiopia interior similiter subdividitur in complura regna, seu Provincias, quibus imperat Rex, seu Imperator Abyssinorum, qui vulgò Presbyter Joannes (esto erroneè) appellatur. Æthiopiæ exterioris regionum prima est *Congo*, cujus incolæ sunt Christiani; secunda *Monomotapa*; tertia *Zanzibar* cum annexis sibi partibus; quarta est *Ajan* pari ratione alias terras sibi adjunctas habens.

Insulæ circa Africam sunt: *Zocotora*; 2. *Malagascar* seu *Insula S. Laurentij* cum multis alijs in sinu Barbarico sparsis. 3. Nonnullæ exiguæ circa Caput Bonæ Spei. 4. *Hesperides*. 5. *Gorgades*. 6. *Insulæ fortunatæ* numero septem, quæ nunc à primaria *Canariæ* dicuntur. 7. Altiùs his versùs Septentrionem est *Madera*, & alibi aliæ minores.

Lacus Africæ celebriores ſunt *Zaire*, & *Borroo*. Montes præcipui *Abyle*, *Atlas*, & *Lunæ*. Fluvij *Nilus*, & *Nigris*.

PARS QUARTA.

Americæ Summaria Deſcriptio.

LOngitudo Americæ inter duo *Freta Anianum*, & *Magellanicum* eſt milliarium Germanicorum 2400. Latitudo maxima milliarium Germanicorum 1300. Dividitur univerſa in duas partes, quarum una dicitur *Septentrionalis America* & *Mexicana* ab Urbe primaria *Mexico*; altera Meridionalis ſive *Peruviana* Provincia ditiſſima *Feru.*

Dimidia pars Americæ Septentrionalis, ſive Mexicanæ versùs Occidentem æſtivum ſita introrſus adhuc eſt incognita. Altera verò pars illius in complures regiones dividitur, quarum nomina ſunt: *Canada*, *Nova Francia*, *Virginia*, *Florida*, *Nova Hiſpania*, *Nova Granada*, *California*; & in occidentali latere ad Fretum *Anian* duo Regna, *Quivira*, & *Anian*, unde Freto nomen.

Regiones verò Meridionalis ſive Peruvianæ Americæ ſunt: *Caſtella aurea*, *Bogota*, *Peruvia*, *Chili*, *Chica*, *Braſilia*, *Caribana*; *Gviana*, *Biquiri*, omnes Oceano perfuſæ. Intus verò ſunt: *Amazonum Regio*, *Paquan*, *Picora*. *Moxos*, *Vram*, *Charchas*.

Fluvij Americæ præcipui ſunt: *Paragnian*, *Maragnion*, *Argenteus Fluvius*, vulgò *Rio de la Plata*, & *Caramara*.

Inſularum, quæ Americæ ab Oriente objacent ingens eſt numerus: inter quas nobiliores ſunt: *Hiſpaniola*, *Cuba*, & *Jamaca ſive Inſula S. Jacobi*. Multæ etiam exiguæ objacent lateri occidentali.

§ ULTIMUS.

Expediuntur reliqua, ad Globi Terraquei notitiam ſpectantia.

PAucula adhuc Quæſita reſtant hîc ſolvenda. Quæri igitur poteſt *Primò*: Cur tractum terræ ab Occaſu in ortum Coſmographi longitudinem appellent, à Septentrione verò in Auſtrum latitudinem, cùm pari intervallo diſtent in Sphœra oriens ab occidente, & Septentrio ab Auſtro? Reſpondeo: hac in parte rationem haberi non terræ ſimpliciter, ſed quatenùs habitabilis eſt cognita, major autem pars terræ habitabilis eſt, & cognita ab occaſu in ortum, quàm à Septentrione in Auſtrum, igitur nomen illi longitudinis, huic autem latitudinis congruentiùs accomodatum eſt.

Quæri poteſt *Secundò*: An Inſulæ fuerint ante diluvium, an verò poſt diluvium demùm exſtiterint? Reſpondeo aliquas Inſulas omninò ante diluvium fuiſſe, id enim ad ornatum mundi pertinebat, aliquas autem poſt diluvium primùm exortas eſſe, facto hic illic, vi tempeſtatum, exundationum, ipſiuſque diluvij, aut terræ motuum, terrarum divortio.

Quæri

Quæri poteſt *Tertiò*: Quomodò poſt diluvium animalia in Inſulas, & quidem
ad aliquas, quæ planè incultæ ab hominibus erant, pervenerint? Reſpondeo cum S.
Auguſtino *Lib. de Civitate DEI 16. c. 17.* credi poſſe aliqua quidem animalia natan-
do tranſijſſe ad Inſulas, ſed proximas; ad eas autem, quæ ſunt tàm longè poſitæ à
continentibus terris, ut ad illas nulla videatur natare potuiſſe beſtiarum, eas eò ab
hominibus adductas fuiſſe. Certè in novo orbe multa animalium genera, quæ in-
ter nos ſunt frequentiſſima, olim omninò nulla erant, quæ tamen jam defactò ibi-
dem ſunt copioſa; itaque eò importata ſunt ab hominibus ex Europa, ſicut è con-
tra inde translata multa in noſtras terras animalium genera, quæ olim in Europa
non erant viſa; atque in his videtur eſſe eadem ratio, quæ in ſtirpium genere quo-
tidie uſu venit, ut ſemen, aut ſurculus aliquis ab alijs ad alias gentes transferatur.
Quamvis juſſu DEI, ſive permiſſu, etiam operâ Angelorum negandum non ſit po-
tuiſſe eadem transferri.

Quæri poteſt *Quartò*: An dentur, & quomodo fiant, aut deſinant eſſe Inſulæ
natantes? Reſpondeo Inſulas tales dari, quæ lacubus, mari, aut fluminibus inna-
tent, tàm veterum, quàm recentiorum Geographorum certum eſt teſtimonio. Cur
autem ſupernatent aquis, cauſa eſt, quia ex leviori materia conſtant, quàm ſit ea pars
aquæ, cui innatant. Hæ ſiquidem Inſulæ ex ſulphureis glebis, feſtucis, lignis, jun-
cis, radicibusque plantarum, limo lutoque commixtis coaleſcunt, ſicque herbis,
quin & arboribus poſteà veſtiuntur, unde neceſſe eſt eas leviores eſſe aquâ, utpote
ex leviori materia compoſitas. Hinc patet etiam illarum generatio. Accidit e-
nim, quod talis pars terræ ita conglutinata, vel ventorum tempeſtate agitata, vel
per terræ motum, aut alluvione lacûs, maris, & fluvij, vel imbribus pluvijsque
exeſa, succeſſu temporis à littore avellatur, ſicque in Inſulam natantem evadat. E-
vaneſcunt verò ſubinde tales Inſulæ, quia frequenti multorum annorum alliſione
tàm inter ſe, quàm ad littus factâ cum tempore attenuantur, ſicque diſſolvuntur,
& in plures partes fractæ aut diſſipantur, aut littori fixæ terræ junctæ cum eadem
iterùm coaleſcunt.

Quæri poteſt *Quintò*: An defacto adhuc exſtet adhuc Paradiſus terreſtris, &
& ſi diluvio, vel aliunde poſtea deſtructus fuit, quânam orbis parte extiterit? Re-
ſpondeo 1. Multorum Theologorum opinionem eſſe Paradiſum terreſtrem defa-
ctò etiam extare. Rationem verò hujus aſſerti ſumunt ex *Eccl. 44.* Ubi Enoch
in Paradiſum translatus eſſe dicitur, quem locum volunt intelligi de Paradiſo terre-
ſtri, in quo priùs Adam fuerat poſitus. Et quia credibile non eſt Enoch ex Paradi-
ſo illo poſtmodùm fuiſſe translatum aliò, colligunt locum illum defactò adhuc ex-
tare, & in diluvio illæſum fuiſſe, & conſervatum, aquis in modum fornicis divinâ
virtute ſupra eum aſſurgentibus. Sed verisimilius eſt locum illum voluptatis, pro-
ut ab initio plantatus fuerat, non ſupereſſe amplius, ſed aquis diluvij obrutum, de-
ſtructumque fuiſſe. *Primò*: Quia nulla defacto reperiuntur ejus veſtigia, cùm ta-
men tota illa terra, circa quam plantatus fuerat, cognita ſit, & habitata. *Secundò*:
Quia Scriptura Sacra manifeſtè teſtatur totam terræ faciem, aquis diluvij fuiſſe ob-
rutam, ergo & Paradiſum. Quod autem de translatione Enoch dicitur, impri-
mis

mis in Græco textu non reperitur vox Paradisi; deinde vox hæc de alio loco delicioso, & quieto, qualis nomine Paradisi sæpiùs in scripturis significatur, potest accipi. Respondeo *Secundò*: Partem terrestris Orbis, in quo Paradisus conditus erat, probabiliùs fuisse eam, quæ est circa Mesopotamiam, & Armeniam. *Primò*: Quia Regiones hæ vocantur in Scriptura Orientales, Paradisus autem conditus erat in Oriente in Edon. *Secundò*: Regiones hæ post ejectionem Adami ex Paradiso, primùm incolebantur, Cain enim habitabat in Edon. Et rursùs post diluvium statim habitatæ fuerunt, tanquàm fertiliores, & viciniores amœnis Paradisi locis. *Tertiò*: Euphrates, & Tygris sunt in iisdem Regionibus, quos fluvios per Paradisi locum certùm est fluxisse.

Quæri potest ultimò: Ubi nam locorum sit infernus? Respondeo: Circa locum inferni conveniunt omnes communiter eum in ipsis terræ visceribus contineri. Ratio desumitur 1. Ex Etymologia, & denominationibus; Inferni, abyssi, putei, quibus denominatur Inferni locus, & quò damnati dicuntur cadere, descendere, quæ omnia conveniunt maximè loco cuidam subterraneo, & profundo, ad infimam terræ partem, sive circa centrum terræ constituto. 2. Quia non est assignabilis in toto Universo locus alius pro damnatis aptior. 3. Quia damnati merentur locum infimum, & à Sedibus Beatorum remotissimum, qualis est centrum terræ. Verùm, ut rectè monet *S. Augustinus*, magis scrutari, & investigare debemus, quomodo evitandus, quàm ubinam locorum sit Infernus.

APPENDIX.

Continens Varia ad Orbis notitiam spectantia.

§ I.

Orbis totius præcipua Regna, & Provinciæ, Ordine Alphabetico.

EUROPÆ.

Anglia.
Belgium.
Bohemia.
Bosnia.
Bulgaria.
Corsica.
Creta.
Curlandia.
Dania.
Ecclesiæ ditio.
Francia.
Germania.
Græcia.
Helvetia.
Hibernia.
Hispania.
Hungaria.
Islandia.
Italia.
Livonia.
Moscovia, seu Russia magna.
Moldavia.
Neapolitanum Regnum.
Norvegia.

Polonia

Polonia.
Portugalia.
Prussia.
Sabaudia.
Sardinia.
Servia.
Tartaria minor.
Transylvania.
Veneta ditio.
Valachia.

ASIÆ.

Arabia quæ triplex est.
Armenia.
Bornei Insula.
Ceylani Insula, quæ alias Taprobana.
Cyprus Insula.
Georgia.
Japoniæ Insula.
Java Insula.
India quæ in tres partes dividitur, nempe in Indiam propriam, seu Imperium Magni Mogolis, Indiam extra Gangem, & Indiam intra Gangem.
Kaimachitarum seu Najaranum Regio.
Maldivæ Insulæ.
Mesopotamia.
Molucæ Insulæ.
Natolia seu Asia minor.
Persia.
Philippinæ Insulæ.
Sinarum Regio.
Syria, sub quâ, & Terra sancta comprehenditur, olim Palæstina.
Sumatra Insula.
Tartaria deserta.
Tartaria Magna.
Thibetum Regnum, alias Scythiæ extra Imaum Meridionalis pars.

Asiæ minoris Regiones, quæ Mare attingunt.

Ad Septentrionem.
Pontus.
Paphlagonia.
Cappadocia.

Ad Occidentem.
Bithinia.
Mysia.
Phrigia minor seu parva.
Æolis.
Jonia.
Caria.

Ad Austrum:
Cariæ pars.
Lycia.
Pamphilia.
Cilicia.

Asiæ Minoris Regiones, Juxta Euphratem Fluvium ad Ortum.

Melitine Pars Armeniæ.
Armenia Minor.

Asiæ Minoris Regiones Mediterraneæ:

Galatia, Lycaonia, Pisidia, Phrygia Magna, Lydia sive Metonia.

Africæ Regiones Præcipuæ.

Ægiptus.
Æthiopia propria, seu Abyssina.
Barbaria.
Biledulgeridia, seu Garamantes.
Cafrorum Regio.
Congi Regnum.
Gvinea.
Malagascaria.
Manomotapæ Regnum.
Nigritarum Regio.
Nubia.
Zaara seu desertum.

Zangvebaria.

Americæ Septemtrionalis Regiones.

Estotilandia sui Juris.
Florida, sub Hispanis.
Nova Anglia, sub Anglis.
Nova Eboracensis Provincia sub Anglis.
Nova Francia sub Gallis.
Nova Hispania, sub Hispanis.
Novum Regnum Mexicanum sub Hispanis.
Virginia sub Anglis.
Calafornia Insula sui Juris, & partim sub Hispanis.
Cuba Insula, sub Hispanis.
Hispaniola Insula, sub Hispanis.
Terra Nova, Insula, sub Gallis.
Aliæ multæ Insulæ, *Antillarum* Nomine contentæ.

Americæ Meridionalis Regiones.

Brasilia, sub Lusitanis.
Caracarum Regio, sub Hispanis.
Cile, sub Hispanis.
Gvajana, sui Juris ferè tota.
Magellanica, sui Juris.
Nova Vandalicia, sub Hispanis ex parte.
Novum Regnum Granatense, sub Hispanis.
Paragvaja, sub Hispanis.
Paria, sui Juris.
Parana, sub Hispanis.
Pervanum Regnum, sub Hispanis.
Popajani Tractus, sub Hispanis.
Terra Firma, sub Hispanis.
Terra Ignium, sui Juris.
Tucumania, sub Hispanis.
Venetiola, sub Hispanis ex parte.

§ II.

Urbes præcipuæ Orbis Terrarum, Ordine Alphabetico.

NUMERUS I.

Europæ Urbes celebriores.

Adrianopolis, in Thracia.
Amsterodamum, in Hollandia.
Antverpia, in Belgio.
Argentoratum, in Germania.
Augusta Vindelicorum, in Svevia.
Barcinona in Hispania.
Belgradum, in Servia.
Berga, in Norvegia.
Bononia, in Italia.
Bristolium, in Anglia.
Buda, in Hungaria.
Burdegala, in Francia.
Calaris, in Sardinia.
Cæsar-Augusta, in Hispania.
Colonia Agripina, in Germania.
Constantinopolis, in ditione Turcica.
Cracovia, in Polonia.
Dublinum in Hibernia.
Eboracum, in Anglia.
Edemburgum, in Scotia.
Florentia, in Italia.
Gedanum, in Prussia.
Genua, in Italia.
Hafnia, in Dania.
Hamburgum, ad mare Germanicum.
Hispalis, in Hispania.
Holmia, *seu Stockholmia*, in Svecia.
Insulæ, in Gallia.
Londinum, in Anglia.
Lubeca, in Germania.
Lugdunum, in Gallia.
Lutetia Parisiorum, in Gallia.

Madritum

Madritum, in Hispania.
Massilia, in Gallia.
Mediolanum, in Italia.
Messana, in Sicilia.
Noschva, in Moschovia.
Neapolis, in Italia.
Norimberga, in Germania.
Novogardia Magna, in Moschovia.
Olysippo, in Portugalia.
Panormus, in Sicilia.
Praga, in Bohemia.
Riga, in Prussia.
Roma, in Italia.
Rhotomagus, in Gallia.
Sophia, in Bulgaria.
Taurinum, in Italia.
Thessalonica, in Græcia.
Toletum, in Hispania.
Tolosa, in Gallia.
Valentiana, in Gallia.
Varsavia, in Polonia.
Vienna, in Austria.
Venetiæ, in Italia.
Vilna, in Lithvania.
VVratislavia, in Silesia.

NUMERUS II.
Africæ Urbes celebriores-

Agea, in Zangvebaria.
Alexandria, in Ægipto.
Algirum, in Barbaria-
Amara, in Abyssina.
Aphrodasium, in Barbaria.
Barva, in Abyssina.
Benium, in Gvinea.
Buga, in Barbaria.
Butua, in Æthiopia inferiori.
Cairus, in Ægipto.
Constantina, in Barbaria.
Damiata, in Ægipto.
Fezza, in Barbaria.
Hadrametum, in Barbaria.
Loanda, in Regno Congi.
Magadoxa, in Rangvebaria.
Marochium, in Barbaria.
Meliada, in Zangvebaria.
Mina, in Gvinia.
Monnomotapa, in Æthiopia inferiori.
Mosambicum, in Zangvebaria.
Quiloa, in Zangvebaria.
Septa, in Barbaria.
S. Salvatoris Fanum, in Regno Congi.
Syene, in Ægipto.
Sofala, in Cafreria.
Thebæ, in Ægipto.
Tingis, in Barbaria.
Tripolis, in Barbaria.
Tunetum, in Barbaria.
Vtica, in Barbaria.

NUMERUS III.
Asiæ Urbes nunc clariores.

Achemum, in Sumantra Insula.
Adenum, in Arabia.
Agra, in India.
Aleppum, in Syria.
Amedobatum, in India.
Ancyra, in Asia minori.
Antiochia, in Syria.
Aspahamum, in Persia.
Bagdanum, in Babylonia.
Bantanum, in Java Insula.
Batavia, in Java Insula.
Borneum, in Insula cognomine.

Calecutum,

Calecutum, in India.
Cambaja, in India
Candea, in Ceylani Insula.
Cantanum, in Sinis.
Damascus, in Syria.
Dellium, in India.
Fama Augusta, in Cypro.
Goa, in India.
Hierusalem, in Palæstina.
Jendum, in Japonia.
Lahonium, in India.
Macassaria, in Insula Calebum.
Macaum, in Sinis.
Malaca, in India.
Manila, in Philippinis.
Illataranum, in Java Insula.
Meacum, in Japonia.
Mecca, in Arabia.
Medina, in Japonia.
Nangasagum, in Japonia.
Nenquinum, in Sinis.
Ninive, in Assyria.
Peguinum, in Sinis.
Prussa, in Asia minori.
Samarcanda, in Mauralnaria.
Sciracusium, in Persia.
Sianum, in India.
Smirna, in Asia minori.
Surata, in India.
Tabrisium, in Persia.
Teredon, in Arabia deserta.
Trapezus, in Asia minori.

NUMERUS IV.

Americæ Urbes præcipuæ.

Americæ Septemtrionalis.

Angenopolis, in nova Hispania.
Bastonium, in nova Anglia.
Diminicapolis, in Hispania Insula.
Emerita, in Nova Hispania.
Forum S. Joannis de porta divite, in Insula ejusdem Cognominis.
Guadalakara, in Nova Hispania.
Gratimala, in Nova Hispania.
Havana, in Cuba Insula.
Mechocanum, in Nova Hispania.
Mexicum, in Nova Hispania.
Quebeaum, in nova Francia.

Americæ Meridionalis.

Aregvipa, in Perua.
Argentina, Vulgò Laplata, in Perua.
Arica, in Perua.
Baeza, in Perua.
Carthagina Nova, in Terra Firma.
Civitas Sanctæ Fidei, in novo Regno Granatensi.
Conceptio, in Cile.
Cuseum, in Perua.
Fanum S. Jacobi, in Cile.
Fanum S. Michaelis de Storea, in Tacumania.
Fanum S. Sebastiani, in Brasilia.
Fanum S. Trinitatis, in Paragvaja.
Fluvius Facis, in Terra firma.
Gvaira, *sive Civitas Regia*, in Paragvaja.
Lima, *quæ & Civitas Regum*, in Perua.
Manoa, in Gvajana.
Marononium, in Brasilia.
Olinda. in Brasilia.
Panama, in Terra Firma.
Popayanum, in Regione Cognomine.
Portus Omnium Sanctorum, in Brasilia.
Portus Seaurus, in Brasilia.
Potosium, in Perua.
Quitum, in Perua.

Siara:

Siara, in Brasilia.

Frugillum, sive Nova Turris Jula, in Perua.

§ III.

Emporia hujus temporis, per Orbem terræ celebriora.

Acapulcum, in Nova Hispania.
Achemum, Sumatræ Insulæ Urbs.
Agra, Indiæ intra Gangem Urbs.
Amsterodamum, in Holandia.
Alba Græca, Serviæ Urbs.
Alexandria, in Ægypto.
Algerium, in Africa.
Ambianum, in Gallia.
Antverpia, in Brabantia.
Archangelipolis, in Moschovia.
Argentea, in Perua.
Argentoratum, in Germania.
Aspahamum, in Persia.
Astracanum, in Moscovia.
Athenæ, in Græcia.
Augusta Vindelicorum, in Germania.
Bajona, in Gallia.
Bantamum, in Java Insula Indiæ
Barcino, in Hispania.
Basilea, in Helvetia.
Batavia Urbs, in India.
Bergæ, in Norvegia.
Bilbaum, in Biscaja.
Borneum, in Insula Cognomine.
Bostonium, in Nova Anglia.
Brema, in Germania.
Bristolium, in Anglia.
Brugæ, in Flandria.
Brusvicum, in Saxonia.
Burdegala, in Gallia.
Cataris, in Sardinia.
Calecutum, in India intra Gangem.
Caletum, in Gallia.
Calmaria, in Svecia.
Cambaja, in India intra Gangem.
Cantanum, in Sinis.
Carthago Nova, in Hispania.
Carthago Nova, in Terra Firma.
Cestria, in Anglia.
Christiana, in Norvegia.
Colonia, in Germania.
Constantinopolis, in Thracia.
Dellium, in India propria.
Deppa, in Gallia.
Dium, in India intra Gangem.
Dominocopolis, in America.
Dordreum, in Hollandia.
Drebanum, in Sicilia.
Dublinum, in Hollandia.
Dunquerea, in Belgio.
Edimburgum in Scotia.
Elbinga, in Prussia,
Enchusa, in Hollandia.
Fanum S. Sebastiani, in America.
Fanum S. Trinitatis, in America.
Francofurtum, in Germania.
Gades, in Hispania.
Gedanum, in Prussia.
Genua, in Italia.
Goa, in India intra Gangem.
Hafnia, in Dania.
Havana, in America Septemtrionali.
Hamburgum, in Saxonia.
Hadrianopolis, in Thracia.
Holmia, in Svecia.
Hispalis, in Hispania.
Iconium, in Asia minori.
Insula Urbs, in Flandria.
Iudia sive Odia, in India extra Gangem.
Leodium, in Germania.
Liburnum, in Italia.
Lima, in Perua.

Lipsia, in Misnia.
Leopolis, in Russia rubra.
Loanda, in Africa.
Londinum, in Anglia.
Lubeca, in Saxonia.
Lugdunum, in Gallia.
Lutetia Parisiorum, in Gallia.
Macassaria, in Insulis Molucis.
Macaum, in Sinis.
Madoviopolis, in Gallia.
Majorica, in Hispania.
Malaca, in Hispania.
Malaca altera, in India.
Manila, in Insulis Philippicis.
Marochium, in Africa.
Massilia, in Gallia.
Meacum, in Japonia.
Mediolanum, in Italia.
Messana, in Sicilia.
Mexicum, in America Septemtrionali.
Midelburgum, in Belgio.
Mocha, in Arabia.
Moscua, in Moscovia.
Mozambicum, in Africa.
Nangazachium, in Japonia.
Nanneta, in Gallia.
Nanquinum, in Sinis.
Nauplia, in Peloponeso.
Neapolis, in Italia.
Norimberga, in Germania.
Novogroda, in Moscovia.
Olinda, in Brasilia.
Olysippo, in Portugalia.
Panama, in America.
Panormus, in Sicilia.
Pequinum, in Sinis.
Portus Abassi, in Persia.
Portus pulcher, in America.
Portus, in Lusitania.
Praga, in Bohemia.
Prussa, in Asia minore.
Quebecum, in Nova Francia.
Ragusa, in Dalmatia.
Regiomons, in Prussia.
Revolia, in Livonia.
Rhodus, in minori Asia.
Riga, in Livonia.
Rostochium, in Germania.
Roterodamum, in Hollandia.
Rhotomagum, in Gallia.
Rupella, in Gallia.
Sala, in Barbaria.
Sinus Omnium Sanctorum, in Brasilia.
Sidon, in Phœnicia.
Smyrna, in minori Asia.
Spalatum, in Dalmatia.
Strasunda, in Pomerania.
Surata, in India inferiori.
Teredon, in Babilonia.
Theodosia, in Turcia.
Thesalonica, in Græcia.
Tolosa, in Gallia.
Trapezus, in minori Asia.
Tripolis, in Syria.
Tunetum, in Africa.
Valentia, in Hispania.
Valentiana, in Gallia.
Venetiæ, in Italia.
Vera Crux, in nova Hispania.
Ulma, in Suevia.
Ulissinga, in Belgio.
VVismaria, in Germania.

§ IV.

Montes Clariores, apud Veteres.

Acroceraunij, in Epiro.
Ætna, in Sicilia.
Alpes, Galliæ, Italiæ, Germaniæ.
Almus, nunc *Carpathus*, in inferiori Pano-(nia.

Athos.

Athos, in Macedonia.
Amanus, in Syria.
Antilibanus, in Cœlesyria.
Apenninus, in Italia.
Argeus, in Cappadocia.
Atlas, in Mauritania Tingitana.
Bermius in Macedonia.
Calpe, in Hispania.
Casius, in Syria.
Caucasus in Iberia, & Albania.
Cemmenij in Gallia.
Cesius, in Germania.
Chimera, in Lycia.
Cithæron, in Boëtia.
Citorus in Paphlagonia.
Cironus, in Media.
Cragus, in Lycia.
Cylene, in Arcadia.
Dictæus, in Insula Creta.
Dindymus, in Phrygia magna.
Emodus, in Scythia, & India.
Erymanthus, in Arcadia.
Erix, in Sicilia.
Falernus, in Campania.
Garganus, in Apulia.
Grambius, in Scotia.
Hæmus, in Thracia.
Helicon, in Boëtia.
Horminius, in Bithynia.
Hyperborei in Sarmatia Asiatica.
Ida, in Phrygia.
Ida, in Insula Creta.
Idubeda, in Hispania.
Imeus, in Scythia.
Ismarus, in Thracia.
Jura, in Gallia.
Libanus, in Phœnicia.
Marianus seu *Mons seratus* in Hispania.
Masdoranus in Parthia.
Massicus, in Campania.
Nebrodes, in Sicilia.
Niphates, in Armenia majori, & Mesopotamia.
Oeta, in Thessalia.
Olympus in Thessalia.
Orospeda, in Hispania.
Ossa, in Thessalia.
Otherys, in Tessalia.
Pangæus, in Thracia.
Pariedrus, in Armenia majori
Parnassus, in Græcia
Paropamisus in Asia.
Pelios, in Thessalia.
Pindus, in Epiro.
Pyrenæi montes, inter Galliam & Hispaniam
Rhodope, in Thracia.
Riphæi, in Sarmatia.
Scardus, in Macedonia.
Socractes, in Hetruria.
Sudeti, in Germania.
Sypilus, in Lidia.
Tænarus, in Laconia.
Taurus, iu Asia
Taygetus, in Laconia.
Tetricus, in Italia.
Tajolus, in Lydia.
Vesuvius, in Campania.
Vegosus, in Gallo-Belgio.

§ V.

Montes Ignivomi per Orbem Celebriores.

Mons Ætna, in Sicilia.
Mons Antocus, in Regno Ciles.
Mons Antoninus, in eodem Regno Ciles.
Mons Arequipæ, in Regno Peru.
Mons Balalvanus, in Sumatra Insula Indiæ.

Mons Benigvazevaplus, in Regno Fessæ.
Mons Caucæ, in Regno Peru.
Mons Chilanus in Regno Ciles.
Mons Coatanus, in Nova Hispania.
Mons Coconucorum, in Regno Popajani.
Mons Copiapus in Regno Ciles.
Mons Coquimbus, in Regno Ciles.
Mons Fajalis, in Insula Cognomine.
Mons Guatimalæ, in Nova Hispania.
Mons Gumanapius, in Insula Indiæ Orientalis propè Insulas Molucas.
Mons Hecla, in Islandia.
Mons Huapeus, in Regno Ciles.
Mons Jenisceæ, in Tartaria Moscovitica.
Mons Jetchus, in Japonia.
Mons Ignium, in Insula parva cognomine, in India.
Mons Insulæ Ignis, in ora Japoniæ.
Mons Ligvæ, in Regno Ciles.
Mons Majongus, in Insula Luzonia una ex Philippinis in Asia.
Mons Maspa, in Regno Peru.
Mons Monbacius, in nova Hispania.
Mons Nicaragvæ, in nova Hispania.
Mons Notucus, in Regno Ciles.
Mons Osoni, in Regno Ciles.
Mons Palmæ Insulæ, in Insulis Canarijs.
Mons Pastorum, in Regno Popajani.
Mons Petevoæ, in Regno Ciles.
Mons Pintæ, in Regno Peru.
Mons Popochampecus, in Mexico.
Mons Quechucabus, in Regno Ciles.
Mons Quembagæ, in Regno Popajani.
Mons Rubeus, in Barbonia Insula Oceani Æthyopici.
Mons S. Crucis, in mari pacifico.
Mons S. Clementis, in Regno Ciles.
Mons S. Salvatoris, in nova Hispania.
Mons Sesarga, in una ex Insulis Salamonis.
Mons Sineparama, in Japonia.
Mons Strongyle, in Insula Cognomine, in mari Thyrrelno propè Siciliam.
Mons Tandajus, in una ex Insulis Philippinis.
Mons Ternatensit, in Insula Cognomine, unâ molucarum.
Mons Thenerifæ, in Insula cognomine, unâ ex Canarijs.
Mons Tocagma, in novo Regno Granatensi.
Mons Tola, in Mauricis Insulis.
Mons Velius, in America Meridionali.
Mons Vesuvius, in Campania.
Mons Villæ divitis, in Regno Ciles.
Mons Vulcani Insulæ, in Insulis Liparæis.
Mons Vulcaniæ Insulæ, in ora Japoniæ.
Alter *Mons Vulcaniæ Insulæ*, in Indico Oceano.

§ VI.

Oceani nomina per Circuitum Europæ, Asiæ, & Africæ.

Atlanticus, Qui Africam alluit.
Arabicus, Arabiam alluens.
Aquitanicus, inter Pyrenem, & Britaniam minorem.
Æthiopycus, versùs Oram Orientalem Africæ.
Barbaricus, Pars est Æthyopici Maris,
Britanicus, inter Galliam, & Angliam.
Caledonius, inter Scotiam, & Islandiam.

Canta-

Cantabricus, Rigat partem Septentrionalem Hispaniæ.
Eous, qui Sinas alluit.
Gaditanus, ad Fretum Herculeum, inter Hispaniam, & Mauritaniam.
Germanicus, extenditur inter Fretum Gallicum, & Oram Meridionalem Norvegiæ.
Glacialis, pars maris Septentrionalis Norvegiam, & Lappiam abluens ad Septentrionem.
Gallicus, Galliam alluit ad Occasum.
Hesperius, inter Atlanticum, & partem Occidentalem Oceani Æthyopici cujus pars est.
Hyperboreus, Pars est Oceani Septemtrionalis.
Hibernicus, inter Hiberniam, & Angliam.
Indicus, qui alluit Indiam.
Occiduus, versùs Oram Africæ, & Europæ.
Persicus, qui Persiam alluit.
Sericus, qui Scythiam, & Eoum.
Scytius, qui Tartariam alluit.
Sarmaticus, qui Moscoviam, & Novam Zemjam alluit.
Septemtrionalis, in Boream extenditur supra Norvegiam, Moscoviam, Tartariam, & Novam Zemiam.

§ VII.

Paludes Orbis apud veteres celebriores.

Palus Acherusia, in Epiro, per quam Acheron fluvius labitur.
Palus Acherusia altera, in Campania Fœlici.
Palus Ariæ, in Æria Provincia Persiæ.
Palus Arsissa, in Armenia majori.
Palus Artynia, in Mysia Asiæ minoris Provincia.
Palus Ascarnia, in Bithynia.
Palus Bica, seu *Buges* in Tartaria Procopensi.
Palus Camarina, in Sicilia, ad quam Classis Romana, sub Æmilio Duce ingens naufragium navibus 384. mersis, passa est, ab ipsis incolis exsiccata.
Palus Clanis, in Hetruria, per aliquot milliaria à Septemtrione in Meridiem extensa.
Palus Hiulca, in inferiori Pannonia ad Cibalim Urbem, quam Probus Imperator circa Sirmium siccari jussit.
Palus Latara, Pars stagnorum Volcarum, in Gallia Narbonensi.
Palus Lerna, in Argia Provincia Peloponensi.
Palus Literna, in Campania Fœlici.
Palus Lugea, vulgò *Czirkniczerzec* in Carniolia.
Palus Lychnites, in Armenia majori.
Palus Mœotis, maris instar, in Sarmatia Asiatica.

Palus Mantiana, in Regione Medorum.
Palus Nareotis in Ægypto.
Palus Fertö, in Hungaria inferiori.
Palus Nigritis, in Lybia interiore.
Palus Palica, in Sicilia Insula.
Palus Pontina, in Latio.
Palus Reatina, in Umbria.
Palus Salapina, in Apulia.
Palus Sirbonis, in Ægypto.
Palus Stimphalis, in Arcadia Regione Paleponensi.
Palus Thospites, in Armenia majori.
Palus Tritonis, in Africa,
Paludes Venetæ, in intimo recessu Maris Adriatici, olim Adriatica stagna, quorum circuitus est 40. milliarium Italicorum.
Paludes Volceæ, in inferiori Pannonia, nunc *Balaton* lacus, qui extenditur, ad 30. millia passuum in longum, in latum ad sex millia passuum.

§ VIII.

Peninsulæ apud Veteres Clariores.

Peninsula vocatur, quasi penè Insula, pars quædam terræ, quæ non ab omni parte, à mari circumdatur, sed jugo aliquo, sive brachio continetur, seu terræ solidæ annectitur, Græci hanc Chersonesum vocant, ex quibus celebriores sunt sequentes.

Aurea Chersonesus, Peninsula est ampla Indiæ, extra Gangem, quæ aliàs nunc Peninsula Malacensis dicitur, ab Urbe Malaca.
Cimbrica Peninsula, in quâ hodie pars Regni Daniæ, & Ducatus Halsatiæ.
Peloponesus, Græciæ pars ampla, ad Meridiem & hodie Morea nuncupatur.
Taurica Chersonesus, ubi nunc Tartaria minor.
Thracia Chersonesus, versùs Helespontum.

§ IX.

Promontoria præcipua Orbis.

Promontorium est mons in mare prominens, conspicua altitudine. Ex his præcipua, sunt sequentia, Ordine Alphabetico disposita.

Promontoria.
Acutum, in Nova Francia.
Album, in America Septemtrionali.
Album aliud, in nova Hispania.
Album aliud, in America Meridionali.
Album aliud, in Brasilia.

Promontoriu.
Ancyræum nunc *Romanion*, in Ponto Euxino.
Antivestæum, in Anglia.
Aphrodosium, in Hispania.
Aromata in Africa, in ora Maris Arabici.

Arsinarium

Promontorium.

Arsinarium, in Africa.
Artabrum, in Hispania.
Bojadorum, in Insulis Philippinis.
Bonæ spei, in Africa.
Boni desiderij, in nova Gviaca.
Boreale, in America Meridionali.
Canameira, in India intra Gangem.
Canganorum, in Anglia.
Carambis, in Asia minore.
Carolinum, in Terra Arctica.
Carolinum aliud, in Florida Regione Americæ.
Celebum, in Celebi, seu Missaria Insula Asiæ.
Charidemum, in Regno Granatensi.
Christianum, in Gronelandia Meridionali.
Ciamum in parte Occidentali Cretæ.
Circumaenas, in Luzonia Insula.
Condæum, in Gvaja Regione Americæ.
Coquiboeum, in Terra Firma Americæ.
Carodamum, in Arabia.
Cotes, in Africa.
Cotochinum, in America.
Crucis, in Florida.
Crucis aliud, in Sinu Mexico.
Cumerium, in Italia.
Curentium, in limine Regni Popajani.
Damnonium, in Anglia.
Desideratum, in America Septemtrionali.
Desideratum aliud, in Asia.
Dianium, in Hispania.
Dominæ Mariæ, in America.
Dyrrachinum, in Albania.
Elisabethæ, in Terra Arctica.
Epidium, in ora meridionali Scotiæ.
Episcopi, in nova Francia.
Extensum, in America Meridionali.
Falsum, in Africa.
Floridum, in America Septemtrionali.
Francicum, in America.

Promontorium.

Fraudis, in Asia.
Fraudis aliud, in America.
Frigidum, in America Meridionali.
Galum, in Asia.
Gerum, in Regno Marochi.
Gobæum, in Gallia.
Gracile, in Africa.
Gudavarium, in India intra Gangem.
Henriceæ Mariæ, in Terra Arctica.
Hermeræum seu *Mercurij*, in Regno Tunetano.
Hiemale, in Nova Zembla.
Honduræ, in nova Hispania.
Iapygium, in Italia.
Infantis, in Africa.
Lacinium, in Italia.
Libaum, in Sicilia.
Lytarmis, in Sarmatia Asiatica.
Machasagum, in Hispania.
Malea, in Peloponeso.
Meadocinum, in America.
Minervæ. in Italia
Montis Sancti, in Italia.
Mosandanum, in Arabia Fœlici.
Natalis, in Africa.
Nimphæum, in Macedonia.
Ocelum, in Anglia.
Olisipponense, in Portugalia.
Palmarini, in Æthyopia inferiori.
Palmarum, in Insula intra Gangem.
Patientiæ, Japoniam versus.
Pelorum, in Sicilia.
Pembrohium, in Terra Arctica.
Populonium, in Hetruria.
Raptum, in Africa.
Rubeum, in Norvegia.
Rupium, in Africa.
Ryssadium, in Africa.
Sacrum, in Corsica Insula.
Sacrum aliud, in Hispania.
Salinarium, in America.
Samnonium, in Creta Insula.

Sancti

Promontorium.

Sanctæ Annæ, in Africa.
Sancti Antonij, in Africa.
S. Augustini, in Brasilia.
S. Blasii, in Africa.
S. Blasij aliud, in Æthyopia inferiori.
S. Catharinæ, in Italia.
S. Francisci, in America Meridionali.
S. Francisci aliud, in Africa.
S. Francisci aliud, in America Septemtrionali.
S. Georgij, in America Meridionali.
S. Germani, in America Septemtrionali.
S. Helenæ, in America Meridionali.
S. Lazari, in America Septemtrionali.
S. Luciæ, in Africa.
S. Luciæ aliud, in America Septemtrionali.
S. Luciæ aliud, in parte Septemtrionali Sardiniæ Insulæ.
S. Mariæ, in Africa.
S. Mariæ aliud, in Paragvaja.
S. Mariæ aliud, in Africa Septemtrionali.
S. Mariæ aliud, in Africa.
S. Mariæ aliud, in America Septemtrionali.
S. Mariæ aliud, in Hispania.
S. Nicolai, in Africa.
S. Romani, in America Meridionali.
S. Romani aliud, in mari Æthyopico.
S. Thomæ, in Brasilia Australi.
Saturni, in Hispania Tarraconensi.
Scagense, in Dania.
Scombrariæ, in Hispania.
Scyleum, in Peloponeso.
Scythium, in Asturia Ovetana.
Sigetum, in Mysia.
Spiritûs Sancti, in Asia.
Sunium, in Attica Provincia Græciæ.
Tabinum, in Tartaria.
Tacharigum, in Africa.
Taxnarium, in Peloponeso.
Trileucum in Hispania.
Triremis, in Asia.
Triremis aliud, in America.
Trium cuspidum, in Africa.
Vaccarum, in Africa.
Vale, in Groenandia.

§ X.

Maris Sinus præcipui.

Sinus est aqua Maris, se in terras insinuans, ad sinus similitudinem, quod quasi brachijs mare recipit, ac complectitur.

NUMERUS I.

Sinus maris Mediterranei ex ordine occurrentes.

Sinus.

Virgitanus, in ora Orientali Regni Granatensis.
Illicitanus, in Ora Regni Valentiæ.
Sucronensis, in ora Regni Valentiæ.
Rhodæ, in Regno Cataloniæ.
Narbonensis, in Provincia Narbonensi Galliæ.
Lugdunensis, inter Sardaniam, & Baleares Insulas.
Astronomela, in Gallia.
Sambracitanus, in eadem Gallia.
Rapollinsis, in Italia.
Lunensis, in Liguria.
Pisanus, in Hetruria.

Plumbini

Sinus.

Plumbini, in Ora Hetruriæ.
Formicanus, in Ora Provinciæ Terræ Laboris.
Bajanus, in Ora Terræ laboris.
Præstanus, in Lucania.
Laus, in Lucania.
Hipponiates, in Calabria.
Jojæ, in Calabria.
Spartiventus, in Calabria.
Locrensis, in Calabria.
Scillaceus, in Calabria.
Tarentinus, in Apulia.
Sipontinus, in Apulia.
Hyrtas, in Apulia.
Adriaticus, Nunc Venetus in Italia.
Tergestinus, in Istria.
Flanaticus, in Istria.
Naronensis, in Dalmatia.
Rhizonicus, in Dalmatia.
Illyricus, in Macedonia.
Onorus, in Macedonia.
Buthroti, in Epiro.
Ambracius, in Epiro.
Patræ in Græcia.
Corinthiacus, in Græcia.
Crisseus, Pars Corinthiaci in Græcia.
Chelonates, in Peloponneso.
Cyparissus, in Peloponneso.
Coroneus, in Peloponneso.
Laconicus, in Peloponneso.
Argolicus, in Peloponneso.
Megaricus, inter Argiam, & Atticam.

Sinus.

Euboicus, in Euboëa Regione Græciæ.
Pegasicus, in Ora Thessaliæ.
Thermeus, in Ora Macedoniæ.
Toronaicus, in Macedonia.
Singificus, in Macedonia.
Strymonicus, in Macedonia.
Melanes, in Thracia.
Chrysocoras, in Thracia.
Carcinites, in Sarmatia Europea.
Cerceticus, in Sarmatia Asiatica.
Coretus, in Sarmatia Asiatica.
Cantangeus, in Sarmatia Asiatica.
Cyclaninus, in Asia minore.
Astacenus, in Bithynia.
Nicopolitanus, in Bithynia.
Ideus, in Phrigia ad Trojam.
Adramittenus, in Asia minore.
Smyrneus, in Asia minore.
Ceramicus, in Caria.
Glaucus, in Caria,
Attalicus, in Pamphilia.
Issicus, in Cilicia.
Rixæ, in Idumæa.
Staxus, in Ægypto.
Syrtis magna, in Africa.
Syrtis parvæ, in Africa.
Adrumeti, in Africa.
Carthaginensis, in Africa.
Hipponensis, in Africa.
Oleachides, in Africa.
Numidicus, in Numedia.

Sunt & alij aliquot Sinus Insularum maris Mediterranei velut Sardiniæ, Siciliæ, Corsicæ, Cretæ, & Gypri.

NUMERUS II.

Sinus Oceani, à Freto Herculeo inchoando.

Sinus.

Emporicus, in Ora Mauritaniæ.
Hasperius, in Ora Libyæ.
Barbaricus, in Æthyopia.

Sinus.

Avalites, in Æthyopia.
Arabicus, inter Arabiam, & Ægyptum.
Adulicus, Æthyopiam sub Ægypto alluens.
Heroopolites, inter Ægyptum, & Arabiam Petream.
Ælaniticus, in Arabiæ Petreæ, & Fœlicis confinio.
Sachalites, in Ora Arabiæ Fœlicis ad Ortum.
Persicus, inter Arabiam ad meridiem, & Persidem.
Leanitis, Arabiam Fœlicem alluens.
Sacer, Eandem Arabiam in intimo ferè recessu alluens.
Pelodes, Pars Persici, Susianæ Regionis Oram alluens.
Paragonticus, in Ora Carmaniæ.
Canthi, in India, versùs confinia Imperij Persarum.

Sinus.

Barygozenus, in India.
Colchicus, in Ora Indiæ intra Gangem.
Gangeticus, inter Indiam citeriorem, & veteriorem.
Sabaracus, in Ora Indiæ extra Gangem.
Perimulicus, in Ora Indiæ ulterioris.
Magnus, extenditur inter Indiam ulteriorem, & Sinarum Regionem.
Sinarum, in parte Orientali Sinarum, versùs Coream.
Meacensis, in Ora Meridionali Japonicæ Insulæ, versùs Meacum excurrens.
Manilanus, in parte Occidentali Manilæ Insulæ, in Philippinis, & prope Manilam Urbem.

NUMERUS III.

Sinus Oceani in America per Ordinem.

Sinus.

Hudsonius, in America Septentrionali.
Borealis, inter Labradoris Regionem, & Novam Valliam.
Buttonius, versùs Terras Arcticas.
Baffinij, in Terra Arctica.
S. Laurentij, in Nova Francia.
Magnus, inter Insulam Terræ Novæ, & partem novæ Franciæ.
Conceptionis, in Nova Francia, & in parte Orientali Insulæ Novæ Terræ.
Mortuorum, in Nova Francia, & in parte Meridionali Insulæ Terræ novæ.
Calorum, in Ora Novæ Franciæ, & Canadæ Regionis.

Sinus

Francicus in Nova Francia.
Chesepeacus, inter Virgineam Regionem, & Mariæ Terram.
Floridæ, in Ora Floridæ Regionis.
Spiritûs Sancti, in America Septentrionali, & in Ora Floridæ Regionis.
Mexicanus, in America Septentrionali.
Magnus, in Ora Occidentali Insulæ Hispaniolæ.
Hondurus, in Nova Hispania.]

Vraba,

Sinus.

Vrabæ, inter Provincias Terræ Firmæ, & Cathaginis Novæ.
Venetiola, in America Meridionali in Venetiola Provincia.
Tristis, in Ora Americæ Venetiolæ Regionis.
Pariæ, in America Meridionali, inter Pariam, seu novam Vandalitiam Provinciam, & Insulam Trinitatis.
Omnium-Sanctorum, in Brasilia.
Laborum, in Ora Orientali Magellanicæ Regionis.
S. Juliani, in Ora Orientali Magellanicæ Regionis.
Valentinus, in Magellanica Regione.
S. Michaëlis, in America Meridionali, & in Ora Terræ Firmæ Regionis.
Bonaventuræ, in America Meridionali, & in Ora Regionis Popajani.
Pananiæ, inter utramque Americam.
Salinarum, in Ora Novæ Hispaniæ.

§ XI.

Maris præcipua Freta.

Fretum est maris brachium angustum, inter duas terras, sic ab undarum fremitu dictum. Præcipua verò hæc esse censentur, Ordine Alphabetico.

Fretum.

Aniani, inter Tartariam & Novam Albionem.
Antiochenum, in Ora Galliæ, & Santoniæ Provinciæ.
Asiæ, inter Ducatum Slesoviensem, & Alsiam Insulam.
Arimæ, in Japonia, inter Saponam Regionem, & Amacusam Insulam.
Badelmandelum, inter Africam, & Arabiam Fœlicem.
Babaniæ, inter Floridam, & Babanias Insulas.
Balabuvanum, in Oceano Indico.
Britanicum, in Ora Galliæ, inter Pictaviensem Provinciam, & Ream Insulam.

Fretum.

Calmariæ, prope Calmariam Urbem Sveciæ.
Cantiræ, inter Cantiram Provinciam Scotiæ Meridionalis, & Ultoniam Provinciam Hiberniæ.
Caprearum, in Ora Regni Neapolitani, intra Capreas Insulas, & Promontorium Minervæ.
Carolinum inter partem Septentrionalem Insulæ Terræ Novæ, & Oram Regionis Laboratoris.
Caspij Maris, ubi in illud Oxus fluvius influit.
Cimmerium, Angustia maris, ad Bosphorum Cimmerium.
Constantinopolitanum, inter Thraciam Regionem Europæ, ad Occasum, & Bithyniam Asiæ minoris partem ad Ortum.
Corcyræum, inter Oram Epiri, & Corcyram Insulam.
Davisii, inter Glonerandiæ Oram Occidentalem, & Insulam Jacobetam.
Draconis, inter Insulam Trinitatis, & Pariam Provinciam Caracarum.

Fretum.

Esonis, inter Tartariam, & Terram Esonis interfusum.
Euripi, inter Bœotiam Regionem Achajæ, & Eubæam Insulam.
Fimbriæ, inter Holsatiam, & Fimbriam Insulam.
Forbischerij, versùs partem Meridionalem Gronelandiæ.
Gaditanum, quod & Herculeum. Inter Vandalitiam Provinciam Hispaniæ Meridionalem, & Regnum Tezzanum.
Gallicum, inter Galliam, & Britanniam.
Gallipolitanum, inter Asiam minorem ad Ortum, & Thraciam Europæ Regionem, ad Occasum.
Guldborgicum, inter Falstriam, & Lalandiam Insulas Daniæ.
Hudsonis, inter Terras Arcticas ad Septentrionem, & Estofilandiam ad Meridiem.
Macreum, ad Austrum Terræ Ignium, in America Meridionali.
Magellanicum, in America Meridionali, inter Regionem Petagonum, & Terram ignium.
Malacense, inter Urbem, & Regnum Malacum, in Oceano Indico.
Malmussonium, in Ora Galliæ, inter Uliarum Insulam, & Sautoniam Provinciam.
Mamertinum, in Sicilia, inter Italiam, & Siciliam.
Manarium, inter Taprobanam insulam, & Oram Piscariæ in Mari Indico.
Manilæ, in Philippinis Insulis.
Micaleum, Inter Asiam minorem ad Ortum, & Samum Insulam ad Occasum.
Mindoræ, in Insulis Philippinis, inter Mindoram Insulam, & Lusoniam.
Missilimachinacum, in Nova Francia.
Moreæ, inter Livoniam, & Osiliam Insulam.
Mosandani, inter Armusiam Urbem, & Insulam.
Oresundicum, quod & Sundicum, Javam Insulam à Sumatria separans.
Palimbanum, inter Oram Orientalem Sumatræ Insulæ, & Bancam Insulam.
Picticum, inter Scotiam Septentrionalem, & Orcadis Insulas.
Piecum, Fretum Asiæ in Oceano Orientali.
Plumbini, inter Oram Thusciæ, & Iluam Insulam in mari Mediterraneo.
Sabonicum, inter Oram Orientalem Sumatræ Insulæ, & Sabonam Insulam, in Oceano Indico.
S. Vincentij, in America Meridionali.
Sangaarium, supra partem Septentrionalem Japoniæ.
Siculum, quod & Mamertinum Siciliam à Calabria separans.
Stralæ, Inter Pomeraniam Citeriorem, & Rugiam Insulam.
Sundæ, Fretum Maris Indici, Javam Insulam à Sumatra separans.
Sunderburgicum, Fretum maris Baltici, in Dania, inter Oram Jutiæ Meridionalis, seu Ducatum Stosvicensem ad Occasum & Alsiam Insulam.
Taphros, inter Corsicam, & Sardiniam, Insulam in Italia.
Vasgatium, inter Novam Zemlam ad Boream, & partem Septentrionalem Moscoviæ.

Fretum.

Viride

Fretum. Viride, Fretum Baltici Maris in Dania, inter Falstriam Insulam, & partem Meridionalem, Zealandiæ Insulæ.
Uriæ, Fretum in Oceano Orientali, recens à Lusitanis, & Belgis detectum.

§ XII.

Orbis Celebres Portus.

Portus est locus maris conclusus, seu parvus Sinus, à naturâ, vel ab hominibus factus, adeò profundus, ut tutò recipere possit quodvis altum navigium, ubi scilicet Naves, & Triremes stationem faciunt, tanquam in loco tuto.

Ordine Alpbabetico.

Portus.
Acaxutla, in America Septemtrionali.
Alacris, in Gallia Narbonensi.
Augusti seu *Romanus*, in ditione Ecclesiæ.
Bajocensis, in Normania inferiore.
Cale, in Portugalia.
Corcagiæ, in Momonia Provincia Hiberniæ.
Corvi, propè Florum Insulam.
Crematus, in America Meridionali.
Delphini, sub Regimine Reipublicæ Genuensis.
De Santonia, in Biscoya Provincia Hispaniæ.
Desideratus, in Magellanica Regione.
Dianæ, in Ora Orientali Corsicæ Insulæ.
Dives, in America Septemtrionali.
Divitis Insulæ, in America Septentrionali.
Equorum, in Hondura Provincia Novæ Hispaniæ.
Ericis, sub Ditione Reipublicæ Genuensis.
Famis, in America Meridionali.
Favonius, in Corsica Insula.
Ferrarius, in Italia sub Dominio Magni Ducis Hetruriæ.
Formosus, in Africa.
Formosus alter, in parte Meridionali Hispaniolæ.
Fornacum, in Ditione Veneta.
Francides, in Brazilia.
Francisci Draci, in California.
Francorum, in Ora Brasiliæ.
Gori, in Ducatu Ferrariensi.
Gratiæ, in Normania Provincia Galliæ.
Herculis, in Liguria.
Herculis alter, in Hetruria.
Leonum, in Regione Magellanica.
Longus, in Hetruria.
Ludovici, in Britania minori.

Portus.

Ludovici alter in Gallia.
Lunæ, in Liguria.
Magdalenæ, in California.
Magnus, in Boëtica Græciæ Provincia.
Magnus alter, in Hispania.
Magnus alius, in Mauritania.
Magnus alius, in Britannia.
Maësthei, in Ora Sinûs Gaditani.
Milfordia, Portus Angliæ in Vallia.
Monachi, in America.
Monoëci, in Ora Occidentali Ligustica.
Nativitatis, in Nova Hispania.
Novus, in America Septentrionali.
Olivula, sub Dominio Ducis Sabaudiæ.
Orestis, in Calabria ulteriori.
Ostium, in Hantonia Angliæ Provincia.
Pacis, in Parte Boreali Hispaniolæ Insulæ.
Paulæ in ditione Ecclesiæ.
Primarius, in ditione Ecclesiæ.
Pulcher, sub Dominio Hispanorum, in Terra Firma Americæ Provincia.
Pulcher alius, propè Ostia Boristhenis Fluvij in Pontum Euxinum.
Regius, in Hispaniæ Ora, contra Gades Insulam.
Regius alius in Nova Francia.
Regius alius, in parte Septentrionali Floridæ Insulæ Provinciæ Americæ.
Regius alius, in Jamaica Provincia Americæ.

Portus.

S. Abbatis, in Californiæ Ora Meridionali.
S. Ananiæ, vulgò de *Santonna* in Hispania.
S. Antonij, in Nova Gallæcia Provincia Septentrionalis Americæ.
S. Joannis in Nova Hispania.
S. Petri, in Urvagia Provincia Paragvajæ.
S. Stephani, Portus Thusciæ, in Italia in agro Senensi.
S. Theodori, Portus Asiæ minoris in Littore Ciliciæ.
Securus, in Brasilia Australi.
Shepeus, in Hibernia.
Vasci, in America Meridionali.
Veneris, Portus Galliæ, in Ora Maris Mediterranei.
Vetus, in Regno Peru.
Vetus, alius in Ora Orientali Corsicæ Insulæ.
Vierius, in Ditione Ecclesiæ.
Volanæ, in Ducatu Ferrariensi, sub Ditione Ecclesiæ.

§ XIII.

§ XIII.

Archiepiscopatus, ac Episcopatus Totius Orbis.

ROmana Sedes Summi Pontificis, quæ est reliquarum Sedium in Orbe Christiano caput & Princeps.

Post Summi Pontificis dignitatem, prima Dignitas est in Ecclesia DEI, Patriarcharum & Cardinalium.

Patriarchæ autem in Ecclesia sunt Sex, Nempe:

1. Alexandrinus, 2. Antiochenus, 3. Hierosolymitanus, 4. Constantinopolitanus, 5. Aquileïensis, 6. Gradensis. olim, & nunc Venetus, priore Venetias à Nicolao V. & VI. 1451. translato.

Cardinalium verò alii sunt Episcopi Cardinales, alii Presbyteri: alii Diaconi.

Cardinales Episcopi sunt Sex. Nempe:

Ostiensis	Sabiniensis	Portuensis
Tusculanus	Prænestinus	Albanensis.

Cardinales Presbyteri alii fuêre 28. quorum tituli fuêre.

1 Cardinalis S. Mariæ Trans-Tyberim.
2. Cardinalis S. Chrisogoni.
3. Cardinalis S. Ceciliæ.
4. Cardinalis S. Anastasiæ.
5. Cardinalis S. Laurentij, in Damaso,
6. Cardinalis S. Marci.
7. Cardinalis S. Martini in Monte.
8. Cardinalis S. Sabinæ.
9. Cardinalis S. Priscæ.
10. Cardinalis S. Balbinæ.
11. Cardinalis Ss. Nerei & Achilei.
12. Cardinalis S. Sixti.
13. Cardinalis S. Marcelli.
14. Cardinalis S. Susannæ.
15. Cardinalis Sanctorum.
16. Cardinalis S. Parentianæ.
17. Cardinalis S. Eusebii.
18. Cardinalis S. Cyriaci in Thermis.
19. Cardinalis S. Vitalis.
20. Cardinalis S. Marcelli & Petri.
21. Cardinalis S. Clementis.
22. Cardinalis S. Praxedis.
23. Cardinalis S. Petri ad vincula.
24. Cardinalis S. Laurentij in Lucina.
25. Cardinalis S. Crucis in Jerusalem.
26. Cardinalis S. Stephani in monte Celici.
27. Cardinalis Ss. Joannis & Pauli.
28. Cardinalis Ss. Quatuor Coronatorum.

Cardinales Diaconi sunt XVI. videlicet.

1. S. Mariæ in Dominica, & iste est velut aliorum Archidiaconus.
2. S. Luciæ in Circo Palatij juxta Septicolium.
3. S. Mariæ Novæ.
4. Ss. Cosmæ & Damiani Palatij.
5. S. Adriani Palatii.
6. S. Gregorii Palatii,
7. S. Mariæ in Schola Græca.
8. S. Mariæ in Porticu.
9. S. Nicolai in Carcere.
10. S. Angeli.
11. S. Eustachii.
12. S. Mariæ in Aquaro,
13. S. Mariæ in via lata.
14. S. Agathæ.
15. S. Luciæ in Capite Sabinæ.
16. S. Quiriaci.

Interim Pontifex plures potest constituere Cardinales, qui proinde supernumerarii vocantur. Unde sub Leone X. plùs minus LX. Cardinales simul viventes fuerunt. Ejus exemplum secuti sunt Paulus III. & Paulus IV. Prior enim ad LXIII. numerum, Cardinales auxit, sequens ad LXX.

Archiepiscopatus & Episcopatus in Italia.

ROmanus Pontifex, est simul urbis & orbis Episcopus, cui immediatè subsunt sequentes Episcopatus.

In Districtu Urbis ut vocant.

Ostiensis, cui unitus est Veliternus in Campania Romana, ditionis Ecclesiæ.

Portuensis,	Tusculanus,
Sabiensis,	Albanensis,
Prænestinus.	

In Campania Romana Ditionis Ecclesiæ.

Tiburtinus,	Alatrinus,
Anagninus,	Verulanus,
Segoinus,	Tarracinensis,
Ferentinus.	

In Provincia Patrimonii Ditionis Ecclesiæ.

Nepesinus	invicem	Cornuetensis	Invicem
Sutrinus	uniti.	Montis Flasconis,	uniti.
Viterbiensis	Invicem	Balneo Regiensis.	
Tuscanensis	uniti.	Urbevetanus.	
Hortanus	Invicem	Aculensis & Aquæpendentis.	
Civitatis Camellanæ	uniti.		

In Umbria Ditionis Ecclesiæ.

Perusinus	Narniensis	Assisiensis
Spoletinus	Amerinus	Nucerinus
Civitatis Castelli	Tudertinus	Arctinus in Thuscia.
Civitatis Plebis	Reatinus	
Interamensis	Fulginatensis.	

In Marchia Anconitana Ditionis Ecclesiæ.

Anconitanus		Æsimus & Esinus
Lauretanus	Invicem	Auximanus
Racinetensis	uniti.	Camerinus
Asculanus.		Fanensis intra Ducatum Urbinatem.

In Re-

In Regno Neapolitano.

Aquilanus, Civitatis Ducalis. Sulmonensis, Invicem uniti.
Valvensis, Invicem uniti. Aprutinus, Marsicanus.

Sequuntur Archi-Episcopatus cum suis suffraganeis

1. *Archi-episcopatus Pisanus, in Hetruria.*

Cui *Suffraganei Episcopatûs* sunt.

Attriensis In Corsica Insula. *Adjacensis* In Corsica Insula.
Seganiensis Genuensis Ditionis, *Lucensis* In Hetruria.
Lunensis Sarzanensis in Hetruria.

2. *Archi-Episcopatus Florentinus.*

Episcopatûs suffraganei in Hetruria.

Fesulanus, S. Maniati Teutonis, Burgi S. Sepulchri,
Pistoriensis, & Pratensis, Invicem uniti. Montis Politiani,
Volateranus, Cortenensis, Collensis.

3. *Archi-episcopatus Senensis.*

Episcopatûs suffraganei in Hetruria.

Suanensis. Grossetanus Pientinus
Clusinus Massanensis Illinensis.

4. *Archi-episcopatus Firmanus, in Marchia Aneoritana Ditionis Ecclesiæ.*

Episcopatûs suffraganei.

Maceratensis | Invicem
Tolentinus } uniti.
Montis Alti
Sancti Severini. Ripanus.

5. *Archi-episcopatus Vrbinatensis in Ducatu Vrbinate Ditionis Ecclesiæ.*

Episcopatûs suffraganei ibidem.

Calliensis, Urbaniensis, Forosempronienfis, Feretranus, Pisauriensis,
S. Angeli in Vado, & Senogalliensis, Invicem uniti, Eugubinus.

6. *Archi-episcopatus Ravennatensis in Romandiola Ditionis Ecclesiæ.*

Episcopatûs suffraganei ibidem.

Hadriensis Cesenatensis Imolensis.
Ariminensis Comaclensis Foroliviensis
Britinoriensis Faventinus Sansinatensis.
Cerviensis Ferrariensis

7. *Archi-episcopatus Bononiensis in Ditione Ecclesiæ.*

Episcopatus Suffraganei.

Parmensis, Placentinus, Burgi S. Domini. } In Ditione Ducis Parmensis.

Rhegiensis, Mutinensis } In Ditione Ducis Mutinensis.

Cremensis In Ditione Veneta.

8. *Archi-episcopatus Genuensis, in Ditione Genuensi.*

Albingaunensis, Naulensis, Brugnatensis, Nebiensis in Corsica Insulâ.

Marianensis Ibidem, Acciensis Ibidem } Invicem uniti.

Bobiensis In Ducatu Mediolanensi.

9. *Archi-episcopatus Tauriensis In Pedomontio.*

Episcopatûs suffraganei ibidem.

Eborettensis, Salutiarum, Montis Regalis, Fossanensis.

10. *Archi-episcopatus Mediolanensis in Ducatu Cognomine.*

Episcopatûs suffraganei Ibidem.

Cremonensis, Novariensis, Laudensis, Alexandrinus, Devtonensis, Viglebatensis.

Papiensis, Bergomensis, Brixiensis. } In Ditione Veneta.

Aquensis, Casalensis } In Ducatu montis Ferrati.

Savoniensis, Vintimiliensis } In Ora & Ditione Genuensi.

Albanensis, Astensis, Vercellensis } In Ditione Ducis Sabaudiæ.

11. *Patriarchatus Aquileiensis in Foro Iulio.*

Episcopatûs suffraganei.

Patavinus, Vicentinus, Veronensis } In Ditione Veneta.

Tridentinus In Ditione Imperatoris.

Comensis In Ducatu Mediolanensi.

Tarvisinus In Dominio Veneto.

Bellunensis, Feltvensis, Concordiensis } In Dominio Venetæ Reipublicæ.

Cenetensis.

Tergestinus, In Ditione Imperatoris.

Justinopolitanus, Æmoniensis, Parentinus, Polensis. } In Ditione Venetæ Reipublicæ.

Petenensis In Ditione Imperatoris.

Mantuanus In Ditione Ducis Mantuani.

Labacensis In Carniolia, ab ejus Jurisdictione exemptus.

12. *Patriarchatus Venetus In Ditione Reipublicæ Venetæ.*

Episcopatûs suffraganei ibidem.

Clotriensis, Torcellanus, Caprularum.

In Regno Neapolitano.

1. *Archi-Episcopatus Neapolitanus.*

Episcopatûs suffraganei.

Puteolanus, Accerrarum, Aveasanus.
Nolanus, Iselanus

2. *Archi-Episcopatus Capuaniæ, in Provincia Laboris.*

Episcopatus suffraganei:

Theanensis, Carinolensis, Venefranus
Calvensis, Isernienses, Cajetanus
Casutanus, Svessanus, Fundanus
Calatinus, Aquitanensis, Seranus.

3. *Archi-Episcopatus Salernitanus, in Principatu Citeriori.*

Episcopatus suffraganei Ibidem.

Campaniensis Cui unitus est Satrianensis, Caputaquensis, Marsicensis,
Policastrensis, Nucerinus, Nuscanensis, Scarnensis, Cavensis.

4. *Archi-Episcopatus Amalphitanus, In Principatu Citeriori.*

Episcopatus suffraganei Ibidem.

Litterensis, Minorensis } Invicem uniti. Ravellensis.
Capritanus, Scalensis }

5. *Archi-Episcopatus Surrentinus, in Terra Laboris.*

Episcopatûs suffraganei ibidem.

Vicanus, Equensis, Massensis & Massalubrensis, Castri maris,

6. *Archi-Episcopatus Comptanus in Principatu Ulteriori.*

Episcopatûs suffraganei.

Muranus, Satrianensis, unitus Campaniensi, Laquedoniensis.
Sancti Angeli Longobardorum } Invicem uniti
Bisacciensis }
Montis Viridis, unitus Episcopatui Nazareno.

7. *Archi-Episcopatus Acheruntinus & Materanus in Apulia.*

Episcopi suffraganei ibidem:

Venusinus, Gravinensis, Melphiensis } Invicem uniti.
Anglonensis, Tricaricensis, Rupollensis }
Potentinus, Montis pilosi

 8. *Archi-

8. *Archi-Episcopatus Tarentinus. In Provincia Hydruntina.*

Episcopatûs suffraganei Ibidem.

Mosulensis, Castellanetensis. Uritanus.

9. *Archi-Episcopatus Brundusinus; in Provincia Hydruntina.*

Episcopatûs suffraganei, Ibidem,

Ostunensis.

10. *Archi-Episcopatus Hidruntinus, in Provincia Hydruntina.*

Episcopatûs suffraganei, ibidem.

Castrensis, Aletiensis, Gallipotanus, Messanensis, Ugentinus, Neritonensis.

11. *Archi-Episcopatus Barensis, in Barensi Provincia.*

Episcopatûs suffraganei ibidem.

Bitantinus, Juvenacensis, Melphitensis, Ruvo, Conversanensis, Minerbinensis, Maropolitanus, Bitettinus, Polignanensis, Lavellensis. Catharensis in Dalmatia in ditione Veneta.

12. *Archi-Episcopatus Tramensis, in Barensi Provincia.*]

Episcopatûs suffraganei ibidem.

Vigiliensis Andruensis.

13. *Archi-Episcopatus Nazarenus.*

Sine Suffraganeis, & ei est Episcopus Montis Viridis adjunctus.

14. *Archi-Episcopatus Sipontinus.*

Episcopatûs suffraganei.

Vestanensis Trojanensis.

15. *Archi-Episcopatus Lancianensis,*

Sine Suffraganeis.

16. *Archi-Episcopatus Theatinus.*

Episcopatûs suffraganei.

Adriensis Orthonensis } Invicem uniti.
Pianensis Camplensis }

17. *Archi-Episcopatus Beneventanus, In Principatu ulteriori, & Ditionis Ecclesiæ.*

Episcopatûs suffraganei.

Asculanus, Triventinus, Thelesinus, Bojanensis, S. Agathæ Gothorum, Bovinensis, Alifanus, Vulturajensis, Montis Marani, Larinensis, Abelliensis } Invicem Thermularum, Lucerinus, Arianensis, Frequentinus } uniti. Grandiensis, Trevicensis, Sancti Severi.

18. *Archi-*

18. *Archi-Episcopatus Rossanensis.* *In Calabria Citeriori.*

Nullum Episcopatum habet suffraganeum, Brisignanensis enim ab ejus Jurisdictione est exemptus.

19. *Archi-Episcopatus Consentinus, In Calabria Citeriori.*

Episcopatûs suffraganei Ibidem.

Marturanensis, Miletensis, S. Marci, Cassanensis.

20. *Archi-Episcopatus Sanctæ Severinæ, In Calabria Ulteriori.*

Episcopatûs suffraganei Ibidem.

Umbriaticensis
Belcastrensis
Strongulensis.
Insulanus
Geruntinus } Invicem uniti.
Cariatensis }

21. *Archi-Episcopatus Rheginensis. In Calabria Ulteriori.*

Episcopatûs suffraganei Ibidem.

Catensis, Neocastrensis, Crotoniensis, Hieracensis, Tropejensis, Squallacensis, Oppidensis, Nicoterensis, Bovensis.

In Sicilia Insula.

1. *Archi-Episcopatus Panormitanus.*

Episcopatus suffraganei.

Agrigentinus Mazariensis Melitensis.

2. *Archi-Episcopatus Messanensis.*

Episcopatûs suffraganei.

Cefalalensis Pactensis Liparensis.

3. *Archi-Episcopatus Montis Regalis.*

Episcopatûs suffraganei:

Cathanensis Syracusanus.

In Sardinia Insula.

1. *Archi-Episcopatus Calaritanus.*

Episcopatûs Suffraganeus.

Sulcitanensis, Archiepiscopatui unitus.

2. *Archi-Episcopatus Arbonensis.*

Episcopatûs suffraganei.

Usellensis & Lezitanus.

3. *Archiepiſcopatus Turritanus.*

Epiſcopatûs Suffraganei:

Algarienſis Boſanenſis Ampurienſis.

In Gallia.

1. *Archi-Epiſcopatus Lugdunenſis.*

Epiſcopatus Suffraganei:

Auguſtodunenſis, Matiſconenſis, Lingonenſis, Cabillonenſis.

2. *Archi-Epiſcopatus Senonenſis.*

Epiſcopatûs Suffraganei.

Trecenſis Antiſſiodorenſis, Nivernenſis.

3. *Archi-Epiſcopatus Pariſienſis.*

Epiſcopatûs Suffraganei:

Carnotenſis Aurelianenſis Meldenſis.

4. *Archi-Epiſcopatus Remenſis.*

Epiſcopatûs Suffraganei.

Sveſſionenſis, Laudunenſis, Catalaunenſis, Noviomenſis, Bellovacenſis, Ambianenſis, Sylvanectenſis, Bolonienſis.

5. *Archiepiſcopatus Rotomagenſis.*

Epiſcopatûs ſuffraganei:

Bajocenſis, Ebroicenſis, Abricenſis, Sagienſis, Lexovienſis, Conſtantienſis.

6. *Archiepiſcopatus Turonenſis.*

Epiſcopatûs Suffraganei.

Cenomanenſis, Redonenſis, Andegavenſis, Nannetenſis, Ceriſopitenſis, Venetenſis, Maclovienſis, Briocenſis, Trecovenſis, Leonenſis, Dolenſis.

7. *Archi-Epiſcopatus Bituricenſis.*

Epiſcopatûs Suffraganei.

Claro montenſis, Lemovicenſis, S. Flori, Amicenſis, Tutelenſis.

8. *Archi-Epiſcopatus Albienſis.*

Epiſcopatûs ſuffraganei.

Caſtrenſis, Carducenſis, Mimatenſis, Rutenenſis, Vobrenſis.

9. *Archi-Epiſcopatus Burdegalenſis.*

Epiſcopatûs Suffraganei.

Pictavienſis, Santonenſis, Engoliſinenſis, Petrocoricenſis, Agennenſis, Condomenſis, Sarlatenſis, Ruppellenſis, Lucionenſis.

10. *Archi-*

10. *Archi-Episcopatus Auxitanus.*

Episcopatûs Suffraganei.

Aquensis, Adurensis, Visatensis, Bajonensis, Convenensis, Conferanensis, Lectorensis, Lascuriensis, Oloronensis, Tarbenensis.

11. *Archi-Episcopatus Tolosanus.*

Episcopatus Suffraganei:

Apamiarum, Mirapicensis, Montalbanensis, Sancti Papuli, Lombariensis, Rivensis, Varrensis.

12. *Archi-Episcopatus Narbonensis.*

Episcopatûs Suffraganei.

Carcassonensis, Electensis, Biterrensis, Agatensis, Ludovensis, Montis Pessulanus, Nemausensis, Uticensis, S. Pontij Tomeriarum, Elnensis.

13. *Archi-Episcopatus Arelatensis.*

Episcopatus Suffraganei:

Massiliensis, Tricastinensis, Auraicensis, Tolonensis.

14. *Archi-Episcopatus Aquensis.*

Episcopatûs Suffraganei:

Aptensis, Vapinensis, Regensis, Forojuliensis, Sistaricensis.

15. *Archi-Episcopatus Avenionensis.*

Episcopatûs Suffraganei.

Carpentroratensis Vasionensis Caballicensis.

16. *Archi-Episcopatus Viennensis.*

Episcopatûs Suffraganei.

Valentinus } Invicem uniti Gebennensis intra Sabaudiam.
Diensis } in Delphinatu. Grationopolitanus In Delphinatu.
Maurianensis In Sabaudia. Vivariensis. In Occitaria.

In Delphinatu.

Archi-Episcopatus Ebrodunensis.

Episcopatûs Suffraganei.

Dignensis, Niciensis In ditione Sabaudica, Glandatensis., Venciensis, Sanitiensis, Grassensis.

In Burgundiæ Comitatu.

Archi-Episcopatus Bisuntinus.

Episcopatûs Suffraganei.

Basiliensis In Helvetia, Bellicensis In Bergesia, Lausanensis in Helvetia,

In Sabaudia.

Archi-Epiſcopatus Tarantaſienſis.

Epiſcopatûs Suffraganei.

Auguſtanus in Sabaudia. Sedunenſis In Valleſia.

In Hiſpania.

1. *Archi-Epiſcopatus Toletanus, in Caſtella veteri.*

Epiſcopatûs Suffraganei Ibidem.

Cordubenſis In Vandalitia.
Segobienſis In Caſtella veteri.
Carthaginenſis in Regno Murciæ.
Segundinus.
Oxomienſis
Giennenſis In Vandalitia
Valliſoletanus.

2. *Archi-Epiſcopatus Burgenſis.*

Epiſcopatûs Suffraganei.

Pampilionenſis, in Regno Navarræ.
Calaguritanus | Invicem uniti in Caſtella veteri.
Calciatenſis |
Palentinus In Regno Legionis.

3. *Archi-Epiſcopatas Compoſtellanus in Gallæcia.*

Epiſcopatûs Suffraganei,

Salmantienſis, In Regno Legionis.
Abulenſis, in Caſtella veteri.
Placentinus, in Extremaduna.
Lucenſis, in Gallæcia.
Aſtoricenſis, in Regno Legionis
Lamorenſis, in Regno Legionis.
Aurienſis, in Gallæcia.
Tudenſis, in Gallæcia.
Pacenſis in Extremaduna
Mindonienſis in Gallicæa.
Caurienſis in Gallicæa.
Civitatenſis, in Regno Legionis.
Ovetenſis in Aſturia.

4. *Archi-Epiſcopatus Hiſpalenſis, In Vandalitia.*

Epiſcopatûs Suffraganei:

Gaditanus, in Vandalitia.
Guadicenſis In Regno Granatæ.
Canerienſis, in Inſula Cognomine in Africa.

5. *Archi-Epiſcopatus Granatenſis, in Regno Granatæ.*

Epiſcopatû Suffraganei ibidem.

Malacitanus. Almericenſis.

6. *Archi-Epiſcopatus Cæſarauguſtanus in Aragonia.*

Epiſcopatûs Suffraganei.

Oſcenſis
Jacenſis
Tiraſonenſis
Barbaſtrenſis
Terrulenſis
Albaracinenſis.

7. Archi-

7. *Archi-Episcopatus Tarraconensis in Catalonia.*

Episcopatûs Suffraganei ibidem.

Barcinonensis Ilerdensis Celsonensis Gerundensis Vicensis Urgellensis Dertusensis.

8. *Archi-Episcopatus Valentinus, in Regno Valentino.*

Episcopatûs Suffraganei ibidem.

Majoricensis, in Insula Cognomine. Oriolensis, in Regno Valentino.

In Portugallia seu Lusitania.

1. *Archi-Episcopatus Bracarensis.*

Episcopatûs Suffraganei.

Portu-Calensis Guardiensis Visensis Lamacensis Mirandensis.

2. *Archi-Episcopatus Olissiponensis.*

Episcopatûs Suffraganei.

Conimbricensis, *in Portugallia.*
Elvensis, *in Portugallia.*
Leviensis, *in Portugallia.*
Portalegrensis, *in Portugallia.*
Septensis, *in Barbaria.*
Funthalensis, *in Madera Insula.*
Angrensis, *in Tertia Insula.*
Congensis *in Regno Congi.*
Capitis Viridis, *in Cognomine Insula.*
Sancti Thomæ, *in Insula Cognomine versùs Gvineam.*
Angolæ, *in Urbe Laonda.*

3. *Archi-Episcopatus Eboracensis.*

Episcopatûs Suffraganei.

Pharensis sive Algarbiensis, in Algarbia.
Turogitanus, unitus Septensi in Barbaria.

In Germania.

1. *Archi-Episcopatus Moguntinus.*

Episcopatûs Suffraganei.

Augustanus *in Suevia.*
Wormaciensis *intra Palatinatum Rheni.*
Herbipolensis *in Franconia.*
Verdensis *in Saxonia Inferiori.*
Hildeshemensis *in Saxonia Inferiori.*
Halberstadiensis *in Saxonia Inferiori.*
Spirensis *intra Palatinatum Rheni.*
Argentinensis *in Alsatia.*
Eidastotensis *Ibidem.*
Curiensis *in Rhætia.*
Constantiensis *in Suevia.*
Bambergensis *in Franconia.*

2. *Archi-Episcopatus Tre-virensis.*

Episcopatûs Suffraganei.

Metensis in Gallia. Virdunensis in Gallia. Tullensis in Gallia.

3. *Archi-Episcopatus Coloniensis.*

Episcopatûs Suffraganei.

Leodiensis. Monasteriensis in Westphalia.
Mindensis in Westphalia. Osnaburgensis in Westphalia.

4. *Archi-Episcopatus Magdeburgensis, in Saxonia.*

Episcopatûs Suffraganei:

Misnensis Brandeburgensis Merseburgensis.
Naumburgensis Havelbergensis.

5. *Archi-Episcopatus Szalesburgensis.*

Episcopatûs Suffraganei.

Frisingensis in Bavaria Brixinensis in Tyroli.
Ratisbonensis in Bavaria. Gurcensis in Carinthia.
Passaviensis in Bavaria. Vicanensis in Austria exemptus est ab ejus Jurisdictione.
Chiemensis in Bavaria.
Secoviensis in Styria. Neostadiensis in Austria.
Lavantinus in Carinthia.

6. *Archi-Episcopatus Bremensis, in Saxonia Inferiori.*

Episcopatûs Suffraganei.

Lubecensis in Halsatia. Ratzeburgensis Severiensis.

In Bohemia.

Archi-Episcopatus Pragensis.

Episcopatûs Suffraganei.

Olomucensis in Moravia, Litomericensis in Bohemia.
Reginohradecensis in Bohemia.

In Belgio.

1. *Archi-Episcopatus Mechliniensis.*

Episcopatûs Suffraganei:

Antverpiensis. Brugensis Gandavensis. Iprensis.
Ruremundensis Boscoducensis.

2. *Archi-Episcopatus Ultrajectensis.*

Episcopatûs Suffraganei.

Daventriensis Leovardiensis
Groniagensis. Middelburgensis.
Harlemensis.

In An-

In Anglia.

1. *Archi-Episcopatus Cantuariensis.*

Episcopatûs Suffraganei.

Roffensis, Londinensis, Ciacolniensis, Cicestriensis, Vintoniensis,
Exoniensis] Invicem Conventriensis] invicem uniti.
Bathoniensis] uniti. Lichfeldiensis]
Sarisburiensis, Vellensis, Glocestriensis, Vigorniensis, Herefordiensis,
Eliensis, Norvicensis, Oxonieniensis, Petriburgensis, Bristoliensis,
Laudafensis, Baugoriensis, Menevensis seu S. Davidis, Assaphensis.

2. *Archi-Episcopatus Eboracensis.*

Episcopatûs Suffraganei.

Cestriensis, Dunelmensis, Carleolensis.

In Scotia.

1. *Archi-Episcopatus Andreapolitanus.*

Episcopatûs Suffraganei.

Aberdonensis, Dunekeldensensis, Moraviensis, Dumblanensis,
Brechinensis, Edenburgensis, Rossensis, Catbanesiensis, Breadum.

2. *Archi-Episcopatus Glascuensis.*

Episcopatûs Suffraganei.

Gallovidiensis, Argadiensis, Insularum sive Sodorensis.

In Hibernia.

1. *Archi-Episcopatus Armachanus.*

Episcopatûs Suffraganei.

Midensis, Kilmorensis, Clochorensis, Ardachadensis, Dunensis,
Dromorensis, Derensis, Clonmacanisensis, Rapotensis, Connorensis.

2. *Archi-Episcopatus Dublinensis.*

Episcopatûs Suffraganei.

Darensis. Fernensis] Invicem uniti.
Ossoriensis. Leghliensis]

3. *Archi-Episcopatus Cassaliensis.*

Episcopatûs Suffraganei.

Immolacensis, unitus Archi-episcopatui Cassaliensi, Limericensis,
Vaterfordiensis] Invicem uniti.
Lismorensis]
Clonensis seu Clananensis] Invicem Laonensis
Corcagiensis } uniti. Arafortensis
Rossensis] Fenaborensis & Finibricensis.

4. *Archi-Episcopatus Tuamensis.*

Episcopatûs Suffraganei.

Magionensis
Enaghdunensis } uniti Archi-episcopatui Tuamensi.
Elphinensis

Clonfertensis | Invicem uniti.
Duacensis.

Alladensis | Invicem uniti.
Achadensis

In Dania.

Archi-Episcopatus Lundensis.

Episcopatûs Suffraganei:

Roschildensis in Zelandia Insula.
Slesvicensis in Jutra.
Viburgensis Ibidem.
Archusiensis Ibrdem.
Ottoniensis in Fioma.
Ripensis Ibidem.
Alburgensis Ibidem.

In Norvegia.

Archi-Episcopatus Nidrosiensis.

Episcopatûs Suffraganei.

Bergensis
Starangrensis | Invicem
Hammariensis | uniti.
Ausloensis
Holensis in Islandia Insula.
Scalhotensis Ibidem.

In Svecia.

Archi-Episcopatus Vspaliensis.

Episcopatûs Suffraganei.

Liacopensis
Scarensis } In Svecia.
Arosiensis
Vexionensis

Aboensis, In Fionia.
Viburgensis, In Carelia.

In Livonia.

Archi-Episcopatus Regensis.

Episcopatus Suffraganei.

Revaliensis, Torpatensis, Haspalensis, Ossiliensis,
Vendensis, nunc Livoniensis.

In Polonia.

1. *Archi-Episcopatus Gnesnensis.*

Episcopatûs Suffraganei.

Cracoviensis, Uladislaviensis seu Cujaviensis, Vilnensis,

Posnani-

Posnaniensis, Plocensis, Luceoriensis, Samogitiensis,
Varmensis } Invicem Culmensis } Invicem
Sambiensis } uniti. Psmesaniensis } uniti.
Vratislaviensis in Silesia, Lubussensis in Marchia Brandeburgica.
Caminensis in Pomerania, Smolescensis in Moscovia.

2. *Archi-Episcopatus Leopoliensis.*

Episcopatûs Suffraganei.
Premisliensis, Chelmensis, Kioviensis, Camenecensis.

In Moscovia.

In Moscovia, seu Russia Alba, Episcopi ex Cætu Monachorum Sancti Basilij ferè diliguntur. Horum Metropolita in Urbe Moscua vulgò Moszkovv sedem habet. Huic Metropolitæ subsunt duo Archi-Episcopi & octo Episcopi.

Archi-episcopi

Rostorij seu Rostoviensis, ad Lacum Rosztovv,
Novogardiæ Magnæ, ad Leutam fluvium.

Episcopi.
Cortizæ, primo Lapide à Moscua. Resaniæ. Columnæ.
Casani ad Volgam cis Tanaim. Vogoldæ ultra Tanaim ad Septentrionem.
Tueriæ ad Volgam Fluvium cis Tanaim. Smolensky. Susdaliæ.

In Hungaria.

1. *Archi-episcopatus Strigoniensis.*

Episcopatus Suffraganei.
Agriensis. Nitriensis, Iaurinensis, Vaciensis,
Quinque Ecclesiensis. Vesprimiensis.

2. *Archi-episcopatus Colocensis*

Episcopatûs Suffraganei.
Bachiensis unitus Archi-Episcopatui. Varadiensis Sirmiensis
Czanadiensis Zagrabiensis Bosnensis
Cibiniensis seu Transylvaniæ. Bachoriensis in Valachia.

In Dalmatia.

1. *Archi-Episcopatus Iaderensis.*

Episcopatûs Suffraganei.

Arbensis, Veglianensis, Ausarensis.

2. *Ahi-Episcopatus Spalensis*

Episcopatûs Suffraganei.

Signiensis, Nonensis, Pharensis & Lesinensis, Traguriensis Scardonensis, Macariensis, Sebenicensis, Tiniensis, Dulmensis, Alcrisiensis,

3. *Arhi-Episcopatus Ragusinus*

Episcopatûs Suffraganei.

Stagnensis, Mercanensis, Tribunensis, Stephanensis, Braticensis, Rosonensis, Curzolensis.

In Albania.

1. *Archi-Episcopatus Antibarensis*

Episcopatûs Suffraganei.

Scuttarensis, Potatensis, Drivastensis, Dulciniensis,

Sappatensis, Sardanensis, Prisrenensis } Invicem uniti in Servia.

Samandriensis in Servia. Belgradensis in Servia. Buduensis.

2. *Archi-Episcopatus Dirachinus*

Episcopatûs Suffraganei.

Alexiensis, Canoviensis, Lissensis, Bendensis; Crojensis.

In Servia.

Archi-Episcopatus Sardicensis

In Bulgaria.

Archi-Episcopatus Ochridensis

In Macedonia.

Archi-Episcopatus Corcyrensis

In Epiro.

Episcopatûs Suffraganei.

Zacynthiensis, Cephaloniensis } Invicem uniti.

In Candia Insula.

Archi-Episcopatus Candiensis.

Episcopatûs Suffraganei:

Cydoniensis } Invicem uniti. Rethimnensis
Sithiensis } Invicem uniti. Hierapetrensis,
Melipotantensis, Sichimensis & Arcadiensis, Invicem uniti.

In Mari Ægeo.

Archiepiscopatus Naxiensis

Episcopatûs Suffraganei.

Thinensis, Milensis, Scirensis, Chiensis, Andrensis, Thorasiensis, Therammiensis.

In Armenia.

Archi-Episcopatus Naxavvïensis.

In India Orientali.

1. *Archi-Episcopatus Goanus.*

Episcopatûs Suffraganei.

Cochiensis,
Malacensis,
Meliaponensis,
Macaonensis, In Sinarum Imperio.
Nangazachiensis, In Japonia.
Crangarovensis.

2. *Archi-Episcopatus Manilanus.*

Episcopatûs Suffraganei.

Nominis JESU seu Cebuensis. Novæ Segoviæ. Cazerensis.

In America.

1. *Archi-Episcopatus Mexicanus.*

Episcopatûs Suffraganei.

Gvadimalæ, Nicaragva, Mechoacanus, Gvadalaxaræ,
Angelopolis, Chiappensis, Meridœ, Durangi,
Antequerensis, Sanctæ Fidei de Novo Mexico.

2. *Archi-Episcopatus S. Dominici.*

Episcopatûs Suffraganei.

S. Jacobi de Cuba, Honduræ, S. Joannis de Portu divite.
Conceptionis, Venetrolæ.

3. *Archi-Episcopatus Limensis.*

Episcopatûs Suffraganei.

Cuscensis, Quitensis, Arequipæ, De Truxillo,
Gramangæ, Panamanus, S. Jacobi Ciles. Conceptionis.

4. *ArchiEpiscopatus Sanctæ Fidei.*

Episcopatûs Suffraganei.

S. Marthæ, Carthaginis Novæ, Popajani.

5. *Archi-Episcopatus Platensis.*

Episcopatûs Suffraganei.

De Pace, In Perua Tucamensis. S. Crucis de Sierra S. *Trinitatis*
in Paraguaja. Fluvij de Plata, In Provincia Fluvij de Plata.

6. *Archi-Episcopatus Sancti Salvatoris in Brasilia.*

Episcopatûs Suffraganei.

Olindanus, S. Sebastiani, Maraniani.

Quebensis, In Nova Francia, nemini Suffraganeus,

Atque hæc de Episcopatibus, juxta modernum Ecclesiæ statum.



SECUN-

SECUNDA DISSERTATIO GEOGRAPHICA.

Continens præcipuarũ partium Terræ descriptionem. De memorabilibus Aquarum & Fontium globi hujus Terraquei, alibi disseruimus, hâc proinde dissertatione agemus solùm de ipsius Terræ partibus præcipuis, cujusmodi sunt: Insulæ, Antra, Sp[illegible]ncæ, Voragines, Hiatus, Montes, singularum rerum in iis admirandarum, causam naturalem assignando.

§. I.

De rebus memorabilibus Insularum.

I. *COmplures Insulæ longè depressiores sunt, mari undequaq; eas circumdante, nec tamen à fluctibus ejus operiuntur, sic & Ægyptus cavior, & demissior est rubro mari, sibi imminenti.* Est siquidem præceptum Domini, ne mare transgrediatur terminos suos. Natura tamen Insularum fert, ut superemineant mari, circumjacentibusque aquis, imò Insulæ nihil aliud videntur esse, quàm eminentiores partes terræ in aqua extantes, quòd autem aliquæ illarum depressiores aquis circumjacentibus videantur, in hoc frequentiùs fallitur visus, erroris que causa est, quòd terræ color ad nigredinem vergat, atra autem semper depressiora videntur, unde Pictores, quæ volunt videri profunda, ut sunt putei vel speluncæ, ea atro colore pingere solent. 2. *Non omnes Insulæ, quæ nunc sunt, fuêre ab initio mundi, quædam verò quæ priùs fuêre jam desierunt esse.* Factum est id per ingentes exundationes, & diluvia extraordinaria, vi quorum tota quasi facies terræ sæpiùs est mutata, partibus ejus violentiâ aquarum, à continenti avulsis, aliæ verò quæ fuêre, & jam desierunt esse, aut maritimis superatæ sunt fluctibus; aut in continenti arida deinceps perseverârunt. 3. *Novæ subindè Insulæ emergunt in mari,* Contingit id vi terræ motûs, terræ partes in medio mari potentiâ suâ attolendo. 4. *Insulæ aliquæ supernatant aquis.* Nempè quia levi materiâ constant, vel genere terræ spongioso, suberis modo, quod etsi aquas admittat imbibatque; tamen iisdem supernatat. 5. *In Insulis Fortunatis, Martio, & Aprili incolæ metunt.* Ob miram scilicet aëris temperiem, & Cœli clementiam. 6. *Insula Madera, una ex Fortunatis, cumprimùm inventa fuerat, & coli cœperat, Quinquagesimum, & sexagesimum fructum referebat, nunc trigesimum vix refert.* Proveniebat hæc frugum copia ob soli ubertatem, longissimamque illius quietem, quæ postea detrita est per continuam culturam. 7. *Longè majoris fertilitatis erat, Insula novi orbis, cui nomen Hispaniola, in quâ frumentum satum initio Februarij, maturescebat Trigesima Martij, ea aristarum magnitudine, ut una earum duo millia granorum complecteretur. Die quoq; Natalis Domini, omnes fructus maturos ibi fuisse scribunt Geographi, atq; in Martio, uvas præmaturas passim reperiri, fœnum quoquè falce abscissum, quinta die ad cubiti proceritatem adolescere:* Nec hujus tantæ fertilitatis alia causa est, quâm benigni influxûs cœli illius Climatis, solique bonitas. 8. *In Tylo Indiæ Insulâ, nulli arborum unquam decidunt folia.*

folia. Rigatur enim gelidis Fontibus, & imbres frequentes excipit. 9. *In Momonia Superiori, Provincia Hyberniæ, ut narrat Ortelius. Lacus est in quo est Insula, ad quam nulla fœmina, aut fœminei sexûs animal ingredi potest, quin statim moriatur.* Crediderim id spectare magis ad superstitionem, quàm ad aliquam rationem naturalem. 10. *Juxta Insulam Zocotoram, duæ extant aliæ Insulæ, in quarum una soli mares vivere possunt, in altera solæ fœminæ, neq; inter eos major intercapedo est, quàm passuum triginta millium, mutuòq; se invisunt prolis causâ certis anni temporibus.* Quòd certis temporibus tantùm se invisant, prolis causâ id accidit, quòd reliquum tempus vel sit noxium, vel generationi prolis infœcundum. Quòd autem in una illarum soli mares vivant, in altera solæ fæminæ, id provenit, quòd unius aër magis sit proportionatus complexioni & Sexui virili, quàm alterius, & è contra, non statim siquidem emoriuntur in alterutris, sed solùm trimestri exacto integro, periculum vitæ incurrunt. 11. *In Ormutio insigni Persidis Insula, nullum animal quadrupes, nulla etiam avis est reperibilis.* Quia aridissimum habet solum, constatque totum mordacissimo Sale, qui omnes herbas- & frutices, ac arbores suo acumine facilè absumit, sicque necessaria victui animalium subtrahit. 12. *In eadem Insula, tantæ salubritatis est aër, ut omnes ægritudines pellat.* Provenit id ex frequentibus scaturiginibus Sulphuris, quæ ibi sunt, hæ enim frequenter sponte accenduntur, quarum ignis totam Insulam serpendo peragrat, sicque aër ab omni infectione, & corruptione fit liber, saluberrimusque efficitur. 13. *Ithaca Insula Lepores non nutrit, sed & aliunde ad illam importati moriuntur illico,* Ut habet Aristot. Hist. animal. lib. 8. c. 28. 14. *Insulam Sygaro Arabiæ felicis, canes nunquam intrant, expositiq; circa littora errando moriuntur.* Ut testatur Plinius lib. 6. c. 28. 15. *Insula Scotiæ non patitur, neq; alit ullas apes.* ut tradit Solinus, cap. 28. *In Insula verò Aron, non nascitur mus, sed neque vivit invectus.* 16. *Multæ Insulæ carent serpentibus, qualis est inter Balleares Ebusus nomine Insula.* 17. *In Creta Insula, nulla est noctua; quin si eò feratur moritur.* ut scribit Plinius lib. 10. cap. 29. 18. *In eadem Creta nec lupi, nec vulpes, nec ursi nec alia similia malefica animalia reperiuntur.* Horum omnium ratio est Antipathia talium animalium cum terra, herbis aut aëre illarum Regionum. Hinc si quis ex terra Scotiæ, pulveres, aut lapillos sparserit inter alvearia, etiam in aliis Regionibus, apum examina favos suos deferunt, ut tradit Solinus cap. 28. *Similiter terra ex Athenatos Britaniæ proxima Insula, (quæ pari ratione caret omni angve) quocunque gentium invecta, angves necat.* Et si Serpentes fugentur ex hortis fumo cœparum, fraxini, & Sambuci. Formicæ item pulveribus albæ & rubræ Cretæ. Talpæ, allij, camphoræ & cœparum, mures item lauri odoribus, cur non etiam dicta animalia, contrariis naturæ suæ, aliarum Regionum aëris vel terræ aut herbarum qualitatibus? Sic *Adamantis* herba Leonibus est adversa. *Apocymum* in cibo datum canes, & omnes quadrupedes necat: *Squillæ* contactu lupus torpet, *Rhododaphnes* flores & folia canibus, & mandragoræ mala, ursis venena sunt. Quamvis hæc immunitas à Similibus noxiis animalibus certarum Regionum frequenter etiam Deo, gratisquè ei, hominum precibus impetrata sit adscribenda, ut constat ex vitis Sanctorum. 19. *In eadem Insula Athenatos circa*

montem

montem Canno, nullæ prorsus sunt Muscæ, sed nec vivere possunt. Sunt scilicet non-paucæ arbores, & herbæ perniciosæ muscis, quibus hunc montem abundare credibile est. 20. *Insulæ Ebuso contraria est Insula, cui Colubraria est nomen, quod angvibus referta sit:* Ob nimiam scilicet terræ putredinem, & infectionem. 21. *Sardonia Insula estò Angvibus careat & lupis, verùm quod aliis locis serpens, hoc solfuga est sardeis agris, animal perexiguum, simileq; araneis formâ, supersedentibus siquidem, pestem facit.* Natura enim quod in aliquo genere subtrahit alicubi, id in altero compensat. 22. *Sed & in eadem Insula fons est, quô potantes solfugarum morsibus medentur.* Neque enim adeò noxium animal natura unquam alicubi edidit, cui non etiam proximum ediderit remedium. 23. *In Cephalonia Insula, Amnis est cujus citra alterum latus cicadarum copia, ultra alterum prorsus nullæ.* uti annotavit Aristoteles lib. 8. cap. 28. Ob contrariam Scilicet aëris aut terræ dispositionem. 24. *In Prodosilena Insula, via interjacet, cujus ultra alterum latus, gignitur Cattus, circa alterum gigni non potest,* Hujus ratio aliqua est, ex jam enumeratis. 25. *In Cumana novi Orbis Insula, Aranearum telæ tantâ firmitate texuntur, ut non facilè disrumpi possint.* Attribui id debet majori virtuti eviscerandi se tali generi aranearum. 26. *In ejusdem Insulæ Sylvis, plurimæ sunt apes, melq; conficiunt tantâ copiâ, ut è frondibus fluat, nullâ cerâ admixtâ.* Nempe ob majorem copiam florum, herbarum, & arborum succu melleo magis repletarum. Petrus Hisp. Pag. 5. c. 15. 27. *Insula Iridica Zebut dicta, & quidem sola avem gignit, cui nomen Lagana, quæ insidiatur ori Cete, à quo deglutitur integra, & vivens, admissa igitur in alvum, cor corrodit illius, unde Cete perimitur.* Majolus fol. 201. Pertinet id ad ostendendam Dei Potentiam, quæ in minimis maximè elucet, & qui per minima interimere etiam potest fortissima. 28. *In eadem Zebut Insula arbor est cognominata Coco, fructus ejus peponum instar grandes sunt, succum continet pinguem, qui vertitur in oleum, quod superfusum aquæ, Sacchari præbet dulcedinem, soli expositum, aceti acrimoniam suscipit, ab arboris trunco manat aqua potabilis, quæ diu ad potum in vasis servatur. Cortex fila aptissima præbet.* Natura in hanc arborem congessit simul, quæ alijs sparsim distribuit. 29. *In Insula Cubagua novi orbis, manat fons liquoris mirè odoriferi, fluitq; in mare ipsum, supernatatq; instar olei, ad duodecim milliaria* Italica. Liquor hic fit odoriferus ex venis herbarum oleacearum, & odoriferarum, per quas transit, supernatat verò sicut alii liquores oleacei simplicibus liquoribus. 30. *Eidem Insulæ Manatæ circumfusum, certis temporibus rubescit sanguineo colore.* Quòd Ostrea illo tempore Sanguinem effundant, quorum ibi est maxima copia. 31. *Insulæ Floridæ Incolæ, tantæ sunt pernicitatis, ut Cervum antevertant.* Attribuendum id est ejusdem Climati, quòd robustioris vegetiorisque, ac agilioris naturæ homines alat, continuo item eorundem exercitio, ac temperato victui, ejusque qualitati, leviores vivacioresque Spiritus vitales generantis. 32. *Palmosa Insula ferro abundat, quod ibi effossum est, nulla ratione igne excoqui potest, neq; in massam redigi, cum tamen in continentem evectum facilè excoquitur, & in massas redigitur.* Aëri hujus Insulæ id videtur adscribendum, cujus proprium est materiam liquando ferro aptam indurare. 33 *Complures Insulæ tam Europeæ, quàm Indicæ, estò undequaq; aquis circumdentur copi-*

ejos tamen ignes è terra evomunt. Abundant siquidem sulphure & bitumine, fomite ignium subterraneorum. 34. *In Insula verò Molucio, Anno 1556. ignis è terra erupit, non minore fragore, quàm ingentibus erumpere soleat è bombardis, ejectis etiam lapidibus molari magnitudine, ut scribit Balthazar Diaz.* A rarefacto scilicet nimiùm aëre, igneque crescente in meatibus subterraneis, exitum sibi violenter quærente. 35. *In Insula Tenerita inter Fortunatas, Mons est, qui etiam à longè prospectantibus vias dirigit suo igne, nihil tamen urit,* Utpotè cujus splendor ad instar ignis, perlucidâ, non tamen à verè igneâ provenit materia. 36. *Nec illud caret mysterio, quòd in aliquibus Insulis maxima sint stagna, quæ cùm à maritimis aquis, per subterraneos meatus proficiscantur, nunquam tamen excrescant.* Tantundem siquidem aquæ per meatus occultos emittunt in alteram partem maris, quantùm ab una recipiunt. 37. *In Insula Ombrio nullum aquarum genus est in planis campis, neq; enim ibi pluit unquam, nullus puteus vel fons est, sed Cœlesti gratiâ Arbor quædam fœcundatur, quæ quotidiè ante Solis ortum, tum à stipite, tum à ramis aquam tantam mittit quæ incolis & jumentis sufficiat.* Arbores hæ amplissimis ramorum, ac radicum abundant venis, & fibris, per quas totum succum terræ ad se trahunt. 38. *Inter Fortunatas Insulas quædam est, cui nomen Nivaria, quæ perpetuas nives, & Nebulas habet.* Ob exhalationum frigido humidarum nimiam copiam 39. *In Milo Insularum in locis terræ excavatæ rursus ipsa terra concrescit.* Ob vim coagulativam, quam habet, sive ejectas partes terræ denuò coagulando, sive novas ad se aggregando, sicque excavatum locum implendo, quod frequenter etiam in mineralibus præsertim Ferri, & Salis accidit. 40. *In Insula Aren à S. Brendano ut ajunt consecrata, cadavera hominum nec humantur, nec putrescunt, sed sub dio posita, & exposita, permanent incorrupta. Unde hic homines, Avos, Atavos, & Tritavos, longamq; stirpis suæ seriem mirantur, aspiciunt, & agnoscunt.* Sancti hujus meritis & benedictioni id atrribui debet. Etenim etiam his majora ad Sanctorum suorum preces & merita DEUS tribuere solet. 41. *In eadem Insula teste Giraldo, mus nec nascitur, nec vivit invectus, cùm tamen reliquæ partes Hiberniæ muribus nimis abundent, sed si fortè allatus fuerit, statim præpeti cursu, in proximum mare se præcipitat, sin autem impediatur statim emoritur.* Hoc similiter ejusdem Sancti Patrocinio adscribendum esse videtur. 42. *Est quoq; in Boreali Britaniæ parte (ait idem Giraldus apud Eusebium Nirembergium, lib. 2. de miraculosis Naturis in Europa) Insula quædam, quæ & Sancta vocatur, ubi mulieres non pariunt, concipiunt tamen, & prægnantes effectæ, usq; ad pariendi articulum naturaliter intumescunt. quô imminente ad alteram Insulam advectæ, naturali libertati naturæ indulgent. Quæ si fortè detentæ fuerint, (sicut aliquoties probandi causa commissum est) intolerabili statim vexatione torquentur, & usq; ad ipsas ferè mortis angustias donec emittantur, dolore premuntur.* Eventus hic naturali causæ adscribi nequit, sed Soli Divinæ dispositioni, sive in pœnam peccatorum, sive in remunerationem justorum. 43. *Tota Insula Hiberniæ caret serpentibus & colubris, caret bufonibus & ranis, caret Scorpionibus, caret & Draconibus; Habet tamen Araneas, habet sangvisugas, habet & lacertas, sed prorsus innocuas.* Admirandam hanc benedictionem Hibernia

à San-

à Sancto Patritio accepit, ejectis inde baculo suo omnibus venenatis reptilibus, eaque gratia à DEO Regioni impetrata, ut ne tolleret quidem ejusmodi animalia, etiam aliunde allata, & ut omnia ferè quæ Insula illa progignit, non inefficax antidotum adversùs venena præbeat. 44. *Corrigiæ quoq; terræ istius, non adulterinæ sed veræ, & de coriis animalium, quæ hîc nata sunt,* factæ, contra Bufonum, serpentumque morsus, in aqua rosæa epotæ efficax remedium ferre solent. 45. *Testatur præterea citatus Giraldus, se oculis suis vidisse, corrigiam hujusmodi, strictam & arctam bufoni circulariter periculi causâ circumpositam, ad quam perveniens & transire volens, statim tanquam percussus capite retrò cecidit, partesq; ad oppositas se transferens, & corrigiam undiq; inventam, tanquam pestem quandam fugiens, in medio tandem circuli spatio, terram fimosam subitò pedibus effossam, multis intuentibus subintravit. 46. Venerabilis quoq; Beda asserit, se vidisse, quibusdam à Serpentibus percussis, rasa folia codicum, quæ ex Hibernia fuerant, ipsamq; rasuram aquæ immissam, protinùs totam vim veneni grassantis, totum inflati corporis absumpsisse, ac sedâsse tumorem.* Totum hoc, adscribendum est ejusdem Sancti Patritii meritis (sicut vulgata per orbem eaque certissima fert opinio) frustra proinde idem Giraldus conatur id referre, vel in aëris novam quidem & inauditam, benignissimam tamen clementiam, vel in terræ ipsius vim quandam occultam, & venenis inimicam. 47. *Quòd interventu Sancti Patritij Hiberniæ concessum est, idem etiam contigit Melitensibus, B: Pauli meritis. Nam ex quo Vipera Sanctam illam manum invadere ausa fuit, omnia animantia venenifera, venenum innoxium in illa Insula habent.* Hoc porrò non accidere ex naturali Regionis illius constitutione, sed Beati Pauli meritis, provenire liquet. Quia Incolæ ejusdem Insulæ cum vidissent viperam ex manu Sancti Pauli pendentem, existimârunt eum jamjam in tumorem conversum, animam exhalaturum. Signum proinde est, viperarum priùs in Melita, uti & alibi, mortiferum morsum fuisse, neque mutationem viperæ & aliorum, alteri quàm Sancto Paulo adscribi debere. 48. *In eadem Insula Melita, ex Specu, in quo trimestrì habitasse fertur Sanctus Apostolus, non Solùm Incolæ, sed & advenæ Capillos cædunt, ad Scorpionum & anguium exitiale virus, ab humanis corporibus profligandum.* Cujus virtutis in dictis Capillis non alia causa est, quàm ejusdem Sancti merita. 49. *Neque huic assertioni obstat, quòd alia quoq; terra, & nominatim Gaulus Insula, non procul Melitâ distans, venenifera animalia, vel non progignant, vel aliunde allata mox interficiant.* Nam quod uni solo naturale est, id alicui alteri, cœlitùs, per merita Sancti cujuspiam obtigisse, nihil à fide alienum continet. 50. *Quapropter licet particulæ terreæ, ex Insulis Ebuso & Gaulo in Colubrariam Insulam serpentum feracem, aut aliò illatæ, & allatæ, iisdem exitium adferant, non rectè tamen colliges, id quod uni terræ à naturâ concessum est, id alteri similiter à natura, non à miraculo alicujus Sancti contigisse, ut benè observat Eusebius Nierbergius Lib. 11. de miraculosis Naturis in Europa cap. 43. in cujus rei confirmationem adducit.* Nam simile Privilegium carendi venenatis, etiam Episcopatus Toletanus possidet meritis Sancti Ildephonsi. 51. *Nonnullæ Insulæ fuerunt etiam ante Diluvium, imò & initio creationis mundi.* Id enim pertinebat ad ornatum mundi. 52. *Nonnullæ autem primò post*

Diluvium exorta sunt. Facta nimirùm, hic illic vi tempestatum exundationum, ipsiusque Diluvii, aut terræ motuum, terrarum diversione. 53. *Dantur in compluribus Lacubus Insulæ natantes.* Cujusmodi Ex. gr. Sunt in lacu proximo ad Andomaropolim, quæ simul sunt pascuis uberes: & in Lacu propè Lenoxiam in Scotia, qui Laumodus dicitur, qui similes Insulas supra 24. complectitur, unà cum gregibus & armentis supernatantes, ac in Lacu Ors, in Gallia, in quo Insula pascualis vento sæpius, ab uno stagni latere fertur in oppositum. 54. *Generantur hæ sæpiùs de novo.* Accidit enim quòd aliqua pars terræ, ex Sulphureis glebis, festucis, lignis, juncis, radicibusque plantarum, limo lutoque commixtis coalescat, atque sic conglutinata, vel ventorum tempestate agitata, vel per terræ motum, aut avulsione lacus, vel pluviis imbribusque excisa, successu temporis à littore avellatur, sicque in Insulam natantem evadat. 55. *Non est autem incredibile tantam molem terrarum aquis supernatare posse.* Nam sicut gravissima ligna, & in lignis quælibet superposita pondera aquis sustententur, ita fieri potest ut aliquæ Insulæ innatent, cujus rationem vide hîc in illatione quarta. 56. *Evanescunt subinde tales Insulæ.* Quia frequenti multorum annorum allisione, tam inter se, quàm ad littus facta, cum tempore attenuantur, sicque dissolvuntur, & in plures partes fractæ, aut dissipantur, aut littori fixæ terræ junctæ, cum eadem iterum coalescunt. 57. *Non tantùm novæ subinde in mari emergunt Insulæ, sed & partes ipsius continentes quandoq; transeunt in Insulas.* Aquâ nimirum avellente partem terræ à continenti, eamque post circum, ambiente. Sic enim Sicilia avulsa est ab Italia, & Cyprus à Syria. 58. *Quandoq; & per aggressionem terræ emergunt Insulæ.* Sic enim emersit Tyberina Insula, quæ Romæ celebratissima, tum pontibus tum Templis, tum reliquis ædificiis conspicitur. 59. *Vicissim non rarò Insulæ transeunt in Mediterraneum.* Ita teste Strabone, Artonia Insula, inter Echicudas destituta à mari facta est mediterranea. Cujus rei plura Exempla, Plinius lib. 2. cap. 89. commemorat. 60. *Parum est ait Majolus dierum Canicularium colloquio 14. aquis destitui Insulas, atque in arentes campos permutari & hiatibus absorberi, aut omnia demergi, commiseratione dignum est.* Hoc tamen subinde contigisse testantur Historiographi. Narrat enim Seneca Naturalium Quæstionum. Lib. 6. 24. circa Peleponesiaci belli tempus Atlauriden Insulam maximam, aut totam aut certè majori ex Parte aquis superfusam. Sed & imperante Theodosio, terræ motu complures Insulæ unâ cum Incolis suis submersæ in Asia, hodie quoque non apparent, ut testatur Nicephorus lib. 14. cap. 46. 61. *In Carumnia Pyrenæ, Hispaniæ flumine Insula est Atros nomine, quæ increscentibus aquis attollitur, decrescentibus deprimitur, ut scribit Mela lib. 3. c. 1.* Potest intervenire hîc visus fallacia, sed si re ipsa id verum esset, posset causa hujus refundi, quòd terra istius Insulæ plurima virgulta & levi materia constet, nec tamen ita levi, ut hinc inde vagetur & fluctuet, sed solùm ut ab increscentibus aquis elevetur, iisque decrescentibus rursum deprimatur, utpotè non contigua reliquæ moli terræ, sed ab eadem avulsa. 62. *Inter Insulas maximi nominis sunt illæ, quæ Fortunatæ appellantur.* Sic dictæ ob miram aëris temperiem, & cœli clementiam, solique fertilitatem, quasi felices ac beatæ ubertate. Sunt Sitæ in Oceano Atlantico, numero septem, detectæ anno

anno 1417. Regique Hispaniarum parent. 63. *Zeila Orientis Insula, nullo anni tempore vacat à fructibus, quibus arbores semper onustas habet, diverso genere fructuum sibi ad invicem succedente.* 64. *Sed & Petrus Martyr scribit, Lib. 11. Histor. cap. 2. In Hispaniola Insula, qualibet anni parte, imo toto penitus anno, pepones recentissimos enasci, & in mensis semper apponi, tantaq; eos esse amplitudinis, ut vix quisq; unicum humeris ferre posset,* 65. *Non minor est Talgæ Insulæ Caspij maris fertilitas, quæ sine cultura ullâ fertilis est, omniq; fruge ac fructibus abundat. Ita Mela lib. 3. c. 3.* Fertilitas hæc partim soli pingvedini, partim bonitati Climatis, partim benignis influxibus cœli, attribui debet. 66. *Thule Insula apud veteres habebatur pro ultimo termino orbis Septemtrionem versus.* Ast modernis temporibus ultra hanc longè, notus factus est Orbis. Clauditur siquidem Thule Insula gradu 68. in latitudine, nunc autem orbis in latitudine patet ad 81. gradum usque. 67. *Iis qui habitant interiora hujus Insulæ, potionem præbet serum aut fontes Cerealis liquoris dulcedinem habentes.* Defectu scilicet omnis vitis, & cunctarum frugum, ex quibus potus confici possit. 68. *Iisdem panis vicem præstant pisces vel comminuti in modum farinæ, vel tosti.* Pane siquidem nostrate carent, cum eorum tellus nullas omnino fruges ferat. 69. *Atque hoc victu constantem valetudinem ad quadraginta supra Centum, imò ad ducentos annos producunt.* Nihil enim magis ad valetudinem & Longævitatem conducit, quàm victus simplicitas & uniformitas. 70. *Ultra hanc magis adhuc ad septemptrionem est Insula Spittberga dicta, Anno 1596. Batavis per Hiberborei maris pruinas & glaciem ad Orientale Pelagus aditum quærentibus detecta.* Utrum hâc viâ perveniri possit ad Orientale Pelagus, ac consequenter institui iter ad ipsas Chinas multi etiam doctissimi viri meritò dubitant. Obstat siquidem cœlum enormi frigore nunquam non vigens, obstat perpetuis pruinis & vix unquam Solis radiis albescens aër: Obstant longissimæ noctes, nempe quatuor, quinque, vel sex etiam Mensium tenebræ: Obstant immanes glacies, quibus vel in ipsa Spitsbergia Junio Mense adhuc portus sunt clausi. Nimbi verò & vapores sæpiùs tanta mole incubant, ut ex prora puppim haud cernere liceat. 71. *In hâc porrò Insula, nullæ res corruptioni sunt obnoxiæ, non ligna, non pingue piscium, non cadavera hominum.* Frigus siquidem continuum constringit poros, & humorem ac tumorem à rebus arcet, quæ duo sunt corruptionis principia. 72. *Ea pars maris, quæ in umbra Montium est constituta, sudo cœlo sæpe intra trium horarum spatium, ita gelu concrescit, ut majora tormenta bellica, per illud possent devehi* propter frigoris intensissimam vehementiam: ac Solarium radiorum absentiam, vel debilitatem, ob nimiam eorum respectu Horizontis illius obliquitatem. 73. *Cornu Monocerotis hic reperitur in copia.* In hoc enim Oceano frequens est Monoceros piscis, è cujus ore prominet illud sive cornu, sive dens, qui per totam Europam, in Summo habetur pretio, utpotè contra omnia venena cujusvis noxæ præsertissimum remedium. 74. *Primus Meridianus, à quô latitudines Orbis desumuntur, â veteribus in Insulis Fortunatis ponebatur.* Ast moderni Geographi, progressi sunt multis gradibus Orientem versùs, ac primum Meridianum statuunt in Assoribus Insulis. 75. *Rhodus Insula celebris fuit, solis Colosso ex ære facto LXX. cubitorum altitudinis.* Sed hoc

hoc ſimulachrum, poſt Sexageſimum Sextum annum, terræ motu proſtratum eſt, & jacens quoque pro miraculo fuit. Pauci pollicem ejus amplectebantur, majores ejus erant digiti, quam pleræque ſtatuæ, hunc Sultanus Ægypti poſtquam Rhodum expugnaverat, noningentis Camelis ære impoſito, Alexandriam transportari curavit. 76. *Melita Inſula Nobilis facta eſt, Naufragio Sancti Pauli Apoſtoli, ut nunc nobilitatur ab Equitibus Melitenſibus dictis.* Equeſtris hic ordo initium ſumpſit Hieroſolymis 1104. dictique ſunt hi Equites primò Hoſpitalarii, quòd ſepulchrum Chriſti adeuntibus neceſſaria ſuppeditarent, & Peregrinos contra Arabes & Infideles defenderent, vocati dein ſunt Equites Rhodii, à Rhodo Inſula, in quâ conſederunt ad Annum 1522. Hâc demum expugnata à Solimano 1522. transportati ſunt Melitam, ubi contra Turcas Chriſtianæ fidei præſidio eſſe pergunt. 77. *Sicilia nunc Inſula, olim Peninſula.* Contigua ſiquidem erat Auſonium terræ, quæ dein ingenti terræ motu, ab ea fuit reſciſſa. 78. *Hæc Inſula famoſa eſt à veſperis Siculis.* Anno ſiquidem 1282. ex condicto tempore veſperarum, per univerſam Siciliam ab incolis trucidati ſunt omnes Galli, qui tum Regioni dominabantur. 79. *Cyprus Inſula notiſſima Aſiæ, maximâ æris copiâ abundat.* Unde etiam nomen accepit Cypricum Siquidem alias æs dicatur. 80. *Hæc Inſula licet ſit fortiſſima ingrato tamen ac inſalubri ut plurimùm aëre fruitur* ob ſtagna tetrum vaporem exhalantia. 81. *Ilva Græcis Æthalia feraciſſima olim æris, quô deficiente apparuit ferrum.* Deficiente ſcilicet vena æris, foſſores inciderunt in venam ferri, ſæpè etenim diverſorum metallorum venæ ſunt inter ſe commixtæ. 82. *Porro hoc ferrum effoſſum, poſt annos viginti quinque rurſus renaſcitur* ſucco ferrugineo maſſam novam pervadente, & in ſub ſubſtantiam convertente. 83. S. Auguſtinus Lib. 16. cap. 7. jucundam Quæſtionem movet: Quomodo ſcilicet poſt diluvium, quó & animantia, quæ in Arca non erant, cuncta deleta ſunt, etiam in Inſulis reperiantur, ſi recuperata non ſunt, niſi ex his quorum genera in utroque ſexu Noë Arca ſervavit? Quam ipſemet ſic reſolvit: Poſſunt ſiquidem credi, ad Inſulas natando tranſiiſſe, ſed proximas, ſunt autem quædam tam longè poſitæ, à continentibus terris, ut ad eas nulla videatur natare potuiſſe beſtiarum. Quod ſi homines eas captas ſecum abduxerunt, & eo modo ubi habitabant, earum genera inſtituerunt venandi ſtudio, fieri potuiſſe incredibile non eſt, quamvis juſſu DEI, ſive permiſſu etiam ope Angelorum, negandum non eſt, potuiſſe transferri. Si verò è terra exorta ſunt; ſecundùm originem primam, quando DEus dixit: Producat terra animam vivam, multò clariùs apparet, non tam reparandarum animalium causâ, quàm figurandarum variarum gentium, propter Eccleſiæ Sacramentum, in arca fuiſſe omnia genera, ſi in Inſulis quæ tranſire non poſſent, multa animalia terra produxit. 84. *Roma Inſula Tyberina eſt celebratiſſima, quæ tamen à natura non eſt facta, ſed caſu potiùs & arte effecta.* Nam ut tradit Livius. Decal. 1. Lib. 2. Cùm pulſis Regibus Romani Cives, Regum bona diripi, & in Tyberim quædam mergi ſtatuiſſent, inter alia, ad Tarquinios (ex quorum familia Reges Romanorum creabantur) ſpectantia, ager inter urbem ac Tyberim fuit, qui Campus Martius dicitur, in quo ſeges farris matura meſſi fuerat, quem campi fructum, quia conſumere erat vetitum, deſectam cum ſtramine ſegetem, magna

vis hominum simul immissa, corbibus fudêre in Tyberim, tenui fluente aquâ, ut mediis caloribus solet: qui dein acervi frumenti in vadis hæsitantes & illiti limo, & aliis quæ fert temerè flumen eodem invectis, dictam effecêre insulam. 84. *Atlantis Insula, cujus etiam superiùs mentionem fecimus, olim erat famosissima & maxima, in qua admirabilis extitit potentia Regum, utpotè quæ Libiâ simul & Asiâ major fuisse fertur, nunc hujus nullum est vestigium.* Id ingenti terræ motu, jugique unius diei & noctis illuvione factum est, ut vastissima hæc Insula, terrâ delitescente, sub vasto gurgite mergeretur, ubi nunc mare Atlanticum est. 85. *In quodam lacu circa Nili ortum, ut Mela scribit Lib. 1. Cap. 2. Chemnis Insula, Lucos Sylvasq; & grande ædificium sustinens natat, & quocunq; venti agunt, pellitur.* Est hæc una ex natantibus Insulis, quarum uti & proximè præcedentium superiùs jam mentionem fecimus. 86. *Insula Hajti in India, quæ & Hispaniola dicitur, aves alit valde mirabiles dubiæq; naturæ, quæ tam supra terram, quàm in mari & fluminibus, prædari & vivere possunt, incolæ insulæ, eas vultures aquaticas appellant, habent namq; pedem dextrum, quô prædam in aëre rapiant, armatum ungvibus velut cœteri Accipitres, sinistrum verò, quô insistunt aquis, palmæ simile, veluti anatum genus.* Species hæc avium ad accipitrum pariter, & aquatilium genus videtur pertinere. 87. *Incolæ Insulæ Zeilan, Patriam suam credunt fuisse Paradysum, unde cujusdam montis culmen, vocant verticem Adami, cujus pedis vestigium ibi dicunt expressum ac ibidem pœnituisse.* Ibidem *ajunt esse arborem mediocrem sed crassam, exigui folii & crispi, pulverei coloris, in cortice cinerei, quæ noctu corruscat, & fugat tenebras.* Sed illud prius merum est commentum, & vana persvasio insulanorum. 88. *In Hispaniola cœterisque insulis Oceaneis sunt Culices diversissimarum specierum in summa copia, qui alicubi apium ferè magnitudinem adæquant.* Ex humenti scilicet calore illo, qui in his insulis prædominatur, ac frequentia locorum palustrium, in tanta multitudine, tantaque magnitudine, creati ac progeniti. 89. *Sed simul contra hanc pestem natura mirabile iisdem dedit remedium.* Nam uti nobis cattos ad fœtidam murium progeniem extirpandam præbuit, ita illis lepidos & multis modis commodos culicum venatores Cujujos appellatos tribuit. Sunt hi alati vermes Vespertilionibus paulò minores, quorum si quis ab incolis captus, ostiolo domûs clauso dimittitur, hic mox præcipiti volatu totum cubiculum circuit quæritando culices, atque singulos angulos, lectosque pensiles, aliasque cubiculi partes, quas implere culices consuevêre, perlustrat ac perpurgat. 90. *Huic animanti provida mater natura, quatuor præstitit lucidissima specula, in oculorum sede duo, in Ilibus sub vagina latentia duo, quæ tunc ostendit quando more Scarabæi, evaginatis tenuibus alis, aërem captat.* Sunt etenim ex genere Noctilucarum, sic & alias noctilucas muscas, & inter sepium densitatem vermes quosdam inertes noctu splendescere videmus. 91. *Hanc tamen facultatem & vim lucendi in locis obscurioribus, ac præsertim noctu, natura auxit in istis animantibus.* Ad volitantes siquidem *Cujujj* per obscurum cubiculi lucernas, incolæ nent, suunt, texunt, choreasque ductant. 92. *Quot enim oculos quisque Cujujus pandit, tot candelarum lumine fruitur hospes.* Legunt etiam ac scribunt nostri ad eam lucem, Hæc enim semper viget in Cujujo donec habeat unde pascatur. 93. *Culicibus verò*

jam expurgatis, aut depulsis, eò famescente, lumen Cujuj deficere incipit. Idcirco incolæ Insularum, ubi langvescere vident ejus lucem, ostiolo aperto dant operam, ut liberetur, & escam sibi quærat. Hæc ex Eusebij Nicuberio, Lib. 13. Historiæ Naturæ. cap. 3. 94. *Addit apud eundem authorem, Anonymus quidam: Viscera tota horum animantium seu vermium volantium luminosa esse, plena scilicet & ebria luce, & cutem ventris diaphanam.* Atque ideò dum volitant, aut dum replicantur alæ, vibrant splendorem. 95. *Ad primam autem noctem prodeunt, & montes ac campos luminibus implent, tanquam si candelæ accenderentur.* Nec enim valde in sublime attolluntur; idem præstant apud nos muscæ Sancti Joannis, quas communiter Hispanicas vocamus, sed longè cum minore splendore, & certo duntaxat eoque exiguo tempore. 96. *Capto uno, plurimi capiuntur.* Convolant siquidem illò, ubi aliquem comprehensum viderint. 97. *Quæcunq; liniuntur humore & viscere eorum, coruscant.* Ob innatam huic lucem ac splendorem. 98. *Hic tamen fulgor diuturnus non est.* Quia nativo illo humore exsiccante, lumen quoque quod eidem inest, necesse est, ut pereat.

§. II.

De Antris, Speluncis, Cavernis, ac voraginibus seu Hiatibus Terræ.

I. R*Eperiuntur Antra, in quibus guttulæ distillant perpetuæ, quæ in Saxeam duriciem transeunt, efformantq; variarum rerum formas, sed præsertim columnarum, adeò quandoq; regularum, ut artificis manu efformatæ & expositæ videantur.* Guttulæ hæ sunt ex liquefactis, per humorem subterraneum, mollioribus partibus Saxi, quæ ubi deciderunt, rursus in lapidis naturam redeunt, sicque indurescunt, quæ cùm semper perpendiculariter, adeòque regulariter, seu potius uniformiter cadant, fit, ut quotidianis incrementis, & in latitudinem, & in longitudinem, ac consequenter quandoque etiam in rotunditatem, liquore æquali mensurâ undequaque semper profluente augeantur, & excrescant. 2. *Sunt è contra Speluncæ, in quibus per similes guttarum lapsus, in durissimis etiam Saxis, ingentes cavitates formantur.* Guttæ hæ non amplius sunt lapidei liquoris, sed puri, adeoque lapidi augmentum non addunt, cavitatem autem inducunt frequenti suâ decidentiâ, juxta illud Poëtæ: Gutta cavat lapidem, non vi, sed sæpè cadendo. 3. *Haud absimile est his, Antrum, cujus mentionem facit Plinius Lib. 31. Cap. 2. in fine. In Speluncis inquit quibusdam, columnæ fiunt ex guttis distillantibus, quæ durescunt in lapides, quæ vel pendent in ipsis Cameris, vel etiam deciderunt: utroq; enim modo columnæ fiunt in Phausia, Chersonesi Rhodiorum, in antro magno etiam discolori aspectu.* Cur & quomodo decidentes guttæ concrescant? data est jam ratio. Quòd autem etiam dentur pendentes in ipsis cameris Columnæ, id provenit, quia antequam decidant, jam indurescunt, non secus ac in summo frigore in ipso casu, & antequam decidant guttæ aquæ, jam in glaciem concrescunt. Discolor verò illa varietas, oritur à vari-

etate

etate diſcolori partium illius Saxi, quem humor ille pertranſit ac permeat. 4. *Antrum eſt in Scotia, in Slanis, diſtillans aquam, quæ in candidiſſimum convertitur lapidem, adeò, ut cujuscunq; rei formam poſſis efformare. Ita Ortelius in Scotia.* Albus hic color, provenit à Saxi, per quem humor ille tranſit qualitate ac colore, qui cùm non ſatis lapideam illam naturam imbibat, aliquamdiù decidentem, illam materiam facit molliorem, ita, ut ea in qualibet figura formari poſſit, ſicque non niſi jam formata indureſcat, lapidisque naturam induat. 5. *In Aquilonaribus Regionibus, in tantam amplitudinem antra defoſſa ſunt, ut per curioſitatem rei ſpectandæ, quinquaginta introrſum Scalis ſe progreſſum, teſtetur Olaus, Lib. 13. Cap. 5.* Induſtriâ humanâ ea ad tantam profunditatem deducta ſunt, lucri amore & pretio Salis, qui eximius ex his fodinis effoditur. 6. *In Metallis Lydiæ juxta Pergamum, locus eſt in quo aliquot foſſores metallorum ore obturato ſuffocati fuêre: poſtea longo tempore interjecto inventa ſunt vaſa, & inſtrumenta, quibus ad manuum uſum utebantur, ac ipſorum quoque cadavera ſimiliter in ſaxa converſa, ut ſcribit Ariſtot. in admirandis, Cap. 50.* Repentina hæc exanimatio foſſorum, tribui debet frigidæ nimium, ac ſimul lapidifactivæ, ac conſequenter vehementer conſtrictivæ antri illius auræ, quæ poros eorundem per Sudorem ex laboribus apertos, ſubingrediendo, vitaliaque penetrando, reliquos meatus ita conſtrinxit, ut reſpirationi, & expirationi nullus ampliùs ſupereſſet locus. Similiter autem & commutatio ſeu converſio eorum, ac reliquarum rerum, eidem humori lapidifactivo adſcribenda eſt. Sic enim & aliæ res, in quas ſimilem vim lapidifactivam habentes, injectæ, paulatim conſummuntur, & in formam lapidis convertuntur. 7. *Antra aliqua ingentis ſunt vaſtitatis. Cujusmodi erat illud in quo David Rex latitabat, cum 400. ferè viris, dum Saulis iram fugeret. Lib. 1. Reg. Cap. 24. Eſt & in Styria Antrum peramplum, & quàm plurimorum hominum capax, propè Gracium, quod vulgò Kobelloch dicitur.* Antra ſimilia efformata ſunt vel ab ipſa natura vel induſtriâ magnâ hominum. 8. *In Comitatu Lyptovienſi, in Hungaria, ſupra Pagum Divi Ioannis, eſt duplex uno in Saxo ſpelunca magnæ vaſtitatis, tantæq; longitudinis, ut ex una parte montis ingentis, ad aliam partem ejusdem penetrare, quis poſſit.* Crediderim olim hîc aurifodinas fuiſſe, ſicque juxta venæ mineralis ductum, labore manuum effoſſas eſſe. Fidem huic conjecturæ faciunt vicinæ auri & argenti Fodinæ. 9. *Eſt & in Æthyopia in Regno Angora, adeò amplum Antrum, ut in illo extet ingens Eccleſia, integrumq; Cœnobitarum Monaſterium, ut ſcribit Franciſcus Alvarez, cap. 25.* 10. *Præcipuum autem ferè toto orbe eſt illud, quod deſcribit Mela Lib. 1. cap. 6. diſtans non procul à Pompejoli Corycus oppido, nomine Conthyus, grandi hiatu patens, & intrinſecus nemora integra, eaq; pulcherrima ac ſpacioſiſſima complectens, rivis præterfluentibus paſſim reſonans, quin & Amnem ingentem continens.* 11. *Scribit etiam Strabo Lib. 14. de eodem, aut vicino eidem Antro, non procul à Salevcia (in quo etiam optimum ait crocum naſci) quod licet introrſus lapidoſum ſit, fructibus tamen ac plantis ſemper virentibus manet ornatum.* Frutices illi ac plantæ ſemper virentes, proveniunt, à temperatè humida & calida aura, ac terrâ illius antri, eadem ratio eſt & Croci, niſi quod ad hujus maturationem conducant quoque radii Solis, per lateralia foramina ejusdem antri

permeantes. 12. *Est Antrum apud Indos, quod describit Ælianus, Hist. Animalium, Lib. 14. Cap. 16. in cujus profundo occultæ cavernæ & recessus, in tanta profunditate sunt demersi, ut ampliùs tria millia animalium, ovium, Caprarum, Equorum, eò agant Indi: Superstitiosèque multa animalia præcipitent in profundum ejus barathrum à quo nunquam datur recessus, neq; unquam videri possunt. Boum tamen mugitus, ovium balatus, Caprarum vox, Equorum hinnitus continuò ex eo exaudiuntur.* Ubertima hæc pascua, similiter debentur temperatè humidæ, & calidæ terræ, ac auræ antri illius, sub quo verisimile est, aliud inferiùs simile esse antrum, exitu omni carens, rivis tamen & pascuis abundans, in quod per barathrum Superioris projecta animalia, recedere ex eo, & redire ampliùs non valentes pascantur & vivant. Hinc eorum balatus, mugitus, & hinnitus. 13. *Miranda quoq; sunt ea, quæ de quodam antro memorat Seneca Lib. 5. Cap. 15. Fuisse in illud demissos quàmplurimos à Philippo Rege, ut explorarent, quænam illius esset constitutio, descendisséque eos cum multo lumine, & multos durâsse dies, deinde longâ viâ fatigatos, vidisse flumina ingentia, & conceptus aquarum inertium vastos, pares nostris, nec compressos quidem terrâ supereminente, sed liberæ laxitatis, non sine horrore visos.* 14. *Sed & Strabo Lib. 6. tradit juxta Mentaurum Siciliæ, esse Antrum, per quod ingens fluvius, diù, longoq; tractu alvo subterraneo percurrens, tandem in apertum campum emergit.* Nam ut idem Seneca Lib. 3. Cap. 16. scribit, Sunt in terra nota nobis minùs jura naturæ, sed non minùs certa, crede infra, quicquid vides supra. Sunt & illic specus vasti, sunt ingentes recessus, ac spatia suspensis hinc & inde montibus laxa, sunt abrupti in infinitum hiatûs, qui sæpè illapsas Urbes receperunt, & ingentem in alto ruinam condidêre. 15. *Sed & aliud scribit esse in Sinu Emperico Mauritaniæ, adeò sub littus excavatum, ut maritimos fluxus & effluxus admittat ad stadia septem.* 16. *De alio quoq; meminit idem Strabo Lib. 13. Ait enim propè Andriam, Antrum esse, quod tanta sit dimensione, ut usq; Palleam perducat, videlicet ad usq; stadia 130. idq; inde patuit, quòd cùm in hiatum lapsus fuisset hircus, repertus à Pastore fuit in altera ejus parte posteriore die.* 17. *Referri quoq; potest inter Antra Meatus ille subterraneus, Nili Fluvii, in quem abditur non longè à lacu Nilide, conditurq; per dies aliquot, ita, ut Specus illa protensa sit ad plura centena passuum millia. deinde non procul à Cæsariensi Mauritania, sese abscondit per dies 20. quæ specus multò adhuc priore, longior efficitur.* 18. *Ganges similiter Fluvius Taurum montem amplissimum, sub cæco Antro subit, atq; in alteram permeat ejus montis partem, quod non nisi millibus passuum certis condi potest, quin etiam alibi rursum emergit, ac nonnisi post passuum millia viginti quinque remeat.* 19. *Pari ratione & Niger in Africa Fluvius Antrum subit, quod latet ad Sexaginta passuum millia.* Author proinde Naturæ, non minùs in subterraneis, quàm in superterraneis rebus est admirandus & adorandus. 20. *Variæ autem sunt Antrorum formæ: Quædam enim latè sunt excavatæ, quædam altissimam continent cavitatem, quædam in longum provecta, quædam in imum profundi demissa, quædam multiplices habent aditus, & recessus.* 21. *Apud Syracusas Antrum est, quod adeò in longa spacia lumine suo porrigitur, ut quantalibet longitudine funes in eo ab artificibus confici possint.* 22. *Est in Carinthia Meatus ex una parte Montis, ad alteram Par-*

partem viatoribus curruli via transitum præbens. Casu, Naturâ, vel etiam Arte necesse est hæc sic reformata fuisse. 23. *Fuere etiam admirandæ Romanorum specus, quarum adhuc sunt complura vestigia, Puteolis & Romæ, miræ longitudinis, infinitorumq; recessuum & latebrarum.* Erant hæ postea Christianorum tempore persecutionis, tuta receptacula, ac Martyrum quoque sepulchra, sunt autem hæ specus labore maximo & industria, ac Sumptibus Romanorum, æternam memoriam sui nominis, apud posteros, per similia opera quærentium, effossa. Sic specum illam, quâ à Puteolis usque Neapolim se extendebat, excavari curavit Lucullus, ut colligitur ex verbis Senecæ Lib.7.Epist.58. Illam verò quæ est ab Averna Lacu usq; Cumas, Coclus Civis itidem Romanus. 24. *Sunt & aliæ specus amplissimæ in Italia, in Lucernia enim est quædam, quam vulgus Basilicam nuncupat, alta pedes 30. lata 60. lacum continens in medio, cui supereminet scopulus, è quô magno fragore fluvius erumpit vehementissimus. Vt testatur Leander.* Origo hujus fluvii est eadem, quæ reliquorum, per meatus subterrraneos erumpentium. 25. *In Hetruria quoque apud Volaterras in Sylva Antrum est, ubi tantus quandoq; Spiritus ventusq; erumpit, ut quæque obvia dejiciat, vel ipsas arbores, ut idem Leander scribit.* Aura scilicet ejusdem Antri, ob dispositionem Naturalem qualitatum, derepente in ventum transeunte: Quamvis vehementia hujus venti adscribi possit etiam violenti rarefactioni auræ in meatibus subterraneis, quæ per hoc Antrum, viam sibi inveniens, erumpit cum tanta vehementia. 26. *Apud Vincentiam Vrbem Antrum est, quod ovali forma defossum, montem ferè omnem sustinet: longitudo illius, ad passuum millia quatuor protenditur, latitudo ad ter millia.* Industriâ id humanâ esse efformatum testantur lapideæ columnæ frequentes, ibidem extantes pondus montis ne suâ mole locum obruat sustentantes. 27. *Est autem adeo pestilens in eodem antro inclusus aër, ut quæq; illata putrescant, vel ipsæ paleæ siccissimæ.* Ob humiditatem scilicet loci, & corruptionem ex tam diuturna conclusione. 28. *Illud est memorabile Antrum, quod Claudius excavavit, ad deducendam Romam aquam à 40. milliaribus, perfosso monte ad lacum Fucinum emittendum.* Scilicet in quo opere 30. millia operariorum desudabant. 29. *Apud Ostrogothos est specus, quæ longo tractu sub imum lacum est excavata. In ipso autem lacu est Insula in quâ aliud antrum visitur, incredibilis & in longum porrectæ profunditatis, ad quod, qui accedunt, repentè suffocari solent.* Nempe ob aëris crassitiem, ac vaporis multitudinem, quâ os, & guttur repentè opplentur, sicque respirationem impediendo, suffocationem induducunt. 30. *Specus est in Aquilonari Regione, ut scribit Olaus Lib. 2. Cap.13. adeò latebrosis recessibus, ac finibus in longitudinem ductis, ut cum in eam maritimi æstûs perpetuis ictibus repercutiant, tantus ex ea erumpat fragor, ut accedentes propiùs, surdescant in horas multas.* Allisio & repercussio fortis fluctuum maritimorum, ad petream concavitatem specûs, excitat Sonum, qui per tot, tamque multiplices anfractus, post multas refractiones, ita intenditur, ut suâ intensione accedentium ad specum, organum sensorium auditûs lædat. Ex quâ læsione Sensorii organi sequitur temporalis illa Surditas. 31. *In Provincia Caizimu novæ Hispaniolæ, adeo ingens Antrum est, ut in eo percurrere exaudiantur maxima flumina, tam magno fremitu,*

mitu, ut ad passuum millia quinque fragor exaudiatur, ut ex aliis refert Majolus. Proximè verò Vrburgum ad fines Moschoviæ, Antrum est subterraneum, in quod si quis feram, aliudvè vivens injecerit, adeò ingentem sonitum fragoremq; emittit, ut adstantes surditate corripiantur, & reliquis quoque sensibus obstupefacti reddantur. Olaus Lib. 1. Cap. 14. Intensio tanti fragoris provenit, ex multiplici refractione, & reflexione Soni excitati, vel per decidentiam fluminum, vel extrinseca comotione auræ. Illud autem quod putetur id fieri in hoc Urbugensi antro, solùm per injectionem alicujus viventis, videtur esse superstitiosum, quandoquidem experientiâ habetur, longè majorem fragorem in eodem antro excitari, si quis bombardam in illius orificium explodat. 32. *Antrum est apud Tartaros in Regione Chitchameri, ex quo hyeme tanta erumpit procella, ut itinerantes maxima patiantur discrimina; Æstate lenius emergit. Ita Nuncij Apostolici Ordin. Prædicat. de rebus Tartaricis, Lib. 1. Cap. 21.* Fit id per Antiperistasin: ut aura hujus Antri in hyeme magìs incalescat, ac consequenter magìs rarefiat, sicque facilius in ventum transmutetur. Hinc major inde erumpit procella, tempore hyemis, quàm æstatis. 33. *In Dalmatiæ ora, specus est vasti hiatûs, in quam dejecto levi pondere, quamvis tranquillo die turbini similis emicat procella, nomen loci tempore Plinij, erat Senta.* Ad superstitionem vanam id puto referendum, vel certè ad commotionem auræ antri levi illo pondere causatam. 34. *Admirabilius est Antrum apud Hieropolim, parvo quidem hiatu, at immensâ profunditate. Ante specum ipsam, jugeri mensurâ locus est, palis septus, perpetuâ effusus caligine, atque tenebris tantis, ut nec solum ipsum videri possit. Eatenus cuique impunè licet accedere, ac si quis intra septa progressus fuerit, mors illi in promptu est, tam homini, quàm reliquis animantibus.* Tanta scilicet est pestiferi spiritûs vis, qui ex antro procedit, ut etiam aves prætervolantes illud, emoriantur. 35. *Apud Puteolos, specus est perexigua, in cujus medium, si quis progrediatur, periculum nullum, at si quis ad extremam partem perrexerit, exanimatur protinus.* Mortifera siquidem illa exhalatio, totam suam vim in extrema parte specûs illius exerit. 36. *Est & juxta Babilonem Antrum, ad quod immissa animalia, omnia protinùs exanimantur.* Erumpit hic pestilens halitus, ex copia accensi bituminis, quod ex vicino eidem bituminoso lacu attrahit. 37. *In Africa in Monte Gvareval; Antrum est hiatu amplissimo, unde perpetuus manat ignis, tantùm habens efficaciæ & fervoris, ut obvia quæque illicò absumat.* Subterraneo nimirum igne, nacto meatu inde tam potenter erumpente. 38. *Scribit quoque Clemens Alexandrinus, Stromatum Lib. 6. Esse in Britania quandam speluncam monti subjectam, ingentis hiatûs in fastigio, in quam cùm ventus inciderit, auditur sonus Cymbalorum numerosè pulsantium.* Non ita accipienda res hæc est, ut veri Cymbalorum Soni audiantur, sed quòd cum è visceribus antri, spiritus, aërque commovetur, is per frequentes minimasque rimulas transiens, exsibilando lenem sonitum edat, velut per organorum Musicorum fistulas. Cùm verò non omnes rimulæ, neque pari amplitudine, neque pari longitudine, neque pari sint rectitudine, sonitus quidam quasi diversorum numerorum efficitur. 39. *In aliquibus speluncis, in longissimum porrectis, Echo tot vicibus reciprocat eundem Sonitum miro quodam modo, quot in iis sunt Sinus.* Echo siquidem nihil

aliud est, quàm reflexio vocis, & soni impingentis. 40. *Ad Antrorum & Speluncarum Rationem, pertinent etiam Hiatus terræ, qualis fuit ille, in quem se Curtius, amore Patriæ conjecit, qui tantæ voraginis erat, ut expleri nulla ratione potuerit, sed nec profunditas illius reperiri. Tradit quoq; Livius Decad. 3. Lib. 10. In Agro Volaterano, terram ingentibus cavernis consedisse, arboribus in profundum haustis, sicque novum terra hiatum effectum fuisse.* Efficiuntur hi hiatus, dum subterranearum cavernarum ac meatuum fornices, aliquo casu subsidunt, ac subruuntur. Illa autem Curtii sui in hiatum præcipitatio, ad superstitionem pertinet. 41. *Inter celebriores Hiatus terræ est is, quò Dathan & Abiron hausti fuêre. Cujusmodi extant apud Historicos & alia complura in pœnam peccatorum statuta à DEo exempla.* Sunt hæc non Naturæ miracula sed DEI. 42. *In Boreali Regione supra Arcticum, tantæ profunditatis sunt aquarum Hiatus ut nec fons, nec fluvius ibi fluat, occultis meatibus aquis omnibus absorptis.* DEus enim non solùm terram, sed & ipsa Maria, ingentibus his abyssis ac hiatibus distingvere voluit. 43. *In Achaja ab Orosio Lib. 3. Cap. 3. duæ Urbes hiatu absorptæ memorantur tempore etiam Claudii Neronis, Coloniæ, magnis hiatibus terra aperta fuit, ignemq; emittebat, qui neq; aquis, neq; humore restingvi poterat, Saxis autem & pannis tantùmmodò opprimebatur. Nicephorus quoq; Historiarum Lib. 12. Cap. 13. scribit, Pompejopolim Ciliciæ, hiatu cum incolis absorptam fuisse.* Sic & *non procul à Cluniaco, Castrum quoddam absorptum est, abiitq; in abyssum, ambitusq; universus ejus, aquâ in summum usq; solum repletus est, lacus perpetuus factus incredibilis profunditatis.* Causa similium eversionum locorum, sunt plerumque terræ motus, vi quorum, vastæ illæ subterraneæ specus, ingentesque recessus ac spatia laxantur, & aperiuntur, sicque integras Urbes etiam, illapsas recipiunt. Porrò ignis ille, qui aquis extingvi non potuit, bituminaceâ constabat materiâ, quæ accensa, suffocatione potiùs sopitur, quàm humectatione. 44. *In Regno Gallaciæ,* Antrum immensum conditur, ut scribit Nierbergius Lib. 1. de Miraculosis Naturis in Europa, Cap. 25. quod nemo hactenus penetravit, nemo finem illius invenit, quidam ausi pervadere, triduò in latebris itinerati sunt, obstitit profundus amnis, ne ulteriùs progrederentur. 45. *Inter miracula mundi censet idem Author, Templum Sancti Petri à Rupibus, quod meritò inter cavernas & antra numerari potest.* Constat id ex uno integro lapide, cum duobus ad latera Sacellis, viginti duos pedes latis Tam profundè excavata est hæc rupes. 46. *Inter Fluvios Sil, atq; Bibey, qui in partem Gallaciæ alluunt, intercedit Mons Larocus, immanem hiatum habens, ubi integra, eaq; ingens rupes secta videtur, à Culmine ad medium usq;, tum in ipsa rupe, itinera satis lata, circumexcisa,* Creditque operâ Romanorum Bruto Duce excavatum ejusmodi Saxum. 47. *Ad radices Montis Oliveti, est Antrum, Christi Oratione, sanguinis sudore, atq; Angeli præsentiâ à Patre æterno ad Filium suum confirmandum missi, percelebre, atq; omnibus Christianis venerabile.* Id figuræ est quasi sphæricæ in rupe excisum, quatuor Columnis seu pilis, ex eadem rupe cæsis suffultum, latum per diametrum pedes circiter triginta. 48. *In Judæa trans Jordanem est spelunca, à Civitate Tiberiade sexdecim milliaribus distans, sita in altissimo cujusdam montis Cretacei latere, cui subjectum erat immane præcipitium. Hæc ab una duntaxat*

taxat

taxat montis parte, accedi poterat, per angustum adeo collem, ut vix pedis haberet latitudinem, atq; homini etiam ab omni onere expedito, absq; periculo iter non praberet, habuitq; intus aquarum fontes. Unde hic locus, eò, quòd naturâ situque commodissimus esset, Christianorum munitissimum, & in expugnabile quoddam præsidium, seu municipium fuit. 49. *Alia ferè similis spelunca, firmissima & inexpugnabilis est ultra Jordanem, in finibus Arabia.* Hanc tamen Milites Templarii, quorum tutelæ ac defensioni commissa erat, Anno Christi 1167. *Sirocono* Christianorum hosti tradiderunt. De quorum proditorum numero postea Jerosolymitanus Rex Amalricus duodecim in crucem egit, ut scribit Tyrius lib. 19. Belli sacri. 50. *Alia est Arbelorum spelunca, quam Bachides per regionem Arbellem Exercitum ducens expugnavit, ad quam magnus numerus Judaorum confugerat.* Eandem postmodum Josephus Historicus, dum Galileæ præesset, contra Romanos præmunivit, ut idem Josephus in vita sua scribit. 51. *Panium Antrum, specus sive spelunca est licet umbrosa, amœnissima tamen, in altissimi Saxosiq; montis qui Panius appellatur, radice sita, unde Dan, fons Jordanis fluvii profluit.* Naturalem hanc Panii pulchritudinem, Herodes Agrippa postmodùm magnificentissimis ædificiis exornaverat. 52. *Ex ea parte, ubi dictus fons Jordanis fluvii promanat: subjecta est in immensum hians terra devexitas, plena aquis stagnantibus, tam inperscrutabilis profunditatis, ut demittentibus aliquid, donec terram inveniant, longitudo nulla sufficiat.* Dantur in rerum natura plures tales Abyssi, quas inter, hæc quoque est numeranda. 53. *Ex hoc autem Antri profundo pracipitio, gravis odor exhalat,* ex putredine scilicet & corruptione stagnanticarum harum aquarum, sicut etenim fluxu aqua depuratur, ita stagnando corrumpitur. 54. *In hoc stagnum superstitiosa Gentilitas quotannis solita fuit victimam aliquam Dæmoni nescio cui projicere, & immolare, qua mirificè dæmonis illius astu & opera. subitò disparebat.* Quô cùm adstantibus persuaderetur hostiam invisibiliter in cœlum esse sublatam, ea res pro ingenti miraculo ubique fuit celebrata. Verùm hæc præstigia diabolica, ibi exerceri solita, postmodum ad preces Sancti Astery cessavêre, & sic Dæmonis astus, & tantorum sæculorum dolus, sublatus est. 55. *Hellanicus Lesbius narrat, Thebis Ægyptiis in Urbe esse specum, in qua, trigesimo quoq; Mensium die nullus ventus sit, reliquis diebus ventosis.* Id si verum est aliquid inscrutabile & observatu difficile habet, sicuti quòd Euripus septimo quoque die non reciprocet. 56. *In Palæstina, quadam rupes ingentem cavitatem habet, qua spelunca Adam dicitur.* Traditum siquidem est, ut testatur Brocardus, Adam & Evam multo tempore, Centum videlicet annis in ea luxisse Abelem filium suum interfectum. 57. *In eadem visuntur lecti eorum Saxei- habentes in longitudine centum pedes.* Hoc quidem commenticium esse videtur, neque enim Protoplastæ nostri, Gyganteæ staturæ erant. 58, *Sed & fons in spelunca dicta scaturit, de quo bibisse creduntur primi Parentes nostri.* Quod fortè vero similiùs est, ante diluvium etenim alius potus præter fontanam non erat in usu. 59. *Quatuor Leucis à Jericho, contra Occidentem videtur quadam caverna profunda Adomin dicta. Atq; eo loci, homo ille, qui de Jerusalem in Jericho tendebat, curatus est à Samaritano, cùm incidisset in Latrones, ab iisq; vulneratus esset.* 60. *Meminisse quoq;* hic

hîc licebit, spelunca quam cum agro & arboribus emit Abraham, à filiis Heth, quadringentis Siclis argenteis, in quâ Abraham & Sara, Isaac & Rebecca, Iacob & Lia, & juxta quorundam traditionem ipse Adam & Eva sunt sepulti. Circa hanc speluncam, ædificaverunt Saraceni munitionem firmissimam, cùm antea fuisset Ecclesia Cathedralis, ut author est Bredembachius. 61. *In Historiis Ecclesiasticis, memorabile sane antrum est illud, in quod profugientes septem sancti dormientes, obturato à Tyrannis ore, centum septuaginta integris annis, integri, illæsi, florentesq; servati sunt.* Quæ res, non nisi inter maxima DEI miracula, ad ostendendam suam omnipotentiam, fideliumque suorum paternam protectionem, & futuræ resurrectionis testificationem, ac confirmationem, referenda est. 62. *Lib. 1. Iosua, Cap. 10. Sacer Textus meminit speluncæ urbis Macedæ, in quâ quinq; Reges Amorrhæorum, metu Israëlitarum confugerant, quos ibi latere ubi innotuisset Iosuæ, jussit sociis ut volverent Saxa ingentia ad os speluncæ, & ponerent viros industrios, qui clausos custodiant, confecto autem prælio, præcepit Iosue dicens: Aperite os speluncæ, & perducite ad me quinq; Reges, qui in ea latitant. Cùmque adducti essent, jussit eosdem interfici, atq; suspendi supra quinque stipites.* Sic eadem antra, quæ prioribus erant in protectionem, impiis fuère in ignominiam. 63. *Eadem sacra pagina meminit 1. Reg. Cap. 24. Antri amplissimi, in quô David unà cum quadringentis fermè viris latebat, dum Saulis iram declinaret in deserto Engaddi, cujus mentionem etiam supra fecimus.* Fuit & hoc in Davidis sanctitatis perpetuum testimonium, ac in Saulis ignominiæ perpetuam memoriam. David siquidem Sauli inimicissimo, quem interficere in antro dicto poterat, pepercit, cùm eundem Saul Rex innocentem quæreret ad mortem. 64. *Neq; prætermittenda est hîc spelunca montis Gargani Sancto Michaëli Archangelo sacra.* Hæc enim miraculo manifestata, & in templi cujusdam similitudinem, conformata, plurimis postea miraculis claruit. 65. *Illa quoq; specus est hîc commemoranda, quam Coccius Civis Romanus, à Puteolis usq; Neapolim curaverat excavari, cujus maxima pars adhuc hodie visitur, ad aliquod stadia perlonga.* 66 *Sed & aliam Strabo Lib. 5. testatur ab eodem Cocceo fuisse excavatam, ab Averno lacu usq; Cumas, Sybillæ antrum vulgus appellat.* Fuère talia admiranda opera ad ostentationem, ac nominis æternitatem à Romanis effecta, sed ecce periit cum sonitu omnis memoria eorum. 67. *Habitatio tamen Sybillæ Cumanæ in eodem specu, auro, minio, ac gemmis ornatissima fuit.* Ast tantis itinerum anfractibus, latebrosisque funibus, ad eam perveniebatur, ut multo labore qui ingressi essent, vix è cœcis illis latebris redire possent. 68. *In Puteolano specu, animantia quæcunq; injecta, sensibus adeò destituuntur, ut à mortuis omninò nihil differant.* Mortifera scilicet exhalatione, destitutionem hanc sensuum causante. 69. *Sed cùm in proximum lacum injecta fuerint reviviscunt omninò.* Verum non à morte, sed & quadam sensuum mortificatione tantùm; sicut videmus Apes & Muscas mortificatas, & quasi enectas per frigus, postmodum adveniente calore reviviscere. 70. *Ast si homo emortuus, ex dicto specu extrahatur, átque in aquam laci illius immergatur, non ampliùs reviviscit.* Quia cùm sit animâ rationali ac Spirituali præditus, ea simul graviolentiâ illâ pestiferâ expellitur. 71. *Imò nec aliis animalibus plenè emortuis* in eo-

in eodem specu, per immersionem in aquas ejusdem laci, succurritur. Ferunt enim Accolæ Carolum VIII. Galliæ Regem, cùm ea loca inviseret, asinum eò loci impelli jussisse, qui statim expiravit, nec per injectionem in vicinum lacum revixit. 72. *Sunt & alibi complures similes, pestiferæ specus, ut Seneca affirmat.* Nam lib. 5. Naturalium Quæstionum Cap. 21. Scribit in hæc verba: In quosdam specus, qui despexêre moriuntur, tam velox malum est, ut transvolantes aves dejiciat, ac talis est aër, talis locus, ex quo læthalis aqua stillat. 73. *Balthazar Diaz, in Epistola sua Malaccâ data, Anno 1556. scribit, in ditione Regis Ternates in India, antra reperiri, ex quibus tantus evaporat igneus spiritus, ut emittat Lapides, nihilò minores, quàm sint quibus ad molendinum utimur, adeoq; horrificum emittere sonum, quantus toto orbe vix comperiri queat.* Vesuvii & Æthnæ montium naturæ æmulantur, hæc antra. 74. *Addit idem author, eâdem Epistolâ, in alia vicina Insula Tilio nuncupata, esse Antra, ex quibus sonus fragorq; non minor emittitur, quàm ab ingentibus bombardis.* Rare-facto scilicet aëre & igne subterraneo, ingentique impetu, ac vi summâ per Saxeas moles erumpente. 75. *Ait insuper tam tetrum fumum ex iis prodire, qui Solis radios caligine tantâ obfuscet, ut videri sol nullâ ratione possit, æquatâ die ipsius noctis tenebris.* Ob tetram bituminosam, ac piceam materiam, quam ignes illi subterranei, pro materia, & pabulo habent. 76. *Pergit narrando, Cineres inde tantos eructari, ut hominibus nec continenti, nec mari liceat vitam ibidem degere.* Durante scilicet hâc eructatione, quæ utique per intervalla annorum solet contingere. 77. *Ait verò per hos cineres, aquas quæ priùs dulces erant, in amaras verti.* Hæc quidem est cinerum natura, si sulphure, & alumine, aliisque mineralibus permisceantur. 78. *Tandem concludit immensis Terrarum spatiis in longum deducta esse hæc antra, eaq; latebrosæ ac sinuosæ prorsusq; vastissimæ esse dimensitatis.* Id quidem liquido ex tantis, tumque exoticis effectibus colligitur. 79. *Insignis quoq; erat spelunca Montis Carmeli, in qua Elias, & Elisæus, & filii Prophetarum habitabant.* Quem locum postea incolebant Fratres Carmelitæ, unde & originem, & nomen habent. 80. *Nonminùs memorabilis est spelunca montis Horeb, in cujus ostio Elias, audiit auram levem, ac tenuem, & subtilem.* Rabbi Salamon apud Liranum existimat hanc speluncam eandem fuisse, in qua olim Moyses inclusus, vidit gloriam DEI. Exodi 33. Et Josephus tradit, eundem locum etiam ante Moysis ætatem, ita antiquis visum sacrum, ut pastores religione quâdam prohiberentur greges eò appellere, quia ibi divinum aliquid esse opinabantur. 81. *Supra dictum est, ad speluncarum rationem, etiam hiatus terræ pertinere.* Nam quid aliud sunt hiatus, quàm subterraneæ præcipitesque specus? 82. *Hujuscemodi hiatus fuit ille, cujus mentionem facit Livius Decad. 3. Lib. 10. In agro (inquit) Volaterano terra ingentibus cavernis consedit, arboresq; in profundum haustæ.* 83. Sed & Decad. 4. Lib. 2. sic inquit: *Terra Velitris trium jugerum spacio cavernâ ingenti desiderat.* Sunt hæc naturæ miracula, sæpè verò DEI mirabilia opera. 84. *Nam ut Greg. Turonensis Lib. in glo. Confess. 63. narrat: Cùm Leo piissimus Imperator, liberatâ à Dæmone filiâ, beneficii Divini memor, Lugdunum aurea donaria plura misisset, & artifex quidam, & cum eo etiam munerum delator conspirâssent, ut eorum loco argentea eximiè deaurata sub-*

substituerent, uterq; exactâ cœnâ, cùm unà in cellula depravando hujusmodi auro operam darent, aperto hiatu terræ, absorptus est. 85. Verùm & Honorii temporibus, ut Nicephorus Lib. 13. cap. 36. scribit: *Cùm Roma ab Alarico capta fuisset, multis locis, terra hiatibus rupta, sepulchrum incolis extemporaneum, spontaneumq; facta est.* 86. *Sub Theodosii quoq; Imperio, cùm Antiochia terræ motu quassata esset, delitescens tellus, vicos complures absorbuit, ut refert idem Nicephorus Lib. 14. Cap. 46.* 87. *Author est Procopius, Justiniano Imperante, Græciam terræ motu ferè universam concussam fuisse, perpetuosq; inde hiatus apparuisse, quos ad sua usq; tempora perdurâsse scribit citatus Nicephorus. Lib. 17 Cap. 13.* 88. *Vesuvius Campaniæ Mons, in summo vertice voraginem, ac hiatum, tam immensum habet, ut is nullo ingenio, nullâq; arte scrutabilis sit, amplissimoq; cratere patet.* 89. *Amplissimus quoq; est ille hiatus, unde Æthnæ ignes evomuntur, habens craterem patentem, ambitu bis mille passuum, & eò amplius.* Hiatus hi, facti sunt per frequentia illa, atque horribilia incendia, ac eructationes tot Saxorum, atque copiosissimorum pumicum, ac cinerum, quibus per tot sæcula dicti montes laborârunt. 90. *In Hybernia celebratissimum est Antrum, in quo multa admiranda priscis temporibus contigerunt, & nunc etiam frequenter contingunt, quod vulgò Purgatorium Sancti Patricii nuncupatur.* Nam cùm Sanctus Patricius Hybernis Evangelium prædicaret, & nec per miracula, nec per comminationem pœnarum, futuræ vitæ, ac per cœlestium gaudiorum promissionem, posset eos convertere, DEus per ipsius preces, locum illi indicavit, mirabili hiatu ac profunditate inscrutabili, per quem ad Purgatorium descenditur. Duxit igitur Sanctus Patricius eo complures secum, qui redeuntes admiranda de pœnarum acerbitatibus à se visis tradiderunt, ipsique fidem Christianam amplexi sunt, cœterosque ad eam amplectendam induxerunt.

§. III.

De admirandis Montium.

Antequam ad admiranda Montium veniamus.

QUæri potest 1. Utrùm montes fuerint ante diluvium? Resp. Non deesse qui putent, terram undique, & undique planâ fuisse superficie ante diluvium; omnesque montes per diluvium esse effectos. Certior tamen, & verior, ac Scripturæ Sacræ conformior sententia tenet, terram etiam ante diluvium, montibus fuisse exasperatam. Testatur siquidem Scriptura, aquam diluvii, quæ terram operuerat, quindecim cubitis altiorem fuisse supra montes, Arcámque Noë requievisse supra montes Armeniæ. Signum ergo est, ante diluvium etiam, montes extitisse.

Quæri potest 2. Utrùm terra à DEO cum montibus, an sine montibus fuerit creata? Resp. Terram initio suæ creationis, ut aquis circumfusam, ita & perfecte globosam fuisse, id enim ejus natura poscebat.

Quæri potest 3. Quando igitur, & quâ vi montes geniti fuerunt? Resp. Cum San-

Sancto Damasceno Lib. 2. de Fide orthodoxa, Cap. 9. & 10. *Montes* qui primi in terra constiterunt, fuisse à DEO effectos, tertiâ creationis mundi die, quâ DEus aquas in imum congregavit, & terræ cavernis inclusit, ita ut montes illi nihil aliud fuerint, quàm terra ex ejusmodi cavernis supra faciem terræ aggesta.

Quæri potest 4. Utrùm montes statim initio suæ productionis, saxei fuerint? Resp. Montes in instanti quidem suæ productionis ex solo limo, & terra extitisse, statim tamen postea, per virtutem lapidifactivam terræ inditam in saxa coaluisse.

Ratio primi est. Quia materia Montium illorum, non fuit alia quàm limus, & terra pro meatu maris, ac fluviorum receptaculisque aquarum à DEO eruta. Ratio autem secundi est. Quia nisi limus ille in saxeam molem statim coaluisset, aggestio hæc terræ ob suam mollitiem iterum dissoluta fuisset, imò totus terraqueus globus, dissipari & disturbari debuisset, nec potuisset operationes suas commodè exercere sicut nunc, quando concatenationibus montium saxosorum, undique constringitur, & consolidatur.

Quæri potest 5. Utrùm montes successu temporis crescant aut decrescant? Resp. Certùm esse per vehementes terræ motus, integros montes absorptos, & alios novos exortos fuisse, quod etiam vi & impetu aquarum, nonnunquam accidere consvevit, quæ vel integros montes subruunt, vel per aggestionem, terram, limum, & arenam, in altos cumulos attollunt, sicque novos montes generant, cacumina item montium pluviis, nive, grandine, ac gelu longævo, ignibus item subterraneis, variisque aëris injuriis exedi, consummique, & vice versâ plana, vallesque ex defluente terra, limo & arenâ, aliisque his similibus attolli, sicque velut in montem exurgere, nullum est dubium.

Quæri potest 6. Quanta sit altitudo Montium? Resp. Putant aliqui montium altitudinem maximam, tantam esse, quanta est maxima profunditas maris. Contrarium tamen sentiendum est, Constat enim Geometrico ratiocinio, aliquos montes longè superare unius milliaris germanici altitudinem in linea perpendiculari, quæ maximæ profunditati maris alias tribuitur.

Quæri potest 7. Quinam montes omnium altissimi? Resp. Maximum Orbis terræ montem esse Caucasum, qui 12. milliaria Germanica in Altitudine habet. Hunc sequitur Cassius 7. Athos, 5. Riphæorum, abyssus 6. Atlas & montes Lunæ, 4. milliaria in altitudine continentes.

Quæri potest 8. Unde fiat quòd aliqui montes perpetuò ardeant? Resp. I. Complures tales montes ignivomos in diversis partibus orbis reperiri, & in Europa quidem famosissimi sunt: Æthna in Sicilia, Vesuvius in Campania, mons Hecla, in Islandia, & alibi alii, quorum aliqui in eminentioribus duntaxat terræ partibus ardent; alii verò in profundo, quidam perpetuò, quidam per intervalla, plerique non nihil ad tempus remittunt, propter fomitis inopiam, deinde resumptis viribus, efferveseunt, ac cineres, arenam, sulphur, pumices, saxa ingentis magnitudinis, aliaque hujusmodi, non sinè magno detrimento Regionum, & ruina ædificiorum, integrarumque Civitatum subversione ejiciunt, etiam ad longissima spatia, subinde fluvios igneos profundunt, agros, vineas, hortos, & quicquid est obvium devastan-

tes:

tes: Quæritur jam, quodnam horum ignium sit pabulum, constat siquidem ignem sine pabulo esse non posse. Resp. 2. Igitur materiam ordinariam horum, esse bitumen & sulphur, quod inde etiam convincitur, quòd loca quæ istiusmodi incendiis flagrant, bituminosa & sulphurea esse deprehendantur. Non esse tamen negandum, unà cum sulphure, & bitumine ardere etiam saxa, carbones fossiles, alumen, nitrum, & reliqua his similia.

Quæri potest ultimò. Unde nam accendantur hi ignes? Resp. Non esse probabilem sententiam illorum, qui putant hos ignes accendi à Sole, & stellis, vel à fulmine & fulguribus, accenduntur ergo ab ipso igne subterraneo, aditum sibi ad eorum materiam, per abditos meatus rupium quas urit faciendo; vel certè, ab exhalatione spirituum cavernis subterraneis inclusorum, qui spiritus dein ob locorum angustias compelluntur, atque sic per Antiperistasim, vel per ipsam attritionem & continuam allisionem, hac, illac, exitum quærentes, accenduntur. fovent hos ignes venti subterranei, quivè causantur à marinis fluctibus, per continuam agitationem maris, non secùs ac ignis noster flatu follium augetur, & accrescit.

Sed jam ad admiranda Montium accedamus.

1. *In pluribus orbis locis, perpetuæ sunt in montium cacuminibus nives, quæ nullo æstu liquari penitus possunt.* Excedunt hi montes primam aëris regionem, verticibusque suis secundam occupant, quæ est officina (utpotè excessivè frigida) nivium. 2. *Sed illud magis est mirandum, quòd Ætna mons, esto sit ignivomus, in cacuminis tamen sui certis partibus, perpetuas habeat nives, quæ neq; favillis igneis, ex eodem monte erumpentibus solvantur, quin imò ipsis permixta maneant incorruptæ.* Ignis siquidem hic bituminaceæ inhæret materiæ, quæ humiditati nivis facilè resistit. 3. *Tradit quoq; Olaus Magnus, Lib. 2. Cap. 4. In quibusdam montibus, æstivo etiam Solstitio nives durare, navigantium summum commodum, ita, ut Pontico in mari navigantibus, errantibusq;, sint duces itineris.* Non valente scilicet æstu Solstitii æstivalis copiam nivium, septemtrionaleque ac Secundæ Regionis aëris nimium frigus, superare. 4. *Verùm in horum ipsorum montium radicibus, antra sunt nimium in modum latebrosa, ex iisq; tantus exhalantium ventorum erumpit fragor, ut volentes ad illos accedere, aut repentino metu interimantur, aut plurimos in dies obstupefacti, præ capitis dolore, sensuum vigore destituantur.* Venti hi causantur ab exhalationibus subterraneis, quibus locus ille abundat, vehementia autem frigoris provenit à vehementi allisione earundem, in anfractus ejusdem antri. 5. *Aliqui montes ignivomi nunquam ardere desinunt.* Quia nimirum nunquam desinit ignium istorum in iis pabulum, incendia enim hæc adurunt montes, & materiam combustibilem, eamque in cineres convertunt, ex quibus cineribus aquæ, & pluviis mixtis, nascuntur rursus novæ glebæ, idque repetitis vicibus, sicque fiunt perennè pabulum ignium subterraneorum. 6. *Aliqui è contra ex illis, non nihil ad tempus ardere remittunt.* Propter fomitis scilicet inopiam. 7. *Montes Dostrinij in Svecia, tantam, aliquandò etiam tempore æstivo, ex perpetuis nivibus habent copiam, ut cùm à Summo vertice avicula particulam saltèm aliquam nivis, loco moverit, eaq; deorsum præceps semper rotata, in pilæ modum descendat, usq; ad imum montis, augeatur in adeò grandem mo-*

lem, ut domos, turres, vicosq́; suo pondere opprimat. *Idq́; evenisse tradit Olaus Lib. 3. Cap. 13.* Non est adeò admirandum, septemtrionali cœlo tantam esse nivium copiam. 8. *Sed illud magis mirum, quod in Africa non longè à torrida zona, inveniantur aliqui montes nivibus cooperti, perpetuis anni temporibus.* Ut scribit Jovius Lib. 18. Montes hi sunt Partes Caucasi, & Atlantis altissimorum montium frigidissimam Regionem aëris occupantium: Multa autem sunt, quæ zonæ torridæ æstum, aliàs insuperabilem, attemperant, Regionesque, ac loca sub illo sita infrigidant, ut ex alibi dictis constat. 9. *In Calabriæ maritima parte, extat mons, qui totus est ferreus, ut author est Plinius lib. 34. Cap. 4.* Id ita intelligendum est, quòd totus ex ferro excoquendo apta materia constet. 10. *Apud Camarines Anno 1628. Mons ingens, immani hiatu medius apparuit.* Ob vastitatem aquarum, quarum amplitudinem amplius in suis Hydrophilaciis, continere non potuit. 11. *Admirabiles quoque effectus sunt Montis Cœsiorum, is enim æstivis mensibus, certis horis, nempe quatuor ante meridiem, & totidem post, gratiosissimos expirat ventos, quibus peractis ventorum flatus sensim flaccescentes deficiunt, nocturno verò tempore, vix ullum venti apparet vestigium: ita quidem, ut pro æstûs diurni majori, vel minori vehementia, jam plus, jam minùs sentiatur spirituum inclusorum agitatio. & sufflatio.* *Hybernis verò Mensibus oppositos æstivis sortiuntur effectus, ejusdem spiracula. Kircherus in mundo subterraneo fol. 116.* Nulla alia horum effectuum est causa, quàm rarefactio & condensatio aëris in meatibus hujus montis inclusis. 12. *Montes nonnulli nubibus, & vaporibus tecti, pluviarum sunt prodromi.* Hujus alia ratio non est, quàm copia vaporũ, qui mox ac per montium rimas expirant ad circum ambientis aëris frigidi contactum in nubes condensati consistunt, atque postea à calore Solis resoluti, in pluvias convertuntur. 13. *Olympus Mons tantæ altitudinis dicitur, ut in ejus cacumine nec ventus sentiatur, nec nubes se colligant, nec pluviæ ullæ decidant unquam, cujus rei argumentum est, quòd literæ inscriptæ pulveri in ejus cacumine, etiam post annum inveniantur integræ, quod fieri non posset, si ventum aut pluviam locus ille pateretur.* *Sed nec ulla avis eodem in loco visitur.* Nempe quia excedit sua altitudine totum istum humidum aërem, quare, & qui eum conscendunt spongias humectatas naribus applicant, unde crassiorem, & consuetum spiritum ducant. 14. *In summo Montis Athos, oppidum Acrotho erat, in quo dimidio longior, quàm in aliis terris, Incolentium ætas protrahebatur.* Ob depurationem scilicet ac salubritatem auræ, regionis illius aëris, quam attingebat. 15. Casius, ut Solinus tradit, Cap. 37. *In Seleucia mons est Antiochiæ proximus, cujus è vertice, vigiliâ adhuc quartâ, conspicitur globus solis orientis.* Ex altioribus enim, ac eminentioribus locis, linea visualis, profundiorem radit Horizontis marginem. 16. *Aliqui Montes Norvegiæ, teste Olao Lib. 2. tantæ sunt altitudinis, ut breviore temporis intervallo, in verticem illorum non liceat ascendere, quàm toto quatriduo, sed neq́; descendere breviore.* Accidit id, ex verticosis itineribus ac finibus, unde altitudo eorum perpendicularis, exinde dignosci non potest. 17. *In felici Arabia, est mons editus, ad septem passuum millia, adeò angusto calle, ut vix duo valeant unà proficisci: in cujus tamen summo vertice, ampla Urbs extat, plano campo sita, tantaq́; est loci fertilitatas, quo ad omnia victui necessaria, ut Urbi sufficiat.*

at. 18. *Quare, in Regno Balaxino Persidis montes adeò in altum exurgunt, ut unica die conscendi non possint, attamen in summo, campestria adeò plana sunt, ut amœnitatem quamlibet superent herbis virentibus, fructiferisq; arboribus redundent, scatentibus quàquà versùs purissimis fontibus.* 19. *Sed & mons Pelone cùm altissimus sit, summo vertice amænus est, agroq; adeò fœcundo, & lato, ut planities campusq; sit tantus, ut quinq; Vrbium sit sedes.* Non enim omnes montes cuspidantur in cacumina, extenduntur vertices nonnullorum etiam in planitiem, cujusmodi passim montes sunt in styria, reliquisque Regionibus montosis. 20. *Carpathus mons in Hungaria, plura continet in se memorabilia: nam imprimis altitudine concertat, eum altissimis quibusvè montibus, non tantùm Europæ, sed totius etiam Orbis. Secundo perennibus nivibus cooperitur, ita, ut omni ex parte nunquam æstivis caloribus solvantur. Tertiò: Complures eosq; insignes in se habet lacus, Qartò: Copiosos emittit fluvios trifariam divisos, nempe, in Hungariam superiorem, Hungariam inferiorem, & Poloniam. Quintò:* Abundat *mineris, cujus rei testimonium est, sæpiùs repertæ sponte ex rimis petrarum enascentes auri virgulæ. Sextò: Est ferax preciosorum lapidum, ut sunt magnes, nativa Crystallus, quin & Adamas.* Non una conjectura est, sub hoc monte latere ingens aliquod Hydrophylacium, suaque altitudine illum superare secundam ferè Regionem aëris, hinc perennes illæ nives, non in cacumine, sed lateribus montis visuntur: variorumque insuper metallorum venis copiosè esse instructum. 21. *Est mons in Æthiopia, cui Malvæ nomen, quasi ferro undiq; præcisus, nullis herbis aut frondibus virescens, altitudinis summæ: & quod admirabile est, latitudo verticis illius tanta est, quanta est in ipsis montis radicibus. Ita ut ingens Turris uno Saxo extructa esse videatur.* 22. *In ejusdem Æthiopiæ Provincia, nomine Temei dicta, sunt Montes Pyramidum instar recti, altissimiq; ut nubes excedant, ordine eodem quasi arbores consitæ, vel turres exædificatæ, collocati, quorum radices parvum ambiguum complectuntur, ut nescias an natura, an ars, adeò altos, adeoq; exiles montes effecerit.* Montium horum & prioris efformationem labori, vel arti ac iudustriæ humanæ adscribere non est rationabile. Natura igitur in his, uti & in aliis plurimis rebus, artem humanam adæquat, si non superat. 23. *In Regno Ægypti, Fatigar mons est excelsus, in cujus vertice vallis quædam est, quam, quicunq; hominum ingreditur, quarta ad summum die, febri extinguitur. Ita* Alvarez *Rerum Æthiopicarum Cap. 118.* Contingit id, ex infecto halitu, lethalium spirituum, quam vallis illa exhalat. 24. *In eodem tamen monte quadrupedes, ac reliqua animantia vivunt.* Quia non omnis halitus, qui nocivus est homini, nocivus est etiam reliquis animantibus. Deinde non omnes illius montis partes sunt adeò auræ corruptæ, sed sola illa vallis. 25. *Felicior isto, est Mons Timolo, nam in illius cacumine, quod vocatur Temsin, 150. annis vivunt homines communitèr, ut author est Ælianus, & commemorat Plinius Lib. 7 Cap. 48.* Accidit id ob depurati aëris haustum: inde enim humorum in homine, & elementorum æqualitas, levitas, ac Salubritas contrahitur, unde longævitas consequitur. 26. *Varia quæ referunt de Montibus ignivomis, ex descriptione unius montis Ætnæ, patent facilè. Primò; Igitur mons hic habet in vertice amplissimam simul ac profundissimam voraginem.* Subsistente nimirum materiâ

teriâ montis ab igne consumptâ, & per portentosas ejaculationes, ac eructationes dissipatâ. *Secundò, Hæc ipsa vorago adeò profunda est, ut ipsum visum fugiat, videturq; esse figuræ Pyramidis, seu conicæ.* Descendit siquidem ad ipsum fundum montis, non est autem re ipsa conicæ figuræ, sed ob nimiam distantiam, latera illius in centro coire videntur, ob rationem petendam ex legibus Opticæ. *Tertiò: Fumat perpetuò, non tamen semper ignem eructat.* Quia extima illa materia, non semper est flammæ concipiendæ apta, quæ dum continuò per interiorem ignem ad id disponitur, fumum locò flammæ excitat. *Quartò: Sonitus, fragoresq; perpetuos edit.* Ob saxorum in interioribus montis locis, fissionem ac rupturas, violentiâ ignium subterraneorum. *Quintò: Ignium eruptiones, non per solum verticem, sed ex lateribus etiam visuntur prodire.* Igne sibi ex omni parte meatus etiam laterales exitum quærente. *Sextò: Sæviente æstu, acrabie montis, ætneus hic ignis, ingentis vastitatis cavernas efficit, ita, ut unâ earum observatâ, sit 30. millium hominum exercitûs facilè esse capax.* Extendendo scilicet ac extrudendo earum materiam partium montis, quæ minùs quàm aliæ resistere violentiæ illius valent. *Septimò: Ex hisce cavernis, tempore incendiorum montis, ignea flumina subinde ad 18. millia passuum longitudinis, & ad trium vel etiam quatuor millia passuum latitudinis spacium, constat confluxisse.* Materia horum fluminum igneorum erat sulphur, sal, nitrum, bitumen, pumices, ac lapides, reliquaque his similia, in unam massam vi ignium liquefacta. *Octavò: Non semel incenso hôc monte, mare vicinum efferbuit, in tantùm, ut naves adusto vapore dissolveret, pisciumq; vim maximam, eosdem excoquendo, exanimaret.* Accidit id, partim per fluminum horum ignitorum in mare influentiam, partim accensâ materiâ, in meatibus sub ipso fundo maris. *Nonò: Evenit quandoq; ut hos pisces marinos nimio æstu enecatos avidiùs epulas appetentes, contaminatione ventris consumpti sint, ita ut nova pestilentia inde oriretur.* Penetraverant siquidem hos pisces spiritus nocivorum, & nimis potentium mineralium. cujusmodi ex. gr. est bitumen, Sulphur, ac crudum antimonium. 27. *Non desunt etiam Novo Orbi Similes montes igniti. Nam ut Ferdinandus Crotesius in 2. & 3. Relatione scribit, Ad novæ Hispaniæ Vrbem, cui nomen Churultecal, sublimis mons est, cujus verticem summum, diu, noctuq; fumus occupat, globi sphæræq; rotunditatem servans, nullisq; ventorum flatibus dispergitur, ascendens usq; ad nubium altitudinem, celerrimèq; in celsissimam sublimitatem fertur, non aliter atq; sagitta.* Haud dubiè igitur, perpetuus ignis in hujus visceribus est, qui fumum illum emittit, tametsi ignis ab hiatu non erumpat. 28. *Sed & juxta Temistitam* Mexicum primariam Urbem Peruaci, mons est, in cujus *verticem leni tamen ascensu quatuor leucis ascenditur: Hiatus seu crater ibi est, qui passus mille patet, ex eo quotidie geminatis vicibus, ac noctis, vehemens erumpit fumus, quem nec ventorum vis ulla valeat dissipare, quin globo servato, in nubes usq; ascendit.* Et hunc proinde fumum ab igne latente promanare, non est ambigendum. 29. *Eodem Orbe novo, circa provinciam Ciapotulan in Mexici Regni ditione, mons est eructans saxa, tantæ amplitudinis, quantæ sunt plaustra onusta: quæ ubi eructata sunt ardent adeò, ut universus mons flagrare videatur. Ita Petrus Alvarez.* Vehemementiâ nimiâ ignis saxis ipsis ruptis, ac omni

mni

mni ex parte accensis. 30. *In Provincia Quathutemallam ejusdem novi Orbis, duo sunt invicem montes duas ad leucas proximi, ex utroq; ignis manat, & quod est commemoratione dignum, cùm eructatur ignis, tremunt uterq;. Petrus Hisp. par. 5. Cap. 23.* Provenit hic tremor à vehementi impetu ignis eructantis. 31. *Omissis jam ignivomis ac horrendis his montibus, ad eos, qui aliquid amænitatis, utilitatisq;, ac admirabilitatis naturæ habent, transeamus. Inter quos occurrit Mons Chindaculle. Jacet is penes lacum Vener in Ostrogotthorum ditione, in tantamq; surgit altitudinem, ut ad 40. millia passuum conspiciatur, ejus porro vertex, adeò amænus est arborum fructiferarum ordinibus egregiis consitus, ut præter id, quòd omnium fructuum, olerum, quoq; genera ibidem sapidissima nascantur spontè, absq; hominum cultura, etiam avium concentus audiantur, ut quasi Paradisus quidam censeatur. Olaus Lib. 2. Cap. 20.* 32. *Has ob res, commemorandus est etiam Mons alter, de quo Strabo Lib. 11. In Bactriana Sisimitra, Saxeus mons est, qui erigitur in altitudinem, stadiorum quindecim. Ambitus verò ejus est ad 80. In ipso ejus vertice amænus campus patet, frugifer adeò, ut captus dulcedine loci Alexander, sit ibi splendidè Regio more epulatus, ductâ in Uxorem Rossianâ Offiartis filiâ.* Montes hi, cùm in vertice sint plani non sterilescunt, ut alij in cacumen desinentes, per continuas alluviones pluviarum, præterquam quòd rore cœli irrorentur frequentissimè. 33. *Sed & Mons Thabor Judææ, ipsâ Scripturâ teste excelsus simul, ac peramœnus est, in quo Salvatoris nostri, summa Majestatis gloria splendidissimè illuxit.* Et utinam Sanctum hunc Montem, nobis Christianis adire, Sacraque Christi vestigia, in eodem liceret venerari, (sicut olim cum suis Hungaris reliquoque Exercitu Christiano, fecit Andreas Hierosolymitanus, Hungariæ Rex, in quo & nonnullarum Familiarum Hungariæ, quas inter etiam est Illustrissima ac Excellentissima Familia Esterhasiana, libertates ac Privilegia confirmavit.) pro recuperatione Terræ Sanctæ fortiter contra Saracenos bellando. Sed proh dolor! Impia Hæresis in aliquibus nostris Hungaris jam hoc effecit, ut arma quæ majores nostri vertebant, pro recuperatione Terræ Sanctæ, illi ea in Patriæ convertant ruinam ac interitum. 34. *Sunt & Montes nativi Salis, ut in Indiis Oromenus, in Arabia verò prope Carrhis tantæ duriciei, ut incolæ ejusdem massis ac frustis, loco lapidum in extruendis muris, ac domibus utantur. Ut scribit Isidorus Lib. 6. Cap. 2. Sed & in Polonia extant excelsi montes, Salis lapidibus constantes præsertim in Veliczka. Hos autem superant montes Salis in Hungaria, ad fines Transylvaniæ, in quibus candidissimus & præstantissimus sal, non secus ac in fodinis Lapicidarum copiosissimè ceditur.* 35. *In Hispaniæ Alpibus, circa Iberum, est Mons ex Sale mero. cui quantùm demas, tantundem iterum successu temporis, de novo Sale accrescit; quod & aliis Salifodinis usuvenit, ut fodinæ ex quibus semel erutus fuit Sal, novo iterum Sale repleantur.* Fit id per halitus Salinos, ex intimis terræ visceribus continuò expirantes, qui ubicunque corpus consimile, & Homogeneum reperiunt, ibi in corpuscula, frigore condensantur, moxque Magnetica quadam actione uniuntur, unde semper novum incrementum Salis emergit. 36. *Montibus Salis, accedunt Montes Magnetici, cujusmodi est in Calabria, de quo Plinius Lib. 34. in quo quidem non nascitur verus ille Magnes, caute continuâ, sed sparsa bubbatione, quæ tamen ferri aciem*

inficit ut Magnes. Sparsa hæc bubbatio (ut ejusdem Plinii verbis utamur) nihil aliud est, quàm flores ipsius Magnetis, qui eandem vim habent, ac ipse Magnes. 37. *Referunt nonnulli Naucleri, in Ima India esse maritimas Cautes Magneticas, quæ medio cursu navigia, si quid sit in eis ferri, vel clavus unus, sistant, detineant, attrahant. Idcirco, qui illac sunt prænavigaturi, pelles Navium ligneis clavis solent compingere.* 38. *His addunt alij, Montes esse circa Caspios, quibus ea vis est, ut quicquid ferri accedat, ad se trahant, Sagittas, atq; alia ejusmodi instrumenta.* Si de veritate harum Relationum constat, ea vis in naturalem virtutem Magnetis, ferrum ad se attrahentis, refundi debet. 39. *Illud etiam est mirabiliùs, quod habet Plinius lib. 2. Cap. 96. Scribit enim juxta flumen Indum, duos oppositos sibi esse Montes; atq; ex his, alteri esse virtutem Magneticam, ut ferrum omne retineat, alteri è contra, ut illud respuat.* Id si ita est, oportet hos montes sibi esse diversis polis oppositos, nam & idem Magnes, uno Polo ferrum attrahit, altero verò opposito, illud idem repellit. 40. *Non minùs etiam mirandum esse videtur, nonnullos Montes picem fluere fontis modo.* Id tamen minùs mirum, nam sicut alii montes aliis mineralibus, ita aliqui piceâ abundant, materiâ. 41. *Testantur Historiæ, Montes sæpiùs sponte dehiscere. Sic anno 1230. Mons ingens in Burgundia à proximo alio monte dehiscens, vallesq; proximas coarctans, multa agricolarum millia oppressit. Similiter anno 1457. apud lacum Bonacum, non procul à Salodio, integer Mons, magnum in modum se aperiens, ad imum dehiscere visus est. Memorat quoq; Seneca, Ossam Montem prius Olympo cohæsisse, ac deinde recessisse ab eodem, & sic scissam unius montis magnitudinem in duas partes, duas montes effecisse.* Acciderunt hæc, per ingentem terræ motum, quô apertis hiatibus terræ, vi vastæ molis montes absorpti, aut subruti sunt. 42. *Montes Pervaci, adeò in longum porriguntur, ut in eis via quædam extructa comperiatur, calce ac lapidibus strata, lata pedes viginti septem, exciso marmore, podiis hinc inde extructis, in longum ad bis mille, & ultra milliaria Italica.* Opus hoc est humanæ industriæ, quod & Pyramides Ægyptias, & quælibet Romanorum ædificia superat. 43. *Illud magis mirum, in jugis montium naves profundè defossas compertas fuisse. Anno enim 1460. effosso monte, qui à mari distabat cubitis centum, terrâ plurimâ monte excavatâ, comperta est navis humore propemodum absumpta, cum instrumentis omnibus ferreis, & cum 40. hominum cadaveribus, ossibus exsiccatis.* Id certè contingere potuit, ex ingentium maritimorum fluctuum tumore, quô navis in proximos colles fuit projecta fluxu, reflexu verò non rediit. Nam & Hilarionis tempore, apud Epidaurum, naves è præruptis montium cacuminibus pependisse, testatur Hieronymus in ejus vita; potuit etiam navis extra mare in littore, jacuisse, atque in eam vi terræ motûs, evomitione cinerum ac pumicum, tantam copiam emissam esse, ut montis ferè modo, eam oppresserit. 44. *In monte Carina Cretæ Insulæ, nulla musca visitur, sed neq; mel ibi natum, alibi muscæ attingunt.* Ob flores arborum montis illius, quarum virtus, & qualitates muscis inimicæ sunt, sic & certorum fungorum succo muscæ enecantur. 45. *Mons Cariæ Caternus Scorpiones habet, qui indigenas perimunt, hospites non lædunt, teste Bocatio.* Quia cum indigenarum humore & complexione majorem Sympatiam, quâm cum advenarum, venenum eorum habet. 46. *Memorant*

randus est hic etiam Olysippo, Hispaniæ Mons, apud quem, Equæ Favonio flante prægnantes redduntur. Quod quidem rectiùs ad fabulas refertur. 47. *Est in Britannia Mons nomine Maul, in suis radicibus lacum habens, cujus aquæ, adeò animalia fessa restaurant, ut nullo videantur attrita labore.* Ob præstantes qualitates radicum, venarumque, quas aquæ lacus illius permeant. 48. *Sanctitate major, quàm Naturâ nobilis, meritò censendus est Mons Oreb, & Horeb, Choreb, dicitur, & communiter mons Sanctus nominatur.* Mons hic jugum est Montis Sinai. Atque inde uno nomine Mons DEI appellatur, & Scriptum est legem datam, nunc in Sinai, nunc in Oreb. 49. *Quidam verò existimant, Orientalem istius partem dici Sinai, occidentalem Oreb.* Sanctus Hieronymus tamen scribit: Quòd duplici nomine idem Mons, nunc Sina, nunc Horeb ferè Oreb vocetur: communior autem Sententia est, montes illos inter se distinctos esse, sed radicitùs cohærere: esse etiam Oreb multò inferiorem, altitudine Montis Sinai. 50. *Est autem ferax optimarum herbarum, adeòque pascuis valde commodus.* Atque in hujus Montis pede, DEUS apparuit Moysi, oves Jethro Soceri pascenti, in rubo ardente, sed rubi frutice, ramis, frondibus & floribus incombustis. 51. *Hujus montis petra, virgâ Moysis percussa effudit sitienti populo flumen aquarum.* 52. *In Oreb Montis cacumine, orante Moyse elevatis manibus, Josue debellavit Amalecitas, inque hujus spelunca, ut supra diximus, stans Elias vidit DEUM, in Sibilo auræ tenuis:* Omnia hæc sunt insignia Sacri istius Montis, eximiæ Sanctitatis argumenta. 53. *Arbuscularum formis insigniti sunt lapides Montis Oreb.* Creditur esse Mysterium hujus loci, quô DEUS Moysi in flamma ignis, de medio rubi ardentis apparuit. Ita Eusebius Nierbergius Libro de miraculosis Naturæ Terræ promissæ, Cap. 109. ex quo & priora de Monte hoc sunt desumpta, ex Cap. 108 ejusdem libri. 54. Addit idem author, specialia quædam de monte Sinai, ibidem Cap. 107. Nempe Montem esse rotundum, omniumque Montium in ea Regione celsissimum, & ascensu difficillimum. Unde olim erat inaccessus, postmodum continebat in altitudine septem millia graduum, demptis locis, in quibus rectis passibus, ascendebatur, & non per gradus. 55. *In hujus Montis vertice, die quinquagesimo egressionis Israël de Ægypto, DEUS terribili igne & Sonitu legem suam promulgavit Israëlitis, eamque suo digito duabus tabulis lapideis inscriptam dedit Moysi.* Verùm has tabulas ob vitulum aureum ab Israëlitis, in absentia Moysis adoratum, Moyses ad radicem Montis confregit. 56. *Atque rursus Moyses conscendens eundem montem, vidit gloriam DEI transeuntem, & novas tabulas Decalogi scriptas à DEO accepit.* Quæ postmodum repositæ sunt in Arca Fœderis, ac sæculis multis in eadem conservatæ. 57. *In hujus montis sumitate, postea Corpus Sanctæ Catharinæ, ex Alexandria Ægypti, ab Angelis delatum & sepultum est.* Ex cujus dein Virginis membris, unda Olei Salubris profluxit. 58. *Ad radices hujus Montis, fundatum fuerat Monastrerium sanctæ Catharinæ florentissimum, sub Regula Sancti Basilij.* Utpote in quo plùs quàm novem millia descriptorum quiescunt corpora Monachorum. 59. *Habuit posterioribus temporibus, cùm Christiani ea loca possiderent sedem Episcopalem, sed suffraganeam.* Nunc sub jugo Turcarum, locus hic gemit. Utinam Principum Christianorum corda accenderet DEUS, ad hæc sacra

loca iterum recuperanda. 60. *Dictus est hic Mons Arabibus Agar aliquando, ut quibusdam placet.* Nunc ab iisdem vulgò Tur dicitur. 61. *Celebris quoq; est, etiam & in ipsa Scriptura Sacra Mons Oliveti, qui similiter Mons Sanctus, & inclytus vocatur.* Sic dictus est hic mons ab ubertate frequentium in eo crescentium Olivarum. 62. *Situs verò est è regione Jerusalem, ad Orientem, atq; à Civitate alta interjacente valle Cedron, discretus ab ea secundùm scripturam, iter diei Sabbathi.* 63. Juxta Josephum verò stadiis quinque distat: qui etiam addit, summum montis, sex ab Urbe stadiis abesse, tantæ enim altitudinis erat. 64. *In hoc Monte Salomon Rex, pietatis omnis oblitus, Astaroth Idolo sidoniorum, è regione Templi Hierosolymitani Fanum erexit.* Quod tamen postea Josias Rex, cum cæteris delubris idolorum destruxit. 65. *Hunc Montem Christus, Orationis & quietis gratiâ sæpè frequentavit ibiq; pernoctavit, atq; ex ejusdem Sumitate in Cœlum ascendit.* Ubi etiam in tantæ rei memoriam, sacratissimorum pedum suorum vestigia petroso monti instar ceræ imposuit, quæ hodie quoque cernuntur. 66. *Hoc in loco à Beata Helena Imperatoris Constantini Matre, rotundo Schemate, & pulcherrimo opere condita fuit Ecclesia, cujus tamen summum cacumen nullo modo contegi, aut concamerari potuit, sed transitus ejus, à terra ad Cœlum usq; patebat apertus.* Videlicet propter Dominici Corporis meatum, ut scribit Sanctus Hieronymus, atque hæc Ecclesia multis sæculis ibi permansit, postmodum injuriâ bellorum diruta. 67. *Montes Gelboë, in quibus Castra metatus est Saul, contra Philisthæos, extendunt se à Iesraël, usq; ad Iordanem, per undecim leucas.* Narrat Bredembachius, Montes illos in multis locis esse petrosos, aridos, steriles, an ex eô quod David iisdem imprecatus fuerit, ut nec pluvia, nec imber, nec ros, descenderet super illos. 68. *Montes Hebal, & Gerasim in Palæstina siti, quorum in Scriptura quoq; fit mentio, sunt admodum cavernosi, & voraginosi.* Propter frequentem scilicet terræ motum, quem patiuntur. 69. *Imò sunt unus idemq; mons.* Sed crescens ad dexteram partem fontis Jacob, dividit se in duo capita, quorum alteri Gerazim, alteri Hebal nomen inditum est. 70. *Insignis quoq; in Phenicia est mons Libanus, & sacris pariter literis celebratissimus.* Utpotè qui à Septemtrione, terræ promissionis fines claudit. 71. *Libanus nobilissimis scatet aquarum venis, celeberrimorumq; fontium ac fluminum origo est & principium.* Ex eo enim præter cætera erumpit Jordanis, & fons hortorum, qui magno impetu emanans, tribus fluviis in mare currit. 72. *Arbores Montis Libani, præsertim Cedri, mirâ proceritate sunt sublimes, rectæ quoq; & electæ abietes, pini, buxi, ac Cupressi.* Nam ut Sanctus Hieronymus scribit: arbores Libani, quantùm in auras assurgunt vertice, tantùm radicem in ima demergunt, ut nullâ tempestate quatiantur, sed stabili mole consistant. 73. *Variis insuper Libanus fragrat aromaticarum medicarumq; herbarum generibus.* Hinc earum optimè redolenti odore, virulenti serpentes, aliaque venenosa animalia, procul inde fugantur. 74. *Eximiæ hujus montis dotes clarissimè patent, ex Oseæ Prophetæ testimoniis ac verbis. Nam in persona DEI, ad pœnitentiam conversis, in hæc verba loquitur: Ero quasi ros Israëli, germinabit, sicut lilium, & erumpet radix ejus, ut Libani. Ibunt rami ejus, & erit quasi Oliva gloria ejus, & odor ut Libani. Convertentur sedentes in umbra ejus, vivent tritico, & germinabunt* quasi

quasi vinea, memoriale ejus sicut vinum Libani. 75. *Hunc montem inter alias Nationes, incolunt de facto Maronitæ.* Qui anno post Christum natum 1182. abjurato errore, Orthodoxam Catholicamque fidem amplexi sunt. In qua constantes manent ad hanc usque diem, in medio Mahometismi, & tot inter, ac tam diversas sectas. Gregorius XIII. pro hâc natione egregium erexit Collegium seu Seminarium Romæ, sub curâ Patrum Societatis nostræ, quod etiamnum floret. 76. *Haud procul à Monte Libano, est Mons Hermon, cujus quoq; in Scriptura Sacra frequens est mentio, qui ab Amorrhæis vocatus Saner.* 77. *Memorabilis præterea Mons Palæstinæ est Eroge dictus, qui tempore, quô Ozias Rex DEO thuris incensum super Altare Thymiamatis adolere præsumens, quod solis Sacerdotibus fas erat, leprâ percussus est, in rei hujus memoriam, per medium scissus est.* Faciunt ejusdem mentionem Amos & Zacharias Prophetæ. 78, *Inter Naturæ miracula (ait Nierbergius Lib. 1. de miraculosis Naturæ in Europa, Cap. 48.) reponi potest Mons Serratus in Hispania (sic dictus ab asperitate petrarum, quæ quasi Serrâ scissæ videntur,) qui licet ubiq; crebris rupibus ambiatur, ipse tamen longè super alios eminet.* Nam ex vertice illius viciniam despectantibus, vicini montes camporum imaginem præbent. 79. *Montis hujus radices alluit amnis vulgo dictus Lobregat, quem Ptolomæus Rubricatum vocat.* Nec immeritò fluctus enim illius toto anni tempore maximè rubent, colorem ab arenis quas pertransit mutantes. 80. *Super hunc Montem extructum est Beatæ Virginis insigne Monasterium, cujus ædes Sacra & Imago Beatissimæ Virginis in ea collocata, multis iisq; maximis miraculis, usq; ad præsentem diem claret.* 81. *In Helvetia juxta Lucernam mons est præaltus, quem ob fragosam asperitatem, & præcipitem altitudinem, fractum montem appellant. In hujus vertice Lacus est Pilati cognomento, in quem de industria injecta, maximas tempestates ciere, & omnia undis opplere ajunt, quæ verò casu incidant, nihil irritare eum.* Vulgi tamen est hæc de lacu isto opinio, quæ non tam veritate, quàm traditione imperitæ multitudinis niti videtur.

DISSERTATIO TERTIA GEOGRAPHICA.

De Proprietatibus Locorum.

Non omnis fert omnia tellus. Quinimò Divina providentia regiones Orbis, tot discriminibus naturisque separavit, ut vix una alteri compar esse videatur, sive cœli, sive soli ratione.

P*Rimò itaq; terram Paradysi magnâ virtute à reliquis terris distinxit. Erat enim Paradysus, locus in Orientis partibus constitutus, cujus vocabulum ex Græco in Latinum vertitur hortus: Porrò hebraicè dicebatur Eden, quod in nostra lingua Deliciæ interpretatur, quod utrùmq; junctum, facit hortum deliciarum. Fuit siquidem omni genere ligni, & pomiferarum arborum consitus; habens etiam lignum vitæ, lignumq; boni, & mali sciens, non erat ibi frigus, non æstas, sed perpetua aëris temperies.*

peries. Terraq; omnia spontè proferebat. Ejus medio fons erumpens, totum nemus irrigabat, dividebaturq; in quatuor nascentia flumina, nihilq; deerat in eo, quod ad omnem voluptatem requirebatur, ob quod etiam in Scriptura Sacra voluptatis locus nuncupatur. Formaverat siquidem DEUS hunc locum pro hominibus in statu innocentiæ existentibus, quem proinde decebat superare omnes alias partes Orbis, homini post peccatum ad excolendum in sudore vultûs, datas. 2. *Deliciis & fertilitate laudatissima, adeò ut ipsi Paradyso comparari meruerit, erat olim Sodomorum Regio, verùm ob scelera amœnissimus hic locus, subversus igne & Sulphure, factus est lacus horribilis, ac pestilentissimus, in quô quod vivit nihil reperitur, atq; inde mare mortuum appellatur.* Aquas enim habet amarissimas, fœtentes, ac sordidas, bituminisque ac Sulphuris qualitatibus infectas, quæ omni viventi nocivæ sunt ac perniciosæ. 3. *In circuitu ejusdem mortui maris, Littora & montes utrinq; ad quinq; milliaria sterilia squallent.* Nempe ob halitum pestilentem ejusdem lacûs, qui etiamnum in modum Camini infernalis, perpetuis exæstunt vaporibus. 4. *Arbores hujus Regionis, Poma proferunt, quæ colore aliis sunt persimilia, sed in manibus ea carpentium, in cineres ac fumum resolvuntur.* Sunt hæc signa Divini ignis, ac iræ DEI reliquiæ. 5. *Lacus quidam est in Thracia, proximus Olyntho, ad quem, quodcunq; animal pervenit, ab eodem abhorrescens discedit, incolume tamen.* Ob venenatam nimirum Soli qualitatem, quæ tamen non est tantarum virium, ut illico accedens animal perimat. 6. *Solus autem Scarabæus nequit ab hoc loco discedere, sed circum ambiens, & vagus, fame demum moritur.* Allicitur namque Scarabæus ad hunc locum fœtore, & putredine illius terræ, ne verò eum accedat, arcetur ab ejusdem venenata qualitate, propterea ab eo non recedit, nec tamen eam ingreditur, sed circumambit, donec fame defectu escæ emoriatur. 7. *Propè Vrbem Gratianopolim in Gallia, Turris pervetusta est, quæ araneos non patitur, neq; aliud venenatum: Sed & Ypris in Flandria Turris dicitur esse, in quâ nec aranea, nec tela ejus unquam visa.* Provenit id ex mixtura terræ cum lateribus, aut arenæ cum calce, vel certè ex natura ipsorum lapidum, multæ siquidem partes terræ, multi quoque lapides, venenis omnibus contrariam habent naturam. 8. *In Oriente vastissima sunt deserta, utpotè, quæ trium, aut quinq;, vel etiam sex, imò & novem dierum itinere vix pertransiri possunt.* Redditur hæc terra inculta, ac inhabitata ob penuriam aquæ, quæ in illis partibus est, ita ut aliquando contigerit loca ea transeuntibus, ut calix aquæ, decem millibus ducatorum fuerit emptus, fuit tamen hæc licitatio tam venditori, quàm emptori minùs salutaris, cùm nihilominus uterque postea præ siti expirâvit. Ut scribit Leonius P. I. 9. *Juxta Babylonem in Susiana, & Sitacena, nunquam pluit, ob idq; tegulis, tectisq; domorum ibi non utuntur, sed & tota Ægyptus expers est imbrium.* Haud dubiè defectu humorum, & evaporationum terræ, unde alias formantur nubes. 10. *Estò autem Ægyptus nullis irroretur pluviis, mira tamen est fertilitatis.* Inundatione Nili pluviarum vices supplente. 11. *Altilium domesticorum, nullibi est major copia, quàm in Ægypto.* Extruunt enim clibanos, & furnos, quibus multa millia ovorum super imponunt, lentoque igne supposito, calorem ejus ita attemperant, ùt furni tepor adæquet teporem Gallinæ ovis incubantis. Indè debito ex-

acto tempore, integri pullorum greges prodeunt. 12. *Sed & hominum adeò fœcunda est procreatrix Ægyptus, ut aliquando 20. millia insignium Vrbium, in ea fuerint numerata.* Neque enim aliter quàm terræ, & agri sub certis cœli climatibus, fœcundiores sunt in progeneratione & homines. 13. *Europa nostra, licet culta sit, non potest tamen hâc Vrbium multitudine gloriari, nisi fortè quo ad paucula aliquas Provincias, Hannonia enim, esto in latitudine tantùm tria, in longitudine verò sollummodò quinque complectatur milliaria nostratia, supra mille tamen possidet Pagos & Oppida. Sed & Flandriæ Cimitatus Vrbes habet 58. pagos 1154. Hollandia etiam sat angusto limite, Vrbes 29. pagos 400. numerat. Brabantia quoq; etsi exiguam occupet terræ partem, 49. nihilominus insignibus superbit urbibus.* Has & reliquas Belgij Provincias facit adeo habitatas, & cultas, opportunitas commerciorum, & industria ac solertia gentis illius. 14. *Sed & Thuringia, esto & longitudine & latitudine non excedat 12. milliaria, continet tamen 12. Comitatus, seu Dominia, totidem Abbatias, 144. Civitates, bis mille pagos, & 150. Arces.* Adeò enim frugum ferax est, ut lumen Germaniæ dicatur. 15. *In Africanis littoribus, circa fines Cyrenorum nec quidem auditum est, pluviam aliquando fuisse, magis tamen est in illis terris, quàm in ullo mari Naufragii periculum.* Arentibus scilicet arenis, quibus eæ Regiones ferè totæ coopertæ sunt, ad omnem motum ventorum, quorum ibi maxima vis est, cedentibus. 16. *In Arabia Ægypto contermina circa Vrbem Adem, nulla prorsus aqua neq; è cœlo pluit, neq; â terra manat, neq; fons ullus, aut stagnum fluviusvè exstat, quin nec puteus quidem, virescunt tamen omnia, & mirum in modum adolescunt.* Pluviarum enim & aquarum vices, cœlestis ros nocturnus, mirâ DEI providentiâ supplet. 17. *In aliquibus Partibus Indiæ, mella frondibus defluunt.* Adscribit id Strabo pinguedini ac feracitati illius Soli. 18. *In Cappadocia tradit Arist. de Admirab. cap. 16. Loca quædam esse, ubi mel sine favis conficitur, esseq; spissum, oleoq; persimile.* Ob præstantiam succi florum ac arborum illius. 19. *Scribit Ælianus Lib. 5. Cap. 42. in Thracia, ex plantis mel nasci* suavi ac dulci, succo, qualitates mellis immitante. 20. *In Trapezunta Pontica, nascitur, mel ex Buxo, quod qui gustant, ad insaniam rediguntur* ob gravem odorem, & vim calefactivam cerebri. 21. *In Coronæa Bœoticæ, non possunt Talpæ vivere, neq; terram fodere, cùm tamen alioquin in reliqua Bœotia, magna sit talparum copia, ut notat Arist. de Admir. cap. 120.* Cùm idem Arist. de Hist. Animal. Lib. 8. Cap. 28. scribat, quòd neque si aliunde eò transferantur velint se infodere, signum est, non ob duritiem soli id evenire, sed ob naturalem Talparum aversionem, à tali specie telluris. 22. *Thessaliæ, tanta est serpentum copia, ut incolis aliò migrandum esset, nisi iisdem superflueret è contra ingens multitudo Ciconiarum, quarum virtute interimuntur.* Adeò DEUS rebus omnibus providit, ut antidota contrariis omnibus addiderit. 23. *In Sambris Regione, Africæ Æthyopicæ contermina, nullum quadrupes animal, est auritum, nec Elephas quidem.* Non ex alia ratione putant aliqui id fieri, quàm quod nimium humoris crassi seu melancholici animantibus Regionis illius insit, idque ob ferventem cœli ambitum. 24. *Phrygiæ autem armentis omnibus cornua mobilia atq; flexibilia sunt, ac aures ipsæ. Plinius Lib. 11. Cap. 31.* Materia enim cornu in siccitatem

nequit

nequit converti, ut indurescat, sed perpetuò humore viroreque alitur, ideoque carnua potiùs materia est, quàm cornea. Ut sentit Majolus. 25. *Nulla pars orbis plura monstra profert, quàm Africa.* Fit id ex eo, quod ob aquarum penuriam, ad locum ubi eæ haberi possunt, diversarum specierum animalia, magno numero concurrant, ibique commisceantur, indeque novæ animalium formæ gignantur. 26. *Asiaticæ belluæ ferociores sunt, Europeæ verò firmiores.* Diversitas hæc naturarum, à diversitate Climatum provenit. Sic & intra eandem speciem animalium, una Regio minutiora, altera magis vasta, magisque robusta producit animalia. 27. *Imò sæpè fit eorundem etiam animalium Naturam à Cœlo immutari saltem quo ad generationis successionem.* Sic non rarò accidit, generosissimi etiam generis Equos, translatos ad aliam minùs feracem, minùsque benignam Regionem, omninò degenerare in secunda, vel tertia generatione, prorsusque ex generosissimis, reddi ignavos. 28. *Diversitas hæc Climatum videtur causare etiam tam diversam inclinationem in tot diversis nationibus, quòd enim aliquæ Nationes pronæ sint à natura ad furtum, aliæ ad vindictam, aliæ magis ingeniosæ, aliæ magis modestæ, aliæ simpliciores præ reliquis, id maxima ex parte diversis cœli influxibus, diversorumq; Climatum distinctioni est adscribendum.* 29. *Multum etiam conferunt ad longitudinem vitæ, loca Nativitatis & Habitationis.* Hinc Regionibus frigidioribus, & Hyperboreis, diutiùs homines vivunt, plerumq; quàm calidioribus, & Insulares ut plurimum longæviores sunt, quàm Mediterranei, loca item excelsa inhabitantes, quàm depressa. 30 *In multis locis Hungariæ, siligo inseminata, vertitur in triticum.* Quod bonitati Soli ac pinguedini terræ est imputandum. 31. *E contra in finibus ejusdem Hungariæ, ad partes Poloniæ, Triticum inseminatum sæpè convertitur in Siliginem, & hordeum in Avenam.* Ob contrariam scilicet rationem, nempe sterilitatem terræ. 32. *In Thessaliæ lacu, Ranarum nulla vox exauditur unquam, aliò tamen si transferantur canoræ inveniuntur. Vt scribit Plinius Lib. 8. Cap. 58.* Loquacitatis, & taciturnitatis hujus causa tribui debet aëri, aquarumque tepori, ac frigiditati. 33. *Zonæ torridæ incolæ toto tempore anni noctes æquales diebus habent, & consequenter perpetuum est illis æquinoctium.* Æquales enim Sol semicirculos diurnos & nocturnos illis semper utpotè constitutis in sphæra recta peragit. 34. *In ejusdem zonæ Regionibus, geminæ sunt per annum æstates.* Sole scilicet ad partem æquinoctialem accedente. *Et geminæ quasi Hyemes.* Sole nimirum propè Tropicos consistente. 35. *Incolæ Zonarum temperatarum inæquales dies, & noctes artificiales habent.* Quia Sol inæquales Semicirculos nocturnos, & diurnos super eos perficit. 36. *Semel in anno longissimam habent diem, & brevissimam noctem vicissim.* Ob Solis maximam ab æquinoctiali linea elongationem in partem alteram. 37. *Dum in Regionibus Zonæ temperatæ septemtrionalibus est æstas, in Zona temperata Australi est Hyems, & è contra.* Ob contrarium recessum Solis ab æquinoctiali per signa Zodiaca decurrentis. 38. *In Regionibus Zonarum frigidarum, annus integer unicâ constat die, & unicâ nocte.* Sole videlicet per sex signa Zodiaci supra illorum, per alia verò sex infra eorundem Horizontem versante. 39. *Hæc tamen Semestris diei ac noctis dimensio non universam plagam Zonarum frigidarum occupat, sed Regiones singulæ, mi-*

rava-

ra varietate discernuntur., alicubi enim quinque Mensium, est dies maxima, vel nox, alicubi trium, alicubi pauciorum. Utpote, prout illæ magis vel minùs à Polis sunt distantes. 40. *Antipodes contrariis semper temporibus habent diem ac noctem, Occasum, & Orientem.* Quia è diametro terræ Soli opponuntur. 41. *Aliæ Regiones sunt majori, aliquæ minori, aliæ nullo periculo terræ motûs expositæ.* Quod fit ob varietatem soliditatis & cavitatis ipsius terræ. Ab ipsa enim cavitate soli, omnia discrimina terræ contigerunt semper, sive ignis eruperit, sive terræ motus, vento emisso loca excusserit, sive montes depresserit, sive terras absorpserit. Ut bene notat Majolus sæpiùs citatus. 42. *In Europa acus Magnetica, & ipse Magnes ad ortum declinat, ab ipsa lineâ Meridionali.* Quia versùs Ortum habet terram, versùs Occasum Maria, jam verò ex terra plurima effluvia magnetica prodeunt, quæ acum secum deferunt, & consequenter ad ortum declinare faciunt. 43. *In aliquibus è contra partibus terræ, contrarium fit, cum acus Magnetica declinat in occasum.* In illis scilicet, quæ terram ad occasum respiciunt, versùs ortum autem maria. 44. *Quò propiùs quæ Regiones ad polos accedunt, eò minus variatur situs acuum Magneticarum.* Quia nimirùm minus variatur linea meridionalis. 45. *Hinc situs acuum magneticarum in terris sub Æquatore constitutis facilè variatur.* Quia meridiana linea & terræ ad polum aspectus continuò variatur. 46. *In Regionibus tamen sub ipso Æquatore sitis, acus Magnetica non inclinat.* Quia est axi terrestri parallela, quem situm alias per inclinationes quærit. 47. *In Regionibus verò sub ipsis polis, maximè inclinatur.* Quia vult se polo terrestri unire. 48. *In locis altis, majores sunt venti, quàm in locis demissioribus.* Quia venti in alto incipiunt, id est supra, aut intra, vel infra nubes, & instar fluminis in terram ruunt, & quidem in loco altiore necdum dispersi, & ita vis major illis inest, cùm autem ad inferiora labuntur dissipantur, minusque habent virium. 49. *Etiam sub iisdem Elevationibus Poli, non ubiq; eadem est constitutio aëris.* Quia diversam habent terræ dispositionem. Causæ autem operantur juxta subjectorum dispositionem. Quare licet in aliquibus Regionibus sit eadem, poli, ac consequenter etiam Solis elevatio, non sequitur tamen idem effectus, seu aëris constitutio. 50. *In quibusdam locis maritimis, non in plenilunio, sed post, etiam biduo, fit æstus marinus.* Causam hujus variationis dant freta particularia, & impedimenta fluxûs marini. 51. *Non in omni parte mundi, eadem plantæ spontè prodeunt.* Quia DEUS prolificam vim terræ, in variis partibus mundi, variam indidit, unde si quis è profundissimo loco, & quò nullum semen pertigit, eruat terram, eamque aëri exponat, producit illa spontè herbam, sed illi climati propriam. 52. *In aliquibus terris citò cadavera putrescunt.* Quia humidum habent subtile, quod poros cadaveris subintrat, & acredine partium gluten exurit, aut desiccat, quô deficiente, corpus velut in cineres resolvitur, quamvis hæc non sit vera putrefactio, sed potiùs solùm cadaveris resolutio. 53. *In aliquibus è contra terris, difficulter cadavera putrescunt.* Quia vel sunt salsæ, aluminosæ, aut nitrosæ, nitrum verò & sal à putredine præservant; vel quia sunt nimis siccæ, & frigidæ, aut nimis calidæ, nam in tali constitutione res non facilè putrescunt. 54. *In quibusdam terris nihil nascitur.* Hæc vel habent subjecta metalla, è quibus acres halitus vaporant, vel sunt salsæ, vel nimiùm

ſiccæ, aut nimiùm calidæ, aut etiam nimiùm humidæ. 55. *Non omnis fert omnia tellus.* Diverſa ſiquidem ſemina, diverſis hujus nutriuntur, foventur, maturantur, quos non ubique habent, alia enim ſunt, quæ calido, alia humido, alia copioſo ſucco gaudent. Idem eſt inter animalia, quæ idcirco non ubique omnia reperiuntur. 56. *In mari majora ſunt animalia quàm in terra.* Mare ſiquidem minusq; obnoxiũ putredini, ob ſalſedinem, & ob multam oleoſitatem nutrit multùm, quorum utrumque in terra deficit, hinc terreſtria animalia magis morbis obnoxia ſunt, & citiùs pereunt, neque tantam nutritionem, ac conſequenter nec tantum incrementum habent. 57. *In variis terris animalia colorem variant.* Oritur id vel ex imaginatione, matrum, vel ex paſtu, ſic in quodam Lacu Sueciæ, nigram aquam habente, nigri quoque ſunt piſces: in nivoſis locis, vultures, aquilæ, accipitres, milvi, vulpes, urſi, imo corvi albi, in Allobrogum alpibus, perdices albæ, in Lituania lepores. Dantur & mures albi, paſſeres, & hirundines, in Taurinis. 58. *Ventus in aliis Regionibus ſerenitatem, in aliis pluviam affert.* Nam ubi per ſiccas partes fertur, affert ſerenitatem, ubi per mare vel aquas, quia defert ſecum halitus aqueos, pluviam, aut ſaltem humorem affert. 59. *In Arcadia Lapis invenitur, qui ſi diù ſub ſtramine jaceat, ignem concipit.* Arcentur ſiquidem à ſtramine ſuperinjecto è ſaxo ignei evolantes Spiritus, quibus hic lapis abundat, atque in ſaxum facta reflexione intenſi flammam faciunt. 60. *Non procul Puteolis in Italia, eſt campus in quo colles paſſim vaſtos, ſulphureq; pingui refertos eructant fumos.* Nimirum, uti aliqui ſubterranei ignes, procul à nobis diſtant, ita aliqui proximi ſunt ſuperficiei terræ, uti in his collibus contingit. 61. *In Bohemia inter Dominium Bienen & Czachrovv, ſunt duo campi contigui. Dum in uno eſt hyemale frigus, alter hilareſcit calore æſtivo, hîc meſſis, ibi viride frumentum, hîc ros, ibi pruina.* Putant nonnulli id ex eo evenire, quòd uni nitrum copioſum, alteri ignes ſubterranei ſubſunt. 62. *In Provincia Chinica, Xanzi, tam proximus eſt ignis ſubterraneus, ut pro eo puteos effodiant, in quibus collectis ſuperponunt cacabos pro elixandis cibis.* Verùm hic non eſt ipſe ignis, ſed humor calens, & attenuatus ſubterraneorum ignium, qui non admodùm lucet, neque omnino eſt diaphanus, calidus quidem, ſed non adeò ut ligna exurat. 63. *Hunc vaporem includunt Chinæ Vaſis, & ut nos aquam circumferunt, imò & per canales deducunt, & tubo aperto, ad coquendos cibos adhibent.* 64. *Sunt hujuſmodi ſubterranei ignes, & in Italia, ac Sicilia, maximè in Phlegono campo, qui intra horæ quadrantem, poſſunt carnes percoquere.* Horum enim ignium materia eſt Sulphur, & bitumen neque deficit, quia renaſcitur. 65. *Sub eodem Cœlorum poſitu, alibi bonus, & fertilis, alibi ſterilis eſt annus.* Quia ad ubertatem non ſolùm cœlum, ſed etiam terra concurrit, tam verò terræ ſiccæ, ut ſint fæcundæ, egent humore, quàm humidæ requirunt Siccitatem, & ſic de cæteris. Unde ſi annus ſit ſiccus, ſiccam terram reddet ſterilem, ſi humidus, humidam, adeoque fertilem, & è contra. 66. *Europæ Incolæ præſtant aliis ingenio & viribus.* Quia temperatam incolunt mundi zonam. Nam qui frigidam zonam incolunt, valent viribus, ſed non ingenio, qui torridam, prævalent aſtutiâ, ſed corpore ſunt imbecilles. Qui igitur mediam ſeu temperatam incolunt, prævalent viribus & ingenio, quia de utroque participant. 67. *Populi habitan-*

bitantes sub zona torrida, sunt nigri. Quia semen aduritur calore extrinseco, nam e-
ducitur ex eo humidum, & quod est terrestre, quasi in colorem nigrum abit. 68. *Econ-
tra ossa in talibus sunt alba, uti & dentes.* Quod similiter provenit ab extrinseco
calore, hinc & ossa combusta candidant. 69. *Ora habent prominentia.* Propter
eundem calorem, qui illa acuit. 70. *Oculos verò rubentes habent.* Causa est idem
calor, qui delicatissimum hoc membrum pariter exacuit. 71. *Corpora eorum sunt
levia.* Quia vi caloris humidum exhalant. 72. *Sunt autem timidi.* Quia caloris æstu
spiritus aut comburuntur, aut educuntur. 73. *Sunt autem astuti, ac ingeniosi.* Quod e-
venit propter subtilitatē Spirituum. 74. *Qui habitant in zonis frigidis, sunt albi corpo-
re.* Quia frigus constringit corpora, & sic humidum causans albedinem, non exha-
lat. 75. *Calido sunt stomacho.* Quia calor foras non educitur, sed in seipsum refle-
xus augetur. 76. *Qui in mediis zonis habitant, ab utrisq; plùs minusvè de illis parti-
cipant.* Pro accessu scilicet majori vel minori ad eorum extrema. 77. *Diversarum
Nationum ac populorum, diversæ sunt propensiones, naturæ, ac mores.* Ex diversitate
scilicet Cœli solique, verissimè namque dixit Vegesius, Lib. 1. Cap. 2. Plagam cœ-
li, ad robur non tantùm corporum, sed etiam animorum plurimùm valere. Et
Polybius Lib. 4. Ita Natura comparata est, ut cœlo habitationis consimiles evada-
mus. 78. *Hinc Aristoteles, sect. 14. Probl. 1.* Cùm quæsiisset, *cur efferis moribus &
aspectibus sint, qui habitant in Regionibus nimium calidis, vel frigidis?* Respondet:
Optimam temperiem aëris, non solùm corpori, verùm etiam intelligentiæ homini
prodesse, excessus autem omnes, ut corporis ita etiam mentis temperamentum
pervertere. 79. Horatius Nicquetius Lib. 1. Phisognomiæ humanæ Cap. 16. plu-
rimas Quæstiones, circa diversitatem Naturarum, ac Complexionum, ex diversi-
tate Climatum, & sitûs Regionum, eruditè sanè resolvit, quas hîc per positiones an-
notamus, sic: *Septemtrionales calidi, Australes frigidi sunt.* Quia hi Syderis pro-
pinqui intemperantiâ extremè torrentur, laxantur proinde eorum corporis mea-
tus, nativusque calor dilabitur, atque ad sibi cognatum calorem extenditur, illi ve-
rò rigentia mundi pruinis geluque torpentia loca incolunt, quam ob rem calor in-
natus refugit, ad constantem extrinsecus frigiditatem, quæ occludit constipatque
corporis meatus, nec calidum innatum patitur vaporascere, sed ad centrum cogit.
Hinc 80. *Septemtrionales edaces, Australes parcicibi sunt.* Nimirum, quia qui cali-
dioris naturæ sunt, plùs cibi appetunt, & conficiunt citiùs: qui verò frigidioris,
multò minùs. 81. *Septemtrionales obesi, Australes macri.* Quia illi in cibum ef-
fusiores, ut jam dictum. Accedit quòd circumstans frigiditas Regionum septem-
trionalium, infra cohibet humores omnes, qui tunc in adipem concrescunt. 82.
Septemtrionales colore candido, Australes contra. Candent corporum extrema,
ex humoris & pituitæ exuberantia, quam vicini syderis calor non torret. Nigri-
cant Australes, quia solis intemperantiâ insitus calor, forinsecus educitur, cutis-
que retorretur. 83. *Septemtrionales fluxo sunt capillo, Australes duro & crispo.* Quia
illi humoribus abundant; isti, quia siccescunt, & propinquitate syderis aduritur
capillus. At quod siccum est, idem durum est, & quod aduritur si tenue, deprava-
tur & contorquetur. 84. *Septemtrionales, oculis cæsiis, Australes nigris.* Oculos
cœsi-

cœſios enim caloris interni exuberantia reddit, ejusdem abſentia nigros efficit, cùm humor privatus calore, & quod conſequens eſt, luce offuſcari opacarique debeat. 85. *Septemtrionales voce gravi, Auſtrales clarâ.* Quia calor innatus meatum aperit & amplificat, hinc clara vox, frigus eosdem conſtipat, unde vocis gravitas provenit. 86. *Auſtrales obnoxii ſunt Lepræ.* Quia atra bile abundant: neque verò aliunde, quam ex Auſtralibus Regionibus, ad reliquas orbis partes, propagata eſt lepra. 87. *Septemtrionales ad opificia & ſcientias Mathematicas, Auſtrales ad ſubtiliſſimas quasq; ſcientias aptiſſimi.* Quia illi Imaginatione, cujus commoda temperies, caloris poſcit abundantiam, Auſtrales è contra, vi intellectûs, cujus præſtantia, in Siccitate poſita eſt, præpollent. 88. *In Lybia homines ſunt facie nigrâ & aduſta, in reliquis locis ejusdem paralleli minimè.* Quia in Lybia arenoſa eſt terra, nulli fontes, unde per reverberationem aër multum calefit, in locis proximis non ita. 89. *Qui loca montoſa incolunt, robuſtiores ſunt.* Quia locis apertis montoſisque, aër purus, propter frequentem venti afflatum agitationemque habetur, hujusmodi autem aër ſpiritus abundantiores in corporibus progignit. 90. *Sunt quoq; audaciores & turbulentiores.* Fortes namque lacertos maſculumque robur conſequitur audaciâ. 91. *Sunt præterea benè colorati.* Quia meliori valetudine utuntur, quàm qui in cavis & inferioribus locis habitant. Et quia loca commodè aſpirata, ex ſe coloris hilaritatem præbent.

Continuatio ejusdem Materiæ.

PRimò, *Qui loca montoſa, edita, apertaq; colunt, tardiùs ſeneſcunt: Qui autem cava, & paluſtria Ociùs.* Cujus rei Ariſtot. Sect. 14. Probl. 7. hanc dat rationem: Quia ſenectus putredo quædam eſt, putret autem quod quieſcit, nullo modo autem ita afficitur, quod movetur; ut aqua profluens & concluſa. Igitur ut locis editis aër undique, à flante vento agitatur, ita in cavis manet immotus. Ad hæc, locis apertis purus, ac diverſus aſſiduè ob agitationem aër habetur, palluſtribus impurus, idemque ſemper, quare marceſcit. 2. *Qui montoſa loca incolunt, ſunt acutioris ingenii.* Id quod in aëris temperiem rejici debet, qui quoniam purior ſubtilior, ſicciorque eſt in locis montanis & editioribus, multos quoque puriores & ſubtiliores ſpiritus progignit. 3. *Hinc Scoti ab acie ingenij commendantur.* Scotia enim maximè ea, quæ ſeptemtrioni propior eſt, frequentes montes habet, ſulphure carbonibusque foſcilibus abundat, unde magna conſequitur aëris puritas. 4. *Armeni eadem de cauſâ ſubtilioris ſunt ingenij.* Ecquis enim dum nubilum eſt, craſſiorque aër, non ſentiat retundi ingenij ſui aciem? dum verò purior & nubibus depurgatior, non ſentiat quaſi acui, & denubilari mentem? 5 *Qui declive montis verſùs ſeptemtrionem incolunt, meliùs multò valent, quàm qui versùs auſtrum habitant.* Nam cùm frigidus ſiccusque ventus ſit Aquilo, omnes corporis conſumit ſuperfluitates, robur addit, eò quòd adſtringat, & in unam cogat partes omnes, & quanquam nonnihil nocumenti adferat, illud tamen exiguum eſt, ſi cum Auſtri incommodis conferatur, ut notavit Galenus, in Aphoriſmi 17. C. 7. 6. *De iis, qui loca aperta incolunt, idem omninò putat ſentiendum, quod de illis, qui montoſa, citatus Niquetius*

Lib.

Lib. 1. Phisognomia humanæ, Cap. 16. art. 7. Cùm penè eadem sit utrobique aëris temperies. 7. *Qui aridas, difficiles, sterilesq; Regiones incolunt, ad montanos accedunt, iisdemq; affectionibus obnoxii, maximèq; acutioris ingenii nomine celebrantur.* Quia tenuiorem nec adeò uliginosis incrassatum vaporibus aërem spirant, atque tenuiori utuntur alimento. 8. *Et regiones, quæ cœli clementia & affluenti copiâ gaudent, sensu hebetes, & obtusâ mente plerumq; homines gignunt.* Cujus ratio in aëris temperaturam crassiorem rejicienda est, ubi enim rerum ubertas & copia, ibi pingve & adiposum Solum, crassiores cibi, majorque ingluvies, ex quibus crassus Sanguis, ex crassiore sangvine, crassiores tardioresque Spiritus gignuntur. At ingenii nobilitas & mobilitas, ex mobilitate & tenuitate Sangvinis, spirituumque dependet. 9. *Qui in locis palustribus habitant, corporis magnitudine superant aridarum Regionum incolas.* Et causa hujus est, nimia vaporis abundantia. 10. *Sunt verò pingvioris & obesioris ingenii.* Ob aëris crassitiem, quâ mens obnubilatur. 11. *Maturius senescunt.* Quia humidus aër citiùs putrescit, senectus autem putredo quædam est. 12. *Observat Aristoteles Sect. 14. Problemate 6. ubi crassior est aër, ulcera capitis celeriter curari posse, crurium autem tardè.* Quia humor, utpotè terrenus gravis est, omne autem grave tendit deorsum, unde ulcera superiora concoctioni sunt opportuniora, quoniam humor ab illis delabitur, inferiora verò ex descensu humorum, multo excremento putrefactoque facilè redundant. 13. *Tardiores & Somnolentiores sunt palustrium locorum Incolæ.* Quia in pallustribus locis magis corpus refrigeratur, refrigeratio autem, cùm requies quædam sit, somnum & tarditatem inducit. Ita Aristot. Sect. 14. Probl. 11. 14. *Loca marina, semper humidè calore tepescunt.* Propter vapores marinos, qui terras proximas afflant, & naturâ pingves ac calidi sunt. 15. *Notat Plato Lib. 4. de Legibus, Vrbes & Regiones maritimas solere malè esse morigeratas.* Nam cum mercibus (inquit) & pecuniis cauponando repleantur, dolosos animos pariunt. 16. *Qui Regiones ventosas inhabitant, corpore minore sunt, ut observat idem Plato 3: de Legibus.* Quia ventus saltem indurat ut plurimum, Ast quod durum est, idem quoque siccum est, siccum verò incrementum impedit. 17. *Hinc Aristot. Lib. 5. Hist. Cap. 16. ait Spongias, quæ altis tranquillisq; insunt gurgitibus, mollissimas esse, quæ verò in Helesponto duras.* Quia fluctibus & tempestatibus agitantur. 18. *Sunt autem qui ventosas Regiones incolunt Ferociores, & ad iram propensiores.* Quia spiritus præcipuum animæ instrumentum, aëris frequenter similitudinem, trahunt. *Hinc fit 19. ut loquitur Fernelius, apud eundem Niquetium, ut Marocenses, quàm Ægyptii, Circasii quàm Galli, Hispani quàm Bactriani, ferociores, & ad iram propensiores sunt, quanquam in eodem parallelo constituti.* 20. *Addit idem Niquetius de Gallis, & ipse Gallus, Gallos provinciales maximè concitatos turbulentosq; esse.* Quia frequentioribus ventis, ac maximè Circio, qui flat ab ortu æstivo, & est oppositus Coro, infestantur. 21. *Hinc quoq; fit, ut nautæ tantam barbariem & ferocitatem induant, & mente rapientur, non secus ac navigia retinaculorum prorsus expertia.* Atque hæc ex Niquetio. 22. *Asia, Africa, America, copiosos alit Psithacos, non item Europa.* Ferventiorem siquidem solem amat hoc genus avium. 23. *Ex hoc autem genere avium, inveniuntur complures,*

res, quæ ad sermones humanos exprimendos sunt promptissimæ, & aptissimæ. Non tamen æquè omnes. Imò ii, qui minores vocantur, & viridiores sunt, voces humanas nunquam discunt, placent tamen in caveis ob assiduum garritum, & inquietudinem. Est & tertia species, quæ minimorum dicitur, hi silent perpetuò, viror duntaxat eos commendat. 24. *Certæ plantæ quorundam locorum vernaculæ sunt, aliæ in quibusdam nullo modo nasci possunt.* Sic Teste Theophrasto, Thus, Myrrha, Laser, Cinamomum, & Casia, regionibus ad Ortum vel meridiem vergentibus, peculiares sunt, in regionibus Septemtrionem respicientibus minimè proveniunt. 25. *Quasdam Plantas & arbores, ut Pinum, robur, abietem, taxum, tiliam, frigida loca constat amare, quibus regiones calidæ inimicæ esse censentur.* Quæ omnia ad diversitatem ipsius terræ, sitûsque Regionum, ac naturæ ipsarum plantarum referenda sunt. 26. *Atq; propter hanc etiam substantiæ terrarum varietatem, multæ plantæ ad illas latæ ac inplantatæ nequeunt omnes suas partes perficere.* 27. *Vnde Plinius rectè tradit, vitio loci quædam infructuosa fieri: sicuti Caduna, quæ in Par Insula nihil fert.* 28. *Sic quoq; Persicæ arbores in Rhodo Insula florent tantùm.* 29. *Hinc Galenus asserit, in regionibus non admodum calidis, palmas non perfectè maturescere, quod ipsa experientia etiam probat.* 30. *Theophrastes verò scribit: Quòd si quis Palmam nostram, in Babylone serat, loci illius domesticis similem reddi fructiferam.* 31. *Idem Theophrastes ait: apud Tarentum, oleas cùm florent, quandoq; ærugine infestari, nonnunquam verò flores illius omnem odorem amittere.* Causa prioris defectûs, est penuria flatûs in iis locis, posterioris verò, humor spissus ex mari caliginoso crassoque floribus insidens. 32. *Hinc etsi arbores maximæ & pulcherrimæ illinc sint, fructum tamen minimum reddunt.* 33. *Arum, Planta sic dicta, quam alii Colocassiam vocant, quamvis in Ægypto & Sicilia omnes sui partes compleat, in Italia tamen & Hispania, neq; semen, neq; florem, neq; caulem unquam, vel certè raro proferre visa est.* 34. *In ea parte Hungariæ, quæ Carpathis montibus adjacet, Nux juglans, aut quercus transplantata, difficulter & raròconcipit, ad debitam autem maturitatem fructuum, imò & ad justam altitudinem nunquam pervenit:* 35. *Et è contra, Abies, aut larix inde, ad campestria Hungariæ loca translata, brevi tempore exarescit.* Ob diversam scilicet terræ qualitatem ac constitutionem, quam dicta genera arborum naturâ suâ exigunt. 36. *India etiam intra eandem speciem, fructus decuplo majores producit, quàm Europa.* Hoc facit (ut ait Plinius) ubertas Soli, temperies cœli, & aquarum abundantia. 37. *Theophrastus asserit in quibusdam locis Asiæ, frumentum adeò grande fieri, ut olivæ nucleos adæquet.* Id, si ita est, referri debet, vel ad diversam speciem frumenti, (uti est apud nos Turcicum Triticum) vel ad nimiam pingvedinem & fertilitatem telluris. 38. *In Ægypto nulli flores sunt odoriferi.* Propter rationem paulò ante numero trigesimo primo ex Theophrasto allatam. 39. *In eadem Ægypto, Brassica propter amaritudinem, non comeditur, quæ tamen in Hispania, ac Italia, aliisq; Regionibus suavissimi est Saporis.* 40. *Sic & Persica in Hungaria, & aliis vicinis partibus, sunt fructus nobilissimi & sanissimi, in ipsa autem Perside, pro nocivis, imò & venenatis habentur.* Causa horum alia reddi non potest, quàm diversa proprietas terrarum, ac respectu cœli diversus situs Regionum. 41.

Obser-

Observant Botanici, quosdam locos, quibusdam plantis peculiares esse; cùmq; in loco ei minùs proprio (ut sæpè contingit) planta aliqua talis reperitur, faciem & figuram adeò mutare, ut circa cognitionem ejus, dubium non contemnendum, relinquatur. Quædam enim plantæ, loca pingvia, quædam macra, quædam arida, quædam uliginosa, quædã fertilia, quædam sterilia, quædam sabulosa, amant. 42. *Aceldema, hoc est ager sangvinis sic nuncupatus, quòd triginta argenteis, quibus Iudas Christum vendidit, in sepulturam peregrinorum emptus fuerit, & olim dicebatur ager Figuli, situs est ad Australem plagam montis Sinai. Hujus terræ est mira proprietas, & fidem penè superans, nempè ea, quòd defunctorum corpora, viginti quatuor horarum spatio, in pulverem redigat.* Vero similius est hanc virtutem divinitùs huic terræ inditam esse; si tamen ea illi naturaliter competit, oportet esse nimium calcinosam, cùm & calx cadaveribus superinfusa, eadem citissimè consumat. 43. *Hanc autem virtutem etiam in alias Regiones devecta, minimè perdit.* Nam jussu Helenæ Imperatricis 270. navibus ex hoc agro terra deportata Romam, ad locum, quem incolæ Campum Sanctum vocant, eandem vim etiam nunc dicitur retinere. 44. *In Palæstina ager Damascenus, usq; adeò fertilis est, & speciosus, ut aliqui crediderint per eum, Paradisum terrestrem debere intelligi.* Quod quidem non est consentaneum veritati, ast vicinum fuisse paradiso verosimile est. 45. *Habet verò ager hic terram rubram, & mirè tractabilem.* Quæ proinde in usus varios in Ægyptum, Indiam, & Ethyopiam, magno pretio â Saracenis deportatur. 46. *Ferunt autem foveas effossas terræ hujus revoluto anno iterum compleri.* Per aggregationem scilicet partium alterius alicujus terræ, quæ per commixtionem, cum hâc rubra & tractabili, in ejusdem virtutem ac qualitatem transit. 47. *Tartariæ, propria quædam Planta est, admiranda sanè, quam vulgò Baranez, id est agnum vocant, crescit enim agni figurâ, ad pedem ferè ternum altitudinem, quem pedibus, ungulis, auribus, totoq; corpore, præterquam cornibus repræsentat, pro cornibus tamen pilos gerit singulares cornu specie.* Unde non desunt Physiologi, qui hunc fruticem inter Zoophita, hoc est, illa, quæ inter bestias sive animalia, & styrpes medium tenent, atque ex utroque hoc participent, magno conatu referant. 48. *Imò non desunt, qui putent, vitâ sensitivâ stirpem hanc esse præditam, adeoq; inter bestias esse referendam.* Verùm cùm agnus hic sit præcisè fructus plantæ, solam retinens agni figuram, non potest dici verum animal sensu præditum, præsertim cùm ipsa planta proveniat ex inseminatione certi seminis in terram, quod semen est semini melonum simillimum, sed minùs oblongum. 49. *Nec obstat, quòd ex hoc fructu dissecto profluat sangvis.* Nam & in ficu tithymalo, & aliis, lac, & è Chelidonia fracta cruentus humor manat; sangvis igitur ille non est propriè Sangvis, sed humor cruentus seu rubeus. 50. *Minùs autem officit quid interior illius pulpa cancrorum carni sit similis.* Quia & uvæ nigræ pulpa talis est, è quâ vinum sangvini simile provenit. 51. *Minimè derefragatur lana, quâ undiq; circumdatur agnus ille Tartaricus.* Quia & Persimum fructus supra pelliculam induunt albam lanuginem. 52. *Illud fortassis animalitatis majus esset argumentum, in hoc Tartarico agno, quòd quamdiù vicinis obsidetur herbulis, tamdiù in suo vigore maneat, absumptis verò illis, tabescat, & intereat.* Unde Majolus, agnum hunc Tartaricum esurire, & edere, ac belluarum more herbis pasci

pasci existimat. Sed neque id animalitatem ejus evincit. Nam cùm per radicem humo insertam, fructus hic plurimùm humoris ex terra attrahat, quamdiu adest humoris copia, viget & ipse, & vicinæ herbulæ, deficiente verò sufficienti humore, deficit & ipse, & vicinæ herbulæ, priùs tamen hæ, utpotè magis teneræ. 53. *Illud tamen auget admirationem, plantam hanc & ejus fructum præsertim appeti à Lupis non item ab aliis bestiis carnivoris.* Ad hoc tamen dicendum: Carnivoras quoq; bestias, secundùm suas Species appetere certarum specierum herbas, ut in canibus quotidiana ostendit experientia. 54. *Iuxta Gazaram sive Guznam per maxima terræ spacia sæpè agri deserti manent, ob murium & soricum ingentem abundantiam.* Huic tamen incommodo, DEus mirabiliter providit. Nam certo tempore Aves Perproperi ab Aristotele nuncupatæ, naturæ instinctu, catervatim eò advolantes, murium & Soricum inimicissimæ, ac avidissimæ, à noxiis his bestiolis, terras illas singulari diligentiâ repurgant, aliàs nullam sementem possent facere incolæ, quin statim absumeretur. 55. *Ager Foyensis Dionantinæ Regionis in Belgio, lapillis abundat, qui colorum varietate, ac venustate, naturam excedere videantur.* Videtur in hunc agellum, Beata Mater (ut ait Nierbergius Lib. 1. de miraculosis naturis Europæ, Cap. 69.) omnium gemmarum colores ac pretia, precibus suis transfudisse: neque enim hi lapilli in illo agro inveniebantur, antequam in ejusdem vicinia Sacellum Beatæ Virginis, in quo miraculosa ejusdem statua, piæ venerationi proposita est, exædificatum fuisset. 56. *Accedit & illud his lapillis, quòd illorum attactu, plurimiiiq; gravissimi dolores leventur, potiones item quibus injectus aliquis ejusmodi lapis fuit, multis saluti fuerunt.* Adscribendum est id quoque Divinæ omnipotentiæ, quæ supra naturæ cursum, ac vires, effecta quædam admiranda, per hosce lapillos efficit, ad merita & in memoriam ejusdem Magnæ Matris. 57. *Scribit Strabo, ad Caristum nasci lapidem, quem incolæ pectunt, nent, texunt, indeq; mantilia egregiè contexta conficiunt, quæ ubi sordescunt, in flammam projecta, non secùs emundantur, ac alia quæ aquâ abluuntur.* Lapidem hunc necesse est aut Asbestum, aut Asbesti æmulum. 58. *In Hibernia locus famosissimus Vsneachi nomine, ejusmodi lapides habet, qui nulli prorsus structuræ apti, aut utiles sunt, quin imò si fortè aliqui ex improviso ædificio imponantur, velociter opus illud ruere, & dissipari dicitur. Nullum etiam ignis calorem naturalem admittunt, nec in aquam missi strepitum faciunt.* Quam malignitatem, non utique natura illis indidit, sed Sancti Patricii imprecatio tales eosdem reddidit. 59. *Est in Cornubia, Sylva quædam, cujus ligna quantumlibet modica in aquam missa, aqua non sustinet, rursus sunt & alia ligna, quæ aquis injecta, lapidum instar submerguntur.* 60. *Est item in Gallia Sylva quædam, Parisiensi ab Vrbe parùm distans, Sequano Fluvio lateraliter conjuncta, quam publica quædam strata distermi-nat, cujus ligna ex una parte, si in aquam projeceris, ad fundum fluminis lapideo statim tam more, quàm mole descendunt.* Cùm id fiat respectu ejusdem aquæ (ut suppono) id sanè ad aliud referri non potest, quàm quòd unum genus ligni plùs habeat de terrea substantia, adeoque & gravitatis, quàm aliud. Quò enim aliquod lignum est graviùs, eò profundiùs mergitur, & si superat gravitate aquam, in eademquantitate, prorsus submergitur. 61. *In Æthyopia (uti memorat & ipse Seneca*

neca Natur. Lib. 4. Cap. 2.) nullum ex his animalibus, quæ latent tempore brumæ, unquam reconditur, etiam per hyemem in summo & aperto serpens est. Propter calorem regionis, per totius anni decursum. 62. Admirandam cœli Æthyopici fertilitatem recolit Majolus Tom. 1. Dierum Canicularium cap. 17. Ex Francisco Alvarez. Qui testatur, in Corcora Angottæ, adeò fertilem terram esse, ut quolibet anni tempore fruges metantur: Eodem enim mense reperiuntur sata tantùm, alia aucta in frondosam herbam, alia crevisse in aristam, alia maturam habere spicam, quod omnibus mensibus ait contingere. Cùm enim toto anni tempore Regio hæc cœli clementiam habeat, solúmque aliunde fertile, nihil admirationis specialis, hæc res habet, cùm & apud nos tali ratione æstivo tempore hortensia certa, v. g. Lactucæ, sibi ad invicem succedant. 63. In Africanis littoribus, ad fines Cyrenorum, vix auditur aliquando pluviam fuisse, sed ventorum tanta vis est, ut si aliquando vel clementiore cœlo, aliquantum spirare cœperint, majus in illis terris, quàm ullo in mari naufragium sit! scilicet propter levissimarum arenularum immensam copiam, & ventorum vehementiam. 64. Scribit Andreas Corsalius, circa Urbem quandam Arabiæ, Adem nomine, nunquam è cœlo aquam pluere, néque è terra manare, néque fontes, aut puteos ullos ibi haberi, víxque sexennio semel pluere, & nihilominùs, terram fertilissimam omnino esse, & mirum in modum adolescere. Deo siquidem ita providente, cœlesti nocturnóque rore omnia ibi sic irrorantur, ac apud nos pluviâ è nubibus accedente. 65. Plinius lib. 31. cap. 1. tradit, in Hircaniæ montibus, à meridiano latere, non pluere, sylvásque ab Aquilonis tantùm parte nasci, fertilissimam tamen Regionem esse, testantur alij. Cujus quóque fertilitatis, non alia causa est, quàm copia roris, & præsertim nocturni. 66. Addunt & illud, quòd ficus ibi multùm dulciores Europæis nascantur, quin & longè copiosiores, ita, ut una arbor quandóque supra ducentos modios ferat. Quod ipse confirmat & Plinius lib. 15. cap. decimo octavo. 67. In ejusdem Hircaniæ aliquibus vallibus, aliæ arbores ficis similes esse perhibentur, vocantúrque Occhi, ex quibus defluit mel, duabus horis matutinis. 68. His Strabo superaddit in eadem Hircania, frumentum nasci ex semine, quod cadit ex culmo, Adeò imbrium penuria parùm obest, supplente imbres, & pluviam, copiâ cœlestis roris. 69. India, tam pingvis, & tam feracis soli alicubi est, ut tradit Mela lib. 3. cap. 8. ut in ea mella frondibus defluant. 70. Eadem habet Ælianus Hist. 15. cap. 7. In India (inquit) & maximè in Prasiorum Regione, liquido melle fluit, quod in herbas, ac palustrium arundinum comas decidens, mirificas pastiones, ovillo, & bubulo pecori præstat. Omnia hæc referri debent, ad rorem cœlestem, succúmque arborum, & herbarum melli conficiendo aptissimum. 71. At deterior est Cauchiorum gentis Regio, ibi enim nullum pecus, nec ulla arbor, aut frutex, quia & illis aqua deest, imbribus tantùm potum præbentibus, aquis eorum servatis in scrobibus, ut tradit oculatus testis Plinius lib. 15. capite primo. 72. In Paphlagonia. Perdicibus bina corda sunt, ut scribit Plinius lib: 11. cap. 7. & subscribit Gellius lib. 16. cap. 15. Id verò refert, ad proprietatem ejus climatis idem Majolus. 73. In Urabi continenti novi orbis, ut tradit Petrus Martyr, ter seritur, & metitur quotannis. Svade

N

det id verum esse perpetuum in illa Regione æquinoctium, adeò constans, ut quantùm inter hyemem, & æstatem intercedat discriminis, vix à peritis Astronomis discerni possit, ut notat citatus Majolus. 74. *Ptopterea ibi cucumeres, pepones, cucurbitæ, post vigesimam à satione diem maturæ colliguntur. Lactucæ verò, ac betœ, buglossa, caules, decimâ.* 75. *Testatur Pater Ambrosius Perez,* In quibusdam partibus Brasiliæ, bis quotannis, vites fructum ferre exuberantissimum. 76. *Quin totus ferè novus ille Orbis, toto anno penitùs viret:* nulla enim arbor frondibus unquam destituitur, ut perhibet Ovetan: Historiar. lib. 9. cap. decimo sexto. 77. *Sed & in India Comoria, toto anno ficus recentes legi, & mensis apponi, asserit Balthazar Nugnez, in suis ad Europeos datis literis.* 78. *Similiter Melchior Nugnez, in Cantaon Japponiæ Urbe, ob multas agrorum inundationes, ait, quotannis ter fructum agricolas referre.* 79. *Miræ quóque fertilitatis esse Albaniam Regionem Asiæ, tradit Strabo lib.* 10. *Omnia enim ibi spontè nascuntur, & si nullum occationis, aut sationis studium adhibeatur. Omnia semper ibi virent, propiórque fructus, ad quinquagesimam provenit.* 80. *Africa licèt inter quatuor Orbis partes sit sterilissima, in quibusdam tamen locis, totius Orbis fœcunditatem videtur superare.* Nam Strabo lib. 17. scribit: Africæ frumentum alicubi, In tantam altitudinem excrescere, ut ad quinque cubitorum altitudinem ascendat, sintque ejus calami non tenuiores digito, fructum verò referat ad ducenta, quin & quadraginta. 81. *Insuper hujus rei miraculum augeri ex eo ait: quòd bis in anno metatur, ac post prima sata non seratur, sed spontè quæ è culmo grana exciderint, in novam messem resurgant.* Cui Plinius accedit sententiæ, qui tradidit in Bizzario Africæ campo, ex uno modio, centenos & quinquagenos reddi. 82. *Accedit his quóque id, quod Leonius lib. 2. scribit, In Hastora Africæ Provincia: uvarum acinos in tantam magnitudinem excrescere, ut gallinarum ovis quodammodo adæquari videantur.* 83. *Verùm nec Europæ, quoad feracitatem desunt miracula, Nam Campaniæ felicis Dionysio Halicarnassæo teste, tanta olim fuisse memoratur, ut uno ex agro, quotannis tertiò fructus referretur. Vere, scilicet Æstate, & Autumno.* 84. *Sed & in agro circa Velinum lacum Reatinum, interdiu abscissa gramina, intra noctem ita excrescunt, ut omnia tegant.* ut scribit Plinius lib. 17. cap. quarto. 85. *Et quidem tanta fructuum ubertas, in ijs Regionibus, in quibus & soli humor, & cœli fervor fœcunditatem gignit, est minùs miranda, sed frigido cœlo id fieri longè magis mirandum est.* In ipsis enim Vestrogotorum Regionibus, quæ perpetuo ferè rigent gelu, sata tamen, ac fruges optimæ celeberrimæque & virescunt, & maturescunt, ac exuberantissimum fructum reddunt. 86. *Seritur itáque frumentum, circa ipsum finem Junij, & circa dimidium Augusti, maturum metitur, reliqua sata, intra trigesimum sextum diem, resecantur, & colliguntur.* Ut tradit Olaus lib. 13. cap. primo. 87. *Admirabile & illud est, quod scribit Ortelius de Podolia. Gramen ibi adeò celeriter crescere, ut aratrum in locis graminosis derelictum sæpiat, & cooperiat sex, aut septem circiter diebus.* 88. De eadem Podolia, scribit Fournierius, in Geographica Orbis notitia, lib. 12. cap. secundo. *Sic terra ibi non invertitur quotannis, sed inter metendum, segetes leviter*

viter

viter excussæ, sequenti anno alia sponte crescunt, & reddunt centuplum. 88. *In Carnus Histriæ, contermina Regione, campus est, cuius gramen vigesimâ die, ob amplitudinem nimiam denuò secari consvevit.* Ut ait idem Ortelius, in Goritia. 89. *Spitberga Regio Septemtrionalis, priscis incognita, & à Batavis 1596. detecta, aliàs prorsus sterilis, & inculta, abundat tamen ingentibus Balenis, quæ frequentes, & præpingves in adipem fermè solvuntur, ibi capiuntur, longæ, aliquæ ducentorum etiam pedum, adeò, ut ex una subinde supra centum cados olei exprimatur.* Ita Deo sterilitatem telluris, maris pingvedine compensante. 90. *Islandia, quibusdam antiquorum Thule, frumentum omnino nullum profert: panis igitur vicem, pisces comminuti in modum farinæ, incolis præstant.* 91. *Atrebates Pagus, sancto Gratiano sacer est in Gallia, in cujus agro, quæ oves pascuntur, nunquam afficiuntur tabe, tabidæ verò huc transmissæ, convalescunt.* Incolæ Beneficium hoc ferunt acceptum à Sancto Gratiano, qui hîc fuit ovium pastor. 92. *Britannicarum Insularum, mira est apud authores commendatio, & proprietates prorsus admirandæ, quarum 350. numerantur. Nam aliquæ earum, tam uberes habent segetes, ut ex ijs Romani, tanquam altero Imperij Occidentalis horreo, octingentis navibus, frumenta quotannis, ad limitaneos exercitus alendos exportarent.* 93. Tanta præterea est in ijs omnis generis ferarum abundantia, ut interdum unâ venatione, quingentis Equis sylvestribus, capistrum, & pedicæ injiciantur, & octingenti Cervi mactentur. 94. Lacus habent piscosissimos, adeò, ut piscatores, retium rupturas tantùm conquerantur. 95. In circumjacente verò mari, tantam halecum copiam, ut ijs ter mille naves quotannis onerentur. 96. Nullibi gentium carbonis fossilis, stanni, & plumbi ditiores est reperire venas, quàm in ijs. Montes habent adamantum, & aliorum pretiosissimorum lapidum feracissimos, littora abundantia electro, conchilibus, ac unionibus. 97. *Sed in primis laudatur Incolarum corporis constitutio, quorum aliqui centenarijs majores, superant viribus, agilitate, mediæ ætatis viros. Sunt sanè Insulæ fortunatis beatiores.* Mite siquidem habent cœlum mensibus æstivis, & hyemes non inclementes, ob perennes auras, quæ circumfluentis maris tepore recreatæ, homini, pecorique blandiuntur. 98. Littorum maris Norvegici Incolæ, non ex alijs rebus victum, & opes suas colligunt, quàm ex inexhausta piscium copia, quæ omnino quasi incredibilis est, utpotè, non unum, sed multos milliones annuatim importans. 99. *Hîc quoque*, Interdum à Piscatoribus, extrahuntur Hirundinum massæ, quæ alâ ad alam, & pede ad pedem, rostrellisque implicatæ sunt, hæ cantus svavissimos, sub Autumni principium edunt, dum se colligunt, & in mare dant præcipites, quæ si in æstuaria deportentur, caloris accessu resolutæ, volare incipiunt.

DISSERTATIO QUARTA.
SACRÆ CORONÆ HUNGARIÆ
Notitia, Horographica, Politica, Hiſtorica.
§. I.
Sacræ Coronæ Hungariæ Prærogativa.

I. Antiquiſsima, & glorioſiſsima Regni Hungariæ Corona, dicitur Sacra, nuncupatúrque Angelica, & Apoſtolica.

GLorioſiſſimarum harum denominationum cauſa & origo fuit hujuscemodi: Cùm enim S. Stephanus, pro tunc Dux Hungariæ, poſt converſam Hungarorum gentem, fundatóſque Archi-Epiſcopatus, & Epiſcopatus, Divino planè conſilio, *Aſtricum*, primum Colocenſis Eccleſiæ Præſulem, ad Papam Sylveſtrum hujus nominis ſecundum, hoc fine Romam Legatum miſiſſet, ut Vicario Chriſti, & Petri Apoſtolorum Principis Succeſſori, conſvetam à Principibus Chriſtianis obedientiam præſtaret: Deinde ut Vicarius Chriſti, recens converſæ Pannoniæ, largam Benedictionem impertiens, viciſſim Regionem, & Gentem Hungarorum, unà cum Duce ſuo, in tutelam Sanctæ Romanæ Eccleſiæ reciperet, ac ut Strigonienſem Eccleſiam, Apoſtolicâ Authoritate Metropolitanam declararet, reliquóſque Epiſcopatus ſuâ benedictione, ac facultate muniret, ac demùm ut ſe hactenus Hungarorum Ducem, Regio nomine, ac Diademate cohoneſtaret. Pontifex cunctis S. Stephani poſtulatis ultrò conſentiens, non modò Apoſtolicam Benedictionem, recens ad Chriſtum converſæ Pannoniæ. Epiſcopatuúmque confirmationem impertivit, verùm etiam Regiam Coronam, quam Miecislao Poloniæ Duci, nuper ad fidem Chriſti aggregato, confici curaverat, ab Angelo præmonitus, Stephano transmiſit, eúmque Regem ſalutavit, & Hungarorum Apoſtolum nominavit, ſuáſque illi vices in ordinandis Eccleſijs concredidit. Rei geſtæ ſeriem ſic narrat Chartuitius, & ex eo Baronius: *Per id tempus Mieska (alijs Miecislaus filius Boleslai) Polonorum Dux, Chriſtianam amplexus fidem, Legatos ſuos Romam miſerat, ut Pontificis benedictionem, & Regium ipſi titulum impetrarent. Aſſenſerat quidem Pontifex, & jam egregio opere Coronam confici curaverat, quam ei mitteret, ſuâ Benedictione adjunctâ. Nocte interim ejusdem diei, quò conſtituerat Pontifex Coronam Polonorum Principi perferendam, apparuit ei Angelus* Domini, *aitque ad eum: Noveris, cras horâ diei primâ ignotæ Gentis Nuncios, ad te venturos, ſuo Duci Coronam Regiam, & Apoſtolicæ Benedictionis munus, à te expetituros. Eam ergò Coronam, quam parari juſſiſti, illis incunctanter tribue, ad ipſorum Ducem eam exportaturis: nec dubites illi eam,* cum

cum Regni gloria pro vita ejus meritis deberi. Itáque crastinâ luce, eâ horâ, quâ prædictum erat, Præsul Astricus, ad Pontificem venit, demandatúmque sibi officium, prudenter executus, Sanctíque Ducis res gestas ordine referens, â Sede Apostolica Regni Coronam petijt, ostendens dignum esse Ducem eo honore, ac dignitate; quippe qui Divinâ fretus ope, multos sibi populos subjugâsset, multósque infideles suâ potentiâ ad Christum convertisset; His auditis mirè exhilaratus Pontifex, precibus ejus libenter annuit. Hæc *Chartuitius.*

Jure igitur optimo, hæc Corona, dicitur Sacra, Angelica, & Apostolica: Quippe à Deo Regibus Hungariæ directa, & Angelo præmonente, à Sede Apostolica Sancto Stephano, ejúsque Successoribus attributa. Sed néqùe desunt, qui scribant eâdem horâ, quâ Pontifici Romæ apparuit Angelus, Stephano quóque visum in somnis adstare Angelum, qui Coronam sibi imponeret: unde etiam ortum, ut aliqui dixerint. Stephanum experrectum, cœlitus delatam, & capiti circumdatam sensisse Coronam. Uti testatur *Melchior Inchoffer*, in Annalibus Ecclesiasticis Regni Hungariæ, ad Annum 1000. Hinc Petrus de Réva, Comes Turocziensis, & Sacræ Coronæ Custos, in suo Commentario Sacræ hujus Coronæ, de ea sequentia subjungit: *Idcircò itáque Hungari eam peculiari cultu venerantur, & pro Sacra reputant. Quia Divinâ revelatione, & Angeli jussu, primum Regem Hungariæ, Sanctum Stephanum, Coronâ isthac potitum esse nôrunt, non saltèm ut Capitis Regij decus, & Majestatem tueatur, sed magìs, ut veritatis Christianæ (Apostolicæ) agnitæ, & professæ, Hungarorum æternum sit symbolum, átque monumentum.*

II. Tanta autem est hujus Sacræ Coronæ apud Hungaros Religio, ut nisi eâ ipsâ quis sit coronatus, legitimus Rex esse non possit, nec pro Successore S. Stephani, qui primus eam tulit, habeatur.

Imò ut addit idem citatus Comes Petrus de Réva, etiamsi quis consensu, átque suffragijs omnium Ordinum, Rex pronunciatus sit, & Regni habenas compluribus annis, cum laude tenuerit, nisi tamen isthâc Coronâ redimitus fuerit, nulla ejus indulta, nullæ collationes, nulla privilegia, locum, vel pondus aliquod habeant. Cujus rei Exempla quóque aliqua adducit. Nam Vladislaus I. alias Princeps laudatissimus, & bello meritissimus, utpotè, qui pro defensione Patriæ, ac Christianitatis, Marte aperto ad *Varnam*, cum potentissimo Turcarum Imperatore Amurathe, fortiter, animosè, ac magnanimè planè depugnans, in eodem prælio, mortem oppetijt, estò fuerit electus in Regem, & Regni habenas aliquot annis tenuerit, quia tamen hâc Sacrâ Coronâ non fuit coronatus, (sed aliâ desumptâ ex simulachro Divi Stephani Regis, quod in Sacello Albensi positum erat) nulla illius privilegia momentum aliquod habent: Sic nec Matthiæ I. Donationes, toto ferè Sexennio ante Coronationem emanatæ, nisi post Coronationem per eundem fuissent confirmatæ, & stabilitæ, vigoris, aut firmitatis alicujus sunt.

III. Cautum præterea est Legibus Hungarorum, ut Sacrâ hâc Coronâ solius duntaxat Regis caput cingatur, Reginarum verò humeris tantummodò admoveatur.

Inauguratio proinde, seu Coronatio Reginarum diversa, eáque peculiaris, quem Reginæ in eum sibi comparare consveverunt usum, peragitur. Unicam Mariam filiam Ludovici primi, ob præclara merita, gratissimámque memoriam pij, & nunquam satis laudati Regis Patris sui, præter morem Sacrâ istâ Coronâ redimitam, & consecratam esse, extra omne dubium est, quæ ob id non Regina, sed Rex nuncupabatur, inscribebatúrque. Nam quod alij scribunt, idem observatum fuisse in Coronatione Beatricis Reginæ, Conjugis Mathiæ I. Regis, mera suspicio est, nonnulli tamen arbitrantur Gyselam Reginam Sancti Stephani Regis Conjugem, nequaquam hujus honoris, & dignitatis expertem mansisse, quòd fortè faciliùs concedi posset, in ea præsertim novi Regni constitutione, quando ejusmodi leges nondum emanârant.

IV. Duo semper Sacræ hujus Coronæ, è numero Magnatum constituuntur à Regno Custodes, seu Conservatores.

Adeò enim Hungarica Natio, in conservanda hac Sacra Corona, anxia, & solicita semper extitit, ut pro ea partim tuenda, partim recuperanda, sæpè ingentes opes profuderit, complura bella gesserit, clades funestas, & cædes cruentas, dare, & accipere non horruerit. Porrò olim custodia hujus Sacræ Coronæ, sæpè tantùm unius fidei, & curæ, è numero Magnatum committebatur; postmodùm verò multis exemplis, periculisque moniti Hungari, de securiori, & secretiori conservatione ejusdem, providerunt, Duumviratum sacri Diadematis latâ lege constituendo, quod munus primi gessêre, Urbanus Episcopus Agriensis, & Stephanus Bathori, sub Vladislao II. Rege, & nunc obeunt magna cum laude, Comes Stephanus Zichi Senior, & Comes Christophorus Erdődi, Viri pietate, & fidelitate singulari conspicui.

V. Complura Castra, & Civitates sunt ab antiquo Sacræ huic Coronæ attributa, quæ bona Coronæ nuncupantur, átque hâc Sacrâ, & inviolabili lege, ut nec ipsi Regi, nec cuipiam mortalium ea ad alium applicare, aut abalienare liceat.

Specificatio horum bonorum habetur Articulo 3. Decret. 7. Vladislai II. Regis, Anni 1514. Sunt verò sequentia: Octo imprimis Civitates Liberæ, videlicet: Buda, Pest, Cassovia, Posonium, Tyrnavia, Bartpha, Eperies, & Sopronium, præterea vetus Buda, Strigonium, Alba Regalis, Leuchovia, Szakolcza, Cibinium, & Szegedinum. Item Cumani, & Philisthæi omnes, nec non Wissegrad, cum duabus Insulis Czepel scilicet, & Ros appellatis, infra Wissegrad, ad úsque Megyer adjacentibus: insuper Cremnicia, Semnicia, Bistricia, Zo-

lyom,

lyom, cum cæteris Civitatibus Montanis, ac Rivulo Dominorum, & Castrum Huszth, cum quinque Civitatibus, & Fodinis Salium; omnes præterea Tricesimæ Regnorum Hungariæ, & Sclavoniæ, ac omnes Cameræ Salium in ijsdem habitæ, nec non Castra Munkach, & Diosgyőr. Item in Transylvania Saxones Regij, omnes Fodinæ, & Cameræ Salium, & loca earundem Fodinarum, cum Civitate Colosvariensi, ac omnes vigesimæ, & centesimæ, ac quinquagesimæ, partibus in ijsdem Transylvaniensibus, exigi consvetæ, deinde Castra Gerergense, Therch, & Déva, ibidem adjacentia, & sita.

VI. *Sacræ hujus Coronæ summa semper fuit apud Hungaros veneratio.*

Non pauci reperiuntur Cæsares (ut nihil de Regibus dicam) qui summâ illâ Imperiali Coronâ non sunt insigniti; siquidem *aurea illa Cæsareáque Corona*, quâ soli Pontifices coronandi Jus, & facultatem habent, Romæ conservari, ibidémque Coronatio peragi, aut ubicúnque in Italia solet. Italica verò profectio, plerísque Imperatoribus, sicut & eorum clientibus, qui illos comitari tenentur, sumptuosa, néque periculi expers existimata fuit. Sanè Rudolphus Habspurgius, ejus nominis primus Imperator, Diadematis Imperialis accipiendi causâ, Italiam salutare abnuit; Quòd Cæsarum in Italiam proficiscentium, vestigia læta, & spei splendidæ plena, ex Italia verò redeuntium, tristia, luctuosáque extitisse novisset. Hic tamen Imperator, sicut Conradus quóque primus, & secundus, Henricus Auceps, Ludovicus IV. & multi alij, quin & Ferdinandus I. Maximilianus II. Rudolphus II. Mathias, Ferdinandus II. & III. & modernus Augustissimus Leopoldus, solâ Electione, & Coronatione, quæ in Germania ab Electoribus peragi solet, pro veris, & legitimis Cæsaribus habiti sunt, plenariáque Imperiali Jurisdictione, atque authoritate potiti sunt.

At in Hungaria, sola Electio non sufficit, sed omnino necessaria est Coronatio, ita ut major vis sit Coronationis, quàm Electionis, illa autem non aliâ, quàm Sacrâ hâc Coronâ peragi potest, tanta est Coronæ hujus apud Hungaros authoritas; Unde Nicolaus Gara, Hungariæ olim Palatinus sæpiùs dicere solebat: *Coronatum Sacro Diademate Regem, vel si bellua foret, nunquam sinè magno lædi posse scelere.*

Néque hic silentio prætereundum est, quod contigit Emerici Regis tempore, quódve plurimum confirmat, quanta sit veneratio apud Hungaros, Sacræ hujus Coronæ, Hunc Andreas Dux Frater junior, damnando senioris ignaviam, in fervore adhuc adolescentiæ, quorundam pravis adductus consilijs, Regno exturbare, ac Diademate, conatu omni privare contendebat, cúmque jam res eò devenisset, ut prælio decertandum esset, & utrinque dispositi starent milites Emericus exutus armis, Coronâ, & Sceptro fulgens, solus medias acies fratris, perupit, cujus conspectus, adeò Ducem, militésque ejus omnes terruit, ut abjectis armis, supplices delicti veniam peterent, Sacræ Coronæ ducti reverentiâ. Sicque pax, & mutua concordia inter fratres reintegraretur.

VII.

VII. Sacra hæc Corona, nunquam hactenus hæretico capite contaminata fuit, sed nec contaminabitur unquam.

Nam estò Stephanus Zapollya, Joannis Zapollyæ Inter-Regis filius, post mortem utriúsque Parentis, à Fide Catholica defecerit, & ad impietatem Arianam apostataverit, tamen cùm ejusdem capiti hæc Sacra Corona, adhuc infanti, utcúnque (privatâ scilicet duntaxat authoritate, ac sinè Regnicolarum consensu) imposita fuisset, in Catholicæ Romanæ Ecclesiæ fuerat gremio, nec tamen is hanc ipsam suam apostasiam impunè tulit, nam cum fide vera, & Regnum, & Principatum, & Famam, & Familiam, & Cœlum infelix perdidit.

Meminimus quidem Boczkajo Calvinistæ Coronam ab Ahmete Turcarum Imperatore transmissam, capitíque ejus per Alibassam impositam fuisse, sed longè diversam ab hac Sacra Corona Regni Hungariæ, quam quidem nonnulli quondam Regni Serviæ fuisse probant, & perhibent, inde conjecturam capientes, quòd Amurathes pulso Rege Serviæ, ac Rasciæ Despota Georgio, filijs captis, & filiâ in Matrimonium lectâ, in partem thesauri sui, hanc eandem Coronam acceperit, apud quem latuisse illam ad illud tempus verosimile est; unde Boczkajus nunquam pro Rege fuit agnitus, & Corona illa, utpote spuria, ab Hungaris fuit contempta.

Demùm & Gabriel Betlehemus Transylvaniæ Princeps, bellum movens contra Ferdinandum II. Cæsarem, Anno 1619. Sacram Coronam (quæ tunc in Arce Posoniensi asservabatur.) varijs pollicitationibus, & machinationibus, à Palatino Sigismundo Forgach, ac Coronæ Custodibus, extorsit, ac sui Juris fecit, & Anno insequenti 1620. Neozolium indictis Comitijs à tumultuantibus in Regem electus fuit, hanc tamen Sacram Coronam, acatholico suo vertice attingere non præsumpsit; nec ad id attentandum, à Petro Alvincio prædicante suo Aulico, alijsque Consiliarijs (remordente nimirùm conscientiâ) ullis modis induci potuit, unde postea Anno 1622. facta cum Cæsare pace, & Titulo Regis Hungariæ se abdicavit, & Coronam Cæsari restituit.

VIII. Mira Dei circa Sacræ hujus Coronæ Conservationem providentia.

Illud certè admiratione non est indignum, quòd Regna amplissima, antiquissimáque Sclavoniæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Bosniæ, Serviæ, Galliciæ, Ladomeriæ, Cumaniæ, Bulgariæ, per Reges Hungariæ olim Coronæ Hungariæ annexa, & conjuncta, quæ extra omne dubium aliorum instar Regnorum suis gaudebant Coronis, neglectis proprijs Diadematibus, hanc unicam obvijs amplectantur ulnis, & Reges suos, qui hâc Coronâ exornantur, agnoscant pro legitimis, ita, ut Coronarum reliquarum Regionum, non modò non sit ampliùs usus, verùm quò illæ devenerint vix liqueat. Hæc autem usque ad præsens tempus, tot appetita insidijs, tot competentibus obnoxia, Inter tot pericula fuerit mirabiliter conservata, & sæpiùs abducta, rursus reducta, amissa, iterum inventa, intercepta, & vicissim recepta, uti ex ijs, quæ mox dicturi sumus, clariùs patebit.

§. II.

Sacræ Coronæ iterata Perditio, & Recuperatio, Abductio, & Reductio.

I. *Prima Profectio Sacræ Coronæ fuit ex Hungaria in Bohemiam.*

POst mortem enim Regis Andreæ III. Anno Domini 1301. major pars optimatum, contra intentum Pontificis Maximi, Bonifacij VIII. (qui Carolum Robertum, filium Caroli Martelli Regis Siciliæ, utpotè Stephani IV. Regis Hungariæ, ex filia Maria nepotem, Hungaris in Regem commendabat) Wenceslaum, filium tredecennem Wenceslai Regis Bohemiæ, ad Regnum capessendum evocavit, atque etiam Budam úsque, deduxit. Verùm cùm Pontifex, hanc Electionem improbaret, & pro Carolo Roberto potiùs instaret, cui etiam aliqua pars Procerum favebat. Wenceslaus partim propter Magnatum incerta studia, partim ob Pontificis cominationes, & Carolo Æmulo Regno imminente, minùs se tutum reputans, in quanto periculo sit, Patri quàm celerrimè nunciavit. Hic verò de filio sollicitus, quomodo illum de Regno Hungariæ, tunc factionibus, & seditionibus pleno, abduceret, periculisque imminentibus subduceret, coacto exercitu, magnis itineribus ad Pesthum, Danubio à Buda Regni Metropoli diremptum, accessit, positisque commodè Castris, Budam ad filium mittit, nè Danubium trajiciat, névè secus in conspectum Parentis, quàm coronatus Coronâ illâ Hungaris Sanctâ, veniat. Assentientibus (sed minùs providè, quod eventus docuit) Proceribus, jussa obit filius, Coronâque capiti suo accommodatâ ad amplexum Parentis admittitur, quam Wenceslaus Parens, quasi contemplaturus, seponens, reddere Hungaris recusavit, periculorum prætextu usus, quòd ubicunque Coronam, ibi & Regnum Hungariæ esse putandum existimaret. Et sic ipsam unà cum filio, tertio Regiminis anno, in Bohemiam abstulit.

II. *Sacræ Coronæ ex Bohemia in Bavariam Abductio.*

Post abitum Wenceslai, seriò deinde Hungaros urgente Pontifice, ad Carolum recipiendum proceres Regni ad id adduci adhuc minimè potuerunt. Otthoni itaque Bavariæ Duci, vel solo illo nomine, quod ex filia Belæ IV. Elisabetha progenitus esset, Regiam dignitatem offerunt. Nec is regnare recusat, si modò intellexerit, Wenceslaum ultro Regnum resignaturum. Ad explorandam igitur voluntatem ejus, Ottho Affines & Cognatos suos misit in Bohemiam, cum grandi pecunia, quâ si res prosperè cederet, Coronam statim à Wenceslao redimerent, illamque secum in Bavariam afferent. Nec caruit res eventu: Wenceslaus enim tam nobile, tamque opulentum Regnum, unà cum Sacra Corona, ac omni Jure, quod filius in Regno Hungariæ per eam acquisiverat, Otthoni consobrino suo, promptissimè largitus est, prece nê autem & gratu-

itò, an pretio, dissentiunt inter se Historici, sicque Sacra Corona, ex Bohemia in Bavariam abducta est.

III. Sacra Corona ex Bavaria in Hungariam reducitur.

Ottho Coronâ potitus venit in Hungariam, & Albæ Primoribus Regni eandem ostendit, quam ubi conspexêre, in Otthonis partes, etiam quidam ex factione Caroli Roberti, concesserunt. Itaque à Benedicto Vesprimiensi, & Antonio Chanadiensi Episcopis, in loco quidem solito coronatus est, non tamen planè ad veterem cæremoniæ modum, ac consuetudinem.

IV. Sacra Corona, per Otthonis Aulicum amittitur, & amissa invenitur.

Ottho post Coronationem, diversas partes Hungariæ invisens, Diadema secum ubique circumferebat, dumque Transylvaniam ingredi vellet, quò securiùs tutiùsque id circumferre posset. vanâ prudentiâ, & timore, tornatili inclusum laguncula, cuidam ex Aulicis illud commisit, qui non conscius, quòd tam pretiosum quidpiam eâ contineretur, parum de laguncula quam sellæ equestri alligaverat, sollicitus, cùm in itinere decidisset, eandem deperdidit, quæ tamen postero demùm die, remeantibus iter Aulicis, diligenter quæsita, circa crepusculum vespertinum reperta fuit, mirâ Divinâ Providentiâ, quòd in via publica, plurimis comeantibus visa non fuerit. Accidit id Anno Domini 1306.

V. Sacra Corona à Ladislao Vaivoda Transylvaniæ detinetur.

Portendum hoc amissæ Coronæ, significabat Imperium Otthoni in Hungaria non fore diuturnum. Igitur Ottho in Transylvaniam penetrans, facile sperabat à Ladislao illius Provinciæ Præfecto, debitum Regi obsequium. Verùm secùs accidit, nam is ex levi causa, ab Otthone offensus, vel partium Caroli Sectator, Otthoni non solùm Coronam eripuit, sed & in Arce quadam, eundem captum retinuit, nec in libertatem redire passus est, donec Jure Majestatis, quod ex Corona habuit, renunciato, Sacramento etiam promitteret, memoriam injuriæ perpetuò obliterandam. Relegatur itaque is ad Russos, ubi à â vicinis Borussis Germanis agnitus, ope horum, tandem ad suos rediit.

VI. Regressus Sanctæ Coronæ ex Transylvania in Hungariam.

Tandem Hungari Pontificis voluntati se accommodant, & Carolum toties commendatum, in Regem recipiunt. Venit igitur Carolus in Hungariam, sed Coronam à Vaivoda difficillimè recipere potuit, quam is, nonnisi post multas censuras, & gravissimas Pontificis monitiones, minasque, eidem tradidit, quâ mox etiam, omnium ordinum votis, atque studiis accedentibus, de more coronatus est. Regnavit porrò Carolus in Hungaria, annis 34. cui successit Ludovicus filius, qui regnavit annis 48. Huic verò filia Maria, quæ Coronam & Regnum tradidit, suo Marito Sigismundo, dein Imperatori, qui præfuit Regno annis omninò 50. Huic demùm successit Albertus Archi-Dux Austriæ, Mari-

Maritus Elisabethæ, filiæ Sigismundi, qui vix biennium regnando complevit. Et sic Sacra Corona in Arce Vissegradiensi conservata fuit, ad Annum Christi 1440.

VII. Translatio Sacræ Coronæ, ex Hungaria in Austriam.

Postquam Sigismundus vitæ diem clausisset, Albertus Austriæ Archi-Dux, Gener ipsius, non integro biennio, Regni habenas moderatus est, uti paulo antè insinuatum est.

Accidit autem ut interea temporis, Custos Diadematis Sacri, Georgius Palochi, Archi-Episcopus Strigoniensis, ex hac vita decederet, quô defunctô. Albertus Rex ocijssimè Strigonium se contulit. Ipsa verò Regina, thesaurum recognoscendo, Sacrum Diadema surripuit, & mulierculæ cuidam occultandum commisit. Qui insignis dolus postmodùm Reginæ haud infæliciter cessit. Extincto enim Adalberto Rege & Imperatore, morte immatura. Wladislaus ex Polonia, consensu quoque ipsiusmet Elisabethæ Reginæ viduæ, in Regem eligitur, ac per splendissimam Legationem in Regnum accersitur.

Interea autem in Arce Comarom, parit Regina filium posthumum Ladislaum nuncupatum, moxque à partu consilii prioris pœnitudine ducta, infantem vix quadrimestrem, in cunis vagientem, Coronâ quam abstulerat, per Dionysium Zechium Strigoniensem Archi-Episcopum, & Cardinalem, curat coronari.

Peracta ex voto coronatione nati, Regina denuò novas Sacræ Coronæ struit insidias, Arcem quippè Vissegrad, cum Proceribus profecta, eo prætextu ut Corona Conservatorio reconderetur, locò Coronæ veræ, suppositium quid in arcam recondit, subductâ genuinâ, atque cum ea & filio, se in Austriam, ad Fridericum III. Imperatorem recipit. Fuit id temporis Asservator Sacræ Coronæ, Ladislaus Gara, Banus Reginæ ipsius, & ob exploratam fidem, Consultor intimus. Nec desunt ex Historiographis, qui affirmant, ipso connivente, Coronam surreptam fuisse. Igitur Corona cum infante, in manibus Friderici existente, Wladislaus ex Polonia, in Hungariam venit, sed cùm Coronatio ejusdem peragi deberet, invenerunt quidem arcam, in qua Sacra Corona conservabatur, signis optimatum Regni, obsignitam, cæterùm Coronâ vacuam. Qua re vehementissimè perculsi Proceres, turbatique omnes ordines, præ stupore ac admiratione ambigunt, quidnam facere deberent, persuasum omninò habentes, Regem Hungariæ, nonnisi Coronâ illâ Sanctâ coronari posse. Desumptâ igitur ex statua Sancti Stephani Corona, quæ in Sacello Albensi posita erat, eam Regi Wladislao imponunt, ac postridie ex universorum suffragiis decernunt, ut hæc eadem Corona S. Stephani, pro futuris Regibus initiandis, reconderetur, si antiquam recuperare non liceret. Quinquennio post Wladislao Rege in prælio cum Turcis, ad Varnam Bulgariæ oppidum cæso, Ladislaus Posthumus, Alberti Regis Hungariæ Filius, in Regalibus comitiis, omnium voce ac consensu, Rex dedaratus est. Mox ad Fridericum Imperatorem, missi Oratores, Regem suum Ladislaum, & Coronam repperituri, cùm

nihil impetrâſſent, omnes Regnicolæ Joannem Huniadem, in Regni Gubernatorem eligunt, eidemque publico Comitiorum Decreto, in mandatis dant, ut Regem & Coronam armis à Cæſare repetat. Verùm Cæſar, nec precibus, nec armis, bellique incommodis & damnis, ut Regem & Coronam reſtitueret, adduci potuit. Septimò tandem Gubernii ſui anno, Hunniades obſeſſa Neopoli urbe Auſtriæ munitiſſima, hoc tantùm apud Cæſarem Fridericum efficit, ut Regem jam duodennem Hungaris redderet: non item Coronam Sacram, quam apud ſe retinere animo obſtinatiſſimo ſtatuerat.

VIII. Sacræ Coronæ ex Auſtria in Hungariam Reductio.

Ladislao Poſthumo morte repentina Pragæ non ſinè veneni ſuſpicione, Anno Chriſti 1458. extincto, Matthias filius Joannis Corvini è captivitate Bohemica liberatus, & ad Regium Culmen felicibus fatis evectus eſt, qui primùm & ante omnia, nihil antiquiùs habuit, quàm ut Sacram coronam, è poteſtate Friderici Cæſaris liberaret, & priſtinæ Sedi, ac Gloriæ reſtitueret. Sæpiùs igitur cum Friderico de ea reſtituenda, per Legationes egit, modo preces, & interceſſiones variorum Principum adhibuit, modo armis eandem repetiit, donec tandem exactis penè 25. annis, Principum Electorum ſuaſu, Fridericus, Coronam Sacram ſe Matthiæ redditurum ſpopondit, quod & re ipſa præſtitit, ſed nonniſi priùs 60. millia aureorum, ſummâ ab Hungaris depoſitâ, quâ dein Matthias Rex coronatus eſt, ſexto Regiminis ſui anno, Chriſti verò 1464. Regnavit annis 34. obiit anno Domini. 1490.

IX. Poſt mortem Matthiæ Corvini Regis, gravis pro Corona Sacra oritur diſceptatio.

Mortuo Matthia Corvino glorioſiſſimo Hungariæ Rege, ſtatim in pejus labi cœperunt res Sacrœ Coronæ, idque ob æmulationem, & diſcordiam ipſorum Procerum. Hi enim mox in quatuor omninò partes fuerunt inter ſe diviſi, quoad Succeſſorem Regni. Etenim pars una erat pro Joanne Corvino filio naturali ipſius Matthiæ Regis, ex Matre innominata, quam Matthias ſpecie matrimonii, in deliciis habuerat, nato, is iiſdem hoc honore dignus eſſe videbatur, ob memoriam Patris, & Avi, & præclaram ab ipſis derivatam indolem, præterea quòd maximarum Paternarum ditionum eſſet poſſeſſor, atque ipſam Sacram Coronam, in manibus ſuis haberet. Pars altera Optimatum, *Vladislaum* Bohemiæ Regem præoptabat. Tertia, quæ fuit partium ſuperiorum Regni, ad *Albertum* Polonum Fratrem Vladislai inclinabat. Quarta demùm ex Proceribus citeriorum Partium Hungariæ, *Maximiliano* Cæſari favebat. Tandem cùm diù multùmque diverſis ab Ordinibus ſententiis certatum eſſet, in *Vladislaum*, jam in viſceribus Regni, cum non contemnenda militum manu exiſtentem, conſentiunt, qui mox Viſſegrad, Sedem Coronæ cingit obſidione, & cum *Corvino* de Corona ſpontanea reſtitutione, magno ſtudio laborat. *Corvino* licèt à Turcico Tyranno ultrò validiſſima offererentur auxilia, is tamen

amore Patriæ flagrans, ad concordiam intendit animum, consecutusque dignitatem Ducalem, cum multis aliis ditionibus, annuit restitutioni Coronæ, injunxitque illicò Blasio Budensi, Coronæ Asservatori, ut eam unà cum Castro Vissegrad, Vladislao redderet. Missus itaque Vissegradum Wenceslaus Episcopus Zagrabiensis, ut Sacram Coronam Budam, in Ædem Divæ Genitricis, Regni Metropolitanam deferret, cui omnia Sacerdotum Collegia, & ordines occurrêre, quæ currui imposita, frequentissimo Procerum comitatu, Rege subsequente, in Arcem Regiam honestissimè delata, ibique dispositis excubiis, in Coronationis usque diem asservata fuit. Nec diù post Vladislaus Diadema Regium, ritu solenni suscepit. Regnavit autem Vladislaus annis 26. quô adhuc vivente, filius ejusdem Ludovicus II. in ipsis cunis, Regii capitis insigne accepit, regnavitque annis 10. post Parentis mortem.

X. Post mortem Vladislai II. varia Sacræ Coronæ Fortuna.

Superiùs intimatum est, sub Vladislao II. primos Duumviros, Sacræ Coronæ Conservatores constitutos fuisse, Urbanum Episcopum Agriensem, & Stephanum Bathori. His sub eodem Rege, successerant Stephanus Episcopus Sirmiensis, & Andreas Bathori, post hos commissa fuerat asservatio Sacræ Coronæ, Stephano de Zopolia Palatino, & Thomæ Episcopo Jaurinensi. Regnante verò Ludovico, Emericus Pereni Palatinus, & post mortem ipsius, Petrus Pereni, cum Joanne Zapolai, Coronam Sacram suæ fidei concreditam habuit. Post infelicissimam verò & fatalem Hungarorum ad Mohacz cladem, quâ magna pars Episcoporum, & flos Magnatum, Nobilitatisque, & robur militiæ, Hungaricæ concidit, ac ipse quoque Rex Ludovicus II. occubuit. Joannes Zapolai, Præfectus Transylvaniæ, potentiâ & divitiis valens, Regnum sibi deberi ratus, solicitatis & in suam sententiam pertractis haud paucis Proceribus, se Regem appellari obtinuit, & Coronâ suæ & Petri Pereni fidei concreditâ, ex Arce Vissegrad, privatâ authoritate desumptâ, per manus Pauli Archi-Episcopi Strigoniensis, redimitus est. Favebant interim plerique ex optimatibus, Ferdinando Archi-Duci Austriæ, qui Sororem Ludovici Regis Annam, in Matrimonio habebat. Ab his evocatus Ferdinandus, Budâ Sede Regni, & Albâ Regali ubi Reges coronari consueverunt, occupatâ, & Joannis Exercitu fuso fugatoque, Rex Hungariæ, proclamatus, & in Alba Regali, Sacrâ Coronâ insignitus est. Quam Petrus Pereni ob quandam injuriam & offensionem à Joanne desciscens, Ferdinaudo consignaverat. Joannes verò Sacro Diademate privatus, & Regno excussus, profugus solum vertere, ac in Polonia latere coactus est, qui tandem partim dolore, partim desperatione, perniciosissimo Consilio, ad hostis Christiani nominis opem confugit, cum extrema ruina Patriæ, & inexplicabili damno totius Christianitatis.

XI. Coronam Sacra incidit in manus Solymani Turcarum Imperatoris.

Petrus Pereni, qui jam Ferdinandi partes ſequebatur (utpotè cui etiam Diadema Sacrum tanquâm Aſſervator ejusdem, à Joanne deſciſcens tradiderat, & ob id ampliſſimis bonis, à Ferdinando auctus fuerat, Præfecturâ inſuper Tranſylvaniæ eidem promiſsâ, & ſervandæ Coronæ curâ denuò ipſi commendatâ) poſt Ferdinandi Coronationem, Coronam non adſolitam Arcis Viſſegradienſis cuſtodiam detulerat, ſed contra Leges Regni apud ſe detinuerat.

Poſtquam itaque Solymanus à Joanne Interrege invitatus, cum immani exercitu, in Hungariam irruiſſet, Perenius Coronæ ſibique metuens, cum tota Familia, & Regia Supellectile, ipsâque Sacrâ Coronâ ex Arce Soclos, tutioris permanſionis, conſervationisque causâ, in Sâros Patak fugâ contendebat, jamque pervenerat ad Pagum juxta Fluvium Sáarviz, Kajdacz nomine, noctem illic acturus. Cujus fugâ cognitâ, ij qui à parte Joannis interregis fuerant, nocte intempeſta, pagum invadunt, ipſumque Perenium, cum Uxore, Liberis, & omni theſauro. cui Sacrum Diadema adjunctum erat, capiunt, captumque cum Diademate, Solymano ad obſidionem Viennenſem, cum trecentis Aſiæ potentiæ millibus, illac tranſeunti offerunt. O facinus indignum! Neminem eorum latebat Sacræ Coronæ dignitas ac Religio, cui ſi, ac præterea honeſtati & gloriæ conſulere voluiſſent, nunquam tali infamia ſe, tam apud hoſtes, quàm apud gentem propriam, ac Patriam maculâſſent! Quæ namque major poterat fuiſſe proditio, quàm Sacræ Coronæ, in qua omnis Religio, Salus, Decusque Hungarorum ponebatur: in poteſtatem Tyranni ſubactio, & ab ipſis Hungaris traditio. Porrò Solymanus accepto Sacro Diademate, conceptum proſecutus eſt iter, totoque illo tempore, quo Viennam obſederat, id apud ſe retinuit.

XII. *Sacra Corona à Solymano Hungaris, & nominatim Ioanni Regi reſtituta.*

Solymanus poſt irritam obſidionem Viennenſem, Budam regreſſus, Joanne cum Proceribus accerſito, Diadema & reliqua ornamenta Regia, ultrò ipſe reſignavit, Divinitus haud dubiò Tyrannus excæcatus, ne hanc Sacram Coronam, in magnum Regni & Regnum Hungariæ præjudicium (uti cum Coronis aliorum Regnorum à ſe ſubactorum fecerunt Turcæ) apud ſe reſervaret. Quis non miretur tam pium factum ab impio Tyranno? & quis ambigere auſit, hanc Sacram Coronam, in Tutela præpotentis DEI eſſe.

XIII. *Sacra Corona in Tranſylvaniam reportatur, ac inde Poſonium, ad Ferdinandum deducitur.*

Joanne Interrege fatis functo, Iſabella Vidua ejuſdem, à Solymano Budâ excluſa, unà cum filio ac Coronâ in Tranſylvaniam ſibi aſſignatam, diſceſſit coacta, Anno Chriſti 1541. Eminebat inter alios Iſabellæ aſſeclas, Georgius Epiſcopus Varadienſis *Monachus* dictus, qui ab Iſabella offenſus, ad Ferdinan-

dinandum defecit, cum eoque tam de Transylvania, quâm de Corona tradenda paciscitur, acceptisque militaribus auxiliis, Duce Castaldo, à Ferdinando submissis, Isabellam, ad summas angustias, & conditiones prorsus durissimas redegit, quas inter, ea quoque una erat, ut Coronam, quæ à morte Regis mariti: in ipsius potestate fuerat, & Sceptrum, cum alia Regia Supellectili, Ferdinando resignaret. Ita Corona Sacra, in manus Georgii, & Ducum Ferdinandi, ab Isabella tradita, ac demùm Ferdinando Posonii tunc Comitia Regni celebranti, fuit consignata.

XIV. Sacra Corona Viennam, & inde Pragam abducitur.

Ferdinandus I. Imperator, & Rex Hungariæ, securitatis majoris ergò, Sacram Coronam ab Isabella non sinè difficultatibus maximis receptam, secum Viennam defert, ubi velut extra turbas Patriæ, in pacato consisteret. Quo adhuc superstite, Maximilianus Filius à Regnicolis in Regem adoptatus, eâdem Sacrâ Coronâ coronatur, Anno Christi 1562. Maximilianus verò Filium suum Rudolphum, Patris secutus exemplum, Regem designavit, & consentientibus Regni Ordinibus, eidem Regnum & Diadema publicè resignavit, Anno 1572. Quia verò Rudolphus potiori ex parte Pragæ residebat, Coronam quoque Sacram ibidem asservabat, usque ad annum Salutis 1608. Unde postea in Hungariam reducta fuit, occasione sequenti.

XV. Sacra Corona Pragâ ex Bohemia, Posonium in Hungariam reducitur.

Cùm Rudolphus Cæsar Pragæ inter privatos quasi parietes moratur, & Matthias Archi-Dux Hungariam loco fratris interim administrat, Matthias in Comitiis publicis Posonium indictis, ab Hungaris in Regni Gubernatorem eligitur, qui mox Confæderatione Hungarorum, cùm Austriacis & Moravis confecta, à Rudolpho fratre Coronam repetit Hungariæ, certus jam de sui inauguratione & electione in Regem. Cùmque Rudolphus in ea reddenda difficilior esset, Matthias statim ineunte vere, collectis non contemnendis copiis, Pragam versùs movit, Cæsaremque graviter ad Coronæ restitutionem ursit. Non defuêre qui Cæsari vim vi repellere, Archi-Ducique armis obviare, suaderent. Verùm res omnis juxta Archi-Ducis postulata, opera potissimum Francisci Dietrichsteinii, Episcopi Olomucensis & S. R. E. Cardinalis, pacificè composita est. Cæsar namque per eundem Cardinalem, reliquosque Legatos Coronam Hungariæ cum reliquis insignibus Regalibus Matthiæ Fratri transmisit. Archidux potitus hunc in modum Coronâ, ac sceptro Hungariæ, Posonium altera Comitia indixit, ac in iis in Regem Hungariæ coronatus est 15. Novembris. Sacra dein Corona reposita est in Arce Posoniensi pro ejusdemque asservatoribus, constituti sunt Duumviri, Petrus Revai, & Stephanus Palffi.

XVI. Sacra Corona à Gabriele Bethlehemo, Transylvaniæ Principe, Posonio abducitur, ac rursus remittitur.

Viven-

Vivente adhuc Matthia Cæsare & Rege Hungariæ, Ferdinandus Archi-Dux Filius Caroli Archi-Ducis, jam prius Rex Bohemiæ, in Regem Hungariæ coronatus est Posonii, Anno 1618. die 1. Julii atque insequenti anno 1619. mortuo Matthia succedit eidem in omnibus Provinciis hæreditariis ac Regnis. Quô eodem Anno Gabriel Bethlehemus Transylvaniæ Princeps, Hungariam invadit, atque superiore Hungaria in ordinem redactâ, Posonium usque progreditur, & à civibus magno cum plausu intromittitur. Erat tunc in Arce Posoniensi, Sigismundus Forgacs, Regni Hungariæ Palatinus, cum Coronæ custodibus. Hos Bethlehemus variis pollicitationibus, per iteratas ablegationes, ad se in urbem evocat, ac post multas compromissiones ad suas partes attrahit, ipsamque Coronam Sacram sui juris facit, quam inde Neosolium primo, deinde Vetrosolium, post Cassoviam, ac tandem Eczedinum secum abduxit. Anno dein 1620. Comitia Neosolium indicit, in quibus à tumultuantibus, in Regem Hungariæ eligitur; & licèt Sacram Coronam in manibus haberet, tamen sive conscientiâ ductus, sive ob absentiam Archi-Episcopi, qui ejusdem partibus adhærere nulla ratione voluit, ac cui ex officio incumbit Reges Coronare, à Sacræ Coronæ impositione abstinuit. Demum autem anno 1622. pace cum Cæsare inita, & titulo Regis Hungariæ se abdicavit, & Coronam Sacram Cæsari restituit. Eodem anno Ferdinandus Cæsar Comitia Sopronium indicit, in quibus Eleonora Imperatrix, Coronâ deductâ primò Trenchinium, ac inde Sopronium, in Reginam Hungariæ coronatur. Post anno 1625. Ferdinandus III. vivente Parente in Regem Hungariæ, eadem Coronâ Sacrâ redimitus est, ac anno 1647. Ferdinandus IV. ac demum 1655. LEOPOLDUS modernus Augustissimus, ac anno 1681. moderna Augustissima Magdalena Eleonora Theresia Sopronii.

XVII. Sacra Corona Hungariæ deducitur Viennam, ac rursum reducitur Posonium.

Anno Christi 1683. Turca rupta pace, insperatò infert Cæsari bellum, cum 200. & eò amplius millibus movens, Viennam obsessurus, ex altera parte cum sibi adhærentibus, ascendit Tökölius Turcarum correspondens & Cliens, Posonium usque, & ipse Sacræ Coronæ, inhians, verùm opportuno tempore jussu Cæsaris, Posonio, Viennam deducta est Sacra Corona, utroque duumviro eandem comitante, atque cum reliquo thesauro Cæsaris, qui ipse abductus fuerat Viennâ, eandem sortem subiit, cumque eo, Viennam, post solutam gloriosè à Principibus Christianis obsidionem Viennensem, fausto omine rediit, ibidemque detenta est, usque ad Coronationem Serenissimi JOSEPHI, qui anno 1687. in Regem Hungariæ omnium Ordinum votis & aggratulationibus coronatus est. Cui det DEUS vitam longissimam, & possessionem omnium Regnorum, ad Sacram Coronam spectantium.

III.

§. III.

Illustres Personæ, Sacræ Coronæ Hungariæ.

I. Sancti.

POno hic eos Sanctos, qui sub Sacra Corona Hungariæ, aut nati sunt, aut denati, idque ordine Alphabetico.

Sanctus Agricola Martyr in Pannonia, cujus etiam Romanum Martyrologium meminit.

S. Alexander miles, Driziparæ in Pannonia. 27. Martij.

S, Anastasius, ex Ordine S. Benedicti, qui ab aliquibus inter Archi-Episcopos Strigonienses, primus collocatur. 1. Januarij. 1009.

S. Anastasius Cornicularius, in Pannonia passus. 21. Aprilis.

SS. Anastasius, Jucundus, Rutilis, Petrus, Florus, Filis & Filianus Martyres Sirmij. 8. Januarij.

SS. Andreas & Benedictus MM. Eremitæ, prope Trenchinium, Anno 1002.

S. Andreas Fûlginiensis, ex Ord. S. Francisci, Hungarus. ad 13. Maji.

S. Augustinus Gazottus Hungarus, Episcopus Zagrabiensis, obijt 1332.

S. Banfi, O. S. Dominici, Pro-Regis Hungariæ Filius, à Tartaris pro Fide trucidatus. 1243.

S. Bonifacius Discipulus Astrici, in Inferiori Pannonia, Martyrio coronatus 1246.

S. Demetrius Diaconus Martyr, Passus Syrmij 303.

S, Emericus Filius Sancti Stephani Regis, mortuus 1031.

SS. Evilasius Præfectus & Fausta, in Misia Inferiori, quæ nunc est Bulgaria. Martyres. 304.

B. Eusebius, priùs Canonicus Strigoniensis, deinde Ordinis S. Pauli institutor 1215.

S. Gerardus Martyr & Episcopus Csanadiensis, occisus Anno 1047.

S. Guntherus Eremita, S. Stephani Cognatus. Mortuus Anno 1045.

SS. Hermylus, Stratonicus, & Singitunus, Martyrium passi Szenderoviæ, ad 17. Januarij.

S. Hieronymus, Stridone, in Dalmatiâ natus.

SS. Hilarius, Concessus, Maurus, Syrmion, Fortunatus, & Donatus, Martyres. Syrmij. 9. Aprilis.

SS. Innocentius & Sebastia, cum 30. Socijs, apud Syrmium Martyres. 4. Junij.

B. Joannes Teutonicus, Ordinis Prædicatorum, Bosnensis Episcopus, Obijt. 1253.

S. Irenæus Martyr, Episcopus Syrmiensis, passus 25. Martij.

S, Ladislaus Rex VIII. Hungariæ, obijt anno 1095.

S. Laurianus, Archi-Episcopus Hispaliensis, ex Nobili Hungarorum Familia, Martyrio coronatus. Anno 544.

S. Martinus Episcopus Turonensis, natus Sabariæ in Hungaria. Obijt anno 401.

S. Martinus Dumiensis, Archi-Episcopus Braccarensis, natus in Hungaria. Cujus memoria celebratur 20. Martij. Obijt an. 583.

B. Matthæus Escandeli, Civis Budensis, in Sinis Apostolus & Martyr. Anno 1009.

B. Mauritius Ordinis Prædicatorum, ex Familia Csakiana, Obijt Jaurini, 1376.

SS. Maximianus, Acution, Timotheus, Heristus, Artaxus, Vitus, & Achatus, Martyres Syrmienses. 2. Januarij.

SS. Montanus, & Montinianus, Syrmij Martyres. 11. Maij.

S. Montanus Presbyter, in flumen mersus Syrmij. 26. Martij.

S. Nicolaus Episcopus Dacorum, & Hungarorum, circa Annum 399.

S. Paulus Ordinis Prædicatorum Hungarus, qui primus Cumanis Evangelium prædicavit, & ab ijsdem cum 90. Socijs, pro Fide est occisus circa Anum Domini 1272.

S. Pollion, Syrmij Martyr. 28. Aprilis.

S. Quirinus Martyr & Episcopus Scisias, postea Laurenensis propè Sabariæ passus. Anno 302.

S. Rutilius cum socijs, prope Vesprimium, Martyrio coronatus. an. 303.

B. Sadochus Hungarus cum 48. socijs, Ordinis Prædicatorum in Tartaria prædicans Evangelium occisus. Anno 1360.

S. Salamon Rex, S. Ladislai Regis Patruelis, qui Regno exutus, duxit vitam Eremiticam, ac Polæ in Istria sepultus est.

SS. Secundus, Florentius, Geminianus, & Saturus, passi Syrmij. 6. Apr.

S. Serenus, cum 72. socijs, Syrmij martyrio affectus 303.

SS. Seronetus, Antigonus, Rutulus, Libus, & Rogatianus Martyres in Hungaria. 23. Febr.

S. Severus cum socijs 62. Syrmij Martyres 21. Febr.

S. Stephanus Rex Apostolus Obijt. 1038.

S. Timotheus Martyr Syrmiensis. 15. Maij.

II. *Sanctæ.*

Beata Agnes Sanctimonialis Sanctæ Claræ, Neptis Andreæ Regis Hungariæ, ex Sorore Constantia.

S. Cunegundis, Filia Belæ Regis, Soror Sanctæ Margaritæ Virginis, Conjux Boleslai Pudici, Regis Poloniæ.

S. Elisabeth Vidua, Ludovici Langravij Turingiæ, Filia Andreæ III: Regis Hungariæ.

S. Eugenda, Martyr, Syrmij 6. Aprilis.

S. Gy-

S. Gyſela, Soror Sancti Henrici Imperatoris, & Conjux S. Stephani Regis.

B. Helena, nutrix Beatæ Margaritæ Virginis. Obijt Veſprimij. 1270.

B. Iſabella, neptis Andreæ III. Regis Hungariæ.

B. Margarita, Filia Belæ Regis II.

S. Margarita Scotorum Regina, à Patre exulante, in Hungaria nata.

S. Maxima, Martyr, Syrmij, in fluvium demerſa.

SS. Ruffina, Moderata, & Romana, Martyres, Syrmij Martyrio affectæ 6. Aprilis.

S. Salonica, Conjux Colomanni, Regis Hungariæ.

SS. Septem Virgines & Martyres Syrmienſes. Anno Chriſti. 305.

III. Pontifices, & Imperatores Romani.

PONTIFICES.

Sanctus Cajus Dalmata, Patriâ Solonenſis. Joannes IV. & ipſe Dalmata.

IMPERATORES.

Trajanus Decius, Pannonius. Claudius Gotticus, Dalmata. Quintillus, Dalmata. Aurelianus, Pannonius, natus Syrmij. Diocletianus Dalmata, Patriâ Solonenſis. Maximinus, natus in Dacia. Maxentius Dacus. Conſtantinus, natus in Dacia. Conſtantius, natus in Illyrico. Jovinianus, Pannonius. Valentinianus, Pannonius. Valentinianus II. Pannonius. Valens, Pannonius. Gratianus, Pannonius Patriâ Syrmienſis. Probus, Pannonius, natus Syrmij. Juſtinianus, natus in Illyrico.

IV. Scriptores.

Sanctus Hieronymus Eccleſiæ Doctor. Gregorius Raguſinus, Sacræ Scripturæ eximius interpres. Frater Boëtius, ex Tranſylvania, Ariſtotelis interpres. Frater Joannes Raguſinus, excellens Theologus. Frater Julius, Dalmata, in Scholaſtica diſciplina, & Scriptura Sacra ingenuè verſatus. Frater Bernardus Chedaldus, Hiſtoricus. Frater Leonardus Raguſæus, Theologus. Frater Nicolaus, de Mirabilibus, Tranſylvanus Claudiopolitanus, Theologus. Nicolaus Olahus Archi-Epiſcopus Strigonienſis. Nicolaus Telegdi Epiſcopus. Cardinalis Pazmanus, è Soc. JESU, Archi-Epiſcopus Strigonienſis, varijs operibus clarus. Georgius Kaldi, ex eadem Societate. Joannes Nadaſi, multorum opuſculorum Aſceticorum author. Zacharias Trinckellius S. J. inſignis, Aſceta. Gregorius Cœlius, Ordinis Sancti Pauli primi Eremitæ, Scripturiſta. Valentinus Lépes. Epiſcopus Boſnenſis, accuratus Controverſiſta. Joannes Pannonius, Poëta. Joannes Sambucus Patriâ Tyrnavienſis, Hiſtoricus & Poëta. Nicolaus Iſtvanfius, Hiſtoricus. Abrahamus Bacskajus, Hiſtoricus. Petrus de Réva, & Thuroczius, Hiſtorici. Alios prætermitto.

V. Heroës.

Hos inter meritò numerari possunt: Rex Gejsa, Cognomento ob res præclarè gestas, *Magnus*. Ludovicus I. Rex Hungariæ, qui 40. annis regnavit, continua bella gloriosissimè gerens, & domi semper pacem colens. Stephanus Batthoreus, Rex Poloniæ, ex Transylvaniæ Principe, rebus præclarè gestis, toti Europæ notissimus. Joannes Hunniadi 30. prælijs contra Turcas initis, gloriosus. Matthias Corvinus, ejusdem Filius, & Rex Hungariæ, bellis, & rebus gloriosus. Paulus Kinisius, Turcarum terror. Nicolaus Eszterhazy, Regni Hungariæ Palatinus, incomparabilis Heros.

Palatinus Gara. Georgius Draskoviczius Cardinalis, Episcopus Jaurinensis, Orator in Concilio Tridentino, pro Hungaria. Thomas Bakos, Ab Erdôd, Cardinalis, & Patriarcha Constantinopolitanus, duarum Familiarum Illustrissimarum, Erdôdianæ, & Palffianæ erector. Joannes Colosvarius, Ordinis Prædicatorum, Episcopus Csanadiensis, Tridenti in Concilio Oecumenico mortuus 24. Novembris. 1562. Fransciscus Forgacs, Archi-Episcopus Strigoniensis, S. R. E. Cardinalis, & per Regnum Hungariæ, Regius Locumtenens. Et alij quàm plurimi, quos recensere longum esset.

§. IV.

Sacræ Coronæ incorporata Regna, & Provinciæ.

SAcra Corona Hungariæ, præter ipsam Hungariam, habet sibi annexa alia quoque Regna & Provincias. Regna sunt: Croatia, Sclavonia, Dalmatia, Bosnia, Servia, Rascia, & Bulgaria. Provinciæ verò: Transylvania, Valachia, & Moldavia. Ex quibus rursus aliquæ, habent sibi alias adjunctas, uti Croatia, Morlachiam, & Corbaviam, Bosnia, Ramam. Transylvania, Siculiam, Moldavia, Bessarabiam. Utuntur insuper Reges Hungariæ Titulo Regis Galliciæ, & Lodomeriæ, ac Cumaniæ. Et quidem Regna, Croatiæ, Sclavoniæ, adjecit Sacræ Coronæ, Sanctus Ladislaus Rex, qui ex hac vita migravit ad cœlum, Anno Christi 1095. Dalmatiam verò, ex integro Rex Colomannus, 1103. Lodomeriæ, & Galliciæ Regem, primus se scripsit, Bela III. Cumaniæ verò Bela IV. Bosniæ, Bela cœcus, 1188. Transylvania antiquo jure spectabat ad Hungariam, quam in Provinciæ Formam redegit ipsemet Sanctus Stephanus, primus Rex Hungariæ. Bulgariam, seu inferiorem Mysiam, adjunxit Stephanus V. Rex Hungariæ, qui mortuus est Anno Christi: 1278. Regnum Serviæ, Andreas Rex Hungariæ. Rasciæ Regnum, Rex Ludovicus I. Valachiam & Moldaviam, Carolus Primus. 1330.

§. V.

Hungariæ Descriptio.

I. Hungariæ amplitudo.

HUngaria propriè accepta, terminatur à Septemtrione, Poloniâ superiori, & Russiâ Rubrâ, mediante Carpatho monte, ab Oriente Transylvaniâ, ab Occidente Austriâ, Moraviâ, & Styriâ, à meridie Croatiâ & Sclavoniâ. Extenditur verò ab Occasum, seu quo ad Longitudinem 65. milliaribus Germanicis, & à Septemtrione, ad meridiem, seu quo ad Latitudinem 60. Ita, ut Latitudo sit par ferè Longitudini, adeoque propè quadratæ sit Figuræ. Continet proinde in se milliaria quadrata 3900.

II. Divisio Hungariæ.

Dividitur Hungaria prima divisione, in Superiorem & Inferiorem. Superior est Trans danubium, Poloniæ ac Transylvaniæ conterminata. Inferior est, Cis danubium. Utraque dein subdividitur in Comitatus, seu tractus terræ qui non sunt aliud, quàm totidem provinciæ, Principatibus multis, imò & Ducatibus pares. Sunt autem tales Comitatus in ipsa Hungaria (exclusis Comitatibus Sclavoniæ, & Transylvaniæ) numero 48. Juxta sequentem Indicem.

Index Comitatuum Hungariæ.

1. Posoniensis.
2. Mosoniensis.
3. Jaurinensis.
4. Comaromiensis.
5. Sopronienſis.
6. Castri Ferrei.
7. Szaladiensis.
8. Vesprimiensis.
9. Strigoniensis.
10. Albensis.
11. Pillisiensis.
12. Sômegiensis.
13. Tolnensis.
14. Baraniensis.
15. Bachiensis.
16. Bodrogiensis.
17. Csanadiensis.
18. Temesiensis.
19. Csongradiensis.
20. Orodiensis.
21. Torantaliensis.
22. Sarosiensis.
23. Beregiensis.
24. Pestiensis.
25. Hevesiensis.
26. Neogradiensis.
27. Barsiensis.
28. Nitriensis.
29. Zoliensis.
30. Hontensis.
31. Szabolczensis.
32. Szolnokiensis.
33. Trenchiniensis.
34. Thurocziensis.
35. Lyptoviensis.
36. Arvensis.
37. Scepusiensis.
38. Tornensis.
39. Borsidiensis.
40. Gômôriensis.
41. Aba ujvariensis.
42. Zempliniensis.
43. Ungvariensis.
44. Ugocziensis.
45. Szakmariensis.
46. Maromarosiensis.
47. Solthiensis.
48. Kraszoviensis.

Olim autem plures fuisse constat.

Ex his rursus aliqui subdividuntur, ut Hevesiensis, in Kis Hevesiensem, & Nagy Hevesiensem. Et Szolnokiensis, in interiorem & exteriorem.

Porrò singuli Comitatus, habent suum Tribunal, quod constituunt: Supremus Comes Comitatus, Vice-Comes, 12. Assessores Jurati, & Notarius. His adduntur certi Judices Nobilium, qui in causis dirimendis, etiam extra Conventus publicos, & Sedes Judiciarias assistunt. (Conventibus verò, seu Congrega-

gregationibus publicis Comitatûs, omnes Nobiles illius Comitatûs, interesse possunt, & aliquando etiam tenentur.)

III. Montes Hungariæ.

Campestris licèt Regio sit Hungaria, ab ea tamen parte, quâ contermina est Moraviæ, Silesiæ, Poloniæ, & Russiæ, continuis montibus cingitur, qui Carpathici nuncupantur, ac statim Posonio incipientes, longissimo fluxo, úsque ad eum locum, ubi Regio est, quam Maromarosiam vocamus, excurrunt. Hinc alij rursus montes & Sylvæ, Severinum versùs se extendunt, & Hungariam à Transylvania, & Valachia transalpina separant. Altissimi hi montes sunt, circa Comitatum Lyptoviensem, & Scepusiensem, nusquam enim altius se attollunt, nec horribilioribus jugis assurgunt, unde & Nivis montes eos dicunt Germani Incolæ, & Slavorum lingva appellantur *Tartari*, & per Contractionem *Tatri*; eò, quòd versùs Tartariam protendantur, ab Hungaris Tarchal nuncupantur, vel etiam Nivosæ Alpes. Ex his Alpibus complura Flumina in tres diversas ferè partes, nempè in ortum, per Superiorem Hungariam, in Occasum, per Inferiorem, & in Septemtrionem, per Poloniam, trahunt suam originem. Abundant verò feris & avibus, ac præsertim damis, & capris Sylvestribus, urogallis, & Attagenibus, metallis item varijs, & pretiosis lapidibus, quin & Adamantibus; inveniuntúrque subinde in ijs virgulæ nativi auri, & quidem purissimi. Et quod mirum cuipiam videri posset - in earundem altitudine Summa, Lacus ingentes, quorum maximus oculus maris appellatur, in quo quandóque etiam navium fragmenta reperiuntur, quod argumento est, eum per meatus subterraneos, cum mari communicationem habere. E regione horum, sunt alij quóque montes, ubi Montanæ Civitates jacent, omnium Minerarum fodinis celebres. adeò ut hac nostra ætate, vel ex unica Schemnicziensi Fodina, labore Spacij sex dierum, eruantur circiter 4000. Marcarum Argenti. Cæterùm, pro varietate locorum, varia sortiuntur nomina. Estò enim communi nomine vocentur Carpathici montes, versùs Moraviam tamen vergentes, dicuntur montes albi, versùs Poloniam, Tatri, versus Russiam, Biesscidij. Postremò montes sive colles, quorum tres ponuntur in Regni Hungariæ insigni sunt: Tatra, Fatra, & Matra.

IV. Fluvij Hungariæ.

Fluvij præcipui Hungariæ, quos etiam in suis insignijs gestat, sunt quatuor, nempe: Danubius, Tibiscus, Savus, & Dravus, qui alios deinde complures in se recipiunt. Et verò *Danubius*, fluviorum Europæ maximus, oritur in Confinibus Rheticis, è fonte perenni longo pedes 26. lato pedes duos, in colle vix 16. cubitos eminente. Qui postmodum per Germaniæ fines, Ducatum Virtembergensem, Sveviam, Bavariam, Austriam decurrens, propè Posonium Hungariam ingreditur, auctus exinde Morava Fluvio, ad arcem & oppidum Dévin, ipsam urbem Posoniensem alluit, mox in Ortum hybernum flectens, in quatuor scinditur brachia, atque Insulas aliquot efficit, sed duas præcipuas, majo-

majorem ſcilicet & minorem Schutiam (vulgo Czalokőz dictas) tredecim milliaribus in longitudinem protenſas, pomarijs & viridarijs, muncipijs cultas, utpotè in quibus olim 300. circiter pagi numerabantur ac oppida. Danubius ſic in duos præcipuos diviſus ramos, in dextro brachio recipit Fluvium Lejtham, ad oppidum & Arcem Ovar, Germanis Altenburgum dictam, ac dein Arabone, ſeu Raba, & Rabnicz Fluvijs augetur ad Jaurinum. In ſiniſtro verò brachio excipit fluvium Dudvag dictum, ac dein fluvium navigabilem Vagum, ſupra Præſidium Gutta, ac infra illud fluvium Nitra, átque iterum redit ad reliquos ramos, ad Comaromium, egregium arte & naturâ munitum Fortalitium, in ipſo angulo Inſulæ. Hinc verò Danubius ripas latiùs explicat, ſed propter æqualitatem ſoli, curſu minus fertur concitato. Poſt ad Strigonium augetur Grano fluvio, ibique ponte lintrium ad Parcanum ſternitur, nec multò infra recipit in ſe fluvium Ipol, præter fluítque Arcem Viſſegrad, ubi rurſus in duos Ramos diviſus, efficit Inſulam Sancti Andreæ, uno brachio Vaciam alluente, mox in unum confluens, pleno alveo interluit Budam, Regiam Sedem, & Peſthum Civitatem eidem oppoſitam, ponte navali conjunctam. Inde decurrens, varias Inſulas efformat, quarum illa celebrior, quæ infra Budam ſtatim eſt Czepel, alijs verò Raczenmark appellatam, avibus & feris abundantem, quæ ſolebat eſſe Reginarum Hungariæ, jure Donationis propter Nuptias. Hæc longa eſt in Meridiem novem milliaribus, lata verò duobus aut tribus, pro locorum diverſitate. Dein decem milliaribus infra Budam, Colocsam Archi-Epiſcopalem Sedem præterfluit, & hinc progrediens, fluvium ſtagnantem Sárviz nuncupatum in ſe recipit, ac poſt alium ad Dunavar Arcem, ac demum Dravum fluvium, ad arcem & oppidum Eſzek, loco opportuniſſimo ſitum, ob paludes longè latèque diffuſas, per quas non niſi per longiſſimos pontes tranſitus eſt in Hungariam. Inde quatuor milliaribus, fluvio Karazina ad Valkovar auctus, ac hinc ſex milliaribus infra, fluvio Tibiſco, ac poſt tria milliaria, Savo, ad Urbem Belgradum, ubi nomen Danubij amittit, ac hinc appellatur Iſter. Conficitque Danubius Hungariam, decurrendo Poſonio Belgradum úsque, milliaria Germanica Sexaginta quinque.

Tibiſcus.

Tibiſcus, Incolis Tiſſa, oritur ex montibus Carpathicis, Tranſylvaniam versùs vergentibus, in Comitatu Maroſmaroſienſi, in ipſo limite Tranſylvaniæ, & Ruſſiæ Rubræ, humili alias ex fonte in monte Koltberg, ſed mox quinque alijs rivulis in vicinia ortis, augetur tanto incremento, ut in tertium milliare, patiens ſit navigiorum, quibus evehuntur lapides, ſeu fruſta ſalis 4000. ſingula librarum circiter 20. Atque Arces Huſzt & Nialab interfluens, & Comitatus Ugocsienſem & Peregienſem dividens, augetur *Samuzio* fluvio, ad ejusdem Cognominis oppidum, ac paulo infra *Graſzna* fluvio ad Apati, ac *Bodrogo* ad Tokainum, mox tribus milliaribus infra *Hernate* fluvio, atque huic proximè ſe evolvente *Sajo* fluvio. Deinde in Meridiem tendens, receptisque flu-

vijs

vijs *Sagyva* ad Szolnokinum, & *Chrisio*, vulgò kőrős ad Csongradinum. & *Marusio* ad Szegedinum, ac tandem *Temesio*, quarum omnium aquis auctus, supra ostium Savi, in eundem Danubium se exonerat, vix duobus milliaribus infra Varadinum Petri, & quatuor milliaribus supra Belgradum.

Dravus.

Dravus oritur in Carinthia, ex monte Cecio fonte non magno, fluénsque per Styriam inferiorem, labitur juxta Marpurgum & Petovium, deinde infra Legradum, amnem Muram recipiens, efficit Insulam Muraköz nominatam, in qua sita est Arx Chak-Tornya, Familiæ Zrinianæ, & Hungariam Inferiorem à Sclavonia & parte Croatiæ separans, paulò infra, fluvium Salam, & alios minores fluvios in se recipit. Ex quibus unus Sigethum, alter Quinque Ecclesias præterfluit, rigatísque aliquot locis, nullius nominis, ad Murzam, seu Eszekinum, penes oppidum Drazad, aut rectius *Darda* Danubio immiscetur.

Savus.

Savus ex Alpibus Carnicis exortus fertur in ortum, per Carniolam, ad Urbem olim Æmonam post Naupartum nunc Labacum dictam, quæ ipsi insidet, & prætervectus, Celejam Romanorum Coloniam, nunc Comitatum Cilleæ quietior labitur, Croatiam sejungens à Sclavonia, & Bosnia, ac Rascia.

Is multis adauctus fluminibus, Sclavoniæ Hungariæ, Croatiæ, & Bosniæ, nempe Labaco, Gurka, Mroschinza, Backara, Vuna, Colapi & Drino, fluvijs descendit perfines Sirmij, & mœnia Arcis Szabath alluens, sub Belgrado, quâ occidentem respicit, in Danubium se exonerat, post cursum 300. millium passuum. At ubi Colapium in se recipit Insulam efficit, quæ olim Sigestica, nunc Zisek dicitur, in qua sita est Arx Gapituli Zagrabiensis, ejusdem nominis. Hæc sunt quatuor Hungariæ flumina præcipua, quæ Matthias Corvinus Rex. quondam in Consessu Principum, quatuor Piscinarum suarum nomine celebravit. Jam ad descriptionem minorum quidem, potiorum tamen, fluviorum descriptionem descendamus.

Leyta.

Leyta, sive Leytha, Fluvius Austriæ, & Limes, átque eandem ab Hungaria dividens, excipiénsque rivum Neostadiensem Urbem præterfluentem, rigat deinde *Prucham* Civitatem, ubi ponte sternitur, unde etiam Leytæ pons dicitur, ac tunc demum in Danubium, ad Arcem Ovar, seu Germanicum Altenburgum, influit.

Arabo.

Arabo, qui & *Narrabo*, vernaculâ lingvâ *Raba*, ortus ex montibus Styriæ, deinde in ortum tendens: per Hungariam Inferiorem labitur, ac per Comitatum Zaladiensem, Castriferrei, & Jaurinensem decurrens, ubi receptis in se Pinka & Ginzio fluvijs, rigatísque Fano Sancti Gotthardi, & Kőrmendo Oppido infra Sarvarinum præclaram munitionem, in duo brachia scinditur, quorum

rum finiſtrum Rabnicz dicitur, efficitque Inſulam, ad Septem milliaria in Longitudinem extenſam, ac tandem ad Iaurinum, iterum confluens, in Danubium ſe exonerat.

Vagus.

Vagus, Fluvius navigabilis, oritur ex monte Carpatho, in finibus Poloniæ & Hungariæ, ſupra Pagum Vazſes, tranſit deinde per Comitatum Lyptovienſem, ubi proximis augetur Fluviolis limpidiſſimis, ac dein per Comitatum Thuroczienſem, multas arces, ipsúmque Trenchinium, ac poſtea Galgoczium, Sentaviam, & Selliam alluens, ſe in Danubium exonerat, duobus milliaribus, ſupra Comaromium, in Septemtrionem, decurrens viginti milliaria circiter.

Nitra.

Nitra, oritur ſupra Bajmoczium arcem & oppidum, in ipſis terminis Comitatûs Thuroczienſis, indéque præterfluit arces, Nagy Topolczan, Suran, & Ujvarinum, Germanis Najhasl, ac tandem ad Guttam præſidium, in Danubium evolvitur.

Granus.

Granus. Ex montium Jugis Comitatus Lyptovienſis. Qui præterfluens Neozolium, & Vetroſolium, Montanas Civitates, ad Strigonium in Danubium evolvitur.

Ipol.

Ipol. Fluvius oritur non multò ſupra arcem Vigleſiam, deinde ſiniſtrorum relicto Caſtro Dévén, ac mox præſidium Fülökienſe præterfluens, Szecsenium, & Gyarmatinum, è Regione Neogradini, influens in Granum fluvium.

Hernadus & Tarcza.

Hernadus & Tarcza, ex montibus Scepuſienſibus promanant, átque hic Saroſinum & Eperieſinum alluens, ac ille Caſſoviam, infra eam jungitur in unum alveum, variiſque dein Meandris defluentes, exonerantur in Tibiſcum.

Sajo.

Sajo ortus non procul ab Arce Muran, prætercurrens Comitatum Thornenſem, & alluens præſidium Putnok decurrit per Comitatum Borſodienſem, ac demum infra Onodinum, delabitur in Tibiſcum.

Bodrogus.

Bodrogus Originem trahit haud procul à Makovicza arce, in montibus Carpathicis, Poloniam attingentibus, percurrit Comitatum Ungvarinenſem, & Zemplinienſem, auctus dein aliquot fluvijs, ac præſertim *Laborcza* & *Ung* fluvio, qui Ungvarinum præterfluit, pleno alveo alluit Patakinum, átque ad Tokajum influit in Tibiſcum.

Samusius.

Samusius prodit e Transylvaniæ finibus, post auctus alijs fluviolis, irrigat Nagy-Banyam Civitatem, dein Meggyes arcem, & Szakmarinum præsidium, ac demum Samos oppidum, ubi in Tibiscum influit.

Keres.

Keres Latinè Chrisius, ex tribus coalescit amnibus, qui omnes dicuntur Chrisij, quòd ram‹ ›nta auri, & massulæ aliquandò reperiantur, in ijs inglandis magnitudine, & majores etiam quandóque, nam violenter ita exundant, ut ipsos currus abducant in præceps.

Ex his qui Borealem partem tenet, primas Hungariæ metas, à Transylvanicis limitibus dividit, ejus fontes erumpunt è Dacicis jugis supra *Sebesvar*, ac inter asperas præcipitésque Alpes, continuis anfractibus præcipitatus, celeri dein meatu decurrit per loca campestria, quæ Valachi incolunt, ex quæstu pecorum & piscium victitantes, ac præterfluens Telegdinum oppidum, inde vadit ad Varadinensem Civitatem, amplissimam, in planicie sitam, ac arce egregiè munitam. Australis verò oritur ex Alpibus, quibus imminet *Abrucbanya*, ac in decursu salutat *Keresbanyam* oppidum, quod Saxones & Valachi incolunt, ac 16. milliaribus infra, præsidium Turcicum bene firmatum, Gyulam. Medius demum alluit Jenő, qui postmodum simul juncti uno alveo illabuntur in Tibiscum ad Czongradinum.

Meriscus.

Meriscus vulgò *Maros*. Fluvius hic ex alpibus, qui Transylvaniæ Moldaviam jungunt, fluit exili primò alveo, deinde collectis aliorum rivulorum undis auctior labitur per Transylvaniam, ac Hungariæ fines ingrediens alluit Lippam, & Czanadinum, átque ad Szegedinum decurrit in Tibiscum. Per eum Sal omne evehitur è Transylvania, & Szegedini deponitur, átque inde per totam defertur Hungariam, indéque per Tibiscum, Belgradum & in Serviam deducitur.

Temesa.

Temesa vulgò *Temes*. Tibiscus Danubio proximus, excipit fluvium Temesam, qui in Alpibus Valachiæ Transalpinæ ortus perluit Karansebesum, Lugas, & post Temesvarinum, Turcarum fortalitium, opere, naturâ, & præsidio munitum: antequam autem in Tibiscum influat, diffinditur, & Becskerck lacum efficit.

V. Opulentiæ & fertilitas Hungariæ.

Hâc de re potiùs externorum quàm domesticorum Scriptorum adduco Testimonium, & ne longior sim, duntaxat trium; in ore enim duorum vel trium, stat (ipsa veritate attestante) omne verbum.

Primus sit *Petrus Bizarrus*, qui in suo Libro de Bello Pannonico, de Hungaria

garia scribens, sic loquitur: *Nulli* (inquit) *Regioni terrarum cedit hominum robore, pecorum fœcunditate, ubertate Soli, ac metallorum Copiâ. Cœli præterea benignitate, ac pulchritudine situs, omnibus Regionibus, suo jure potest anteferri. Tellus rerum omnium copia à naturâ donata, ubi argentum, Sal, Lapillos, colores, effodere liceat. Frumenti, pabuli, leguminis, & pomorum abundantiâ præstat. Neque deest copia piscium, & cupri confectura: in plerisque fluminibus, auri optima ramenta inveniuntur, quin & in vitibus, in aurifero solo sitis, aurum quandóque legunt.* Hæc ille, quem tamen Georgius Vuernherus & ipse exterus, nimis adhuc parcè locutum arguit.

Alter sit *Callimachus*, qui Amaratem Turcarum Imperatorem; suos ad debellandam Hungariam concitantem, sic inducit loquentem: *Hactenus cum natura luctati sumus, in confractis, præruptísque Bulgariæ, & Rasciæ montibus. Fames, sitis, labor, desperatio, vincenda fuit: Vicimus, non alia mercede allecti, quàm ut Beatæ Hungariæ, opulentiam aliquando attingeremus. Hinc jam militiæ nostræ præmia, hinc gloria innititur. Ad portas perventum est: quibus patefactis, non Saxa inaccessa, non inviæ solitudines, emetiendæ nobis, sed per loca naturâ ipsâ! & humano cultu longè amœnissima, ingrediemur. Hominum, jumentorúmque omnis generis alimenta passim, non ad necessitatem, sed ad Luxuriam, cum ubertate Soli, temperies cœli, aquarúmque abundantia suppeditat. Quicquid alibi operosa cura vix educat, illic spontè fert sua terræ benignitas; ut credi possit, naturam colendi agri, cæteris Regionibus, exemplum daturam, præcipuo quodam cultu Hungariam excoluisse, sed neque usquam liberaliorem indulgendis divitiis fuisse constat. Aurum enim, quod alij mortales rarissimis in locis laboriosissimè effodiunt, Hungari velut quoddam virgulti genus, etiam pullulans, beatissima fortunæ opulentiâ decerpunt.* Hæc iste.

Tertius sit P. Georgius Fournier, Gallus, in sua Geographica orbis notitia, Libro 11. Cap. 9. Ubi Hungariam describens, sic habet: *Ipsum verò solum, nulli cedit virorum fortitudine, animalium fœcunditate, vini generositate, & metallorum varietate. Boum Capita circiter 80000. per solam Viennam quotannis transmittit in Germaniam, Terra, Semen quod ipsi creditur, in melius frumentum commutat, intra annos tres, tanta scilicet est agri ubertas, & pingvedo. Optimorum piscium nullibi major copia, imò vilitas.* Et Capite 19. hæc addit: *Nullus est fluvius, qui Tibiscum superet proventu piscium, sive rationem habeas diversarum specierum, sive magnitudinis, sive Saporis. Præcipui sunt: Sturiones, Lucij, Carpiones, quorum omnium tantam largitur Copiam, ut cum intra Regionis limites, distribui nequeant, neque evehi ad circumpositas, his porcorum greges alantur.* Prætermittit autem hic Author Husonum copiam, quam Danubius & Tibiscus, Trutarum majorum, quam Scepusium, ac tractus certi fluvij Vagi, Trutarum, Fundulorum, & aliorum Saxatilium piscium, quam fluvij Comitatûs Lyptoviensis, & Thuroczienfis, & Chrisij amnes, aliique copiosè subministrant. Prætermisêre & alij Salis nativi abundantiam, omnisque generis avi-

um, ac fructuum, ac ipsorum metallorum & mineralium præstantiam, varietatem, & multitudinem.

VI. *Lacus, & aquæ minerales Hungariæ.*

Duos præcipuos habet Lacus Hungaria, quorum uni nomen est Balaton, alteri Fertö, Germanis Nejsidl, ille tredecim circiter milliarium in longitudinem est protensus, alter non ita longus, sed Balatone longè latior, utérque piscosus, ac in circuitu frequentibus pagis ac oppidis, agris item, vinetis, & pratis optimè excultus.

Porrò Minerales aquæ, eæ, quas Acidulas dicimus, sunt quàm plurimæ, sed & Thermales perquam frequentes. Cujusmodi sunt: Budenses, Strigonienses, Pústénienses, propè Galgoczium, Trenchinienses, Bajmoczenses, Stubnenses, in Comitatu Thurocziensi, Divi Joannis, in Comitatu Lyptoviensi, Semniczenses, dictæ Rosallinæ, Varadienses, Bielesczienses, sunt & aliæ Saluberrimæ aquæ, & aliæ rursus, quibus injectum ferrum, intra viginti quatuor horas, in optimum vertitur cuprum.

VII. *Incolæ Hungariæ moderni, ac veteres.*

Nulla ferè Regio est, quàm tot & tam diversæ gentes, & nationes incolant, átque incoluerint, uti Hungariam; ita, ut cùm aliæ Regiones, in suis vicissitudinibus, Dominos duntaxat, & Monarchas mutent, Hungaria integras etiam nationes, pro bonitate & fertilitate terræ concertantes, sæpiùs mutaverit.

Primus autem Incola Pannoniæ, fertur fuisse *Bannon* ex *Semi.* progenie, qui & Provinciæ huic dedit nomen. Cujus etiam posteri, postea Græcis Pæones fuêre dicti. Postquam autem Latinis innotuêre, Pannones sunt appellati. Ajunt verò Bannonis, ad has oras adventum accidisse, Anno à Diluvio 167.

Anno dein 1791. Diluvij, *Darejus* Hidaspis filius, Pæonum sive Pannonum libertati insidiatus est; quos etiam subactos, magna ex parte in Servitutem abegerat. Sed anno statim tertio, exorta contra *Darejum* Rebellione, cujus Author fuerat *Aristagoras* Mileti Tyrannus, iterum in Patriam rediêre.

Post Anno Diluvij 1932. Cùm finitimis formidolosi essent, *Amynthas* Macedonum Rex, populi ferocitatem pertæsus, bellum illis intulit, sed infeliciter cum ijs pugnavit, eorundémque stipendiarius esse adactus est. Quam ignominiam cùm *Berdicas* Macedo ulcisci vellet, Anno Diluvij 1945. ipse in captivitatem incidit, & Macedones magnâ affecti clade, cum dedecore domum redire coacti sunt. Ac dein victoriâ Pannones elati Macedoniam invadunt, Anno Diluvij, 1946. Duce *Bardyllo*, verùm à Philippo Rege Macedonum victi, vix precario pacem impetravêre, cúmque iterum anno quinto, Philippi, rebellâssent, plenè à Macedonibus subjugati sunt; postmodum tamen sub Alexandro Magno, ob res præclarè in bello gestas, cùm is contra Darium, Persarum Regem bellâsset, libertate pristinâ, ab eodem donati fuêre. Quâ in libertate permanserunt postea, úsque ad *Augusti* tempora, qui Anno Christi nono,

nono, Pannoniam in Provinciam Romanam redegit, mansitque dein sub Imperio Romano, annis ampliùs quam 300.

At declinante Imperio Romano, *Vandali à Gothis* proprijs sedibus pulsi, Imperatoris Constantini permissu, in Pannoniam venientes, eandem occupârunt, & aliquandiu etiam incoluerunt. Sed hinc quoque postea migrare sunt coacti, ab ijsdem *Gotthis* Pannoniâ ejecti. Verùm néque *Gotthorum* diuturnum Imperium fuit in Pannonia. Nam Hunni ex Scythia, cum numerosissimo exercitu prodeuntes, expulsis *Gotthis*, Pannoniam sui Juris fecerunt, pacatâque Provinciâ Reges habuerunt duos. Atilam, qui 27. annis præfuit, & dein Filium ejusdem Ernacum, qui 3. imperavit annis, sed fraterno ac civili bello, exhaustis viribus, in Scythiam, ab *Ostrogotthis*, repulsus est, paucis ex Hunnis in Pannonia relictis. Sicque Pannonia sub potestate Hunnorum erat 80. prope annis. *Ostrogotthi* deinde Pannoniæ imperârunt sub quatuor Regibus. Quorum Valamir regnavit annis 4. Teudomer 11. Theodoricus 51. Athalaricus 3. cùm ecce Longobardi superveniunt, & pulsis Ostrogotthis, Pannoniæ regimen, ac Dominium sibi usurpant. Quorum primus in Pannonia Rex *Andericus* dictus regnavit, annos 17. ac post, ejusdem Successor, annos 25. donec à Narsete in Italiam vocatus, Hunnis veteribus amicis, Regionem ex pactis cessit, ut si quo tempore Longobardis necessè foret reverti, sua rursum arva, liceat sibi repetere. Recuperatâ igitur Pannoniâ, iterum Hunni eidem præsunt, sub Rege *Avaria*, à quô tunc etiam Avares nuncupabantur, qui cùm regnasset annis 29. Chacanum habuit Successorem.

Anno dein 604. Mauritius Imperator, iterum Pannoniam recepit, mansitque ea sub Orientalis Imperij Jure, annis 140.

Anno demum 744. Hunni tertiò irrumpunt in Pannoniam, sub septem Ducibus, eámque sibi plenè subdunt, ac possident, ad Annum Christi 805, Quo Carolus Magnus Hunnos devicit, átque Hungariam Imperio adjecit. Præfuerunt autem Pannoniæ Franci, úsque ad finem noni Sæculi, sed post mortem *Arnulphi* Cæsaris, in quô defecit Caroli Magni stemma, in Libertatem rursus se vendicarunt, átque sub Ducibus gubernabantur, úsque ad annum 1000. quó Primus Rex Hungariæ factus est, Sanctus Stephanus Rex, & ab illo tempore, continuata serie, úsque in præsens Regibus suis legitimè coronatis, paret.

Jam videndum restat, quæ, & qualesnam fuerint hæ Nationes, nempe: Vandali, Gotthi, Ostrogotthi, Longobardi, Hunni, Avares, quin & Jaziges, quos constat antiquos incolas fuisse Pannoniæ.

Vandali itáque populi fuêre septemtrionales, antiquissimis temporibus, inter sinum *Codanum*, & fluvios *Vistulam*, *Albim*, & *Chalusum* extensi, postea etiam magis in vicinijs protensi; sed lapsu temporis, Vandali propriè dicta est gens, Regiones versûs mare *Balthicum*, & *Odere* ostia incolens. Hæc itáque à *Gotthis*, priùs proprijs Sedibus, ac dein etiam Pannoniâ pulsa, alias sibi sedes quærens, in longissimas sedes est profecta, ac per Galliam, in Hispaniam progressa, ibidem in Boëtica Regione se locavit, quæ propterea Vandalicia cri-

amnum vocatur. Inde in Africam, pars ejus una transiens, partem illius septemtrionalem, versùs mare, Mediterraneum, occupavit. diúque hanc tenuit, sicut & Sardiniam Insulam sub *Genserico* Rege.

Gotthi & Ostrogotthi, erant populi Sarmatiæ Europeæ, hi primum, versùs partem Septemtrionalem Ponti Euxini, & Mæotidem paludem consedêre, átque lapsu temporis, versùs *Boristhenem* & *Istri* Ostia, hinc in duas partes divisi, nempè in Gotthos orientales, seu Osttrogotthos, & in Gotthos occidentales, seu Visegotthos, per Thraciam Illyricum, Italiam, ac Hispaniam plures irruperunt, ac tandem Regnum Ostrogotthorum, & Visegotthorum, illi in Italia, & hi in Hispania constituerunt.

Longobardi, populi fuêre Germaniæ, qui à Longis barbis, quas gerebant, sic cognominati sunt. Hos ab occidente, Germaniæque ultimis oris, in Pannoniam venisse, novas quærentes sedes constat. Unde evocati à Narsete, contra Gotthos, eam partem Italiæ occupârunt, quæ nunc quóque Longobardia, sive Lombardia dicitur.

Hunni, Avares, & Hungari, eadem omnino gens fuit. Sed qui primò vocabantur Hunni, posteà ab Avare Rege, dicti sunt Avares, ac tandem Hungari. Hi ex Scythia, quæ trans Mœotidis paludem jacet, primò in Europam penetrârunt, post vicinis Provincijs Moesiâ, Thraciâ, ac Daciâ peragratis, ac magna ex parte devastatis, tandem in Pannonia consederunt.

Jazyges, fuerunt populi Sarmatiæ Europeæ, versùs paludem Mœotidem, habitantes inter Naubaros ad Occasum, & Roxolanos ad Ortum. Ex his postmodum pars una extendit se Pannonias úsque, & ad differentiam aliorum dicti sunt Jazyges Metamastæ, eorum autem termini erant: ab Occidente Vagus fluvius & Danubius, à Meridie, idem Danubius, & à Septemtrione Carpathius mons. Partem quóque illam Pannoniæ, quæ est inter Tibiscum & Danubium incolebant Jazyges, & etiam num Jaz nuncupantur, habentque suum peculiarem semper è numero Magnatum Judicem.

Sed jam modernorum Incolarum Pannoniæ, videamus originem. Nationes autem quæ nunc Pannoniam incolunt, sunt: Hungari, Slavi, Germani sive Saxones, Cumani, Valachi, Rutheni, Croatæ, Rasciani, Turcæ, Zingari.

Et verò *Hungaros* constat ex Scythia venisse, & non tantùm incolatum Pannoniæ sibi usurpâsse, sed etiam Dominium illius obtinuisse, & mutato Pannoniæ nomine, in Hungariam, à se denominâsse.

Slavos, Qui Vagum & Carpathicorum montium radices incolunt, existimo eundem esse populum, quos antiqui Jazyges Medanastas vocabant, nam & eosdem terminos & limites habent, quos Strabo & veteres Geographi, Jazygitis Metanastis adscribunt. Et utramque nationem Sarmatiæ populum fuisse constat. Sarmatici autem populi omnes comprehendebantur sub Slavorum genere.

Sed & denominationis utriúsque idem est fundamentum. Jazyges enim denominabantur à *Jazek* hoc est Lingva, & Slavi, à Slowo hoc est verbum, quod

quod nimirum Slavonicum idioma, & facile pronunciatu ſit, & eloqui poſſit, ac ingentem habent copiam verborum, & nullum magis idioma per Orbem diffuſum ſit. Idem Sentio de Jazibus, tractum inter Tibiſcum & Danubium incolentibus, nam & hos, ex Jazygum Medanaſtarum gentibus fuiſſe Geographi teſtantur, & habuiſſe proprium idioma, ab Hungarico planè diverſum, quòd utique aliud non erat, quàm Slavonicum. Reliquos verò Slavos, per Hungariam diſperſos veriſimile eſt, eſſe, Vandalorum reliquias; nemini enim dubium eſſe poteſt, Vandalos Slavonici generis fuiſſe, unde non rarò apud Scriptores Vandali, vocantur Slav, & viciſſim Slavi appellantur Vandali.

Saxones, in Hungariam & Daciam, Carolus Magnus induxit, cùm enim hi ſæpiùs eidem rebellâſſent, ut eorum vires honeſtiùs extenuarentur, in haſce, & alias quóque diverſas Provincias, eorum Colonias deduxit, quorum poſteri etiamnum easdem incolunt. Reliqui verò Germani varijs occaſionibus, ex vicinis Provincijs, in Hungariam deſcendêre, licet multis in locis, locorum duntaxat denominationes germanicæ manſerint in poſteris Succeſſu temporis Teutonico idiomate in Hungaricum, vel Slavonicum immutato.

Cumani, ſub Bela IV. Rege, Hungariam cœperunt incolere, anno Chriſti 1234. Hos enim à *Tartaris*, proprijs Sedibus expulſos, cum Rege ſuo Cutone, prædictus Rex, non ſolùm benignè ſuſcepit, verùm etiam partem illam Regionis, quæ ultra Temeſvarinum & Tibiſcum eſt, ad incolendum eis aſſignavit.

Valachi, ſub Ludovico I. Rege, ad Maromaſium conſidêre, cum ſuo Duce *Bogdan* dicto, idqueprimò, inconſulto Rege, qui proinde id egerrimè tulerat, ſed poſtmodum, cùm illorum fœcunditate Provinciam in dies complere intellexiſſet, eam ultrò conceſſit, pactâ conditione, ut is, ac ejuſdem Succeſſores Moldaviæ Vajvodæ grata obſequia, & ſtata quotannis ſtipendia, Hungariæ Regibus perſolverent.

Rutheni ex Vicina Ruſſia Rubra, fines ſuos transgreſſi in Hungariam úſque ſe dilatârunt.

Croatæ & Raſciani occupatis eorum Regionibus à Turcis, eorundem Tyrannidem vitantes, in Hungaria incolatum accepêre.

Turcæ, ſæpiùs penetrare Hungariam, armata manu tentantes, longo tempore rejecti, tandem occupato Belgrado, ſub Vladislao II. Rege, 1521. multis ac diuturnis bellis, Hungariam magna ex parte ſui juris fecêre.

Poſtremò viliſſima& Vaga gens, meris furtis aſveta *Zingarorum*, quâ occaſione in Germaniam & Hungariam devenerint, variant Hiſtorici. Sanè hoc conſtat, quòd Ferdinandus olim Rex Hiſpaniæ, Sexaginta dies illis deſtinavit, intra quos omnino Hiſpaniâ excedere jubebantur, átque hoc modo illos Hiſpaniâ exclusit. Ab eotempore hinc inde vagantur, in Germania & Hungaria, & alibi paſſim, cum multorum pernicie & damno. Suntque nihil aliud, quàm manipulus furum, & colluvies otioſorum, & fraudulentorum hominum, ex varijs nationibus nón ita remotis, ſed vicinis collecta. Ita *Majolus* Dierum

Cani-

Canicularium, Tom. 3. Colloquio 2. *Grantzius* asserit anno 1417. primùm hanc colluviem hominum apparuisse, in partibus continuis Germaniæ. Ipsi verò ajunt se Ægyptios esse origine, & ex injuncta sibi pœnitentia, mundum peregrinantes circumire. Sed fabula est.

VIII. Loca Hungariæ celebriora, cum Rebus Memorabilibus. Ordine Alphabetico.

AGRIA.

Agria, Incolis Eger, Germanis Erla, ab Agrianis Illyrici populis & condita & nominata est, (longè ante Hungarorum in Pannoniam adventum) ut scribit Bonfinius. Jacet in Borsodiensi Comitatu, Arx ipsa egregiè munita. Sita est in montis latere acclivi, átque in profundam Vallem mergente, ab ortu montem habet alium editissimum, cujus de summo, liber in arcem patet prospectus, ad meridiem verò amœnissimum campum: ab eadem plaga, jacet Civitas in valle constituta, quam fluviolus Agria dictus, haud lento cursu per medium decurrit. Templum habet primatu Episcopatûs nobile, & Capitulo, seu Collegio Canonicorum insigne. Obsessa fuit à Turcis 1552. quam gloriosissimè sustinuit, conjestis 12000. hostium globis, quæ tamen postea anno 1596. à Machomete Turcarum Imperatore, non sine magna effusione sangvinis est expugnata. Quô ipso anno, cruentum ad eam commissum est prælium, Christianos inter, Duce Maximiliano Archiduce, & Turcas inter, ipso Machomete Imperatore Turcarum, Duce. In Exercitu Christiano numerabantur 50. circiter millia, Turcarum pugnârunt 150000. In quo Christiani primò victores, prædæ deinde nimiâ aviditate intenti, fugati, átque devicti sunt, desideratis Christianorum ad sex millia, Turcarum prope 12. millia. Mansit postea sub potestate Turcarum Agria, annis omnino 93. donec anno proximè præcedenti 1687. feliciter recuperata fuerit sine effusione Sanguinis, solâ dirissimâ fame obsessos premente (quâ supra 2000. illorum miserè sunt enecta) per Excellentissimum Generalem Caraffa, Ducibus Obsidionis, Marchione Doria, ac ex parte Hungarorum Generalibus, Stephano Kohario, & Francisco Barkoczyo. (Intra illud tempus, quô Turca tenuit Agriam, ipsum Capitulum Agriense, pro residentia sua habuit Jaszoviam, ac dein Cassoviam.) Distat verò Agria à Fillekino (Famoso olim militari Præsidio, sed anno 1682. à Turcis, & Hungaris Turcis adhærentibus, everso) 5. milliaribus Germanicis, à Buda 17. in ortum æstivum, à Debreczino in occasum æstivum milliaribus 15.

ALBA REGALIS.

Alba Regalis, Incolis Székes-Fejérvar, Germanis Stulvveissemburg condita est à Sancto Stephano Primo Rege Hungariæ (haud procul ab illo loco, in quo Arpadus primus Dux, ex Septem Ducibus, qui tertio exitu Panoniam occupârunt, Svatherum. quem alij Svateplugum nominant, feliciter olim profligarat) & insigni postea Basilicâ, ac operis admirandi, exornata, ubi Regum

cor-

corpora reconduntur, atque creati Reges Diadema suscipiunt. (Hanc autem Sacram Ædem, peculiarem Regibus esse jussit, tantáque eam immunitate, Privilegiisque ornavit & dotavit, ut hujus Antistes, nemini Antistitum; præterquam Romano Pontifici subjaceret; omnesque Decimas hujus ditionis, eidem, ac Collegio ejusdem, liberaliter attribuit, quin etiam statuit, ut nullus Rex Hungariæ, Reginaque institui, regiisque insignibus ornari possit, sine hujusce Præsulis, sive Præpositi præsentia.) Hanc Basilicam postea Carolus Rex, frequenti incendio collabentem, maximis expensis restauravit. ac contra incendia, tegulis plumbeis contexit, anno 1305. Quæ tamen non multo post rursus miserabili incendio conflagravit; ita, ut conflatæ præflamnis plumbeæ tegulæ, continuo defluxerint. Cujus exitium Rex Carolus miseratus, instaurata denuò æde, jacturam quam primum fecit incendium resarcivit, iterumque plumbeo tecto eam excoluit, ac demum Matthias Corvinus, multò magnificentiùs eandem exornavit. Sed hæc toto orbe celebris structura, vicissim cùm nostri Duce Mercuriano Albam Regalem expugnarent, cum tota Urbe simul conflagravit. Est hæc Civitas in loco palustri & limoso duabus utrinque paludibus, incertæ altitudinis, equiti pariter & pediti invijs cincta, ad Fluvium Sárviz, & occupata fuit à Solymano II. Turcarum Imperatore, anno 1543. Civibus crudeliter à Turcis trucidatis, ac postea à Christianis Duce Mercuriano 1601. reoccupata, post Matthiæ Archiducis ad castra adventum, quâ occasione Turcæ obsidionem solvere conati, sæpius repulsi. ac tandem profligati fuêre, rursus tamen anno insequenti, 1602. à Vezirio Budensi, Hassan Bassa est expugnata, quam postmodum Turcæ tenuêre ad annum úsque 1688. quo felicissimè à Christianis recuperata est, & fame ad deditionem adacta Ducibus Exercitûs nostri circumvallantis Urbem: Excellentissimo Generale Comite Adamo Bottyani. Illustrissimo Domine L.B. Ariazzaga. Comite Stephano Zichi Juniore, & Magnifico Domine Joanne Ezterhazi, Vice-Generali, aliisque. Eadem Urbs olim 1490. occupata fuerat à Maximiliano Cæsare, & miserandum in modum à milite victoriâ efferato direpta, sed mox ab Vladislao Rege Hungariæ per deditionem recepta. 5. milliaribus distat à Buda, in Occasum & 6. à Comaromio in Meridiem, éstque caput Comitatûs Albensis, ab eo dicti.

BUDA.

Buda urbs Regia, & Metropolis Hungariæ, varia apud varios auctores nomina, est sortita, Curta Ptolomæo, alijs Aquincum, plerisque Sicambria dicitur. Nominis hujus originem alij ad *Sican* montem vicinum qui nunc San. Gerardi mons dicitur, alij ad *Sicambros* germaniæ olim populos referunt: huic fidem facit lapis Matthiæ Regis tempore repertus cum Inscriptione: *Legio Sicambrorum hîc præsidio collocato: civitatem condidit, quam ex suo nomine Sicambriam vocavit. Bonf. dec: 1. lib. 11.* Nec minor de origine nominis: *Buda* est disceptatio: eam à Budinis, Scythiæ populis derivat Herodotus; à Therrum ma-

rum præstantia olim Waden germano, vel Wodam Slavonico nomine, ac dein natura littera, Budam dictam putat Wernerus. Verior eorum videtur opinio, qui à fratre Attilæ Buda vocato, nomenclationem sumunt. Nam ex Hungariæ Annalibus constat, Hunnos è Scythia anno Christi 373. egressos, Istrum ad Sicambriam tranâsse, ac loci amœnitate captos, pulsis Gothis ibi sedem fixisse, dúmque Attila orbem vastaret, ab ejusdem fratre Buda locum hunc conditum, adeóque, & cognominatum fuisse: ob cujus gloriæ invidiam, ab Attila è bello reduce occisus, & in præterfluentem est abjectus. Ita Buda, quasi Roma Hungariæ, fratrum nata è dissidijs, & sanguine lactis locò nutrita, copiosi quondam cruoris pro hac effundendi, ut fatalia, ita vera, jam tum dabat prognostica.

Urbs edito monti imposita, hinc vitiferos colles, agrósque fertilissimos, inde Danubium, & post hunc, campum Rakos dictum, per plura protensum milliaria, & comitijs cogendis deputatum habet. In quatuor, præter arcem, civitates est divisa, una Præsidium, altera præsidij suburbium superius, tertia civitas Danubio adsita, quarta suburbium inferius dicitur; ad hæc accedit munitio in contiguo monte S. Gerardi situata. Ejus laudes exteri veriùs dicent: Braun, & Münsterus scribunt: *Budâ nec quidquam munitiùs, nec certè amœniùs in Hungaria reperiri posse.* Plus Wernerus ait, dum quærit: *Quis fuit in tota Europa locus, qui se Budæ comparare potuerit? sive sitûs amœnitatem, sive cœli salubritatem, sive Solis fœcunditatem, sive aliarum quarumcúnque rerum ad quoslibet usus, ad splendorem deníque, & luxum pertinentium ubertatem, & affluentiam spectes.* Rerum abundantiam testatur Bucelinus in nucleo, dum memorat: *Regum temporibus, Budæ subinde octuaginta millia perdicum in foro venalia fuisse.* Nec laude carent, quæ de ejus thermis memoranda refert Wernerus: *Quædam enim non modò tolerabili, sed & ita jucundo sunt calore, ut ad hominum lavacra natura benignitate singulari data esse videantur. Hujus generis sunt infra arcem aliæ Regiæ vocatæ, vel ob vicinam Regiam, vel quia Regis opere ornatæ, vel quia in his Reges lavare consueverunt. Aliæ communes, quibus saxum seu nativus fornix impendet. Aliæ, balneis sunt inutiles, nisi refrigerentur. Ita enim quædam calent, ut in eas missum ovum non minus citò, quàm ad luculentum ignem elixetur; temperantur autem frigidâ, cujus ibi fons calidis ita contiguus est, ut qui aquam haustum veniunt duabus urnis, eodem in vestigio alterâ calidam, alterâ frigidam haurire possint. Ibidem est sub dio fons calidarum amplior, quem purgatorium vocavêre, eâ nimirum ratione, quòd quemadmodum in purgatorio pœnas nocentium pro noxarum modo alias acerbiores, alias mitiores esse docemur, ita quædam insunt aquæ in hoc fonte discrimina. Non quà in eam à ripa Danubij aditus est, subfrigida primùm, mox tepida, & quò in eam penetratur altiùs hoc magis calet, in recessu verò interior tam est calida, ut ferri non possit, ita ille.* Et paulò post: *In thermis superioribus supra eos fontes, quibus ad lavacra usus est, sunt piscinæ calidæ in quibus nascuntur, & vivunt pisces, qui ad frigidam translati emoriuntur;* In ijsdem anseres, gallinas deplumari, imò sues depillari posse Istu-

anfinus

anfinus scribit. Omitto reliquas urbis laudes tomum merituras, ad bella, & possessorum mutationem transeo. Post Attilæ mortem anno 447. tanta Chabam inter, & Aladaricum fratres pro hac urbe strages exarsit, ut ob effusum sangvinem Danubius in merum sanguinem abijsse videretur, donec inter duos sic litigantes mutuisque cædibus attritos, tertius urbe gavisus est Ardaricus Rex Gepidarum, qui Aladaricum occidit, Chabam veró patria metuentem in fugam conjecit. Sed, & hic iniquus possessor anno 464. ab Ostrogothis antiquam sedem repetentibus, pulsus est, & post eum Athalarius annis tribus, Valamir quatuor, Theodemir undecim, & demum Theodericus triginta tribus, vel ut alijs placet, quinquaginta, & uno regnavit. Ostrogothis Budam circa annum. 529. eripuêre Longobardi Andvino Rege, cui successit Albuinus, urbem hi annis 42. tenuerunt. Quibus jussu Narsetis in Italiam potiori cum robore avocatis, Slavi Budam nemine resistente velut desertam involant anno 571. possidéntque ad annum 584. ubi Mauritius Rom. Imp. eam Romanis iterum fascibus subjecit, quorum imperio paruit, donec iterum Hungari Scythiâ egressi Zvvatopologum Pannoniæ Gubernatorem Budæ residentem. & urbe, & totâ Provinciâ ejecerint circa annum 746. qui quia Pannoniâ non contenti dirâ strage Moraviam, Bohemiam, Styriam, Carinthiam, Carnioliam, Italiam, Germaniámque latè vastârunt, justum in se Caroli magni Imper. furorem evocârunt, qui anno. 805. magno cum exercitu Hungariam ingressus Budam obsedit, & Rom. subjecit Imperio, cui plus quàm dimidio sæculo paruit, donec Hungaris iterum in multa millia excrescentibus; è Romanorũ manibus est extorta circa annum 899. à quo tempore semper Hungariæ Metropolis, ac Regum sedes habita à 38. Hungariæ Regibus possessa, & à singulis quantum bellorum tumultus patiebantur ornata, à Matthia Rege splendidissimè culta, ac Universitate ijs temporibus celeberrima, cum bibliotheca exquisitissima exornata, semper floruit, donec primus Hungariæ populator Solymanus 1529. fuso cum præcipua Regni nobilitate Ludovico Rege vigesimâ Augusti post trium horarum impressionem eam ingressus diripuit. Quo in orientem revertente, eandem, Zapolya, Regiam affectans dignitatem, occupavit. Verùm anno, qui hunc sequebetur proximo, legitimis in Hungariæ Regem votis electus Ferdinandus primus, Augustissimus Cæsar, rectâ Budam perexit: illam armatâ recepturus manu, nisi advenientis metu perculsus Zapolya fugiens urbem Victori ipsâ primi Hungariæ Regis Divi Stephani festivâ luce cessisset. Zapolya proinde suis diffisus viribus Solimanum trecentis suorum millibus comitatum, in suppetias evocat. Hic milite tanto Viennam propediem obsessurus, ejus in expugnanda Buda vires voluit experiri. Nec mora: post undecimum quippe assultum non sine partis utriúsque cæde repulsum, deditionem obsessi murmurant, & Nadasdio, qui contra dicebat, invicinum fornicem clauso, pactâ discedendi facultate, urbem Turcæ tradunt. Fidei tamen datæ perfidus hostis immemor, urbe potitus, omnes decollavit. In qua ne hic illegitimus coronæ corivalis radices agere posset, plurimum satagebat Ferdinandus, ac ideo depulso Viennâ Solimano, Rogendorffium validâ militum manu animatum ad Budæ oppugnationem expedit, qui eam Kalendis Novembris 1530. orsus, felici procul dubio fine terminâsset, nisi validam urbi opem allaturum venire Mahometem

metem certis nuntijs accipiens, milite jam fesso, furori cedendum satiùs duxisset. Et hic primus fuit Cæsareanorum pro Budæ recuperatione ausus. Alter erat, quem 1540. mortuo jam Zapolya Leonardus Welsius, & Petrus Pereni levi militum manu comitati suscêpêre; nam viduam nostrorum adventu terrendam illicò urbe cessuram judicabant; sed spes eventum delusit. Quare aucto militum numero, & grandioribus armatus muchinis tertiùm serióque 1541. Budam Rogendorffius in angustias cogere cœpit, sed longè infaustissimè: nam ubi ob magnam murorum ruinam quotidie deditionem urbis præstolatur, collectis ingentibus copijs Solimanus adest, ac adeò potenter in nostros irruit, ut cæsis 25. millibus 186. tormentis bellicis amissis, castris omnibus exuti ægrè residui nostri per Danubium se salvare potuerint. Cæde peractâ Isabellam Joannis Zapolya viduam cum filiolo in castra evocat Solimanus, & Tutorem se (nempe præclarum) hæredis futurum, Budámque pariter, donec adolescat, contra hostes defensurum, ac dein manibus adulti Regis consignaturum persanctè jurat, & Matre cum filio in Transylvaniam missis, ipse Budam 2. Septembris ingressus eandem sic nequiter obtentam vafer Tyrannus possidere cœpit. Nec tamen sine sangvine: Nam 1542. Joachimus Brandeburgicus imperiali milite collecto urbe malè partâ Turcas ejicere tentavit; Sed quia tunc nostros elusére conatus, plus quàm dimidio sæculo urbem in pace possederunt, ad annum nempe. 1598. hoc enim ab Archiduce Matthia magno cum apparatu urbs hæc quinto iterum conatu fuit obsessa. Primis ausibus favens fortuna sic arrisit; ut cum nonnisi sex millia militum urbem tuerentur, montém qui à S. Gerardo nomen obtinuerit, & binas inferiores civitates brevi tenuerit, Arx tamen, superiórque civitas expugnari non poterat, nam pluvijs, & continuis cœli tempestatibus vexatus 2. Novemb. retrocedere est compulsus. Anno tamen insequente, Petardæ, ut vocant, in Jaurini recuperatione successu animatus Comes Schvvarzenburg. 16. April. assumptâ fidissimorum 8. millium comitivâ Petardam Budensi portæ parat applicare; sed fraude detectâ se in tutiora recipere est coactus, qui tamen ejusdem anni die 5. Aug. Purpuratum Budensem ex insidijs cepit. Septima contra Budam belli alea tentata est eodem Matthia Duce 1602. 2. Octobr. simúlque nostri Budam, & Turcæ Pesthum impetere cœperant, verùm pars utráque non tam hostis, quàm hyemis ingruentis vi repulsa. 13. Novembr. incæpto destitit, sic urbis hujus toties tentatæ recuperationem desperare visi Christiani, per 89. & ampliùs annos, inducijs sæpius per intervalla pactis nunquam bello impetiêre, donec ejus adipiscendæ desiderium, 1684. 14. Jul. iterum fœderatorũ Christianorum arma evocaverat, eo tamen successu, ut Turcico succursu bis fugato, dum ob appropinquans hyemis frigus, tum alia incommoda, obsidionem 2. Nov. interrumpere sint coacti. Quam tamen ita feliciter 1686. reintegrarunt, ut tot piorum precibus, & tam copiosâ Christiani sanguinis effusione commotum clementissimum Numen urbem hanc legitimo Domino 2. Sept. id est eâdem, quâ vafer Tyranus inique usurpaverat die, cum publico Hungariæ, orbísque totius plausu restituerit. *Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum JESUM Christum.* 1. Cor. 15.

CASSOVIA.

Cassovia, Urbs Hungariæ Superioris caput, & Comitatûs Abaujvariensis præcipua, juxta fluvium Hernadum sita, & probè munita, quatuor milliaribus Eperesino, in Austrum, Agriam versùs 11. Estque Emporium nunc totius Superioris Hungariæ. à Cassio Romano Cive nuncupata, mœnibus cingi cœpit 1290. & successu temporis, varijs occasionibus firmata fuit, ac novissime Citadellâ eidem impositâ, quæ tamen postmodum anno 1082. est diruta. Anno 1440. oppugnata fuit ab Exercitu Vladislai Primi Hungariæ Regis, sed conatu irrito, defendente eum strenuè Præfecto Urbis Gisero nomine, pro Ladislao Posthumo, ac rursus ab Alberto Rege Poloniæ, contra Fratrem Wladislaum II. Regem Hungariæ 1490. & quidem vicibus iteratis, utráque tamen vice in cassum. Anno dein 1585. à Vayvodanis ex insidijs fuit intercepta, & fœdè direpta. Anno autem 1604. spontè à Cæsare Rudolpho, ad Boscajum defecit, qui ibidem anno 1605. sine ullo hærede, è vivis decessit, & Urbs ad fidelitatem Cæsaris redijt. Sed rursus 1619. Gabrieli Bethlehemo, cum tota Súperiori Hungaria adhæsit, quâ occasione tres Catholici Sacerdotes ibidem à Calvinianis Martyrio affecti fuère, duo quidem ê Societate JESU, Stephanus Pongracz, & Melchior Rodeczius, ac tertius Marcus Crisius Strigoniensis Canonicus. Post mortem Bethlehemi, similiter sine ullo hærede defuncti, Cassovia, cum reliquis, quæ ad vitam Bethlehemo fuère concessa, ad Ferdinandum redijt. Verùm anno 1644. Bello à Rakoczio, Ferdinando III. Cæsari indicto, mox, eidem quóque subdit se Cassovia, Comite Adamo Forgaczio, tunc Genarali, ab ipsis Civibus, urbe excedere coacto. Mortuo dein Rakoczio, Principe Transylvaniæ, 1648. Civitatem rursus Cæsar pacificè recepit, quam demum Leopoldus I. Imperator 1668. præsidio militari munivit. Recenter à Tökölio, partim proditione, partim Turcarum auxilio fuit intercepta, mansitque contumax úsque ad annum 1685. Quô per excellentissimum Generalem Caprara deditione, ad Fidelitatem Regis est deducta, ac recuperata. Anno 1556. incendio fortuito exorto, urbs tota miserum in modum conflagraverat, uti & anno 1674. potiori ferè ex parte exusta fuit.

Post Temesvarinum captum, insignita est Præfecturâ Generali, à quâ totius superioris Hungariæ militia dependet. Ibidem quóque residet Camera Superioris Hungariæ, Scepusiensis dicta. Templum Parochiale insignis est prorsus structuræ, quod Canonicis Agriensibus, pro tempore, quô ibi commorabuntur, in usum est attributum. Gaudet Academiâ Societatis JESU fundatâ, à Benedicto Kisdi, Agriensi Episcopo, Ædificijs eligantibus nitet, præterfluente eam pellucido per medium rivulo. Est pulchro, minimè tamen salubri situ, aurâ infestâ saпè advenis. Unde vulgare illud Felix quam rubeo, mittit Cassovia naso. Vinum quaquà versùs per viciniam crescit nobilissimum, ast in ipso Civitatis proprio fundo austerum, ac vile.

COMAROMIUM.

1. Comaromium oppidum per amplum, cum arce munitissima, in extre-

ma parte Insulæ Danubianæ Schütt à Germanis, & Czaloköz ab Hungaris dictæ, 2. Caput est Cognominis Comitatûs. 3. Quatuor Germanicis milliaribus distat à Jaurino in Ortum, & tantùm duobus ab Ujvarino, & quinque supra Strigonium. 4. Arx hæc primò munita fuit, à Matthia Corvino Rege. Postea Ferdinandus primus anno 1550. Trigonam addidit munitionem, ac demum modernus Augustissimus, eandem magis dilatavit, eidem novum addendo præsidium. 5. In hâc arce natus est Ladislaus Posthumus Rex Hungariæ, 1440. 6. Oppidum inhabitátur ab Hungaris & Rascianis, arx verò à Germanis præsidiarijs. 7. Fortalitium hoc nunquam ad hostis manus devenit.

CANISA.

1. Arx Canisa, arenoso palustrique loca sita est, fluviolo stagnante, & nullis circiter ripis, sed magis diffuso ac carectis, multáque alvo & arundine impedito, undique cincta, eóque oppugnatu difficilior, quod ejus cursus alio derivari, nullis viribus queat. 2. Forma est quadrangulari oblonga, fossámque habet ex parte propugnaculorum latam XVI. pedum, ab interposita verò valli distantia, pedum circiter XX. cunctáque est collibus cincta, inter quos fluvius lento cursu labitur. 3. Fortalitium hoc Christianis ereptum est à Turcis, Duce Ibraimo, post obsidionem 45. dierum, anno primo hujus sæculi, quam tamen præmaturam deditionem, Paradisius Arcis Præfectus, postea Capite & manûs abscissione luit. 4. Ferdinandus Archi-Dux ingentibus copijs, anno insequenti 1601. eam obsedit, sed pergravissimis cœli tempestatibus, ac intemperie aëris impeditus, obsidionem solvere coactus fuit. 5. Comes Nicolaus Zrinius, Croatiæ Banus, è Regione Canisæ novum munimentum Neozrinium nuncupatum erigere cœperat, anno 1661. quod jam erectum expugnatum est à Vezirio magno, 1664. Eodem autem, priusquam Vezirius magnus, cum Exercitu adesset, nostri obsidione Canisam cinxerant, sed eandem rebus infectis compulsi sunt solvere. Tandem anno 1690. fame & desperatione succursus, ad deditionem adacta est, ploquatâ trium ferè annorũ per Exc. Gen. AdamumBottyani continuatâ.

CHANADINUM.

Chanadinum celeberrimum Veteribus Hungaris emporium, à quo Chanadiensis Comitatus nomen traxit, ad Marysium amnem situm jam à Proto-Regis Stephani temporibus famosum, à quo Episcopali sede, ac Capitulo, temploque, & monasterio in honorem Apostolum Principis condito, illustratùm est. Nomen à memoria Chanadi Hungarorum in Scythia Ducis duxisse videtur, ut meminit Thurocius. Suam ibi Regiam *Aba* Rex tertius elegit, qui suorum conspiratione intellectâ 50. viros nobiles die quodam Quadragesimæ consiliorum tractandorum prætextu aulam accitos, & in palatium conclusos ab irrumpentibus ex condicto militibus simul occidi jussit. Plures ibidem conventus Regni, quos Comitia dicimus, celebrati. Primus quidem optimatum crudelitatem Petri secundi Regis, non ferre valentium. Alter sub Uladislao anno 1495. Mausolæum ibidem sibi posuit Ladislaus quartus hujus nominis Rex 1290. 19. Julij ibidem tumulatus. Primus loci hujus Episcopatui, præfuit S. Gerardus, qui

qui à Scythis ad pristinam gentilitatem redire aspirantibus Budæ occisus est 1047. 24. Septembris. Ejus corpus Chanadinum translatum & tumulatum est, ejúsque honori posterorum pietas altare erexit, in cujus superficie lapis ille repositus visitur, super quo D. Gerardi caput à furentibus est contritum; quem licèt Danubius sæpè redundans dilueret, sangvinem tamen abluere nunquam potuit. Condidit hic præfatus Episcopus Magnificum illâ ætate templum D. Georgij M. honori dicatum, in quo pro veteri Ungarorum erga Dominam ac Patronam suam D. Virginem affectu promovendo Sacellum, ejusdem cultui posuit; in quo statua ejusdem multis clara miraculis colebatur. Ut verò cultum ejus perpetuum faceret D. Gerardus argenteum coram dicta icone thuribulum locavit, quod perpetuo thure Virginis in honorem vaporaret; nevè ullâ diei noctisvè horâ thymiama deficeret, duos profectæ ætatis viros mutatis vicibus adesse jussit, qui thura identidem suggererent. Et tam diu non Chanadinum modò, sed, & tota Hungaria floruit, quàm diu hic in DEI Matrem amor viguit.

Locus hic, munitione firmus non est, obviisque facilè patet incursibus. Cùm Georgius Siculus cruce signatorum contra Turcam congregatorum Dux Regi Rebellis adversùs nobilitatem insurrexisset, primum furorem suum Chanadino capto explevit, dum urbis Episcopum Joannem vetustâ, & nobili Chakiorum familiâ oriundum post multa verbera, & cruciatus insulâ, ac stolâ indutum præacutâ sude per ingvina adactâ, indignum in modum interfecit. Nec diu tamen divina Nemesis pœnam distulit: captus quippe brevi Georgius solio quod è ferro rudi conflatum, ignitúmque fuerat, impositus, candentique è ferro coronâ redimitus, â sequacibus suis priùs 15. dierum fame enectis, morsu, ac dentibus appetitus, animam miserabilem dedit. Chanadino nostrorum manibus iterum reddito. Dein inter longa illa, & fatalia Hungariæ dissidia, quæ Ferdinandum inter, ac Isabellam viduam gliscebant, variam locus hîc fortunam est expertus! nam dum Georgius Monachus ex ord. S. Pauli primi Eremitæ, dein Cardinalis, in Cæsaris fidem redijsset, sub ejus Imperia, Chanadinum etiam secum adduxit. Quod mox Regina Solimani præsidiô freta oppugnare cœpit anno 1547. facilè captura nisi in tempore Thomas Barcocius opportuna attulisset subsidia, quæ obsidionem hostibus fugâ dilapsis solverunt. Dum sic inter se Hungari certant, iterum ut aliàs sæpe inter litigantes tertius gaudet barbarus hostis. Mehemet enim suâ potentiâ in Hungariam eductâ Chanadiô sine ulla oppugnatione potitur, loci Prætore nec hoste expectato ei obviam claves deferente anno 1548. Quæ res tantùm omni viciniæ metum incussit, ut plurimæ arces, & Castella in amœna illa planitie condita, barbaro cesserint. Nec firmam tamen ibi sedem figere Turcis licuit: nam Lippâ à nostris receptâ Chanadinum à Turcis est desertum. Ast variante vices fortunâ, & arce Lippensi ab Aldano Hispano metu hostium turpiter deserta Chanadium diffugientibus incolis ad Turcas redijt. Ab ijsdem úsque ad annum 1597. possessum. Hocenim à Sigismundi Transylvaniæ Principis copijs Themesvarinum obsessuris in itinere occupatum fuit. Sed Anno statim insequenti Themesiensis Purpuratus collectâ In-

orum manu non invalidâ Chanadinum obſidione cinctum tormentis petijt, verùm audito noſtrorum ſuccurſu territus, irrito rei ſucceſſu, hac vice diſceſſit. Brevi tamen validioribus ſtipatus copijs adfuit, quarum aſſultum expectare non auſi Chanadienſes, turpi fuga 30. Septembr: dilapſi, hoſtis arbitrio locum relinquerunt. Quem ſic occupatum fortiter ſemper tuitus hoſtis, tandem amiſſo priùs Szegedino, noſtrorum vires hîc experiri metuens, anno 1686. noſtrorum ceſſit arbitrio.

CALOCIA.

Calocia Urbs Pannoniæ, Coloſſæ ſtatuæ, ſeu ad ſtatias Coloſſas dicta Antonino, nunc Colocz, urbs olim Archi-Epiſcopalis cui Bacchienſis Epiſcopatus in perpetuum Apoſtolica authoritate eſt unitus, ſita eſt ad Danubium in Comitatu Bacchienſi, quæ à priſtino decore, ſub Turcarum Dominis plurimum defecit, octo milliatibus diſtans à Zigetho in ortum, Szegedino verò verſus, 15.

ESSEK.

Eſſeck ſive Ezeek, Latinis antiquis Murſa, & Ptolomæo Murſia, (ubi veſtigia magnæ alicujus Urbis aut Coloniæ, tempore quô Romani Pannoniam obtinebant) oppidum, cum arce naturâ loci eximiè munitâ, jacet ad Dravum Fluvium, non procul ab influxione ejuſdem in Danubium, qui ibi pontibus pluribus ob diffuſionem aquarum jungitur, ligneis quidem, ſed oblongis, & latis, átque pulcherrimis. Hos pontes noſtri conſtruxerant Belgrado amiſſo, per quos ad obviandum hoſti, exercitus traduceretur. Hos deinde Turcæ, pro commoditate tranſitûs in Hungariam, ſæpiùs reſtaurârunt, quin etiam ampliarunt. Ad quod malum impediendum anno 1664. à Comite Nicolao Zrinio, & Illuſtriſſimo Comite Paulo Eſterhazy, fuêre exuſti, ac rurſus reædificati per turcas, occaſione verò novi belli, anno 1685. rurſus disjecti ab Excellentiſſimo Generali Lesleo, poſtmodùm verò anno præterlapſo, 1687. feliciter unà cum Eſſeck, & vicinis munitionibus occupati, ab Excellentiſſimo Generali Dennevvald.

EPERESINUM.

1. Epereſinum ſive Eperies, à Copia Fragorum, quæ Eper vocantur ab Hungaris. Eſt Civitas perelegans, nitida, & ſat munita Superioris Hungariæ, in Comitatu Saroſienſi, ad Tarczam fluvium ſita, uno milliari à Saroſino Caſtro ampliſſimo, inſtar Civitatis alicujus, in monte poſito. 2. Diſtat Caſſoviâ, 6. milliaribus Germanicis, & duobus, à minore Cibinio. 3. Eſt Libera Regiáque Civitas, & deputata pro celebrandis octavalibus judicijs totius Regni. 4. Muro cingi cepta 1394. 5. Anno 1491. Albertus Poloniæ Regis Filius, qui contra Fratrem Vladislaum II. Regem, Hungariam prenſabat, à Stephano Zapolia Palatino profligatus, cum paucis ſuorum, ad eam profugerat, ſed à Victore Exercitu in ea obſeſſus, ad arbitrium Victoris deditionem facere coactus fuit. 6. Anno verò 1604. à Rudolpho Cæſare, id Boskajum defecerat, ſed mox ſtudio Baſtæ, ad Cæſaris partes eſt reducta, ac rurſus à Boskajanis invaſa, verùm á Germanis præſidiarijs, Commendante Emerico Puchaimio ſtrenuè defenſa. 7.

Pluries dein fuit capta, & recepta. Nam & à Bethlehemo, & à Rakoczio Principibus Transylvaniæ, Civibus ultroneè se, Civitatémque ijs tradentibus, fuit occupata, & his modernis revolutionibus, varias fortunæ sortes subijt, nam bis ad hostium devenit manus, bis contra eosdem strennè defensa, bis à Cæsareanis recepta. 8. Situ est amœnissimo, aëre salubri, mercaturâ celebris. 9. In medio Fori egregio opere extructas habet Basilicas, quarum unam Natio Germania, alteram Natio Hungarica sibi usurpat.

ECHEDINUM.

Echyed arx naturâ munitissima, olim Battorianæ, dein Bethlehemianæ, nunc Rakoczianæ Familiæ, in media palude, undique eam cingente sita est, non nisi unica via ad illam patente, ita ut in expugnabilis prorsus censeatur, quæ anno 1678. Cæsaris firmata est præsidio.

ESSENSTADIUM.

Hungaris Kis-Marton Civitas Regia, medio ferè itinere, inter Sopronium & Neostadium Urbem Austriæ, in Comitatu Sopronienſi, celebris est, ab arce eximia, & insigni prorsus Palatio, quod à fundamentis exstruxit Celsissimus Princeps Paulus Esterhazy, Regni Hungariæ Palatinus, cui ædificio utpotè splendidissimo, ac elegantiæ & simetriæ exquisitissimæ, pauca admodum similia numerat Europa.

JAURINUM.

Jaurinum, Raab incolis, Urbs Inferioris Hungariæ, Cognominis Comitatûs caput, & Episcopalis, átque eximium Fortalitium, & propugnaculum totius Christianitatis contra Turcam, jacet ad confluentiam Rabbæ seu Arabonis Fluvij in Danubium. Fortificatum est à Regibus Hungariæ, ex Augustissima Domo Austriaca. Ex antiquo autem excitatum est à Romanis, qui stativa hîc habuerunt. Anno 1594. à Turcis fuit expugnatum, sed rursus post triennium 1598. felici stratagemmate per Christianos, Ducibus Adolpho Schvvanzenburgo, ac Comite Nicolao Palffi, est recuperatum, cujus receptionis memoria, festiva solennitate celebratur quotannis. Anno autem 1566. repentino igne exustum fuit, non ábsque ingenti clade hominum. Priore verò anno, antequam stratagemmate captum fuisset, nempe 1597. à Maximiliano Cæsare, erat obsidione cinctum, sed Aly Bassa strenuè urbem defendente, & Magno Vezirio Belgrado adveniente, obsidio solvi debuit. Munitio est rebus omnibus ad bellum necessarijs instructissima. Ad dextram prospicit Arcem & oppidum Papam, ad orientem Montem Sancti Martini, in cujus jugo insigne est Monasterium Ordinis Sancti Benedicti. Præsidiarij sunt: partim Germani, partim Hungari. Est Residentia Generalis, cui subsunt omnia præsidia circum-vicina. Sedes est Episcopi loci, & Comitis Supremi illius Provinciæ, quâ dignitate nunc potitur, vel rectius sua Fidelitate, liberalitate, Stemmatis antiquitate, & virtutum omnium splendore eandem exornat, inter omnes eminens, Eminentissimus Cardinalis Leopoldus à Kollonicz. Gaudet Ecclesiâ Cathedrali, cum Præ-

Præposito, & Collegio Canonicorum, Gymnasio item Societatis, quod fundavit Celsissimus Princeps, modernus Archi-Episcopus Strigoniensis, Georgius Szeczeny.

LEOPOLDOPOLIS.

Expugnato à Turcis Vjvarino anno 1663. pro defensione residuæ parte Hungariæ, & Vicina Moravia, extrui cæpit Leopoldopolis, sub auspicijs Augustissimi Cæsaris Leopoldi primi, ad Vagum Fluvium in loco plano ac palustri anno 1665. 2. Estque fortalicium eximium, secundùm omnes Architectonicæ Militaris regulas extructum. 3. Minime verò obnoxium est cuniculis, propter copiosam illico suffossâ terrâ undarum eruptionem. 4. Valla habet mœnibus præaltis cincta, ac fossa profundâ & latâ munita, scaturiente ex ipso fundo, repletur aquâ, ita ut ea à fossis planè nequeat alio derivari. 5. Figuræ est Hexogonæ, ad instar Novæ Palmæ in Foro-Julio. 6. Loco ab obsidione longè securo: Etenim ordinariè quotannis, Vagus repacissimus fluvius, ternis exundat vicibus, idque repente, & incertis temporibus, totámque planiciem illam in quâ hostis locare deberet castra, quaquà versùs inundat. 7. E regione statim ex altera parte Vagi prospicit arcem Galgoczium in colle sitam, cum eidem subjecto oppido, situ pulcherrimo, & ob fluvij navigaldis opportunitatem, valdè commodo.

LIPPA.

Lippa, adjacet Temesio Fluvio in Hungariæ & Transylvaniæ limitibus, quinque Milliaribus Temesvarino, & decem Albâ-Juliâ distans. 2. Hanc anteà nullis mœnibus cinctam Georgius Marchio-Brandenburgensis, ducta Joannis Corvini uxore Beatrice, loco potitus, muris & propugnaculis primus muniverat, hoc unum egregij operis munus, totius vitæ suæ decursu executus, cæterà prodigus & abliguritor. 3. Obtigerat hæc postmodum Joanni Zapolia Inter-Regi, cum tota Transylvania juxta conditiones compactationis, inter eum & Ferdinandum primum initæ, post cujus obitum rursus ad Cæsarem redijt, sed turpiter deserta à Joanne Peteone, cujus curæ commissa fuerat, in Turcarum potestatem devenit anno 1550. Eodem autem ipso anno, rursus à nostris duce Castaldo fuit obsessa, strenuè tamen eam defendente Ulimanne Turcarum præfecto, ita ut nonnisi vi magna, laboréque plurimo à copiosissimo licèt exercitu expugnari potuerit. 5. Anno verò 1552. expugnanto à Turcis Temesvarino Lippa iterum cum summa ignominiæ nota, à Bernardo Aldano Hispano desertæ à Turcis est occupata, & magismunira. 6. Hanc dein anno 1595. Sigismundus Bathorius, Turcis eripuit, sed eandem postmodum Gabriel Bethlehemus Turcis ultronèe restituit 1613. ut in principatu Transylvaniæ confirmaretur, nihil pensi hubens, bonum commune christianitatis. Hæc deinde vi & armis recuperata est ab Excellentissimo Generali Caraffa auxiliantibus quòque Transylvanicis copijs, Anno currenti 1688.

MONTANÆ CIVITATES.

Montanæ Civitates septem numerantur, sic dictæ, quòd inter montes, è quibus aurum, argentum, cuprum, & alia metalla eruuntur sint positæ. Ex his præcipua est Neosolium, Civitas apposita Ripæ sinistræ Grani fluminis, ditissimis aurifodinis olim celebris. Non procul ab hâc Civitate distat vallis Dominorum, ubi fodinæ cupreæ, cœteris antiquiores, & majoris reditûs. Altera earum est Schemnicium, ubi locupletissimæ fodinæ, sed vel maximè argenti, nec unquam abundantiores, quàm his præsentibus temporibus. Hanc sequitur Cremniczium, ubi cuditur magna vis monetæ, ex auro & argento, quod huc ex omnibus Hungariæ fodinis advehitur, nullibi verò locorum per Europam, nobiliores aut justioris ponderis aurei, aut Imperiales cuduntur, quàm hocce in loco. Ab his bidui Spatio distat Bosza Fodina, ubi aurum à natura fingitur, quod nullam alterius metalli mixtionem admittit. Abundant porro hæ partes avibus, feris, piscibus saxatilibus, omnisque victûs copiâ. Pleráque harum Civitatum Basilicas habent exstructas instar arcium, quas inter maximè eminet Neozoliensis, tota cupro solido tecta.

MURANUM.

Arx Muran, in præalta rupe est sita, ad quam unicus per Saxeam viam est aditus, est verò capacissima, átque fontem jugi aquâ scaturientem habet, adeòque vix expugnabilis esse putatur. Capta tamen fuit anno 1549. à Comite Salmensi, verùm non vi, sed præsidiariorum proditione, contra Basonem famosum raptorem, & deprædatorem. Occupata erat quóque à Francisco Veselenyi 1644. Sed Dominâ arcis occulta cum eodem habita conspiratione, cui etiam à Cæsare postea data fuit in præmium hæreditario jure, cum Titulis Comitis perpetui de Muran. post cujus obitum arx redijt ad Fiscum, jámque à Cæsareo tenetur milite, Erat verò hic locus sæpè numero multarum deprædationum occasio, temporibus præsertim bellicosis, cùm inibi existentes, fortitudine loci freti, se tutos ac securos ab omni hoste esse reputarent.

MUNCACZINUM.

Muncaczinum arx est fortissima, ad rupem miro naturæ artificio, patentibus in campis, nulla montium contigua serie enatam, ædificata. 2. Antiquitus peculio Reginarum Hungariæ attributa fuit. 3. Eam Theodorus Queriatoricus Princeps Ruthenus, cùm Caroli & Ludovici temporibus arci dominaretur, magno ut videre est, & indomito labore, præaltâ & profundâ fossâ, in saxo mero circumduxit, ac propugnaculis munivit. 4. Radices montis, in quo sita est, alluit Latoroza fluvius, nec procul ab ea præterfluit Tibiscus Fluvius. 5. Bona amplissima habet, ad Dominium Arcis spectantia. 6. Anno 1567. obsidione cincta fuerat à Lazaro Svendio Cæsarianarum copiarum Ductore, bellum gerente contra Joannem Sigismundum Transylvaniæ Principem, cujus ditionis tunc fuerat, átque opinione citius capta, non quidem vi & armata manu,

sed Præfectorum arcis ignaviâ. 7. Demùm hoc anno 1688. post diuturnam planè circumvallationem, & obsessorum insanam pervicatiam, coacta est facere deditionem, & legitimum Regem, pro Domino agnoscere; Excellentissimi Generalis Caraffæ, dexteritate ac industriâ, cum sempiterno opprobrio obsessorum, qui hoc munimentum cæteris Hungaris contra Turcam pugnantibus ipsi pro parte Turcarum contra Legitimum suum Regem pertinciter tuiti sunt.

NITRIA.

Nitria arx probè munita, cum adjacente Civitate superiore in colle, & oppido inferiore, infra collem, Comitatûs Cognominis caput, & Episcopalis, habens sub se Capitulum Canonicorum. Decem milliaribus distat à Posonio, in ortum, totidem verò à Strigonio in Septemtrionem. In eadem conclusus fuerat Casimirus, Casimiri Regis Poloniæ filius, contra Matthiam Corvinum Regem, in Hungariam à nonnullis Proceribus evocatus, átque ab eodem Matthia circumvallatus, ac tandem in Patriam redire coactus. Capta dein fuit à Turcis 1663. ast iterum anno insequenti 1664. ab Excellentissimo Generali Suza recepta, ac dein ab Episcopis loci, propugnaculis meliùs munita.

POSONIVM.

1. Posonium, vel ut alijs placet Pisonium dictum est, à Pisone Cive Romano, cujus opera Tyberius Pannoniam subegit. 2. *Flexum* Ptolomæi eam esse Urbem contendunt aliqui, fortè quia infra hanc flectitur Danubius, in quatuor postea alveos divisus. 3. Jacet ipsa Urbs, ad Elevationem Poli Graduum 48. m. 22. in clivo, cujus verticem obtinet, arx in quadro posita, elegans & probè munita, eámque alluit Danubius. 4. Templum Parochiale amplum, è quadratis lapidibus structum, opere eleganti, est Divo Martino dicatum, in quò Regum Coronationes peragi solent, adjunctâ insigni Præpositurâ, ac Canonicorum Capitulo. 5. Gaudet Gymnasio Societatis JESU, fundato ab Eminentissimo Cardinali Pazmano, & Seminario Clericorum, ab Emerico Losi Archi-Episcopo Strigoniensi erecto. 6. Ipsa Urbs duplici muro, & fossâ profundâ ac latâ est bene munita. 7. Urbi adjacent Suburbia ingentia, & pulchra, incendio tamen proximo deformata. 8. In ea plerùmque celebrantur Generalia Regni Comitia, éstque nunc Ordinaria Archi-Episcoporum Strigoniensium, Residentia. 9. Hîc quóque in fortissimo arcis propugnaculo, conservatur Sacra Corona. 10. Residet hîc etiam Camera Hungarica, cum Camerali Consilio, ac suo Præside. 11. Ædificijs tam publicis, quàm privatis nitet, átque complura numerat Templa, variáque Religiosorum domicilia. 12. In Basilica Sancti Martini, ostenditur Corpus integrum Sancti Joannis Eleëmosynarij, olim à Turcarum Imperatore, post captam Constantinopolim, Matthiæ Corvino Regi Hungariæ, donatum, ac postea huc translatum. 13. In Foro è Regione Templi Salvatoris, stat ingens Columna, in cujus apice est Intemeratæ Vriginis perelegans statua, ab Eminentissimo Cardinali Kolonicz erecta. 14. Pro faciliori transitu Danubij, habet pontem navalem volatilem, no-

væ in-

væ inventionis, opus maximo commodo trajicientium, exstructum ejusdem Eminentissimi Cardinalis industriâ. 15. In Suburbijs visuntur elegantes horti, quorum primarij sunt: Palffianus in ipso clivo, alter Archi-Episcopalis in plano, quem gloriosæ memoriæ Georgius Lippai Archi-Episcopus Strigoniensis erexerat, plurimísque raritatibus, & artificiosissimis æquæ-ductibus exornaverat. 16. Demum Urbs hæc est non solùm Comitatûs agnominis, sed totius Inferioris Hungariæ caput. 17. Inde sinistrorsum jacent tres Civitates submontanæ: Sanctus Georgius, Bazinium, & Modra, & ipsæ muris cinctæ, átque nitidæ, ac vino opulentes, unam Liberam Civitatem simul constituentes.

QVINQVE ECCLESIÆ.

Quinque Ecclesiæ Hungaris Petsc, Urbs Hungariæ Inferioris in Comitatu Baraniensi Episcopalis, Dravum inter & Danubium æquali ferò intervallo posita, sic dicta à Quinque Ecclesijs insignibus in ea exstantibus, situ est amœna, piscosis amnibus irrigua, collibus subinde lenè acclivis ubíque fertili vite consitis, in circuitu sparsis, cœteroquin plano eóque uberrimo solo condita. Hæc varias sortis vicissitudines subijt. Nam anno 1526. post Cladem Mochaczianam à Turcis fuit occupata, dein à Ferdinando primo 1540. recuperata. Rursus anno 1543. à Solymanno Imperatore Turcarum subacta, sub quorum jugo 143. annis gemebat, donec anno 1686. gloriosis Augustissimi Cæsaris armis, post septem dierum oppugnationem 22. Octobris fuerit recepta.

SCEPVSIVM.

Scepusium. quod & Cepusium dicitur, Hungaris *Sepes*, Germanis Zipz, eadem appellatione nuncupatur, tam arx ipsa, quàm eidem adjacens vicinia, quæ est totus Comitatus. Ipsa arx est vastissima, in colle declivi sita, ab alijs tamen montibus sejuncto, sub ipsa arce est oppidum Varallya, elegans & peramplum, ac in colle è regione arcis, ex altera parte oppidi, Basilica eximij operis cum Præpositura, ac Canonicorum Capitulo, muro itidem cincto. 2. Est caput Comitatus agnominis, cujus Supremus Comes, speciali titulo scribitur, non Comitatûs, sed Terræ Scepusiensis supremus Comes. 3. In arcis vicinia fons est intra quendam specum, mirandæ naturæ; cujus aquæ hyeme fluitæ sunt, in æstate verò congelantur, ad Ædem verò Sancti Martini fons est qui scaturit, vel erumpit potiùs, instar aquæ bullientis, cum magno intus murmure & strepitu, qui admota aure, non sine admiratione auditur. Erumpit verò non foras tantùm & sub clivum, sed etiam meatus sub terra quærit, & quaqua unda illius pergit, lapis fit. Numerat autem idem Comitatus complures hujusce-modi lapidescentes fontes, sicut & rivum ad Oppidum Szomolnok, cui injectum ferrum, intra 24. horas in optimum Cuprum vertitur. 4. Præter tredecim oppida, quæ Sigismundus Imperator, Vladislao Regi Poloniæ, anno 1412. cum Castro Lublovio inscripsit. undecim alia spectant ad arcem Scepusiensem, quorum omnium incolæ Saxones. 5. In eodem Comitatu sunt duæ Liberæ ac Regiæ Civitates Leuchovia, átque Kismarkinum mœnibus cinctæ, ac benè cultæ, & populo-

pulosæ, in quibus tam mercimonia, quàm varia opificia vigent, Incolæ autem sunt Germani seu Saxones.

SOPRONIUM.

Sopronium, Sopron indigenis, Oedenburg Germanis, est Urbs parva, sed munita, Inferioris Hungariæ, bene culta ac populosa, est Caput agnominis Comitatûs. 2. Tribus milliaribus distat à Neostadio in ortum, & Sex à Posonio in Meridiem, & uno à Pejsone, sive Fertő, Lacu. 3. In ejusdem Promontorijs. vina nobilissima & generosissima crescunt, ex quibus maximus est proventus Civium. 4. Suburbia habet vastissima undíque, eáque muro cincta. 5. Est in ea Gymnasium Societatis, fundatum à Georgio Draskovichio Jaurinensi Episcopo, unà cum Contubernio seu Convictu Nobilium Hungariæ.

TEMESVARINUM.

Temesvarinum, Incolis Temes var, urbs ampla & munita, & Caput Comitatûs Cognominis. 2. Sedet ad Fluvium Temesam, in Limite Transylvaniæ, quinque milliaribus distans à Lippa in occasum hybernum, & decem circiter Belgrado. 3. Tam Urbs quàm arx ædificata est ac condita, à veteribus Pannoniæ Regibus, ad avertendas Bulgarorum, non dum Christiana Religione imbutorum, (qui à Pannonia solo Istro dirimuntur) ac Cumanorum crebriores incursiones, quem in finem etiam continuò muniebatur militari præsidio. 4. Habet duo contigua Oppida, quorum alterum ab Oriente, Insula vocatur, alterum verò à Septemtrione, à Fluvio Temesvarinum dici solet, utrúmque verò fosſâ præaltâ, aquis plenâ, cingitur. 5. Hic locus expugnatus fuit à Turcis 1552. multis tamen suorum amissis, cùm præclarè à nostris defenderetur. Postmodum tamen obsessi deditionem facere compulsi fuêre, fide interposita ab hoste, de corporum incolumitate, sed hæc in exitu nostrorum ex Urbe, perfidè à Turcis violata est, & præsidiarij cæsi vel capti omnes, quos inter fuêre; Simon Forgacius, multis vulneridus confossus, Lupus Battanius, brachijs & pedibus truncatus, Loconczius Præfectus urbis, capite minutus. 6. Præfectura Temesvariensis olim fuit tertia è dignitatibus Comitum, in Hungaria, ac sub Dominio quoque Turcarum, amplam partem Hungariæ, ad ortum extensam, sub se comprehendit. Estque Beglerbegatus, aliquot minores Præfecturas seu Sangi-agatus. sibi subjectas habens. 7. Anno 1550. Obsidionem arctam sustinuit, à Machomete supremo Turcarum Vezirio, hoste rebus infectis tunc discedere coacto.

TOKAI sive TOCCAINUM.

Tokainum, arx naturâ & operibus firma, cum oppido sibi adjuncto, in superiori Hungaria, ad confluentiam Bodogri Fluvij in Tibiscum, est sita. 2. Inundationibus est valde obnoxia, ob confluentem Bodrogum, nec ita multò per Tarczæ Fluvij, átque ipsius Tibisci frequentem exundationem. 3. Sex milliaribus Cassoviâ distat, totidem Agriâ, & decem Szakmarino. 4. Celebratur à vino quod profert, generalissimum sanè, cui vix ullum in Europa par.

5. Sæ-

5. Sæpiùs omnino fuit oppugnatum, expugnatum, defensum, & propugnatum. Nam & à Leonardo Felsio, Ferdinandi primi Generali exercitûs ductore, fuerat Joanni Zapolyano ereptum, anno 1535. Deinde obsedit illud Joannes Sigismundus Zapolya, cum Tartaris. & sibi adhærentibus, anno 1566. sed fortiter est defensum à Jacobo Ramingero Svevo, & Matthia Calvasio Hungaro, ita, ut hostes quanquàm acerrimè oppugnantes, & tormentis rem gerentes, contemnere viderentur. Tandem Anno 1605. post unius anni aut ampliùs obsidionem, à Georgio Rubero Præfecto, extrema cogente fame, Boczkaio est deditum. Varias dein fortunæ subijt vicissitudines. Cùm verò præesset eidem Comes Rogerius Staremberg, átque is in Captivitatem per insidias incidisset, oppugnatum rursus erat Tokainum, sed ab ejusdem vicario, in absentia etiam Principalis, strenuè defensum, ac conservatum. Demum in ultima Revolutione Rebellionis, ad Factiosorum devenerat manus, ac rursus receptum per Cæsarianos, in cujus fidelitate nunc etiam manet.

THRENCSINIUM.

Threncsinium, Urbecula parva, sed cum arce validissima, Inferioris Hungariæ, Comitatûs Cognominis Caput, ad Vagum Fluvium, ubi is ponte longissimo sternitur, versùs Confinia Silesiæ, locô opportunissimo, propter Fluvij Vagi opportunitatem & commoditatem, & passum in Silesiam, à Romanis ut creditur ædificata, situ gaudet amœnissimo, & prospectu per quàm jucundo, ac aëre saluberrimo. Haud procul ab urbe sunt Thermæ limpidissimæ, ac ferventissimæ, ac ob vim & virtutem medicinalom valde nominatæ. Arx ipsa in prærupta petra imminet Vago, átque ex ea parte, propter Saxeæ crepidinis præcipitium, nullis viribus, nulláque tormentorum vi expugnabilis est, ab Occidente verò montem oppositum habet, è cujus cacumine pilis tormentorum peti potest, ubi tamen etiamnum duplici muro, maximéque firmo, nec non fossâ latissimâ ac profundissimâ, utrínque parietibus Saxeis suffulta, adeò est munita, ut ea quóque ex parte, nonnisi summis longissimæ obsidionis viribus, superari posse censeatur. In ipsa altitudine arcis est puteus capacissimus, aquâ abundans, improbo labore, operâ captivorum Turcarum, in viva excisus petra.

Dominabatur olim huic loco Matthæus Trenchenienfis Princeps, opibus & armis æquè pollens, qui sub sua ditione totum tractum illum terræ, à Threncinio úsque Posonium possedit, à quò is dein Matthûs Földe, hoc est Matthæi terra est cognominatus.

Qui cùm Carolo primo, Regi rebellâsset, contra Regis copias Castrum hoc præsidio firmavit, átque etiam obsidionem sustinuit, eámque irritam effecit. Anno dein 1527 à Cociano Copiarum Cæsareanarum Duce, (cùm tunc sub Joannis Zapollya Inter-Regis ditione esset) fuit obsessum & XXX. & ampliùs continuis diebus tormentorum pilis concussum, acerrimè tamen defensum, ita, ut jam Cocianus de retrahendis tormentis, & exercitu reducendo con-

consilium caperet, fortuitò fortè globus igneus immissus lariceæ trabi adhæsit, átque inde exorto vehementi incendio, arx tota miserandum in modum, omni commeatu flammis consumpto, ac pulvere pyrio accenso, brevi temporis spacio conflagravit, sícque obsessos deditionem facere coëgit.

TYRNAVIA.

Tyrnavia, Civitas ampla, sed minus munita, quo ad præsentis sæculi militarem architectonicam, sita est in loco planissimo, ad Tyrnam Fluviolum, in Comitatu Posoniensi. 2. Ob Copiam frumenti, quod in ejusdem territorio, ac vicinia crescit, Bethleem Hungariæ seu Panis domus meritò passim dicitur. 3. Nulla Civitas per universam Hungariam, fidem Orthodoxam magis intactam, átque intaminatam conservavit, quàm Tyrnavia. 4. Post occupatum à Turcis Strigonium, fuit Sedes Archi-Episcopi Strigoniensis, & Residentia Capituli ejusdem loci. 5. Est verè Domicilium Musarum, habens Academiam nobilem, & studijs florentem, quam fundavit Cardinalis Pazmanus, Archi-Episcopus Strigoniensis 1635. priùs jam fundato Collegio, à Rudolpho II. Cæsare 1585. Quam studio Juridico auxit Georgius Lippai, Archi-Episcopus Strigoniensis 1666. 6. Academiam hanc mirè ornant Quinque Seminaria, quà Clericorum, quà Nobilium Juvenum. 7. Ad aulam Archi-Episcopalem, extat Bibliotheca præstantissima, multitudine Authorum locupletissima, erecta à duobus Archi-Episcopis Strigoniensibus, Georgio Lippai & Georgio Szelepcheui. 8. Est Libera, Regiáque Civitas, & Sedes Judiciorum extraordinariorum, ac quandóque etiam Conventuum Generalium. 9. Exstructa fuit hæc Civitas in Bela II. Rege Hungariæ, circa annum Christi 1140. 10. Templum Cathedrale habet magnificum, Sancto Nicolao dicatum, ac in loco præeminentiore situm. 11. Templum item Academicum splendidissimum & ornatissimum, cui per totum Hungariam, imò & per vicinas provincias, inter nova ædificia, par vix reperitur, exstructum à fundamentis, sumptibus gloriosè memoriæ Comitis Nicolai Esterhazi, Regni Hungariæ Palatini, átque Divo Joanni Baptistæ consecratum, ubi IX. Martyrum sacra Lipsana servantur, ab Urbano VII. Pontifice liberaliter donata. 12. Incolunt Civitatem hanc tres Nationes Hungarica, Germanica, & Slavonica, partito jure & officijs inter se, ex æquo. 13. Olim magna ex parte incolebatur etiam à Judæis, verùm propter immane facinus, quô se obstrinxerant, ob quendam Christianum adolescentem occultè interceptum, & dirè excarnificatum, locô pulsi, ac perpetuo exilio mulctati sunt, anno 1494. regnante Vladislao Secundo. A quò tempore Civitatis hujus Privilegiû est, ut deprehensum in suo territorio Judæum, eo ipso, sine ulteriori juris progressu, suspendio plectere possit. 13. Anno 1401. Blasius Bohemus puidam, humili genere natus, cum collecta perditorum hominum colluvie, Tyrnaviam ex improviso occupavit, multisque civibus trucidatis expoliavit. Anno verò 1683. à Tőkőlianis miserè erat exusta, quô incendio periêre prope quinque hominum millia, tanta fuit flammarrm violentiâ, mox ipsa Civitas ab ijsdem crudeliter direpta ac expilata. Aliàs quóque frequentibus incendijs

cendijs est obnoxia, & novissimè hoc currente anno 1688. sexies per suppositos ignes est concremata. 14. Ad omnes quasi partes prospicit eximias aliquot arces, nempe: Galgoczium, Sentaviam, Rubram arcem, & Szomolyan, in quarum meditullio est sita, ab omnibus æquali fermè distantia dissita.

SZAKMARINUM.

Szakmarinum situm est in Insula, quam Samosuiz fluvius efficit, in duos alveos, seu ramos divisus, clari nominis oppidum, cui ex adverso adjacet aliud Nimethi dictum. Huic loco primò appositum fuerat Castellum à Bathorijs Somlianis, ad quorum olim jura & ditionem spectabat. Hoc Turcæ cum Transylvanis anno 1562. obsederant, sed à nostris repulsi, rebus infectis abire coacti sunt. Anno deinde 1565. Samusio glacie constricto, ita ut sustinendis etiam majoribus tormentis viam præberet, facili negotio præsidiarijs sibi diffidentibus, à Lazaro Svendio fuit occupatum, qui quod opportuno loco situm judicaret, Arcem novam ex Materia & roboribus cespite repletis, coacta magna incolarum totius Regionis multitudine, ex fundamentis erigere, & construere cœpit, quod opus à varijs postea continuatum est. Demum anno 1660. perempto Georgio II. Rakoczio Transylvaniæ, Principe, juxta pacta ad Cæsarem redijt, eique, forte militare præsidium impositum. Mansitque hoc Fortalitium, etiam toto hoc revolutionum tempore, in fidelitate Cæsaris constanter. Tentatum tamen fuit à Transylvanis, anno 1681. unius mensis obsidione, gloriosè eandem sustinente Excellentissimo Generali Serenio, locóque immuniter conservato.

SZAKOLCZA.

Szakolcza Civitas Libera ac Regia, ad Confinia Moraviæ est sita, loco amœno, aëre Salubri, parte ex una colles vitiferos, ex altera verò campos prospiciens. Incolæ utuntur linguâ Slavonicâ, sed politiore longè quàm alibi, vini atque frumenti est feracissima, ædificijs culta, Cives ex Nobilitate multi, átque ad omnem humanitatem nati, magna inter eos familiaritas & sinceritas. Templum Parochiale habet Magnificum, Divi Michaëlis Archangeli honori dicatum: Recens item Gymnasium Societatis JESU, à Georgio Szelepchenyi Archi-Episcopo Strigoniensi fundatum. Nostris temporibus fuit hujus Civitatis multorum annorum Syndicus Joannes Rakolupsky, vir in disciplinis Mathematicis apprimè versatus, cujus doctissima scripta nunc quóque conservantur in Bibliotheca Academica Tyrnaviensi, digna omnino publica luce, utpotè quorum doctrinæ soliditas, comparari possit cum Scriptis præcipuorum etiam ac nominatissimorum Authorum.

SZIGETUM.

Szigetum Linguâ Hungaricâ Insulam significat; unde hoc Fortalitium nomen accepit. Originem cujus sic describit Istvanffius: Superioribus sæculis proa-

proavorum nostrorum memoria, Osvaldus Anthenius, cujus progenitores è Græcia in Hungarium venisse dicebantur, in ea insula, quam Almus rivus stagnans & paludosus, à proximis Sylvis ex montibus provolutus efficit, turrim rotundam ædificavit, cui Insulæ seu Szigeth nomen imposuit, circa quam castigato & obstructo terrenis aggeribus oblongis aquarum cursu, ac latiore excavato alveo lacum effecit. Eam posteri ædificijs & propugnaculis auxerunt, ac postremo Valentinus Enningius cognomento Turcus, tolerata Joannis Inter-Regis obsidione, locum longè munitiorem reddidit. Quô à Solymano Constantinopolim abducto (quem Budæ cœperat) & Quinque-Ecclesiarum urbe in Turcarum potestatem redactâ, Liberi ejus, quòd tuendæ ei & defendendæ impares essent, eam Ferdinando Cæsari cesserunt.

Habet Arcem plano loco sitam, & fossas aquâ plenas triplici ordine, quinque propugnaculis munitas, & ad Occidentèm solem, oppidum duplici vallo, ac fossâ circumdatum; éstque locus ob aquarum munimentum, fodiendis cuniculis minus opportunus. Anno 1556. obsidione cinctum erat Szigethum ab Ali Achmete Vezirio, viginti quinque millibus Turcarum, sed præsidiarijs impigrè rem agentibus, re infecta obsidionem solvere coactus fuit. Deinde anno 1566. à Solymano Turcarum Imperatore, cum exercitu 200000. obsidetur, átque ad extremum expugnatur, cujus excidio sanguine & vitâ suâ litavit fortissimus ejusdem propugnator Comes Nicolaus Zrinius. Occubuêre in hâc obsidione, Turcarum plùsquàm 20. millia, ipséque Solymanus, pauló ante occupationem loci, in castris è vita decessit.

VARADINUM.

Varadinum, Hungaris Varad, Germanis Grofs-Vardein (ad differentiam alterius Varadini, quod Petri nuncupatur, & situm est in Finibus Regni Hungariæ, in Comitatu Syrmiensi, átque Danubio adjacet) Civitas amplissima in Comitatu Bihariensi Superioris Hungariæ, cum arce munitissima, ad Fluvium Chrysium. 2. Condita fuit à S. Ladislao Rege Hungariæ. Qui cum in Bihariensi agro venatione animum relaxaret, cœlesti admonetur internuncio, ut ad Fluvium Chrysium Divæ Virginis Basilicam dicaret, eámque adjecto populo muniret, futurum enim hunc locum Magnæ Matri gratiosissimum. Divina igitur mandata statim præstitit Sanctus Rex, magnificentissimam ædem Sacram exstruxit, eidémque Civitatem vastissimam adjecit. Hanc dein temporibus Belæ IV. Regis Hungariæ, Tartari ferro flammâque, tribus iteratis vicibus adorti, penitùs devastaverunt, incolis ad internecionem deletis. 4. Est Sedes Episcopalis, sub Archi-Episcopo Colocensi. 5. In ejusdem Basilica, conditum erat Sancti Ladislai corpus, ubi etiam spectabatur ex ære equestris illius statua, quam postea impietas Calviniana confregit, ipsis etiam Sacris reliquijs ejectis. 6. Anno verò 1556. justis de causis, & sub certis conditionibus Ferdinandus primus, Varadinum cessit Isabellæ Matris Stephani Zapollya Principis Transylvaniæ, post cujus fata, redijt iterum ad Coronam, & à Cæsareanis arx longè mu-

gè mu-

gè munitior est effecta. Quæ anno 1606. longissima priùs obsidione tolerata, à Rudolpho Imperatore, ex pactis tradita est Boczkajo Principi Transsylvaniæ, ac tandem à Turcis anno 1660. die 13. Julij, obsessa, ac 27. Augusti, per deditionem capta.

VIVARINUM.

Ujvarinum, Hungaris Ujvar, Germanis Najheysel, Fortalitium fuit, hoc sæculo primùm erectum, ad Nitriam fluvium, in Oppido Archi-Episcopali ejusdem nominis. Figura quadrangularis, vix duobus milliaribus distat à Danubio, ubi Vagum fluvium recipit, & totidem à Comaromio, in Ortum æstivum. Hoc postmodum Georgius Lippai Archi-Episcopus Strigoniensis, ex arte fortificari curavit, sed nec dum operi fine imposito, obsessum est à Turcis 1663. átque post acrem oppugnationem sex Hebdomadarum expugnatum. Anno autem 1683. fuit à nostris obsidione cinctum, quæ tamen interrumpi debuit, verùm repetita oppugnatione à nostris, anno 1685. armata manu, Turcis est ereptum.

§. X.

Regnorum Croatiæ, Sclavoniæ, & Rasciæ, cum rebus memorabilibus descriptio.

I. CROATIA.

1. CRoatia habet à Septemtrione Sclavoniam, ab occasu Carniolam, à Meridie Comitatum Jaderæ, qui est pars Dalmatiæ, ab Ortu Bosniam, à qua Unna fluvio separatur.

2. In Longitudine, unà cum Morlachia, & Carbavia, habet 20. milliaria, in Latitudine autem decem. Quod tamen intelligendum est de Croatia propriè dicta, & prout à Sclavonia distincta.

3. Sunt autem Morlachi, populi Croatiæ, in montibus degentes, versùs oram littoralem Maris Dalmatici, qui Lingua Slavonica More Vlachi, quasi Marini Valachi dicuntur, & ipse tractus terræ, à monte præcipuo Morlacha dicto (olim Albio) denominatur, Littori maris Baltici adjacens. Corbavia verò est tractus Croatiæ in ejus parte Meridionali, Morlachiam versùs.

4. Fluvij Croatiæ præcipui sunt: Colapis, incolis Kulp dictus, qui in Vindorum Marchia tractu Carnioliæ ortus, deinde in ortum æstivum fluens, Carlostadium præterfluit, ubi auctus aliquot fluviis ad Crastovitium in Savum calabitur. Post hunc Deva, Vnna, qui & Van, hic ex nominis ejusdem montibus decurrens, Vihitzam rigat, ac dein Cosztaniczam, demum in Savum fluvium prolabitur, in ipso limine Croatiæ, supra Gradichiam sive Gredicham.

5. Dividit porro Croatiam à Sclavonia Savus Fluvius, ast ubi in eam Colapis fluvius decurrit, efficit Sigesticam Insulam, in quâ situm est Siscecum si- ve Si-

ve Siſcia, olim urbs Pannoniæ, & Sedes Epiſcopalis, nunc arx Venerabilis Capituli Zagrabienſis. Fuit hæc à Turcis oppugnata vicibus iteratis, ſed anno 1592. vi maxima, ac conatu ſummo, irrito tamen, ac in poſtrema obſidione, cæſis Turca ſupra 12. millia, pertinaciá nihilominus hoſtium poſtea occupata erat anno 1593. Aſt anno inſequenti 1594. rurſus à noſtris eſt recepta.
6. Loca celebriora Croatiæ ſunt: *Carloſtadium*, Fortalitium recens, à Carolo Archiduce Auſtriæ conditum, & probè munitum contra Turcarum incurſiones, ad confluentias fluvij Meresvitz in Colapim, in quo commoratur Generalis ſeu Præfectus totius Croatiæ, pro Rege Hungariæ. Arx *Craſtovvicz* ad Savum, infra quam excipit amnem Vna, *Vvichitz* Locus munitus ad lacum parvum, quem efficit Vna fluvius, olim Anſancata dictus, ut quidam putant. Petrinia à Turcis ipſis erecta, ac dein à noſtris ijsdem anno 1595. erepta.

7. Olim Croatia latiùs patebat, partem Dalmatiæ ſub ſe continens, atque in undecim Zuponias, ſeu Regiones fuit diviſa.

8. Antiquitus regebatur à Regibus Illyrici, & tunc ſub Illyrio continebatur, poſtmodum cum reliquo Illyrico, debellata fuit à Romanis, & in diviſione Imperij, attributa eſt Imperio Orientali. Declinante verò Imperio Romano, à Francis erat devicta, quorum jugo excuſſo facta eſt ſui juris, ſed rurſus ſubjugata fuit à Carolo Magno; Aſt hoc defuncto, cœpit habere proprios Duces, ac Reges, úsque ad Zrodomirum Regem ultimum, qui cùm omni hæreditate careret, moriens Regnum uxori legavit, hæc verò Fratri ſuo Sancto Ladislao, Hungariæ Regi, ex quo tempore, reliquis Sacræ Coronæ incorporata eſt Regnis. Tandem non nullorum Magnatum Croatiæ factione, ſub Ludovico primo, ac dein etiam ſub Sigiſmundo, Regibus Hungariæ, à Sacra Corona ſeparare ſe volebat, ſed ab utróque dicto Rege, rebellionis capitibus debellatis, in Ordinem fuit redacta, ac paccata. Demum poſtremis his ſæculis, à Turcis occupatâ Boſniâ mirum in modum fuit ab ijsdem infeſtata, vaſtata, ac ultimò majori ex parte, ſub jugum Tyrannicum eorundem eſt miſſa.

9. Cæterùm Regio eſt partim plana, partim montibus, & collibus aſpera, fertilis tamen, amœna, & multis locis vitibus conſita, pecore dives, & frugibus, nulliúsque rei indiga; præterquam pacis.

10. Præeſt autem toti Croatiæ, uti & Sclavoniæ, ac Dalmatiæ, nomine Regis Hungariæ, horum Regnorum Banus, tanquam Pro-Rex.

II. SCLAVONIA.

1. Sclavonia habet in Septemtrione Hungariam, & Dravum Amnem interjectum, ab occaſu Styriam, à Meridie Croatiam, à quô Savo fluvio ſecernitur, ab ortu Raſciam.

2. In Longitudine ſua habet 20. milliaria, in Latitudine decem, Dravum inter & Savum.

3. Totam hanc Regionem aliquando Pannonij tenuerunt, unde denominaba-

nabatur Savia Pannonia, mox Gotthi, novissimè Sclavi, qui ad hanc nostram ætatem eam incolunt.

4. Dividitur in tres Comitatus: Crisiensem, Zagrabiensem, & Varasdiensem.

5. Regio est vini feracissima, abundat etiam pascuationibus, & pecoribus.

6. Caput Regni est Zagrabia, incolis Zagrab, Germanis Agram, éstque Sedes Episcopalis, quæ translata est Sisciâ, à Sancto Rege Ladislao, ejúsque Diæcesis complectitur omnem Sclavoniam, & partem Croatiæ, éstque Comitatûs Zagrabiensis ab ea dicti, caput. Dividitúrque in duas partes, nempe in Civitatem Regiam, & Capitularem, in illa est Gymnasium celebre Societatis JESU, in hâc residentia Episcopalis, cum Magnifica Basilica, à Sancto Ladislao Rege Hungariæ erecta, & Divo Stephano Regi dicata, in quâ ejusdem Sacrum conservatur caput, ac insigne Collegium Canonicorum.

7. Reliqua loca celebriora sunt: Varasdinum, in quâ alterum est Societatis JESU Gymnasium, utrúmque ab Illustrissima Familia Tonhauziana, liberaliter fundatum, éstque caput Comitatûs cognominis, & sedes Generalis totius Sclavoniæ. Situm est in planicié lata & amœna, habétque à dextra Septemtrionem versùs, minorem Dravi alveum, qui pauló supra civitatem in duas partes dividitur, à sinistrà veró quæ hybernum solis ortum spectat respicit colles inter quorum juga & urbem thermæ habentur præstantissimæ, Constantianæ veteribus dictæ. *Capronicza*, cum arce munita, quæ vix duobus milliaribus à Dravo fluvio distat. Lepoglava, Nobile Monasterium, Ordinis Sancti Pauli primi Eremitæ. Gradiska, (olim dicta Servitium) ad Savum fluvium sita.

8. Incolæ utuntur Lingvâ Sclavonicà seu Illyrica, quæ hodiéque latissimè patet, ut quæ à mari Adriatico, ad Oceanum Septemtrionalem extendi videatur, quin insuper & in alias Regiones est longè latéque diffusa, nam eâ utuntur Istrij, Poloni, Lithuani, Prutheni, Scandinaviæ incolæ, Dalmatæ, Croatæ, Bosnenses, Servij, Moravi, Bohemi, Lusaty, Silesij, Russi, ac latissimé imperantes Moschi, Bulgari, Pannones, multæque aliæ vicinæ Regiones, Constantinopolim úsque, adeò ut ejus etiam usus inter Turcas sit, & in Aula Turcici Imperatoris, inter Aulicos summos, familiaris, ac in eo pretio, in quo est Italica, apud nostrates Aulæ Proceres.

III. RASCIA.

1. Rascia prout Croatia, distincta à Sclavonia, ab Occasu habet Sclavoniam, à Septemtrione Hungariam, & Dravum fluvium, ab ortu confluentiam Savi in Danubium, quamvis pars una Rascianorum occupet, etiam ultra Danubium, bonam Hungariæ partem, à Meridie Bosniam & Serviam, à quibus Savo amne separatur.

2. Hæc in longitudine habet 20. milliaria Germanica, & juxta defluentiam Savi 25. in Latitudine 12. Savum inter & Dravum.

3. Continet similiter tres Comitatus: Posegiensem, Valponiensem, & Sirmiensem.

4. Loca celebria Rasciæ sunt: *Posega*, Comitatus Posegiensis caput, ad moravam fluvium, olim Reccatina dicta, octo millibus passuum, à Savo fluvio tdistans. *Valpo*, Civitas olim culta, & valponiensis seu valkoniensis Comitatus caput, ad Amnem cognominem sita, vix sex millibus passuum, à Dravo fluvio in Meridiem, & 25. à Danubio in occasum, & 10. à Mursa, seu Eszekio distans. Hæc occupata fuit à Turcis, anno 1543. sed proximo anno 1687. recepta est, cum tota circumjacente regione à nostris, Duce Generale Denebaldt. *Sirmium*, à Syrmjo Rege Triballorum sic dictum, Civitas olim ampla, sed à Turcis ferè excisa, & in vicum redacta, Probi Imperatoris Natalibus clara, celebris à vini præstantia, Comitatûs Sirmiensis caput, & Sedes Episcopalis, sub Archi-Episcopo Colocensi. Sita est ad radices Almi montis, & ad Amnem Bosvvatham, qui paulò infra ad Cænobium Sancti Demetrij labitur in Savum. Anno 353. fuit Syrmij celebratum Concilium generale, adversùs Photinum Episcopum, qui JESU Christi Divinitatem abnegabat.

4. Abundat autem hæc regio frumento, pecoribus, fructibus, & vino, nobilissimo. Et quidem in Pannonia hic cultus vinearum cœpit. Anno enim 279. *Probus* Imperator, primò Pannonijs, vites habere permisit, ac juxta Sirmium, Almum montem, militari labore vitibus cnnsevit.

§. XI.

Regni Dalmatiæ, cum Rebus memorabilibus Descriptio.

1. DAlmatia, terminatur ab Occasu Istriâ, Italiæ Provinciâ ultimâ, à Septemtrione Croatiâ, & Bosniâ, à quibus separatur montibus, ab Oriente Serviâ, Bulgariâ, & Macedoniâ, à Meridie Sinu Adriatico.

2. Sic dicta est à Delmio, seu Delminio Civitate, Illyrica, cùm enim regnante *Gentio* Illyriorum Rege, pars una eorum, in libertatem se vendicâsset, & Complures Civitates Illyrij, quas inter fuit & Delmium seu Delminium) ad distinctionem aliorum Illyricorum, Dalmatas se cognominârunt.

3. Postmodum verò Dalmatia, more aliarum Regionum, à Romanis redacta fuit in Provinciam Romani Imperij. Declinante verò Romano Imperio, à Varijs Barbaris vexata fuit, ac tandem à Gothis in Italia dominantibus subacta, ac possessa, verùm Gothis ab Imperatore Justiniano devictis, simul cum Italia est recuperata, & rursus Imperio Orientali adjecta. Dein verò Imperante Mauritio Slavos in Dalmatiam irrupisse, ab iisque Regionem illam occupatam fuisse, tradunt authores. Sicque Slavi juris sui jam effecti, longo tempore Provinciæ illi dominabantur, donec tandem à Carolo Magno, cum

reliquæ

reliqua Croatia debellarentur, ast ab anno Christi 941. vel ut alij volunt, 818. Dalmatia à proprijs gubernabatur, quà Ducibus, quà Regibus, úsque ad Zronimirum ultimum Regem Croatiæ & Dalmatiæ, quo decedente Dalmatia quôque Sacræ Coronæ Hungaricæ est incorporata.

4. Moderno tempore, interiora hujus Provinciæ, obtinent, partim Cæsar, tanquam Hungariæ Rex, partim Turca, tanquam violentus occupator, oram verò Maritimam Veneti tenent, tribus Civitatibus exceptis, nempe. *Scardonâ*, quam adhuc tenent Turcæ: Ragusâ, quæ sui juris est, sub protectione tamen & Clientella Regis Hungariæ, & *Segniâ*, quæ etiamnum Coronæ Hungaricæ subjacet.

5. In Longitudine sua, prout nunc extenditur Dalmatia, habet milliaria 40. Germanica, in Latitudo circiter viginti.

6. Tres habet Archi-Episcopatus: nempe: Jadrensem, Spalatensem, & Ragusanum, singuli suos suffraganeos Episcopos habentes.

7. Devolutâ Dalmatiâ ad Coronam Hungariæ, multa bella Hungariæ Reges, adversùs Venetos, pro ejus conservatione gessêre. Nam imprimis Rex Colomanus, qui Sancto Ladislao Rege successit, suscepta expeditione contra venetos, quà armis, quà liberalitate, in summa, Libertate Dalmatis attributa, universam Provinciam plenè sibi subjecit, átque à defectione facta ad Venetos, magna dexteritate, Dalmatas revocavit, super hâc re cum Republica Veneta, perpetuo fœpere inito, quô tamen mox rupto, Colomanus novas suppetias in Dalmatiam duxit, átque profligato Ordephalo, Venetorum exercitûs Duce, universam regionem, ad Fidelitatem Coronæ Ungariæ reduxit, dispositis itáque: ubíque præsidijs, prout cujúsque conditio requirebat, victor in Panno-niam redijt. Dein Ludovicus I. ob eandem Dalmatiam, bellum in Venetos movit, sed hoc parùm prosperè gesto, rem tota Compositioni pacificæ commisit, quæ tamen Literis & Legatis diù agitata, in cassum abijt. Ergo Ludovicus rursùs Dalmatiam armis repetere statuit, accitóque in belli societatem Leopoldo Austriæ Duce, hinc Dalmatiam, illinc Istriam, & Forojulianum agrum, magno cum Exercitu invasit, átque ad restituendam sibi Dalmatiam, Venetos coegit. Post hunc Sigismundus Rex, in eosdem venetos, pro retinenda ac integrè recuperanda Dalmatia, iteratis vicibus bellum suscepit, variáque fortuna illud gessit.

Loca celebriora Dalmatiæ sunt: *Segna* sive Sevia, urbs parva, sed munita, ad radices montis, cum castto antiquo; & arce valida, in monte prærupto, & portu in ora maris Adriatici, sub Dominio Regis Hungariæ, éstque duplex, nova, & vetus, Vegiæ Insulæ proxima, sedes est Episcopalis, sub Archi-Episcopo Spalatino, Segniæ finitima est Modrusia, & illa Episcopalis, sub Archi-Episcopo Jadrensi, Ænona, vulgo Nona, Civitas Episcopalis, sub Archi-Episcopo Jadrensi. parva sed munita, ex adverso Giscæ Insulæ, subest Dominio Reipublicæ venetæ. *Iadera* vulgò Zara, Urbs Archi-Episcopalis, & præmunita, in Ora màris Adriatici, à quó undíque cingitur, ab ea tractus adjacens

cens dicitur: Territorium ſive Comitatus Jaderæ, Italis, il Contado di Zara Alias ſuberat Regibus Hungariæ, nunc ſubeſt Reipublicæ venetæ. Hæc Urbs ſepties redijt ad Coronam Hungariæ, & toties ab eadem eſt avulſa. *Sabenicum*, ſatis amæna urbs, at parum culta, ob vexationes vicinorum Turcarum, qui Scardonam tenuêre. Erat autem *Scardona*, Civitas Epiſcopalis, ſub Archi-Epiſcopo Spalatenſi, in ſinu maritimo propè lacum parvum Scardonium, vulgò Prochlian, ad oſtium Titij fluvij, cujus nunc rudera tantùm cernuntur, eíque adjacet arx parva in colle, quæ ipſa poſtmodum fuit à venetis diruta, Raguſium vulgô Raguſa. Urbs Archi-Epiſcopalis, & libera, ſui juris, átque Reipublicæ Cognominis caput, in ora maris Adriatici, in confinio Albaniæ ſita eſt, ad radices montis Bergaſti in rupe maritima λάν dicta, & ob id à principio Lauſium nuncupabatur, poſtea Rauſium, & à nonnullis pro Epidauro ponitur, ſed malè, cum Epidauri rudera, ſex inde milliaribus Orientem verſùs, hodie quóque cernuntur. Ipſa autem Urbs Raguſium, eſt probè munita, & culta, éſtque Emporium celebre, cum arce præmunita, cum duplici portu capaci & tuto, & quanquam pro majori parte conquaſſata fuerit horrendo terræ motu 1667. nunc tamen in dies reſtauratur. Eſt autem etiamnum ſub Clientela Regum Hungariæ, ſtipendium tamen etiam Turcis ſolvit, ſed cum jure, per totum Turcicum Imperium, liberè exercendi mercimonia. *Scutari*, oppidum Turcicum, Emporium eſt haud ignobile. Spalatum, Urbs ampla & probè munita, in ora maris Adriatici, olim Diocletiani Imperatoris palatium, crevit ex ruinis Salonæ urbis exciſæ: urbs portu gaudet capaci & tuto, ſub Dominio Reipublicæ venetæ, ab anno 1420. cum olim eſſet juris Hungarici, éſtque Sedes Archi-Epiſcopalis, ac pluries tentata fuit à Turcis, irrito tamen ſemper conatu. Tininium olim Arduba dictum, Incolis *Klin* Civitas Epiſcopalis, cum Capitulo, quæ quondam habuit proprios Comites quibus ſuberat. *Catarum*, Civitas Epiſcopalis, optimum habens portum. *Almiſa* Civitas, itidem Epiſcopalis & maritima, ad oſtium fluminis Cetinæ, olim dictu Peguntium, ſubéſtque Dominio Turcarum. *Caſtel novo*, ad oſtium ſinûs Rizonici ab Antiquis vocati, nunc Crenaci dicti, recenter à Venetis expugnatum, & Turcis ereptum. Habet eadem Dalmatia, Stridonem, Divi Hieronymi Patriam, & Cliſſam arcem probè munitam, in rupe prealta, in expugnabili loco conſtructam. in quâ Bela Rex, à Tartaris olim pulſus, liberos ſuos conſervaverat, hanc anno 1553. Turcæ, fame ac ſiti præſidiarios deditionem ſibi dare coêgerunt. Aſt anno 1556. aſtu militari à noſtris fuit recuperata, ſed eodem anno rurſus amiſſa, poſtremò 1648. capta fuit à Venetis, ipſis etiam nunc ſubeſt, pace ad Candiam ſancita.

§. XII.

Regnorum Boſniæ & Ramæ, cum Rebus Memorabilibus, Deſcriptio.

1. Boſ.

1. BOſniæ Regnum, inter Unam, Savum, & Drinum amnes, Bebióſque montes ſitum, nomen accepit à Boſna flumine.

2. Longitudo ejus inter duo flumina Unam & Drinum, porrigitur milliaribus Germanicis 40. Latitudo verò inter Boſnæ fontes ac confluentem milliaribus 15.

3. Habet à Septemtrione Sclavoniam, ab Occidente Croatiam, ab Oriente Raſciam, & à Meridie Dalmatiam.

4. Duplex eſt, Superior & inferior, & illa quandóque nuncupatur Ducatus S. Sabæ.

5. Porro Rama, ſeu Ramia, cujus fit in Regum Hungariæ titulis mentio, pars eſt Regni Boſniæ, versùs fluvium Ramam, in Naronem influentem, (quæ tamen fluviorum nomina, jam videntur eſſe immutata) qui regioni per quam labitur nomen dedit, unde etiam conſequens eſt, Boſniam olim magis latè patuiſſe.

6. Hinc conſtat, Ramæ Regnum pro Boſniæ Regno intelligendum eſſe, hâc de cauſa in Titulis Regum Hungariæ, nullibi invenitur nomen Regni Boſniæ, ſed Ramæ, aut ſi alicubi nomen Boſniæ ponitur, nomen Ramæ, ſeu Ramiæ omittitur.

7. Primus verò qui hanc Provinciam Coronæ Hungaricæ inſeruit, fuit Bela cæcus, Rex Hungariæ, qui ab anno 1138. hoc titulo uſus eſt, átque ad ſucceſſores ſuos tranſcripſit.

8. Boſniam poſtmodum, Bani, nomine Regum Hungariæ rexêre, ac dein Bela frater Stephani IV. átque etiam Eliſabetha, mater Ladislai Cunni, Regis Hungariæ, Ducatûs nomine habuerunt, ſed eodem Ladislao occiſo, dum de Corona Hungaria diſceptatur, Stephanus Raſciæ Deſpotes, Boſniam occupavit, verùm eandem non diù poſt, Paulus Banus Croatiæ & Dalmatiæ, Carolo Regni Hungariæ recuperavit, Banique titulo ipſe, & Filius ejusdem Mladinus habuit, uſquequo ab eodem Rege Mladinus depoſitus, captúsque fuiſſet. Huic deinde Stephanus in Banatu ſucceſſit, qui cùm eſſet affinis Regi Carolo, Boſniam titulo Liberi principatûs poſſedit, cum ſubjectione tamen Coronæ Hungaricæ. Ejus deinde Succeſſor, & nepos ex fratre, itidem Stephanus, cognomine Tvartkus, à Ludovico Rege Uungariæ, Coronâ Boſnenſi inſignitus eſt, utpote: cujus filiam in uxorem duxerat, & ob inſigne auxilium ſibi præſtitum, in Tartarorum ex ſuo Regno expulſione, habuitque poſtea Reges proprios Boſnia, ad annum úſque 1463. quô Boſniæ Regnum à Turcis eſt occupatum, ejúsque Rex itidem Stephanus obſeſſus Jajczæ, à Machomete Turcarum Imperatore blanditijs evocatus, vivus excoriatus eſt. Verùm Matthias Corvinus, Rex Hungariæ, eodem anno in Boſniam profectus, profligatis hoſtibus, omnia recuperavit, quæ antea Turca occupaverat. Poſtremò autem Solymanus Turcarum Imperator, occaſione domeſticorum Hungariæ diſſidiorum, inter Ferdinandum primum, & Joannem Zapolianum Inter-Regem, iterum Jajczam Metropolim Boſniæ expugnavit, totúmque Regnum ſuæ Tyrannidi ſubjecit.

9. Caput autem & Metropolis totius Bosniæ est Jajcza, arx in edito monte sita, quam duo amnes circumfluunt, præruptísque rupibus, & vadis firmam, átque inexpugnabilem reddunt, in radice montis est civitas ejusdem nominis, & à tergo profusa planicies. Hanc astu cœperat Solymanus anno 1463. uti supra annotavimus, eandem mox recepit, Matthias Corvinus Rex Hungariæ, partim vi, partim oppidanorũ ultronea deditione, ob rerum inopiam, quâ præsidiarij Turcæ magnopere laborabant. Dein anno 1522. rursus à Turcis gravi obsidione fuit pressa, sed à Kegleviczio strenuè defensa. Verùm anno 1527. rursus à Turcis obsessa, ignaviâ præsidiariorum est ipsis dedita.

10. Post Jajczam celebriora loca Bosniæ, sunt: *Varbosanye*, quæ hodie est Metropolis Bosniæ, sed nullo muro cincta, quam Milliatzka Fluvius in duas dividit partes. Banyaluca, cum arce satis firma, Civitas ampla, & in longùm penes utrámque Verbani fluminis ripam protensa, Bassæ Turcici, qui toti regioni præest, sedes.

11. Cæterum Bosnia est regio montibus aspera, mineris auri & argenti dives, abundat etiam armentis, & ovibus, quæ si hîc mactentur, nullius pene sunt saporis, si verò circa Athesim pascua gustaverint, illico impingvantur, & carnem habent gratissimam, hinc magna illarum copia quotannis educitur in Italiam.

§. XIII.

Regnorum Serviæ & Bulgariæ, cum Rebus Memorabilibus Descriptio.

1. SErvia & Bulgaria, olim sub uno nomine *Mœsiæ* complectebantur. 2. Mœsiam deinde Romani in Superiorem & Inferiorem diviserant, quas Ciambro fluvius distingvebat: Mœsia superior fuit, ubi nunc est Servia, Inferior verò ubi nunc est Regnum Bulgariæ. 3. Servia, à Meridie habet Macedoniam, ab occasu Bosniam à Septemtrione Istrum, seu Danubium fluvium, ab oriente Bulgariam cui adjacet. Regnum autem Bulgariæ, à Meridie habet Thraciam, ab ortu Pontum Euxinum, à Septemtrione Istrum seu Danubium, ab occasu Serviam. 4. Servia in Longitudine sua, numerat supra 30. milliaria Germanica, Latitudo ejusdem, longitudini ferè est par. 5. Servia autem habuit proprios Reges, è gente Nemagnica, quibus extinctis, paruit Regibus Hungariæ, & tandem à Turcis occupata, ipsis etiam nunc subest. 6. Porro Serviam Coronæ Hungaricæ adjecit Salamon Rex, ac demum Sigismundus Imperator, facta cum Despote Georgio permutatione, & traditis illi amplissimis in Pannonia ditionibus pro Belgrado, pleniori jure illud, Regno Hungariæ addixit. 7. Olim Servia versùs Bulgariam magis fuit extensa, nunc Murava fluvio terminatur, & ab eadem dividitur. 8. Loca Serviæ celebriora sunt: Belgradum, seu Alba Græca, antiquis Taurunum, Hungaris Nandor Alba, in confluente Savi in Danubium, situm, Urbs ipsa est antiquæ structuræ, multis turribus, & du-

& duplici muro munita, quæ duabus ex partibus prædictis fluvijs Danubio & Savo, alluitur. Arx verò eſt in edito Civitati imminente colle; excelſis turribus, quadrato è lapide conſtructis, iisque compluribus ſatis firma, ſuburbia autem etiam hodie latè protenduntur. Et quidem Belgradum dirutum olim fuit ab Hungaris, quo tempore, cum Græcis & Thracibus ac Bulgaris pro eo frequenter dimicatum eſt, ſed poſtea à Stephano Nemagnia cognomento Bano, Ludovici primi Regis Hungariæ Socero reſtauratum fuit, ac dein à Sigiſmundo Imperatore; magis munitum præſidióque militari firmatum. Hoc poſtmodum Amurathes Turcarum Imperator, anno 1552. obſedit: Sed poſt Septem menſium obſidionem, re infecta recedere coactus eſt, ſtrenuâ operâ fortiſſimi Ducis Joannis Hunnyiadis Vajvodæ Tranſylvaniæ, aſt demum à Solymano Turcarũ Imperatore, magno Chriſtianitatis damno expugnatum anno 1521. Dein *Iuſtiniana ſecunda*, nunc *Priſtina* incolis, in planicie ad fluvium *Biſtriczam*, & ad radices Illyricorum montium, in limitibus Albaniæ, Civitas Epiſcopalis Græci ritûs; ampla & ſatis culta, Eccleſiam habens pulcherrimam, à Rege Stephano Nemagnia ædificatam, & nunc in Moſcheam verſam. *Novus Merentus* Incolis Novibazar, Civitas Serviæ præcipua, ad Oraslam amnem. *Procupia*, alias Procupiana villa, ſic dicta à Sancto Procupio ejus Epiſcopo, ſatis etiam num culta, prope Fluvium Tepliczam, non procul à montibus Caſſovi, itinere unius diei cum dimidio, diſtans ab oppido Montis novi. *Samandria* Incolis Zenderov, Hungaris Szenderő, nomine à vulgo corrupto ex Sancto Andrea, cujus hoc cognomen, ſedet ad Iſtrum fluvium, ſex milliaribus infra Belgradum, Civitas Epiſcopalis, ſatis culta cum arce in colle, fuit ſedes Deſpotarum Serviæ, nunc eſt Reſidentia Præfecti Turcarum, quibus ſubeſt ab anno 1419. *Scupi* Scopia Latinis, Civitas Epiſcopalis, in finibus Macedoniæ. 9. Infra Serviam eſt Bulgaria extenſa, nunc ab amne Morava olim Neſſum ſecundùm Danubium, ad ejus oſtia, & Pontum Euxinum in longitudine 60. milliarium Germanicorum, quo ad latitudinem vero (quæ inter Iſtrum & montes Thraciæ intercurrit) eſt prorſus varia, nam initio 20. in medio vix 10. in fine ad oſtia Danubij 40. in latitudine ſua, numerat milliaria Germanica.

Sunt autem Bulgari facti Hungarorum tributarij longè adhuc ante tempora S. Stephani nempe temporibus Arnulphi, Regis Germaniæ; qui obijt anno 499. Deinde à S. Stephano Rege fuſi ac cum *Ceas* eorum principe cœſi, in ordinémque redacti, & cum iterum jugum Hungariæ, excutere centarent à Stephano IV. Rege Hungariæ anno 1375. debellati. Demùm cùm rurſus tumultuarentur, Ludovicus I. Rex contra eosdem bellum movens, denuo univerſam Bulgariam in ſuam poteſtatem redegit, abducto in Captivitatem principe eorundem Stratimiro. 12. Pro eadem poſtmodum defendenda adverſus Turcas, multa geſſere bella Reges Hungariæ. Et quidem Bajaſethes Turcarum Imperator occupato potiori ex parte Græcorum Imperio, primus invaſit Bulgariam anno 1390. Contra hunc igitur, Sigiſmundus Rex, maximum habuit delectum militum, ſed infeliciter cum eo pugnans ad Nicopolim profligatus eſt, Gallorum

auxiliariorum audaciâ temerariâ cladem caufante. Quod occidit anno 1396. Anno deinde 1444. Rex Vladislaus, hujus nominis primus, pro confervatione Bulgariæ in Turcas movit, fed prælio ad Varnam commiffo fortiffimè dimicans, gloriosè occubuit, amiffis fuorum multis, longê tamen pluribus ex hoftium numero cæfis, penes quos nihilominus victoria ftetit.

Demùm Joannes Hunyades Regni Hungariæ, pro Rege Ladislao pofthumo, Gubernator, anno 1448. in Bulgaria acerrimè tribus continuis diebus, cum Amurathe Turcarum Imperatore dimicavit, & victus licèt per proditionem Defpotis Rafciæ maximam tamen ftragem hoftium edidit. 13. Hoemus mons altiffimus, & in longam feriem ab occafu in ortum protenfus, Bulgariam à Thracia dividit, qui adeò eftexcelfus, ut ex ipfius jugis pontus Euxinus confpiciatur. 14. Loca celebriora Bulgariæ funt: *Axiopolis* Civitas ad Iftrum fita è regione Valachiæ. *Mefembria* Mefember hodie, in Ora Ponti Euxini. *Nicopolis* ad Jatri fluvij, in Iftrum confluentia, à Trajano Imperatore condita, éftque duplex major & minor, quas medius Ifter fluvius, interfecat. *Sophia*, quæ & Sardica, ubi fuit celebratum Concilium Generale Sardicenfe dictum, anno 347. fub Julio primo Pontifice, maximo. Sedet hæc ad Bojanam vulgo Ifch fluvium, verfus Hœmum montem, éftque Civitas ampla & probè munita. fedésque Præfecti Turcarum, quæ à Juftiniano Imperatore condita fertur. *Siliftria* Civitas ampla & Sedes præfecti Turcici, cum arce ad amnem Albis. *Tenovum* olim Archi-Epifcopalis Civitas, & principis fedes, ad Jantram fluvium, prope montem Hæmum, & Thraciæ limites. *Varna* & ipfa Archi-Epifcopalis, cum portu capaci, prope oftia fluvij Zyræ, in pontum Euxinum, & haud procul à Lacu Divina, éftque nunc etiam urbs utcúnque culta. 15. Finis Bulgariæ, quafi in duas alias provinciolas fubdividitur, quarum una Thraciam verfus dicitur Sagora, altera verfus Danubij oftia, *Syrfia* 15. Mæfiam fuperiorem ubi nunc eft *Servia*, olim inhabitabant *Dardani*, inferiorem verò, quæ nunc eft Bulgaria *Triballi*, nationes potentiffimæ. His fucceffêre Scythæ, quarum pars validiffima fuerunt *Getæ*: Demum Sclavi fupra Mare Ponticum confidentes, millioribus fedibus allecti, utrámque Mœfiam occuparunt, & Bulgariæ ac Serviæ Regna conftituerunt. 16. Servia, eft magnæ ubertatis, ita ut Adrianopoli & Conftantinopoli, frumentariam fufficiat annonam, & carnes fuppeditet. Bulgaria benigna eft pafcendis pecoribus, nec fruges denegaret, fi cultura accederet, fit licèt montibus, multis in locis obfita. 17. Præter enumerata jam loca celebriora, Servia habet, Ujvar ad Savum, Sedem Sangiani Serviæ. Eft & *Sabatz* fortalicium à Turcis olim ædificatum, ad incurfiones in Pannoniam faciendas, tempore Matthiæ Corvini Regis, quod tamen idem Rex poftea expugnavit & Turcis eripuit. 18. Cœterum, utrúmque hoc Regnum, folo Belgrado expugnato, facilè ad manus Chriftianorum deveniret, cum nihil aliud fit, quod amplius refiftentiam facere poffet, quin & Tranfylvania, ac utráque Valachia ab ejus nutu dependet, qui dominatur Belgrado. Ad oppidum Seve-

Severinum, quà Bulgaria fines Hungariæ Transylvaniam versùs respicit, spectantur Trajani Pontis, per danubium vestigia.

§. XIV.

Regnorum Cumaniæ, Galliciæ, & Ladomeriæ, cum Rebus Memorabilibus, Descriptio.

INter alios Titulos, Reges Hungariæ, etiam utuntur titulis Regnorum: *Cumaniæ*, *Galliciæ* & *Ladomeriæ*, de quibus parva omnino est nunc notitia, quod tamen nullus mirari debet, per multas siquidem rerum vicissitudines, & Regionum & Regnorum, ac ipsarum quóque Nationum nomina mutari solent. Et quidem de *Cumania*, non una est Authorum Sententia, quæ nam pars orbis ea fuerit. Optimè illi sentire videntur, qui asserunt Cumaniam fuisse sitam, ubi nunc est Procopensium Tartarorum Tractus, intra *Boristhenem* Fluvium, & Pontum Euxinum. Erat autem Cumanorum gens ferox, & bellis assueta, & Hungariæ, ac Provincijs eidem annexis infestissima. Nam imprimis, temporibus Salomonis Regis, eam partem Hungariæ, quam *Nyr* vocant, totam quantam, pecora cum hominibus abigentes, devastârunt: Sed cùm iterùm successu rapinarum allecti, ea loca repeterent, tanta strage à Salomone affecti sunt, ut nuncius cladis non superfuisse dicatur. Deinde Salomon ipse Rex, è solio Regio dejectus, Cuthescum Chunnorum Principem, evocavit in auxilium contra Sanctum Ladislaum Regem, Transylvaniam Chunorum Ditioni perpetuò se concessurum adpromittens, si ope illorum in pristinam dignitatem restitueretur; sed & tunc fusi, fugatique sunt, cæsis decem millibus illorum. Rursus verô, nec diù post, magnis copijs sub *Copulcho* Duce, in Hungariam, & Transylvaniam, cuncta vastantes irruperunt, sed ad *Temesum* Fluvium, ad internecionem fuêre cæsi, vel in captivitatem redacti, in tantùm, ut unicus duntaxat Servus, qui Escenibus dictus est, veluti memorandæ cladis nuncius evaserit.

Postmodum Stephanus II. Hungariæ Rex, contra Græcorum Imperatorum bellum moturus, eosdem pro auxilio assumpsit, & ob præclarè navatam in bello operam, etiam pace confecta, mágnis favoribus illos, in Hungaria est prosecutus.

Anno demum 1237. Cumani diù pugnantes cum Tartaris, ultimò devicti, sedibus suis pulsi sunt, sícque *Cumania* in Tartarorum devenit manus. Ipsi verò *Cumani*, qui adhuc supererant, cum suo Rege Cuteno in Hungariam, ad Belam IV. Regem venêre, átque sub ejusdem Clientelam se submisêre, quos is humanissimè suscepit, átque Religioni Christianæ initiatos, in optimis circa Tibiscum locis collocavit, séque Regem *Cumaniæ* dixit, utpotè accipiens in ipsam *Cumaniam* jus Regium, in ipsos verò Cumanos qui in Hungaria consederant

 Domi-

Dominium. Insignia habet Cumania, Leonem coronatum, non absimilem Leoni Bohemico, Belgicove.

Gallicia, sive Rectius *Halicia*, fuit pars Russiæ Rubræ, quæ etiamnum Haliciensis Tractus, vel pronunciatione Polonica Galiciensis denominatur, Regio ad Meridiem extensa, montibus Transylvaniæ ab occasu hyberno, à Meridie autem Valachiæ Sylvis cincta, & Tyra fluvio quasi per medium secta.

Ladomeria verò fuit ejusdem Russiæ pars alia, dicta etiam *Vlodomoria*, à Duce *Vlodomero*, sive ab Urbe *Vlodomoria* Imperij sede, ob quas Regiones Hungaris & Polonis, lis longo tempore intercessit. Has autem Bela III. Coronæ Hungariæ subjecit, & per Andream Filium suum administravit, alij verò Reges, per Hungaros & Croatas eas gubernabant, donec ad *Hedvigem* Filiam Ludovici, Regis Hungariæ, ac dein Poloniæ Reginam, partim armis, partim fraude redirent. Et nunc sub uno nomine Russiæ comprehenduntur.

§. XV.

Principatûs Transylvaniæ, cum Rebus memorabilibus Descriptio.

1. TRansylvania olim dicta *Dacia Mediterranea*, denominationem suam accepit à Sylvis, & montium jugis quibus clauditur. 2. Terminant eam ab occidente Hungaria, à Septemtrione Polonia, ab Austro Valachia. 3. Longitudo Transylvaniæ est, 30. milliarium Germanicorum, maxima latitudo viginti octo. 4. Hungaris denominatur Erdély, à Germanis Siebenburg, à Slavis. Sedmochracka Zem. haud dubio, à septem Urbium numero, vel certè à Septem Castris, quæ à Septem Ducibus Hungarorum, in ultimo eorum ex Scythia exitu, in ea locata fuerunt. 5. Est autem Transylvania, rerum omnium, quæ sustentandæ vitæ hominum sunt necessariæ, feracissima. Frumenti per universam hanc Regionem maxima est ubertas, fructuum item præstantissimorum & vini ac pecorum, ferarumque magna abundantia, mellis quóque tanta copia, ut præter usum communem incolæ ex eo delicatum conficiant potum, seu mulsum, qui etiam rerum peritis, vinum Creticum, aut Malvasiam opinantibus, facilè imponat. 6. Herbæ etiam nobilores passim crescunt, uti & Crocus in compluribus locis. 7. Metallorum fodinas nobiles, permultas habet, utpotè: Auri, Argenti, Chalybis, Ferri, Cupri, Sulphuris, & Antimonij. 8. Salis autem fossilis tanta est copia, ut vicinis Regionibus, abundè subministret. Boum præterea tanta multitudo, ut etiam prægrandes, singuli singulis aureis, aut leviori quandóque pretio vendantur, equos quóque generosissimos producit. 9. Avium genera varia habet, & saltus prægrandes, ac nemora ingentia, in quibus multifariæ sunt ferarum species. 10. Transylvania nunc in tres dividitur Nationes, suis inter se legibus & moribus dissidentes, & distinctis locis Provinciam incolentes, videlicet in *Saxones*, *Siculos*, & *Hungaros*.

ros. 11. *Saxones*, ficut cæteræ omnes nationes Germanicæ, habent peculiarem lingvæ Dialectum, & urbes incolunt munitissimas. *Siculi*, Moldaviam versùs, fines Provinciæ obtinent: *Hungari*, meliores partes Provinciæ incolunt, Magnates verò & Nobiles Transylvani, promiscuè Arces & Castella inhabitant. 12. Hungarorum magna præ alijs duabus Nationibus est potentia ac authoritas, nam & Principes, & alij fermè omnes in Regno Magistratus, ex ipsis creantur: Saxones verò opibus alijs præstant Siculi autem libertate gloriantur, nemo enim apud illos ignobilis esse censetur, etiamsi manu aratrum tractet, aut caprino gregi præsit. 13. Sylvas habet frequentes, & montes circumquàque, ex quibus illi, qui Valachiæ Cis-Alpinæ, & Moldaviæ sunt vicini, Agaricum, & Terebinthum stillant. 14. Incolunt etiam Transylvaniam passim Valachi, qui nullis penè legibus obsequentes, furtivo ferè pecorum & equorum abiegatu se alunt, amicti vestibus pilosis, ex lana caprina contextis, gens planè aspera, bonarum artium átque disciplinarum expers, Religionis Græcæ, nec oppida nec domos latericias habent. 15. Non desunt huic Regioni etiam stagna átque paludes, quæ piscibus præstantissimis affluunt. 16. Fluvios navigabiles tres habet, videlicet: *Alutam*, *Marisium*, & *Samusium*. *Aluta* fontes habet in montis Carpati radicibus, in ipso Russiæ Rubræ limine, Siculiam alluit, Transylvaniam & Valachiam, & per angustas valles subit Danubium, haud longè supra Nicopolim Bulgariæ. *Marisius* oritur ex Carpatho in Transylvania, supra oppidum Novum mercatum dictum, deinde Albã Juliam, Lippam, & alias Urbes Transylvaniæ rigans, uti & Czanadinum Hungariæ, ubi pauló infra Szegedinum Tibisco miscetur. *Samusius* ex Alpibus Caloto dictis oriens, itidem in Tibiscum delabitur. 17. Sunt præterea & alij amnes, ut *Sabesus*, *Chrysus*, *Chrysobres*, *Stygius*, quorum tres aurea ramenta devehunt, habent verò omnes quovis tempore pisces selectissimos, fundulos, cephalos, carpiones, auratas, truttas, gobios squamatos, Salmones, & alios complures. 18. Præcipuæ Urbes Transylvaniæ. Septem nominantur. I. *Cibinium*, quæ est Metropolis, à Cibinio amne nomen sortita, Hungaris Szebén, Saxonibus Hermanstat, ab Hermano ejus conditore dicitur. Sita in planicie, nullis propè montibus impeditur, quin se in admirabilem latitudinem aperiat. Non multò minor est Viennâ Austriæ: arte & natura ferè munitior, nam propter frequentes piscinas & stagna, non patet ad eam exercitui aditus. Distat 15. milliaribus Germanicis à Claudiopoli in ortum, uti octo ab Alba Julia, versùs confinia Moldaviæ, éstque Episcopalis sub Archi-Episcopo Colocensi, quanquam hodie sit sine Episcopo, Hæresi invalescente. II. *Brasovia*, sive Corona, Germanis *Cronstat*, quæ & *Stephanopolis*, intra montes amœnissimos sita, mœnibus, fossis, & propugnaculis, satis munita: habet tria Suburbia, distinctis vallibus circum posita, quorum unum incolunt Bulgari, alterum Hungari, Saxones agricolæ tertium: per singulos ferè vicos rivuli descendunt, saluberrima fontium scaturigine perpetui; Campos habet planissimos, longè latéque densis montibus cinctos, frumento, & Lino præcipuè abundat. III. *Bistricia*, in amplissima vallis planicie sita, utrinque vitife-

vitiferos Colles habet: per mediam Urbem fluvius ejusdem nominis labitur, à Germanis cognominatur Nœsenstat. IV. *Segesvaria*, Sebesburg Germanis, partim in edito colle, partim ad radices collis habitata. V. *Meggesinum*, in meditullio Transylvaniæ situm, ferax vini, ac rebus alijs omnibus, ad quæstum & victum pertinentibus satis refertum. VI. *Zabesus*, in planicie valle profundissima aquis piscium fœcundissima munita, jacet. VII. *Claudiopolis* vulgò *Colosvar*, Germanis *Clausenburg*, itidem in planicie suaviter admodum sita, tam murorum ambitu, quàm ædificiorum structuris intus splendida: olim à Stephano Battoreo Rege Poloniæ, Academiâ condecorata. Eam Saxones mixti Pannonibus incolunt, qui Judicem & Consules, alternis vicibus, quotannis concordibus suffragijs, nec dispari numero eligunt. 19. Est & hîc *Alba-Iulia* Urbs vetustissima, ac olim Sede Episcopali celebris, hæc in colle declivi sita, circumfusa undique ad duo ferè millia passuum planicie. Olim *Tarnis* dicta, ac Regis *Decebali* Regia, tempore Trajani fuit. Est & Arx fortissima *Turris Rubea* dicta, sita in Alpibus juxta decurrentem amnem, ubi angustus introitus in Regionem patet, éstque seu propugnaculum totius terræ, ut ab illa parte nemo ingredi queat, si arcis præfectus obstacula objiciat. Est & alia Arx munita infra oppidum *Millempach*, juxta Bros oppidum, ubi quóque juxta fluvium, inter convalles & nivosas Alpes, iter est in Transylvaniam ducens. Est & Civitas *Torda*, Tordensis Comitatus caput. Est & *Arx Fogaras* benè munita, & Arx *Kövar*, præsidium firmum in limitibus Hungariæ, & *Enyed* Civitas. 20. Universa autem Transylvania, septem Comitatibus constat, quorum nomina sunt: Kolos, Doboka, Szolnok interior, Torda, Kikellö, Albensis, Hunyat. 21. Siculia quóque, quæ est pars Transylvaniæ, septem numerat sedes, quasi diversas ditiones, videlicet: Marosszék, Chikszék, Sepsiszék, Orbajszek, Kiszdiszék, Aranyaszék, Udvarhelyszék, quæ inter alias est præcipua. Ibi enim causæ appellatæ discutiuntur, & inde in præsentiam Comitis Siculorum (quod officium ipsi Ptincipes Transylvaniæ nunc gerunt) deferuntur. Sic & Saxones septem sedes seu Conventus constituunt. 22. Sunt autem Siculi, reliquiæ antiquorum Hungarorum, qui post primam adhuc Hungarorum in Pannoniam eruptionem, redeuntibus alijs in Scythiam extremam partem Transylvaniæ occupârunt, quam etiam hodie retinent. 23. Porrò Saxones sunt à Carolo magno in Transylvanam deducti, inque Colonias distributi. Hos postmodum Geysa II. Hungariæ Rex, anno 1142. magnis Privilegijs donavit, à quo tempore primò erigere cœperunt suas urbes. Sic Megyesinum muniri cœptum est anno 1146. Zebesus 1150. Cibinum 1160. Claudipolis 1178. Szegesvarinum 1198. Brasovia 1203. Bistriczia. 1206. 24. Olim Transylvania cum reliquis partibus Daciæ habebat proprios Reges, deinde devicto ultimo Daciæ Rege *Decebalo*, redacta est in Provinciam Romanorum, post Romanos eandem Hungari occupavêre. Paruítque olim Regibus Hungariæ, qui vices suas committebant præfecto seu Vayvodæ, voce mutata à Sarmatis, quæ illorum lingvâ Capitaneum Provinciæ signi-

gnificat, donec anno 1541. Joanne Inter-Rege, cui à Ferdinando primo, nomine Principatûs data fuerat, proprios Principes habere cœpit. 25. Néque tamen per hanc cessionem Ferdinandi primi, avulsa unquam fuit ex integro Transylvania, à jure Coronæ Hungariæ, nam post mortem Joannis Sigismundi Zapollya, rursus Transylvania ad Coronam Hungariæ de jure devoluta fuit, & licèt postmodum Transylvani complures sibi Principes elegerint, hæ tamen ipsorum electiones debebant firmari & ratificari assensu & confirmatione ac approbatione Regum Hungariæ. 29. Cæterùm Transylvania multas vicissitudines & revolutiones subijt, à quo ab Hungaria se separavit. Nam præterquam, quòd à Turcis facta sit tributaria, ob competentias Principatum affectantium, átque auxilia contra æmulos jam à Turcis, jam ab Hungariæ Regibus expetentium, bellis sæpè appetita & attrita fuit.

§. XVI.

Valachiæ, & Moldaviæ, cum Rebus memorabilibus Descriptio.

1. QUæ duæ nunc Regiones Valachiæ & Moldaviæ nominibus distingvuntur, superiori ætate uno *Valachiæ* vocabulo censebantur, posterior ætas eam in majorem & minorem divisit; Et minor quidem inter amnes Alutam & Strethum, nomen Valachiæ retinuit; Major verò, quæ Borealis est, ad Russiam, Poloniæque fluvium Niestrum versùs excurrit, Moldavia nunc appellatur. 2. Incolæ Originem petunt, à 30. Latinorum millibus, quos Trajanus Imperator post debellatos *Getas* huc misit, ut terram colerent, & necessaria providerent exercitibus, quos Romani contra Scythas & Sarmatas hîc tenebant. 3. *Valachia* licet sit Regio immanibus Sylvis umbrosa, & altissimis montibus obsita, fruges tamen benignas profundit, & pascendis pecoribus benigna est, ut quotannis complura in vicinas Provincias emittat armenta & greges, præter 150. naves omnis penuariæ rei annonâ instructissimos, quæ secundo Danubio, per Pontum Euxinum, annis singulis Constantinopolim mittuntur. 4. Equos etiam habet maximè vegetes, & laboris patientissimos. 5. Valachi & Moldavi proprijs suis parent Principibus, quos Sarmaticæ gentis vocabulo. *Vayvodas*, hoc est, supremos Duces appellant, qui tamen nunc sunt Turcarum Stipendiarij, quibus quotannis ingens tributum solvunt, aliàs à Solis Regibus Hungariæ haberent dependentiam. 6. Incolæ licet majori ex parte pastores sint, bellicocissimi tamen sunt, sed plerique dubiæ fidei, & ad res novas propensi. 7. Præcipuæ Civitates Valachiæ sunt: *Tergovisko* Valachiæ Caput, & Sedes *Vayvodæ*, ad flumen *Ialonicza*. *Brackovia*, seu Braszkovia Civitas Episcopalis, ad fontes ejusdem amnis sita, versùs

montes. *Braillano*, ad Danubium, proximè Moldaviam. Reliqua hujus Regionis per Pagos & villas habitantur. 8. *Moldavia*, solo est uberi, & incolis referto, Græci ritûs, sunt tamen ex ijs non pauci etiam Latini ritûs. 9. Omnes sunt vel Bojari, hoc est Nobiles bello addicti, vel agricolæ, qui in solo præpingui sementem faciunt, vel è visceribus montium, aurum, & alia metalla eruunt, vel vites colunt. 10. Equos habet totius Europæ præstantissimos. 11. Nulli hîc Causidici, lites omnes vel amici dirimunt, vel ipse Vayvoda. 12. Metropolis Moldaviæ est *Yassi*, ad amnem *Pruth*, hanc sequuntur *soczava*, ad amnem *Strethum*, Vayvodæ sedes, *Gallocz*, ad lacum piscosissimum, quem efficit Pruth fluvius. *Romani* Wasar, haud procul Danubio, & interiùs ad strethum fluvium, *Romani Ujvar*. 13. In finibus Moldaviæ, sunt Danubij ostia, quæ ab alijs quinque, ab alijs verò septem numerantur, nempè quia Insularum quæ sunt ad ostium, aliquæ aliquando per alluvionem conjunguntur continenti, aliàs aquarum violentiâ, una in plures dividitur. 14. Ab Istro ad *Tyrum* fluvium, est ingens terræ planicies, quæ olim *Istra Moldaviæ*, nunc *Bessarabia* dicitur. Hujus interiora colunt Tartari, in sedes 500. divisi, qui etsi origine sunt Præcopenses, tamen contra eosdem has partes tutantur pro Vayvoda Moldaviæ. 15. Hîc Turcus in ora maritima Arces habet tres, bene munitas: *Kiliam*, ab anno 1485. olim Licostomum, ad ostium Danubij ultimum, Boream versùs. Techinie, sive Tyras, ad fluvium Niester, & inter utrámque *Moneastro*, olim *Henonassa*, ubi Bassa Turcicus sedem suam habet. Porrò in hac Dissertatione ea quæ ad Notitiam Politicam Sacræ Coronæ Hungaricæ spectant certas ob causas, Typo committi non expediebat ac proinde prætermitti debebant.



DISSER-

DISSERTATIO QUINTA PHYSICA.
DE
LAPIDIBUS, GEMMIS, AC UNIONIBUS.

§. I.

De Lapidum natura, ac proprietatibus in communi.

PRimum quod in hac materia quæri poteſt, eſt. Quænam ſit ſubſtantia Lapidum, ſeu quænam ſit definitio eorundem? *Reſp.* Lapidem cujuscúnque tandem generis ſit, hac definitione bene deſcribi: Quod nimirum ſit corpus perfectè mixtum, Foſſile. durum, & per ſe minimè liquabile, nec inflammabile, nec ductile.

Quæri poteſt ſecundò. Quænam ſit materia Lapidum. *Reſp.* Remotam materiam Lapidum eſſe Elementa, proximam verò ſuccum lapideſcentem ſeu lapidificum.

Quæri poteſt tertiò. Quid ſit ipſe iſte ſuccus lapideſcens ſeu lapidificus? *Reſp.* Nihil eſſe aliud quàm naturæ ſalem, humidum & liquidum, vi indurativâ, átque coagulativâ præditum.

Quæri poteſt quartò. An non etiam alij ſucci ad lapidum generationem, & efformationem concurrant? *Reſp.* Affirmativè. Ex hujus enim ſalis naturæ, cum diverſis terrarum glebis conjunctione, tria alia ſalium genera concreſcunt, nempe: Nitri, Aluminis, & Vitrioli, ex quibus deinde, alia & alia cum proportionatis terreſtribus ſubſtantijs commixtione, omnium lapidum, gemmarùmque fit varietas.

Quæri poteſt quintò. Quænam ſit cauſa efficiens lapidum ac gemmarum? *Reſp.* Præter DEUM cauſam univerſalem omnium rerum, in numerum cauſarum Lapides & Gemmas efficientium venire inſuper: ignes ſubterraneos, & ſolis reliquorùmque Syderum, ac Elementorum quóque influxus & concurſus.

Quæri poteſt ſextò. Utrum lapides fuerint ab initio ſtatim mundi, vel ſucceſſu temporis ſint producti. *Reſp.* Magnam & potiorem partem Lapidum & præſertim ſaxorum fuiſſe à Deo productam initio ſtatim mundi: ingentes enim illæ concatenationes Montium, à polo ad polum & ab ortu ad occaſum, ſtatim ab exordio rerum fuerunt productæ à DEO, qui potiori ex parte ſaxis & lapidibus varijs, ſunt referti.

Quæri poteſt ſeptimò. Utrum deinde ſucceſſu temporis etiam creverint, & de-

& defactò quoque crescant lapides? *Resp.* Affirmative. Id enim quotidiani testatur experientia: tum in Latomijs, tum in metalli fodinis, novisque lapidum generibus.

Quæri potest octavò. Quomodo lapides crescant? *Resp.* eos ut plurimùm crescere per juxta positionem (ut Philosophi loquuntur) hoc est per partium, ad partes concretionem, vi prædicti succi lapidescentis.

Quæri potest 9. An non aliqui lapides crescant etiam vi alimenti, seu attractione succi ad instar plantæ? *Resp.* Aliquos lapidos omnino tali modo crescere, cujusmodi sunt *Glossopetra*, *Asbestus*, & in multorum sententiam *Coralli-um*, alijque hujus generis Lithophytorum.

Quæri potest 10. Quo fine sint lapides à natura instituti. *Resp.* Eos à natura institutos esse. 1. Ut inde montes solidiores evaderent, nisi enim id factum fuisset, jam plerique montes in planum abijssent, cum magno universi incommodo. 2. Ut hac ratione adversùs æstuantis maris insultus, firma repagula, & constantes aggeres, per saxosos montes, attollerentur, sine quibus jam dudum mare plerosque tractus inundasset. 3. Ut sic etiam ipsa terra firmaretur, sine quibus ea facilè subigeretur, & maceraretur. 4. Ut essent in usum Hominum, præsertim quoad habitationes, munitiones, variáque opera ArchiTectonica, ac demum in ornatum quóque ædificiorum, rerúmque variarum. 5. Potissima ratio videtur esse, ut possint esse fontes irrigui, & ex his flumina, sine quibus fluminibus terram irrigantibus esset mundus velut corpus sine sangvine.

Quæri potest 11. Quænam sit natura seu temperamentum, lapidum in communi. *Resp. Temperamentum lapidum constare multâ terrâ, modico igne, aquâ similiter modicâ, modicissimo verò aëre.* Quòd lapides multâ terrâ constent, testatur id illorum pondus: Quod ignis lapidi insit, ex eo patet, quòd ex Silice alijsque lapidibus excutiatur: quòd autem is modicus sit, ex eo perspicuum sit, quòd lapis minimè accendi possit, cùm tamen ea quæ multo igne constant, facilè accendantur. Quòd lapis modicam contineat aquam, frigus lapidis, hoc ipsum demonstrat: quod etiam modicissimo constet aëre, id inde deducitur, quia is non nisi metu vacui, intra exiguos discretósque poros in eo continetur.

Quæri potest 12, Quænam sint proprietates lapidum? *Resp.* Esse has sequentes: Prima est *Gravitas*, hæc autem provenit à terræ materia, quam in se lapis continet. Secunda est *siccitas* quæ similiter à terra est, quæ in lapide modicum valde humorem continet, eúmque probè divisum. Tertia est *Durities* quæ provenit à Terra & igne similiter probè diviso. 4. *Liquari per se non potest*, quia modico constat humore. Dixi per se quia propter metallum, vel aliud quidpiam aliquando liquatur, & propter eandem rationem non raró etiam inflammatur. *Non est flexibilis, néque ductibilis* quia nec satis humiditate, nec satis de uligine habet. 6. *Est fragjlis* sic enim ea omnia sunt fragilia, quæ humore modico, cóque probè diviso constant. 7. *Est aliquando fissilis.* quia

scili

ſcilicet ſuccus ille lapideſcens, in eo per Laminas ſic concreſcit, ut una Lamina alijs Laminis incumbat.

Quæri poteſt 13. Quomodo lapides pretioſiores creſcant. *Reſp.* eos creſcere ex ſucco defœcatiore, ac accuratiùs præparato, ſicut èccontra rudiores lapides, ex arena craſſiore, vix bene compacta.

Quæri poteſt 14. Quínam ſit locus generationis lapidum? *Reſp.* locum generationis lapidum, eſſe varium. Generantur enim primò *in fodinis & terra.* Secundò *in aquis*, ut Corallium & quidam ſilices. Tertiò in hominis veſica, & Renibus ac quandóque etiam Felle. Quarto *in aliis etiam animalibus terreſtribus* ex quibus nominatiſſimus eſt Bezoar, qui in ventriculis caprarum perſicarum, & Indicarum generatur. Quintò in animalibus volatilibus, ut Chelidonius juxta vulgi opinionem. Sexto in *Piſcibus* ut ſunt lapides Carpionum, Tuberonum & Percæ. Septimo in *Inſectis*, ut ſunt Margaritæ & uniones. Octavò in *Nubibus* ut Cuneus fulminis, ſi tamen is habeat veram ſpeciem lapidis.

Quæri poteſt 15. Utrum terra & aqua aliquando in lapidem mutentur. *Reſp.* Affirmativè. Et quidem de terra dubium vix eſſe poteſt. Nam ſucci illi lapideſcentes ſeu lapidifici, in proportionatam ſibi terræ materiam derivati, totam illam mox maſſam, ſubtilitate ſuâ pervadentes, paulatim coagulant, condenſant ac tandem in ſaxum & lapidem convertunt. Aliquas quoque aquas in lapidem converti experientia quotidiana docet. Nam ut Majolus ex Vitruvio refert. *Hierapoli fervent aquæ calidæ, quæ circa hortos & vineas foſſis auctis emiſſæ, poſt annum cruſtæ lapideæ ſunt.* Verùm hujus experientiæ cauſa, ad tam longinquas orbis partes nos peregrinari non oportet, eum id quotidie in compluribus locis fieri in Hungaria, vulgo ipſi notiſſimum ſit.

Quæri poteſt 16. Unde ſit figura lapidum? *Reſp.* Ut plurimùm lapides figuram ſuam accipere à caſu, pro diverſitate ſcilicet ſpacij vel loci in quo velut in matrice & modela concreſcunt. Dixi plerúmque. Quia peculiarium lapidum figuræ, in peculiares alias cauſas (ut ſuo loco videbimus) refundendæ ſunt. Qui enim ſemper, & ubique, ſui ſimiles ſortiuntur figuras, neceſſe eſt ut eas ex ipſis rationibus ſeminalibus unicuíque generi & ſpeciei proprias, hauriant.

Quæri poteſt 17. Unde ſint colores lapidum? *Reſp.* Etſi non improbabile ſit ſicut figuras, ita & colores aliquorum ſaltem lapidum ac Gemmarum earum ſcilicet quarum conſtantes & certi ſunt colores, originem ſuam ducere ab ipſius naturæ ſeminijs; potiori tamen ex parte, & ferè plerúmque varietas colorum in lapidibus ac gemmis provenit, ex varietate qualitatis ſuccorum ex quibus concreſcunt, ac varietate partium terreſtris ſubſtantiæ, cum qua commiſcentur, quamvé vi ſuâ lapidificâ in lapidem convertunt. Provenit eadem diverſitas colorum ex varietate tincturæ, quam dicti ſucci contrahunt à diverſis mineralibus, quorum venas decurrendo permeant; diverſitate item percolationis variæ, ipſorummet ſuccorum. Omitto hîc apparentes colores, qui ex vari-

varietate incidentiæ & reflexionis lucis, diversitatéque mediorum, per quæ transeunt, ac angulorum lapidum politorum & diaphanei corporis, in quos incidunt, proveniunt.

Quæri potest 18. Unde Gemmæ suam Diaphaneitatem habeant? *Resp.* Gemmarum Diaphanarum hanc esse genesim: Intra concavitatem loci alicujus subtilissimus ac defœcatissimus succus lapidescens diaphanus seu transparens sese colligit, quem imbibit materia illa concavitatem circumdans vel ipsemet ille succus sensim postea concrescit in gemmam.

Quæri potest 19. Quomodo variæ formæ & imagines lapidibus ac Gemmis imprimantur. *Resp.* Vario modo id accidere. Primò enim plerúmque formæ in lapidibus fortuitò & casu efformantur. Secundò easdem recipiunt à forma & figura modelæ, in quam succus & humor lapidescens vario colore tinctus congregatur, in eámque figuram, quam materiæ congregatæ matrix refert, induratur. Tertiò figuræ hæ sæpè imprimuntur ex relictis imaginibus, instrumentis ipsísque aliquando animalibus, terrâ coopertis, & in saxum conversis.

Quæri potest 20. Quænam sint differentiæ lapidum, *Resp.* Primam differentiam lapidum sumi ab eorundem loco natali. Alij siquidem generantur in Terra, præsertim metalli fodinis, ac saxis, alij in aqua. Aër etiam Ceraunium seu lapidem fulmineum in nubibus coagulatum suppeditat, in solo igne, utpote omnium destructivo, nullus lapis concrescere potest. Alij verò in animalibus diversis. Secunda differentia eorum sumitur à colore, qui vel simplex est vel compositus, simplex est albus, flavus, aureus, viridis, cæruleus. purpureus, cinericeus, niger. Compositus est qui ex pluribus dictis constat. Sunt & alij Diaphani, alij opaci, alij ex utróque constituti, alij omnis coloris expertes ut *Crystallus & Adamas*, Tertia eorum differentia est à qualitatibus primis & secûndis, sunt enim alij calida qualitate præditi, ut *Succinum & Gagates*, alij frigidâ ut *uniones & corallium*, sunt præterea alij duri alij molles, graves vel leves, plani aut asperi. Quarta eorum differentia desumitur partim à specificis qualitatibus ac proprietatibus. Ratione figuræ alij sunt à natura rotundi, alij polygoni & polyedri, id est, pluribus & solidis angulis existentes, alij suborbicularis seu elipticæ aut ovalis figuræ, alij denique alias figuras & formas præseferentes. Ratione verò specificarum quidditatum ac proprietatum - varij varijs præditi sunt virtutibus, pro diversitate uniuscujúsque generis ac speciei, seu naturæ propriæ, de quibus singillatim suis locis agemus.

Quæri potest 21. Cur non in omni terra generentur lapides? *Resp.* Cùm ad Generationem lapidum tria requirantur, nempe: ipse succus lapidescens seu lapidificus, materia eundem suscipiendi apta, cujusmodi non est terra mollis aut cinerulenta, ac demum locus in quem is diffunditur ac congregatur proportionatus, cujusmodi est is, qui solidè est clausus & subterraneos vapores ac exhalationes continere valens, fit, ut si vel unum horum desit in aliqua terra, lapides in ea non generentur. Econtra ubi hæc tria concurrunt, magna invenitur lapidum copia.

Quæri

Quæri poteſt 22. Cur gemmæ ſint parvæ? *Reſp.* Quia pro his debet eſſe materia prorſus ſelecta, quæ in magna quantitate non facilè reperitur, & quidem eò difficiliùs, quo gemma aliqua eſt precioſior, hoc eſt exquiſitioris ſucci.

Quæri poteſt 23. Cur quidam lapides & Gemmæ ſudent? *Reſp.* Quia tales lapides & Gemmæ ſunt frigidiſſimæ naturæ, átque ſic vicinum aërem condenſent in aquam, ſicque videntur ſudare.

Quæri poteſt 24. Cur in aliquo loco parvi lapilli naſcuntur? *Reſp.* Quia talis locus eſt valde prorſus, per quem ingredientes ſucci lapidifici & vapores terram unctuoſam coquentes, diſſipantur, átque ſic tantùm particulas illius modicas attingentes, easdem ſolum coagulant.

Quæri poteſt 25. Cur inveniantur ſubinde lapilli parvi in una maſſa, tanquam ſi calce eſſent conjuncti. *Reſp.* Quia in illo loco fuit materia calcis aduſta, quæ poſtea lapillis commixta & prius aqua in maſſam ſubacta, rurſus per calorem excoquitur, ac denuo in unam maſſam concreſcit & indureſcit.

Quæri poteſt 26. Cur aliqui ſint perſpicui, alij opaci? *Reſp.* Perſpicuitatem lapidum provenire à puriſſimi ſucci dimanatione, opacitatem verò à terrearum partium permixtione.

Quæri poreſt 27. Cur maſſæ lapidoſæ, facilius in fodinis concreſcant, quàm extra? *Reſp.* Quia exhalatio vel ſuccus lapideſcens, terram indurans in lapidem, in fodinis, non diſpergitur vento, ut extra fodinas, quin potius in fodinis continetur, átque ita agit In terram.

Quæri poteſt 28. Cur lapis combuſtus abit in calcem? *Reſp.* Quia humiditas quæ partes ligabat, per ignē exuritur, unde reliquas partes lapidis diſſolvi neceſſe eſt.

Quæri poteſt 29. Sed cur potiùs ſic lapis diſſolutus non abit in cineres? *Reſp.* Quia illa communiter calcinantur, quæ flammam non concipiunt, illa verò incinerantur, quæ flammeſcunt, qualia ſunt illa, quæ ſunt oleoſa, & quæ pingvedinem aërémque continent, quibus per ignem conſumptis in terreum pulverem, id eſt in cinerem ſicciſſimum abeunt. Lapis autem non inflammatur, ideo multum oleoſi retinet, etiam poſt partium ſuarum diſſolutionem, ſícque potiùs in calcem ſolvitur, quàm in cineres.

Qnæri poteſt 30. Cur Gemmæ pellucidæ, naſcantur angulares? *Reſp.* Quia ſunt plenæ ſpiritu ſalis, qui illis dum eſſent molles incluſus, in angulis gemmæ materiam protruſit. Sal enim ſemper radios affectat & ſic diverſos angulos efficit, quibus poſtea aliæ & aliæ partes ſucci, ſe agglutinant, ſícque implent radios illos ſalinos, efficiúntque angulos, alicujus magnitudinis. Atque ex his principijs facilè datur ratio 1. *Cur quædam facilè lapideſcant?* nempe quia ſucco lapidifico ita perfunduntur, ut cum hic deinde concreſcat, lapis tantummodo eſſe videatur. 2. *Cur Gemmæ intra ſaxorum concava naſcantur?* Quia materia illarum cum ſit volatilis, ac ſubtilis, in aperto dilaberetur, intra ſaxum autem collecta ſervatur, donec denſetur. 3. *Cur lapides quidam ſint ſpongioſi?*

giosi? Quia vel ex spuma sunt nati, vel non habuerunt humidum commixtum terreo in multis partibus, sed solùm veluti infusum vasculo, quod ubi evaporavit, porum grandem reliquit. 4. *Cur è contra quidem lapides sint bene compacti, & sine poris*? Quia constant materiâ terreâ bene subactâ. 5. *Quomodo lapis seu calculus in homine concrescat*? Nempe per collectionem ramentorum petrificorum, quæ ab uligine quadam, implicantur & conglutinantur. 6. *Quomodo hic morbus hæreditario quodam jure à parentibus in liberos tradutitur*. Quia hæc colldctio ramentorum petrificorum átque percolatio, dependet à certo fibrarum vesicæ aut renorum plexu, talis autem fibrarum plexus, procedit à prima organizatione, & hæc à parentibus. 7. *Cur & quomodo hunc calculum in homine solvat medicina*? Quia lapis hic habet in se poros. quos medicina subtilitate sua ingreditur, átque gluten, quod partes lapidis alligabat, solvit, aut consumit. 8. *Quomodo lapides infodinis de novo crescant, & injecta humus in fodinam post longum tempus lapidescat*? Nempe quia succi lapidifici in novam rursus materiam, sibi proportionatã incurrentes, suáque subtilitate eam pervadentes paulatim eã condensant & coagulant sícque in saxum convertunt. 9. *Cur nonnulli lapides, purioris, aut impurioris sint substantiæ*. Quia scilicet ipse succus lapidificus est magis vel minus defœcatus ac percolatus, partes quóque terræ vel minerarum glebæ, in lapidem conversæ magis vel minus proportionatæ, locus item in quo hæc conversio fit, magis vel minùs generationi lapidum aptus. 10. *Vnde suam originem variæ lineæ ac puncta in gemmis & lapidibus trahant*. *Resp*. Id provenire partim ex commixtione aliorum succorum mineralium, cum succo lapidifico ad ejusdem lapidis efformationem concurrentium, præsertim si hæc puncta & lineæ sint variorum colorum; partim veró ex eo quod gleba illa terræ quæ pro lapide disponitur, antequam perfectè indurescat ob siccitatem intervenientem varias rimas agat, quæ à superveniente interim succo lapidifico, vel Gypseo vapore quo locus talis naturaliter ãbundat, replentur, sícque postea in unam solidam massam concrescunt. 11. *Quomodo aliquando in medio solidi Lapidis figuræ piscium, bufonum & serpentum exactissimè efformentur*. Id enim accidit quod pisces, bufones, ac serpentes subinde vel per exundationem, vel alio eventu limo involvantur, limus vero successu temporis spiritu seu succo lapidifico superveniente in saxum convertatur, in quo proinde tanquam in modela & matrice figuram suam dicta animalia relinquunt, corruptâ interim aut absumptâ, vel in pulverem conversâ eorundem substantiâ. Quod inde confirmatur, quòd aliquando adhuc integri serpentes, bufones vel pisces in secto per medium lapide reperiantur. 12. *Quomodo in aliquibus massis lapidum innumerabilium ostrearum & concharum congerie inveniatur*? Hæc enim cùm ob innatum sibi salsuginosum humorem, maximam ad saxum vicinitatem habeant, à mari vel lacu in cumulo ejecta, aërique exposita, consumpto humore facilè indurescunt, & in unam massam concrescendo lapidescunt. Verùm de alijs similibus proprietatibus lapidum per decursum hujus dissertationis plura. Jam ad particularium lapidum naturam & proprierates rimandas accedamus.

§. 2.

De Natura & proprietatibus Marmoris, Lapidis Lidij, Cotis, & Silicum.

Explicaturi singulorum Lapidum naturas, ac proprietates, à rudioribus fundamentum dissertationis sumamus.

PRimum igitur genus lapidum sit *Marmor*, cujus varia rursus sunt genera & colores. Pretiosissimi generis est *Lacedæmonium viride* cunctisque hilarius. Hoc sequitur Marmor *Ophites* dictum serpentium maculis simile, cujus duæ sunt species: molle candidum, nigricans durum. Tertium locum sibi vendicat *Augustum* marmor undatim crispum in vertices, ac dein *Tiberium* sparsim convoluta canitie. Tum illud quod *Tephnia* apellant à colore cinericeo, & *Porphites* quod rubet, sed præsertim illud, quod candidis intervenientibus punctis discriminatur & ob id *Leucostites* vocatur. Post hoc *Basaltes* marmor, ferrei coloris átque ferreæ duritiei. Porrò hæc varietas colorum in Marmoribus, oritur ex diversitate succi lapidifici, per varias venas minerarum, transeunte, ac varietate glebarum terræ ex quibus succrescit. Hinc *niger* color marmoris ex terrestri fuliginoso succo: *Albus* ex terrestri subtilissimo, quod commixtum est aqueo multo: *Subviridis aut ruber* ex succo transeunte per venas vitrioli aut minij vel cinnabaris: varij denique colores, ex varijs consimilibus succi partibus, in his tamen omnibus interveniente etiam ipsa varietate glebarum terræ. 2. *Aliquod marmoris genus est valde vile, & Fabricis inutile, quod malleo percussum in frusta dissilit.* Quia succus ex quo generatur est paulò impurior, cui molliores, aut etiam duriores, minus tamen inter se cohærentes Lapilli immiscentur. 3. *Aliud è contra est durum*, quia ex succo bene subacto & percolato, ac particulis glebæ multùm implicatis, constat. 4. *Marmor est ponderosum & grave valde.* Quia plurimum terræ, bene compactæ continet. 5. *Extractum adhuc mollius, sensim indurescit.* Hoc quidem & alijs lapidibus est commune. Quia mollities ex humore terræ oritur, qui humor per aërem & calorem expellitur. 6. *Aquam non exsugit.* Quia angustiores sunt illius pori, quàm ut eos aquæ corpuscula subeant. 7. *Porphirites dictum marmor minus gravitatis habet*, quia laxiores meatus, & partium complicationes habet. 8. *Est tamen alio marmore durius*, quia hi ipsi laxiores meatus compactissimas intra se partes, habent. 9. *Marmor nigrum faciliùs perpolitur quàm album.* Quia majoribus constat sphœrulis, ex quibus compingitur. 10. *Aliquod Genus marmoris præsertim Albi percussum satis acutum sonum edit.* Quia ex ejus percussione resultat aliqua compressio partium, ex qua deinde corpus marmoris, per innumeras ferè vibrationes, se pristino statui restituit. 11. *Album marmor expolitum non reflectit distinctam speciem.* Quia radij à nimis minutis sphœrulis valde

valde confusi repercutiuntur. 12. *Nigrum è contra speciem distinctam reflectit.* Ob contrariam scilicet rationem: quia cum ex majoribus constet sphœrulis, ordinatos reflectit radios. 13. *Nigrum marmor melius lævigatur quàm album* quia cum majoribus constat sphœrulis, majores quóque fiunt earundem sectiones, síc-que ejus superficies planior evadit. 14. *Marmora læviganiur & poliuntur optimè arenâ* quia extantes eorundem partes affrictu arenæ atteruntur. 15. *Si exponas soli æstivo marmor candidum & nigrum, nigrum invenietur calidius.* Quia album disgregat radios, quos nigrum colligit, ideò & nigra charta citiùs sole accenditur quàm alba. 16. *Marmor ad nitorem úsque expoliri potest non item alij lapides vulgares.* Quia in marmore prædominatur sal, qui est ex se pellucidus, átque sic dat eum fulgorem, hic autem in alijs lapidibus deficit. 17. *Major lineamentorum varietas in marmore, quàm in alijs lapidibus invenitur.* Quia marmorum materia est subtilior, & ideò faciliùs agitari potest, & duci variè.

Lapidis lydij hæ sunt proprietates. 1. *Perfectissimè lævigatur, imò non rarò lævissimus est à natura.* Provenit hæc levitas ab exactissimo partium hujus lapidis plexu, qui majores pororum cavitates non relinquit. 2. *Est durissimus,* quia multâ terrâ bellè digestâ, arctioréque partium plexu constat. 3. *Inter lapides exquisitam prorsus nigredinem præfert.* Quæ partim à particulis denticulatis quibus constat, partim ab ipso ejus lævore provenit. 4. *Hoc lapide optimè qualitas metallorum probatur solo affrictu.* Nempe quia subtilissimis suis & acutissimis denticulis metallum quasi corrodit, & tenuissimas particulas illius suffuratur, ex quibus dein, de qualitate metalli, judicium formari potest. 5. *Exactè is politus censetur, quia ad halitum hominis continuè sudat vel potiùs quasi nubem inducit.* Hic enim vel maximè ostendit acutissimarum suarum particularum, exactissimum intro se plexum & cohærentiam.

Cotis prima proprietas est. *Quod arrodat metalla & vitra, aliásque res his similes* quia particulis denticulatis iísque duris constat. 2. *Aspergitur aqua Coti, ut in eo ferrum meliùs acuatur.* Complanat siquidem illius humor, majores Cotis asperitates, quæ alioquin nimiam stragem partium ferramenti facerent. 3. *Per affrictum Chalybis ignis ex Cote elicitur.* Est siquidem genus Pyritis, quod genus lapidum multum ignis in se continet. 4. *Multæ arbores in Germania inveniuntur in Cotes mutatæ, quibus acuuntur novaculæ.* Id enim provenit ex innata duritie talium arborum, asperrimis partibus ex natura sua constantium, quæ superveniente succo lapidifico, eò magis indurantur & exasperantur. Sic etiam *Alnus* in aquis longo tempore hærens, ferè in símilem lapidem concrescere solet. 5. *Subinde Cos etiam ungitur oleo,* quia sic adhuc leniùs acies illius exacuitur.

Jam quod ad Silices attinet. 1. *Silex est ferè omnium lapidum durissimus.* Habet enim exactissimum partium plexum. 2. *Quidam Silices liquescunt.* Quia nimirum multum habent vitrei succi, aut metallici admixtum. 3. *Ignis ex Silice facilè excutitur.* Est enim Silex quoddam Pyritis genus, plurimum ignis in se continens. 4. *Vt tamen tactus ignem reddat, debet ita aptari ut costa paulo acu-*

lo acu-

lò acutior feriatur. Qui in ea intensiùs partes igneæ congregantur, & aduniuntur. 5. *Fractus facilè resilit.* Propter duritiem nimiam, ob quam cùm nec cedat, nec comminuatur, resilire necesse est. 6. *Curvi sunt ut plurimùm Silices.* Quam figuram potius à casu, quàm natura habent. 7. *Silices intra suam matricem crescunt.* Scilicet per juxtapositionem novi succi, qui in terra illa, ad hunc finem probè dispositâ, percolatur. 8. *Muri facti ex Silicibus non durant.* Quia Silicum pori, non sunt notabiles, ideo calx illos intrare non potest, átque in muris non retinentur.

§. III.

De Alabastro, Alabastrite, Saxis, Petrostilbe, Topho, Pumice & speculari lapide.

Alabastrum 1. *Ejusdem fere cum marmore generis censetur*, Mollius tamen est & fragilius, átque instar Gypsi combustibile. 2. *Marmori pondere non cedit sed duritie.* Quia fortè nihil aliud est quàm marmor nondum bene excoctum. 3. *Plurimùm micat.* Quia est commixtum ex perspicuo multo, quod est alteratum affuso multo terreo subtili. 4. *Alabastrites albi coloris ut plurimùm est.* Concrescit siquidem ex succo depurato, eóque perlucido. 5. *Hic tamen candor varijs interdum interdistingvitur coloribus.* Diversi coloris succo, rimas quas egerat antequam perfectè concresceret, complente.

5. *Excavatur ut plurimùm ad vasa ungventaria.* Quoniam ob nativum suum frigus & munditiem ea optimè servant incorrupta. 6. *Invenitur etiam nigri coloris, & subinde etiam aureis guttis interstinctus.* quorum eadem est causa, quæ varietatis colorum.

Saxa 1. *majori mole & frequentiora occurrunt.* Utpote rudiora naturæ opera, vulgari & obviâ materiâ constat, nec tam arctè plicatas partes inter se habet. 3. *Poliri non potest*, quia non constant materiâ satis durâ & subtili & bene ab humido penetrata. 4. *Nec potest instar silicis liquari* quia nihil vel parum materiæ metallicæ habet, ratione cujus silices sunt liquabiles. 5. *Cùm ferro secatur, in frusta vel crustas aut folia dividitur.* Secundùm partium & succi lapidifici dispositionem ex quo concrevit per juxtapositionem. 6. *Aliqua saxa in arenam comminuuntur.* Quia nihil sunt aliud quàm ipsa arena per succum lapidificum in unam massam concreta.

Petrostilbe quóque habet suas proprietates. Nam 1. *Concrescit per laminas*; sic enim succus lapidescens ex quo concrescit diffunditur. 2. *Nigra est*, quia constat ex particulis striatis & acuminatis. 3. *Si exponatur Soli statim incalescit.* Hoc enim nigro colori singulariter competit. 4. *Aqua per fodinam Petrostilbes fluens est valde atra & turbida.* Quia cùm hic lapis facilè ab hu-

more subigatur, multam vim particularum aqua præterfluens ex eo secum asportat, sicque atrum & turbidum colorem contrahit.

Pumex 1. *valde siccus est*, quia modico humore constat, nam licèt humorem hauriat, hic tamen facilè ex eo effluit ob pororum ejus laxitatem. 2. *Extra Herculis columnas frutices è mari ejecti, & ad mare rubrum juncti frequenter vertuntur in Pumicem.* Succo nempe lapidescente imbuti, quo Solis calore exsiccato, postea indurescunt. 3. *Levissimus est in tantum ut ipsi aqua innatet.* Videlicet quia majores illius cavitates aëre plenæ sunt. 4. *Adhibetur Pumex ad lævigandum marmor*, quia asperitate sua vel potiùs comminuto pulvere salebras extantésque marmoris partes complanat. 5. *Est valde porosus*, quia ex spuma aquæ valde alteratæ, terrestibus particulis commixtæ concrescit. 6. *Cinericeum quendam colorem præ se fert.* ob copiam cavitatum quibus abundat. 7. *Si tamen teratur albus evadit.* quia scilicet est ex spuma aquæ, quæ utique alba est.

Tophus. 1. *Est albus*, quia concrescit ex terra in qua aqua spumat. 2. *Est spongiosus*, Ob laxos poros terræ ex qua coagulatur. 3. *Est levis* ob nimias cavitates quas habet. 4. *Non tamen supernatat aquæ*, quia illum humor facilè per totum subit. 5. *Facilè teritur*, quia minùs arctos habet partium plexus.

Lapis specularis quem vulgò Talcum vocant. 1. *Concrescit in Laminas, quæ deinde vel aciculâ facilè dirimuntur.* Sic enim succus ille lapidescens extenditur, & concrescit. 2. *Est diaphanus seu trasparens*, quia succus ex quo concrescit purior est & defæcatior. 3. *Igni valde resistit* propter multam terram, quâ constat. 4. *Lamina hujus lapidis facilè flectitur*, quia mediocri saltem humore constat. 5. *Si Lamina paulo crassior sit, multam opacitatem præ se fert.* Nempe quia in majore illa profunditate, multæ heterogeneæ occurrunt particulæ, quæ radium sistunt.

§. IV

De Lithoplytorum Natura, ac Proprietatibus, cujusmodi sunt præsertim Asbestus, Coralium, & Glossopetra.

Lithoplyta sunt quæ ex succo lapidescente concrescunt, non per juxtapositionem ut alij lapides, seu per attractionem succi, plantarum instar. Atque inter hæc primum locum sibi vendicat *Asbestus* seu *Amiantus* dictus lapis, qui crescit plantæ instar, cum filamina illius & fibræ ex ipsa radice videantur assurgere. Cujus miræ omnino sunt proprietates. Nam 1. *instar lini in fila duci potest.* Constat siquidem ex longis filaminibus, iisque flexibilibus. *Tela ex his filis confecta & quæcunque alia res, igne comburi aut consumi nulla ratione valet.* Unde 3. *Strophiola ex hac materia præparata, ubi sorditata fuerint, non lavantur aquâ, sed in ignem injiciuntur, ac dein ex igne puriora extrahuntur.* 4. *Charta ex Asbesto confecta, postquam ea literis conscripta fuerit, si in*

si in ignem injiciatur, consumptis mox literis, veluti igne lota, integra & candidior erit, novisque literis inscribendis servit. 5. *Si ex eo Elychnia fiant, perpetuo lumini inserviunt. solum siquidem oleum superinfusum consumitur, Elychnio integro manente.* 6. *Frustum hujus lapidis etiam vitriariæ fornaci inditum semper incorruptum manet, imò si anno integro in igne continuò fuerit, integrum ac nulla formæ facta alteratione, extrahitur.* Sunt quidem etiam alia corpora, quæ igni vehementer resistunt uti est Alumen, Adamas, Selenites seu Talcum, Lapides quóque alij & saxa, quin & ipsa metalla, quorum tamen resistentia tandem à vehementia ignis superatur. Ut saltem arte chymica in liquorem vel calcem ultimatè per ignem resolvantur, unicus solus Asbestus est, qui nulla vi, nulla arte ignis queat superari. Id autem cum Kirchero putamus ex eo provenire, quod igne nihil uratur, nisi prius ab eo humidum educatur vel per ignem, vel per aliunde causatas operationes. In Asbesto autem adeo pertinax mixtura est, ut ejus materia reddatur prorsus inevaporabilis, sed nec per ignem viscida hæc ejus humiditas, ulla ratione educi potest, hæc enim eductio humidi non potest alio modo per ignem fieri, quàm per separationem partium rei comburendæ cui separationi materia Asbesti pertinacissimè resistit, ex eo quòd sit purissimè homogenea nullâ alterius heterogeneæ rei miscellâ adulterata. Ignis autem Heterogenea disgregat, & homogenea congregat teste Aristotele & communi Philosophorum sensu. Confirmari id potest ex eo quod cum ex alijs rebus omnibus arte chymica extrahi possit oleum vel succus aliquis, ex Asbesto tamen nullâ Alchymistarum industriâ, vel unica guttula possit elici.

Corallium 1. *ad Lythophyta pertinet* Nutritur enim, & arborescit ut planta, dilatatur in ramos, habet suam radicem, quin & matricem, ex qua excrescit. 2. *Crescit in ipso fundo maris, ut plurimùm.* utpote in loco genesi suæ aptissimo. 3. *Non invenitur tamen in quolibet mari, sed hujus feracissimum est mare Siculum & mare rubrum.* Quia non quilibet fundus maris, est eodem modo dispositus, neque omne mare, requisitis qualitatibus ad Coralli concretionem præditum, sic etiam non omnis fert omnia tellus. 4. *Crescit plerúmque in profundo maris intra rupes semper undis coopertas.* Sic enim faciliùs lapidescens illius succus à motibus & inquietudine maris conservatur, conservatúsque concrescit. 5. *Excrescunt quandóque Corallia ex ipsis conchis, politis lapidibus, fragmentis navium & re quavis, imò in Gazophilacio Magni Ducis Hetruriæ cernitur, quod ex granio humano excrevit.* Quod ex re quavis excrescant, inde fit, quod loco seminis guttam emittant glutinosam, quæ cuique rei adhærens, in ea producit postea petream hanc plantam. Unde Corallia quæ in similibus rebus excrescunt sunt sine radice, & tantùm quasi ijs rebus agglutinantur. 6. *Corallium quod pretiosissimum omnium habetur, est rubrum.* Constat hoc ex humido, pingvi, viscoso, & puro succo, ac rubeo sulphure perfectè concocto ac digesto. 7. *Hoc vilius est quod colorem album præfert.* Quia sulphure albo abundat, necdum perfectè decocto. 8. *Vilissimum vero quod nigri coloris est.* Hoc enim licèt etiam humido, pingvi & viscoso succo constet, eo ta-

eo tamen impuro, & similiter sulphure, corruptione adusto. 9. *Est in Gazophylacio Cardinalis Barberini planta Corallina, quæ circa radicem nigro, in medio albo, postea rubro colore est imbuta.* Hanc varietatem coloris, in ea concretionis prædictæ gradus, faciunt. 10. *Apud virum, & sanum hominem vividum colorem præ se fert, apud ægrum autem, & fæminam palescit.* Quia in his tetris halitibus inficitur. 11. *Infra aquam corallium est mollius quàm postquam extrahitur*, quia intra aquam sulphurei illi halitus & ipsemet succus, sunt adhuc viscosi & humidi valde, qui aëri expositi postea exsiccantur, átque sic magis indurescunt. 12. *Habet Corallia ramos, fibras, canaliculósque uti ferè aliæ plantæ.* Per hos siquidem, succum illum ex quo concrescunt ad sui nutrimentum attrahunt. 13. *Aliquando intra Corallium sunt aliæ plantæ, & præcipuè Myrices*, quia materia corallina illi plantæ se agglutinat, ac successu temporis eam sibi involvit.

Glossopetra similiter primo ad Lithoplyta pertinet. Adhæret siquidem suæ matrici, vel radici, ex qua sensim sine sensu succum alimentitium sugit. 2. *Est hic lapis adinstar lingvæ ut plurimum denticulatæ*, Ob quod etiam sic denominatus est. Glossa enim apud Græcos, idem quod lingva significat, adeóque latinè Glossopetra idem ac petrea sive lapidea lingva significat. 3. *Facilè in longum finditur ut lignum.* Scilicet secundùm fibrarum longitudinem, quæ nativæ in eo apparent.

Sunt etiam alij Lapilli qui ad Litophlyta pertinent, cujusmodi est *Amethystus* alijve huic similes. Quia ex matrice communi nascuntur, & succum per fibras iusensibiles trahunt, átque aliqui majores, alij minores ex fertili illo solo assurgunt.

§. V.

De Natura ac proprietatibus Magnetis

VIx hoc lapide alius rudior, sed vix etiam admirabilior, ob innumeras suas, eâsque admirabiles prorsus proprietates, quas omnes in medium adferre longum foret. Pauculas igitur & præcipuas tantùm ex ijs, hoc loco enumerabimus, assignando simul uniuscujusque naturalem causam. Primò igitur *Magnes ferrum trahit & non aliud metallum*, quia nullum Magneti ita simile sicut ferrum, nullumve magis aptum ob poros suos in longum protractos, ad corpuscula instar acutissimarum & subtilissimarum acuum à Magnete profluentia, in se recipienda. 2. *Unus Magnes trahit etiam alium Magnetem.* Quando ferrum non est liberum, & Magnes est liber, accedit quidem tunc Magnes ad ferrum, sed non tam trahitur à ferro, quàm ipsemet mediantibus suis effluvijs accurrit ad ferrum. 4. *Magnetis unum frustum per unam faciem* *Magne-*

Magnetem trahit non ferrũ per aliã ferrũ non Magnetem, per aliam autem utrũmque. Quia in Magnete sunt multæ partes Heterogeneæ: ubi igitur plus habet Magnetis, illa parte Magnetem trahit, quâ parte plus habet ferri, illâ trahit ferrum, quâ habet utrũmque pari proportione, trahit utrũmque. 5. *Ferrum malleo in longum ductum, aptius est ad vim Magneticam*, quia sic fiunt in ferro longiores pori, adeóque ad acus Magneticas primarias (seu effluvia Magnetis in longum ex se protensa instar acuum tenuissimarum) recipiendas aptissimi. 6. *Vnde ferrum in cubum, vel in sphæram malleo efformatum ad effectus Magneticos, minus aptum est.* Ob contrariam scilicet rationem. 7. *Si acus ferrea, Magnetica virtute instructa iterum malleo ducatur, virtute illâ spoliatur.* Quia scilicet ordo prior pororum confunditur, igitur & acuum primariarum, quæ poros illos occupabant. 8. *Aliqui Magnetes etsi magni sint, parum tamen trahunt.* Accedit id, vel quia talis magnes valde impurus est, & multum alienæ materiæ habet, cui inde pauciores acus primariæ magneticæ insunt, aut non æque benè dispositæ, vel quia virtutem Magneticam, per longum usum & evaporationes jam exhalavit. 9. *Econtra minores, quandóque tam fortes sunt ut decies septies seipsis gravius ferrum ad se attrahant.* Ob contrariam scilicet rationem, & simul virtutis magneticæ concentrationem. 10. *Chalybs est subjectum aptius virtutis magneticæ, quàm vulgare ferrum.* Quia chalybs durior est ferro, iisque partibus constans, quæ cum præparatiores sint, sunt quóque subtiliores, ac proinde relinquunt poros angustiores & longiores, ac consequenter & aptiores, ad primarias illas acus magneticas recipiendas, quàm ipsum ferrum. 11. *Acus magneticæ secundariæ seu à Magnete tinctæ, supra murum stantes sæpè fallunt.* Quia sæpè intra murũ inveniuntur lapides aut lateres, qui aliquid ferreæ materiæ habent, sæpè etiam prope adsunt particulæ diversæ ferri, ad quas acus magneticæ se vertunt. 12. *Vna acus tincta magnete trahit alteram, hæcque iterum aliam, & sic consequenter átque ita longo ordine quasi catenâ factâ à se invicem & à Magnete dependent, idèm contingit in annulis ferreis aut clavis.* Quia nimirum Magnes vim attractivam communicat ferro, & hoc iterum eandem alteri, & sic consequenter. 13. *Magnes trahit ferrum, & ferro virtutem suam communicat, etiamsi inter ipsum & ferrum interponatur, charta subtilis, tabula lignea, cuprea, aliũsve materiæ, aut etiam manũs.* Quia effluvia illa magnetica adeo tenuia & subtilia sunt, ut per poros interpositorum horum corporum facilè transire valeant. 14. *Quædam plantæ amicæ sunt Magneti ita ut ei vigorem addant cujusmodi sunt folia chermes & Erithrodani.* Quia tales plantæ crescunt supra mineras ferri, ejúsque virtutem imbibunt. 15. *Magnes & ferrum ex iisdem fodinis eruuntur.* Maxima enim inter utrũmque est cognatio & pars metallica Magnetis potiori ex parte ipsum ferrum est. 16. *Vis maxima Magnetis in polis viget.* Eo quod primariæ illæ ejus acus magneticæ, in polis ejusdem, ex alijs partibus simul conveniant & quasi concentrentur. 17. *Magnes in aëre liberò diu manens, vires amittit.* Quia semper effluvia tractiva exhalat, quæ ubi omnia exhalaverit marcidus manet. 18. *In panno purpureo Magnes conservatur.* Quia

Quia hic tingitur ſucco herbarum quæ vim ferri combiberunt. 19. *Reparatur Magnes, modico calore in aqua, adhibita ad ſecandos lapides.* Quia illi aquæ inſunt plurimæ ferri particulæ inter attritionem lapidis excoctæ. 20 *Magnes liberè pendens ſe convertit ad polos.* Quia ejus effluvia eo tendunt, hoc eſt, hæc in Auſtrum, illa in Boream. Vel quia Magnes ejuſdem eſt naturæ, cujus hic totus globus terræ, qui haud immerito ab aliquibus *Magnus Magnes* dicitur, cujus ſitus naturalis eſt, ut una parte ſui Auſtrum, altera Boream ſemper reſpiciat. 21. *Eandem vim directivam ſui ipſius in polos communicat ferro.* Quia effluvia illa magnetica, quæ Magnes ferro communicat, dum conantur ſe reducere ad ſitum ſibi connaturalem, utrûmque ſcilicet polum directè reſpicientem, ſimul vertunt ſecum ipſum ferrum cui inſunt, ſi ſit liberum & non nimium grave. 22. *Ferramenta oblonga, quæ diu erecta manent, citra omnem Magnetis applicationem virtutem magneticam concipiunt.* Quia primariæ acus magneticæ aëri admixtæ, tum ex terra, tum ex alijs mixtis ipsísque Magneticis lapidibus diffuſæ, oblíque in prædicta ferramenta incidunt, átque adeo pororum alveos, in longum ductos invadunt & occupant, sícque ſenſim ſine ſenſu eâdem dictâ virtute imbuunt. 23. *Magnes ferro veſtitus, ſeu armatus, virtute attractiva augetur.* Accidit id ex eo quòd ſic duplicetur refractio effluviorum magneticorum ſemel dum in laminam ferream polis applicatam impingunt, & alia vice dum ab omnibus partibus laminæ verſus aliud ferrum convergunt. Vel quia & ferrum ſeu magnetica habet effluvia, & ſic magnes cum lamina ſibi applicata ſimul agit per modum unius cauſæ & virtutis in aliud ferrum. Utráque hæc ratio fundatur in illo Principio Philoſophorum. *Virtus unita eſt fortior.* 24. *Ferrum candens non eſt aptum virtutis Magneticæ ſubjectum.* Quia poros laxiores habet, ac proinde in ijs primariæ acus magneticæ, facilè & liberè convertuntur indéque ſine obice avolant. 25. *Acus ferrea ſingulari virtute Magnetica prius inſtructa ſi candeſcat, ſtatim illâ privatur.* Quia ſcilicet per ignem, poris acûs apertis, effluvia illa Magnetica quæ priùs in ſe continebat acus, avolant. 26. *Ferrum rubigine tectum, quantumvis Magneti admoveatur nullam inde vel modicam vim Magneticam acquirit.* Quia rubigo illa meatus & poros ferri ita obſtruit, ut acus primariæ quæ à Magnete procedunt ſubire in ferrum non poſſint. 27. *Si duo Magnetes liberè pendeant ſimul, non ſe conjungent partes Boreæ vel Auſtrinæ ſimul, ſed Borea cum Auſtrina & è contra.* Quia ſic uterque eſt in naturali ſuo ſitu, nam ſi pars Auſtrina, cum Auſtrina conjungeretur unus Magnes eſſet in violento ſitu, aſpiceret ſiquidem parte ſuâ Boreali Auſtrinum polum. 28. *Acus ferrea quæ partem Borealem tetigit partem Auſtralem reſpicit Boream.* Quia nimirum primariæ illæ acus Magneticæ, acui ferreæ à Magnete communicatæ, ſervant in acu ferrea eundem ſitum, quem ſervarunt in ipſo Magnete. In Magnete verò primariæ illæ acus Magneticæ, quæ communicantur acui ferreæ à polo V. G. Boreali, pars illa quæ interiorem partem acûs ferreæ ſubintrat reſpiciebat Boream, pars verò illa ſeu finis, qui eſt in extima acus ferreæ parte reſpiciebat Auſtrum, quid ergo mirum ſi poſtea a-

cus ferrea avulsa à polo Boreali, extima sua parte respiciat Austrum & alterâ Boream? 29. *Si polo Magnetis ferreus stylus in medio attingatur, nec Austrum nec Boream respicit.* Quia vis per medium infusa, utrúmque extremum vult admovere polo, & quia neutrum potest, nihil facit. 30. *Acus ferrea Magnetica vi prædita si per longum tempus in contrario stet situ, vim suam deperdit:* Quia effluvia Magnetica dum contra naturam suam in contrariam partem fluere recusant, tandem pori acus occluduntur, ac ipsa hebescunt. 31. *Magnes qui frequentem malleorum ictum excipit. debilitatur.* Quia sic pori ejus etiam obstruuntur, consequenter & effluvia ipsa seu acus primariæ Magneticæ, commoventur eóque citiùs ac vehementiùs avolant. 32. *Acus ferrea magneticâ vi instructa, in varijs locis, variè declinat.* Declinatio hæc oritur ex varia terræ dispositione quæ plus aut minus illi virtutis affundit, hoc est ex qua parte acus ferrea plura vel pauciora recipit effluvia Magnetica, ad eam detorquetur ejusdem extremitas. 33. *Eadem acus ferrea liberè moveri & verti potens sese in linea meridiana per se constituit.* Acus illæ primariæ Magneticæ quæ ipsi ferreæ acui insunt quando sunt in debito situ, sunt per se parallelæ plano meridiano, adeóque & acum ferream eodem modo situant. 34. *Si ferrum, inter duo magnetica accuratissimè statuatur, & justa fiat gravitatis compensatio, suspensum manebit.* Quia tali casu uon est ratio major, cur ad unum potius Magnetem accedat, quàm ad alterum, adeóque suspensum manere necesse est. 35. *Ferrum politum Magneti arctius adhæret.* Quia scilicet ferrum politum directiores habet poros, & secundùm rectam seriem dispositos; deprimit enim & resecat salebras lævigatio; hinc superficies unius, meliùs convenit cum superficie alterius; átque adeo pori cum poris meliùs congruunt, & acus acubus meliùs adhærent. 36. *Unus polus Magnetis, attrahit Magnetem, & ferrum Magneticâ vi instructum, alter vero repellit.* Id totum provenit ex oppositione vel conventione acuum primariarũ Magneticarum, quarum una pars nempe poli Borealis, vergit versus Boream, altera pars nempe poli Australis versus Austrum, servato igitur naturali suo situ, si acus hæ in oppositum pergentes concurrant, se mutuo repellunt, si concurrant ad eundem polum vergentes, sibi mutuo conjunguntur. 37. *Si ad duos Magnetes secundùm polos amicos junctos, tertij Magnetis polus quiscúnque admoveatur disjungit conjunctos, unum fugiendo, alterum alliciendo.* Quia scilicet tertij polus, alteri polo junctorum, necessario est amicus, alteri inimicus, ejusdèmque cum altero nominis & respectus, cum altero diversi. 38. *Acus ferrea virtute Magneticâ instructa inclinat extremitatem Borealem deorsum.* Ut scilicet sic cum Horizontali linea faciat & indicet angelum elevationis poli: Virtus enim Magnetica, non est præcisè à natura ordinata ut polorum situs ostendat, verum etiam ut eorundem elevationem, & depressionem indicet. Sunt & aliæ plurimæ, ac ferè innumeræ Magnetis proprietates, sed has pauculas hoc loco, ob brevitatem quam hic intendimus, enumerâsse sufficiat.

§. VI.

De Cryſtallo, Adamante, & alijs pellucidis ſed nullo colore tinctis Gemmis.

CRyſtallus 1. *non conſtat ex aquis ſummo frigore congelatis & induratis ut putabat Plinius.* Tum quia calore non liqueſcit, ut glacies & alia quæ frigore coaluerunt, ſed calcinatur ut lapides: tum quia in calidiſſimis Regionibus invenitur: tum quia ex cryſtallo chalybis affrictu, multus ignis elicitur, quod de aqua qualitercúnque congelata & indurata dici non poteſt. 2. *Naſcitur igitur Cryſtallus ex purgatiſſimi ſalis intra concava montium latentis ſubtiliſſimis vaporibus & ſpiritibus, qui per intimas & pene inſenſibiles telluris fibras exaltati, multisque percolationibus præparati in loco ſuæ generationi apto congregati, ſpiritu lapidifico ſibi indito cooperante, concreſcunt in maſſam.* Nec enim alio modo meliori, illius generatio explicari poteſt. 3. *Lapidibus adeo tenaciter adhæreſcit, ut ægrè ab iis divelli queat.* Ob nimiam ſcilicet tenacitatem & ſubtiliſſimam viſcoſitatem ſucci ſeu ſpirituum ex quibus concreſcit quive concavitatibus lapidum veluti matrici adhærent. 4. *Quo limpidior eſt, eò melior judicatur.* Eò ſiquidem magis perpurgato ac percolato ſucco conſtat. 5. *Hanc tamen ejus perſpicuitatem ſubinde maculæ quædam deturpant.* Accidit id ex eo quod particulæ aliquæ ſucci ex quo concreſcit, per fibras telluris aſcendentes, commiſceantur ſubinde terreis aut mineralibus alijs particulis, aut ſaltem ab ijsdem inficiantur. 6. *Cryſtallus trita candida eſt, & percuſſa albeſcit.* Quia concreſcit ex guttis puriſſimi ſucci, Sphœricam figuram præſeferentibus. 7. *Concreſcit ut plurimum in figuram hexagonam.* Id verò provenit ex eo quod ſalini illi ſpiritus ex natura ſua ſemper diffundant ſe in radios, pauciores vel plures, ordinariè tamen in ſex. Quibus deinde plures conſimiles accedunt particulæ, & ne vacuum aliquod in intermedio ſpacio radiorum relinquatur, repletur illud ſucceſſivè novo puriſſimo ſucci liquore qui poſtea ſuperveniente lapidifico ſpiritu eidem incluſo induratur, ſicque concreſcit ſub dicta angulorum Cryſtalli forma.

Adamas 1. *Cryſtallo colore & figura affinis eſt, duritie tamen longè eam ſuperat.* Provenit hæc ejus durities ex arctiſſimo partium plexu, qui longè ſubtilior eſt quàm in cryſtallo, alijsve ſimilibus lapidibus. 2. *Non eſt tamen tanta ejus durities, ut à malleo frangi & conteri nequeat.* Experientia ſiquidem jam dudum contrarium docuit. 3. *Adamas ſuam matricem habere videtur.* In qua ſcilicet concreſcit ex ſucco defœcatiſſimo, hoc eſt optimè percolato. 4. *Puriſſimus omnino eſt.* Qui ex puriſſimis ſpiritibus ſalis, nullis prorſus aliorum ſuccorum ac præſertim mineralium, tincturâ pollutis, concreſcit. 5. *Adamantes ex loco rupis exempti, poſt duorum annorum circiter accurſum denuo renaſcuntur.* Quia in eundem locum utpote generi Adamantum opportunum, novi rurſus ſimiles halitus & ſpiritus involant, atque intra poroſi ſaxi loculos concluſi, in novos adamantes concreſcunt. 6. *Adamantes*

mantes magnopere fulgent. Provenit hic fulgor ex refractione politissimarum particularum eorundem, à quibus totum ferè lumen, idque à singulis, quasi totidem speculis reflectitur. 7. *Adamantes Hungarici & Bohemici non ascendunt ad duritiem Adamantum Orientalium.* Ideo fortassis sunt quid medium inter veros Adamantes & Crystallum, sunt enim hac duriores, illi verò longè molliores. 8. *Adamas tincturâ præditus radios fortius vibrat, ac splendorem veluti ignes vividiores jaculatur.* Quia sic opacitate quadam veluti speculum obducitur, indéque radios luminis magis refringit, ac longius reflectit. 9. *Adamantes præ cæteris lapidibus hujus tincturæ sunt maximè capaces, ita ut Pseudo-Adamantes, hinc etiam à genuinis dignoscantur quique hanc tincturam non patiuntur.* Non provenit id à similitudine vel sympathia aliqua, ut nonnulli volunt, sed quia talis est genuini Adamantis superficiei textura, ut tincturæ cuncta filamina eidem congruant, cunctáque vacuola occupent. 10. Multa fabulosa Adamanti adscribuntur. 1. Quòd solo Hircino sangvine molliatur. 2. Quòd conjuges dissidentes in concordiam revocet. 3. Quòd fascinationes & incantationes tollat. 4. Quòd Dæmonum insultus reprimat. 5. Quòd venena prodat. 6. Quòd insaniam curet. 7. Quòd ab igne destrui non possit. 8. Quòd terrentia somnia arceat. 9. Quòd in puro auro nascatur. 10. Quòd alios Adamantes procreet, imò & suis ovis incubet. 11. Quòd ferrum Adamante tactum ac septemtrionem se convertat, & complura alia. Quorum multa superstitionem sapiunt, omnia verò, experientiâ falsitatis convincuntur, ipsique rationi pleráque repugnant.

§. 7.

De Gemmis uno colore, vel pluribus insignibus.

COncrescunt hæ quóque Gemmæ eodem ferè modo quo Adamas & Crystallus, scilicet percolatione succi lapidescentis; vaporúmque ac spirituum salinorum concretione, quorum diversa ratio, diversam quóque gemmæ rationem inducit. Sic major & minor earum durities oritur ex majori vel minori plexu partium succi, ex quo concrescunt: perspicuitas major vel minor à majori vel minori percolatione & depuratione ejusdem: figura plerúmque à situ loci in quo veluti modela efformantur, & fortassis à seminali etiam ratione uniuscujúsque; color tandem à diversorum corpusculorum commixtione & tinctura succi quâ tingitur, per varias fibras terræ, venásque minerales transeundo. 1. *Ex his Principatum sibi vendicat Carbunculus à similitudine carbonum ignitorum sic dictus, purpureo colore eximiè fulgens.* Provenit hic ejus fulgor ex tinctura rubea in gradu excellenti, ejusdémque diaphaneitate ac partium ejusdem exquisito plexu. 2. *Inter Carbunculos acriùs refulgentes appellantur Masculi, langvidiùs fulgentes fœminæ.* Quæ denominatio est arbitraria, major enim hic vel minor fulgor, provenit ex majori vel minori dispositione materiæ seu succi, ejusdémque diaphaneitatis, perfectiorique vel minùs perfecto partium nexu. 3. *Carbunculus ex sententia Plinij ignem non*

sentit. Ideo à quibusdam ait vocari Apyrotum. Id tamen Majolus putat convenire solis Carbunculis Indicis & Garamanticis. Credibilis autem non est omnimodè omnino eum vim ignis superare, sed solùm difficulter in calcem vel liquorem ab igne resolvi posse. Experimento id clariùs probari posset licèt paulo cariore. 4. *Illud verò quod alij de Carbunculo opinantur, quòd scilicet tantum fulgorem habeat, ut nec nocte vinci possit, anilis fabula est.* Contrarium enim & experientia ostendit, & ratio suadet.

2. *Admirandarum quóque proprietatum est Gagates lapis, nam ut Solinus Cap. 24. testatur. Si decorem requiras nigrogemmeus est.* Quia nimirum genus bituminis sed exquisitissimi excocti est; at verò bitumen nigrum est. 2. *Si qualitatem requiras nullius ferè ponderis est* ob laxiores scilicet poros. 3. *Si naturam, accenditur aquâ, oleo extinguitur.* Accidit id ob Antiperistasim ratione cujus internus calor lapidis ad præsentiam aquæ úsque ad summum concentratur átque intenditur ex qua intensione postea cum aliunde sulphureis partibus constet, accenditur, oleo verò exstinguitur. Quia oleum terrestreitatem humido valde alligatam habet, vi humidi igitur extinguit Gagatis ignem, vi terrestreitatis eidem resistit, quæ à tam tenui igne superari, adeóq; accendi nequit. 4. *Si potestatẽ, attritu calefactus applicatus rebus, eas detinet ut Succinum.* Quia calore interno abundat. quo magis aucto per attritionem effluvia facilè emittit, per quæ res applicatas modò sint aliunde leves detinet & quodammodo agglutinat.

3. Smaragdi similiter multarum sunt prærogativarum. *Nullius enim coloris quàm Smaragdi aspectus est jucundior.* Quia nihil omnino vividius, illis comparatum viret, virore autem oculi singulariter recreantur, hinc gramen quóque ac frondes, avidè spectamus. 2. *Plerúmque sunt concavi.* Ut scilicet sic visum magis colligant. 3. *Longinquo amplificantur visu.* Ob radiorum repercussionem in vicinas aëris partes. 4. *Ij qui magnitudine pollent rerum imagines reddunt.* Ob specularem suam virtutem quâ pollent. 5. *Orientales Smaragdi majori in pretio habentur.* Nam & duriores sunt, & tralucent magis, & circumfusum aërem suâ viriditate magis tingunt. 6. *Colliguntur in commissuris saxorum Etesiis ventis flantibus.* Quia ijs ventis maximè arenæ inter juncturas saxorum moventur, & sic detecti internitentes faciliùs deprehenduntur. 7. *Reperiuntur etiam in metallis ærarijs.* Sunt enim hæc Metalla instar matricis eorum. 8. *Sunt aliqui ex ijs obscuri quos vocant cæcos, alij densi. nec è liquido translucidi.* Sunt hæc vitia colorum, unde qui non omnino virides nascuntur, vino & oleo macerati meliores fiunt. 9. *Quidam aliquam præferunt nubeculam.* Provenit hæc ab intermixta succi albedine. 10. *Plurimæ virtutes medicæ, admirandíque effectus lapidi huic adscribuntur.* Sed pleræque falsò, utpote nulli rationi solidæ innixæ, nec sat fideli experientiâ comprobatæ.

4. *Berylli proximè accedunt ad Smaragdos, minus tamen virides sunt.* Illorum siquidem viror cæruleo temperatur colore. *Poliuntur omnes sexangulari figurâ artificum ingenijs.* Quia sic color, angulorum repercussu magis excitatur & intenditur: hanc tamen figuram ipsa quóque naturâ (ruditer licèt) in ijs efformat.

5. *Prasius quóque multum similis est Smaragdo ejus tamen viror dilutior est, quàm*

Sma-

Smaragdi. Quia scilicet viridi flavóque colore est mixtus. 2. *Invenitur sæpe in scrobe velut in matrice.* Id si ita est, ad Lythoplytorum genera spectat. 3. *Coram veneno decoloratur.* Utpote qualitatibus veneni, plurimum sibi contrarijs infectus. 4. *Ablato veneno pristino colori restituitur.* Sublato siquidem contrario, reducit se connaturaliter, ad nativum sibi colorem.

6. *De Turcoide mira sunt quæ ab imperitis creduntur. Illud certum quòd sit inter Gemmas opacas nobilissima.* Provenit hæc ejus opacitas à vi terrea, quæ non solùm terminat siccitate suà, humiditatem succi, ex quo hic lapis concrescit eámque constringit, sed ipsam etiam substantiam dicti succi ad naturam suam perducit. 2. *Cæruleo colore ultra marino dicto pollet.* Tali siquidem succus ille ex quo generatur, transeundo per fibras terræ tingitur colore. 3. *Fulget eximiè.* Ob repercussionem radiorum ab ejusdem benè polita opacitate. 4. *Si gestetur ab homine morbo aliquo interno, & præsertim regio laborante fit decolor.* Quia cùm sit mollior, nec colorem habeat constantem ab habitu corrupto, qui è corpore jugiter per transpirationem emanat inficitur, adeo ut obscuretur mali affecti corporis vaporibus. 5. *Contra splendidior fit cùm qui eum gestat, sano corpore est constitutus.* Ob tenuiores scilicet halitus, qui ex sano corpore continenter exspirant, hi enim acres, salsi, & penetrabiles, aceto & sali ammoniaco similes eandem gemmam perpurgant, nam hæc & aliàs aceti & salis ammoniaci adminiculo primum nitorem recuperat.

7. *Opalus pulcherrima gemmarum esse censetur, ob colorum varietatem quam exhibet in sua transparentia.* Sunt hi colores quos apparentes vocant ex varia lucis reflexione in corpus Diaphanum incidentis, resultantes, ita tamen ut plurimam addant ad hanc diversitatem & mutationem colorem ipsa etiam corpuscula salina, ex quibus hac gemma constat. 2. *Cùm soli obvertitur dissimiles quidem, sed mirum temperatos colores exhibet.* 3. *Nonnunquam pellucet, & solis quasi vagam átque errantem reddit imaginem.* 4. *Sæpe in ea Carbunculi tenuior ignis, sæpe Amethysti fulgens purpura, sæpe Smaragdi viror, incredibili misturâ relucet.* 5. *Cum tralucet omnes iridis colores exhibet.* Horum omnium causas, data jam ratio continet.

8. *Rubinus* 1. *coccinei & accensi est coloris.* Provenit is à tinctura rubra partium succi. 2. *Principio candidus est, postea paulatim rubescit.* Donec scilicet tinctura coloris attracti, totum succum ex se alias candidum in suam naturam convertat. 3. *Interdum parte alterâ candidum, alterâ cæruleum vel rubrum præfert colorem;* Penes succorum ex quibus cogitur varietatem. *Rubrum ad speciem Carbunculorum revocatur.* Solo enim nomine à Carbunculo uti & Pyropo differt, si sit præsertim præ cæteris quantitate & colore insignior.

9. *Hyacinthus* 1. *Minoris æstimatur qui instar Succini flavescit.* Quia tunc vili tincturâ, succus ejusdem, ex quo concrescit tingitur. 2. *Ast verò si rubedine polleat, ipsis Carbunculis adnumeratur.* Quia hic pretiosiori tincturâ, nempe minij aut cinabaris tingitur. 3. *Quodsi minoris rubedinis sit ad Granados revocatur.* Quia *Granadus* lapis ex natura sua punicei est coloris, ad cujus proinde similitudinem Hyacinthus si minoris rubedinis sit, proximè accedit.

10. *Amethystus violacei coloris est.* Ex rubro enim & cæruleo consurgit co-

lore. 2. *Quo durior est, pluris æstimatur.* Nam sic faciliùs Adamantis naturam induit. 3. *Contra ebrietatem censetur esse proficuus; uti & Hyacinthus.* Fortè quia vini colorem imitatur.

11. *Chrysolitus dicitur omnis ille lapis diaphanus qui aureo colore fulget.* Quem colorem accipit ex eo quòd in transitu per fibras terræ succus ex quo cogitur, tingatur *Croco ferri.* 2. Hic si nimio auri splendore fulgeat, viriditatem tamen aliquam admixtam habeat vocatur *Chrysoprasus*, Si verò speciem aquæ croco tinctæ præferat appellatur *Topazius.*

12. *Saphirus gemma cœrulea, & diaphana est.* Causa coloris & diaphaneitatis illius, ex jam jactis principijs deduci potest. 2. *Illud mirum in hoc lapide, quòd si anthrax pestifer, eo circumscribatur, non diffundat ampliùs venenum, sed solùm circulus nigrescat, & tandem excidat.* Quia nimirum hic lapis pollet, vi contra venenum antidoticâ.

13. *Onyx* 1. *albo-nigro colore imbuitur.* Ob tincturam succi oppositorum dictorum colorum. 2. *Interdum lineis varij coloris distingvitur.* Interveniente scilicet succo varijs coloribus tincto. 3. *Est opacus.* Ob eandem rationem, quam adduximus pro aliorum lapidum opacitate. 4. *Aliquando ceu cornu politum refulget, & albis venulis inspergitur.* Ob id hoc nomen inditum, quòd hâc figurâ, velut ungvem humanam, colore, & splendore exprimat. 5. *Huic ferè similis est Sardius lapis.* Sic dictus à carne sangvinolenta, cui colore similis est. 6. *Adhunc quóque revocatur Sardonyx, qui ut plurimum circulis nigris, albis, & sangvineis distingvitur.* Quia scilicet hic, ex Sardio & Onyche quasi componitur.

14. *Achates* 1. *Quasdam ducit lineas discolores, quæ suis ductibus arbores, fluvios, animalia, variásque alias figuras exprimunt.* Varietas hæc colorum provenit partim à heterogeneitate succi, partim à diversitate percolationis ejusdem; partim vero à varietate tincturarum. Figuræ autem, quæ in eodem cernuntur partim à casu sunt, partim vero à modo artificiali cædendi hunc lapidem. 2. *Putant eum contra araneorum & Scorpionum ictus prodesse.* Ob antipathiam illi contra hoc genus veneni inditam. 3. *Sitim sedat si in os abdatur.* Ex frigiditate scilicet sibi innata.

15. *Jaspis* 1. *in plurimas subdividitur species.* Si tamen sola diversitas & varietas colorum specificam differentiam inducat. 2. *Ut plurimum tamen viridis est.* Conflatur hic ejus color ex tinctura succi flava & cœrulea, inter quos colores viridis medium tenet locum, ac ex utriúsque commixtione fit. 3. *Sæpe cum alijs gemmis confunditur.* Succo ex quo concrescit aliarum gemmarum matrices penetrante. 4. *Illustrior est Jaspidis species, quando punctis, aut venulis sangvineis distinguitur.* Ob raritatem mirámque venustatem quam ei hæc varietas addit. 5. *Taliter formatus Iaspis, si aquæ immergatur, radios solares quos regerit, in sangvineum colorem videtur mutare.* Fit id per refractionem radiorum solis, à dictis punctis aut venulis sangvinei coloris. 6. *Sangvinem è naribus fluentem, & collo suspensus omnem hæmorragiam sistit.* Nempe quia suis corpusculis frigidissimis, venularum seu arteriarum meatus obstruit.

16. *Il-*

16. *Illustris quóque est Lazuli lapis cœruleus átque aureis maculis intertextus.* Cœruleus hic color provenit à tinctura ſucci, communi cum Saphiro, quem etiam in colore imitatur, aureæ autem illæ maculæ, à particulis ejuſdem ſucci, flavo colore ex tranſitu per fibras terræ, tinctis. 2. *Colorem in igne non ponit, cum tamen lapis Armenius, huic perſimilis conſtantem in igne colorem non ſervet.* Ob majorem ſcilicet duritiem, magîſque exquiſitum partium plexum, in quibus lapis Armenius illi multùm cedit. 3. *Ex illo tinctura cœleſtis, quæ vulgò Vltromarina dicitur, auro ptetioſior, educitur. Sic enim in primigenium illum colorem, quo ſuccus ille ex quo concrevit tinctus erat, reſolvitur.* 4. *Armenius quóque lapis cœruleum colorem præbet, quò tamen ſenſim in viridem degenerat.* Nempe quia ejus tinctura flavedine quóque conſtat. Nam ut jam dictum eſt, viridis color fit ex cœruleo & flavo, éſtque medius hos inter duos colores.

§. VIII.

De varijs Proprietatibus, variorum Lapidum.

ÆTides 1. *in ignem poſitus nihil amittit.* Ob innatam ſibi duritiem, & ſiccitatem, igne enim nihil uritur, niſi à quo per ignem humidum poteſt educi, non etiam incineratur quidpiam niſi quod inflammeſcit, non inflammeſcit autem aliquid, niſi ſit oleoſum, pingvedinémque & aërem in ſe contineat. 2. *Exiſtimatur communiter eſſe prægnans, eò quod ſi concutiatur, plures in eo ſonare lapilli videantur.* Lapilli hi qui in eo continentur, non generantur ab illo, ſed concreſcunt ex marga vel terra pingvi quam is in ſe continet, qui deinde cortice ſiliceo obducti, incluſi manent velut in matrice. 3. *In nidis Aquilarum invenitur.* Aquilæ hos lapides nidis reponunt, ſive ut ſerpentes, & venenatos animantes fugent, ſive ut faciliùs ova parturiant, nam & aliàs fæminis applicatus partum accelerare creditur. 4. *Marga illa vel terra pingvior, quâ Ætides quaſi prægnans invenitur, terrâ ſigillatâ vix habetur inferior.* Eosdem enim ferè effectus in morbis curandis præſtat.

2. *Bezoar Lapis præ cæteris inſignior eſt, & viribus planè admirabilis quoad rem medicam: Nam adverſus venena præſentiſſimum remedium eſt, uti & contra peſtem, & morbos penè omnes qui cor ipſum invadunt, vel ex putredine oriuntur; vermes enecat, quartanæ, & morbo comitiali medetur.* Lapis hic in Caprarum Indicarum & Perſicarum ventriculis invenitur, concreſcit autem is ex humore viſcoſo ſaluberrimarum herbarum, quibus capræ illæ veſcuntur, tunicatim & quaſi per membranulas, hinc ſæpè in ipſo quaſi lapidis centro herbæ ſuaviſſimum odorem afflantes reperiuntur, ex quibus tantæ huic Lapidi vires.

3. Bo-

3. *Borax seu Batrachites alias Lapis Bufonius dicitur.* Eò quod in capite Bufonis reperiatur. 2. *Est stellatæ vel Hæmisphæricæ figuræ, coloris varij, potissimùm tamen cinerei, vel subnigri, aut obscuris maculis distincti.* Ratio figuræ & coloris hujus quóque lapidis deducitur ex jam sæpiùs repetitis principijs. Figura itáque illius desumitur à situ loci in quo generatur. Color verò à materia nimium terrea. 4. *Coram veneno sudare dicitur. Idem narratur de lapide qui serpentis ovum appellatur, qui tamen reipsa nihil aliud est, quàm ovum testudinis in lapidem commutatum.* Nil mirum si Gemmæ quædam venenis admotæ exsudare videantur; cùm id commune sit omni lapidi terso & frigido, ut aëri calidiori expositus humescat: Nam hi spiritus vel halitus calidi, occursu corporis frigidi condensantur, átque in aquam solvuntur.

5. *Boraci similis est Lapis Chelidonius nisi quòd mole minor sit.* Falsò hunc putant aliqui ex Hirundinibus extrahi, credibiliùs itáque est hos lapillos ab Hirundinibus in nidos deportari, ut beneficio eorum oculos pullorum curent; nam si horum oculos acu confixeris futurum quidam ajunt, ut ope dictorum lapillorum matres pullis visum restituant.

6. Per hoc tamen non negatur varios lapides in varijs animalibus nasci & generari. Sic enim generatur in veteri Gallo gallinaceo, *Lapis Alectorius*, in Palumbellis, *Palumbellarum lapis*, in piscibus *Lapis Carpionum, Tuberonum & Percæ.* In Insectis, *oculus Cancri & Margaritæ.* In Homine *Lapis Fellis, Vesicæ, & Renum.* In Bruto Quadrupede, *Bezoar, Bufonius, lapis porcinus Dracontias & Asininus.* In insecto *Limacius.* Animalia quóque quæ *Zybethi* vocantur, lapidem producunt, seu potiùs liquorem, quin in lachrymam induratus, preciosum odorem, quem *Zybethum* vocant, profert.

7. *Thracius iapis aquâ accenditur, restinguitur oleo.* Videtur hic esse *Gagatis* species qui quoad hunc effectum ejusdem est proprietatis, cujus causas dum de eo ageremus, assignavimus.

8. *De Nympho lapide tradit Plinius, ex illo flammam erumpere, quæ fluentibus desuper aquis, fluvij instar accenditur.* Id evenit ob Antiperistasim; sic enim partes ignis refugientes aquam, se magis intendunt; aut etiam tenuiores partes aquæ in se convertunt, ut fit dum fabri ferrarij carbonibus instillant aquam.

9. *In Carthagiensium ditione in monte Gonio est petra, quæ per æstatem flammam igneam, per hymnem verò aquam emittit.* Petra hæc est ex Genere Lapidum seu terrarum ignivomarum, in medio alicujus meatus subterranei situata, per quem tempore hyemis accedente majore humorum copia, aqua venam suam sequendo naturaliter profluit, vimque ignis superando eundem extingvit, ac rursus diminutis humoribus profluere desinit, lapidémque nativo suo ardori restituit.

10. *Py-*

10. *Pyrites Lapis Persicus, si vehementiùs prematur, manum tenentis adurit.* Plurimum enim ignis in se continet, unde facilè etiam scintillas emittit.

11. *Lithantrax Lapis, in certis partibus Belgij, Saxoniæ, Scotiæ & Italiæ lignorum vices subit, vehitur in urbes átque loco lignorum venditur, focísque instruendis inservit.* Lapides hi, massæ quædam sunt bituminosæ, sulphure permixtæ, hinc majoris efficaciæ ignem, quàm ulla ligna efficiunt.

Coronidem his imponat Lapis Bononiensis, qui solis radijs priùs expositus, lucem concipit, ac conceptam postea in tenebris fundit. Nempe quia in poros suos, subtilissimum vaporem aëris, lumine perfusum recipit vel rectiùs attrahit, eundémque postea ob innatam sibi frigiditatem magis constringit, arctèque cum proprijs particulis tenuioribus, & ob salnitri copiam relucentibus magísque perspicuis, copulat, átque sic in unum corpus coalescere facit.

§. IX.

De Lapidum pretiosorum virtutibus ac viribus, quæ illis verò aut falsò adscribuntur.

Plurima fabulas sapiunt, quæ de virtutibus & viribus Gemmarum, ac Lapidum, à nonnullis authoribus scribuntur, & passim à vulgo temerè creduntur, aliqua tamen ex ijs experientiâ comprobantur, & ratione quóque consentanea sunt. Neque enim audiendi sunt, qui negant pretiosos lapides & Gemmas, demptâ venustate quidpiam utilitatis habere; cùm enim Gemmæ ac Lapides varijs constent qualitatibus, tam primis, quàm secundis, tingantúrque sæpè metallicis spiritibus, ac diversis misceantur mineralibus corpusculis, aliqui verò illorum concrescant, ex glebis terræ vi medicâ pollentibus, & in animalibus generentur, vel ex Herbarum Aromaticarum medicinaliúmque succo, vel aliarum rerum miscellanijs, temerarium esset, omnem omninò virtutem, & medicam præsertim, ijs denegare. Ut igitur ultra à falsis discernantur, in particulari eorundem tam veras & verosimiles, quàm fictas & putatitias virtutes, ac vires adnotabimus, ordinem alphabeticum servando. Primò igitur

Adamas. Ut principatum tenet inter pretiosos lapides, ita maximè fabulosis dives est virtutibus. Earum decem enumeravimus cum de Adamante ageremus. Utrum autem Adamas tritus sit venenum, affirmant ferè omnes; hoc si ita est, ex eo accidit quòd scobs Adamantis, affrictu suo, intestina pauló acriùs vellicet, ac

 lædat

lædat, ita ut nunquam digeri possit: constat tamen experientiâ Adamantes integros, ab aliquibus devoratos, nil nocumenti ijs attulisse, fortassis quia integri, non ita adhærere possunt visceribus, ut in pulveres contriti.

Ætides. Brachijs puerperarum alligatus, fœtum retinet; femori verò appositus, partum accelerat: pars ejus interior febres malignas, dissenterias, venenatos denique morbos, ne peste quidem exceptâ superat.

Achates. Putatur contra Aranearum & Scorpionum ictus prodesse: febricitantium æstus sedat, oculis prodesse dicitur: fabulosum autem est, quod suffitu illius tempestates avertantur, & fulmina sistantur, aut quòd (si unius coloris sit) invictos Athletas faciat.

Alabastrum. In pulveres contritum, atque unius scrupuli pondere, unà cum lacte haustum, magnum habet dissenterijs remedium: Ustum & resinæ mixtum, duritiem resolvit: cera verò mixtum, stomachi dolores sedat. *Alectorius* sitim restingvit, sed qui victoriam eum impartiri scribunt, nugantur.

Amethistus ebrietatem putatur impedire. Forte quia vini colorem imitatur. Quòd autem industrios, vigilantes & fortunatos efficiat eos qui illum gestant, mera superstitio est.

Asterides. Adversùs pestem & venenatos morbos, plurimùm valere dicitur: Vermes quoque enecat: sangvinem expurgare perhibetur, ac variolis etiam mederi, pueris alligatus. *Aceto immersus hic lapis sponte sua hinc inde se movet.* Sive quia illius spiritus aceti acrimoniâ incitantur; sive quòd humor linearum ductus excavatos subeat, atque aër dum exitum quærit, lapidem exagitet.

Bolomnites. A plerisque medicis calculo comminuendo adhibetur: ejusdem pulvis vulnera curat. Quòd autem nocturnis phantasmatibus dicatur resistere, id sine ratione eidem tribuitur.

Beryllus. In pulveres tritus ulceribus oculorum medetur: Vitia hepatis corrigit: id verò quòd ab inimicorum insidijs tutos reddat, aut animos illum gestantium inter se conciliet, falsò de illo prædicatur.

Bezoar. Præterquam quod venenum prodat, illudque debilitet, vermes enecat: quartanæ & comitiali morbo medetur.

Calcedonius. Atræ bili & melancholicis affectibus mederi dicitur. At quòd timorem pellat, & gestantem animosum faciat, id sine ratione de eo confingitur.

Carbunculus sive Rubinus. Exiguarum virium est in ordine ad medicinales effectus, suâ pulchritudine contentus, nisi fortè quod illius pulvis venenatos morbos depellat. At verò quòd libidinem coerceat, animum exhilaret, ad iram concitet, somnium minuat, infortunio instante colorem mutet, aniles fabulæ sunt.

Chelidonius. Omnes oculorum dolores amoliri putatur, si globulo aureo, vel è collo pensilis gestetur.

Chrysoprasus vel Chrysolithus. Mirum in modum oculos recreat, sed quòd nocturnos terrores tollat, arbitrariè illi adscribitur.

Dracontias. Magnam vim contra omnium venenorum genera habet.

Gagates.

Gagates. Diatericâ facultate pollet, ejus suffitus Epilepticis prodest, pulveres verò vermiculos, qui verno tempore vites arrodunt, enecat.

Glossopetra. Valet contra venena, & adstringendi vi pollet.

Hæmatides. Erumpentem sangvinem inhibet.

Hyacinthus. Pesti resistit, cor corroborat. An autem somnium conciliet vel alacritatem animi addat, illud dubium, hoc verò fabulosum est.

Jaspis. Collo appensus sangvinem sistit, stomachum corroborat, hydropim & febres quæ ex debili concoctione oriuntur, arcet. Epilepticis, calculosisque prodest. Quòd verò invisibilem eum à quo gestatur reddat, futilis & anilis fabula est.

Lazulus. Sedat podagræ dolores, & febres quartenas depellit.

Nephreticus Lapis. Brachio gestatus, arenulas & minores calculos promovet, sciaticam curare dicitur.

Onyx. Valet contra Epilepsiam: admotus oculis si quid sordium vel pulveris inciderit abstergit: verùm qui eum tristitiam aut terrores inducere, aut litigantibus victoriam conferre, vel gestantibus opes largiri asserunt, repudiandi sunt omnino.

Opalus. Omnium Gemmarum vires in se continet, córque recreat ac corroborat.

Prasius. Coram veneno colorem amittit.

Saphyrus. In pulverem contritus, oculos nimio humore diffluentes exsiccat, inflammationes temperat, una cum lacte potus febres malignas & venenatas nec non interiora curat ulcera; Lapis ipse vel fronti admotus, sangvinem è naribus erumpentem sistit. At qui putant eum pudicitiam conferre & libidinem sedare, rationem prius hujus effectûs assignare debent, quàm ut ijs credatur.

Sardius & Sardonyx. Malignæ febri prodest, sangvinem mirificè sistit. Ejus pulvis austero vino infusus adversùs dissenteriam, & humorum corruptionem præscribitur. Quòd verò hæ Gemmæ, animum exhilarent, libidinum æstus temperent, fascinos amoliantur, nova sunt somnia ac figmenta.

Topazius. Sangvinis fluxui prodest. *Tophus.* Podagram sedat. *Turcois sive Turchesia.* Ad capitis oculorúmque curam adhibetur. Ast quod infortunia avertat, fictitium est.

§. X.

De Unionibus, & Margaritis, ac fictitijs Gemmis.

UNionum & Margaritarum origo & genitura est ex conchis. Hæc enim certo tempore, sese pandentes ad radios solis, roris stillas ad se attrahunt, indéque roscido hoc conceptu gravidæ, eundem postea maturum enituntur, unde Uniones & Margaritæ juxta Plinium non sunt aliud quàm partus concharum.

2. *Aliæ alijs majori candore pollent.* Pro qualitate scilicet roris accepti; qui si purus sit, candidiores, si verò turbidus, sordidiores, ex eo Margaritæ generantur. 3. *In aqua molles sunt, extra durescunt, ubi eviscerati fuerint.* Aëre & Sole humiditatem eorum extrahente. 4. *Excrescunt, aliquando in nucis juglandis magnitudinem.* Quanto enim grandior concha est annosiórque, eò pro majori capacitate illius majores uniones generantur. 5. *Flavescunt rugisque torpescunt in senecta.* Deficiente nimirum paulatim nativo vigore. 6. *Aliquando conchis ipsis adhærescunt, nec ab ijs avelli queunt nisi limâ.* Negant aliqui has esse veras Margaritas, sed esse potiùs conchæ verrucas, utpote quæ conchylis magis habeant, quàm Margaritæ naturam. 7. *Summum aliquorum unionum est pretium.* Nullum tamen majus quàm duo illi quos possedit Cleopatra, quorum singuli valuêre 250. millia aureorum. Valor autem & pretium omne illorum desumitur à candore magnitudine, rotunditate, lævore & pondere. 8. *Usu atteruntur, colorémque indiligentiâ mutant.* Ob eandem rationem ob quam in senecta eos flavescere diximus. 9. *Perpurgantur tamen à peritis.* Varia enim quasi cute constant, unde tenuiter detersa primâ pelliculâ, reliquis suus nitor manet. 10. *In acetum injecti resolvuntur.* Acrimoniâ scilicet ejusdem, poros unionis subintrante & partium nexum dissolvente. 11. *Aliquando extra ipsas conchas reperiuntur.* Sæpe siquidem jam maturæ, è conchis effunduntur, ut alijs efformandis detur locus. 12. *Aliæ ex Margaritis sunt clariores, aliæ nebulâ quasi aliquâ obfuscantur.* Ille enim ex rore sereno, hæ nubiloso cœlo attracto generantur.

Ut veræ gemmæ à falsis & fictitijs discernantur, ostendendi sunt modi, quibus hæ, vel artificiosè conficiuntur, vel adulterantur. Primò igitur impostores & gemmarum fictores, inferiorem lapidis portionem, quæ annulo conditur multis superficiebus incidunt, sic enim fit ut ex multiplici superficierum refractione, notabiliter major gemma appareat, quàm reipsâ sit. 2. Ejusdem inferiori parti vitrum aut crystallum supponunt absque ullo glutino vel colore, sic enim adhuc magis lapidis apparens magnitudo augetur. 3. Sæpe duos lapides Mastiche committunt, ut mole ampliores, & consequenter majoris pretij habeantur. 4. Sæpe gemmas perforant, & colore illustri vacuum spatiolum complent, ut sic majorem splendorem habere videantur. 5. Si verò in hac conjunctione vitrum aut crystallus eodem colore tingatur, cujus est gemma, tunc non solùm major sed etiam coloratior ea apparet. 6. Coloratiores etiam gemmæ redduntur, dum illorum pars inferior, colore perspicuo illinitur, ac deinde bractea splendens eisdem imponitur. 7. Nobilissimus autem succus gemmarum est, cùm Crystallus aut Pseudo-Adamas, aliavè gemma colore vacans & diaphana, in aqua aliqua colorata maceratur, vel in igne, aliovè modo ita tingitur, ut corpus gemmæ intrinsecus colorem perspicuum suscipiat, tales autem modi tingendi sunt complures, iisque noti gemmariis. 8. Certæ gemmæ coloratæ ut Saphyrus, Topazius, & Amethistus si illorum color auferatur, (quod fieri solet per certas artes) Adamantem mentiuntur. 9. Gemmæ fictitiæ, veris satis similes fiunt ex Crystallo & Topazio, silicibus, aliisque mollibus gemmis, vel ex nobiliori vitro, metallicisque corporibus, aut ex illo-

illorum commixtione, si ex ijsdem fiat juxta artem (quam inter alios tradit. *Alexius Pedemontanus*) præparata massa, eáque vario, pro varietate gemmarum tingatur colore. 10. Pseudo-Adamantes Bohemicos & Hungaricos, sola supposita bractea aurea vel argentea in diversarum gemmarum apparentiam transmutat. Eadem est ratio & de Topazijs & Beryllis. Nam si Bractea aurea colore rubro fuerit tincta, pulcherrimi coloris *Rubinum* exhibebit: si bractea argentea fuerit tincta colore viridi *Smaragdum*, si cœruleo *Saphyrum*, átque hoc pacto pro bracteæ coloratæ conditione *Amethistos*, *Hyacinthos*, *Chrysolithos*, aliásve gemmas pulcherrimas repræsentabit. 11. Margaritæ estò difficiliùs adulterentur quàm aliæ gemmæ, his tamen etiam succus solet induci. Nonnulli siquidem ex pulvere concharum, alij ex creta orbiculos formant, quos posteaargenteis folijs obducunt, ac obductos albumine ovi humectant, ac siccari sinunt, ut magaritæ videantur. 12. Discernuntur autem spuriæ ac adulteræ gemmæ à sinceris & genuinis, quòd illæ, his graviores sint, nec limam sustineant, néque illum gemmis insitum splendorem vibrent, facilè quóque pelliculam contrahant, quæ elui non potest; si quid etiam pingvedinis veris lapidibus adhærescat, non ægrè abstergitur, non item in vitris gemmam mentientibus; in quibus præterea bullæ quóque vehementiâ ignis formantur, quæ fraudem ipsam produnt: tradunt insuper aliqui vitreas gemmas tactu lingvæ tepidiores percipi, quàm veros lapides. Plura adhuc hîc essent annotanda, sed ob brevitatem quam in præsenti sectamur, hæc de lapidibus ac gemmis disseruisse sufficiat.



DISSERTATIO SEXTA PHYSICA.

DE PESTE.

QUæri poteſt 1, Quid ſit Peſtis? Reſp. Peſtis eſt morbus popularis, contagioſus, & Venenatus, venenatâ ſua qualitate omnes quidem corporis Spiritus, principaliter tamen à Corde dependentes, átque ipſum quóque cor lædens & afficiens.

Quæri poteſt 2. Quotuplex ſit peſtis? Reſp. Varias quidem eſſe peſtis ſpecies; in ordine tamen ad propoſitum hîc dicendorum, ſtatuitur eſſe duplex. Nempe una quæ eſt ex aëris corruptione, alia verò, quæ contrahitnr per contagionem.

Quæri poteſt 3, Unde oritur corruptio peſtifera aëris? Reſp. Eam oriri varijs, & pluribus omnino, ex cauſis. 1. Ex putridis, paludoſis, & cœnoſis vaporibus per calorem à Sole in aërem elevatis. *Hinc loca paludoſa inſalubria.* 2. Ex Effluvijs cadaverum humanorum & brutorum, maximè ex maligno pabulo mortuorum. *Inde poſt funeſta bella & cruenta prælia, peſtémque brutorum, humanæ peſtis frequens ſubſecutio.* 3. Ex maligna mineralium Spirituum exhalatione. Unde *ubi minerarum mineraliúmque* aquarum *abundantia, tanta hominum deformitas, corporúmque defectus, ac invaletudo.* 4. Ex Locuſtarum, aliorumque inſectorum venenatorum putrefactione; ut Africæ contigit Paulo Oſorio Lib. 4. teſte. In Gallia quóque ex eadem cauſa anno 864. peſtis accidit. Anno ſimiliter à Chriſto nato 900. ex vermibus à pulvere ortis, ac deinde corruptis, peſtis originem traxit. 5. Ex antrorum & ſpecuum ſubterraneorum maligna diſpoſitione, quæ peſtiferis & Virulentis vaporibus ſcatent, & vel per rimas exhalant, vel per terræ motus diſrumpuntur. 6. Ex Draconum halitu vel fœtore peſtilenti, uti contigit anno circiter. 590. cum adeo Tyberis excreviſſet ut Urbis mœnia ſuperaſſet, quo tempore à Dracone cum alijs parvulis Draconibus extra flumen relicto, in tantùm vitiatus eſt aër, ut inde peſtis Inquinaria appellata initium habuerit. 7. Ex influxu Aſtrorum maligno. 8. A cometarum aliorúmque Meteoricorum corporum exnocivis humoribus conflatorum, diſſolutione. 9. Ex humiditate ſuperflua & caliditate extranea, eáque nimiâ. 10. Demum ab exhalationibus Latrinorum, Cœmeteriorum, Barathrorum, & uno verbo complectar, omnium rerum putridarum, & ſi magis ab una, quàm ab altera, prout majorem, in ſe habuerit putredinem. Inficitur præterea quandóque aër purus ab alio aëre diu in aliquo loco incluſo & pu-

tre-

trefacto, uti accidit tempore Antonini Pij, anno 192. ex apertione ab Imperatoris militibus diu clausi Sepulchri, ex quo adeò infecta & venenata evaporatio exijt, ut inde inquinatus aër, gravissimæ pestis causa esset.

Quæritur 4. Utrum revera pestis sit morbus contagiosus? Resp. Affirmativè. Habetur id 1. à quotidiana Experientia. 2. à pari: Lepra, Scabies, Morbus Gallicus, aliæque his similes infirmitates ex putredine & veneno originem suam trahentes sunt contagiosæ, ergo & pestis; & quidem à fortiori cum plus veneni & malignitatis, putredinisque in se habeat. 3. A causis contagij, quæ sunt putrefactio, & corruptio humorum, sordes, fœtor & inquinamenta aëris, hæc autem omnia in peste reperiuntur. Ergò &c.

Quæri potest 5. Quomodo ex aëris corruptione pestifera, contrahatur pestis? Resp. Id fieri per attractionem aëris veneno infecti cum spiramus & respiramus, sunt enim in aëre pestifero corpuscula quædam invisibilia, aut spirabiles quædam mixti portiunculæ, quæ ejusdem cum toto proprietatis & naturæ sunt, & longè latéque distrahuntur, quæ ubi per inspirationem, fuerint suscepta, cor infestant, & Spiritus opprimunt

Præterea ab ijsdem corpusculis ex aëre cum rore aut alio modo descendentibus in tantum intoxicantur radices, herbæ, flores, arbores frugiferæ, ut hominibus ijsdem cibi loco utentibus, causa corruptionis partium vitalium & ex inde enati contagij necessariò fiat.

Quæri potest 6. Quomodo per contagionem contrahatur pestis. Resp. id dupliciter contingere. 1. Afflatu, cum pestiferum halitum, affecti peste vehementiùs afflant, & qui circa ipsum sunt eundem hauriunt. 2. Contactu & affrictu, cum infectorum, sive vestimenta, sive supellex, contrectantur, in quibus virus pestiferum latitat.

Quæri potest 7. Quomodo per contactum ipsum contrahatur pestis? Resp. In rebus à pestiferis attactis remanere, qualitates v. g. per sudorem aut alio modo impressas aut partes aëris pestiferi inclusas, quæ cum viscosæ naturæ sint facilè res tales attrectantibus, adhærent, seséque per poros in corpus insinuant, sangvinémque intoxicant, unde pestifera symptomata consequuntur.

Quæri potest 8. Quomodo pestis non omnes indifferenter corripiat? Resp. Hoc fieri ex diversitate temperamenti siquidem non omnes habeant eundem ad hoc virus suscipiendum fomitem & dispositionem.

Quæri potest 9. Quænam sint signa futuræ pestis? Resp. Esse multiplicia. Cujusmodi sunt: Animalium nocivorum & insectorum venenatorum multitudo, Serpentum & Ranarum peregrinæ formæ, & præcipuè bufonum copia & nimia magnitudo, multæ locustarum Myriades, præsertim flavum & subviridem colorem referentes, Febrium malignarum præcursus. Aranearum, vesparum muscarúmque venenatarum integra examina, aspectus maligni Planetarum cujusmodi ex g. est Saturni & Martis conjunctio in signo Aquarij: Quatuor partium anni à naturali suâ constitutione dissensio. Ut si Ver in se calidum & humidum è contra-

rio fiat frigidum & ſiccum, Æſtas Jure ſuo calida & ſicca fiat frigida & humida. Autumnus naturâ ſua frigidus & ſiccus, fit Juſtò calidior & humidior, Hyems humida & frigida fit calida & ſicca: Pluviæ portentoſæ, & exundationes extraordinariæ. Avium exanimatarum vel etiam piſcium magnus numerus: pecorum quóque luem & peſtem, ſæpe hominum ſubſequitur peſtis.

Quæri poteſt 10. Quænam ſint ſigna jam peſte infecti aëris? Reſp. Ex multis eſſe etiam hæc ſubſequentia. 1. Si panis ſiligeneus ex clibano adhuc calidus loco aperto aëri integra nocte exponatur, & poſtero die totus mucidus reperiatur. 2. Si idem panis projectus gallinæ vel cani, ab ijsdem utpote jam virulenta qualitate afflatus, non attingatur, vel devoratus mortem continuè ijſdem cauſet.

3. Si omnia tabulata murorum, lectiſternia, menſas, præter ſolitum humectata reperias. 4. Si carnes, panes, ova, poma, talem mucorem vermibus ſcatentem conceperint, qualem in locis ſubterraneis, & putrido aëre infectis, dictæ res concipiunt. 5. Si Ciconiæ & hirundines nidos ſuos puriorem aërem quærentes aliò ſe transferant.

Quæri poteſt 11. Quænam ſint ſigna peſtis jam contractæ? Reſp. Eſſe ſequentia: Horror, & frigus partium externarum, internè verò calor præter naturalis, ſpurius ac peregrinus. 2. Sitis inexplicabilis. 3. Gravitas totius corporis & laſſitudo membrorum. 4. Dolor capitis. 5. Inſomnia, & vigiliæ immoderatæ. 6. Delirium. 7. Oculorum caligo. 8. Difficilis reſpiratio. 9. Cordis anxietas, & ſudoris frigidi profuſio. 10. Animi deliquia. 11. Dolor punctorius cordis & laterum. 12. Vomitiones crebræ. 13. Pulſus velox, turbulentus, & interruptus.

Quæri poteſt 12. Quænam ſint ſigna convaleſcentiæ ex peſte? Reſp. Communiter hæc à probatiſſimis Medicis obſervari. 1. Eſt virtus firma, mediante ſudore largo, & uberrimè ex corde promanente, ulcus peſtiferum illicò excludens. 2. Alexipharmacorum, nec non cibi potúsque retentio. 3. Bubones à regione cordis longe remoti. 4. Mens ſibi conſtans nullóque delirio interrupta. 5. Vigens appetitus. 6. Color corporis æqualis. 7. Lenis Spiratio. 8. Somnus legitimus. 9. Cor liberum 10. Lingua humectata.

Quæri poteſt 13. Quænam ſint peſtis indicia lethiferæ? Reſp. Eſſe hæc 1. Sangvinis in morbi principio ex ore, naribus, veſica, urina, aut ex ſudore profuſus. 2. Ingeſtorum medicamentorum, item cibi potúsque vomitus repetitus. 3. Ulcerum peſtiferorum ſive Bubonum abſentia, aut eorundem ſubita evaneſcentia & maturationis fruſtratio. 4. Carbunculi minutati nigri vel virides aperti loco puris, ſpumam emittentes, ſiccitatem & lividum colorem in circumferentia habentes, eorundémque ſubſidentia & durities. 5. Carbunculi ſituatio ſive eruptio in partibus delicatioribus, vel magis à ſpiritibus cordialibus dependentibus ut ſi v. g. erumpunt ſub mento, in gutture, ventriculo, aut è regione pectoris, aut in parte cordi vicina. 6. Continuus Sopor. 7. Venter ſubtumefactus cum delirio. 8. Corpus colore cæruleo tinctum. 9. Puſtulæ, nigræ, lividæ, cœruleæ, ſubſidentes & intro remeantes. 10. Inſomnia tubulenta. 11. Atræ materiæ egeſtio. 12. Bubo-

Bubonum in principio color lividus & plumbeus, atroruber, violaceus, fuſcus. 13. Alvi conſtipatio. 14. Præcordia tumefacta, aut multo venarum pulſu & dolore inquietata.

Quæri poteſt 14. An ſola imaginatione peſtis poſſit contrahi? Reſp. Negativè. Aliàs enim ſequeretur hominem in quantumvis ſaluberrimo aëre conſtitutum nulla peſtis vicinæ ſuſpicione, ſola imaginatione ex horrore peſtis ſibi tantum malum procreare poſſe. Deinde ſi à ſola imaginatione peſtis dependeret non eſſet ratio cur in cadavere peſte mortui hominis (utpote decedente jam vi imaginativa,) proprietates, mirique effectus peſtis exiſterent. Demum peſtem non in ſola phantaſia eſſe, innumera ſymptomata variique & tam diſpares effectus peſtiferæ luis ſatis docent, qui cum valde diverſi ſint in diverſis peſtiferis, Imaginativa autem potentia ſit unica tantùm ſpecie in omnibus, ad ſolam phantaſiam referri nullo modo poſſunt. Negandum tamen non eſt, imaginationem, & timorem de contrahenda peſte diſponere plurimùm, ad ejus realem contractionem. Sola igitur imaginativa facultas non eſt effectrix peſtis, licèt dici poſſit quandóque concauſa concomitans, diſponendo ſcilicet ſubjectum ad faciliùs, qualitatem peſtiferam ſuſcipiendam, & reddendo illud minus valens reſiſtere, viribus qualitati illi malignæ.

Quæri poteſt 15, Utrum peſtis ex loco infecto in alium non infectum, ventorum impulſu deferri poſſit. Reſp. Affirmativè, patet id ex plurimis exemplis, & ratio etiam ipſa dictat, partes enim aëris infecti motæ vi ventorum inficiunt alias partes purioris aëris, & hæ jam à prioribus infectæ iterum alias, átque ſic per continuam propagationem de uno loco ad alium tranſeunt.

Quæri poteſt 16. Cur in maritimis Urbibus plerúmque peſtis dominetur. Reſp. Id provenire ex putrefactione piſcium oſtreorúmque, affluxu maris in littus conjectorum, & defluxu ejusdem in ſicco hærentium.

Quæri poteſt 17. Cur tam frequens támque dira peſtis ſoleat eſſe in Ægypto? Reſp. Hujus rei eandem eſſe cauſam. Nilus enim qui vehementiſſime exundat & Ægyptum inundat, maximam piſcium & Crocodilorum cœterorúmque monſtrorum multitudinem ſecum in campos limoſos devehit, quæ deficiente exundatione, putrefacta, aërem inficiunt, ſícque peſtis frequentiam Regioni conciliat.

Quæri poteſt 18. Cur in America peſtis indigenis ſolis ſit lethalis, advenis autem præſertim Europæis, innoxia? Reſp. Quia in illis invenit temperamentum ſibi ſimile, in his verò diſſimile. Nam ut Hippocrates docet. Ex quibus vivimus, ex ijsdem infirmamur, cum igitur alimenta Americæ Indigenarum ſint prorſus diverſa ab alimentis Europæorum, neceſſe eſt, ut etiam temperamenta prorſus haveant diverſa. Et rurſus quia Americana illa peſtis ortum ſuum, (remotè ſaltem) ducit ex illis ipſis Americæ alimentis, inde conſequens eſt ut etiam habeat ſimilitudinem cum temperamento Americæ indigenarum, & diſſimilitudinem, cum temperamento Europæorum. Atqui peſtis maximè inclinat ad temperamentum ſibi ſimile, & fugit diſſimile. Ergò.

Quæri poteſt 10, Cur certæ peſtes Solos pueros, Virgines, & gravidas mulieres

res corripiant. Resp. Hujus Unicam Causam esse humidum temperamentum, quo nihil pesti contrahendæ magis est consentaneum.

Quæri potest 20. Quæ nam res sint per quas contagia pestifera propagari possint & soleant? Resp. Omnes fere res esse capaces ad recipiendas qualitates, eásque in genus humanum propagandas; Uti sunt res lineæ, vestes, pelles, tapetes, lecti, reliquáque domestica suppellex, etsi una magis, quàm altera. Quin & animalia familiaria, intra Domûs infectæ latibula latentia, uti sunt canes, feles, columbæ, gallinæ, reliquáque his similia. Merces item ex pestifero loco importatæ: Propagari insuper contagium hoc potest, per Medicos Infectorum labe pestiferâ, liberè pulsum tangentes; quin & per Chyrurgos illis instrumentis, quibus ulcera pestiferorum secabant, in sanis corporibus, (etiam post multos annos,) utentes.

Quæri potest 21. An etiam ex comestione fructuum qui in locis pestiferis aut eisdem vicinis creverunt, pestis contrahi possit? Resp. Affirmativè. Fieri siquidem potest ut exhalatione putrida pestiferorum corporum effluvia aëri commissa & in obvias arbores etiam remotiores dissitas depulsa, fructus funesta sua proprietate ita imbuant, per poros eorum se intro insinuando, ut qui eosdem commederit, simili virulentâ qualitate inficiatur.

Quæri potest 22. Utrum pestis non tantùm gustu & tactu, sed & olfactu contrahi possit? Resp. Affirmativè. Sicut enim odoratus qualitates odoriferas attrahendo animam & corpus reficit, recreat, & roborat, ita attrahendo effluvia corpusculorum pestifero fœtore imbutorum corpus ipsum vitiat.

Quæri potest 23. An etiam contrahi possit pestis per visum? Resp. Visu solo contagionem hanc contrahi non posse, nisi forte per modum fascini, quemadmodum enim Lippi vitiatos humores per radios visuales evibrando obvios inquinant, ita & pestiferum hominem solo oculorum intuitu alium contaminare posse, nullum potest esse dubium.

Quæri potest 24. An non & auditu attrahi possit pestis? Si auditus accipiatur pro organo ipso acustico, posse contrahi pestem per auditum, non item si accipiatur pro effectu dicti organi, in quantum scilicet sonus per illud efformatur. Et ratio primi est. Quia si pestifer halitus vel aër aurium concavitatibus se altiùs insinuet, æquè potest contagione suâ partes illas corporis inficere ac si se insinuaret alijs corporis partibus.

Quæri potest 25. Quanto tempore pestis se conservare possit, in rebus infectis seu in fomite? Resp. Multò longiori tempore eam conservari in rebus inanimatis, quàm animatis, & in illis rursus diutius, si serventur in locis humidis, & occlusis, quàm si serventur in siccis, & liberæ auræ expositis.

Quæri potest 26. Cur de peste suspectis ut plurimum 40. dierum separatio à Communi consortio hominum præscribatur? Resp. Quia multorum Sæculorum observatione notatum est, venenum pestiferum circa horum dierum spatium consumi, ac destrui; Ad hoc tamen requiritur ut in 40. dierum separati-

ratione, suspecti, ut plurimùm libero aëre fruantur, indusia & vestes frequentiùs mutent, & Diætam debitam servent.

Quæri potest 27. Cur pestis effluvium faciliùs superiora, quam inferiora loca inficiat? Resp. Quia vapor pestifer ob levitatem tenacitatémque ex se, & sua naturâ sursum fertur, non è contra.

Quæri potest 28. Quodnam tempus pesti sit maximè expositum? Resp. Pestilentiam plerúmque in fine æstatis, & autumno accidere. Cujus ratio est. Quia his temporibus eadem die modò calor, modò frigus dominatur, per quas mutuas alterationes, humores quóque corporis alterantur, & ad contagionem malignam, faciliùs suscipiendam disponuntur. 2. Quia in æstate plurimi humores adusti generantur, propter quam adustionem ultimatè malefici evadunt. 3. Quia humores qui altâ æstate ad cutim vi caloris movebantur, ejusdémque perspiratu digerebantur. in autumno, & fine æstatis ab ambientis aëris frigore, quasi per Antiperistasin repelluntur, átque in interiores partes se recipere coguntur. His accedit major hoc tempore copia fructuum, quibus abundè repleti præsertim qui corruptibiliores naturâ existunt, facilè malorum & putrescibilium humorum copiam colligunt, átque inde cœteris concurrentibus pesti commodum dant initium vel progressus.

Quæri potest 29. Cur pestis soleat cessare summo caloris æstivi incremento, aut frigoris hyberni maximo augmento? Resp. Quia per summum calorem consumitur humidum illud, ex quo pestifera fœtura alitur. Frigore verò penitus exanimatur. Sciendum est enim qualitates illas pestiferas plerásque animatas esse in forma insensibilium vermiculorum, uti ingeniosissimè observavit Kircherus.

Quæri potest 30. Quænam sint Antidota pestis præservativa? Resp. Varia Antidota pestis præservativa præscribi à Medicis, præcipua tamen esse sequentia. 1. Ut aër præservetur ab infectionibus malignis & corruptione, vel jam corruptus & infectus corrigatur, & purificetur, quod commodissimum fit per ignem & flammam sic Gallenus pestem à Thesalis accensis sylvis depulit, quarum flamma aërem à pestiferis quisquilijs expurgavit. Hinc patet incensis rogis in locis publicis, & amplis, ex ligno abietino, quercino, aut junipero factis, aërem corrigere, maximè proficuum esse. Juvat etiam ad depurationem aëris majorum tormentorum frequens explosio, sic enim fervido è tormentis emisso vapori nitroso, & Sulphureo, malignæ qualitates aëris cedere coguntur. Utiliter quóque ad hunc finem in ædificijs privatis, Manè, Meridie & Vesperi, excitatur suffitus ex lignis Juniperinis, ac ejusdem granis, vel succino; plurimum insuper conducit in suffumigationibus adhibere Sulphur purificatum, alijs speciebus odoriferis permixtum.

Illud autem tempore pestis ex corruptione aëris ortæ planè observandum erit, ut quis aut omnino domi se contineat, aut si necessitas postulat, non nisi clauso ore, ac naribus, rebus odoriferis, & huic malo contrariantibus benè mu-

nè munitis, incedat. Habitacula item ſint ab omni immunditie & ſordibus purgata ac libera; cubicula benè clauſa & fumigata; ac ſi fieri poteſt verſus orientem, vel ſeptentrionem ſita, quia hinc venti tranſeuntes, peſtiferis inquinamentis maximè contrariantur.

Secundum eſt *Moderata Diæta.* Corpus enim per intemperantiam dici vix poteſt, quàm aptum diſpoſitúmque ſubjectum reddatur ad peſtem contrahendam. Ordinatè itáque & modicè prandendum, átque cœnandum: cavendi cibi mali ſucci, & difficilis concoctionis: Omnia pingvia & dulcia vitanda, omnis hauſtus impurus & turbidus, uti & uſus vini ſublimati fugiendus. E contra cibi ſint facilis concoctionis, ac pomorum citrinorum vel limoniorum conditi: Pauperes cibis conſuetis uſum allij addant. Potus ſit vinum generoſum, vetuſtum, odoratum, clarum aut ſimplex aut juniperinum, abſynthium, vel malo Citrio conditum modicè tamen ſumptum. Cereviſia clara & defecata. Pro pauperibus, qui alio potu carent corrigatur aqua injectione panis toſti, ſitque recens, & ſtet in vaſe mundo & clauſo. Nemo etiam mane Jejuno ſtomacho domo exeat, niſi prius medicamento præſervante, aut potiuncula Vini Juniperini aut abſynthij fuerit uſus.

Tertium Antidotum, ſunt variæ res vegetabiles, vel minerabiles aut aromaticæ, appropriatâ contra peſtem virtute pollentes; cujuſmodi ſunt, ex vegetabilibus hæ ſeptem, Hypericon, Vincetoxicum, Enula, ſive Helenicum, Dictamus, Ariſtolochia, Laureola, Raphanus Sylveſtris. Quæ omnes, mirâ ſanè ex inſita illis quadam & ſpecifica qualitate, venena arcent, & repellunt, maxime ſi in ſalem, chymicâ arte præparatum reſolvantur, hic enim in juſculo jejuno ſtomacho ſumptus, quantitate, quam apex cultri continet, mirum eſt contra venena & potiſſimùm contra peſtem antidotum. His ſuccedunt aliæ quæ ad præcedentes virtutes proximè accedunt, & ſunt: Ruta, Termentilla, pimpinella, Zedoaria, Scordium, Angelica. Ex terreſtribus verò *terra ſigillata, cornu cervi, ſpadium & ſimilia.*

Ex aromaticis Aloe, Cinamomum, nux myriſtica, myrrha.

Quartum Antidotum eſt mutatio Loci matura, tardiórque regreſſus ad loca infecta, quâ de re hi proſtant verſiculi:

Hæc tria tabificam pellunt adverbia peſtem.
Mox, longè, tardè, cede, recede, redi.

Quintum Antidotum eſt munditics Corporis, ejusdémque ſublevatio à ſuperfluis humoribus. Lectus proinde, cubilia, culcitræ, & linteamina ſint munda, ſuffita, & clauſa, ne canes & feles habeant ad ea acceſſum, per hæc enim animalia peſtis infertur facillimè. Vittæ quóque bene ſuffitæ capiti applicentur. Quotidie etiam os eluere, guttur ac palatum gargarizare, manus, aures, &

nares, purgare, ac pituitam crassam in pectore latentem tussiendo & excreando, ejicere admodum conducet. A superfluis autem humoribus corpus erit evacuandum per purgationes leniores, & sudorem, sangvis non è venis tantùm, (hoc tamen intelligendum est quando nec dum contracta est pestis, nam in actuali peste constituto phlebotomia prorsus noxia est,) sed & intercutaneus per scarificationem, quin & per Venas, quas hæmorrhoidales vocant, hirudinum tractu, suctúque eliciendus. Cauteria quóque ad vitandam pestem prodesse omnes feré Gallenici fatentur, & observatum est in peste Veneta, & Romana vix ullum invasum fuisse peste, qui usus erat cauterio. His Antidotis alij addunt. 1. Spiritum Vitrioli cum aqua extracta ex acetosa. 2. Semen Hederæ in pulverem redactum, in unius Drachmæ dosi, cum appropriatis aquis cardui benedicti, aut pimpinellæ sumptum. 3. Allium quod non incongruè rusticorum Theriaca nuncupatur. 4. Extractum granorum Juniperi. 5. Ovum recens cum certa dosi pulverum Sulphuris cujus usus plurimos à lue pestifera conservavit, ante complures annos, tempore pestis Commaromiensis in Ungaria. Pleráque hæc antidota si non omnia, Henricus Ranzovius his complexus est carminibus.

Præservant ficus, nux, ruta, à peste & acetum
Jejuno cum sint gutture sumpta simul.
Aëra suffitu purgant, quæ Prusia mittit
Succina, Juniperus, tum Zedoaris odor.
Et nares oleo, quo Scorpius, illine, mersus,
Et pilulas Rufi sæpius inde voca.
Si plenthora gravat purgetur sangvis, & alvus
Læta age, & infectos, balnea, vina, fuge
Alcinum cornu; Santonica, myrrha, corallus
Cum crocea, antidoto Theriacéque juvant.
Singula cum fuerint æquali pondere mixta,
Auxilium præsens, sectáque vena dabit.
Vlcus non tantùm discrimen monstrat apertum,
Sed Spes hinc Vitæ potius esse potest.
Cepáque tosta aperit, maturat Theriacéque
Sic hausto Succo pellitur ista lues.

Lectus ne diros infestus Spiret odores
Pinea perpetuo tæda cremanda foco.

Item:

Bis denas Rutæ frondes, salis & breve granum
Iuglandésque duas, terito cum corpore ficus.

Quibus versiculis describitur Antidotum quod si quis summit jejuno stomacho, nullum venenum ei, est nociturum illo die, exemplo Mithridatis Regis. Debent autem similiter, & ficus esse duæ non secus ac juglandes.

Verùm hæc omnia nihil conducere possunt, sine Divinæ gratiæ adminiculo. Unde cum pestis sit una ex maximis plagis, quibus peccata nostra DEus castigare solet, in avertenda, & evitanda peste, primò omnium recurrendum erit ad Divinam Majestatem, per veram pœnitentiam ac ardentissimas preces, Implorandum item patrocinium Sanctorum, & præcipuè quidem Sanctissimæ Deiparæ. Sancti Francisci Xaverij, Sancti Rochi, Sancti Sebastiani, Sanctæ Rosaliæ, ad quorum intercessionem DEus hoc malum sæpius avertit, vel immissum sustulit.

Quæri potest 31. Quomodo jam contracta pestis, sive ipsum ulcus pestiferum curari debeat? Resp. Hac de re consulendos esse Medicos, & Chirurgos. Interim vulgatissimum & efficacissimum remedium est pellis exsiccata Bufonum, hæc enim ulceri pestifero applicata, totum venenum ex eo attrahit, sicque hominem peste infectum à Veneno & morte liberat. Quod si quis ab hujusmodi remedio abhorreat curet resolvi prius pelles Bufonum in pulveres, eósque in aqua Scorzonera, (ut vocant.) Rutæ Caprariæ, aut cardui Benedicti prius madefactos in modum emplastri extendat, átque ulceri pestifero apponat, sortietúrque eundem effectum.

Quæri potest 32. Ad quid Magistratus, præsente & invalescente jamjam pestis contagione, teneatur?

Resp. Tenetur Magistratus. 1. providere communitati sibi commissæ de Medicis, & Chirurgis certis, qui solum pesti infectis serviant. 2. Constituere separatas domos extra mœnia, quo se maturè antequam malum hoc invalescat lue affecti recipiant, & à sanis separentur, ita tamen ut per hoc, tales non exponantur certo periculo salutis corporis, & animæ. 3, Curare ædes infectorum claudi incolísque illarum per sex circiter septimanas exitum prohibere. 4. Invigilare ut accurata munditíes in plateis & Domibus servetur. 5. Impedire concursus multitudinis, sine discrimine simul convenientis, uti fit in publicis foris, in balneis, scholis, diversorijs. 6. Dare operam ne corpora peste mortuorum infecta inhumata relinquantur: Ecclesiasticus insuper Magistratus

ſtratus tenetur advigilare ut ubique ſint idonei ſufficientésque Paſtores animarum, qui peſte infectis Sacramenta adminiſtrent.

Quæri poteſt 33. An & quibus liceat peſtem fugere? Reſp. Licitum eſſe peſtem fugere, non ſecus ac cavere alium quemcúnque contagioſum morbum cuiusmodi eſt, Lepra, aut Morbus Gallicus, eſt enim peſtis venenum ſummè contagioſum, quod quia attrahitur vel unico afflatu, ac halitu peſtiferi alicujus, minimóque contactu rerum peſtiferâ qualitate infectarum, moraliter aliter caveri non poteſt, quàm per mutationem loci & fugam. Deinde ſi licèt mutare auram minus convenientem alicujus complexioni in magis conducentem, cur non etiam corruptam & peſtiferam cum pura & ſalubri? Non tamen omnibus licita eſt hæc fuga, nàm qui ſunt aliundè obligati Juſtitiæ aut alio ſpeciali titulo ſervire communitati aut certæ alicui perſonæ, nec valent eam deſerere ſine illius graviſſimo incommodo, non poſſunt ſalvâ conſcientiâ fuga ſibi conſulere, niſi fortè loco ſui ſubſtituant aliam perſonam æque ad id idoneam.

Quæri poteſt 34. Ad quid obligatus ſit Parochus tempore peſtis erga Parochianos & viciſſim? Reſp. Obligari Parochum etiam cum periculo vitæ adminiſtrare Sacramenta Parochianis ſuis; peſte infectis, adeóque non eſt illi licitum ſe alio transferre peſtis tempore; Nec poteſt tali tempore uti privilegio bimeſtris abſentiæ conceſſa à Tridentino: multò minus reſignare beneficium: Parochiani viciſſim tenentur providere Paſtoribus de Antidotis, remediiſque ad conſervationem ſanitatis ejuſdem: ipſi quóque peſte afflati tenentur ſe accommodare, & accedere ad Sacramenta minimo, quoad fieri poteſt, periculo paſtorum. Graviſſimè etiam peccat peſte jam affectus qui nolens infamare ſuam Domum pergit ad Eccleſiam, & nonniſi poſt peractam Sacerdoti confeſſionem indicat ſe eſſe peſte afflatum. Sed de his plura Theologi, ac de prioribus Medici.



DISSER-

DISSERTATIO SEPTIMA, OPTICA PHYSICO-MATHEMATICA.

Quâ

Curiosiora & amœniora ex ijs, quæ ad visum pertinent, explicantur, ac naturalis causa, partim ex physicis, partim ex Mathematicis principijs, uniuscujúsque experientiæ, ac effectûs, ad hanc materiam spectantis, assignatur.

§. I.

De structura Oculi, totiúsque Organi visûs Anatomia.

TOta fabrica Oculi, seu organi visûs, constat: Ex nervo Optico seu visorio, septem tunicis, sive membranis; & tribus humoribus, tanquam ex partibus ad videndum necessarijs; reliquæ enim oculi partes, ut sunt: Musculi, pingvedo, plantulæ, palpebræ, tharsi, cilia ac supercilia pertinent vel ad motum, vel ad tutelam illius.

Nervus Opticus in quovis oculo est unus, qui cerebrum cum oculo continuat, & à cerebro defert ad oculos spiritus animales, & simul accipit species ab oculo determinativas sensûs communis interioris; ut autem sunt duo oculi, ita etiam duo sunt nervi optici, procedúuntque à cerebro distincti, & à se invicem separati, antequam tamen calvariam ingrediantur, uniuntur circa medium frontis locum, ita arctè, ut unus videatur effici, & post continuatam aliquantulùm conjunctionem, iterum invicem à se discedunt, singulíque tendunt rectâ ad cava ossium, quibus oculi continentur. Constat autem hic *Nervus Opticus* ex triplici parte, scilicet ex duabus tunicis & substantia medullari, quæ est ejusdem cum cerebro speciei, quarum tunicarum exterior est crassior, & propagatur ab illa parte cerebri, quæ *pia Mater* appellatur, átque intra has tunicas continetur medullaris illa substantia.

Ab his tribus nervorum partibus, prodeunt dein oculorum tunicæ, quæ septem numerantur, nempe *Adnata*, *Cornea*, *Scelerodes*, *Vvea Aranea*, *Choroides & Retina*: Tunicarum autem nomine hoc loco intelliguntur volucra, quæ

quæ se mutuò ambiunt, oculúmque vel ex toto, vel ex parte involunt ac constituunt. Ex quibus prima & extima est: *Adnata*, quæ maximam partem oculi circumtegit, & vocatur etiam à colore *Alba*. Altera, quæ proximè huic adhæreſcit, dicitur *Cornea*, eò quòd corneæ tenuiſſimæ ſimilis ſit, éſtque valdè perſpicua, & vitri more pellucida: huic continuatur ea Tunica, quæ reliquum oculum inveſtit, & ab inſigni duritie *Sclerodes*, ſeu *Sclerotica*, hoc eſt dura & conſolidativa nuncupatur, quæ revera dura eſt, totúmque oculum conſolidat, átque conſervat in ea, quam à principio accepit, figura: hujus enim præcipuus uſus eſt, totum oculum, omnésque intus humores, átque imbecilliores tunicas ſtipare, ne fluxu figuram, ſitúmque mutet: habétque hæc tunica foramen quoddam ad recipiendum intus lumen, & ſpecies quæ per corneam transmittuntur; átque hoc foramen dicitur *pupilla* oculi, quæ in hominibus ſemper rotundæ eſt figuræ, in pluribus autem animalibus ut felibus, equis, oblongæ.

Quarta eſt *Uvea* ſic dicta, quòd uvæ nigræ pelliculæ ſimilis ſit: In *Uvea* eſt circulus quidam circa pupillam, qui ob varios colores nominatur *Iris*, dicimúrque oculos habere nigros, vel cœleſtis coloris, aut flavos, vel cœruleos, prout aliquis color in dicta Iride prædominatur. Hanc ſubſequitur *Choroides*, quæ etiam totum oculum circumdat ſub *Sclerotide* & *Cornea*, & ipſi *Sclerotidi* implicatur quibusdam fibris adeóque & implexa tunica vocatur. Sexta eſt *Aranea* ſic dicta, quia eſt tenuiſſima, telæque aranearum ſimillima, & ab aliquibus etiam ſpecularis nuncupatur ob egregiam *Diaphaneitatem*, quâ prædita eſt: Infima denique eſt *Retina*, ſeu reticularis, quæ innumeris venulis ipſam perreptantibus, inſtar retis conſperſa eſt.

Jam verò ex humoribus *Intimus* vocatur *cryſtallinus* & glacialis, eò quòd cryſtallum & glaciem ſuâ pelluciditate imitetur, eſto non ita durus, ſed mollior ſit: proximus huic eſt *Vitreus*, ſive *albugineus*, quia albugini ovi ſimilis eſt. Tertius eſt *Aqueus* ob aquæ ſimilitudinem ſic nuncupatus.

Ex Muſculis autem ſeptem. Unus movet oculum *ſurſum*, alter *deorſum*, tertius *ad dextram*, quartus *ad ſiniſtram*, quintus & ſextus oculum circumagit, ſeptimus denique eundem ſuſtentat ut obtutum figat.

Singuli verò oculi binos angulos habent, quorum qui internus, vocatur *Canthus* ad nares poſitus, continétque glandulam, quâ humor è cerebro diffluens excipiatur, unde fluunt lachrymæ; quòd ſi autem hæ glandulæ conſumantur aliquando, oritur lippitudo in oculis perpetua.

Adipem adjecit natura oculo, ut is tanquam lanâ obvolutus molliùs intra ſuam orbitam recumbat, ac faciliùs moveri poſſit, átque ex hac ratione etiam Muſculi ſimili adipe infarciuntur.

Palpebræ poſitæ ſunt contra improviſos luminis, fumi, & pulveris incurſus, & plurimum etiam juvant ad juſtam radiorum directionem, partes autem illarum duriores, quibus pili inſerti ſunt vocantur *Tharſſi*. Ipſi verò pili *Cilia*. *Supercilia* ſunt pili ſuper oculum conſtituti. Figura externa oculi ex dictis partibus

ſima, tota perit. 1571. ætatis 32. Nec hâc quidem mediocri ætate dignus, utpote peſſimè educatus; vino, & epulis immerſus, nec quidquam moribus ingenui Principis dignum præferens, ac ſuper hæc omnia, peſtiferâ lue Arianâ infectus, ad æternas inferorum pœnas haud dubio detruſus. *Iſtvanfius.*

17. Sanctus Patritius Major, Epiſcopus Hyberniæ, multitudine miraculorum prorſus admirabilis, filius ſororis Sancti Martini Sabarienſis, ex Hungaria, in cœlum migrat. 491. *Bolandus.* Eâdem die, ſed non anno, obit Sancta Tigrida, filia ſororis ejuſdem Sancti Martini Sabariæ, ex Hungaria oriundi. *Bolandus.* Item Beata Gertrudis Virgo, Sanctæ Hedvigis Materteræ Sanctæ Eliſabethæ Filia, Sanctimonialis. *Ribadeneyra.* Carolus V. Imperator, raro exemplo, abdicat ſe Imperio, illúdque Ferdinando I. Regi Hungariæ reſignat 1556.

18. Sigiſmundus Bathorius, quondam Tranſylvaniæ Princeps, Stephani Regis Poloniæ, ex fratre Chriſtophoro nepos, ſæpe depoſito, ſæpe reſumpto Principatu, ex incredibili animi levitate, tandem penitus eo relicto, donatus Arce Lobkovichiana in Bohemia, à Rudolpho Cæſare, in qua privatus úſque ad finem vitæ vixit, hâc die tactus apoplexiâ, extingvitur. 1611. ætatis 39. *Iſtvanfius. Angelus. Caferrius.*

19. Petrus Pazmanus è Societate JESU, Sacræ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis, & Archiepiſcopus Strigonienſis, Fidei Catholicæ per Hungariam reſtaurator, Vir ſummi conſilij, maximæque prudentiæ, facunditatis, eruditionis, ac eloquentiæ, Collegij Poſonienſis, & Academiæ Tyrnavienſis Societatis JESU Fundator, Theologus inſignis, ac variorum Librorum doctiſſimus Scriptor, & Author, magno omnino bonorum dolore, ad meliorem vitam migrat. 1637.

20. Matthias Imperator, & Rex Hungariæ hujus nominis II. Maximiliani II. filius, & Rudolphi Cæſaris frater, Anno ætatis ſuæ 62. Viennæ Auſtriæ decedit. 1619. *Schönleben.* Colitur hâc die Sanctus Martinus Dumenſis Hungarus, Archiepiſcopus Bracarenſis. *Bolandus.* Beatus Mauritius Csáky, Ordinis Prædicatorum, amore in DEUM, & DEIparam, & miraculis clarus, obijt Jaurini. 1336. *Bolandus.* Albertus II. Hungariæ Rex, in Imperatorem Romanorum eligitur, Francofurti. 1438. *Schönleben.*

21. Sanctus Benedictus, Monachorum in Occidente Patriarcha, in cœlum evocatur. 545. Cujus Ordo mirè propagatus fuit per Hungariam, ita, ut ſupra quinquaginta locupletiſſima numeraret Monaſteria. Caniſa fulmine de cœlo tacta, pulvere ſulphureo, per illud inflammato, maximam ſtragem, tam mœniorum, quàm hominum ſubit. 1581. *Iſtvanfius.*

22. Ordo

22. Ordo Templariorum, qui per Hungariam ingentes habuit poſſeſſiones Bonorum, à Clemente V. Pontifice extingvitur. 1312.

23. Sanctus Lupus, Martyrium ſubit, Sirmij in Hungaria, patitur ibidem hoc ipſo eodem die, & Sanctus Lupus Epiſcopus & Martyr. *Bolandus.*

24. Comes Nicolaus Zrinius Senior moritur, Czaktornæ. 1625. Celſiſſimus Princeps, Paulus Eſzterházi, Regni Hungariæ Palatinus, in numerum Equitum Aurei Velleris aſſumitur. 1682. Flavius Claudius, natione Dalmata, deligitur à toto Exercitu, ſenatu univerſo approbante, in Imperatorem Romanorum. Anno Chriſti. 268.

25. Sanctus Irenæus Epiſcopus & Martyr, Martyrium ſubit Sirmij, in Hungaria. *Inchoffer.*

26. Sirmij in Hungaria, hâc die paſſi ſunt Martyres ſequentes: Sanctus Abephas, & Sanctus Allas, ſub Gratiano Imperatore. Item Animais, & Sancta Anna ad Danubium. Anno Chriſti. 370. Item Sanctus Moico. Item Sanctus Montanus Presbyter, & alij complures, quos vide ad hanc diem apud *Bolandum.* Conradus Imperator, Primus Germaniæ Rex, hujus nominis II. qui bellum contra Sanctum Stephanum Hungariæ Regem duxit, ſed miraculosè ab eo continuando impeditus eſt, à Joanne XX. in Baſilica Sancti Petri, Imperiali Coronâ redimitur. 1024. *Caſerrius. Brietius.*

27. Venetorum Legati, Budam ad Vladislaum II. Hungariæ Regem adveniunt, eúmque ad inferenda Turcis arma, certis conditionibus, nomine Senatûs hortantur, quos firmatâ, veteri cum Senatu amicitiâ, amplis muneribus donatos dimiſit, poſtulatum tamen in Turcas ſociale bellum, nec negare in præſens, néque polliceri viſus eſt. 1492. *Iſtvanfius.* Sanctus Alexander Martyr in Hungaria, hac die pro Fide Chriſti patitur. *Philipp. Ferrarius. Bolandus.*

28. Vladislaus II. Rex Hungariæ Rempublicam Raguſanam, ad modum quô alij Reges Anteceſſores illius, in fidem, clientelámque ſuam ſuſcipit. 1492. *Iſtvanfius.*

29. Fortiſſimus Heros Matthias Corvinus, Hungariæ Rex, Hungarici Regis Coronâ (quam Fridericus III. Imperator, viginti quatuor annis penes ſe retinuerat) ſolenniter coronatur, Anno Regni ſui ſexto. Anno Chriſti. 1464. Albæ Regali. *Bonfinius.*

30. Tranſactâ celebritate Coronationis, Matthias Rex, cum Pontificum, & Optimatum Ordinibus Budam redit, variáque equeſtria ſpectacula, & certamina quotidie edit. 1464.

31. Beata Eliſabeth Ordinis Præmonſtratenſis, neptis Adleidæ, filiæ Regis Hungariæ, ſanctiſſimè obit. 1170. *Balbinus.*

citas autem uti cutem corporis, ita & membranas oculorum indurat. 19. *Cur cùm Lusci & Senes parùm videant: illi objectum visile propiùs admovent: hi aliquantulum removent?* Galenus hanc ait esse causam, quia cùm senes parùm jam interni luminis in oculis habeant, egent externo lumine, ideóque removent objectum ut magis illustretur. Lusci verò utpote albis præditi oculis interno abundant lumine, átque ut externum effugiant, visile aliquantulum à luce avocant, ne externi luminis copia interno adjuncta visum offendat. 20. *Quam ob rem simplum visile non semper videtur duplum, cùm geminam speciem ad oculos mittat?* Quia objectum eodem modo, & eàdem seu simili in parte oculi, & situ pingitur, unde & apprehenditur eodem modo, adeóque & ut unum idémque objectum. 21. *Cur si quis altero oculo ritè aperto alterum digito sursum parumper premat ac utróque intendant in objectum, illud duplicatum videtur?* Ob contrariam scilicet rationem, quia cùm tunc ex compressione alter oculus fiat elevatior, objectum non eodem modo, nec in eadem seu simili parte, & situ pingitur in utriúsque oculi Retina. 22. *Cur idem accidat ebrijs & distortè aspicientibus?* Quia similiter in ebrijs ab humoribus, & indistortè aspicientibus ab elevatione unius oculi, mutatur situs oculorum, & consequenter objectum similiter non eodem modo, nec in eadem seu simili parte, & situ pingitur in utriúsque oculi Retina. 23. *Quomodo in curru eunti, aut naviganti videntur moveri arbores & littora?* Id enim oritur ex eo, quòd species à littore vel arboribus ad Retinam oculi venientes, mota retina cum oculo in alia semper, & alia parte retinæ recipiantur, non quidem quòd eædem species de una parte retinæ transeant in aliam, sed quia ab objecto, aliæ & aliæ semper mittuntur, unde oculo moto, objectum moveri videtur.

24. *Cur aliqui etiam minutissima objecta in notabili distantia distinctè videant?* Quia acres habent oculos, hic autem vigor oculi provenit, partim ex crystallini humoris docilitate, & facili processuum ciliarium usu, ut scilicet pro diverso radiorum ab objecto emissorum illapsu crystallinus facilè componi possit debito ac optimo modo, quem scilicet distincta projectio radiorum postulat, & quam distincta visio supponit, partim verò ex accurato retinæ plexu. 25. *Cur alij è contra hebetiorem visum habeant ita ut minuta objecta videre ac discernere nequeant?* Quia retinæ minùs accuratum plexum habent, vel crystallinum humorem minùs docilem propter duritiem, vel processus ciliares minùs expeditos. 26. *Cur senibus caligent oculi?* Quia scilicet Retina in ijs siccatur, crystallinus indurescit, processus ciliares stupescunt. 27. *Cur aliqui proxima duntaxat distinctè videant, remota confusè?* Quia crystallinum rotundiorem, & duriorem habent, unde radios visuales si ab objecto remoto procedant, necessè est valdè dispergi ac dissipari: ex quibus confusa visio oritur; secùs evenit si objectum sit proximum. 28. *Cur in nimia distantia objecta non videantur bene, sicut nec in nimia vicinitate* Quia in nimia longinquitate visibilium punctorum species hebescunt, disturbantur, aliò dissipantur, intermediisque umbris permiscentur: In nimia verò vicinitate crassæ turbidæ & confusæ species ad oculum defe-

deferuntur. Requiritur ergo ad claram visionem debita objecti ab oculo distantia. 29. *Cur alij hominum sint Strabones, hoc est eum habent oculorum situm, ut in contrarias partes spectare videantur?* Hoc enim provenit ex pravo musculorum ocularium situ aut usu. 40. *Cur item alij adeò debiles oculos habent ut lucem ferre non possint?* Hoc enim procedit ex nimia pupillæ apertura, & nimia *Retinæ* inflammatione. 31. *Cur aliqui omnia flavo colore tincta vident?* Quia bilem flavam oculis suffusam habent. 32. *Cur aliqui semper muscam ante oculos sibi habere videantur, vel notam cæteris objectis affixam?* Nempe quòd maculam opacam habeant in crystallino, vel in pupilla, vel in aqueo humore oculi, pupillâ minorem, nam si illa macula sit tanta ut pupillam tegat ille oculus nihil videt. 33. *Cur alij filamina & araneas se in oculis habere putant?* Quia scilicet in aliqua oculi diaphana parte halitus in subtilia filamina concrevit, qui suam deinde umbram projicit. 24. *Qui nam oculi sint omnium optimi?* Nimirum qui crystallinum docilem habent, expeditos processus, retinam optimè constitutam, colori enim hac in parte nimium credendum non est, nam sæpè glauci, sæpè cæsij, sæpè rubri, sæpè subnigri optimi reperti sunt. 35. *An lachrymæ noceant oculis?* Ita sanè, si sint nimiæ præsertim, vellicant enim sale suo delicatissimas membranas oculi. 36. *Cur omnis distillatio oculorum noxia sit?* Quia frequens expulsus humorum sensim sine sensu membranas subit: hinc oculorum tumor, & intemperies átque reliqua oculorum vitia. 37. *Cur plùs justo eminentes oculi debiliores esse soleant?* Quia cùm minùs recti sint non rarò à varijs extrinsecis causis pati solent. 38. *Cur ad claram visionem objecti debita distantia hoc est nec nimis remota nec nimium propinqua requiratur?* Quia si nimis remota sit, radij luminis sive species visibiles colliguntur ex partibus objecti antequam ad retinam perveniant, si verò sit nimis vicina, ad Retinam perveniunt antequam colligantur. Ad hoc autem ut distinctè videatur objectum, requiritur ut radij objecti in ipsa retina colligantur.

39. *Cur oculus in majore lumine collocatus Vveam explicet ac proinde pupillam contrahat?* Ab objecto enim valde lucido multi radij proficiscuntur, qui deinde nisi arceantur per contractionem pupillæ obliquè crystallino inciderent, distinctámque basim in oculo turbarent. 40. *Cur è contra in dubia luce pupillam explicet?* Quia cùm tunc paucissimi radij oculo illabantur, ad sensibilem affectionem radios luminis quasi venatur ac conquirit. 41. *Cur similiter cùm parvum objectum oculo propiùs admovetur pupilla contrahitur?* Ne scilicet multi radij per margines objecti crystallino illapsi distinctam basim vel imaginem minuti illius objecti expungant.

42. *Vtrum magni oculi parvis præferendi sint?* Respondetur; neutros alteris præferendos esse. Nempe quia utráque ratio oculi cùm optima, & supra requisita dispositione ad præstantiam oculi conjungi potest. 43. *Vtrum Equus, qui majorem oculum habet, majora objecta videat, quàm Falco vel Aquila?* Respondetur negativè. Quia licet affectio impressa ab objecto in oculo equino majoris sphæræ portionem occupet, non tamen majoris anguli radiosi, tanta autem quævis res videtur, sub quanto angulo radioso seu visorio videtur.

 44. *Vnde*

44. *Unde fiat quòd unius hominis oculi plùs minùs micent?* Scilicet ex membranarum & tunicarum perſpicuitate, ac corneæ lævore: in quo igitur oculo lævor corneæ, & major tunicarum eſt perſpicuitas ille etiam magis micat. 45. *Cur quidam adoleſcens cœcus, dum digito oculum verſus nares comprimeret, aliquid tamen vidit?* Nam per compreſſionem oculi mutatur convexitas cryſtallini vel corneæ, vel vitrei humoris, aut Uveæ; unde ſequitur neceſſariò projectionis radiorum ab objecto mutatio, igitur & affectionis vel imaginis impreſſæ in oculo, adeóque objectum quod per directos radios incidere non poterat, incidebat in ſic contortum oculum. 46. *Cur alius quiſpiam, cujus pupilla obſtructa erat, exceptâ exiguâ falce eâque extremâ, oblique poſita videbat, non autem directè poſita?* Quia pars oculi directè percipiens radios viſuales albugini ſuppoſita vitiata erat. 47. *Cur ſtellas de nocte videmus, non de die?* Quia major lux Solis obfuſcat minorem lucem ſtellarum. 48. *Cur ſolem per foramen liberè intuemur?* Quia foramen omnes radios non excipit, hinc minor oculi affectio. 49. *Quare in candelis procul viſis nigræ aliquæ maculæ videntur?* Reſultant enim illæ quaſi umbræ, à diſtractione nimia radiorum. 50. *Cur hyeme plures & majores ſtellas aſpicimus?* Quia tunc aër ab halitibus liberior eſt. Tum præterea, quia tunc pupilla explicatior eſt. Nam frigoris rigore contrahitur Uvea, quâ contractâ explicatur neceſſariò pupilla. 51. *Cur oculorum alter alterius motum ſequatur?* Quia muſculi his motibus aſveti ſunt. Analogiam habes in ipſo digitorum motu, quorum poſtremum ſive auricularem difficulter incurvabis, ſine incurvatione alterius digiti vicini. 52. *Cur pueri initio ſæpiùs, uti & qui diu gravi morbo laborant in oculorum converſione errent?* Nempe propter eorundem muſculorum malam, & diſtortam diſpoſitionem. 53. *Cur aliqui diu obtutum figere non valeant?* Ob debilitatem ſcilicet muſculi, cujus munus eſt oculum ſuſtentare, & obtutum figere. 54. *Cur oculi indices animi dicantur; adeò ut in ijs animus inhabitare perhibeatur?* Quia ad quoſvis affectus, & diſpoſitiones animi mutantur. Sic in alijs modeſtia, clementia, manſuetudo, hilaritas, miſericordia, amor: in alijs contrà faſtus arrogantia, verſutia, triſtitia, odium, & indignatio ſeſe oculis produnt. 55. *Cur vehementer iraſcentibus oculi ignei fiant?* Quia per iram fervidior fit ſanguis circa cor, magisque incaleſcunt Spiritus, qui utpote ſubtiliores ſupernè feruntur, pérque oculos, qui perſpicui ſunt, tranſparent, habéntque vapores ſangvineos aſcendentes, unde & facies rubra ijs apparet. 56. *Cur oculi ad præſagiendum primum habent locum apud Medicos?* Quia maximè inter membra mutantur, tam ab externo agente, quàm ab interno, videlicet cùm ſit præhumidum ac mundum, facilè recipit quamlibet impreſſionem, eámque exhibet. 57. *Cur oculi magni reſpectu reliqui corporis pigritiam denotent?* Quia oriuntur ex abundantia humoris qui virtutem motricem debilitat, & quaſi laſſitudine afficit. 58. *Cur parvi oculi ſignificent ingenioſum, & aſtutum?* Quia indicant paucitatem materiæ humidæ, cum qua ſi conjungatur magna ſiccitas in cerebro, oritur ingenioſitas, quæ facilè deflectit ad vafritiem ſeu aſtutiam. 59. *Cur oculi bene proportionati,*

nati, & fulgentes sint optimi? Quia testantur perfectionem virtutis formatri-
cis, & debitam temperiem humidi in cerebro, magnámque Spirituum abundan-
tiam. 60. *Cur magnæ pupillæ signum sint debilioris visûs & ingenij?* Quia qui
illas habent, magnum patiuntur dispendium Spirituum, & cerebrum humidius
possident: unde deficiente instrumentorum adminiculo, visio & cogitatio æ-
grè fiunt. 61. *Cur parvæ pupillæ significent ingeniosos?* Quia signum sunt non
tantæ humiditatis, nec tanti dispendij Spirituum, ob id etiam acutiorem visum
habent. 62. *Cur pupillæ inæquales signum sint turbulenti animi?* Quia sunt mon-
strosæ, monstrum autem in corpore, monstrum est in anima. 63. *Cur prosi-
lientes oculi debilitatem visûs significent?* Quia Spiritus facilè à luce externa in
talibus oculis dissipantur. 64. *Cur concavi oculi maximè si parvi sint perspicaci-
am visûs notent?* Quia in illis facilè fit magna Spirituum congregatio, quos
lux externa difficulter potest dissipare. 65. *Cur oculi stantes, seu defixi signum
sint cogitationis anxiæ intensâ cogitatione in unum?* Quia tunc quiescunt ferè a-
lij sensus à suis functionibus. 66. *Cur oculi celeriter se moventes significent inge-
nij acumen, & audaciam, tardè autem se moventes stupiditatem, & tarditatem?*
Quia celeritas motûs oculorum provenit à complexione calida, quæ habet sibi
ingenij præstantiam, & audaciam conjunctam; tarditas autem à complexione
frigida, quam comitari solet stupiditas, & timiditas. 67. *Cur qui oculos habent
splendentes, & siccos sint ingeniosi?* Quia arguunt Spirituum copiam, & siccita-
tem cerebri. 68. *Cur oculi subrubei iracundiam denotent?* Quia etiam qui ex ac-
cidenti irascuntur, oculis rubescunt. 69. *Cur oculi cærulei optimæ complexionis
sint indicium?* Quia color cæruleus oculorum, signum est carentiæ adustionis bi-
lis in tali homine. 70. *Vnde oriatur palpebrarum frequens nictitatio naturalis?*
Nimirum ex musculorum debilitate nimia. 71. *Cur palpebræ tumentes indicant
somnolentiam?* Quia signum sunt humidioris cerebri, & totius corporis. 72.
Vtrùm oculi sint igneæ naturæ? Eos igneæ naturæ censent Plato & Galenus.
Svadere videtur id ingenita oculis luciditas, & innatum lumen oculis nonnul-
lorum animalium; unde oculus non rarò ignis figuratè appellatur. 73. *Et hinc
fortassis inflictus oculo ictus scintillas exhibet.* 74. *Hinc fortè etiam solem fixo ac
libero oculo intueri non licet:* Ne radij in crystallino refracti, & in retina col-
lecti reverà urant. 75. *Hinc quoque fortè Ophthalmiâ laborantes lucem immo-
dicam fugiunt:* Quia multum ignem in oculis habent, vel oculum ut ajunt in-
flammatum. 76. *Cur multorum animalium oculi veluti felium in tenebris fulge-
ant, & radient?* Quia minutam lucem obtinent, quæ tamen cùm sit exigua,
diurno lumine obscuratur, & offunditur, noctu verò lucet, quia tunc majus
lumen abest à quo obruatur. 77. *Cur aliqui homines meliùs videant tempore
subobscuro, quàm clarissimâ die?* Nempe quia tales habent tenuiores Spiritus,
& tunicas in oculo, quæ proinde nimiam lucem ferre non possunt, tempore ve-
rò subobscuro addensantur tunicæ, unde modicâ luce adjuti vident. 78. *Vnde
aspicientes astra, ea quiescere putamus, licet pernicissimè moveantur?* Quia eo-
dem modo oculus afficitur, & imago impressa locum in retina sensibiliter non
mutat.

mutat. 79. *Cur carbo velociter in orbem agitatus aut aliud objectum circulum integrum exhibere videatur?* Quia juxta motûs successionem, simili successione oculum afficit. 80. *Cur ignis qui sensim in pulveris sulphurei tractu accenditur, moveri videatur, cùm tamen novus semper ignis sit?* Quia propter similitudinem, illiúsque continuatam successionem semper idem esse putatur. 81. *Vtrùm facultas videndi amissa possit naturæ vi restitui:* Plinius lib. 11. Naturalis Historiæ cap. 37. ait: Serpentum oculos, & hirundinum pullis oculos si quis eruat, renasci. Communis tamen Philosophorum vox est cœcitatem (intellige perfectam) esse unam è privationibus, à quibus non datur per naturam regressio ad habitum. 82. *Cur omnium puerorum oculi statim à partu cæsiusculi sunt?* Quia juxta Aristotelem ita se habet humor oculorum, átque fluminum; qui si multus sit, opacatur átque nigrescit, quia transpicit: si paucus, cæsius videtur: si mediocris, medium alium exhibet colorem. Sic ergo, quia infantium oculi ob parvitatem parum continent humoris, cæsium colorem in eis elucere inquit. 83. *Cur Lepores apertis oculis dormiant?* Nimirum quia habent oculos præeminentes, & palpebras breves, & sic difficultate clauduntur. 84. *Ast quà de causa taliter formavit natura in ijsdem oculos?* Quia cùm sint animalia meticulosa, ut sic se faciliùs custodire possint semper habendo oculos apertos. 85. *Quare oculi glauci in die malè vident, noctu verò benè?* Quia glaucedo per se est lucida, & Spiritus visibiles in die debilitantur, & nocte confortantur. 86. *Quare jaculatores boni communiter claudunt unum oculum?* Quia sic directiùs vident scopum præfixum, duorum enim oculorum visuales lineæ, per diaulissum ad scopum traduci nequeunt; unde si utérque oculus tunc in objectum minutum præsertim intenderet, vel scopus, vel diaulissus geminus appareret, & sic jaculatio sine confusione esse non posset. 87. *Vtrùm visio ab utróque oculo clarior, distinctior, & perfectior sit, quàm si eliciatur tantùm ab alterutro?* Respondeo cum Aquilonio: Ita. Nam duæ causæ simul junctæ fortiùs operantur circa idem subjectum, quàm una. Utrique autem oculo propria videndi facultas inest, ergò. 88. *Quare oculi recreentur per viridem colorem?* Quia viridis color mediocriter movet organum visûs, & ideò confortat visum. 89. *Cur palpebra interior retracta, ita ut oculum non cooperiat, signum sit brevis vitæ?* Quia oritur ex debilitate musculi, qui illam surrigere nequit: debilitas autem musculi significat cerebri debilitatem, quo malè affecto, non potest esse vita diuturna. 90. *Cur supercilia conjuncta in origine nasi, maximè si pili densi sint, significent audacem, & cholericum?* Quia signa sunt maximi caloris fuliginosam materiam præter primariam intentionem naturæ foras potrudentis; qui autem tali complexione præditus est, cholericus est, & audax. 91. *Cur supercilia parva, & tenuia pusillanimitatis sint indicia?* Propter rationem contrariam. 92. *Cur supercilia in longum porrecta denotent timidos?* Quia in rectum porrecta denotant frigiditatem, ac consequenter & timiditatem. 93. *Cur arcuata supercilia denotent magnanimos, audaces, & iracundos?* Quia caloris est elevare: hinc arcuata calorem produnt, adeóque & audaciam ac magnanimitatem.

ratem. 94. *Cur, qui oculis apertis dormiunt, timidi sint?* Quia ad Leporinam naturam, & temperamentum accedunt. 95. *Cur oculi humani minimè etiam in intentissimo frigore frigeant?* Quia oculi humani præditi sunt insigni sangvine, ac pingui insuper ac crassâ concretione, quâ totus oculus convolvitur. 96. *Cur autem oculi aliorum animalium, quæ sunt exanguia ab intenso frigore magis conservantur, quàm alia membra?* Quia hæc in oculis duriorem habent pellem, quâ se ab injurijs tuentur. 97. *Cur nonnulli in tenebris experrecti à somno, non aliter, quàm in media luce* (brevi licèt tempore) *omnia intuentur?* Respondent Conimbricenses: quia ut multorum doctrina est, Spiritus animales è cerebro ad oculos defluentes lucidi sunt, fieri ergò potest, ut in quibusdam hominibus ex occulta proprietate tantum lucis obtineant, ut confestim emissi totum cubiculum illustrare valeant acervatâ nimirum eorum copiâ, dum oculi clausi fuêre, eâdémque, cùm primùm aperiuntur, erumpente. 98. *Fieríne potest ut quis in tenebris id videat, quod priùs in luce vidit?* Ita sanè. Nam qui aspexit solem, aut aliquod corpus lucidum intensè, & deinde convertit in locum obscurum oculos, invenit eandem formam lucis, & figuram in dicto obscuro loco. 99. *Vnde hoc ipsum proveniat?* Ex vehementi scilicet impressione specierum objecti, quod intensè cum aliqua mora aspectum, simulacrum sui, potentiæ oculi imprimit, & consequenter oculus illud aliquamdiu retinet. 100. *Cur qui intensè aliquid inspicere volunt, priùs cum aliqua mora oculos claudunt?* Id enim natura faciendum dictat, ut sic per illam clausorum oculorum moram, Spiritus vitales magis congregentur, átque adeò oculi quóque ad videndum magis roborentur, & confortentur. Porrò ex prædictis problematibus nonnulla sunt spectantia ad Physiognomiam, quæ utique non habent tantam certitudinem, quantam habent ea, quæ ex principijs Physicis vel Mathematicis, sunt deducta.

§. III.
De objecto Visûs ac ipsa Visione.

QUæri potest 1. Quodnam sit objectum visûs proprium? Resp. Objectum visûs proprium est lumen, & color; seu Lucidum & Coloratum. Et lumen quidem seu lucidum est objectum visûs primarium ac per se, quia sine alterius adjutorio movet sensum visûs, adeóque ratione sui tantùm videtur. Color verò seu coloratum ad hoc ut sensum visûs moveat, indiget lumine, à quo illustretur, & sic ratione alterius saltem partialiter videtur, ideóque est objectum visûs secundarium.

Quæri potest 2. Utrùm lumen sit substantia vel accidens? Resp. Non esse substantiam sed accidens. Nam si esset substantia, vel esset completa, vel incompleta. Si completa, illa esset vel spiritualis, vel corporea. Spiritualis dici non potest: quia producitur à corpore: sed nec dici potest corporea, quia aliàs

aliàs deberet habere quantitatem, ratione cujus fieret impenetrabilis, & sic non posset penetrari cum crystallo, aëre vel aqua, cum quibus tamen penetratur, ut quotidiana testatur experientia. Sed néque dici potest incompleta, hæc enim est vel materia prima, vel forma aliqua substantialis. Atquî lumen nec est materia prima, ut per se patet. Nec forma substantialis, qui aliàs cùm lumen frequenter recipiatur in aëre, aqua, & crystallo, daretur naturaliter duplex forma substantialis in eadem materia sive subjecto, quod fieri non potest. Igitur lumen est accidens seu qualitas à corpore luminoso diffusa. Deinde substantiæ non admittunt magis, & minùs, nec sunt sensibiles per se. Lumen autem & intensionem patitur, & per se est sensibile. Ergò

Quæri potest 3. Qualis qualitas sit lumen, Physica ne an intentionalis? Resp. Lumen non tantùm quod existit in corpore luminoso, solo e. g. sed etiam quod producitur in medio, esse qualitatem physicam. Ratio primæ partis responsionis est: quia in corpore physico, & luminoso lumen existens est illius proprietas physica. Ergò est qualitas physica. Ratio autem secundæ partis est. Quia lumen etiam illud, quod diffunditur per medium, producit effectum physicum, calorem videlicet, & siccitatem.

Quæri potest 4. Quid sit lumen & quomodo differat à luce, radijs lucis, & splendore? Resp. 1. Lumen ab Arist. 2. de anima cap. 7. bene sic definiri: *Quod sit actus perspicui interminati quatenus perspicuum est.* Dicitur *actus* id est forma quædam accidentalis subjectum actuans, sive perficiens. Dicitur secundò *perspicui interminati*, id est medij diaphani vel pellucidi. Dicitur tertiò, *ut perspicuum est*, hoc est in quantum medium, quod erat priùs tantùm potentiâ perspicuum, per ipsum lumen actu fit perspicuum, ita ut per illud etiam alia videri possint. Resp. 2. Quatuor hæc: lumen, lucem, radium lucis, seu luminosum, & splendorem accidentaliter tantùm inter se differre. Lux enim dicitur, quatenus est in luminoso seu subjecto proprio. Lumen quatenus est in alieno, vel in quantum derivant à luce, & diffunditur per medium, ob quam causam etiam imago, & soboles lucis nuncupatur; radius luminis est eadem qualitas prout ab agente procedit directè, splendor verò est idem lumen ab objecto reflexò.

Quæri potest 5. Quænam necessariò requirantur ut objectum videri possit ab oculo disposito, & applicato directâ visione? Resp. Requiri sequentia. 1. Ut sit opacum saltem aliqualiter. Hinc aër purus non videtur, & multò minùs æther. 2. Ut habeat determinatam magnitudinem oculum versùs. Hinc quædam ob parvitatem non videntur ab oculo. 3. Ut sit positum ante oculum ita, ut per lineas rectas possit in ipsum radiare. Hinc quæ à tergo sunt non videntur. 4. Ut non sit nimiùm distans ab oculo, sed néque eidem planè proximum. Hinc quædam objecta evanescunt ob nimiam distantiam, & illa, quæ immediatè applicantur oculo, non videntur. 5. Ut inter ipsum & oculum intercedat medium diaphanum. Hinc posita post corpus opacum ante oculos col-

locatum non cernuntur. 6. Ut sit illuminatum, vel lucidum in se, vel aliunde. Hinc in tenebris existentia non apparent.

Nunc jam reliqua quæ ad naturam, & proprietates lucis ac luminis spectant per subsequentia Theoremata expediamus.

1. *Lumen ut plurimùm est cum calore.* Hinc vulgò dicitur: Lumen esse eminenter calidum. Patet experientiâ. Nam lumen ab igne vel sole propagatum semper cum calore est conjunctum.

2. *Hic tamen calor probabiliùs est qualitas ab ipso lumine realiter distincta.* Separari siquidem potest à lumine. Experientia clara est in ferro calido, aqua calida, manu calida, in quibus sentitur calor etiam absente omni lumine.

3. *Lumen in medio diaphano nihil omninò aliud præstat, nisi liberam radiorum, vel directorum, vel reflexorum, vel refractorum trajectionem, quam medium ipsum permittit, exceptâ tamen refractione*, quæ est effectus caloris eidem semper conjuncti,

Lux, qua lucido inest, habet vim activam ad extra. Quæ scilicet lumen diffundat.

5. *Lux, qua lucido inest, ab ipso lucido producta est.* Est siquidem illius proprietas sicut calor ignis.

6. *Lumen in instanti producitur atque diffunditur ab eodem lucido per medium non impeditum.* Hoc enim est omnium specierum visibilium proprium, sed maximè primarij visibilis, luminis scilicet. 7. *Lux est prima vel secunda.* Lux prima est, quæ secundùm radiorum directionem projicitur, & efficit secundam. Lux secunda est, quæ fit è diffusione lucis primæ. Sic lux per fenestram directè à sole incidens in cubiculum dicitur prima, in angulis vero cubiculi, quo à luminoso nempe sole rectè pertingere nequit, dicitur secunda. 8. *Luminosum est veluti terminus à quo, illuminatum veluti terminus ad quem.* Hoc si quidem est objectum, illud est causa luminis, sive illud est materia ex qua, hoc verò materia circa quam. 9. *Lumen propriè loquendo non habet contrarium.* Quia contrarium dicit aliquid positivum. Nihil autem positivi assignari potest, quod lumini contrarium sit; tenebræ enim, quæ vulgò dicuntur contrariæ, nihil positivum dicunt, cùm sint mera luminis privatio vel absentia. 10. *Lux congregata est fortior.* Nam & aliarum qualitatum virtus unita fortior. 11. *Lux fortiùs illuminat objectum propinquius.* Agens enim tantò fortiùs agit, quantò patienti fuerit propinquius. 12. *Luminosum sphæricum illuminat sphærici æqualis dimidium: majoris minus dimidio.* Atque cùm oppositum lucis sit umbra, de proprietatibus quóque illius aliquot subjungamus Theoremata.

1. *Umbra terminatur radiis lucis.* Quia umbra est defectus, & absentia lucis. Terminus igitur seu finis umbræ, est luminis radius. 2. *Umbra projicitur in*

tur in partem luci oppositam. Sic umbræ Gnomonum, imò omnium corporum Sole oriente tendunt occasum versùs. Ratio autem hujus est: quia umbra fit corporis opaci interpositione, inter luminosum, & illuminatum. 3. *Vmbra retinet figuram opaci.* Quia radij corporis luminosi opacum undique tangentes, & ultra id excurrentes, umbram definiunt. 4. *Vmbra sequitur motum sui opaci, & luminosi.* Ab his siquidem figuratur, & terminatur. Igitur his motis movetur & illa. 5. *Vmbra multiplicata est umbrosior.* Quælibet enim minuit aliquid luminis. 6. *Opaci tot sunt umbræ, quot sunt opposita luminosa.* In tot siquidem projicitur partes à corpore opaci, quot luminosis corpus opacum opponitur. 7. *Vmbra lucis propioris est densior, remotioris tenuior.* Quia ibi est majoris, hîc autem minoris lucis privatio. 8. *Si Diameter sphærici luminosi sit æqualis diametro opaci sphærici, umbra habebit figuram cilindricam, seu per modum columnæ diffusam. Si major, figuram Conicam hoc est in cuspidem desinentem: si minor, turbinis specie diffusam.* 9. *Vmbra suo opaco modo æqualis est, modò brevior, modò longior, pro diversa luminosi altitudine.* Horum autem ratio est. Quia radius luminosus in corpus opacum incidens, necessariò cum illo efficit duos angulos, unum luminosum, alterum umbrosum; qui duo anguli simul sumpti semper debent esse duobus rectis æquales, ita ut nec excedant illos, nec excedantur ab illis. Quando igitur augetur luminosus, debet minui umbrosus, & quando luminosus minuitur debet augeri umbrosus; quando demum radius umbram definiens æquat duos angulos, alterum ad verticem opaci, reliquum ad terminum umbræ in objecto plano, erit umbra æqualis opaci. 10. *Vmbræ inæqualium, & parallelorum, terminatæ eodem radio, diversis, & æquè altis sunt proportionales altitudinibus.* Hinc in promptu est facillima dimensio earum altitudinum, quarum in plano umbras metiri licet. Sensus enim Theorematis hic est. Quòd sicut se habet v. g. trium pedum umbra ad altitudinem perticæ decem pedum, ita se habet umbra 100. pedum montis alicujus vel turris ad ipsam altitudinem turris vel montis quæsitam.

Iam quoad secundarium objectum visûs, colorem scilicet attinet.

Quæri potest primò. Quid sit color? Resp. Cum Arist. lib. 2. de anima cap. 7. Color est quod moveat actu perspicuum, hoc est: quod speciem sui diffundit ad oculum per medium perspicuum actu, sive in quantum est id illuminatum. Color enim sine lumine videri non potest. Sive jam hoc lumen requiratur ex parte objecti tantùm, sive ex parte medij tantùm, sive ex parte utriúsque, aut fortè ex parte oculi simul, cujus quæstionis decisio, ex infrà dicendis patebit.

Quæri potest 2. Quotuplex sit color? Resp. Esse duplicem. Alius siquidem est realis, alius intentionalis; realis est, qui ex commixtione primarum quali-

qualitatum in corpore resultat, ut albedo in nive, nigredo in pice, & rubedo in minio, ac ideò etiam inter qualitates secundas numeratur. Color verò intentionalis est, qui in eodem corpore, pro diversa incidentia luminis diversimodè nobis apparet uti est ille, qui à lumine per vitrum polygonum, vel trigonum refracto, aut certè per vitrum coloratum transmisso cernitur, & talis est etiam in Iride, ac in collo columbæ illuminatio.

Quæri potest 3. Utrum colores reales distinguantur à luce, & lumine? Resp. Ita. Idque primò. Quia idem omnino, & invariabile subjectum, & eodem lumine affectum varios potest habere colores, & jam esse viride, jam nigrum, jam album, igitur colores reales sunt distincti à luce, & lumine. 2. Quia decrescente lumine, & valde imminuto aliqui colores, sicuti est ruber, albus, & niger apparent magis intensi, quàm quando sunt in intenso lumine. Si autem non distinguerentur à lumine, deberet fieri potiùs contrarium. Ergò. 3. Marmor non solùm in superficie extrema, sed etiam intimis partibus, quas lumen penetrare non potest, aut album, aut nigrùm, aut rubrum est. Et eadem est ratio de succino flavo aut nigro, de pice, de cera flava aut alba. Igitur albedo, rubedo & flavedo non sunt solum lumen. 4. Pili animalium & hominum in eodem solis lumine illustrantur, & tamen unius sunt albi, alterius nigri, tertij rufi: & similiter vinum rubrum, & album si eidem luci exponantur in vitris ejusdem materiæ, ejusdem etiam raritatis, & densitatis, & opacitatis, adhuc tamen illud rubet, hoc autem manet album, imò etiamsi eidem prorsùs vitro, ac ad idem lumen infundatur successivè: quia per artem sat vulgarem fieri potest, ut in eodem vitro sit pars una inferior rubra, altera superior alba, vel è contra, ergò. 5. Lumen nullum habet contrarium, albedo autem & nigredo sunt contraria. Igitur albedo, & nigredo contradistinguuntur à lumine, âtque consequenter, & alij colores ex albedine, & nigredine mixti, cujusmodi non sunt omnes reliqui. 6. Chamæleon eandem opacitatem, & densitatem vel raritatem retinens, ac in eadem incidentia luminis, ex vicinitate tamen diversorum colorum vicinorum, diversi etiam coloris apparet: eodem modo cancer crudus si coquatur rubedinem contrahit, qui tamen priùs niger erat, esto in eo maneat eadem opacitas, & licèt eidem lumini solis vel ignis exponatur. Igitur colores reales sunt aliquid contradistinctum à lumine.

Quæri potest 4. Utrum etiam colores intentionales distinguantur à lumine? Resp. Colores intentionales nihil esse aliud, quàm ipsum lumen, ac proinde non distingui à lumine, unde etiam hi colores, apparentes duntaxat & fictitij nuncupantur. Ratio est. Quia hi colores secundùm diversum aspectum, distantiam, & situm ad corpus luminosum circa idem objectum, & per idem medium variè sese visui repræsentant, quod sanè indicium est eos nihil esse aliud, quam ipsam lucem in corpore receptam.

Dices. Colores intentionales non differunt à lumine, ergò néque reales. Resp. Negando consequentiam. Disparitas est. Quia refractio ex qua oriuntur hi colores intentionales, non causant omnem colorum varietatem, qualem vide-

videmus fine illa in corporibus varijs, sed tantùm viridem, flavum, rubeum, & his vicinos, nunquam autem nigrum, qui tamen est inter primarios ex coloribus realibus. 2. Quia ad colores intentionales requiritur corpus Diaphanum, & transparens, quod radius luminis transmittendo frangat: colores autem reales maximè sunt in corporibus opacis, quæ lumen repellunt, & non transmittunt, igitur non sunt lumen refractum.

Quæri potest 5. Utrùm colores intentionales sint veri colores, an tantum apparentes? Resp. Quæstionem esse de nomine. Si enim per colores veros non aliud intelligatur, quàm quòd verè terminent visum, sunt omnino veri, imò hoc sensu etiam reales. Si verò per colores veros intelligantur tantùm ij, qui sunt à lumine contradistincti realiter, & quia à temperamento primarum qualitatum oriuntur, non possunt dici veri, & reales colores, sed tantùm apparentes.

Quæri potest 6. Unde oriatur colorum varietas? Resp. Colorum apparentium varietatem oriri ex diversitate incidentiæ luminis, & radiorum, prout varij partim recti, partim reflexi, partim refracti, aut alio modo mixto se habentes inter se reciprocantur, idque vel ex diversa habitudine objecti, ad luminosum, vel ex diversa incidentia luminis in oculum ratione medij, ut fit dum objecta per vitra trigona aut polygona inspicimus. Concurrunt tamen quandóque ad horum varietatem, & colores reales: sic fit ut coloribus rerum adjacentium objecta, quæ intuemur, perfundantur, vel dum per vitrum coloratum lumen transmittitur. Varietas autem colorum realium oritur ex vario temperamento primarum qualitatum, & sic juxta Aristotelem niger color oritur ex commutatione quadam, aquei humoris ad siccitatem: albus ex copia humoris aquei non concocti. Ex horum autem commixtione oriuntur omnes reliqui. Quidam autem singulis elementis in misto coëuntibus, ita colores adscribunt. Ut albus sit in sicco, & in terra, hoc est terream portionem comitetur. Viridis in humido crasso, cujus quasi Mater sit aqua. Cæruleus in humido tenui, qui sit ab aëre. Flavus in calido qui oriatur ab igne. Atque sic de cæteris. Admitti tamen debet etiam ad colorum realium varietatem conferre non parùm in misto majorem minorémve diaphaneitatem, opacitatem, raritatem, densitatem, lævitatem, asperitatem, remotionem, vel propinquitatem ad lucem, diversámque hujus in illud incidentiam. Varietatem item medij (quoad eorum apparentiam) uti & oculi variam dispositionem.

Quæri potest 7. Quotuplex sint reales colores? Resp. Esse duplices. Medios scilicet, & extremos. Colores extremi sunt albedo & nigredo. Medij autem 5. nempe: viridis, violaceus, cæruleus, rubeus, & flavus. Cæteri autem omnes tantùm ex horum diversa commixtione fiunt.

Paucu-

Pauculis his quæstionibus de coloribus adjungamus aliquot communia coloribus, & lumini Theoremata.

1. *Tam lucida, quàm colorata illustrata profundunt à se ad oculum per medium non impeditum species sui visibiles.*

2. *Species hæ visibiles prosiliunt ex omnibus partibus corporis luminosi, & colorati, à luce illustrati.*

3. *Species prædictæ profunduntur lineis rectis ad oculum, nisi aut à corpore speculari, aut à medij diversitate incurventur.*

4. *Lumen & species objecti colorati, circumquáque in modum sphæræ diffunduntur.*

5. *Quodlibet punctum objecti luminosi, & colorati propagat lumen & species, intra sphæram propagationis in totum medium; & totum objectum in quodlibet medij punctum.* Clarum est id experientiâ. Nam si in locum clausum per foramen aliquod, species alicujus corporis colorati ingrediantur, & obversâ chartâ excipiantur, apparet in charta quodlibet objecti punctum, quod chartam respicit. & tota objecti obversi facies.

6. *Radij à luminoso, & colorato profusi, alij æquidistant, alij se se intersecant, alij in diversa abscedunt.* Cùm enim quodcùnque punctum corporis luminosi, & colorati profundat radios rectos, versùs quamcúnque partem; necesse est radios illos omnes facere inter se varios angulos, alios rectos, alios obtusos, alios acutos, adeóque multos ex ijs sese intersecare, alios verò in diversa abire.

7. *Luminosum & coloratum complent totam virtutis suæ sphæram in instanti si sint debitè applicata.* Ratio est, quia néque lumen, néque species habent contrarium positivum in medio, quod debeant vincere átque expellere. Habetur id ipsum experientiâ, quia proposito luminoso, & colorato illicò videtur, nec sicut in soni perceptione intervenit mora aliqua; signum ergò est illicò diffundi per medium eorum radios, ac species.

Iam verò circa ipsam visionem.

Quæri potest 1. In qua parte oculi fiat visio? Resp. 1. *Eam non fieri in nervo optico.* Cùm enim omnia agentia naturalia exigant per lineam rectam agere, species quóque objecti debent fieri directâ lineâ ad oculum. Hi autem nequeunt ferri lineâ rectâ ad nervos opticos, hi siquidem non jacent in axe optico, sed ad latera uti ex Anatomia constat. Ergò. *Nec 2. Eam fieri in humore crystallino.* Nam pars illa oculi in qua fit visio debet esse talis, in qua possunt recipi species objectorum (visio siquidem nihil aliud est, quàm speciei visibilis in oculum receptio) & quæ valeat easdem terminare, & simul colligere. Humor verò crystallinus non est talis pars oculi, cùm sit corpus perfectè diapha-

num, sed néque possunt ipsum permeare species objecti nisi valdè confusè. Cùm enim sit homogeneus, non est ratio, cur in uno puncto tantùm colligantur, igitur diffunduntur sparsim per omnes illius partes, adeóque in eo non posset formari visio clara, ac distincta. Ob has easdem rationes multò minùs fit in *humore vitreo*, Sed néque 3. fit in *Sclerode*, aut *Choroide*. De *Sclerode* constat, cùm ad illam radij luminis non perveniant. De *Choroide* majus posset esse dubium; cur tamen in ea non fiat, ratio est. Quia durior est, quàm ut à lumine, & radijs visibilibus affici possit. Nec 4. *fit in Cornea*. Quia si macula vel albugo pupillam tegat, licèt radij in corneam incidant, non tamen propterea videt. In *Vvea* autem, & *humore aqueo* eam non fieri nullus dubitat. Nec demum fit visio in *aranea*. Quia nec in hac sistunt species visibiles, sed nec aliter eam penetrare possunt, quàm inter se penetratæ, & loco indistinctæ, adeóque ad invicem confusæ. Fit igitur visio *in Retina*, 1. Quia in retina tanquàm proximiori nervis opticis, Spirituum animalium, visioni formandæ necessariorum, major quàm in ulla alia parte oculi reperitur copia. 2. Quia in ea species visibiles sistunt, átque apparent distinctæ, & debito ordine collocatæ. 3. Quia ex omnibus partibus oculi ad recipiendas species, & repræsentanda objecta est aptissima, habet siquidem se instar speculi; sicut enim in speculo diaphaneitas vitri plumbeo folio occupatur; sic etiam retina, quæ secundùm se est diaphana, habet à tergo tunicam uveam spissiorem, quæ suâ opacitate species sistit, retinet, & colligit.

Quæri potest 2. Quâ ratione visio fiat in oculo? Resp. Eo prorsùs modo, quo modo repræsentatur objectum, per intromissionem specierum in aliquod obscurum conclave, quod experimentum explicat totam naturam visionis. & plenè confirmat eam fieri in *Retina*. Fit autem hæc introductio sive intromissio specierum tali modo. Cubiculum aliquod ex quo est prospectus in forum, aream, aut alium locum similem rebus spectantibus instructum undique claudatur, ita ut ne minima lux illud intrare possit, hoc facto fiat foramen in clausa fenestra exiguum, cujus diameter sit latitudinis digiti minoris; in hoc foramen collocetur vitrum convexum ex spicillo vel tubo optico; his factis, tum intus in cubiculo chartam aut tabellam albam oppone vitrum versûs, in ea distantia, quam admovendo, & removendo eam te usus docebit, & videbis in ea omnes res, quæ è regione vitri consistunt, suis coloribus, & figuris, distinctissimè per omnia præsentatas; potest autem hoc experimentum exhiberi, etiam sine vitro per solum foramen, si illud sit rotundum, & valdè minutum, ac spatium pro distantia objectorum sufficiens existat, multò tamen meliùs succedit cum vitro; habet verò hæc intromissio specierum hoc incommodi, quòd licet per illam secundùm omnia lineamenta res aepræsententur, non tamen eo situ, quo sunt foris, apparent, nam partes objecti superioris videntur esse inferiùs, inferiores verò superiùs, sinistræ ad dextram, & dextræ ad sinistram. Verùm & huic incommodo varijs vijs obviari potest: primus itaque modus erigendi species inversas est, ope magni speculi

culi concavi, si enim illud in loco obscuro è regione foraminis apposueris, accedendo, & recedendo cum illo tam diu, donec in eo in justa quantitate res, quarum species sunt intromissæ appareant, & simul ea quæ centro speculi vicina sunt, minora, & inversa videantur; tunc si speculum ab hoc loco magis elongaveris, objecta erecto situ aspicies. Secundus est iste: extra cubiculum obscurum paulò infra foramen, pone speculum planum, vel peluim aquâ limpidâ plenam; tunc enim species rerum in speculum vel aquam incidentes, repercutientur, & subintrantes foramen, exhibebunt rerum imagines erectas, in opposita charta, aut tabella. Tertius est, subsidio alterius vitri convexi, si enim inter vitrum illud, quod est in foramine fenestræ, & chartam, quâ vis species rerum percipere, interponas aliud vitrum convexum; hoc posterius acceptas à priori species eversas, denuò evertit, & sic ad chartam situ erecto transmittit. Sed difficultas est invenire distantiam, in qua hoc alterum vitrum convexum collocari debeat, hanc tamen sic reperies: vitro fenestræ inserto oppone chartam, in ea distantia, ut specierum confusio perfectissima in illa appareat, quod tunc erit, quando nullum colorem, sed meram lucem in ea aspicies, átque hæc distantia erit, in qua alterum vitrum convexum collocari debet: optimè autem feceris, si tantæ distantiæ tubum confeceris, & utrumque vitrum illi imposueris; jam si post secundùm hoc vitrum, chartam in debita distantia (quam experientiâ disces) tenueris, apparebunt in ea res, quæ foris sunt erectæ, cum debito situ, figura, & colore. Quartus est per inversionem rerum extra foramen positarum, si earum conditio id permittat, si verò sint tales, quarum id conditio non permittit, tunc per inversionem imaginum earum, átque juxta hunc ultimum præsertim modum, integræ sylvæ, feræ venationes, personæ multáque alia curiosa, úsque ad admirationem aspicientium exhiberi possent. Et hâc arte censendus est exhibuisse quidam Rudolpho II. omnes antecessores Cæsares úsque ad Carolum V. & Canonicus ille Salisburgensis, cujus mentionem facit Delrio, qui omnium suorum Canonicorum parentes pridem vitâ functos in quodam convivio domi suæ instructo produxit. Sed jam ut ad propositum nostrum redeamus, ostendamus visionem in oculo hoc prorsus modo fieri. Oculus igitur gerit vicem cubiculi; tunicæ oculi, vicem parietum; humores, aqueus, & albugineus, oculum replentes, vicem aëris replentis cubiculum; *Vvea* est instar fenestræ clausæ; pupilla instar foraminis; humor crystallinus instar vitri lenticularis, seu convexi post foramen applicati; retina instar chartæ foramini oppositæ. Prætereà sicut fenestra cubiculi clausa secernit aërem externum ab interno, eúmque dividit in anteriorem, & posteriorem, & simul lumini, & speciebus non permittit ingressum, nisi per foramen; ita & tunica *Vvea* dividit humorem aqueum in anteriorem, & hunc ab illo secernit tanquam internum ab externo, & simul lumini, ac speciebus non dat ingressum, nisi per pupillam. Rursus sicut aperto foramine cubiculi, prout majus, vel minus est foramen, lumen, & species in majori, vel minori copia ingrediuntur in cubiculum; ita apertâ pupillâ oculi, prout ea magis, vel minùs dilatatur, aut constringitur, eò etiam majus, vel minus lumen cum speciebus in oculum

ingrediuntur: inſuper ſicut poſt primum vitrum convexum fit undique decuſſatio radiorum in cubiculo, ita ut partes objecti ſuperiores vergant infrà, inferiores verò ſupra, dextræ ad ſiniſtram, & ſiniſtræ ad dextram, idque ex natura radiorum; ita poſt pupillam, & humorem cryſtallinum fit ſimilis decuſſatio in oculo eorundem radiorum, idque ex natura ipſorum: & demùm ſicut per alterum vitrum convexum, aut ſpeculum concavum eriguntur ſpecies rerum, priùs à foramine, & vitro convexo in eo conſtituto everſæ; ita per retinam eriguntur ſpecies rerum, à pupilla, & humore cryſtallino priùs everſæ.

Quæri poteſt 3. Unde id proveniat, quòd ſpecies objectorum tam in data experientia de intromiſſione ſpecierum, quàm etiam in oculo decuſſentur, ſeu invertantur? Reſp. Id provenire ex eo, quòd ſpecies viſibiles ferantur lineâ rectâ: quando igitur veniunt ad foramen anguſtum, cujusmodi eſt pupilla, aut illud, per quod fit intromiſſo ſpecierum, neceſſariò decuſſantur, hoc eſt, ſpecies ſuperioris partis objecti, exempli gratiâ, turris alicujus, per rectam lineam vergentes, neceſſariò incidunt deorſum, & ſpecies partis inferioris ejusdem neceſſariò incidunt ſurſum; & ſimiliter ob eandem rationem dextræ ſiniſtrorſum, & ſiniſtræ dextrorſum tendunt. Res hæc clarè demonſtratur in optica; ſed ſimiles demonſtrationes conſultò hîc prætermittimus.

Quæri poteſt 4. Quid ſint hæ ſpecies viſibiles? Reſp. Eſſe qualitates ab objecto viſûs, lumine ſcilicet, & colore, per totum medium productas, quæ in oculo cum potentia viſiva junctæ, loco, & vice objecti effectivè concurrunt ad viſionem.

Quæri poteſt 5. An reverâ dentur tales ſpecies; hucúsque enim videmur tantùm ſuppoſuiſſe dari? Reſp. Contra Nominales affirmativè. 1. Quia potentia viſiva ex ſe eſt indifferens ad percipiendum hoc, vel illud objectum, non tantùm in actu ſecundo, verùm etiam in actu primo! ergò debet tolli in ea hæc indifferentia per aliquid, ratione cujus reddatur potentia viſiva potens in actu primo proximo hoc potiùs objectum percipere, quàm illud: atqui aliud tale determinativum potentiæ viſivæ non poteſt eſſe, quàm ſpecies objecti: ipſum enim objectum id præſtare non poteſt, cùm ſit diſtans, & formaliter abſens: ergò dantur tales ſpecies, quæ præſtent rationem vicariam objecti. 2. Secundùm omnes, objectum concurrit ad viſionem, juxta illud S. Auguſtini: *objectum, & potentia pariunt notitiam:* atqui objectum per ſe non poteſt concurrere ad viſionem, cùm objecta percipiamus etiam remotiſſima; imò ſi objectum eſt immediatè conjunctum potentiæ viſivæ, non poſſumus illud videre: ergò debet concurrere per aliquam virtutem à ſe emiſſam. Hæc autem alia eſſe non poteſt, quàm dictæ ſpecies viſibiles: ergò. 3. Si opponatur aliquod impedimentum, hoc eſt, corpus opacum inter objectum viſibile, & oculum, ſtatim ceſſat viſio, quæ erat: ſed hæc impeditio non poteſt aliunde provenire, quàm quòd corpus opacum impediat transmiſſionem ſpecierum viſibilium: ergò dantur ſpecies viſibiles. 4. Dum intuemur ſpeculum, aut alterius oculi pupillam, vel aquam, videmus nos ipſos in illis: ſed hoc aliunde provenire non poteſt, niſi quia radij ſpecierum à nobis emiſſarum, & luminis,

minis, impingentes in hæc objecta ſpecularia, rurſus ab illis ad nos reflectuntur, & remittuntur ad noſtros oculos: ergò dantur hujusmodi ſpecies. 5. Quia plurimæ ſunt experientiæ in rebus opticis, quæ, niſi admittantur ſpecies viſibiles, nullo modo aut intelligi, aut explicari poſſunt; quales exempli gratiâ ſunt, cur in flumine, & homines, & arbores, turréſque, quæ erectæ ſunt, inverſæ tamen videantur? cur non in omni loco ſe homo in ſpeculo videat, ſed tantùm in linea reflexionis? Cur per vitrum polygonum, ſeu multorum angulorum una eademque res decies, & ſæpiùs multiplicata appareat? Cur per vitra auctoria res parvæ ingentes, & per vitra concava res magnæ exiguæ videantur; multáque alia his ſimilia, quarum tamen omnium admiſſis ſpeciebus viſibilibus, ſine ullo negotio aſſignantur cauſæ, ut infrà videmus: ergò.

Quæri poteſt 6. A quo & quomodò producantur hæ ſpecies viſibiles? Reſp. Eas produci ab objecto illuminato, & colorato, ſive à colore & lumine ſimul, & quidem ſphæricè, hoc eſt, in orbem quaquaverſus lineis rectiſſimis per medium diaphanum, & transparens illas transfundendo, quoúſque occurrat corpus aliquod opacum: occurſus enim hujus illorum productionem ſiſtit, ídque in inſtanti, ut jam ſuperiùs inſinuatum eſt.

Quæri poteſt ultimò, utrùm viſio fiat per extromiſſionem radiorum ex oculo? Reſp. Cum Ariſtotele negativè, contra Platonem, ejúſque aſſeclas, qui dicebant, viſionem fieri per emiſſionem radiorum viſivorum ex oculis versùs objectum, non verò per receptionem alicujus provenientis ab objecto in oculos. 1. Quia incredibile eſt, quòd tam exiguus oculus habeat tantam activitatem, ut poſſit ejaculari tot radios, tam procul; & tam continuò. Id ipſum probatur 2. ex ijs, quæ hactenus dicta ſunt de intromiſſione ſpecierum, ex quibus clarum eſt, potiùs ab objecto emitti aliquos radios ad oculum, quàm ab oculo ad objectum. Plures rationes ad probandam rem tam claram hîc prætermitto. Ea verò, quæ pro contraria ſententia adferri ſolent, ſolventur paragrapho ſequenti in reſolutione problematum ad objectum viſûs, & viſionem ſpectantium. Porrò ad ipſam viſionem tria requiruntur præter objectum coloratum, & illuminatum. 1. *Organi viſorij incolumitas.* 2. *Applicatio activorum ad paſſiva*, & hæc eſt ſpeciei viſibilis in oculum receptio, tribus conſtans membris, *angulo viſionis*, *axe optico*, & *diametro oculorum*. *Angulus viſionis* eſt angulus verticalis figuræ opticæ in oculo exiſtens. *Axis opticus* eſt radius tranſiens per omnia centra tunicarum oculi úſque ad retinam vel planè usque ad medium gyrationis concavi nervi, ſuper quem compoſitus eſt oculus. *Diameter oculorum* eſt recta connectens centra oculorum. 3. *Medium opticum*, quod eſt corpus pellucidum radijs pervium. Ubi etiam nota, viſionem talem fieri, qualis eſt ſpecierum objecti luminoſi, & colorati, donec ad oculum perveniant, ratione medij, per quod tranſeunt, facta modificatio.

§. IV.

Resolvuntur centum Problemata ad objectum visûs, & visionem spectantia.

EX principijs, ac fundamentis præmissis de natura, ac proprietatibus luminis, coloris, ac visionis ipsius, facilè resolvuntur sequentia centum problemata, ac ex eorum resolutione simul veritas dictorum fundamentorum confirmatur.

Atque in primis explicantur omnia, quæ ad *Litheosphoron* lapidem Mineralem, seu Bononiensem (vulgò sic dictum, quòd in agro Bononiensi nascatur) pertinet. *Is enim* 1. *rectè calcinatus, & ustus, debitóque modo præparatus, si primùm soli exponatur, ac deinde in obscuro conclavi conspiciatur, lumen emittit ad instar carbonis accensi.* Nempe quia luminis solaris, ac consequenter caloris appulsu subtilissima illa materia accenditur, átque tenui humore per rarefactionem avolante, particulæ ignis, quæ eidem insunt, metu vacui colliguntur, sicque lucem emittit. 2. *Cur idem lapis faciliùs, & meliùs mediante calore solis, quàm ignis elementaris accendatur?* Quia cùm solis calor in puris radijs diffundatur, facilè ille permeat lapidem dictum, utpote ex parte diaphanum: at verò ignis sublunaris cùm multo halitu permisceatur, eundem lapidem subire non potest. 3. *Cur, si taliter accenso jam eidem lapidi oculus proximè admoveatur, aliquis calor in oculo sentitur?* Is enim provenit ab igneis illis subtilissimis particulis, qui facilè calorem sentit, est siquidem texturæ delicatissimæ. 4. *Cur verò flamma illa non sentiatur communi ipso tactu?* Quia materia illius concipiendo igni apta, à partibus solidioribus, & durioribus continetur, adeóque cùm sit aliunde subtilissima, tantam vim non habet, ut tactum communem permeet, & sensationem in illo efficiat. 5. *Cur idem lapis jam sic accensus odorem sulphureum emittat?* Quia scilicet illius materia sulphure abundat; quod per ignem à sole conceptum rarescit, sicque qualitates nativi sui odoris copiosiùs emittit. 6. *Cur in obscuro tantùm conclavi prædicta lux in eodem lapide conspiciatur?* Quia cùm sit delicatissima, à majori quasi lumine extingvitur. 7. *Cur si frangatur idem lapis, postquam fuit aliquamdiu soli expositus, etiam in nova superficie lucet?* Quia non in sola superficie, sed per totum corpus accenditur. 8. *Cur æstivo tempore plus lucis proferre videtur, quàm hyberno?* Tum quia æstivo tempore solis radij potentiores sunt, utpote minùs inclinati; tum quia major calor æstivo tempore aëri immixtus, communem radij actionem auget. 9. *Similiter tempore humido minùs lucet.* Quia humoris particulæ, quæ se in poros insinuant, particularum ignis collectionem impediunt. 10. *Lunari lumine non accenditur.* Quia lumen lunæ debilius est, quàm ut prædictam materiam accendat. 11. *Lux accensa lapidis sensim evanescit.* Quia partes humoris tum adscititiæ, tum quæ modico illo calore rarescunt, ignis particulas dividunt: sic námque & carbones extingui vide-

videmus. 12. *Quò diutiùs radio solari perfunditur, majorem lucem concipit.* Quia diutiùs causa applicata plus agit. 13. *Si vel tenui flatu perfletur, extinguitur.* Quia subtiliores aëris afflatæ particulæ, particulas ignis subdividunt: sic enim prorsus, & ignis extinguitur. 14. *In pyxide clausa diutiùs hoc lumen lapidis perdurat.* Quia hoc modo ab aëris frigiditate, & humiditate meliùs custoditur. 15. *Si immergatur in aquam per aliquod tempus, suâ virtute lucenti privatur.* Quia humor, qui sensim per poros subit, præparatam illam materiam diluit, & prorsus ineptam ad recipiendum lumen, & ignem concipiendum efficit. 16. *Si, postquàm senuit, frangatur, partes illæ interiores aliquid adhuc pristinæ illius virtutis servant.* Quia exteriores partes citiùs resolvuntur, ut patet in omni resolutione. 17. *Si non servetur in pyxide clausa, sed detectus maneat, citiùs virtutem suam amittit.* Quia faciliori effluvio materia illa evolat. 18. *Si radij solares speculo, vel vitro colligantur, per reflexionem scilicet, & refractionem, & lapis in foco luminis collocetur, majorem tamen lucem non concipit.* Quia scilicet tunc calore nimio partes plus æquo dissolvuntur. Atque hæc circa experientias in lapide Litheosphoro dicta sufficiant. Jam ad alios effectus luminis veniamus. 19. *Lumen solis colores minùs vegetos reddit, v. g. si peristromata vegetis coloribus tincta, soli diù exponantur, tandem pallescit color; quod videre est maximè in cortinis fenestrarum soli oppositarum: item in imaginibus, si frequenter soli exponantur, præsertim recenter adhuc pictis.* Quia solis calore subtiliora illa corpuscula, quæ materiam tingunt, & colores accendunt, sensim tandem resolvuntur. 20. *Ubi quis evigilat, nictanti solùm oculo lucem aspicit.* Quia per quietem oculus maximè spiritibus vitalibus reficitur, ob quorum copiam, si tunc lumen affulgeat, vix lucem sustinere potest, sed cum multa nictitatione eandem respicit. 21. *Ubi quis è tenebris, in quibus diù delituit, in lucem prodit, vix quóque lucem sustinere potest.* Ob eandem nempe rationem. 22. *Accidit aliquando, ut si quis per multos annos in tenebris degat, vel cæcus fiat, vel maximè visus hebetetur.* Quia scilicet retina defectu luminis, & consequenter coloris externi, quo recreatur, ac reficitur, in tantum posteà induratur, ut affectioni luminis appulsu excipiendæ vel prorsùs inepta, vel parùm apta sit. 23. *Cur, qui è luce magna, vel splendore nimio, si illud intensè intueantur, ubi in obscurum cubiculum se recipiunt, aliquod rubri splendoris se in oculis habere putent?* Quia scilicet prior affectio retinæ, fortiter retinæ impressa, adhuc remanet, & sensim perit. 24. *Cur, qui ex illustri loco in obscurum conclave se recipiunt, nihil eorum videant, quæ ab aliis ibidem videntur?* Quia debile illud lumen, debilem tantùm affectionem imprimit, quæ ab illustriore jam antè impressa facilè superatur. 25. *Cur, si humidis præsertim ciliis, & nictantibus, lucem candelæ v. g. aspiciamus, radij diffracti ab eadem progredi videantur versùs oculum?* Id enim à reflexione ciliorum provenit, dum cilia quasi committuntur, & palpebræ ex parte clauduntur. 26. *Cur ijdem radij tremere videantur?* Quia lucis species ratione motûs ciliorum tremulo motu subsultant. 27. *Cur iidem radij curvi esse videantur?* Quia ipsa cilia, per quæ transeunt, curva sunt. 28 *Cur demùm hi radij duplicis ordinis ad oculum veniant?* Hoc enim contingit ob duplicem ordinem ciliorum. 29. *Cur per vitrum viride omnia*

mnia viridia, per rubrum, aut flavum, vel cæruleum, omnia objecta rubra, aut flava, aut cærulea intueamur? Quia species objectorum, & præsertim luminis, transeuntes per medium ad oculum, tinguntur colore medij, per quod transeunt. 30. *Cur in prismate vitreo trajecti radij varios colores exhibent, ac repræsentant?* Id enim provenit ex varia radiorum reflexione, ac refractione. 31. *Cur albedo, maximè illustris, visum perstringat, disgreget, ac malè afficiat?* Quia multum luminis importat, & consequenter majorem etiam vim oculo imprimit, sicque delicatissimas partes ejusdem vehementiùs distrahit. 32. *Cur illis, qui diù per nives iter faciunt sereno cœlo, oculi perstringuntur?* Quia similiter nix multum luminis reflectit, igitur maximam affectionem oculo imprimit, adeóque retinam valdè calefacit, átque resolvit. 33. *Cur legentibus librum ad lumen ex nivibus reflexum, post aliquod tempus litteræ aliàs nigræ, videantur virides, ac demùm semirubræ?* Quia per vehementiam luminis potenter alteratur organum visûs, eidémque species luminis, ac albedinis fortiter imprimuntur, quæ posteà degenerant in colorem viridem, ac dein semirubrum, ex eo, quòd hi colores sint viciniores, & magis affines luci, ac albedini. 34. *Cur, quò flamma purior est, candidior sit?* Quia pura flamma illa est, cui partes heterogeneæ admistæ non sunt, id est, partes non accensæ: cùm ergò omnes illius partes sint accensæ, magis quóque sunt lucidæ, adeóque magis ad candorem accedentes. 35. *Cur nubes aliquando albescant?* Quia tunc ex ficciore halitu constant. 36. *Cur aliæ nubes nigrescant?* Quia è contrà plurimum vaporis habent. 37. *Cur aliæ item rubescant?* Quia adustam terream continent exhalationem. 38. *Cur demùm varios repræsentent colores?* Ex varia scilicet incidentia luminis, & varia copia vaporis. 39. *Vnde sint colores Iridis?* Nempe ex radiorum solarium incidentia. 40. *Cur tres tantùm sint colores præcipui in Iride; & primus quidem, id est, altissimus; flavus; medius viridis, infimus purpureus?* Quia tres tantùm sunt in ea modificationes luminis. Jam verò quia lumen cum exigua opacitate efficit colorem flavum, cum majori purpureum, ac opacitas nubis exigua sit in parte extima, mediocris in media, major in parte inferiori, inde tres dicti colores ordine prædicto exprimuntur. 41. *Cur aqua superficies extra punctum lineæ perpendicularis videatur esse nigra?* Quia est diaphana saltem ex parte, & superficiem lævigatissimam habet, igitur paucissimos radios ad eundem oculum reflectit. 42. *Cur luxurians herba nigricantem viriditatem præferat?* Ob nimium scilicet terreum, cúmque internum humorem, & succum, qui virorem versùs nigrorem promovet. 43. *Cur è contrà successu temporis eadem herbæ, uti & frondes, ac folia flavescunt?* Ob contrariam scilicet rationem, nempe siccitatem, & exsuccam indolem. 44. *Cur alij pili nigri sint?* Id provenit propter humorem adustum. 45. *Cur alij cirrati?* Ob eandem prorsùs rationem. 46. *Cur aliorum crines perenni uligine madere videantur?* Ob adustum eundem, & simul pingvem humorem. 47. *Cur Æthiopes nigri sint?* Habent siquidem cutem adusto succo dilutam, vel unctam. 48. *Cur pulvis sulphureus niger sit?* Propter carbonem admixtum; nec enim vel nitrum, vel sulphur tam atrum nigrorem præferret. 49. *Quædam aquæ saxa nigrefaciunt, ubi scilicet diù in alvei fundo latuerunt.* Quia uligo quædam illis inest, quæ

saxis

saxis adhæret. 50. *Sol, & Luna, juxta ortum, & occasum rubent.* Quia juxta horizontem maxima est vaporum vis, quæ radios sistit, ac refringit. 51. *Quidam flores rubri sunt.* Quia nimirùm succo jam bene percolato constant. 52. *Fructus plerique, antequam maturescant, viridem colorem præseferunt.* Quia humor illorum, quo constant, necdum est perfectè percolatus: antequàm enim gratum illum ruborem præferant, maturari debent; porrò in tantum maturantur, in quantum cruda corpuscula à succo interiore devecta subigantur, ac macerentur, quod præsertim fit percolatione. 53. *Si zona ex filis nigris, & albis contexatur, videbitur cærulea, præsertim ad lucernæ lumen.* Qui cæruleus ex albo, & nigro constat, nec fit aliter, quàm ex mixtione duorum horum. 54. *In plumis multò major est varietas colorum, quàm in pilis.* Quia in plumis accuratior fit percolatio humorum, ut constat ex multiplici earum organo; in pilis verò minùs accurata, cùm ijs vix aliquid organi inesse videatur. 55. *Pauci flores sunt nigri coloris.* Quia ubi est perfecta percolatio succi, nisi summus calor adurat, vix nigror est; in floribus verò succus alimentitius accuratissimè est præparatus, & percolatus, néque tantus calor floribus inest, qui succum illum adurat: hinc pauci flores sunt nigri coloris. 56. *Vnde tanta etiam in una, eadémque Tulipa colorum varietas?* Quia in majore bulbo materia diligentiùs asservatur, & præparatur; in crassiore, & altiore caule meliùs percolatur; denique in oblongo, & quasi elliptico, solique ad instar speculi exposito meliùs concoquitur. Ex varia autem præparatione, & dispositione succi, varia etiam colorum consequitur ratio. 57. *Eadem Tulipa, quæ talem hoc anno colorem præfert, alium sequenti præfert.* Quia vix fieri potest, ut duobus annis consequenter sit eadem tum solis, tum cœli temperies, quâ certè mutatâ, totum ferè illud mutatur, quod ad concoctionem, percolationem, & præparationem succi conferre potest; his autem mutatis, mutatur & color. 58. *Aliquando etiam in eodem folio Tulipæ diversi sunt colores.* Ratio hujus à diversis fibris petitur, quæ diversum plexum habent, ac proinde diversimodè succus in ijs præparatur, ac percolatur; átque ex hac diversitate diversus quóque color provenit. 59. *Aliquando accidit, ut in Tulipa color exterioris faciei, colori interioris sit omninò similis.* Quia utrínque perfecta est fibrarum similitudo. Est enim in Tulipa duplex membrana, interior scilicet, & exterior, & quælibet suis fibris constat, átque tunc succus eodem modo ex utráque parte percolatur, hinc idem utrínque color. 60. *Rursus aliquando contrarium planè accidit.* Quia non semper est utriúsque idem fibrarum plexus, vel quia non semper est idem solis respectu utriúsque aspectus, hinc diversa est succi concoctio, adeóque & color. 61. *Subinde albæ in rubras, & vicissim rubræ in albas eodem etiam anno transeunt.* Propter mutationem succi, ejúsque diversæ concoctionis, ex qua cùm hi colores sint sibi valdè affines, unus in alterum facile mutatur. Analogiam habes in lacte, & sanguine: lac enim in sangvinem, & sangvis in lac vicissim mutatur ex simili ratione. 62. *Aliqua Tulipæ eundem semper colorem habent.* Quia fibrarum plexum constantiorem habent, & firmiorem, adeóque concoctionem succi, & consequenter colorem. Ex eadem ratione nonnulli flores nunquam colorem mutant. 63. *Si negligatur horum*

florum

florum culturæ, statim degenerant. Quia crudo succo nutriuntur, qui cùm accuratè percolari non possit, nullum colorem, qui aliquo in pretio sit, depingit, sed in vulgarem subflavum, aut rubrum abit. 64. *Aliquando in albo flore purpurea nota cernitur, quasi sanguinis gutta in medio lacte.* Quia casu non semel contingit, ut quædam percolandi succi crassiores particulæ obstructionem alicubi faciant; hinc macula, & diversus color. 65. *Vnde pili albescant, sive canescant?* Defectu scilicet humoris: humor quippe affusus cuncta denigrat. 66. *Vnde subflavus color crinium oriatur?* Ex humore scilicèt probè subacto, & excocto, ac percolato. Analogiam habes in cortice pomi, vel pyri maturi. 67. *Cur flamma ligni viridis, & crudi subrubeat?* Quia multùm humoris in vapidum fumum ex eo exhalatur, adeóque flammam impuram nutrit, átque hinc subrubet. 68. *Cur cicindelæ volantes alternis tantùm scintillationibus luceant?* Nempè propter alarum motum, quas modò contrahunt, modò explicant; dum explicant, lux illa videtur; dum contrahunt, obtegitur. 69. *Cur autem solùm in tenebris lucent?* Quia modica illa lux est minima, adeóque in majori videri non potest: minor siquidem lux à majori obruitur. 70. *Squamæ quorundam piscium in tenebris lucent.* Propter succum uliginosum, in quo particulæ lucis retinentur, & ab humore conservantur. 71. *Lignum putridum etiam noctu lucet.* Ratio petitur similiter ab uligine quadam ei adhærente: hinc si hujusmodi lignum per aliquod tempus aëri sit expositum, ampliùs non lucet, nempe quia subtilis illa uliginis materia vel resolvitur, vel dividitur. 72. *Colores varii floribus arte induci possunt.* Nempe vel insititiâ arte, vel varietate succi, non tamen metallici, quam rem alibi jam pertractavimus. 73. *Vnde tanta colorum in animalibus varietas?* Pleráque licèt animalia ex naturali complexione, & temperamento sibi certum colorem vendicent, ideóque semper ferè eo ornata appareant; nonnulla tamen ex locorum, & climatum constitutione etiam à specie sua alienum colorem, uti & ab imaginatione matrum acquirere, certum est. 74. *Quâ ratione flammæ diversis coloribus tingi queant?* Nam si in scutella quapiam ærugineum colorem aquæ vitæ commiscueris, & deinde præparatum liquorem accenderis, videbis flammam intenso colore virentem. Si cinnabarim dicto liquori immiscueris, accensus liquor exhibebit tibi flammam rubram. Si Sulphur admiscueris liquori, cæruleam, átque sic de cæteris. 75. *Vultus, & manus aliquamdiu durabili colore tingi possunt.* Varijs scilicèt succis. Sic succus juglandium, & corticis malorum granatorum nigrum, oleum mellis rubicundum, sulphuris suffumigatio pallidum, potus ex cumino lividum, extremæ fibræ pedum cancrorum interioris partis, purpureum colorem inducunt. 76. *Vtrùm lumen necessarium sit ad visionem ex parte medij?* Lumen non requiri ex parte medij patet ex eo, quòd quò medium est obscurius, hoc objectum meliùs videtur, modò objectum sit perspicuum, & illustre. Atque hinc datur ratio 77. *Cur quò nox obscurior, eò fax, & ipsæ stellæ meliùs videantur?* 78. *Cur item illi, qui oculos reconditos intra caput habent, & in tenebris abstrusos gerunt, acutiùs videant, quàm qui habent oculos prominentes?* 79. *Cur item, qui conclavi obscuro consistit, meliùs, & clariùs videat id, quod foris in lumine geritur; quàm alij, qui id foris in aëre illuminato consistentes spe-*

ctant?

ftant? Quarum omnium ulterior ratio est: quia ad visionem nihil aliud requiritur, quàm ut species ab objecto per medium propagatæ, & productæ úsque ad oculum perveniant, átqui ad hanc propagationem specierum non est opus, ut medium sit illuminatum; siquidem noctu etiam per aërem tenebricosissimum vel unica facula ad longissimum etiam spatium videtur, ergò. 80. *Vtrùm igitur lumen ad visionem necessarium sit ex parte organi, seu oculi?* Non esse necessarium etiam ex parte organi constat. Quia organum non requirit aliud, quàm ut species objecti illi imprimantur: sed hæc possunt illi imprimi, etiamsi lumen non subjectetur in ipso organo: ergò. 81. *An saltem requiratur ex parte objecti?* Lumen ex parte objecti requiri, consequitur manifestè. Cùm enim lumen sit necessarium omninò ad videndum, & non sit necessarium ex parte medij, néque ex parte organi visûs, igitur necessarium erit ex parte objecti. 82. *An color, & lumen producant eandem simul speciem?* Ita, quando in eodem objecto conjunguntur, & simul videntur; nam per sui speciem producunt visionem luminis colorati, seu coloris illuminati. Igitur species illa est una, eadémque, participans & rationem luminis, & simul rationem coloris. 83. *Vtrùm lumen diffusum per medium sit diversæ rationis à luce existente in corpore luminoso?* Constat esse ejusdem rationis, cùm nullum signum hujus diversitatis habeatur. Sicut ergò color existens in agente est ejusdem rationis cum colore existente in medio; ita & lux existens in luminoso principali est ejusdem rationis cum illa, quæ est diffusa per medium. 45. *Vtrum lumina diversorum corporum luminosorum v. g. solis, & ignis, differant inter se specie?* Ea non differre inter se specie, deducitur similiter ex eo; quia nullum signum habetur specificæ hujus diversitatis; & quia omnes effectus cujuscúnque tandem lucis, vel luminis in eadem intensione, ac in ijsdem circumstantijs, sint similes. 85. *Cur itáque lumen Lunæ est subpallidum, Solis aureum, Veneris argenteum, Martis rubicundum?* Diversitas illa lucis provenit ex diversitate ipsorum corporum lucentium, quæ pro diversa raritate, & densitate, lævore, vel asperitate, reliquáque constitutione ipsam lucem, esto ejusdem sit rationis, adhuc variant. 86. *Si omnia lumina sunt ejusdem rationis, quomodò igitur Sol luce suâ obscurat aliorum corporum lucentium lumen, ita ut non appareant?* Hoc non provenit ex diversitate specifica lucis, sed ex eò, quòd lux solis sit major, adeóque magis occupat sensum visûs; ita ut non possit, saltem multùm à minori luce moveri. Simile quid contingit, quando multæ, & magnæ campanæ pulsantur; harum enim sonus non sinit tenuem vocem audiri; & ingens aliquis dolor facit non sentire minimum aliquem dolorem, qualis v. g. est morsus pulicis. 87. *Si lumina inter se non sunt diversæ rationis, cur ergò aliquorum corporum lucentium lux videtur semper, tam interdiu, quàm noctu, qualis est lux ignis; quorundam verò tantùm noctu, ut lux putridorum lignorum, & aliquorum animalculorum?* Quia lumen ignis est intensius, quàm lux lignorum putridorum, vel aliquorum animalculorum; ac proinde nil mirum est, si illud non obscuretur tantopere à lumine solis, uti hæc. 88. *Saltem lux, quâ fulgebunt corpora beatorum, erit diversæ rationis; hæc siquidem erit talis, vi cujus non tantùm extrema superficies, sed intima etiam patebunt oculis, aliæ autem luces tantùm extremam*

mam partem reddunt visibilem. Lumen corporum beatorum erit supernaturale saltem quoad modum, si non etiam quoad substantiam, átque adeò de illo nobis hic non est quæstio. 89. *Vtrùm lumen, & species in oculo ita dependeant à corpore, seu objecto luminoso, & colorato; ut his ablatis, statim etiam ipsum lumen, ac species debeant tolli in oculo?* Non. Constat id experientia in lapide Bononiensi, qui soli ardenti expositus ita imbibit lucem, ut etiam in tenebris amotus à sole diu posteà luceat: idem accidit quandóque, & oculis. 90. *Hinc datur etiam ratio, cur, si quis fixè diù aspiciat solem, vel objectum coloratum à sole valdè illustratum, si postea à sole, vel objecto taliter illuminato avertat oculos, & aliquem librum legat, videat aliquamdiù eandem lucem, & colorem?* 91. *Item cur cuidam contigerit, qui cùm Eclypsim solis diù contemplatus fuisset, unâ vel alterâ die post Eclypsim semper species illius Eclypsis eidem repræsentata fuerit?* 92. *Cur, si visio non fit per emissionem radiorum, quando rem parvam distantem volumus videre, comprimamus oculos, & constringamus palpebras?* Hoc enim facimus solùm ideo, ut sic per palpebras admittantur radij magis perpendiculares, & excludantur alij à perpendiculari deflectentes, qui imaginem aliqualiter obscuram reddunt in retina, in qua fit visio, útque sic repræsentatio objecti clarior evadat. 93. *Cur igitur oculi vetularum infascinare solent pueros, aliáque animalia teneræ complexionis; hujus enim non videtur alia ratio, quàm quòd venenatos radios visuales emittant ex oculis?* Hoc ajo non fieri per emissionem radiorum visualium, seu visoriorum, sed per exhalationem nocivam spirituum putridorum, & noxiorum. Atque ex hac ipsa ratione deducitur 94. *Cur nonnullæ personæ solùm aspiciendo inficiant speculum?* Item *cur Basiliscus solo visu interficiat hominem, uti suprà dictum est.* 95. *Cur igitur aliqui solùm è propinquo benè vident, non verò à longè? hoc enim videtur similiter aliunde non provenire, quàm quia valdè debiles emittunt radios visorios.* Hoc provenire dico ex eo, quòd tales pupillam oculi habeant convexam, & prominentem; unde fit, ut species ab objecto longinquo diffusæ in eam incidentes dissipentur valdè, ac diffundantur, adeóque confusam efficiant visionem. 96. *Cur autem si rem procul positam, vel alia de causa v. g. ob nimiam parvitatem perceptu difficilem, diù, ac intentè aspiciamus, doleant nobis oculi? Id enim pariter ex alia causa non evenit, quàm quòd magnam copiam radiorum visoriorum emiserint, unde debilitati præ languore dolent.* Causam doloris, ac debilitatis hujus assigno hanc, quòd in tali casu ex vehementi conatu, & intensione oculus consumpserit multos Spiritus animales, qui necessariò concurrunt ad ipsam visionem, uti, & ad specierum ab objecto diffusarum perceptionem, quibus consumptis languet oculus, & ad videndum non satis instructus defectu illorum, & ipse deficit. 97. *Cur, si minutos characteres, aut etiam magnos eminùs aspicimus, nunc uno, nunc utróque oculo in eadem distantia; quos alterutro tantùm percipere non possumus, utróque oculo clarè percipimus?* Quia ut jam suprà dictum est, visio ab utróque oculo clarior, distinctior, & perfectior est, quàm si eliciatur tantùm ab altero. 98. *Atq; hinc etiam datur ratio, cur uno tantùm oculo diutiùs intuentes rem aliquam, citiùs deficiant visu, quàm si aspiciant illam utróque?* 99. *An visio sit mera passio, sive tantùm receptio specierum in oculo?* Constat nno

esse

esse solùm receptionem. Nam lepores dormientes oculis apertis de die recipiunt species objectorum ante se positorum, & tamen non vident. Sic etiam homo in speculatione potest ita abripi, ut apertissimis oculis videat nihil, vel ea, quæ ante ipsum posita sunt; quia tunc anima interioribus intenta, in actionem sensûs externi eodem tempore influere non potest. Igitur sola passiva specierum receptio in oculo non est visio, sed requiritur insuper activus animæ influxus, & speciei expressio, adeóque ipsius visionis productio. 100. *Lux per angulatum foramen longiùs continuata rotundatur.* Quia cùm transit per angulatum foramen, angulatam assumit figuram in foramine, quam tanquam sibi peregrinam deponit remotior facta, longiúsque continuata. Lux enim ex natura sua rotundam figuram affectat.

§. V.

De præcipuis Opticæ seu perspectivæ principijs, & nonnullis experientijs, ac effectibus, qui ex ijs deducuntur.

PArs illa opticæ, quæ circa radios visuales directos versatur, simpliciter optica nuncupatur; à nonnullis tamen etiam perspectiva dicitur.

Principia autem opticæ varia sunt, ex quibus nos hîc paucula duntaxat seligimus.

Primum sit: *Id omne ac solum videtur. à quo ad oculum radiosus conus extendi potest.* Sive quod idem est: omnis visio non aliter fit, quàm per lineas rectas, & per pyramidem, cujus conus vertex est in oculo; basis autem in re visa. Patet id clarissimè: nam objectum radiat speciem ad omnem partem, à quolibet scilicet suo puncto in quodlibet medij punctum, ad quod recta linea duci potest, non impedita corpore opaco. Ergò similiter etiam radiat in centrum visûs, seu crystallini humoris. Ergò in illo centro, totius objecti, & omnium partium ejus species conveniunt, adeóque efficiunt radium specierum habentem verticem in centro visûs, cujus basis est objectum. 2. *Omnis visio fit sub aliquo angulo, & omne quod videtur, sub aliquo angulo videtur.* Patet id ex priori principio, & adhuc magis declaratur: quia tunc fit visio quando potentia visiva percipit vitaliter imaginem objecti propositi impressam retinæ tanquam speculo in fundo oculi. Atqui hæc imago semper subtendit angulum coni inversi æqualem angulo coni recti habentis pro basi objectum ipsum visum, ergò. 3. *Sub majori angulo visuali spectata majora apparent, & sub minori minora, & sub æquali, æqualia, & sub inæquali, inæqualia:* Cujus sensus est iste: quòd objecta videantur parva, aut magna, aut æqualia in magnitudine, prout angulus verticalis pyramidis opticæ, sub quo illa objecta videntur, est vel magnus vel parvus, vel æqualis, vel inæqualis. Cujus adhuc ratio ulterior est hæc: quia objecta quæ efficiunt in oculo per species diffusas angulum majorem, efficiunt etiam in retina imaginem majorem, quæ verò angulum minorem, etiam minorem imaginem, quæ deníque angulum æqualem, vel inæ-

inæqualem, æqualem quóque, vel inæqualem imaginem efformant in eadem retina. 4. *Quæ sub radiis sublimioribus videntur, apparent altiora, & quæ sub depressioribus, depressiora; quæ sub dexterioribus; dexteriora, & quæ sub sinisterioribus, sinisteriora.* Cujus ratio est, quia objectum quodcúnque sub illis radijs apparet, quibus simulacrum ad retinam pingitur, & illis locis, atque potentia visiva per receptos specierum radios, velut manducitur. 5. *Ibi est rei visæ locus in aliquo plano ante rem visam constituto, ubi radius opticus per rem ad oculum rectà ductus ipsum planum attingit.* 6. *Rei visæ locus in plano tam ante, quàm post rem visam constituto mutatur, vel mutato oculo, vel mutatâ re visâ, vel mutato plano, vel omnibus tribus simul, vel duobus quibuscúnque simul.* Ratio hujus principij sequitur ex præcedenti. Quia mutatione quâcúnque factâ ex enumeratis, radij optici, vel mutantur, vel alibi plana attingunt quam antea. Atque hæc proxima tria principia sunt præcipuum fundamentum artis perspectivæ. 7. *Lineæ parallelæ in longum productæ eò apparent viciniores inter se; quò magis producuntur. Et si longiùs protrahantur, evanescit ferè angulus, sub quo videtur spatium inter illas.* 8. *Figura objecti varia videtur pro diversa projectione.* 9. *Propter variam distantiam figura diversimodè mutatur.*

Atq; ex his principijs solvuntur sequentia Problemata.

Primò. *Cur una eadémque res quò est propinquior oculo, major videatur, & quò est remotior ab oculo minor appareat.* Quia scilicet res posita procul, efficit minorem visualem angulum in oculo, quàm posita minùs procul. 2. *Quomodo arbores in eadem linea, æquali inter se distantiâ plantatæ, ab oculo tamen ad latus posito videri possint inæqualiter inter se distare?* Nempe quia fieri potest, ut videatur sub inæqualibus angulis. 3. *Quomodò fieri potest è contra, ut objecta maximè inæquali spatio inter se distantia ab invicem, æqualissimè tamen inter se distare videantur.* Quia potest vicissim sic oculus situari, ut spatia illa inæqualia sub æqualibus angulis visualibus in eum incidant. 4. *Cur æquales magnitudines ordine positæ, remotiores appareant minores, viciniores majores.* Quia nimirum illa, sub minore, hæ verò sub majore videntur angulo. 5. *Cur planorum sub oculo javentium remotiores partes videantur elevatiores, uti accidit dum aspicitur longus aliquis ambitus.* Quia scilicet videntur sub radijs elevatioribus. 6. *Cur è contra planorum, quæ supra visum incumbunt, remotiores partes in ima prolabi appareant, uti accidit longum aliquod tabulatum aspicientibus.* Quia è contra videntur sub radijs depressioribus. 7. *Cur longæ & rectæ plateæ, aut longæ arborum series, vel ambitus, si inspiciantur ex una parte, videantur constringi versùs alteram partem.* Quia nimirùm lineæ parallelæ productæ in longum eò apparent viciniores inter se, quò magis producuntur. 8. *Cur Cœlum circa Horizontem sensim subsidere, ac tandem veluti cum eodem conjungi videatur, esto semper sit eadem illius à tertia distantia.* 9. *Cur remoti montes altissimi, humiles videantur, & vicinæ arbores remotis altioribus celsiores.* 10. *Cur eodem modo una turris vicinior oculo, appareat altior alterâ remotiori, quæ reipsâ incompa-*

comparabiliter est major. 11. *Cur si quis in plano horizontali constitutus aspiciat tur-*
rim, vel altissimam columnam divisam in æquales secundùm longitudinem partes, di-
cta æquales eò apparent minores, quò sunt à plano remotiores. 12. *Cur ingredienti-*
bus Templa longa videantur pavimenta efferri in altum versùs partem oppositam, tecta
verò prolabi ad ima. 13. *Cur via declivis longior appareat ex imo spectata.* Hæc e-
nim omnia ex ijsdem solvuntur principijs. 14. *Cur convexa figura ex longa distan-*
tia plana esse videatur, putà Hemisphærium ad instar disci. Ita Solem & Lunam o-
culo libero intuemur. 15. *Cur Turris quadrata procul aspecta, rotunda appareat;*
& figura polygona, seu multorum angulorum, in magna distantia, circularis vide-
atur. Quia in utróque hoc casu differentia angulorum visoriorum sub sensum non
cadit. 16. *Separata conjuncta inter se apparent*, quia intervalla, quibus inter se
sunt dissita sensibilia, oculo libero speciem, vel affectionem non imprimunt. 17.
Hinc montes etiam valdè disjuncti à longè videntur esse conjuncti, & continuati. 18.
Hinc etiam stellæ plures per modum unius apparent, ut experimentum capere est in stel-
lis, quas vocamus nebulosas: sic & media stella ensis Orionis libero oculo videtur
esse una, cùm tamen per Telescopium 12. omninò numerentur. 19. *Cur è contra*
conjuncta, separata esse aliquando videantur: quod licèt rariùs contingat, accidit
tamen in observatione Saturni in æquatore constituti, tunc enim extremitates illi-
us ad instar orbiculorum apparent reliquo annulo, seu medio corpore ejusdem, pro-
pter anguli tenuitatem oculis subducto. 20. *Cur flamma quæ cominùs spectata coni-*
ca videtur, si eminùs aspiciatur, rotunda evadat. 21. *Cur omnium montium cacu-*
mina curva, seu sphærica videntur, cùm re ipsâ frequenter sint planissima in supre-
ma parte. Ratio utriúsque patet ex jam dictis. 22. *Cur, si tam objectum, quàm*
oculus æquè citò moveantur, servato eodem semper situ, non videntur motus. 23. *Cur*
qui in navi clausa navigant, licèt hæc velocissimè feratur, illius tamen motum non ad-
vertunt. 24. *Cur si oculus sit in centro circulorum. in quibus diversa corpora moven-*
tur æquali motu, illud regredi videatur, quod tardiùs suum orbem absolvit, illud ve-
rò præcedere, ac citiùs moveri, quod citiùs suum orbem absolvit. Quorum omnium
ratio est, quia motus tunc æqualiter dicitur videri, quando, & prout idem obje-
ctum mobile, diversas partes oculi immobilis successivè afficit, vel objectum im-
mobile oculi immobilis, hinc in primo, & secundo casu, quia nulla est diversitas
hujus affectionis, non notatur motus; in tertio quia est successiva affectio oculi
immobilis ab objectis mobilibus, notatur eorum in motu inæqualitas, & quia u-
num corpus citiùs quàm aliud pervenit ad idem punctum, à quo moveri cœperant,
illud quod tardiùs posteà ad idem punctum venit, putatur regredi. 25. *Sol & re-*
liqui planetæ in Apogæo videntur minores, in perigæo majores. Quia in apogæo ex-
istentes sunt à nobis remotiores. in perigæo nobis viciniores. 26. *Rotæ currûs e-*
minùs apparent oblongæ, quia axis visionis neque est æqualis radio rotæ, neque per-
pendicularis plano rotæ. 27. *Visa pluribus interpositis judicantur longinquiora*, ob
pluralitatem visoriorum angulorum. 28. *Sæpiùs sese convertenti omnia moveri vi-*
dentur. Quia Spiritus optici vehementer agitati, motum suum retinent. 29. *Quo-*
modo ex arte opticæ, seu perspectivæ, etiam quoad radios directos, pingi possit in pla-

no imago, quæ visa directè è certo puncto appareat formosa, ex alijs verò monstrosa. 30. *Item quomodò alia pingi possit similiter in plano, quæ visa obliquè è certo loco appareat formosa, ex alijs verò minimè.* 31. *Quomodò plantari possit hortus ex arboribus, floribus, herbis, alijsq; similibus rebus, qui ex certo loco conspectus v. g. ex fenestra palatij horto contigua repræsentent figuram hominis, aquilæ, leonis, aut quamcúnque desideraveris.* 32. *Quomodò item imagines in planis interruptis possint pingi, ut accessu, vel recessu componi, vel lacerari videantur, & non nisi ex certo loco formosæ appareant.* 33. *Item quomodò aliæ pingi in muris, & pavimentis longissimis, eâ arte, ut extra determinatum locum conspectæ aliud quidpiam referant: v. g. ex certo puncto, alicujus Sancti, ex alio item imagine sylvæ vel dæmonis.* 34. *Quomodò item aliæ in plano striato ita depingi, ut in uno situ appareant, in altero verò nihil videantur.* 35. *Quomodò item aliæ in planis sulcatis, ut spectatæ ex uno latere unam reddant formam, ex alio, aliam.* 36. *Quomodò item tres vel quinque imagines diversæ possint in eadem tabula depingi, quarum semper una tantùm appareat ex certo puncto, adeóque ex diversis tribus aut quinque punctis tres aut quinque diversæ.* Horum enim omnium fundamentum desumitur ex 5. 6. & 7. principio initio paragraphi hujus posito. 37. *Quomodò item pingi imago, quæ oculos ad te semper quocunque verteris, conversos habeat.* 38. *Quomodò item fieri pictura, per quam ea, quæ sunt vicina appareant remota, ac procul dissita, & quæ plana, videantur esse extantia, aut prominentia:* 39. *Cur multa ex ijs, quæ de prodigiosis repræsentationibus rerum refert Porta in Libro Magiæ naturalis, & quæ recensentur in Libello, qui Alberto Magno falsò adscribitur, pro superstitiosis, & fabulosis sint reputanda, v. g. efficere, ut adstantes lumini sine capitibus videantur, aut gygantum formâ appareant, aut, ut equina, vel asinina capita habere videantur, vel certè tria humana?* Quia scilicet nullo nituntur Philosophico aut optico fundamento, & quæ in ordine ad hos effectus ibi præscribuntur, omninò sunt ridicula, ac nullam prorsùs connexionem cum prædictis effectibus habentia.

§. VI

Catoptricæ præcipua Principia, & ex ijsdem variorum Problematum ad hanc materiam spectantium, solutio.

P*Ars ea opticæ, quæ versatur circa radios reflexos, Catoptrica nuncupatur.* Radius verò reflexus (sive luminis sive specierum) est, quando radius ab aliquo corpore luminoso, aut colorato diffusus, & per medium diaphanum aliquantisper progressus, impingit in corpus opacum aptum ad ipsum reflectendum, & sic impactus, & ulteriùs prohibitus reflectitur in idem medium diaphanum per quod antea transierat.

Corpus opacum quod reflectit species corporis luminosi, vel colorati simul, vel est asperum, vel politum: Illud est quod reflectit tantum lumen, & colorem. Hoc verò est quod

est quod præter lucem, & colorem reflectit insuper etiam corporis radiosi imaginem: dicitúrque speculum. *Speculum* aliud est naturale aliud artificiale. Illud est quod à natura efficitur; hoc verò, quod conficitur per artem. *Speculum* porrò omne vel est planum, vel convexum, vel concavum, vel ex his mistum. Et tam convexum, quàm concavum, vel est sphæricum, vel cylindricum, vel conicum, vel pyramidale, vel ellipticum aut aliarum figurarum in quibus concavum, & convexum dari potest.

Axiomata seu Principia Catoptricæ, alia sunt communia, quæ omnibus speculis conveniunt; alia particularia, quæ propria sunt singulorum speculorum speciebus.

Communia sunt sequentia.

1. Speculum reflectit lumen, & colores secundùm lineam rectam, & quodlibet speculi punctum lumen, & colores. 2. In speculo non species objecti, sed ipsum objectum videtur. 3. In omni speculo angulus reflexionis est æqualis angulo incidentiæ. 4. Radius reflexus, & directus sunt in eadem superficie seu plano. 5: Res omnis apparet in radio, quo ipsius simulacrum ad Retinam oculi porrigitur. Sive. *In omni speculo objecti punctum unumquodque apparet solùm in radio reflexo. 6. In quolibet speculo res visa, non alibi apparet, quàm in concursu lineæ perpendicularis ductæ ab ipsa re visa, ad speculum, & radij reflexi, protracti per punctum reflexionis. 7. Ab uno speculi cujusvis puncto non possunt reflecti ad idem punctum oculi rei visæ duo radij.* Vel è *duobus punctis ejusdem speculi reflecti forma unius puncti ejusdem rei visæ. 8. Ab uno puncto superficiei speculi cujuscúnque forma unius puncti rei in eodem visa reflecti ad duos visus non potest. 9. Moto oculo, objectum in alia speculi parte conspicitur.*

In particulari speculorum planorum hæc sunt propria principia.

1. In speculis planis imago apparet, tam profundè in speculo, quàm longè objectum à speculo est remotum. 2. In planis speculis unius objecti, tantùm una est imago, non solùm respectu unius oculi, sed etiam utriúsque. 3. Imagines in planis speculis sunt objectis æquales, & similes, & similiter positæ.

Atq; ex his Principiis resolvuntur sequentia ad hanc materiam spectantia Problemata.

1. Cur altitudines, & profunditates, quæ respectu speculi sunt tales, (quòd fit quando speculum collocatur plano seu Horizontali situ) *in planis speculis eversa appareant.* Quia nempe sic superioris partis perpendicularis linea producta concurrit cum radio reflexo inferioris partis producto per punctum reflexionis, & inferioris partis perpendicularis linea producta concurrit cum radio reflexo superioris partis producto per punctum reflexionis. Punctum autem objectorum apparet semper in tali concursu, ergò. *2. Cur è contrà longitudines, in speculo plano appareant*

reant non inverſæ, ſed prout ſunt reipsâ. Quia producta perpendicularis linea ſingulorum punctorum concurrit cum ſuis reflexis lineis productis per ſingula puncta reflexionis. 3. Hinc datur etiam ratio *cur arbores. ædificia, & homines ipſi aſpicientes aquam in ripa fluminis, vel orificio fontis: ſitu inverſo appareant.* 4. *Cur in ſpeculo plano infra, ſuprave oculum parallelæ ad horizontem conſtituto teipſum alióſve videas capite deorſum, & pedibus ſurſum.* 5. Ex ijsdem principijs aſſignatur cauſa; *Cur in ſpeculo ad horizontem parallelo, ſi infra oculum eſt, tabulatum vel cœlum appareat deorſum.* 6. *Et cur è contrà, ſi ſpeculum ſit parallelum horizonti ſupra oculum, pavimentum, ſeu terræ ſuperficies appareat ſurſum.* 7. *Cur in ſpeculis planis pars dextra objecti, quoad ſitum ipſius ſpeculi. ſit ſiniſtra, & ſiniſtra dextra.* 8. *Cur in ſpeculo plano appareat imago æqualis rei viſæ.* Quia ſcilicet linea ducta ad duas prædictas concurrentias linearum perpendicularium, & reflexarum productarum, eſt parallela ipſi rei viſæ. 9. *Fracto ſpeculo plano, ſi partes omnes maneant in eodem plano. unius rei, una apparet imago. ut antea.* Quia ex ſic ſituatis fruſtis ſpeculi, adhuc non niſi ex uno puncto, poſſunt reflecti radij unius puncti radiantis ad angulos æquales angulis incidentibus. 10. *Secùs accidit ſi fruſta fracti ſpeculi ſint in diverſis planis, hoc eſt. ſi unum ad alterum inclinetur, vel unum altero ſit depreſſius,* Quia ex ſic ſituatis, radij ejusdem puncti radiantis reflectuntur plures radij ad angulos æquales, angulis incidentibus. 11. *Idem accidit ſi fruſta vel partes ſpeculi ſint diverſæ figuræ, vel politura,* propter eandem ſcilicet rationem. 12. *Quod proximè diximus de fruſtis ſpeculorum planorum, idem accidit, & in omnibus ſpeculis aliarum Figurarum.* Quia omnium eſt eadem ratio. 13. *Quomodo fieri poſſit ut per plura ſpecula plana, certo modo diſpoſita repræſentari poſſit eadem res pluries.* Nempe ſi duo erigantur ad angulos rectos ſibi oppoſitos ſuper horizontem, & tertium incumbat utrique ad angulos rectos in linea horizonti parallela. 14. *Quomodo fieri poſſit ut eadem res ſpectetur, per tot, quot volueris ſpecula plana.* Si nimirum pro numero ſpeculorum conſtituatur figura polygona, habens latera, & angulos æquales, & numerum ſpeculorum duobus lateribus excedens. Ratio autem multiplicitatis rei viſæ deſumitur in tali caſu ex inæqualitate angulorum incidentiæ, & reflexionis. 15. *Quomodo poſſit ita ſituari ſpeculum planum, ut intuens nec ſuâ, nec objecti ſpeculo expoſiti à ſe viſi imagine viſâ, videat alterius rei non viſæ imaginem.* Quia nimirum poteſt ſic inclinari ſpeculum planum in pariete, attrahendo illud, vel remittendo per chordam, ut radij, & ſpectatoris, & rei expoſitæ ſpeculo incidentes in ſpeculum, non reflectantur ad oculum intuentis, ſed vel ſuprà vel infrà, radij verò objecti alterius abſconditi reflectantur in ejusdem oculum. Hinc patet 16. *Quomodo fieri poſſit ut ſpeculo expoſita imago pulchra, appareat deformis; imago juvenis, appareat ſenis.* Item 17. *Quomodo Horologium in ſpeculo monſtrare poſſit horam diverſam ab ea, quam monſtrat Horologium ſpeculo oppoſitum.* 18. *Quomodo conſtrui poſſit Machina Catoptrica, in qua homo ſpeculum planum intuens, videat jam Leonis, jam equi aut cujuscúnque animalis, ſuam autem minimè cernat.* Id enim efficitur ſi fiat rota octogona, aut quotlibet angulorum, & in ſingulis ejus lateribus depingatur aut formetur vultus variorum animalium, ac ſpeculum planum expoſitum

poſitum

poſitum taliter ſituetur, ut horum ſaltem laterum ſpecies, ita incidant in ſpeculum, ut in oculis intuentis reflecti poſſint, tunc enim ad motum rotæ in occulta machina, ſolùm illius lateris formam videbit intuens, quod ſpeculo fuerit expoſitum. 19. *Quomodo duobus aut tribus ſpeculis planis repræſentari poſſit objectum extra cubiculum poſitum.* Id enim efficitur ſi ſtatuatur ſpeculum ad illud punctum in tabulato cubiculi, ad quod objectum poſitum extra cubiculum radiat per feneſtram, & rurſum aliud in illo puncto cubiculi, ad quod ex priori ſpeculo ſpecies objecti reflectuntur. Vel ſi objectum extra cubiculum radiare non poſſit, ſtatuatur tertium ſpeculum extra feneſtram, ſic ut ex illo reflecti per feneſtram poſſit ad ſecundum priori modo ſituatum, & ex hoc ad tertium in eodem ſitu poſitum. 20. *Quomodo duorum ſolummodò planorum ſpeculorum ope res eadem variè multiplicari poſſit?* Id enim efficitur, ſi duo ſpecula plana æqualis longitudinis ac latitudinis ita connectantur, ut inſtar libri, claudi, & aperiri, & in quemcûnque angulum ad ſe invicem inclinari poſſint. Nam ſi ſic adaptatis ſpeculis, ac dein inſtar libri expanſis objectum aliquod oppoſueris, & ea aliquantulùm contraxeris, bis videbis idem objectum. Si verò ea contraxeris ad diſtantiam quartæ partis circuli, 4. idem objectum cernes. Si adhuc ea magis complicaveris ad quintam partem circuli, videbis adhuc plures imagines ejuſdem, ob plures reflexiones mutuas, & eo ſemper plures, quo minor fiet inter illa diſtantia angulorum, donec tandem ob nimiam complicationem evaneſcunt omnia, quorum radij reflexi ad oculum amplius pervenire non poſſint. 21. *Qualiter Machina Catoptrica conſtrui poſſit in qua quæcúnque volueris ad naturæ exemplar exhibeantur?* Fiat ciſta longitudinis majoris quàm latitudinis ſine operculo: erigatur deinde in latere uno ſecundùm longitudinem ciſtæ quadrangulum ex ſimili aſſere habens valvas, quæ ad tres partes aperiri poſſint, nempe una ad ſiniſtram, alia ad dextram, tertia verò ſurſum, firmentúrque bene, totáque ſuperficies illius quadranguli, & ipſarum valvarum ex parte interiori exornetur ſpecularibus fruſtis quadratis. Jam in medio ciſtæ fiat paralypedum ex ligno in fine clavum habens, ut inverti poſſit pro libitu, & perfectam habebis Machinam. Cujus uſus eſt iſte: ſi ſylvam varijs arboribus repræſentare vis, ex una parte paralipedi colloca arbuſta, quercus, platanos, aliáſque arbores ex ſerico viridi, vel cera, ea tamen proportione, quæ Machinæ convenit, efformatas, benéque eidem affixas, hanc enim ſi ſpeculis illis obverteris, jucundiſſimum, & pleniſſimum arboribus nemus exhibebitur; ſi verò theſaurum; alteri ejuſdem paralipedi lateri numos aureos, argenteos, gemmas, & alia ſimilia affige, eámque partem ſpeculis obverte. Si bibliothecam vis oſtentare, in alia ejuſdem parte libellos ex charta inaurata convectos variè depictos, & ordinata ſerie diſpoſitos, eidem faciei ſpeculari obverte. Eadémque eſt ratio, & de hortis, apothecis, nundinis, & alijs rebus, quas repræſentare cupis. 22. Quòd ſi verò in eodem quadrangulo machinæ etiam quartam partem inferiorem oppoſitam ſuperiori ſpeculis ſimilibus exornaveris, eò plura ſpectacula exhibere poteris, & eò magis diverſa, quò pro diverſitate diſpoſitionis diverſimodè dictas valvulas ſituaveris. 23. *Quâ arte aliud Machinamentum Catoptricum non minùs jucunda exhibens ex ſpeculis effici poſſit?*

poſſit? Secentur ſpecula in fruſta, partim quadrata, partim triangula, ex quibus conſtituatur corpus Poliedrum hoc eſt multorum angulorum, in forma alicujus ſphæræ, ita ut ſpecularis facies ſpeculorum, introrſum vergat, ſit autem dicta Machina ſuperiùs pervia lumini, ex latere verò fiat oſtiolum, per quod oculus inſpicere poſſit; ponatur in medio machinæ columna, in qua ſituari poſſint res repræſentandæ, & ecce præter innumerabilem ſpecierum ejusdem rei multiplicationem, reperies incredibilem metamorphoſeos illius varietatem, & longè majorem quàm hîc verbis explicari poſſit. 24. *Quomodo Machina theſauraria ex ſpeculis confici poſſit, quæ omnis generis mercibus onuſta eſſe videatur.* Fiat arcula lubitæ longitudinis, & latitudinis, quæ tamen ſi fuerit longior, eò majorem effectum præſtabit, cujus omnia latera ſpeculis planis, inter ſe planè commiſſis exornentur, & in uno latere, quod minoris latitudinis, fiat foramen tantum, ut caput intromitti queat, ſi magna fuerit arca; vel ſaltem tale, ut introſpici poſſit per illud, ſi ſit parva arcula: è tecto dein interiore ſuſpendantur, margaritæ, aureæ & argenteæ bracteolæ, panni pretioſi fruſtilla, catenulæ deauratæ; in fundo autem collocentur nummorum diverſæ magnitudinis cumuli, his enim factis, ſi arcam leviter commoveas, & introſpicias, videbis infinitam rerum pretioſiſſimarum varietatem. 26. Aliter hujuſmodi ciſtæ fiunt ſic. Solùm latera & baſes veſtiuntur ſpeculis, & in fundo collocantur variæ res, ut flores, arbores, & quæcunque aliæ. Quæ variè dein reflectuntur, ac remotiſſimè apparent. 26. *Quomodo ſpecus Catoptrica exhiberi poſſit?* Fiat arca quantùm fieri poteſt longa, & ita abſcondatur in conclavi aliquo, ut præter frontem illius, in qua ſit feneſtella, nîl omnino appareat, in fine autem illius figatur intra arcam perpendiculariter ſpeculum planum quantùm fieri poteſt magnum, oblonga autem latera veſtiantur herbis, & muſco, vel in modum ſpecûs pingantur colore atro, aut cinericeo; poſt frontem verò arcæ ſub illa feneſtella collocetur quodcunque objectum unum, aut multiplex, quod tamen ab introſpiciente per feneſtellam videri non poſſit; eidem dein objecto apponatur lumen forte, quod & ipſum, & totam ſpecum illuminet: his factis, ſi per feneſtellam introſpexeris, videbis objectum abſconditum in oppoſito ſpeculo, tanto ſpatio intra ipſum ſpeculum immerſum, quanta eſt diſtantia objecti à ſpeculo. Et hâc ratione exhiberi ſolent in præſepibus, Nativitas Chriſti, adoratio paſtorum, & alia ſimilia. 27. *Qualiter per ſpeculare vitrum repræſentari poſſint in cubiculo ea, quæ non ſunt in illo?* Sit cubiculum quantævis magnitudinis, in quod aliud lumen ingredi non poſſit, niſi per feneſtram illam, per quam inſpector foris ſtans introſpicit, pars autem illa feneſtræ, per quam inſpector introſpicit, ſpeculare vitrum utrinque lævigatum habeat; è regione hujus feneſtræ à tergo inſpicientis ſint picturæ, ſtatuæ; & alia ſimilia. Sic enim fiet, ut quæ foris ſunt à tergo introſpicientis, omnia in cubiculo eſſe videantur tam clarè, ut nemo ſe deceptum eſſe ſentiat. 28. *Qualiter ſpecula plana parari poſſint, quæ hominem varijs modis deforment?* A duabus cauſis oritur varietas apparentium imaginum in ſpeculo, nempe vel à materia, vel certè à forma ſpeculi. Si igitur facies hominum exhibere vis varijs coloribus imbutas, vitrum ſeu cryſtallum in fornace vitriaria fervens, quovis colore injecto

injecto

injecto deformato, indéque laminam pro speculo, ac tandem speculum conficito, & inspicientis facies ejus videbitur coloris, quo vitrum fuerit tinctum: nam si vitrum in speculum efformatum fuerit viride, videbuntur vultus inspicientium virides; si nigrum, videbuntur nigri; si flavum flavâ, si rubrum rubrâ facie apparebunt. Similiter si vitrum ex illa parte, quæ plumbeâ laminâ opacatur, fuerit inæquale, & aliquantulum rugosum, rugosam quóque faciem ostendet: si verò ex eadem parte fuerit retrorsum protuberans, faciem bifidam; si autem protuberet in umbonem cylindricum, faciem cum longo collo instar gruis repræsentabit; & similiter prout diversimodè pars illa deformabitur, ita diversimodè etiam difformem vultum inspicientis reddet. 29. *Qualiter duo specula plana ita statui possint, ut intuens in uno videat imaginem suam venientem, in altero recedentem?* Id enim quis consequitur, si accipiat duo specula plana rectangula, & æqualia, quorum longitudo sit latitudini dupla, aut sesqui altera circiter, átque hæc lateribus secundùm latitudinem, cardinibus, aut vertebris ita connectat, ut instar libri aperiri aut claudi queant, ac quemcúnque angulum conficere. Nam si hæc specula ita collocaveris, ut unum sit horizonti parallelum, alterum verò ad angulos rectos, átque hoc inclinaveris versùs illud, habebis rei eventum. 30. *Qualiter quis dorsum, & faciem suam simul in eodem speculo plano possit videre?* Id enim fiet si uni speculo post tergum collocato, ita appareat alterum ante faciem, ut radij ex illo possint ad istud reflecti. Hinc 31. *Patet quomodo quis plani speculi auxilio dirigere possit sclopetum in metam post tergum positam.* 32. *Quomodo per speculum planum altitudines montium. & arborum possint dimetiri?* Nam si vertex montis vel turris incidens in speculum planum reflectatur ad oculum, erit, ut reflexio ad suam perpendicularem, sic incidentia montis vel turris ad altitudinem. Hoc est, sicut se habent v. g. 28. pedes à speculo ad altitudinem mensoris stantis in aliquo loco eminentiori pedum 8. ita se habebunt 35. pedes à turri vel monte ad speculum úsque ad ipsam altitudinem montis, vel turris. 33. *Quâ ratione conclave aliquod instrui possit speculis planis miras repræsentationes ejusdem rei exhibens?* Id enim fit, si relictis vitreis fenestris ad lucem intromittendam omnes parietes conclavis, unà cum pavimento (præter spatium, quà pateat transitus per conclave) & laqueari grandibus speculis investiatur. Tale conclave construi sibi curavit Rex Daniæ, & similiter Celsissimus Princeps Paulus Esterhazi Regni Hungariæ Palatinus in sumptuosissima sua Arce Kismartoniensi.

Hactenus de speculis planis; jam proprietates & principia, seu theoremata speculorum sphæricorum tam convexorum, quàm concavorum, non omnia, sed ea tantùm, quæ proposito nostro inserviunt, recenseamus.

1. *Magnitudo, parvitas, & æqualitas speculorum sphæricorum tam convexorum, quàm concavorum non desumitur à magnitudine, parvitate, & æqualitate segmento-*

mentorum, sed à magnitudine, parvitate, & æqualitate sphærarum, quarum sunt segmenta. 2. *Centrum, & diameter sphærici speculi tam concavi, quàm convexi, est centrum, & diameter sphæræ, cujus est segmentum.* 3. *In speculo sphærico convexo apparet imago in concursu perpendicularis ab objecto in centrum speculi ductæ, & radij reflexi.* 4. *Imago intra convexum apparens, minus distat à speculi superficie, quàm à spectabili.* 5. *Imago in convexo tantò minor apparebit, quantò minus est speculum.* 6. *Imago in eodem speculo tantò major videtur, quantò visibile est propinquius speculo.* 7. *Radij ab objecto lucido vel colorato procedentes à convexis speculis disgregantur.* 8. *In speculo sphærico concavo objecto radiante constituto, in centro speculi omnes radij in speculum cadentes, reflectuntur in seipsos.* 9. *In speculis concavis objecta apparent concava, sicut in convexis, convexa.* 10. *Imago in speculo concavo sphærico sæpe apparet in concursu perpendicularis à re visa per centrum ductæ, & radij reflexi, subinde tamen extra hunc concursum, nempe interdum in puncto ipso reflexionis interdum in ipso oculo; interdum verò ante oculum, vel etiam retro oculum.* Atque ex his datur ratio 34. *Cur res in convexis speculis parvæ appareant?* Quia res in speculo convexo nunquam possunt spectari sub tanto angulo, sub quanto spectantur in plano speculo. Atqui in plano speculo apparet res tanta, quanta directè visa. Ergò in in convexo apparet minor, quàm visa directè. 35. *Cur recta in convexis curva appareant?* Quia speculi convexitas efficit, ut puncta in quibus radij reflexi cum perpendicularibus ab objecto per centrum reflexionis concurrunt in curvam lineam vel superficiem disponantur. 36. *Quem in finem serviat, quòd speculum convexum suspendi soleat in bibliothecis, vel officinis, vel hortis, aut conclavibus etiam?* Nempe ut in eo omnium objectorum incompositorum, ac personarum præsentium veluti in compendio imagines repræsententur, ac videantur. 37. *Quomodò decipiantur ij, qui convexi speculi ope intra aquam demersi, æstivis mensibus caniculæ, stellam interdiu, exhibere se putant prope solem existentem?* Id enim quod apparet in immerso aquæ speculo convexo, non est canicula, sed solis imago, convexitate speculi ad stellæ parvitatem contractâ. Utráque igitur imago, tam ea, quæ tunc in aqua, quàm ea, quæ in speculo dicto videtur, est solis; sed in aqua apparet major, quoniam aquæ superficies extima plani speculi vicem gerit, quod rerum imagines reflexè exhibet, sub eadem magnitudine, sub qua apparent directè visæ. 38. *Cur in centro speculi concavi sphærici positus oculus seipsum solum videat?* Quia solius illius tantùm radij in ipsum interea oculum reflectuntur, reliquarum verò partium faciei in seipsis. 39. *Cur oculo extra centrum ejusdem speculi constituto, non possit videri objectum in centro constitutum:* Quia nullus radius reflectitur in oculum, sed omnes in centrum. 40 *Cur si utérque oculus in diametro transversa speculi ita constituatur, ut æqualiter à centro distent, neuter seipsum, sed alter alterum cernat?* Quia tunc propter angulorum incidentiæ, & reflexionis æqualitatem radius directus unius oculi reflectitur in alium oculum, & vicissim neutrius in seipsum. Igitur neuter seipsum, sed unus alterum videt. 41. *In concavis sphæricis speculis res aliquando apparent confusè, & dubiè?* Quia in his speculis locus imaginis est in oculo, vel etiam retro oculum, quod dum fit, necessariò confusè, ac dubiè apparent. Oculus enim

nim naturaliter nihil distinctè videt, nisi quod ante visum positum habet. 42. *In speculis concavis sphæricis imago aliquando apparet æqualis objecto, aliquando minor, aliquando major.* Quia perpendicularis linea ab objecto per centrum speculi ducta, & linea reflexionis per punctum reflexionis producta, aliquando sunt parallelæ, & tunc imago æqualis objecto apparet; aliquando conveniunt; & tunc minor, aliquando verò ab invicem divaricantur, & tunc major. 43. *Quo magis quis appropinquat speculo concavo à superficie versùs centrum, eò magis crescit ejusdem imago.* Quia magis semper divaricantur prædictæ duæ lineæ, adeóque majorem semper visionis angulum efficiunt. 44. *In cavis speculis sphæricis altitudines apparent aliquando inversæ, aliquando verò erectæ, sive prout reipsâ se habent.* Quia radij earum aliquando se non intersecant mutuò, & tùnc apparent inversæ, aliquando verò sese mutuò intersecant, & tunc apparent erectæ. 45. *Cur in concavis speculis appareant objecta concava?* Quia margines speculi sunt objecto proximiores, quàm medium speculi, ideóque objecti partes circa imagines visæ propiùs apparent, circa medium verò visæ apparent remotiùs. 46. *Quomodo possit ope speculi concavi fieri, ut imago rei apposita in aëre pendula videatur?* Id enim fit, si ea speculo concavo opponatur. Cujus rei ratio est. Quia locus imaginis in speculis concavis sphæricis non est semper in ipso speculo, seu post speculum, sed subinde etiam ante speculum. 47. *Qualiter exhiberi possit speculo concavo homo in aëre suspensus, pedibus sursum versùs?* Hoc enim fit, si speculum concavum majoris sphæræ affigatur tabulato, ita ut concavitas pavimentum respiciat, & homo infra illud statuatur. 48. *Qualiter ope speculi concavi ea, quæ longè sunt remota, noctu videri possint?* Id enim efficitur si fax, vel candela ponatur ante speculum in loco incensionis (qui est quarta pars circiter diametri speculi) nam si sic instructum speculum dirigatur versùs illum locum, in quo aliquid noctu videre desideras, projicietur eo úsque lumen reflexum, ut quidquid cylindro luminoso occurret, illuminet. 49. *Quomodo ejusdem rei imagines plures, speculo concavo repræsentari possint?* Quia scilicet ex varijs locis ejusdem unius etiam rei ad eundem oculum reflexiones fieri possunt. Jam verò ut & de speculis columnaribus, seu cylindricis, conicis, pyramidalibus, & irregularibus sive convexis, sive concavis aliquid breviter attingamus; sciendum est pro vario oculi, & rei visæ situ respectu horum speculorum, variam quóque esse imaginum magnitudinem, & figuram, plerúmque tamen deformem, & monstrosam. Hinc 50. *Si vultum speculo columnari secundùm longitudinem erecto opposueris, quantò longitudine deformis, tantò etiam gracilitate turpis videbitur.* 51. *Si eundem vultum speculo transverso objeceris, humilem & compressum inter frontem, & mentum, ac extensum inter aurem, & aurem conspicies.* 52. *Si pyramidali speculo vultum objicias, acutam frontem videbis, longum verò mentum.* 53. *Si è contrà, tontam frontem, longissimum verò nasum.* 54. *Demum in speculis irregularibus, valdè etiam irregulariter imagines apparent.* Quorum omnium ratio est diversissimæ angulorum incidentiæ partium rei visæ, & reflexionis, quæ ex diversitate prædictorum corporum specularium provenit. Hinc ulteriùs datur ratio. 55. *Quomodo quis flammæ digitum sine læsione admovere videri possit?* Hoc enim obtinebis, si speculi

culi cylindrici concavi fundo candelam accenſam impoſueris, quia ſic candelæ impoſitæ flamma ſpecularis in medio aëris, ſupra orificium ſpeculi pendere videbitur, & cùm vera flamma non ſit, ſed ſolùm illius idolum, innoxiè eam tangere, tractare, & digitum eidem ſine læſione admovere poteris. 56. *Quomodo ſpeculum parari poſſit, quod mille modis hominem deformet.* Nempe ſi fiat ſpeculum, ellipticum aut ejus ſegmentum. Vel ſi fiant duo ſpecula, quorum unum convexum cylindricum ſit ſegmentum 72. graduum, alterum concavum cylindricum ſexaginta graduum ſegmentum, atque ſic conjungantur, ut unum appareat ſpeculum, cujus una medietas concava ſit, altera convexa, utrúmque enim variè monſtroſam, ac defectuoſam faciem miris, ac diverſis modis repræſentabit. 57. *Speculum concavum ſphæricum totâ profunditate opacum ſoli oppoſitum producit ignem.* Quia radij ab hujuſmodi ſpeculis reflexi coëunt in unum locum. 58. *Speculum verò totâ profunditate opacum ſoli oppoſitum, non producit ignem, ſi ſolum ſit.* Quia lumen ſolis ab hujuſmodi ſpeculis reflexum non congregatur in unum, ſed diſſipatur. 59. *Similiter nec ſpeculum convexum producit ignem, ſi totâ profunditate ſit opacum.* Quia radij ſolis ab hujusmodi ſpeculis non minùs dilatantur, quàm à ſpeculis planis. 60. *Speculum verò convexum totâ profunditate diaphanum, & poſteriore parte planum, & opacum ſoli oppoſitum producit ignem.* Quoniam in hujusmodi ſpeculis radij reflexi colliguntur in unum, non quidem à prima, ſed à poſtrema ſuperficie. 61. *Specula concava minora urunt, & comburunt citiùs, quàm majora.* Quia minorum focus minùs diſtat à ſpeculorum ſuperficie concava, quàm majorum; ac proinde in illis majorem vim habent radij in foco uniti, quàm in his. Nam in illis minùs debilitantur propter minorem elongationem, quàm in his. 62. *Speculum è planis compoſitum urit.* Quia jam ſic congregantur in unum locum radij ſolares, qui in uno tantùm diſpergebantur. 63. *Speculum compoſitum è convexis urit vehementer, ex multis autem concavis vehementiùs, uti & compoſitum è conicis ſegmentis.* Paraboliçum autem vehementiſſimè. Ratio hujus rei patet ex jam dictis.

§. VII.

Dioptricæ præcipua principia, & ex ijsdem problematum variorum ad hanc materiam pertinentium ſolutio.

PArs illa opticæ, quæ verſatur circa radios refractos, Dioptrica vocatur; cujus hæc ſunt principia. 1. *Quotiescúnque radius obliquus corporis luminoſi, vel colorati, incidit in diverſum medium rarius, vel denſius, frangitur, hoc eſt, à recto itinere deflectit ad latus.* 2. *Radij recti, hoc eſt, perpendiculariter incidentes in diverſum medium, etiam per illud procedunt recti, manéntque irrefracti.* 3. *Quando radius obliquus incidit è medio rariori in medium denſius, frangitur ad perpendicularem; quando autem incidit è medio denſiori in rarius, recedit à perpendiculari.* 4. *Radius obliquè incidens in medium denſius, eò magis refringitur ad perpendicu-*

dicularem, quò densius est medium: incidens verò obliquè in rarius medium, eò magis refringitur à perpendiculari, quò rarius est medium. 5. *Quò obliquiùs incidunt radij in medium refractivum, eò magis refringuntur.* 6. *Imago refracta videtur in concursu perpendicularis refractionis, & radij refracti continuati.* 7. *Refractio aliquando causat colorem apparentem.* Ex quibus infertur. 1. *Posse aliquid videri visione refractâ, quod directè videri non potest.* 2. *Cur pars baculi recti obliquè aquæ immersæ non appareat in directum, reliquæ parti extra aquam existenti, átque adeò baculus appareat esse fractus?* Quia nimirùm pars baculi, quæ immersa est aquæ, venit per radios refractos in oculum, qui radij franguntur ad perpendicularem, adeóque pars illa apparet propinquior, quàm illa pars, quæ est extra aquam. 3. *Cur Sol, Luna & Stellæ infra horizontem reverà demersæ, appareant interdum supra horizontem?* Quia tunc species illarum refringuntur in vaporibus, & exhalationibus terrestribus, sicque à perpendiculari recedendo perveniunt ad oculos nostros, qui sumus supra hunc horizontem, licèt tunc re ipsâ sint infra horizontem. 4. *Cur aqua obliquè inspecta appareat minùs profunda, quàm reverà sit?* Nempe quia fundus apparet elevatus. 5. *Cur globus rotundus sub aqua demersus, & perpendiculariter inspectus appareat planus, imò & concavus?* Quia nimirum solus axis inspectus perpendiculariter videtur suo loco; reliquæ verò partes inspectæ obliquè, apparent extra suum locum, & sublimiores. 6. *Cur res fundo aquæ perpendiculariter insistentes appareant breviores?* Quia videlicet nullum punctum rei immersæ apparet suo loco, sed omnes videntur esse sublimiores. 7. *Cur res sub aqua existentes appareant majores?* Quia scilicet elatiores, ac proinde oculo viciniores apparent, adeóque sub majori angulo conspiciuntur. 8. Sic literæ minutæ, & obscuræ per vitream phialam aquâ plenam apparent majores. Eam ob causam etiam, 9. *Sol videtur major, cùm per vapores videtur, quàm in meridie.* Rectè enim Seneca: *quidquid*, inquit, *videtur per humorem, longè amplius vero est.* 10. *Imago, seu res visa in medio densiore videtur propinquior, & major; in rariore remotior, & minor.* Unde 11. *Si à piscibus homines videantur, apparebunt remotiores, & minores: quòd si verò hominibus pisces in aqua appareant, videbuntur propinquiores, & majores.* 12. *Qualiter Dioptricè serpentes per murum discurrentes exhiberi possint?* Id enim habebis, si serpentem chartaceum mobilem, & quasi volatilem agglutinaveris phialæ aquâ plenæ, & post eam posueris lucernam accensam, & huic vitrum polygonum opposueris. 13. *Quomodò una eadémque res exhiberi possit multiplicata?* Id enim præstat vitrum crystallinum polygonum, seu multarum superficierum, & angulorum, ita ut superficies non in uno jaceant plano, sed variè sint inclinatæ. 14. *Unde hoc ipsum accidat, quòd per tale vitrum res visa ita multiplicetur?* Id enim provenit, quia species objecti ad omnes superficies allapsæ variè refringuntur, & varijs vijs ad oculi retinam perveniunt, ac consequenter ejusdem rei imagines multiplices inter se dissitas depingunt. 15. *Quomodò jucunda ejusdem rei spectacula perspicillis repræsentari possint?* Id enim efficitur, si dicta vitra perspicilla ita situentur, ut in diversis planis sint collocata. 16. *Cur non minor, imò major, certè facilior, ac celerior vis ad productionem ignis, & combustionem, ac etiam illuminationem insit aliis quóque corporibus diaphanis, cujusmodi*

jusmodi sunt præsertim lentes vitreæ, ac sphæricæ crystallinæ? Quia refractio per hujusmodi corpora habet majorem radiorum unionem, & multiplicitatem, quàm reflexio speculorum. Hinc habetur 17. *Cur multò etiam remotiùs, & validiùs ignis produci possit per refractionem, quàm per reflexionem?* 18. *Quomodò lente convexâ, nocte etiam intempestâ Epistola legi possit?* Id enim obtinetur, si ponatur Epistola retro lentem in opposito siderum, aut luminum valdè remotorum: nam in radiorum coitu literæ clarè perspicientur nocte intempestâ, & loco obscuro. 19. *Quâ arte ignis aquâ etiam accendi queat?* Id enim fiet, si phialam rotundam vitream aquâ, etiam frigidissimâ, plenam soli opposueris, & retrò, ubi refracti radij coëunt, aliquam rem pro igne concipiendo aptam constitueris. 20. *Quomodo laternâ Dioptrica construi debeat, ut in remota etiam distantia scripta legenda exhibeat?* Videlicet si ostiolo laternæ crystallinam pilam integram, aut dimidiam inferas, ita ut convexa pars foras promineat, intúsque lumen colloces in tanta altitudine à basi laternæ, quantâ ab eadem basi distat centrum pilæ, ostiolúmque claudas. 21. *Cur vitra parabolica maximam vim urendi habeant?* Quia solis radij maximè in ijs concurrunt, & intensissimè uniuntur. 22. *Cur per vitrum microscopium, seu auctorium minimæ res ad stuporem úsque augeantur?* Nam per refractionem species rei visæ sub valdè magnis visualibus angulis ad oculos deferuntur. 23. *Cur ea, quæ per reflexionem specierum in speculis videmus, multò debiliùs appareant, quàm quæ directè cernimus?* Quia species reflexæ debiliores sunt, tenuiter afficiunt retinam, átque ideò minùs exactè res repræsentant. 24. *Cur species reflexæ ex uno speculo ad aliud similiter debiliùs eandem rem repræsentent?* Quia sunt multò debiliores, utpotè secundariæ. Sic etiam lux secundaria multò debilior est, quàm primaria. 25. *Cur radij solis per medias frondes trajecti, & oculo incidentes, varios colores exhibeant?* Sistunt siquidem aliquos radios, alios tantùm dissipant, seu disgregant, alios interrumpunt, alios verò continuatos ad oculum transmittunt: hinc ex tanta varietate fractionum, etiam varietas illa colorum exponitur. Nam, ut diximus alibi, colores hi utpote tantùm apparentes, nihil aliud sunt, quàm ipsum lumen variè modificatum. Atque ex eadem ratione. 26. *Iidem radij solis per aranearum quóque filamenta, vel alia hujusmodi trajecti, varios etiam colores exhibent.* Id quod maximè experiri licet, cùm filamina dicta aranearum aliquid concreti humoris habent, cujusmodi passim in dumetis videmus. Hinc 27. *Colores quóque, quos ad solem in collo columbæ intuemur, nihil aliud sunt, quàm ipsi solares radij variè à delicatissimis illis plumulis refracti, & reflexi.* 28. *Quomodo possint varia spectacula per vitreas phialas aquâ plenas exhiberi?* Rem sic efficies: In vitreæ sphæræ, seu phialæ ambitu exteriori depinge quascúnque vis figuras colore levi, & aëreo átque phialam reple limpidissimâ aquâ: deinde retro phialam colloca lumen, ante verò pone chartam, aut telam candidam in certa distantia utriúsque, luminis inquam, & chartæ, quam experientiâ disces. His factis singulæ species imaginum in ambitu vitri depictarum in objecta papyro, aut tela non secùs, ac si ab objectis abscissa essent, apparebunt, & quidem cum omnibus omnino suis coloribus. Atque prædictâ praxi communiter utuntur multi in festis natalitijs ad præsepia, & in festo Parasceves ad se-

ad sepulchrum Domini. Phialam enim plenam aquâ collocant intra aperturam muri alicujus procul positi, & retro phialam aptant rotam seu orbem ligneum, vel chartaceum, in cujus latere descriptæ sunt variæ imagines præsenti festo, ac mysterio congruentes, ita tamen ut rota levissimo flatu circumagi possit, & sit quàm brevissimo spatio phiala sive sphæra vitrea distans, infra orbem sive rotam pone candelam, cujus calore, & vapore rota circumagitur, & ecce imagines per phialam transparentes, non secùs, ac si aquæ innatarent, non illepido spectaculo se adstantium obtutibus offerunt.

29. *Quâ ratione fieri possit ut totum cubiculum elegantissimis peristromatibus, imò gemmis exornatum videatur?* Accipiantur 5. vel 7. plura vel pauciora vitra trigona, & intra cubiculi obscuri fenestram statuantur, ita, ut planum suleatum sit foris, aliud verò intus, jam radij transeuntus per illa vitra varios colores exhibebunt, quibus si opposueris vitra aliquot polygona, sive multorum angulorum, quasi gemmis cubiculum erit exornatum; & si speculum cylindricum eis obverteris, Iridem in pariete exhibitam exactè habebis.


30. *Quæ causa sit, quòd in phiala vitrea, aquâ limpidissimâ repleta, & soli in fenestra aliqua exposita, ita ut radij solis reflectantur in oculis aspicientis, tam varij colores appareant, magis minùsve intensi?* Id enim *provenit propter variam radiorum in medio densiori refractionem.*


31. *Quâ ratione Iris per aquæ guttulas in aërem sparsas exhiberi possit?* Nam si quis ore haustam aquam in altum spargat lucente sole è regione ipsius radiorum, & tu inter solem, & aspergentem sis constitutus, decidentes guttas aspiciens, Iridem licet momentaneè tantùm exhibitam videbis, præsertim si ante faciem tuam objectum opacum occurrat.

32. *Quo pacto in fenestris colorigerum spectaculum possit exhiberi?* Obduc fenestras chartâ viroretinctâ, tum foraminibus aciculâ factis efforma quarumcúnque rerum imagines, & habebis lucis refractæ, & reflexæ simul jucundissimum spectaculum.

33. *Quomodo fieri possit, ut imago parva, ac quæcúnque alia res appareat esse magna?* Resp. Id effici communiter per vitrum microscopium, sive auctorium, idque varijs modis. Potest tamen fieri etiam aliter. Si enim affigatur aliqua imago parva ex una parte phialæ crystallinæ aquâ limpidissimâ repletæ aspicientibus eam ex alia parte phialæ notabiliter ea major apparebit.

Atque hæc de optica hâc vice: plura potuissent dici, & hæc ipsa magis adhuc enucleari, sed obstitit proposita hujus dissertationis, ac simul temporis brevitas.





DISSERTATIO OCTAVA, CURIOSA MISCELLANEA, DE RERUM NOVARUM INVENTIONE.

§. I.

Novus Orbis.

INter ea, quæ veteribus fuerunt incognita, primum, & notatu quàm maximè dignum, meritò ponit *Pancirollus*, *Orbem novum* postremis his sæculis apertum, & repertum. Certè veteres, & Zonam Torridam, hoc est spacium illud terraquei globi, quod intra *Tropicum Cancri*, & *Tropicum Capricorni* comprehenditur, atque medium ab æquinoctiali linea intersecatur, ab hominibus incoli non posse, firmiter crediderunt, & *Antipodas*, hoc est homines contraria vestigia nobis obvertentes, pro fabula constanter tenuerunt. Imò omnem terrarum immensitatem, *Atlantici Maris*, sive *Oceani* ambitu coërceri, ac unicam Insulam, cum alijs minoribus circa se sparsis, esse censuerunt. Et quidem Aristoteles *Lib. 2. Meteororum, Cap. 5.* Ex eo Torridam Zonam prorsus inhabitabilem existimabat, quòd putaret calore illam, propter vicinitatem solis exuri, aquisque carere, & pabuli omnis impotentem effici, ob æstivos, perpetuósque solis ardores àtque calores; quò pertinet, & ille de *Zona Torrida Ovidij Versiculus* 1. *Metamorphosis.*

Quarum, quæ media est, non est habitabilis æstu,

De Antipodibus verò ipse S. Augustinus Lib. 16. de Civitate DEI, Cap. 9. sic scribit: *Quòd verò & Antipodas esse fabulantur, id est homines, à contraria parte terræ, ubi sol oritur, quando occidit nobis, adversa pedibus nostris calcantes vestigia, nullâ ratione credendum est.* Et Cicero Lib. 2. *De natura Deorum*: Nos quandam magnam Insulam incolere ait, quam Orbem terrarum vocamus. *Ac in somno Scipionis: Omnis terra inquit quæ colitur, quadam Insula est, circumfusa illo mari, quod Atlanticum, quod magnum, quod Oceanum appellamus.*

Verùm jam Magistrâ experientiâ contrarium docemur; nam & Zonam Torridam inhabitari ab hominibus, & ultra Oceanum maximos orbis extare tractus, indubitatum est; & Antipodes, qui olim fabulosi putabantur, nunc Europæis, globo-

ſam hanc terram circumnavigantibus, familiares effecti ſunt. Primus verò inventor hujus novi Orbis fuit *Chriſtophorus Columbus*, qui Caſtilliæ Regum Ferdinandi & Iſabellæ, Anno 1492. auſpicijs, de *Gadibus* ſolvens, & ſe ventis ac fortunæ committens, primâ ſuâ navigatione devenit ad Inſulam *Haiti*, quam *Hiſpaniolam* nuncupavit. Mox ſecundâ navigatione totum Antillarum archipelagus. Dein tertiâ navigatione, *Cubam*, *Jamaicam* & *Pariam*, ac poſtmodum occidentalis Indiæ Iſthmum attigit.

Poſt hunc *Americus Veſpuſius* Florentinus, Anno 1497. etiam terram occidentis firmam, continentémque detexit, noménque ei à nomine ſuo impoſuit. Tandem Ferdinandus Magellanus, Anno 1519. Juſſu Caroli V. Imperatoris, ad Occidentem ſolem declinando ad Auſtrum, navigans, primus Fretum inter Americam, & Auſtrale mundi latus permenſus, in Molucas Inſulas delatus eſt, Fretúmque illud à nomine ſuo *Magellanicum* vocavit. Hos ſecuti ſunt poſtea complures alij Archithalaſſi, ac redivivi Argonautæ.

Eſt autem novus hic Orbis (communi jam nomine, dictus *America*) pars terræ orbis vaſtiſſima, Aſiæ, & Africæ objecta lateribus, cui tantùm ab utróque æquatoris latere ſpacij obvenit, ut ob immenſam ſui magnitudinem, quartam partem Orbis, & quidem maximam conſtituat, utpote quod veterem orbem, *Europam* ſcilicet, *Aſiam*, & *Africam* complectentem penè exæquat, eſt ſiquidem illius Longitudo inter duo Freta, *Anianum*, & *Magellanicum*, milliarium Germanicorum 2400. Latitudo verò maxima milliarium 1300.

§. II.

Reliquarum partium Orbis Terræ major notitia.

MAgnitudo Orbis Terræ, deſumitur ab ejusdem Latitudine, & Longitudine. Et quidem Coſmographi tractum terræ, ab occaſu ad ortum, Longitudinem appellant, à Septemtrione verò ad Auſtrum, Latitudinem, licèt pari ſpacio diſtent in ſphæra, Oriens ab Occidente, & Septemtrio ab Auſtro, cujus Ratio eſt. Quia non conſideratur ab ijsdem ſic, terra ſecundùm ſe, ſed quatenus ea habitabilis eſt, & ut cognita. Magis autem porrigitur habitabilis terra, ab occaſu ad Ortum, quàm à Septemtrione ad Auſtrum, inde terræ tractum ab occaſu in Ortum, vocant Longitudinem.

Porrò Coſmographi, & Geographi ut magnitudinem orbis terræ indagent, circumferentiæ circuli maximi terræ tribuunt, Milliaria Germanica 5400. Singulis ſiquidem gradibus cœleſtibus (qui ſunt ejusdem æquales partes 360.) correſpondent 15. Milliaria Germanica, qui numerus, ſi ducatur in 360. prodibit producta milliarium ſumma circumferentiæ maximi circuli terræ. Jam verò à veteribus Geographis initium Longitudinis ſummebatur ab Inſulis Fortunatis, versùs occaſum gradibus 180. ſeu milliaribus Germanicis 2700. pro termino autem Latitudinis Septemtrionem versùs, ponebant Inſulam *Thule*. Unde & Virgilius 1. Georgicor.

verſ. 30. apprecans Cæſari, dilationem ſummam Imperij canit: *Tibi ſerviat ultima, Thule.* Signaturus ſcilicet locum longinquum, & quàm maximè remotum. Meridiem Versûs verò terra veteribus, vix ultra 17 Gradus nota fuit, nempe úsque ad *Praſſum* promontorium, ubi hodie eſt *Moſambicum.* At verò à Neothericis Geographis, ultra terminum à Ptolomæo conſtitutum 60 gradibus itur, Orientem versûs, ita, ut terra ſecundùm Longitudinem ad ortum, jam pateat 240. gradibus, id eſt 3600. milliaribus, occaſum, verò versùs ultra Inſulas Fortunatas, ad Extremam Americæ partem, ſe extendit, ita, ut in longitudinem Orbis terrarum proſpectus ſit, ad gradus 340. ac deſint tantùm 20. Gradus, ad explorandum totum terrarum Orbem in longitudine.

Ad Septemtrionem autem, à modernis perluſtratoribus orbis, itum eſt ad 81. gradum, ita ut novem tantùm gradus jam reſtent ad Septemtrionalis plagæ integram perveſtigationem, meridiem versùs autem perventum eſt primò ad Gradum 45, ad Caput, Bonæ ſpei; dein úsque ad Gradum 53 ad Fretum úsque Magellanicum; ac demum ad Gradum 57, ad Cabo de Hoorn promontorium.

§. III.

Galli Indici.

INvento novo Orbe, multa ad nos pervenerunt animalia, plantæ, & opera, priùs Europæis planè incognita, inter quos ſunt etiam Galli, quos à loco indicos appellamus. Novus ſiquidem hic Orbis India Occidentalis etiam nuncupatur, quia eodem quaſi tempore, quo India Orientalis in Aſia, hic etiam repertus fuit. Porro Gallinarum ſimilium, magnam in America eſſe copiam, ſcriptores illius Regionis tradunt. Eſto autem Americani candidas plurimi faciant, ut plumis avulſis, rubróque colore tinctis, exornent ſe átque veſtiant, ab eſu tamen illarum ſibi temperant. In Moſambica Inſula, quæ nigris plumis ſunt Gallinæ hujus generis, carne quóque ac oſſibus adeò nigricant, ut coctæ, in atramento elixæ putentur; Sapidiſſimæ, tamen, & reliquis longè meliores eſſe creduntur.

Americanis præterea nullus ovorum in cibo eſt uſus, quippe cùm hæc pro venenatis habeant, & inſuper minimè ferendum eſſe cenſeant, ut quis gallinam in ovo comedens, pullationem antevertat. Nec magis tamen de Gallinis ſuis ſunt ſolliciti, quàm de avibus, quæ vitam in Sylva agunt, patientes illas ubicúnque fert impetus, ponere, & excludere ova. At Gallinæ viciſſim pullos è dumis, & vepribus domum deducunt, ita ut eâ moleſtiâ careant Americæ mulieres, quàm Europææ in pullis educandis ſubire coguntur.

§. IV.

Aves Paradiſiacæ.

Pulcherrimæ, ac raræ, & inuſitatæ formæ ſunt hæ aves, quas Moluccarum Incolæ

colæ vernaculâ linguâ Manucoditas, id eſt, aves Paradiſi ſive DEI appellant, & Latini quóque avem Paradiſi vocant, à pulchritudine plumarum,aliarum avium plu- mas decore exſuperantium. Carent verò pedibus hæ aves, quod vetuſtis ignotum, & fortaſsè incredibile. Nam & Ariſtoteles in avium genere, ullam reperiri nega- vit, quæ pedibus deſtituta ſit. Adversùs ſolem volant continuò, nullo terræ dum vivunt contactu, & cùm Apodes ſint, ſeu pedibus carentes,eorum loco pennas ful- vas, hiſpidas, tenues, oblongas, crinium craſſiorum inſtar, à natura ſortitæ ſunt,qui- bus ubi defeſſæ fuerint, tenuiorem arboris ſurculum amplectentes, pendulæ conqui- eſcunt. Néque verò difficilè eſt, in tanta parvitate, & pennarum amplitudine, in tenerioribus arboris ramuſculis, imò, & in ipſo aëre eas conquieſcere. Vix enim Carduelem vincunt magnitudine, cum pennarum ambitu,quæ duas ſpitamas,& am- plius prolixæ ſunt, aquilis non cedunt. Dorſo maris natura cavitatem induxit, ad quam fœmella ova ſua ponit, ijsdèmque incubat, & ſic pullos excludit. Rore vi- vunt vaporibúsque,& fortaſſis animalculis parvis, ſi tamen quæ in parte aëris excel- ſiore, in qua perpetuo hærent, providente natura reperiantur, vivæ vix, aut fortè nunquam conſpiciuntur, mortuæ duntaxat, & exanimes ex alto decidunt,ac inven- tæ apud illos populos, in magna habentur veneratione, in Europam ſaltèm, nun- quam niſi mortuæ deportantur.

§. V.

Plantæ Saluberrimæ

EX multis, quas novus orbis veteri ſubminiſtrat, quæve huic ignota priùs fue- rant, paucas enumero. Quarum præcipuæ ſunt: *Gvajacum* ſeu Lignum ſan- ctum, *Radix China*, ſarzaparilla, & ſaſſafras.

Gvajacum nomen quidem eſt Indicum, ſed per univerſum orbem jam notum, éſtque arbor vel potiùs planta, ad fraxini proceritatem, & ad hominis mediocris craſſitiem, plerúmque aſſurgens. Uſus hujus Ligni maximus eſt in medicinis, ſed comprimis in curando morbo Gallico, nullum medicamentum eſt *Gvajaco* præſtan- tiùs, aut certiùs, & miranda ſanè erat Divina providentia, ut cùm hæc lues maximè graſſaretur per Europam, & curationem illius (utpotè morbi priùs ignoti Europæ- is) Medici noſtri prorſus ignorarent, eo ipſo tempore vires ejuſdem Ligni Europæ innoteſcerent, cujus virtute innumera miſerorum curaretur multitudo.

Radix China, à vaſtiſſima Chinarum Regione, in qua naſcitur, ob Excellenti- am *China* plerúmque dicitur. Hæc primùm Anno 1535. Gentibus Indiarum inno- tuit, ac inde ejuſdem notitia, ac uſus in Europam pervenit, vix unquam tamen viri- bus integris, ſed ſemper ferè emarcida, ac carioſa è Chinarum Regione ad nos inve- hitur, de cujus vi, & poteſtate, qui edoceri cupit, medicos conſulat, quorum multi de ea copioſè ſcripſerunt.

Sarzaparilla eſt planta, cujus tamen radix duntaxat ad noſtrum orbem defer- tur. Ejus variæ ſunt ſpecies, quas deſcribit accuratè Euſebius Nierembergius lib. 13. Hi-

13. Historiæ Naturalis cap. 76. & sequentibus, ubi etiam virtutes illius enumerat, Sarzaparilla (inquit) nobile Medicamentum, ventriculi calorem roborat, renum, & urinæ meatus expurgat, urinam ciet, articulorum, & Gallicæ luis doloribus medetur, sudores evocat, tumores præter Naturam ortos dispellit, denique vix est morbus aliquis, in tam varia numerosáque illarum sylva, cui opem neget ferre.

Sassafras est arbor Indica, nascitúrque in Florida novi orbis Provincia. Ex eadem saluberrima est radix, dein rami, tertiò truncus, sed cortex omnibus præfertur. Indi etiam recentia folia trita, vulneribus appount, & sicca in alios medicos usus reservant. Commendatur illius decoctum in omni morborum genere, præsertim tamen in obstructionibus, & partibus internis roborandis, ac ad tertianas & febres antiquas curandas, illius fragmentum assiduè gestare, & odorari, maximè prodest adversùs pestis contagia. Singulari experientia probatum est, hujus decoctum propinatum ijs, qui pedes, & manus, sic ex Podagra, vel chiragra contortas habent, ut illis uti non possint utilissimum fuisse.

§. VI.

Ficus, & Nuces Indicæ.

FIcus Indicæ in multis sunt dissimiles Europæis, arbor ipsa viri staturam æquat, folia ulnæ magnitudine, tres dodrantes lata habet, inter folia, ex arbore surgentia, flos enascitur magnitudine ovi Struthionis, colore purpureo: ex quo longiore incremento ramus prodit, non ligni quidem materiâ, sed caulis brassicæ, ficus conservatas abunde proferens, quæ ut uvæ, in modum racemi aguntur. Una talis arbor sive planta, unicum tantùm similem racemum profert, quo decerpto, mox tota arbor detruncatur, quæ justis denuo incrementis adolescit, ac fructum novum rursus producit, átque sic vicibus iteratis, perpetuum toto anno fert fructum, tantâ abundantiâ, ut communiter Indis, in cibi usus serviat.

Nuces Indicæ sunt nuclei fructuum, quos Indigenæ Cacos, sive Coquos appellant. Arbor in quo hæ proveniunt, proceritatis est eximiæ, palmæque ad formam valde similis. Folia nonnisi in cacumie generat, sub quibus racemos decem, aut duodecim, & quandóque etiam plures producit, ac in quolibet racemo, botros uvarum instar, sed mille tegminibus vestitos. Varia, & maxima est hujus arboris utilitas. Nam ex extimo illius cortice, utpotè qui villosâ materiâ est contectus, fiunt rudentes, & navibus necessarij funes, qui in aqua marina incorrupti manent. Ex eodem, stuppæ loco, naves obturantur ac stipantur, ídque commodiùs quàm stuppâ, quòd putredini minùs sit obnoxius; quin, & Galeros, capitis tegumenta, ex eo conficiuntur, insigni æstimatione tenuitatis expetitos, æstivo præsertim tempore, ob levitatem. Ex cortice vero illius interno, & præduro, vasa in tenuiorum usum formantur, & etiam Carbones fiunt, aurifabris perquam utiles. Ex ramis ejusdem fiunt ædium tecta, & navium Tabulata ac opercula. Ex folijs præterea texuntur vela, & Lusitani ad storeas etiam, & tegmina illis utuntur. Materia ligni, cùm sit ar-

sit arbor hæc procera, ad plurima perquam est utilis, ita, ut interdum naves ex ea fabricentur. Fructus penè maturus, succo liquoréque plenus est; ex quo suavissimus copiosissimúsque conficitur potus, & si liquor hic distilletur, evadit in usualis vini saporem, ac mox ex altera distillatione, in vinum adustum, æquæ ardenti, seu aquæ vitæ persimile. Atque idem liquor expositus soli, in optimum convertitur acetum. Jam verò ipsius Nucis cortex medius, cibum præstat, qui Amygdalis suavitate non cedit, medulla verò Nucum (dum hæ adhuc recentiores sunt) tenera valde, ac dulcis est, multóque adhuc sapidiorem gustum præbet, ubi autem exsiccantur castanearum, vel avellanarum saporem referunt. Demùm ex putaminibus, & fragmentis Nucum, limpidissimum oleum magnâ copiâ torculari exprimitur, quod simul medendi vim admirabilem habet. Tot, & tantarum commoditatum posuit DEUS in hac arbore compendium. Utérque autem prædictus fructus, priscis sæculis erat ignotus, ac primò repertò novo orbe Europæis innotuit.

§. VII.
Cultri Lapidei.

PErferuntur hi in Europam ex novo orbe, anteà nobis incogniti. Ea enim est in novo orbe quorundam Lapidum acies, ut ferro æquentur, quippe qui securis, gladiorum, ac reliquorum Instrumentorum fabrilium, quæ apud nos è ferro conficiuntur, ministerium præbeant, imò, & novaculas ex illis confici, & in detrahendis ferarnm corijs, gladij acuti usum, lapides eos memorat Majolus, Dierum Canicularium Colloquio. 17.

§. VIII.
Porcellanæ.

SUperioribus sæculis nunquam visæ fuerunt *Porcellanæ*, ait superiùs citatus *Pancirollus*, sunt autem *Porcellanæ* preciosissima vasa fictilia, aspectu pulcherrima, & tralucentia, nec non formâ, & colore vario, ac perelegan̄ti tincta, quorum ea insignis est virtus, quòd si venenosum quid ipsis immissum sit, illico rumpantur. Quamquã rarò hæc vera, & genuina ad nos perveniant, sed satis adulterata vendantur, præstantissima siquidem, átque pulcherrima, è Regno Chinarum (ubi ea conficiuntur) citra capitis periculum, evehere non licet, utpotè Regis, & Magistratuum usui dicata. Materia autem ex qua *Porcellanæ* conficiuntur, est Massa quædam ex gypso, ovo trito, putamine locusttrum marinarum, & alijs speciebus composita, quæ postquam stipata sit, & probè condensata fuerit, sub terra in locum aliquem secretiorem reconditur, quem Pater liberis suis (ab alijs enim hunc sciri non vult) designat, ubi octuaginta annis sic recondita manet, quo tempore elapso, filij, vel nepotes eam eruunt, átque rursum eâ subactâ, & ad laborandum idoneâ redditâ, pretiosa illa vasa conficiunt.

§. IX. La-

§. IX.

Lapis Bezoar.

BEzoar quóque Lapis, superiori ætate fuit incognitus. Est verò hic Lapis, mirabilis efficaciæ contra venenum. Nam si duodecim grana illius in vino summantur, omne veneni genus, subitò, ac penitus dispellit. Ejusdem effectûs est, si supra serpentis morsum ponatur, facitque omnino ut nullũ eo utenti venenum noceat. Juvat etiam contra pestem plurimùm, & febres quas pestilentes vocant, ac in alijs quóque morbis, & infirmitatibus, admirabilis est ejus usus, unde Hebraicè *Belzoar*, hoc est veneni Dominus nuncupatur. Nascitur in ventriculo certi generis Caprarum, quæ reperiuntur in Perside, ac in Montibus Indiæ supra Gangem, Chinarum Regioni finitimis, & nonnullis Molucæ locis, ac etiam in Peru. Constat laminulis sive involucris, instar tunicarum nostratis cæpæ, aliâ aliam amplectentibus, splendentibúsque, quasi politæ essent: imò priore demptâ, subsequens multò splendidior invenitur, quæ tamen facilè abraduntur, & medicinis adhibentur, in meditulio cavus est, & pulvere ejusdem cum lapide substantiæ plenus, qui maximè commendantur, átque ipsi quóque lapidi, quoad efficaciam præfertur. Differunt hi Lapides inter se non solùm figurâ, & colore, sed & nonnihil pondere, etiam in eadem quantitate, uti, & substantiâ seu virtute, quam non aliùnde acquirunt, quàm ex saluberrimis herbis, quibus hæc animalia vescuntur ac pascuntur, ex quarum succo, optimè naturali calore ventriculi animalis digesto, generantur.

§. X.

Vsus Rhabarbari in Medicinis, & Cassiæ Dissolutivæ.

RHabarbarum, de quo hîc est sermo, in interioribus Chinarum Regionibus nascitur, átque inde ad Urbem *Cantan* Nobilissimum totius illius Regionis portum, & Emporium, à Lusitanis inhabitatum reportatur, inde verò navibus in Indiam advehitur, ac demum in Europam transmittitur, vel aliâ viâ ex ijsdem Chinarum Provincijs, Camelis defertur per Tartariam Asiaticam in *Ormuz* úsque, & inde in Persiam, Arabiam, & Alexandriam, unde postea universæ Europæ communicatur. Multùm autem differt hoc Rhabarbarum recentiorum, à Rhabarbaro cujus veteres mentionem faciunt, loco, colore, odore, pondere, & facultatibus, ac virtute in medicamentis.

Cassia fructus est arboris, quæ nascitur non in India tantùm, sed in Ægypto quóque, potissimùm tamen in America. Dicitur *Cassia solutiva*, ab effectu quem præstat. Quæ proinde diversa est ab illa, cujus aliqui scriptores Græci mentionem faciunt, non solùm formâ, sed & usu in medicinis, ac viribus, unde hæc veteribus fuit planè incognita, cùm nec ipse *Galenus* ejus meminerit.

§. XI.

Sacchari Confectio.

SAccharum quidem (hoc eſt mel arundinatum, ſive ſuccus melleus, in calamis arundini ſimilibus concretus) olim quóque fuit, ſed non magna ejus erat notitia, & nec alium in finem, quàm in medicina facienda uſurpabatur. Poſtremis autem his ſæculis inventus eſt conſciendi illius modus. Jam verò ad eam ſubtilitatem, deducta eſt ars iſta, ut pleræque ſpecies aromatum, & fructuum Sacchar o incruſtentur. Efformantur etiam ex Sacchar o, figuræ olerum, animalium, plantarum, ac cunctarum ferè rerum.

Porrò planta, ex qua Saccharum exprimitur, exteriori quidem ſpecie, arundini magnæ ſimilis eſt, ſed interiore ſubſtantiâ valde eſt diſſimilis, pulpoſa enim eſt, gravis, mollis, & ſucci plena, cùm arundo ſit levis, dura, & vacua. Ex hac igitur planta bene contrita, ſuccus exprimitur, átque hic calore excoquitur, flava illius pars ſecernitur, & Saccharum remanet, ſed minus adhuc perfectum, hoc igitur rurſus excoquitur, & ſic magis purum, & elaboratum fit, magis quóque candeſcit, & clareſcit, átque hoc modo diverſos etiam bonitatis gradus recipit, prout magis, & magis per excoctionum repetitionem depuratur, átque ſic jam præparatum, in officinis *Seplaſiariorum*, varias in figuras formatur.

§. XII.

Chymia Inventa.

CHymiæ & *Alchymiæ* nomina confundunt plerique, jam autem uſus obtinuit, ut ſolùm ea pars *Chymiæ* dicatur *Alchymia*, quæ ſe jactat ex alijs quibuslibet, aut aliquibus ſaltem alijs metallis, aurum poſſe conficere, átque hæc paſſim tanquam fallax, & impoſtoria exploditur. Imò à multis ars hujusmodi pro impoſſibili habetur. Sed quidquid ſit de illius poſſibilitate, quàm hic non impugno, (cùm applicando Activa paſſivis, conſtet multa per artem poſſe fieri, & naturam rerum, per artem perfici) certè effectus illius, à viris etiam doctiſſimis, rebus deſperatis adnumeratur, & fruſtraneis, ac irritis conatibus, ars ipſa adſcribitur, quippe cùm toties, & tam anxiè, & tam multis ingens illud bonum, quod ars hæc pollicetur, fuerit indagatum, nec tamen inventum, imò conſtet, quosdam opulentiſſimos, hâc vanitate ad extremam paupertatem eſſe redactos, cùm è contra non ſit Exemplum, ut quis hâc arte ex mendicitate, vel egeſtate, vel ad mediocres divitias perveniſſet. Unde eſt tritum illud vulgi ſermone proverbium. Nunquam vidi Alchymiſtam divitem. Et aliud: Alchymiſta, nihil habet in ciſta. Illud tamen non approbo, ſi quis eo ipſo, quòd Alchymiſtas oderit, operationes quóque Chymicas omnes ſpernat, & contemnat. Eſt enim Chymia, & ad plurima medicamenta comparanda, & ad indagandas re-

das rerum naturas, ac proprietates, perquam idonea. Multa etiam postremis his temporibus per artem Chymicam ingeniosè inventa sunt, quæ antea planè fuerunt incognita. Inter quæ à *Pancirollo* refertur, primò *Lato* sive æs illud coronarium, quòd est æs illustratum certo aliquo pulvere, qui splendorem metalli, quod revera non est, eidem indit. Secundò *Saphyri dealbatio*, ita, ut Adamas videatur, qui sic præparatus, ita annulo solet inseri, ut nemo, quantumvis peritus, saphyrum eum possit dignoscere. Tertiò *Stanni præparatio*, quod ipsummet argentum putes. Quartò *Aqua fortis*, quâ æs ab auro separatur, & argentum vicissim ab auro, quod utique antiquitùs fieri non posse, judicabatur. Quintò, *Lacupella*, sive *Cupella*, vasculum mirabile, ex bubulo osse factum, in quod aurum, & argentum pellucidum, & ab omni macula expurgandum, mittitur, ut nihil præter aurum, ibi remaneat.

§. XIII.
Distillationes.

Distillationem Neotericorum appellat inventum, Joannes à Porta, in Proœmio libri 10. Magiæ naturalis. Præstantem hanc artem ait *Pancirollus*, inventam esse Imperio Romano jam constituto. Est verò ea ars comprimis utilis, & qua etiam aqua vitæ promanavit: Aquæ autem, & olei liquores, ac sales, quorum usus in medicina est frequentissimus, substantijs rerum, hâc arte, in halitus, ac vapores resolutis, in quibus est maxima, proprietatum unius cujúsque rei virtus, & efficacia. Ex his verò infimæ sortis est Aqua, quæ præsertim ex stirpe viridi educitur, efficaciæ virtus est, in oleo albo, dein in rubente: demum sex quóque ubi exuitur, donec prorsus albescat, & in calcem reducatur, proprio humore dissoluta, eximijs viribus pollet. Sic perinde jam evenit, ut omnes illæ aquæ, in liquores innumerabiles, & maximi effectûs, herbarum, stirpium, aliarúmque rerum, quæ æqualis præstantiæ esse solent, hodie distillentur, cùm antea res medicinales decoquerentur saltèm, & sic ægrotis adhiberentur.

§. XIV.
Quinta essentia Rerum.

Extrahitur hâc eâdem arte, Quinta essentia rerum. Hujus enim artis beneficio, ex unoquóque herbarum, & stirpium genere, extrahuntur quatuor substantiarum genera, primò Aqua, deinde oleum, illúdque duplex, unum tenue & albicans, alterum siccius & rubens, præterea fex omnis subsidit instar cineris atri, & axusti, átque sic ex illis rerum primordia, quæ in ortu earundem natura permiscuerat sejunguntur. Aqua scilicet in vapore concreto, aër in albicante oleo, in rubente ignis, in fece terra. Jam verò qui prætermittunt, quatuor harum substantiarum, sive essentiarum separationem, primò in re subjecta, aquam lento evaporio eliciunt,

ciunt, hâc deinde feces respergunt, & secundò humorem extrahunt, sicque septies repetitâ respersione, feces torreri non sinunt, & ex his vim, facultatémque omnem exhauriunt, aquæ, maximéque oleo innixam, quæ ad multa utilis accomodatáque est, hâncque quintam Essentiam vocant.

§. XV.
Campanæ.

CAmpanæ repertæ fuerunt circa Annum 400. Christi, à Paulano Episcopo Nolano. Est autem *Nola* Gampaniæ in Italia oppidum, unde etiam sonora hæc Instrumenta, *Campanæ* sunt dicta, quia in Campania inventa, horum minora vocantur *Nolæ*, à loco in quo primùm fuerunt factæ. Quarum quantus sit usus, ac utilitas, in ordinandis actionibus & occupationibus humanis, sive privatis sive publicis, & tam Civilibus, quàm Ecclesiasticis, nemo est qui ignoret. Universalis tamen usus Campanarum, ad Horas Canonicas, & Missam, introductus est à Sabiano Pontifice, circa Annum 604. apud Græcos autem tardiùs, post Annum scilicet Christi 800.

§. XVI.
Horologia.

SIcut Italis Campanarum, sic Germanis Horologiorum Rotatilium, & sonantium debetur inventio. Veteres ad dimetienda, & commensuranda tempora, primò excogitârunt Clepsydras aquaticas, per quas guttatim defluebat aqua inclusa, stillicidióque exhauriebatur. Quorum primus inventor fuit Scipio Nasica, Anno ante Christum 159. Deinde cùm hæc Horologia aquatica minus commoda essent, nam & hyemali tempore tardius profluebat, quàm æstivis horis, & aqua facilè motu attenuabatur, & sic exhalabat; substituerunt eisdem Clepsydras arenarias, seu vitra tenuissimâ arenâ repleta, qualibus & nos hodie utimur. Horologium verò sciathericum seu solare, per umbras styli horas ostendens, primus Lacedæmonijs monstravit *Anaximenes Milesius*. Unde Plinius, eundem facit primum inventorem horologij sciatherici. Verùm ut scriptura testatur, *Achaz* Pater Ezechielis Regis, diu ante, aliud construxerat, qui 200. annis vixit ante Anaximenem. Apud Romanos autem, primus in Ædem Quirini posuit sciathericum Horologium, L. *Papinius*, ante Christum Anno 159. Sed hæc ipsa umbratica Horologia, mera umbra fuêre, & rudia valde, comparativè ad illa, quæ nostro sæculo artificiosissimè describuntur, in varijs formis, & figuris, ac in quacúnque positura & situ. Ast Horologium rotatile, seu horisonum, inventum est à Germanis, Anno 1530. Cui successu temporis multa addita sunt, inter quæ est, & illud, ut quâ velis horâ te excitent, inventúsque est conficiendorum istorum modus, ut etiam ábsque libramine appen-

ſo, vel in menſa poni, vel in collo ſuſpendi poſſint. Conficiuntur jam inſuper etiam talia, quæ non ſolùm horarum ſpacia, ſed & Solis, ac Lunæ, reliquorúmque Planetarum motus deſignant, Muſicos item ſonos, plurimáque alia artificioſiſſimè exhibens.

§. XVII.
Typographia.

INter alia præclara noviter inventa, unum ex præcipuis eſt, Inventum Typographiæ, quæ in Germania reperta fuit, Anno à Chriſto nato 1440. ſicque.

Quæ doctos latuit Græcos, Italósque peritos,
Ars nova germano venit, ab ingenio.

Et quidem ea ars, quæ cum omnibus veterum inventis facilè poſſit certare, utpote nulli arti, nec dignitate, nec utilitate, nec ſubtilitate ſecunda, quæque maximè hodie nobis eſt adjumento, quandoquidem olim omnia neceſſum erat, ut calamo deſcriberentur, quem in uſum multæ conſtitutæ fuerunt tabernæ, ſeu officinæ, in quibus nihil agebatur aliud, quam ut ſcriberetur, quod perfectò multi laboris erat, & magnorum ſumptuum, quibus incommodis caret noſtra ætas, ea enim eſt hujus artis celeritas, ut: *Imprimat illa die quantùm non ſcribitur anno.*

De loco, & Authore hujus artis variant ſcriptores. Communior tamen, & veroſimilior eſt ſententia, inventam fuiſſe Moguntiæ à Joanne Fauſto, ſeu Fauſtio. Hic pro eo, quò artes liberales, & doctos proſequebatur ſtudio, cùm conſideraſſet penuriam librorum, & magnis ſumptibus, qui ad eos deſcribendos requirebantur, multa ingenia à ſtudijs abſtrahi átque avocari; de modo cogitare cœpit, quo minore labore ac ſumptu, Libri, & boni Authores divulgari, & comparari poſſent. Poſtquam in eam rem ſeduló intentus fuiſſet, initio hanc viam ope divina reperit, ut tabulam Abecedariam, characteribus eminentibus, ligno incideret, & ad impreſſionem formaret, quos etiam atramento immiſit, cùm verò adverteret quòd atramentum deflueret, & Characteres confunderet, re diù animo volutatâ, craſſiorem, & nigram invenit materiam, & tabellas illas minoribus prælis ſubjicere, & excudere cepit, poſtmodum autem quia integras columnas, ſeu formas ut hodie loquuntur, ligno incidere nimis moleſtum, & laborioſum erat, compendium tale excogitavit, ut priores aſſerculos diſſecaret, probos Characteres retineret, & detritorum locò alios peculiares formaret: átque ita coagmentationem ſeu compoſitionem Characterum exorſus eſt, aſt quia, & ſic multùm temporis, & laboris in ſingulis Characteribus formandis impendendum erat, induſtriâ Diſcipuli ſui *Petri* Schotffer, matricem adinvenit, quâ Characteres matrici ut vocant inciderentur, & ex ea funderentur. Hi Characteres plumbei fuerunt: dein mutati ſunt in ſtanneos, tandem cœpti ſunt fundi ex ſolidiori Materia, Antimonio alijsque Metallis admixta.

Eſto

Esto autem Maffeus Lib. 6. Historiarum Indicarum asserat, apud Chinenses literas imaginésque prælo Typis excudere, vetustissimo in usu fuisse, nil tamen vetat, quominus hæc ars nova esse censeatur in Europa, & ejusdem artis in diversis partibus Orbis, ac diversis temporibus, sint diversi inventores; præterquam, quòd impressio illa Chinensis, multùm differat à nostrate. Chinenses enim non conjungunt literas more nostro, sed in singula folia tabulam formant, quæ utrínque Characteres habent, quod perquam laboriosum est, & in hoc Europæa Typographia, Chinensem longè superat.

§. XVIII.

Pyxis Nautica.

VEteres in navigatione maris, stellam polarem, aliásque observabant, & secundùm earum situm, cursum navium dirigebant, hinc si obscurum esset cœlum, ignorabant ubi versarentur, erántque quasi deperditi. Anno verò 1303. *Memphi* Campaniæ civitate, per *Flavium à Gloria*, inventa, ac excogitata est *Pyxis Nautica*, seu acus Magnetico Nautica, quà dirigente, id assequuntur Naucleri, ut & die, & nocte obscura, átque etiam tempestate exorta, sciant qui loci sint constituti, & an, ac quantùm ab intento itineris tramite devient. Quâ quia destitui erant veteres, vasto illi Oceano nunquam se ausi fuerunt committere, ideóque oras ferè terrarum semper legerunt, non procul à littoribus recedentes. Jam verò moderni Naucleri, beneficio hujus *Pyxidis* quotannis orbem terrarum crebriùs obeunt, & in Novum orbem integras Colonias deducunt, mercibúsque onustas naves, ultrò, citróque vehunt, & revehunt. Formam hujus *Pyxidis* accuratè describit *Osorius*, usum verò Adrianus Metius. Atque hâc occasione solvi potest altercativa illa inter Germanos, & Italos quæstio, quæ nam harum Nationum esset inventiosior? Nam inventio hujus Pyxidis, Campanarum, & novi orbis, debetur Italis; Inventio verò Typographiæ, Horologiorum, & Tormentorum Germanis.

§. XIX.

Charta.

CHarta primùm malleari cœpit Romæ, à *Fannio*; án autem hæc similis fuerit nostræ, incertum est.

Antiquitùs verò scribebatur in Palmarum folijs, postea in tenuioribus arborum phyliris, sive in corticibus interioribus, qui à Latinis libri dicuntur. Hinc usus obtinuit, ut moderna quóque *Charta* appelletur *Phylira*, & pars illius, *folium*, & multa Chartæ folia complicata, *Libri*. Postmodum publica monumenta scribebantur tabulis plumbeis, mox & privata in linteis, tandem in tabulis cereis scribendi modus inventus. Quæ tabulæ apud Latinos, varia sortitæ fuerunt nomina. Nam

& *pugillares* dicebantur, à pungendo, & tabulæ, & codicilli cerati. *Codices* autem nominabantur libri majores, quia codice, sive caudice, hoc est trunco, sive stipite arboris obtegebantur; hinc Tabellarij dicebantur, per quos dictæ tabulæ transmittebantur. Quia verò postea stylo ferreo literæ, in tabulis illis cereis formabantur, sic evenit, ut modus scribendi *stylus* nominaretur. Fundatâ postea ab Alexandro Magno Nobili illâ civitate Alexandriâ, *Papyrus*, quæ veluti juncus quidam est, in palustribus Ægypti, & quiescentibus Nili undis, fuit inventa, quæ tali conficiebatur modo: Scapus sive caulis *Papyri*, amputatis utrinque extremitatibus, utpotè minus ad conscribendum idoneis, dividebatur secundùm longitudinem, in duas partes æquales, à quibus postea avellebantur, singillatim phyliræ, seu bracteæ quæ quò longiùs ab extimo scapi cortice distabant, eò erant præstantiores, quas Chartam ab Urbe Tyri, cui nomen *Charta*, & propè quam juncus ille inventus fuit, nuncupârunt. *Eumenes* dein *Pergami*, excoriatis animalibus, ac membranis pelli proximis, Chartam, scriptioni aptam fecit, quæ *Membrana* à tecta membrorum animalium fuit denominata: uti & *Pergamena* ab Urbe Pergamo, in qua primùm fuit reperta. Demum cùm in Italiam venissent Longobardi, è tabulis rasis subtilissimas fecerunt schedas, quod nomen defacto quóque in usu manet. Postremò excogitatum fuit, ex linteolis contritis, & aqua maceratis Chartam conficere, in qua magna cujusvis cum commoditate scriberetur, quâve utimur modernis temporibus.

Hæc ferè ex *Pancirollo*, contra quem licet aliqui evincere conentur, Papyrum ante fundatam adhuc Alexandriam fuisse inventam, quia tamen hæc in tanta copia non conficiebatur, uti post exstructam Alexandriam, invento ad illam conficiendam copiosissimo junco, non abs re ad illius tempora, Papyri inventio refertur. Sic Membranam quóque ante *Eumenem* fuisse, ex Josepho Lib. 12. Antiquitat. Judaicarum, & ex Plinio Lib. 13. Cap. 11. non obscurè deducitur. Quia tamen Eumenes magnam illius copiam præparavit, & per Asiam, ac Græciam divulgavit, ideo Author illius fuisse laudatur.

§. XX.

Ziferæ, sive Cyphræ, seu Furtivæ ac occultæ Literarum Notæ

NOtas, quæ hodie usurpantur in occultando Literarum sensu, pro novis habet *Pancirollus*, utpotè quæ veteribus, nec in mentem venerunt, utebantur tamen hi subinde notis, seu initialibus literis, pro integris dictionibus, sed hæ potiùs observationes, quàm *Notæ* erant. Postea Cæsar, ita potestatem literarum commutabat, ut primas literas, quarta quæque succedens indicaret. Augustus verò subsequentem pro antecedente ponebat, ut B. pro A. C. pro B. & sic deinceps cæteras. Alij post, hunc excogitaverunt modum, ut numeros pro vocalibus, aut pro singulis literis collocarent: alij dein novos Characteres efformabant, sed ars hæc longè

longè majorem vafriciem videtur exposcere. Multi proinde ex professo ad clandestinam hanc sciendi rationem edocendam, diligenter operam præstitêre, quam Artem Orthographicam nuncupavêre. Novissimè sat fusè eam tradidit *Schiltur* Lib. 8. partis quartæ Magiæ naturalis. Ex quo curiositatis, & exempli causâ, aliquot clandestinæ scriptionis modos (omissa tamen pro nunc eorum praxi) hic apponam. 1. Scribere, ut literæ occulti sensûs delitescant, & non occultandi conspiciantur. 2. ut literæ sensûs occulti invisibiles, liquoribus Chartam perungendo conspicuæ fiant. 3. ut literæ aliàs invisibiles, igne reddantur visibiles & legibiles. 4. ut literæ non nisi combustâ Papyro legantur. 5. ut literæ non nisi polline atro aspersæ legi possint. 6. ut literæ, non nisi interposito igne vel lumine videantur. 7. ut denigratâ totâ Chartâ; postea occulti sensûs literæ, albæ appareant. 8. Literas in Ovi cortice sic scribere, ut nonnisi illo deposito, legi in eodem possint. 9. Literas ipsi albumini ovi inscribere, mundo planè ipso cortice. 10. Literas ovo inscribere, ut non nisi eo aquæ immerso, aut igni admoto, aut pulveribus consperso, reddantur visibiles. 11. Scribere occultum sensum per rete, sive craticulam, aut per filum, aut baccillos literatos, vel illiteratos. 12. Scribere Polygraphia Trithemij, substituendo singulis literis singula verba, quæ quidem sensum efficiant, sed longè diversum ab eo, qui occultatur. 13. Paucorum numerorum ope, secretum quodcúnque absenti perscribere literis ordinarijs. 14. Paucis punctis inter scriptam Epistolam sparsis, indicare absenti quodcúnque secretum. 15. Literis intra certos angulos, & figuras inclusis, secreto scribere. 16. Idem præstare paucis notis Arithmeticis, alijsque signis quibuslibet. 17. Solis notis Arithmeticis, quodcúnque secretum scribere. 18. Solis quatuor literis, quodlibet occultum alteri perscribere. 19. Idem præstare, tribus tantùm literis. 20. Solis punctis libro alicui impressis, occultè scribere. 21. Dictionum aut Syllabarum inversione secretum suum tegere. 22. Duorum vocabulorum, literas inter se miscendo, secreta adscribere. Omitto plura his similia.

§. XXI.

Tubus Opticus.

TUbi Optici (qui communiter Perspectiva dicitur) inventio huic nostro debetur sæculo. Etenim 1609. Batavus quidam Joannes Lippersein Zelandus, conditione quidem humilis, arte autem perspicilliarius, casu concavum cum convexo conjungens specillo, sicque utrúmque oculo applicans, haud sine admiratione advertit, objecta magnoperè augeri, oculóque mirum in modum propinqua reddi: quò animadverso, utrúmque vitrum in Tubum seu canalem, debita proportione disposuit, ac per eum multis vicinis, & transeuntibus, objecta remotiora, cum stupore spectandi, occasionem præbuit. Hunc deinde primum *Tubum Opticum* Marchio Spinola, pecuniâ ab artifice comparatum, Serenissimo Archi-Duci Alberto obtulit, ac inde usus ejusdem, ad reliquos Duces, & Principes promanavit.

Cœpit

Cœpit deinde ulteriùs per Germaniam, Galliam, Italiam Orbem denique universum divulgari, magísque semper perfici, donec ad eam, in qua nunc est perfectionem fuerit deductus. Sed néque hoc contenti Astronimi, de alio pro Cælestibus objectis detegendis magis apto, cæperunt cogitare. Antonius igitur Maria de Reyta, duo concava vitra, debita inter se proportione, & sectione conjunxit, in quo unum Canalem composuit, & néque hoc monoculo Tubo contentus, alterum similem Tubum pro alterno oculo priori adjunxit, felicissimo sanè successu. Talis enim inter hunc, & priorem est differentia, qualis solet esse communiter, inter monoculum, & binoculum hominem. Atque hic novi generis Tubus, ad differentiam Tubi communis, Astronomicus Tubus jam nuncupatur.

§. XXII.

Novorum Planetarum detectio.

PLanetæ sunt stellæ, quæ in cœlo huc illuc vagantur, non quidem inverso ac vago, multùm tamen variabili modo, unde à Latinis Errones, seu Erraticæ stellæ vocantur, mutant siquidem continuè situm, ordinem ac distantiam, non solùm inter se, sed etiam à fixis, ipsáque lineâ Eclipticâ. Hujusmodi stellæ ab Antiquis notæ fuerunt, septem tantùm, Nempe: *Saturnus*, *Jupiter*, *Mars*, *Sol*, *Venus*, *Mercurius*, *Luna*, Post Inventionem autem Astronomici Tubi, reperti sunt alij quatuor Planetæ circa *Jovem*, & duo circa *Saturnum*, átque illos *Comites Jovis*. hos verò *Saturni satellites* appellavêre Neotherici Astronomi. Quos primus omnium *Galilæus* accurato Telescopio instructus, sub hominum aspectum adduxit, cùm ab ipso primordio mundi latuissent. Veros autem Planetas esse concluditur, cùm perinde átque alij septem Planetæ vagentur.

§. XXIII.

Solis macularum, & Facularum deprehensio.

HOc quóque Phænomenon sub conspectum hominum, primò hoc sæculo adductum est, cùm ab Orbe condido latuisset. Illius primus observator fuit P. Christophorus Scheinerus Soc. J. insignis Mathematicus, qui maculas has, & Faculas Telescopio detexit, per multas, & sine numero iteratas, eásque accuratissimas observationes, institutás Ingolstadij in Bavaria Anno Christi 1611. Modus observandi has maculas, & Faculas Solis multiplex est, duplicem tantùm hic adduco, ex Physica P. Honorati Fabri S. J. Tractatu 8. Propositione 34. Cujus etiam verbis hîc utar. Primus est, si Solem aspicias per Telescopium, vitro cavo tincto instructum, nempe cùm ille color nimiam lucis vim castiget, oculus discum solis intactus explorat, & maculas si quæ sunt,

ſunt, diſtinctè videt. Alter eſt, ſi majorem Tubum opticum adhibeas, intra obſcurum conclave directum ad Solem, & radios projectos in Charta oppoſita excipias, in hac enim maculas depictas videbis, eorúmque numerum, magnitudinem, ſitum, & alia hujusmodi nullo negotio obſervabis.

§. XXIV.

Montium, & Vallium, Specuum, ac Lacuum Lunæ, detectio.

EUdymion, qui primus curſum Lunæ menſtruum reperit, licèt multos annos in contemplatione illius conſumpſerit, nihil tamen de Lunaris faciei maculis annotavit, ſed néque in eruditiſſimo Plutarchi de facie in Orbe Lunari opuſculo, de alijs, quàm de antiquis, nudóque oculo conſpicuis ait Maculis, ut teſtatur Ricciolus Lib. 4. Almageſti novi Cap. 7. Indubitatum ſiquidem apud omnes veteres erat, Corpus Lunare, non tantùm Mathematicè, ſed & Phyſicè, ſphæricæ figuræ eſſe, aut ſaltèm proximé ad eam accedere. Aſt jam clarè hujus ſæculi Aſtronomis conſtat, Lunæ ſuperficiem eſſe inæqualem, multis ſalebris, ſcopulis, vallibus, cavernis, montibus, & collibus aſperam, quin, & ſpeluncis, ſpecubus, antris, & lacubus eſſe refertam. Obſervavit has partium Lunæ varietates Galilæus primùm, ac Scheinerus, dein Hevelius, & Ricciolus, quas etiam delineationibus ære inciſis, iísque accuratiſſimis, orbi propoſuêre. Sed jam id omnibus Lunam Teleſcopio intuentibus, ad oculum patet, ſi quis eam per totam quidem circulationem, at præſertim quartâ, vel quintâ Novilunij die, iteratis vicibus accuratè contempletur.

§. XXV.

Specierum viſibilium, in locum obſcurum intromiſſio.

CUrioſi hujus Phænomeni, non audeo primum Inventorum facere, Patrem Chriſtophorum Scheinerum, cùm ante illum meminerit ejus Joannes à Porta, uti, & Cornelius Agrippa, Lib. 3. Magiæ Naturalis Cap. 6. ſufficiat dicere, quòd is primus rem hanc accuratiſſimè pertractaverit, varijsque experientijs illuſtraverit, & ad rationes opticas doctiſſimè reduxerit. Fit autem hæc introductio ſive Intromiſſio ſpecierum tali modo: Cubiculum aliquod, ex quo ſit proſpectus in forum, aream, aut alium locum ſimilem, rebus ſpectabilibus inſtructum, undique clauditur, ita, ut ne minima lux illud intrare poſſit, hoc facto, ſit foramen in clauſa feneſtra exiguum, cujus diameter ſit latitudinis digiti minoris, in hoc foramine collocatur vitrum convexum ex ſpicillo, vel tubo optico. Et ecce ſimul cum lumine, ingrediuntur ſpecies viſibiles,

sibiles, omnium rerum, extra, è regione foraminis positarum, ita ut radij earum recti per foramen penetrare possint, & in objecto pariete, vel charta munda opposita, depingent earum imagines, unà cum earum coloribus, motu, situ, & lineamentis omnibus. Species tamen hæ, habent hoc incommodi, quòd sint inversæ, sed huic eidem incommodo facilè obviatur, si ijsdem opponatur alterum vitrum convexum, hoc enim vitrum posterius, acceptas à priore species inversas, denuò evertit, & consequenter, species ipsius objecti erigit.

§. XXVI.

Specula ustoria, & vitra auctoria.

NOn pono inter nova inventa, inventionem vitri admirabilem prorsus, & utilissimam, cùm constet vitrorum usum antiquissimis etiam temporibus viguisse, licet ars vitra conficiendi, nostrâ ætate, ad longè majorem perfectionem jam pervenerit. Sed nec ipsa specula vitrea, inter res novas connumero, cùm & hæc fuerint antiquitati nota, quarum tamen inventio *Praxiteli* tribuitur, qui vixit temporibus Pompeji.

Prætermitto etiam Conspicillia, seu Perspicillia, estò hæc *Pancirollus* inter noviter inventa, commodè habere posse existimet: quoniam *Plinius* rerum omnium Scriptor diligentissimus, nullam de his mentionem faciat. Fit tamen mentio eorundem apud *Plautum*, cùm ait:

Vitrum cedo, necesse est conspicillio uti:

Id quod nulla alia de re quàm de Spicillis, quæ vulgò ocularia dicuntur, posse intelligi, ipsemet *Pancirollus*, fatetur.

Sed quid dicendum de *Speculis ustorijs*? Quandoquidem constat, *Archimedem*, & deinde *Proclum* speculis ustorijs, integras Classes hostium incendisse. Nisi dicamus post Archimedis, & Procli tempora, artem illam conficiendi vitra ustoria (utpotè, quam sub maximo secreto servârunt) interijsse, rursúsque à Meotericis resuscitatam esse. Nunc varius est modus, conficiendi hæc specula: optima tamen ea censentur, quæ sunt figuræ *Parabolicæ*, aut Ellipticæ, aut Hyperboleæ. Certiùs est Microscopium, seu auctorium, novum esse inventum, quo res parvæ, imò, & minimæ, ac quæ aliàs aciem visûs fugiant, ut magnæ repræsentantur, & úsque ad stuporem augentur.

§. XXVII.

Vitra trigona, & Polygona.

TRigona, & Polygona vitra, jucundissima, ac simul curiosissima spectacula, quæ ijsdem exhibentur, non puto nota fuisse prioribus sæculis. Illa quidem funduntur in fornacibus vitriarijs, ex purissima crystallo, in forma

forma prismatis triangularis, hæc verò arte, in complures angulos scinduntur, formantur, & expolliuntur. Quàm autem jucundæ objectorum repræsentationes, per eadem exhiberi possint, unusquisque curiosus, ac ingeniosus observator, inveniet. Unum hîc exemplum adduco, ex Parte I. Schotti Magiæ Naturalis, Lib. 9. Parastasi 4. Nam si in valvis fenestrarum clausis, uni earum complura vitra trigona imposueris, per quæ radij solares oppositi transeant, átque his vitris Polygonis exceperis, intueberis mox pulcherrimos Smaragdos, pyropos, saphiros, ametistos, carbunculos, similésque pretiosos lapides, ita naturaliter repræsentatos, ut & sensus ipsos miraculorum varietate fallant. Nam color ex lucis refractione, in tam varijs superficiebus productus, omnem materialium colorum pulchritudinem longè superat.

§. XXVIII.

Tubus Phonotechnicus.

POst inventionem Tubi Optici, inventi sunt quóque non ita pridem *Tubi Phonotechnici*, qui sonum vehementer augent, ac intendunt, ita, ut per illas submissa etiam vox, ad longissimum exaudiatur spatium. Alij item qui mirificè conducunt auditioni surdastrorum, sed, & Tubi cochleati, per quos soni, & voces, foris prolatæ, intus in conclavi, tam clarè & distinctè percipiantur, ac si loquentes planè essent præsentes. Hinc Principum, & Magnatum cubicula ita disponi possent, ut quod in alijs palatij conclavibus, etiam submissâ dicitur voce, exaudiatur. Aulæ item, & conclavia, ita secundùm, superficies parabolicas ordinari, ut auris in certo puncto constituta, quodlibet in ijs, submissâ voce prolatum, audiat. Et plura his similia.

§. XXIX.

Sellæ, Stapedes, & Soleæ Equorum:

FRæna, & strata equorum invenêre *Polithronij* populi Thessaliæ, ut notat Polydorus Vergilius Lib. 7. de Inventoribus rerum. Cap. 12. Verùm sellas equorum, omnes credunt noviter inventas, aut saltèm post Imperium Romanum introductas, circa Annum Christi 340. Imperatore Constantino Juniore, Constantini Magni Filio; quandoquidem in statuis antiquis, sive æreis non cernatur, quòd unquàm sellas habuerint equi. Sed néque *Plinius*, néque ullus alius idoneus Author antiquus, Ephippiorum, & sellarum equestrium alicubi meminerit. Unde consequens est, usum earum priscis Romanorum temporibus, nullum fuisse. Jam verò *Stapedes*, hoc est adminicula illa, quibus, & equi conscenduntur faciliùs, & quibus pedes inseruntur, ut quiescant, & commodior fiat sessio, novum esse inventum, dubitari non potest,

teſt, nam ut in marmoribus, & in æneis ſtatuis, vel tabulis, arcubuſvè Triumphalibus conſpicitur, antiqui eo adminiculo non utebantur, ſed ſaltu conjiciebant ſe in equos, unde exercitium inſiliendi in equos, quod *Solitia* dicebatur, non tantùm à tyronibus, verùm etiam à ſtipendiarijs diſtrictè ſemper exigebatur: natu autem grandiores, ſe ad invicem more perſico, in conſcendendis equis adjuvabant: qui demum viribus non valebant, nec haberent qui in equos ipſos tollerent, in eorum uſum in lateribus viarum collocabantur altiores quidam lapides, & tanquam pugilla ſuggeſta excitabantur, ex quibus parvo negotio, quilibet tenui etiam corporis firmitate, in dorſum equi poterat ſe conjicere. Hinc eſt, quod nec apud Græcos, nec apud Latinos Authores, hoc adminiculum conſcendendi equos, proprium habeat vocabulum, ideóque rei novæ, neceſſum quóque fuit novum excogitare nomen, vulgò igitur Staffor, vel Staphir, vel Stapedes dicuntur, quòd in eis pes ſtet commodè. Inductio demum Solearum ferrearum equinis pedibus, primò facta eſt, per Leſcum Polonum, circa Annum Chriſti. 997.

§. XXX.
Quadrata Circuli.

INventionem quadratæ Circuli, poſſibilem quidem eſſe agnovêre veteres, ad effectum autem eam deducere non valuêre, eſto multi eorundem, ac ipſe quóque *Euclides*, & *Archimedes*, ſummi Geometræ, id perficere conati fuerint, ſtudio, & conatu maximo. Unde Ariſtoteles aſſerebat: Multa quidem eſſe ſcibilia, vel ſciri poſſe, quæ tamen ſcita non dum ſint, eò, quòd modus, ac via eorum ignoretur, in cujus rei declarationem poſuit exemplum de Quadrato in Circulum reducendo. Aſt noſtro ſæculo, id aſſecutus eſt feliciter *Gregorius à Sancto Vincentio*, natione Belga. è Societate JESU, grandi, ac ingenioſiſſimo opere, nuper in lucem edito, cui conficiendo plurimos annos inſumpſit, eſto aliunde eſſet, in ſcientijs Mathematicis vir conſummatus, utpotè quibus 50. integros annos ſaltèm docendo, ſtrenuè ſe impendit.

§. XXXI.
Tormenta Muralia, & Bombardæ.

BOmbardarum ſeu Sclopetorum uſum, primus invenit *Berthildus Niger* Germanus, Anno Chriſto 1330. Is cùm Chymiſta eſſet, & mettallis transformandis incumberet átque cujusdam medicinæ causâ, aliquando domi in mortario pulverem ſulphureum ſervaret, quem lapide texerat, contigit caſu, ut cùm ignem ex ſilice propè excuteret, ſcintilla intrò ceciderit, ſubitóque flamma eruperit, átque lapidem in altum ſuſtulerit: qui inopinato illo even-

lo eventu, initio perterritus, dein animo resumpto cogitare cœpit, quâ ratione, & vim majorem pulveri adderet, & constricto magis spacio impetum intenderet. Confecit proinde postea fistulam ferream longiorem, & strictiorem simul, ac pulveri vim addidit, expertúsque est cum optato successu, lapillos fistulæ impositos, magno impetu, & vehementi impulsu ex fistula ejaculari. Hinc confici cœpta Mortaria Muraria, dein etiam Tormenta, ac varia sclopetorum genera, additis semper aliquibus novitatibus, donec ad illam perfectionem venerit res tormentaria, & usus Sclopetorum, in qua cernitur hodie. Porrò Augustæ Vindelicorum, prima inter Germaniæ urbes, usa est bombardis. Extra Germaniam verò Veneti, contra Genuenses, *ad Fossas Glodianas*. Artem autem dirigendi Bombardas, & Tormenta ad præfixum scopum, invenit Bartholomæus Coleonus Bergomas.

§. XXXII.

Pulvis Pyrius.

P*Vlvis Pyrius* sic dictus, quòd igem facillimè concipiat, & totus momento ferè in ignem convertatur, (πῦρ enim Græci ignem vocant) dicitur etiam pulvis Tormentarius, eò quòd Tormentis æneis, ad explodendos globos, sit usui.

Inventio illius quoad tempus, coincidit cum inventione Sclopetorum. Cùm enim solus pulvis sulphureus, minus sufficiens ad optatum effectum, in explodendis sclopis, ac bombardis, deprehenderetur, inventa est temperatura ex sale nitro, sulphure, & carbonibus, quæ tria pistillo ligneo, in molis aut aliâ ratione in minimas partes contusa, & in certa attemperatione commixta, ac dein madefacta, in granula rediguntur, átque in Sole, vel Hypocausto exsiccantur. Hæcque est pulveris pyrij confectio.

Adhibentur autem hæc tria; Quia pulvis pyrius, ut globos è fistulis æneis, aut ferreis, magno impetu ejiciat, debet totus exiguo tempore, & quasi momento accendi, ac rarescere, ad majorem locum occupandum, nec tamen nimis tenuis debet esse flamma, & statim cessare, sed corpulentiam aliquam habere, aliquamdiúque durare. Jam verò Nitrum comminutum si accendatur, corripit quidem citò flammam, sed non citò absumitur totaliter, nec totum simul accenditur: Sulphur ergo additur, ut juvet pulveres ad totalem inflammationem, & absumptionem, Carbo verò immiscetur, ut temperet nimis facilem utriúsque rarescentiam, & consumptionem, ignémque in singulis partibus conservet tantum, quantus sufficit ad vehementiorem impetum, globo imprimendum.

§. XXXIII.

Pulvis Pyrius mutus.

INventa est jam ars conficiendi pulverem Pyrium, ut pilam ejiciat, è sclopetis minoribus, sine ullo sono, ac strepitu, licet planè non cum tali impetu. Et ideo pulvis pyrius mutus nuncupatur. Sunt verò complures modi, similem pulverem conficiendi, ex quibus, quatuor potissimos adfert Schotus, Parte 4. Magiæ Naturalis, Lib. 3. Cap. 3. Ex Casimiro Sieminoviz equite Lithvano, olim Artellariæ Regni Poloniæ Propræfecto.

§. XXXIV.

Pyrotechnica nova.

POst inventum pyrium pulverem, varia artificialium ignium excogitata sunt genera, quæ tamen ad duo summa revocantur. Nempe, vel ad ignes serios, sive defensivos, sive offensivos, vel ad ignes festivos, seu recreativos.

Ex recreativis sunt, primò *Pyroboli*, quo nomine veniunt papyracea illa involucra, cylindri formâ, è pyrio pulvere facta, & in altum per aëra ut plurimum, vi ignis scandentia. Possunt tamen alio etiam modo dirigi, quàm in altum, sic, exempli gratiâ, aliquando ita disponuntur, ut per funes extentos currant, atque etiam recurrant, non solùm in terra, vel aëre, sed etiam in ipsarum aquarum superficie. Præterea situantur quóque & conficiuntur tali modo pyroboli, ut pluviam ignem spargant, imò has diversi coloris etiam efficiant. Deinde sunt globi ardentes recreativi, ex quibus alij sunt aquatici, seu in aqua natando saltantes, & ardentes. Tertiò sunt Globi lucentes, & scintillantes, varias formas, & figuras artificiosissimè exhibentes. De quibus omnibus legendus erit, citatus Casimirus, Lib. 4. par. 1. Cap. 3. & sequentibus. Ex serijs verò sunt, Granatæ manuales, Granatæ majores, globi invadiarij, pluvia ignea, globi item ardentes, & excœcantes, fœtidi alij, aut etiam venenati, cæterique his similes, in humani generis perniciem potiùs, quàm utilitatem adinventi.

§. XXXV.

Ignis Græcus.

DIcitur hic *Ignis Græcus*, ab inventore, Græco, cui *Gallinicus* vel potiùs Callimachus nomen erat, quia circa Annum 670. ab Heleopoli Syriæ ad Romanos confugiens, ignem à se compositum edidit, quo usi Romani

mani hostium naves exusserunt, sicque victoriam in exustionibus, quandoquidem nullo liquore præterquam aceto extingvi potest, contemptis etiam aquis maritimis; componitur siquidem ex ingredientijs facilè inflammabilibus, & tenuissimè flammam retinentibus, uti sunt saligni carbones, sal ardens, aqua vitæ, Sulphur, pix, thus, & Camphora. Ex his ferri potest judicium de bombis seu globis inextingvilibus, quas hodierni Pyrotechnici conficiunt. Fuit usus hujus ignis etiam prioribus, (non tamen primis) sæculis. Nam, & quando Inger Russorum Rex, Constantinopolim, mille, & eò ampliùs navibus obsedisset, à *Romano* Græcorum Imperatore profligatus est, omnibus ejus navibus hoc igne exustis, ut tradit *Sigibertus* ad Annum Christi 936. Hoc eodem igne Constantinus Orientis Imperator, in navali pugna, contra Saracenos se defendit, ut *Zonaras* in vita Constantini prodidit. Hugo quóque qui in Gallia se pro Rege gerebat, cùm artem conficiendi hunc ignem, à Constantinopolitano Imperatore accepisset, eorundem Saracenorum naves exussit, ut idem Sigibertus, ad Annum Christi 951. annotavit.

§. XXXVI.

Sclopetum Pnevmaticum.

EXcogitata sunt haud ita pridem *Sclopeta Pnevmatica*, quæ solo aëre priùs condensato, ac deinde rarefacto, pilas ejiciunt, sicque jam Marti arma Æolus quóque subministrat, quod solius Vulcani antea munus erat.

Varij sunt modi similia conficiendi sclopeta, & fabricandi, duos refert Caramuel in sua Mathesi Audaci, par. 2. pag. 81. Alios duos multò acuratiores Schottus par. 3. Magiæ naturalis, lib. 7. Cap. 8. Experimento 3. Et in sua Machinica parte 2. Clas. 1. Cap. 1. Machina 13. & 14. quorum unum excerpsit ex Kirchero, alterum ex Marsena. Aliud insuper sclopeti Pnevmatici genus habet idem Marcanus, quòd sine novi aëris immissione, quoties opus fuerit, aut libuerit explodere licet, & pilam ad propositum scopum emittere. Atque hâc ratione, per solam aëris compressionem, ipsa quóque Tormenta, ad jaculandos globos, adaptari possent.

§. XXXVII.

Molentina.

SErvus Grammaticus testatur, apud priscos nullum molarum usum fuisse. Prisci itáque madefactas fruges siccabant priùs, & injectas postea pilis (quæ vasa erant concava, quibus siccata frumenta immittebantur, ad formam moderni temporis mortariorum) conterebant, deinde pinsebant, *pilo ruido*, in Pistrina.

Tem-

Temporis successu jumentarias Molas invenerunt, quæ jumentorum, & quandóque etiam hominum operâ circumagebantur, non ábsque ingenti labore, & defatigatione virium. Erant, & manuariæ Molæ in usu.

Tandem, & Pnevmaticas seu alatas excogitaverunt, ventorum impetu versatiles. Demum faciliori regimine, ac faciliori successu, fabricatæ sunt Aquaticæ, quibus utuntur defacto.

Procopius Author est, Belisarium, Justiniani Imperatoris Ducem, in Urbe Roma, à Gottis obsessum, invenisse viam ac rationem, ut Molæ aquâ agitatæ, frumentum frangerent, quod, & Bloadus asserit. Plinius tamen Lib. 18. Cap. 10. rotarum mentionem facit, quas ad molendi usum aqua obiter versaret. Unde *Pancirollus* infert, ante Belisarium etiam fuisse Molarum Aquaticarum usum, sed aliquandiu postea intermissum, ac rursus à Belisario, occasione obsidionis hostilis, renovatum.

§. XXXVIII.

Aucupium, quod cum Accipitre, Niso, Falcone, & alijs Avibus rapacibus peragitur.

ANtiquitus Aucupium solùm fiebat cum retibus. Nam quod cum Avibus rapacibus, Accipitre puta, Niso, & Falcone, hodie peragitur, veteribus planè erat incognitum, inquit *Pancirollus*, sed quòd addit Fridericum Barbarosam, cùm Romam obsideret, hoc Aucupij genus excogitâsse, minùs certum est, licet hoc Aucupij genere fuerit Barbarosa mirè delectatus. Illud constat, quòd Fridericus II. Imperator, Friderici Barbarosæ nepos, hanc artem venandi cum Avibus, duobus Libris exactissimè conscripserit.

Extat insuper, & Alberti Magni, de Falconibus, Asturibus, & Accipitribus Tractatus. Commentator *Pancirolli* addit, hanc Avium capturam, incognitam quidem fuisse antiquis, si de vetustissima antiquitate sermo sit, cæterùm ante 1200. annos, eam notam fuisse probat, ex Julio Firmico, qui Lib. 5. Cap. 8. nutritores Accipitrum, Falconum, cæterarúmque avium, quæ ad aucupia pertineant, nominat.

§. XXXIX.

Sericum textum.

SErici ex Bombycibus conficiendi ratio innotuit Europæ, Anno Christi 557. Sub Justiniano Imperatore, per Monachos quosdam, qui ova seris, sive vermiculi illius, qui sericum, deducere solet, Constantinopolim attulêre. Unde rarissimus prorsus apud antiquos erat serici usus. Nam Galenus testatur,

adhuc ſuo tempore, ſericum in Urbibus magnis Romanorum, átque ibí penes mulieres opulentas duntaxat, extitiſſe. Unde Aurelianus Imperator, nunquam ex integro ſerico textam uſurpavit, nec alijs ut uſurparent, aut in veſtiario haberent, conceſſit, àtque propriæ uxori roganti, ut paliam ex purpureo ſerico contextam, geſtare ſibi permitteret, repulſam dedit, dicens: Nunquam ſe commiſſurum, ut fila aurea penſentur. Tunc enim libra auri, libra ſerici reputabatur. Primus fuit ex Romanis Imperatoribus, Heliogabalus, qui Holoſericam veſtem geſtare cœpit. Aſt Alexander Severus, ejuſdem ſucceſſor, eam nunquam admiſit, cùm tamen veſtes hujusmodi hodie, à plurimis etiam mediocris ſtatûs hominibus, atteri, & lacerari videamus.

I. XL.

Theologia Scholaſtica:

THeologiam Scholaſticam, ut eſt contradiſtincta à Poſitiva, Morali, & Myſtica ſeu Aſcetica, quæve utitur Methodo Scholis accommodata, univerſam ſcilicet de DEO ſcientiam, in ordinem redigens, & Argumentis confirmans, teſte *Cardinali Bellarmino*, de Scriptoribus Eccleſiaſticis, primus in ordinem redegit Sanctus Damaſcenus Lib. 4. de fide orthodoxa. Eum ſecutus eſt Petrus Lombardus, Doctor, & Epiſcopus Pariſienſis, qui ad Quæſtiones Theologicas, competentes SS. Patrum Sententias collegit, circa Annum Chriſti 1200. Unde, & Magiſter Sententiarum appellatus eſt. Magiſtro ſucceſſerunt varij ejuſdem interpretes, & commentatores, ex quibus præcipui fuére: Sanctus Thomas Aquinas, qui cœpit ſcribere ſuper Magiſtrum ſententiarum, Anno 1254. àtque ab hoc celeberrima Schola Thomiſtica ſuum ſumpſit exordium. Et Joanne s Duns Scotus, Ordinis Minorum, qui obijt Anno Chriſti 1308. átque hic dedit famoſiſſimæ ſcholæ Scotiſtarum initium. Hinc accidit, ut publicæ Univerſitates, & Academiæ, uti, & privatæ Religioſorum variorum Scholæ, alterutram prædictarum Scholarum ſequantur partem.

Societatis JESU Academiæ, in neutrius Doctoris jurant verba, ſequuntur nihilominus S. Thomam, non tamen Thomiſtas, & ut advertit *Pontius* (eximius Author inter Scotiſtas) liberaliter amplectuntur, Scoti quóque ſententias, quin, & in aliquibus neutri adhærendo, ſequuntur eam doctrinam, quæ veritati ipſi eſt conformior.

I. XLI.

Juris - prudentia.

JUs, aliud eſt Civile, aliud Canonicum, illud quidem Imperatorem Juſtinianum, hoc Concilia, & Romanos Pontifices Authores habet. Ante Juſtiniani tem-

ani tempora, confusissimæ erant Leges, & suâ multitudine, & indigestâ mole, ac non infrequenti etiam contrarietate; Judices ita perplexos reddebant, ut ferè ex opinione arbitraria, controversias Civiles decidere cogerentur. Similiter, & Controversiæ Ecclesiasticæ antiquitùs solùm per Responsa Pontificum, & Conciliorum Decreta, ac Canones sopiebantur.

Justinianus itáque Imperator, sub Imperij initio 528. domi quietus, & prorsus in studia pacis intentus, adhibitis viris ingenio, doctrináque, ac decretorum à prioribus Cæsaribus, diversis temporibus editorum peritiâ, maximè præstantibus, ad condendum jus Civile animum applicuit, quod, & feliciter confecit, illúdque in tres omnino partes digessit. Nempe *Institutiones*, *Pandectas* sive *Digesta*, & *Codicem*, cujus *Novellæ Constitutiones*, quædam veluti pars sunt, & appendix. Porrò Justinianus Codex absolutus est Anno 529, & promulgatus 533. Jus verò Canonicum sic crevit. Canones Ecclesiæ collecti, & 20. Libris distincti fuêre, Anno 1008. Deinde Anno 1140. Gratianus quidam Monachus, Conciliorum Canones, & Pontificum Decreta, ac Resolutiones seu Responsa, in unum Librum collegit, & in meliorem ordinem redegit, quem Decreti nomine intitulavit, quod Decreti opus, Eugenius III. Pontifex, publicè In Academijs, pro Jure proponi, & doceri deinceps jussit. Obijt autem Eugenius III. Anno Christi 1153. Postea Alexander III. Decretales Epistolas compilavit, qui è vivis decessit Anno 1181. Honorius III. Postea pariter alias adhuc Epistolas Decretales collegit, qui vivere desijt 1227. Cujus successor Gregorius IX. Ope Raymundi Pennyafort, è S. Dominici Familia, Decretales edidit 1237. Tandem Bonifacius VIII. Sextum Pontificij Juris Codicem suo jussu, à tribus doctissimis viris compilatum edidit, quibusdam novis Decretis additis, qui mortuus est 1308. Demum Clemens V. Librum Clementinarum composuit, cúmque in Concilio Viennensi, in Gallia promulgavit, qui obijt 1314. Præter has quatuor Juris Canonici partes, nempe Decretum, Decretales, Sextum, & Clementinas, extat Liber, qui continet Constitutiones, à Joanne XXII. Qui mortuus est 1334. Extat præterea Liber Extravagantium communium, hoc est Constitutionum, quæ à diversis Pontificibus sunt editæ. Atque his totum jus Canonicum comprehenditur. Nunc utrúmque jus in summo flore, & is Juris consultissimus habetur, qui utriúsque Juris habet scientiam, & peritiam. Præter hæc autem sunt etiam jura Municipalia, pro diversitate Regionum, & Provinciarum unicuíque propria, quæ tamen ipsa, debent fundari in duplici Jure priori, Cæsareo scilicet, sive Civili, & Canonico. Hæc varijs temporibus sunt conscripta. Sic jus Hungaricum compilatum est, à Magistro Stephano Verboczio, sub Uladislao II. Rege Hungariæ, qui electus erat Anno Christi 1490.

§. XLII.

Media Scientia.

PRæstantissimæ hujus scientiæ, & ad summas difficultates Theologicas facilè enodandas, unicè necessariæ, primus motor fuit Petrus Fonseca è Societate JESU, Primus Professor Conimbricensis Universitatis in Lusitania, hanc dein primus illustravit Ludovicus Molina, ejusdem Societatis insignis Theologus, publicè de ea edito libro, Anno 1588. Ulissipone, in eadem Lusitania, sed opere nec dum Typis edito, doctrinam hanc, nonnulli in ipsis cunis præfocare summo studio sunt conati. Unde ad Tribunal Sanctæ Inquisitionis Lusitanicæ, protracta est, & in multis vehementer accusata. Verùm in hoc Judicio, omnis erroris suspicione liberata, robur potiùs quàm detrimentum accepit. Instaurata deinde nova illius accusatio, in Inquisitione Hispanica ac primùm ab Universitate Complutensi, per annum integrum rigido examini subjecta, sed, & hinc purior, robustiórque evasit. Dum tandem, die 1. Octobris Anno 1596. Universitatis ejusdem calculo, declarata fuit, ut sana, & Catholica Doctrina, scripturæ, Concilijs, Patribus, & Scholasticis Doctoribus consentanea. At verò adversarij *Molinæ*, nec Lusitanorum, nec Hispanorum judicio acquiescentes, ad supremum Romanæ Inquisitionis Tribunal, appellationem fecêre. Rursus itàque coràm ipsò summo Pontifice, Cardinalibus, ac selectis Judicibus, in quæstionem fuit vocata, ac Disputationibus à celeberrimis Theologis susceptis publicè exagitata, Disputationibus hisce datum est initium, die 28. Martij, Anno 1602. & protractæ sunt, summâ Orbis expectatione, ingenti utriúsque partis conatu, úsque ad Annum 1606. Hujus temporis decursu 47. Disputationes publicæ, de hacce Doctrina fuêre institutæ, quarum 37. præsente Clemente VIII. celebratæ sunt: quo è vivis sublato, Paulus V. reliquis interfuit. Postremò de rebus disputatis, accurratè collecta est judicium Censura, & summo Pontifici tradita, ac demum ipsa die S. Augustino sacra. 28. Augusti 1606. à Pontifice, majori, meliórique Censorum parti adhærente, doctrina *Molinæ* indemnis declarata, quæ jam in omnibus Societatis Academijs, & Universitatibus, & alijs quóque non paucis, magno cum applausu docetur, & inter primaria fulcra Theologiæ habetur.

§. XLIII.

Nova Architectura Militaris.

ANtiquitùs, Urbes solis crassis cingebantur muris, qui si ad eam attollerentur altitudinem, ut omnem omnino ascensum per scalas impedirent, censebatur jam satis firma esse munitio. Ingruente autem hoste, defensores supra murum collocabantur, qui Urbem propugnarent. Verùm hic modus muniendi, duplici laborabat vitio, utróque capitali. Primum erat, quòd defensores supra murum stantes,

ſtantes, nullo munimento tecti hoſti paterent. Alterum, quòd hoſtis propiùs muro accedens, ac ipſo muro tegeretur, ut lædi à defenſoribus in ſublimi ſtantibus non poſſet. Quibus erroribus ita deinceps occurrere conati ſunt: Murum perpetuâ loricâ ad ſtaturam unius hominis ſepiebant, loricæ faſtigium foraminibus pro telis in hoſtem mittendis diſtingvebant, ita primus error, utcúnque ſublatus erat, ut autem alteri vitio mederentur, murum alterum, à terra ad hominis altitudinem, certis intervallis pervium relinquebant; ſed nec ſic quidem dictum incommodum tollebatur, cùm hoſtis adhuc intra triangulum linearum defenſionalium, oppidanorum ictus effugeret. Ergo ad defenſionem lateralem cœperunt reſpicere, quare retentis prædictis pinnis feneſtríſque loricæ ac murorum, quadratas turres, quæ ultra muros prominerent, in Orbem extruxêre, átque ita defenſioni directæ, quâ priùs ſolâ utebantur, lateralem utcúnque adjecêre: ſed lateralis illa defenſio erat imperfecta, eò quòd hoſtis intra triangulum dictarum linearum (eſto aliquantò jam imminutum) receptus, adhuc occultaretur. Rejectis igitur quadratis turribus, rotundas ſubſtituêre, ita triangulum illud linearum defenſionalium, quô hoſtis occultabatur, in tantùm jam fuit imminutum, ut intra illud, ampliùs nequiret hoſtis machinas diſponere, faceſſebat nihilominus obſeſſis negotium, ſatis ſiquidem capax manebat, ut ſuffoſſores, & cunicularios occultaret. Modernus verò muniendi modus, caret utróque hoc vitio, utpotè qui in eo conſiſtit, ut quocúnque loco, imò puncto, hoſtis ſubſiſtat, propugnantium telis pateat, ipſi autem propugnatores, contra ictus hoſtiles, tuti, ac tecti ſint.

§. XLIV.

Novum Calendarium, vulgò Gregorianum.

CAlendarium dictum eſt à Calendis, eò quòd primæ dies ſingulorum Menſium, Calendæ dicantur. Porrò annorum apud diverſos populos fuerunt olim, & etiamnum hodie ſúnt, diverſæ ſpecies. Communiter tamen Annus accipitur, pro tempore, quod commenſuratur integro Solis curſui. Sed quia ipſe curſus Solis, magis vel minùs exactè obſervabatur à diverſis, hinc accidit quòd idem tempus eidem, diverſimodè ab ijsdem commenſuraretur. Ægyptij annum conſtituebant diebus naturalibus 360. quot gradus ſunt in Zodiaco circulo, ſingulis menſibus attribuendo dies 30. quia tamen Sol non conficit unum gradum perfectè ſingulis diebus, ideo ad finem anni, extra omnes menſes, addebant quinque dies, ut annus fieret 365. dierum, tot ſiquidem dies requiruntur, ut Sol integrum ſuum curſum peragat, verùm ſex, aut ferè ſex horas, quæ ad annum Solarem complendum, præter 365. dies requiruntur, omittebant, & ſic annus Ægyptiacus, quo uſi ſunt Romani úsque ad Julij Cæſaris tempora, erat juſto minor. Quare Julius Cæſar, ſex has horas, minimè negligendas ratus, operâ *Soſigenis* Mathematici, pro anno Civili, quem ſolarem eſſe voluit, Calendario inſerendas cenſuit. ſtatuit itáque, ut tres quilibet anni eſſent dierum 365. quarto verò anno, quòd ſex illæ horæ neglectæ, quater

ſumptæ,

ſumptæ, faciant 24. horas, ideóque conſtituebant diem naturalem integrum, inſereretur unus dies, ideóque qartus ille annus eſſet dierum 366. unde hoc Calendarium, poſtea dictum eſt Julianum, quo uſa fuit ipſa quóque Eccleſia, úsque ad reformationem veteris Calendarij, & inſtitutionem novi, factam ſub Gregorio XIII. Anno 1582. quia verò ſex illæ horæ, ſupra 365. dies, non ſunt integræ, ſed ſolùm horæ 5. minuta 49. & ferè 16. ſecunda, ideò annus ille Julianus evadebat juſtò major, unde ortæ ſunt per decurſum longiſſimi temporis, in annis, & Calendarijs Eccleſiaſticis, multæ incommoditates, & incongruentiæ, præſertim quòad Paſcha, & reliquorum Feſtorum à Paſchate dependentium celebrationem. Paſcha enim jam inde à temporibus Apoſtolorum, à Chriſtianis celebrabatur primâ die Dominicâ, poſt Plenilunium vernum- ſive poſt XIV. diem Lunæ primi menſis, Anni Judaici, qui inchoabatur ab æquinoctio, ut conſtat ex Euſebio Lib. 5. Hiſtoriarum Cap. 23. divo Ambroſio in Epiſtola ad Epiſcopos Æmiliæ, & alijs, ídque decretum poſtea fuit, à S. Pio Pontifice, & Martyre, qui Martyrio affectus eſt 167. & à Concilio Cæſarienſi in Palæſtina, ac renovatum in Synodo Nycæna 317. Epiſcoporum, anno Chriſti 325. Quia verò ante Concilium Nycænum, non ſine labore ſingulis annis à peritis inquiri debebat dies verni æquinoctij, & dies Novilunij, poſt dictum æquinoctium inchoati; ut omnes fideles id facilè ſcirent, impoſterum, voluit idem Concilium, ut æquinoctium poſthâc numeraretur à 21. Martij, (in quam tunc incidebant) verùm quia annus politicus ſuperabat aliquot minutis annum Aſtronomicum, per multa ſœcula evenit, ut æquinoctium vernum politicum, diſcreparet jam decem diebus ab æquinoctio verno Aſtronomico, conſequenter nec Paſcha, nec alia feſta à Paſchate dependentia celebrarentur ſtatuto tempore. Cui malo obviare volens Gregorius XIII. operâ præſtantiſſimorum Aſtronomorum, ſed præſertim Chriſtophori Clavij Societatis JESU Mathematici celeberrimi, ſuſtulit per reformationem Calendarij, tam hoc, quàm alia multa incommoda, quæ ex Juliano Calendario irrepſerant, & ne rurſus in eundem errorem poſteritas laberetur, ſtatuit, ut poſthac, non omnes anni centeſimi, ſicut in veteri Calendario, eſſent intercalares, ſed tres priores centeſimi poſt annum 1600. eſſent communes, quartus verò ſolùm centeſimus, eſſet intercalaris, & ſic deinceps per futura ſæcula. Atque juxta hanc reformationem Calendaria facta, dicuntur Calendaria nova, ſeu Gregoriana.

§. XLV.

Logarithmi.

FRequentiſſimus apud Mathematicos eſt uſus Regulæ aureæ, ſive Proportionum, cujus ope, datis quibuscúnque tribus numeris proportionalibus, invenitur quartus, ducendo ſcilicet ſecundum in tertium, & productam hoc dividendo per primum. Quotiens enim reſultans, ex diviſione, eſt quartus proportionalis quæſitus. At quoniam multiplicationes, & diviſiones in magnis numeris (quales ſunt ſinus tangentes, & ſecantes) quarum tamen computus in Mathematicis eſt ſummè ne-

mè necessarius) tædiosæ sunt, & errori obnoxiæ. Joannes Neperus Scotus, Baro Merchistonij circa initium hujus sæculi excogitavit ingeniosissimè, & anno 1614. evulgavit numeros quosdam artificiales, quos Logarithmos postea appellavit, & in Tabulas reductos, apposuit numeros sinuum in Canone Mathematico, quorum subsidio per solam additionem, & subtractionem, invenitur quartus proportionalis, datis quibuscúnque tribus numeris in dicto Canone Mathematico repertis. Nam si trium datorum numerorum Logarithmi exscribantur, & secundus addatur tertio, primus verò subtrahatur à summa producta, residuus Logarithmus indicat in eodem Canone quartum proportionalem numerum, qui quærebatur. Tabulas dein has multi excoluerunt, & auxerunt, & in meliorem ordinem redegerunt, maximo Mathematicorum commodo, & compendio, veteribus planè incognito.

§. XLVI.

Exercitia Spiritualia.

ADmirabilem hanc ad omnem Sanctitatem, & perfectionem adipiscendam methodum, DEO ipso revelante, ac Beatissima Virgine docente, primus conscripsit S. Pater noster Ignatius, ut mirum proinde nemini videri debeat, tantùm ex his Exercitijs Spiritualibus in Ecclesiam DEI promanâsse.

Sunt siquidem hæc Exercitia succus, & veluti quinta essentia totius doctrinæ asceticæ, & experientia multos docuit, paucis diebus ijs incumbendo, plus in ascetica sapientia profecisse, quàm per lectionem multorum voluminum, per complures annos. Unde vivente adhuc S. Ignatio, ab ijs quibus eorum examen commissum fuerat, mirificè sunt recommendata, & à Paulo III. Pontifice Maximo, Apostolico Diplomate confirmata, ne apice quidem mutato, quamvis animo censorio fuerint non semel expensa, sed tanquam pietate, & sanctitate plena, & ad spiritualem profectum utilia, ac salubria collaudata, ac à Sacræ Rotæ Auditoribus, átque à Cardinalibus SS. Rituum agnita, tanquam non ex humano Magisterio, sed ex lumine supernaturaliter infuso profecta. Gravis proinde erroris arguendus est, quidam novitius Scriptor, qui post integrum ferè sæculum ausus est vulgare, Exercitia hæc etiam ante S. Ignatium fuisse usitata, & illa non à S. Ignatio composita, sed aliunde accepta, tanquam ipsius, fuisse promulgata, magna cum injuria (ut inquit Alegambe in Bibliotheca scriptorum Societatis JESU,) tam S. Patriarchæ, qui plagij arguitur, tum injuria quóque S. Francisci Borgiæ, qui ea tanquam opus S. Ignatij, repræsentavit Paulo III. Pontifici Maximo approbanda, tum cum injuria etiam Sacræ Congregationis Rituum, quæ in relatione pro S. Ignatij Canonizatione facta, coram Gregorio XV. disertè ait, ab illo composita, átque in Librum relata, cum injuria denique Sedis Apostolicæ, ac Pauli III. Pontificis, qui in Bulla Confirmationis eorundem, illa tanquam ab Ignatio composita, & in in hunc ordinem redacta, laudat, & approbat. Illud etiam Divinâ Providentiâ factum est, ut inter tantam multitudinem Librorum, à Scriptoribus Societatis editorū, hic Liber primus omnium Typis editus fuerit.

§. XLVII.

§. XLVII.

Apertio Fidei Catholicæ in Chinas.

VAstissimum, cultissimum, simul ac populosissimum Chinarum Imperium, utpote quod in se 15. amplissimas, ac Regnis integris æquivalentes continet Provincias, (unde censetur totam fere adæquare Europam) in quibus supra mille, & quadringentas, celebres numerantur Urbes, ac hominum adultorum duntaxat, à quibus vectigal Regi singulatim penditur, longè supra 58. milliones, in quibus tamen nec muliebris sexus includitur, nec in virili computantur pueri, adolescentésque, & Eunuchi. Excipiuntur quóque milites, (quorum supra decies centena millia, stipendio Regio, continuò aluntur) propinqui item Regis, Magistratus, literatique, ac alij permulti, hæc inquam pars tanta Orbis, úsque ad postrema hæc nostra tempora, Evangelij, & doctrinæ Christianæ prædicatoribus impervia mansit, nisi quòd conjectura levis sit, olím initio Ecclesiæ, ac fidei Christianæ, per S. Thomam, eas Regiones aliquam cognitionem Religionis Christianæ habuisse. Verùm hoc granum Cælestis sapientiæ, à S. Thoma Apostolo satum, in terram aridam, vel petram potiùs cecidit, & mox exaruit. Quamvis Historiæ Ecclesiasticæ tradant, circa Annum 1009. Matthæum Escandelinum, natione Hungarum, Patriâ Budensem, ejusdémque urbis civem desiderio propagandi fidem Christianam, inter peregrinas gentes accensum ad Chinas úsque penetrâsse, ibíque vitæ sanctitate, prædicationis efficaciâ, innumerisque miraculis, plurimos Chinarum convertisse, ac tandem Bonziorũ, ob fidem quam prædicabat, insidijs circumventum, illustri Martyrio vitæ mortalis finem fecisse, sed & hoc Evangelij semen, inter spinas cadens, brevi suffocatum est. Illud autem maximè obstabat, quominus prædicatio Evangelij Chinis, per tot sæcula inferri potuerit, quòd Chinæ modis omnibus arcerent omnes peregrinos, ac exteros, à suorum Regnorum finibus, præter Legatos, ita ut si quis penetrasset intra Regni fines, sine fide publica, æternis tenebris vinculísque continuò mandaretur. Erátque hæc Lex apud Chinas prorsus inviolabilis. Hæc tamen ipsa obstacula, per multos conatus, summámque industriam, DEO adjuvante, gloriosè perrupit JESU Societas. Primò quidem id tentavit S. Franciscus Xaverius, sed morte in Sanciano Insula Chinis vicinâ, præventus, votorum, ac desideriorum suorum compos fieri non potuit. Mortuo S. Xaverio, cæteri socij infracto animo susceperunt hanc curam, nec ullis laboribus parcentes, aut ullis difficultatibus, & periculis deterriti, tandem licèt post irritos sæpè conatus susceptos, magnâ dexteritate, & DEI speciali assistentiâ. P. Matthæus Riccius, & P. Michaël Roggerius, primi penetravêre Chinas, quin, & ipsam Regiam Aulam, ubi & stabilem fixêre sedem, hos subsecuti sunt dein alij, & alij, qui per varias favorum, & persecutionum vicissitudines, rem Christianam úsque ad hanc diem, feliciter promoverunt, ac promovent.

§. XLVIII.

§. XLVIII.

Musicæ perfectio.

MUsica quidem priscis quóque sæculis, in usu ac simul in pretio fuit, sunt qui censent à primis (ante diluvium adhuc) hominibus, prima habuisse inventionis suæ originem, cùm in Sacris literis Genesi. Cap. 4. Jubal dicatur, Pater canentium Cytharâ, & Organo, vel ut LXX. Interpretes, legunt, hic *fuit qui monstravit Psalterium, & Cytharam.* Eandem viguisse apud Hebræos, præsertim Davidis, & Salomonis Regum temporibus, ex ijsdem Sacris paginis constat: verùm veterum hæc Musica, plurimùm distabat à perfectione ejus, cujus hîc mentionem facimus. Illa enim consistebat, in unius vocis, aut soni varia inflexione, hæc verò est ars docens dissimilium vocum, & sonorum, gravis scilicet, & acuti, suavissimam concordantiam. Inter omnes tamen Nationes, Græcorum Musica, aliquantò fuit artificiosior, sed simul difficilior, tum ob chordarum multitudinem, ac numerum, earúmque nomina multiplicia, tum verò maximè ob notas multiplices, ac intricatissimas, quibus vocis, ac soni variationem, quæ ascensum, & descensum, seu gravitatem, & acumen denotabant. Et quidem Pythagoras primus dicitur invenisse, sonorum, ac vocum differentium consonantiam. Latini ergo, ut faciliorem redderent Musicam à Græcis acceptam, varia varijs temporibus invenerunt compendia. Quos inter fuit *Boëtius* Philosophus, & Martyr, dein S. Gregorius, á quo inductus est Cantus Ecclesiasticus in Templis, & etiamnum Cantus Gregorianus nuncupatur: quod accidit circa finem quinti sæculi. Donec tandem *Gvido Aretinus*, ex Aretio Hetruriæ Oppido oriundus, Monachus Benedictinus, circa annum 1024. excogitavit novum cantandi, átque discendi, & docendi genus, facilè, & jucundum, quò etiamnum tota utitur Europa. Nam, & octo lineas, à veteribus in cantu usurpatas, contraxit ad quinque duntaxat, & locò vocabulorum obscurissimorum, quibus Latini, & Græci, in tradendis præceptis Musicæ utebantur, pro inflexione, depressione, elevatione, ac moderatione vocis ac soni, notas certas invenit, & pro signis intricatissimis vocum, substituit sex hasce syllabas: *Vt, re, mi, fa, sol, la*, & claves certas reperit, quæ aditum ad cantum inchoandum, ac prosequendum aperiant; & voces ipsas, in Bassum, Altum, Tenorem, & Discantum, meliùs subdistinxit, multáque alia in compendium, & meliorem ordinem redegit. Successu dein temporis, multi multa addidêre, donec ad summum apicem perfectionis, in quo hodie floret perveniret. Anno demum 1650. Athanasius Kircherus è Societate JESU, artem invenit facillimam, ac prorsus mirificam, quâ quivis etiam Musicæ imperitus, ad perfectam componendi peritiam, brevi tempore pertingere potest. Quam tradit in sua Musurgia Lib. 8. Sic, & Musica Instrumentalis crevit; nam Organum, quod per Antonomasiam sic appellatur, primúmque locum inter alia Organa, sive Instrumenta Musica tenet, inventum fuit, ejúsque usus, primò in Templa inductus, sæculo septimo. Primus autem in Organis auxit numeros, ut & pedes juvarent

rent

rent concentum, funiculorum attractu, *Bernardus Teuto*, Cognomine, & gente. Anno Christi 1470.

§. XLIX.
Nonnulla id genus alia.

INter noviter inventa censeri possunt meritò sequentia. Scilicet Cuniculi, & Antecuniculi subterranei, quorum in obsidionibus urbium defactò est usus. Porrò finis modernorum Cuniculorum est, (antiquæ enim suffossiones solùm inserviebant, ut hostis clam in urbem penetrare posset) ut pulvere pyrio disijciatur aliqua pars propugnaculi, per cujus ruinã, stationem suam in eodem hostis figere possit, sicut è contra antecuniculorum, ut hostiles cuniculi impediantur, aut saltem designato effectu frustrentur. Et quidem Cuniculorum subterraneorum primus Author fuit *Franciscus Georgius, Senensis*. *Barrus* autem hos pulvere pyrio repleri docuit.

2. *Lignum Nephreticum*, quod ex Novo Orbe affertur, aquam in omne quidem genus colorum, sed in cæruleum potissimum fingens. Aqua hoc ligno sic tincta, præstat potum sat expetitum, tum ratione saporis, tum ratione gratiosissimi coloris, tum demum ratione efficacitatis. Est siquidem ad renum vesicæque probatissimum remedium. Americani simili aquâ assiduò utuntur, Europæi eadem vinum diluunt, & mirabiles effectus, sine ulla humorum commotione experiuntur.

3. *China chinæ*, quæ est cortex cujusdam arboris, cortici junioris quercûs non absimilis, sapore amarus, & subadstringens, miræ efficaciæ, contra febriles *paroxismos*. Nam cùm hactenus inutili conatu, omni artis ingenio quæsitum fuisset, intermittentibus febribus sistendis, aut extirpandis remedium idoneum, felici hujus sæculi experimento, inventum illud præbuit natura in hoc cortice, ídque simplex, & innoxium, respectu omnis constitutionis corporis, ac ætatis hominum.

4. Herba *Thee*, hæc Europæ innotuit postremis his temporibus, defertúrque ad nos ex Japonia, & Chinis, miræ illius virtutes à medicis deprædicantur. Caput námque levat, & servat à somno immune, vapores reprimit, ventriculum roborat, renes calculo, & arenâ expurgat, tollit capitis dolorem, lassitudinem, gravitatem, uti & intestinorum tormina. Utilis est ad ossa cariosa, & ulcera sedanda, & ad sangvinem quóque sistendum.

5. Potus Coffec-vulgò *Caffe*, qui quidem apud Arabes, & Turcas erat antiquus, jam verò etiam Europæis fit familiaris. Conficitur ex Fabis quibusdam Arabicis, *Bon* dictis, qui fructus est tenuium partium, calidus in primo gradu, siccus in secundo, hic ut far est assatus, & in pulverem redactus, in aqua ferventi ad tincturam coctus, & sorbillando haustus, mira dicitur præstare. Nam, & spiritus vitales excitat, & cerebrum purgat ac servat, & somnolentiam depellit, & flatus discutit, & dolori capitis in vertigine medetur, & ventriculi debilitati, imò, & obstructionibus hepatis átque lienis confert, & ad coctionem stomachi juvat. Cui tamen æquiparatur, imò à

imò à multis, & præfertur potus *Czokolada*, veteribus, & ille incognitus, jam verò passim præsertim apud Italos, & Hispanos, frequens, & valde usitatus.

6. Usus *Fontanellarum*, ad malignas affectiones corporis, quæ ex defluxionibus oriuntur prævertendas prorsus utilissimas.

7. Picturæ Colore olaceo, novum Pictorum in Beligo inventum.

8. Methodus brevior, & melior tradendi scientias, quæ olim confusè planè tradebantur, plurimúmque temporis in ijs consequendis insummebatur. Plura alia prætermitto.

§. L.

Abusus Tabaci, & Baroccarum.

TAbacum seu Tabaca, ante aliquot annos (ut ait Schriderus) ex America primùm adferri cœpit, jam autem in varijs quóque Europæ partibus seminata, copiosè crescit. Huic tamen præfertur ea, quæ ex Indiæ occidentalis Insula Florida, & Brasilia, seu è patrio solo ad nos defertur. Dicitur etiam Nicotiana, à *Nicotio* Regis Galliæ Legato, qui herbam tam Ulissipone accepit, & *Florida*, postmodúmque Gallis innotescere fecit. Gaudet terrâ pingvi, loco opaco, aquâ mirificè delectatur, frigoris impatientissima est. Seritur felicissimè tempore verno, in principio Aprilis, Lunâ decrescente, usus illius præcipuus est, ad catharros cerebri exsiccandos, somnum inducendum, lassitudinem ex labore discutiendam. Sedat dentium dolores, discutit tumorem, mundificat, & consolidat vulnera, & ulcera inveterata, non tamen adeo proficuus est illius usus, juvenibus ac biliosis, & tam his, quàm alijs omnibus hominibus, planè non necessarius est, quandoquidem antecessoribus nostris, úsque ad hoc præsens sæculum, Tabacæ usus omnino erat ignotus, qui tamen, & sanitate, & longævitate vitæ nos adæquabant, si non superabant. Unde recens meritò dici potest ejus usus, abusus, præterquam quod vix quis sit, qui eâ moderatè utatur, sed plurimi, per frequentem, & continuam quasi usurpationem illius, ferè ex mala duntaxat asuetudine, eâdem abutantur. Verùm hic abusus adeò jam invaluit, ut nullis medijs ampliùs emendari queat. Per universum tamen Imperium Moscoviticum, usus Tabacæ ignoratur, utpotè sub pœna abscissionis narium, omnibus vetitus, ac prohibitus.

Alter abusus hoc sæculo est, in *Baroccis*, seu Capillicijs peregrinis, hæc primò ex Gallis prodière, & primò quidem necessitati inserviebant, jam verò, & pro ornamento habentur. Ingens materia inutilium expensarum, nam ut quidam notavit, unico anno, in sola Gallia, supra centum millia aureorum, in hasce ineptias sunt à Nobilitate expensa.



DISSER-

DISSERTATIO NONA, CURIOSA MISCELLANEA

DE RERUM MEMORABILIUM ORBIS TERRESTRIS DEPERDITIONE AC DESITIONE.

§. I.

Paradisus Terrestris.

INter memorabilia, quæ olim extitêre; & jam desierunt esse, vel quæ natura initio produxerat, aut ars invenerat, & jam hodie nulla est eorum notitia, primo loco judicavi ponendum esse *Paradisum terrestrem*, utpotè à principio mundi productum. Hunc enim extitisse, clarissimè sacræ testantur Paginæ; & jam non extare, graves persuadent Rationes. Describit hunc sacer Textus, sequentibus verbis: Genesis 2. *Plantaverat autem Dominus DEVS Paradisum voluptatis à principio: in quo posuit hominem quem formaverat. Produxit itàque Dominus DEVS, de humo omne lignum, pulchrum visu, & ad vescendum suave: Lignum etiam vitæ in medio paradisi, lignúmque scientiæ boni & mali. Et fluvius egrediebatur de loco voluptatis, ad irrigandum Paradisum, qui inde dividitur in quatuor capita. Nomen uni Phison: ipse est qui circuit omnem terram Hevilath, ubi nascitur aurum, & aurum terræ illius optimum est: ubi invenitur Bdellium, & lapis Onychinus. Et nomen fluvij secundi Gehon ipse est qui circuit omnem terram Æthiopiæ. Nomen verò tertij Tygris: ipse vadit contra Assirios. Fluvius autem quartus, ipse est Euphrates.* Fide igitur certum est, Paradisum hunc voluptatis extitisse, eúmque ut universa narratio Moysis, apertissimè demonstrat, fuisse locum quendam in terra, corporatum & aspectabilem, omni genere voluptatum, ac deliciarum abundantem, esto circa determinatum locum, in quo is à DEO [illegible]natus, & situatus fuerit, inter Scripturæ sacræ Interpretes, non parva sit controversia; quæ utique faciliùs complanari non poterit, quàm insistendo ijs, quæ hæc Moysis Historia de quatuor Paradisi fluminibus continet. Ait igitur Moyses, Primò. *Et fluvius egrediebatur de loco voluptatis, ad irrigandum Paradisum, qui inde dividitur in quatuor capita.*

In quibus verbis Moysis, id primò videtur habere aliquam difficultatem; Quemadmo-

admodum videlicet unius idémque fluvius, totum paradisum potuerit irrigare? verùm id quatuor modis fieri potuisse, ostendit Benedictus Pererius Commentariorum in Genesim Lib. 3. Nempe: velut fluvius ille multos sinus & anfractus faciens, usquequáque Paradisum allueret, & irrigaret: velut ex eo complures alvei ducerentur, & in omnes Paradisi partes derivarentur: vel ut instar Nili statis anni temporibus augescens, & superfluens Paradisum inundaret: vel deníque ut subterraneos meatus, universam Paradisi terram humore suo perfunderet, ac fœcundaret. Alterum verò quod non minus difficultatis habere videtur, est: Qua ratione idem fluvius dividebatur in quatuor Capita seu flumina? Id autem etiam idem Author Libro citato eruditè explicat, verba enim illa: *qui inde dividitur in quatuor capita*, ait referri ad locum *Heden*, ex quo juxta Textum Hebraicum fluvius ille irrigans totum Paradisum, dicitur egredi, ita, ut sensus eorum sit: Et fluvius egrediebatur de Heden (loco sic dicto) ad irrigandum Paradisum: Nam Hebraicè pro loco voluptatis est *Heden*, quæ vox licèt aliquando significet voluptatem, non nunquam tamen, sicut in præsenti, est nomen proprium, certæ cujusdam Regionis & loci, sic námque mox infrà capite 4. dicitur: Cainum habitâsse profugum ad orientalem plagam Heden,) ita ut in ipso egressu ex Heden, fluvius ille statim divideretur in quatuor capita, sive alia minora flumina, aut ut egrediens ex *Heden* ad Paradisum, divideretur in quatuor flumina, quibus omnis Paradisi terra, commodius irrigaretur: aut demùm, ut totum quidem illud flumen integrum, ingrederetur Paradisum, sed postquam illum irrigâsset, ejus finibus egressum, in quatuor fluvios esset dispartitum.

Verùm, quinam sint illi quatuor fluvij; ex fluminibus terræ nostræ orbi cognitis, quos Moyses ait exire ex flumine Paradisi, non minor est, inter Authores opinionum diversitas. Nam non desunt, qui per nomen *Phison* asserant intelligi debere *Gangem* Indiæ fluvium, conantúrque idipsum probare ex ipsis illis verbis Moysis: *Nomen uni Phison, qui circuit omnem terram Hevilath.* Ajunt enim *Hevilath* Terram esse in Regionibus Indiæ, cum autem *Ganges* circumeat Indiam, & *Phison* circumeat Indiam, & *Phison* circumeat omnem terram *Hevilath*, & Hevilath sit pars Indiæ, consequens est *Phison* esse *Gangem*. Per *Gehon* verò interpretantur Nilum, nam hic circuit Ægyptum; de Gehon autem ex adducto Textu Scripturæ idem habetur: *Et nomen Fluvij secundi est Gehon: ipse est, qui circuit omnem terram Æthiopiæ.* Igitur per Gehon fluvium, significatur fluvius Nilus, ùt illi asserunt.

Porrò de Terra Hevilath confirmant suam opinionem, ex 10. Capite Geneseos: quo loco memorantur duo fratres *Ophir* & *Hevila* filij *Iectan*, *Ophiro* autem in divisione gentium post diluvium obtigit [illegible], ubi aurum optimum abundat, id quod liquidè cernitur, ex 3. Reg. cap. 9. [illegible] 2. Et ex Libro 2. Paralipomenon cap. 8. inde etiam magna vis devehebatur ad Salomonem (Teste verò Moyse, in terra Hevilath, quam circuit *Phison* nascitur aurum, *Et aurum terræ illius optimum est*) Cui accedit testis Josephus, Libro 8. affirmans *Ophir* fuisse Regionem Indiæ. Si igitur *Ophir* dicta, ab *Ophir* fratre *Hevilæ* fuit Regio Indiæ, credibile admodum est, fra-

eſt, fratrem ejus *Hevila* propinquas ei ſedes tenuiſſe, átque coluiſſe, & Terram *Hevilath*, quæ ab eo nomen accepit, ad Regiones Indiæ, pertinuiſſe.

Sententia tamen hæc, ùt citatus Pererius, & poſt eum Euſebius Nirenbergius, Lib. de Miraculis Naturæ Terræ promiſſæ cap. 166. demonſtrant, planè improbabilis eſt. Primò, quia ex narratione Moyſis manifeſtum eſt, hæc quutuor flumina, fuiſſe inter ſe vicina, utpotè ex eodem fluvio, [illegible] ex *Heden*, ſeu loco voluptatis egrediebatur, & inde in quatuor capita dividel[illegible] At inter *Gangem*, & alia flumina, *Tygerim* & *Euphratem*, intervallum [illegible]dit 70. gradum, hoc eſt mille & quinquaginta milliarium Germanicorum, Italicorum verò 4200. ſimiliter inter Nilum & prædictos duos fluvios, immenſa prorſus eſt diſtantia, ac conſequenter & inter Nilum & Gangem.

Sed nec ex eodem fluvio oriuntur hæc flumina, verùm ex remotiſſimis, & inter ſe diſtantiſſimis locis. Nimirùm *Ganges* ex *Caucaſo* monte Indiæ, *Euphrates* & *Tygris*, ex montibus *Armeniæ*, Nilus verò, ex montibus Lunæ, versùs promontorium, *Caput bonæ ſpei* vulgò dictum. Deinde *Nilus* cum Tygri & Euphrate, nullam habet affinitatem, & communionem: hi enim profluunt à Septentrione, ille verò à meridie, exitus quóque eorum disjunctiſſimi ſunt: Nam Tygris & Euphrates in ſinum Perſicum aquas exonerant, Nilus verò deſinit in Mare Mediterraneum.

Demùm ſi Moyſes per *Gehon* ſignificâſſet Nilum, volens eum declarare & notum facere Hebræis, non dixiſſet omnem terram Æthiopiæ, ſed potiùs qui peragrat, & irrigat Ægyptum, Nilus enim non ex Æthiopia, ſed ex Ægypto notus erat Judæis, ubi plùs quàm ducentis annis commorati ſunt.

Ad rationes igitur prioris ſententiæ, Reſpondendum eſt primò. Terra[illegible] *vilath*, quam circuire *Phiſon* dicitur, longiſſimè abfuiſſe ab India, nec fuiſſe p[illegible] Palæſtinâ, átque Aſſiriâ, id quod ex Sacris Literis in promptu eſt oſtendere.

Nam Geneſeos 25. capite, habitationes Iſmaëlis & Iſmaëlitarum ad hunc modum deſcribuntur à Moyſe: *Habitavit Iſmaël ab Hevilath, úsque Sur, qui reſpicit Ægyptum, introeuntibus ad Aſſirios.* Igitur terra Hevilath nunquam pertinuit ad Indiam, ſed inter Palæſtinam & Aſſyriam fuit locata. Deinde Libro 1. Regum, cap. 15. ſic ſcriptum eſt. *Percuſſit Saul Amalech, ab Hevilath, donec venirct Sur, quæ eſt è Regione Ægypti.* Non eſt autem Saul perſecutus Amalechitas úsque ad Indiam, Regio ſiquidem Amalechitarum fuit Palæſtinæ versùs Orientem proxima.

Reſpondendum eſt ſecundò. Similiter dum *Gehon* dicitur circumire omnem terram Æthiopiæ, non intelligi hîc per nomen Æthiopiæ. Æthiopiam Africanam, quam longiſſimis ſpatijs perluit Nilu[illegible]d Aſiaticam, quæ vicina eſt Arabiæ, & Meſopotamiæ. Nam ùt tradit Stra[illegible]. Geographiæ, & Plinius Lib. 5. cap. 7. Duplex erat Æthiopia, una Orien[illegible]ra occidentalis. Unam autem vicinam fuiſſe Palæſtinæ & Syriæ, ex multis [illegible]uræ locis liquet. Nam Madianitæ cap. 12. Numerorum vocantur Æthiopes. Uxor etenim Moyſis *Sephira*, appellatur Æthiopiſſa, quæ tamen fuit Madianitis, ùt habetur Exod. 2. Unde & illud in Cantico Habacuc: *Vidi tentoria Æthiopiæ, turbabantur pelles terræ Madian.* Quô loco Æthiopes & Madianitæ, vel pro una gente ponuntur, vel pro gentibus admodum vicinis [illegible] ac fini-

ac finitimis. Item in Pſal. 85. ſic habetur: *Ecce alienigenæ, & Tyrus, & Populus Æthiopum, hi fuerunt illic.* Ubi inter gentes Palæſtinorum, & Tyriorum, & Æthiopum, tanquam Confines & vicinæ à Davide numerantur. Sic & Libro 2. Paralipomenon capite 14. narrat Scriptura: *Zaram* Regem Æthiopiæ, veniſſe adversùs Judæos, cum incredibilis multitudinis exercitu, non eſt autem credibile eum veniſſe úsque ab Æthiopia Africana, hi[illegible]im Æthiopibus nulla unquam cauſa fuit cum Judæis belligerandi.

Ad confirmationem verò, q[illegible]ducunt ex eo: Quòd *Ophir* ſit Regio Indiæ ſic dicta ab Ophir filio Jectan, adeóque & terra *Hevilath*, taliter denominata, ab Hevila fratre ejusdem Ophir, cùm veriſimile ſit, hos duos fratres, propinquas ſibi ſedes in diviſione orbis elegiſſe. Reſpondendum eſt. De [illegible]phir Regione aurifera, cujus mentio fit in Scriptura, unde ſub Salomone magna vis auri advehebatur, magnam eſſe diſceptationem inter Geographos, quin etiam inter Scripturiſtas, ubinam gentium fuerit. Licèt enim eam Joſephus Judæus ponat in India, ſunt tamen qui credant illam fuiſſe in Arabia felici, & in ora ſinus Arabici. Ortelius autem exiſtimat eam fuiſſe, ubi nunc eſt *Sofola*, Regnum Africæ. Sed eſto concederetur Ophir fuiſſe Regionem Indiæ, & ab Ophir filio Jectan, ſic denominatam, inde tamen certò inferri non poterit, & terram Hevilath fuiſſe Regionem Indiæ, cùm hujus non habetur aliud argumentum, quàm quòd Hevila fuerit frater Ophir, ac proinde credibile eſſe, illum, propinquas eidem ſedes, fixiſſe, & tenuiſſe, in diviſione orbis terrarum; néque enim tunc hæreditate diviſio terrarum fiebat, ſed libera electione, ita, ut cùm [illegible]x fratribus, eligeret ſibi orientem, alter teneret occidentem, cùm unus per- [illegible] ad dextram, alter declinaret ad ſiniſtram.

Rectiùs itáque ſentiunt, qui dicunt fluvios Tygrim & Euphratem, ortos ex montibus Armeniæ, vel meliùs ex Heden, antequam in Paradiſum influerent, poſtquam verò locum Paradiſi percurrerent, in unum alveum confluere, ac iterum facto aquarum divortio (non longè à Babylone) abire in alveos peculiares, à quibus deinde alia duo flumina Phiſon & Gihon derivantur, quæ rectiùs dixeris eruptiones, ſeu minores alveos, quos vulgò ramos, vel brachia appellant, ex ipſo Tygri & Euphrate deductos, & derivantes, qui curſum diverſum tenentes, alter Æthiopiam, (Palæſtinæ vicinam intellige) alter terram *Hevilath*, peragrabant, priora nomina Tygris & Euphrates retinentes. Sic enim optimè ſalvantur omnia, quæ de fluvijs Paradiſi, ſacra tradidit Hiſtoria.

His itáque præmiſſis, ut ad propoſitum noſtrum redeamus, duo reſtant ſolvenda. Primò. Ubinam locorum fuerit ter[illegible]tris iſte Paradiſus? Secundò. An adhuc extet? Et quidem quoad primum. [illegible]è decuit Paradiſum hunc terreſtrem collocatum, & ſituatum fuiſſe in *Meſopo*[illegible] ejus vicinia. Tum quia Moyſes in Textu Hebraico dixit: Paradiſum loca[illegible]le, ad plagam Orientalem Regionis *Heden*, Gen. 2. v. 8. Atque terra Heden eſt in Meſopotamia, vel ejus vicinia, nam Geneſ. 4. dicitur Cain habitaſſe profugus, ad Orientalem plagam *Heden*. Et Ezechielis Cap. 27. legitur: *Charan & Heden negotiatores tui*, Et apud Iſaiam cap. 37. Inter alia loca & Civitates, quas Reges Aſſiriorum veſtaverant recenſentur *Gozar*,

Charan,

Charan, & filij Heden, Cain autem habitabat in Mesopotamia, & Charan ac Gozar fuerunt in eadem Regione. Ergò. Tum secundò, quia constat duo flumina Paradisi, Tygrim & Euphratem cursum tenuisse per Mesopotamiam, Assiriam, & Chaldæam, donec in Persicum sinum influerent, & ostensum est jam, reliquos duos fluvios Phison & Gihon, duorum prædictorum alveos & ramos esse. Consequens igitur est, Paradisum locatum fuisse in Mesopotamia, ubi Tygris & Euphrates in unum alveum coëunt, & rursùs in alveos peculiares abeunt. Tum tertiò, quia plusquam verisimile est, priscos illos homines, vicinas Paradiso sedes tenuisse, partim amore natalis soli humani generis, partim ob illius terræ eximiam fertilitatem, salubritatem, & amænitatem, utpotè Paradiso proximam. Atqui hi, Mesopotamiæ & Assiriæ Regiones tenuêre, antequam ad alias Regiones colendas segregarentur, ùt legenti 10. & 11. Caput Genesis manifestè liquet. Ergo.

Quòd verò secundum Quæsitum attinet, tenendum est: Quòd Paradisus ille, in quo Adam & Eva, ad breve tempus fuêre, non amplius extet. Estque id rationi, ipsisque sacris Litteris, vel maximè consentaneum. Nam imprimis ùt ostensum est: Paradisus hic terrestris in Mesopotamia, vel ejus vicinia fuit collocatus, loca autem totius Mesopotamiæ, & vicinarum Regionum, uti olim, ita nunc quóque commercijs frequentantur, incoluntur, inhabitantur, nusquam tamen reperitur Paradisus, unde colligitur, non extare amplius hunc Paradisum, sed illum fuisse de medio sublatum.

Deinde Moyses Lib. Geneseos cap. 7. testatur totam superficiem terræ, ipsósque adeò montes aquis diluvij fuisse opertos. Atqui Paradisus ille terrestris, erat in hoc terræ Hemisphœrio, igitur fuit ille generali totius orbis eluvione obrutus ac dissipatus, adeóque desijt esse.

Duo tamen sunt, quæ pro contraria sententia aliquid facere videntur. Primum est, quod Ecclesiastici capite 44. dicatur Enoch translatus in Paradisum, quem nec diluvio perijsse, nec fuisse tamen in Arca cum Noë certum est, qui Textus præcisè sic habet: *Henoch placuit DEO, & translatus est, ut det gentibus pœnitentiam.* Igitur etiam tempore diluvij, in Paradiso conservatus est, adeóque & Paradisus cum eo, átque idem sentiunt multi sancti Patres, & de Elia. Enoch autem & Elias, adhuc vivunt, & hic in monte Thabor, transfigurationi Christi interfuit, igitur Paradisus ille terrestris, etiam nunc extat. Quibus addi possunt & illa verba Christi ad Latronem: *Hodie mecum eris in paradiso.* Igitur Paradisus tempore mortis Christi, adhuc extitit, adeóque nunc etiam existit. Alterum est, multitudo Sanctorum Patrum, Theologorum & Scholasticorum, qui asseverant & asserunt Paradisum de facto extare, quorum Authoritati contraire videtur prorsus temerarium esse. Ad hæc tamen Respondeo, cum citato Pererio, cap. 7. in Genesim, Quæstione 7. Vocabulum Paradisi non haberi in Textu Græco, in Latina autem Versione, per illud non denotari Paradisum illum terrestrem, in quo fuit Adam, sed universim significare locum aliquem amænissimum, & ad oblectandum hominem elegantissimè concinnatum, hâc autem significatione accipi nomen Paradisi sæpè, tam apud Ecclesiasticos, quàm apud profanos Scriptores, notissimum est. Sed esto etiam admitteretur Henoch ductum

ctum fuisse in Paradisum illum terrestrem, cùm tamen hæc translatio contigerit amplius sexcentis annis ante diluvium, ut ex cap. 5. Genesis colligi potest, hinc certè non deducitur Paradisum illum intactum fuisse, à diluvio, & nunc etiam extare, & in eo conservari Henoch & Eliam. Sed neque de Elia Scriptura prodit, eum deductum esse in terrestrem illum Paradisum, sed quòd ascenderit, & raptus sit *per turbinem in cœlum.* Sicut nec quòd Elias inde venerit, dum in monte Thabor Transfigurationi Christi cum Moyse interfuit. Unde S. Gregorius, Homilia 29. in Evangelia, de Elia sic scribit: *In cœlum aëreum Elias sublevatus est, ut in secretam quandam terræ Regionem, repentè duceretur, ubi in magna jam carnis & spiritûs requie viveret, quoúsque ad finem mundi redeat, & mortis debitum solvat.* Clariùs adhuc Rupertus, Lib. 3 de Trinitate, his verbis id enucleat. *Nunquam Scriptura dat intelligi, quòd Henoch & Eliam DEUS tulerit in ipsum Paradisum, ubi comederent de ligno vitæ, & viverent in æternum, sed ita sublati sunt, ut in secretam quandam Regionem terræ ducerentur, ubi in magna carnis & spiritûs quiete viverent, quoúsque ad finem mundi redeant, & mortis debitum solvant.* Ex hoc igitur loco Elias (Sicut Moyses ex Patrum Limbo) venit ad montem Thabor, dum interfuit Transfigurationi Christi.

Jam verò quòd attinet illud dictum Christi ad Latronem: *Hodie mecum eris in Paradiso.* Ipsa particula *hodie* excludit interpretationem ejusdem de terrestri Paradiso, Christus enim illo die, non fuit in Paradiso terrestri, sed ejus anima statim descendit ad inferos, nec ante diem tertium, quo Christus surrexit, supra terras ascendit. Verùm neque dum Paulus ait se raptum fuisse ad Paradisum, intelligi debet Paradisus terrestris, ex quo Adam expulsus fuerat; nam idem Paulus, qui dixerat se raptum fuisse in Paradisum, 2. ad Corinth. 12. ait se raptum fuisse ad tertium cœlum, Paradisus proinde Pauli, erat cœlestis, non ille terrestris, quem incoluerat Adam.

Ad Authoritatem verò multorum Sanctorum Patrum, qui terrestrem Paradisum, etiam post diluvium extitisse tenuerunt. Respondeo: Sanctorum quidem Patrum Authoritatem esse omninò reverendam, imò & semper sequendam, in ijs Quæstionibus, quæ ad fidem quoquo modo pertinent, ast in ijs, quæ ad fidei dogmata nullo modo spectant, cujusmodi est, ipsa præsens Quæstio, ratio authoritati præponderat, quamvis non defuerint & ex Sanctis Patribus, qui nostram quóque tenuerunt sententiam, & ij qui oppositam secuti sunt opinionem, eam solùm pro probabili habuerunt, nonnulli etiam sub dubio id asseruerunt.

§. II.

Arbor Vitæ.

CUm interitu Paradisi, interijt utique & Arbor vitæ, quam Dominus DEUS in medio Paradisi produxerat, Genesis 2. v. 9. circa quam tamen meritò quæri potest. Primò, An fuerit unica duntaxat, an multæ? Secundò, Cur dicta sit Arbor Vitæ? Tertiò. Utrùm habuerit virtutem largiendi homini vitam

omninò immortalem, vel tantùm longævitatem. Quartò. Utrùm hæc virtus eidem fuerit naturalis, an supernaturalis?

Ad primum itáque respondendum cum Tostato, in cap. 13. Genesis, Quæstione 163. Arborem hanc fuisse, unicam duntaxat numero, tum quia ubicúnque Moyses loquitur de hac arbore vitæ, semper eam vocat numero singulari *Arborem Vitæ.* Tum quia ait eam fuisse in medio Paradisi, quod de multis arboribus verè dici non potest. Tum quia non erat opus pluribus, hæc siquidem arbor non erat ad usum quotidianum hominis, ad eum alendum & nutriendum, sed comparata erat in modum Medicinæ, seu cibi medicati adversùs naturales defectus, qui processu temporis homini accidunt, & ad reparandas vires naturæ, ac primigenium temperamentum ejusdem.

Ad secundum respondet idem Tostatus, 13. cap. Cenesis, Quæst. 175. Ideò hanc arborem fuisse dictam *Arborem Vitæ*, quòd fructus ejus vim haberet servandi hominem à morte in omne tempus, & faciendi eum immortalem, quod probat Testimonio ipsius Scripturæ, quæ tertio capite hujus Libri narrat, idcircò fuisse Adamum ex Paradiso ejectum, & interclusm illi aditum ad arborem vitæ, ne videlicet ejus fructum comedens, viveret in æternum. Esus igitur arboris illius, vitam homini præstabat æternam. Idem confirmat eo argumento; quòd Adam, si DEI præcepto paruisset, nunquam moriturus erat: Mortem enim DEUS ei tanquam pœnam legis violatæ interminatus est. Quocirca Paulus ad Romanos 5. *Propter peccatum affirmat mortem in mundum intrâsse.* Et in Libro Sapientiæ, Capite 1. scriptum est: *Mortem non esse à DEO factam, sed eam Diaboli invidiâ irrepsisse homini.* Ergo in statu innocentiæ homo non fuisset moriturus, non ratione ipsius corporis, hoc enim naturâ suâ non erat incorruptibile, igitur ratione fructûs illius arboris vitæ, ex ejus enim esu homo nulla senectutis incommoda, nullas ætatis molestias, nullos naturæ defectus unquam sensisset, adeóque nec unquam moriturus fuisset. Scotus tamen in 2. lib. Sententiarum, Distinctione 19. Quæstione 1. existimat: Arborem vitæ non habuisse vim conservandi vitam hominis in perpetuum, sed solúm ad longissimum aliquod tempus, quô exactô, translatus fuisset homo, in vitam spiritualem, & omninò immortalem.

Ad tertium dicendum: virtutem hanc Arboris fuisse naturalem, nam nisi ea fuisset naturalis, non adfuisset illi arbori post peccatum hominis, nec ea homini peccatori profuisset. Fuit autem illa virtus in arbore vitæ, etiam post peccatum hominis, propterea siquidem DEUS, tantâ custodiâ aditum Paradisi munivit, collocando ante Paradisum voluptatis, Angelum & flammeum gladium atque versatilem, ad custodiendam viam ligni vitæ, ne fortè homo in Paradisum auderet introire, & fructum arboris comedens, viveret in æternum. Genes. 3. Clarè id declarat Strabo, dum sic ait: *Lignum Vitæ hanc naturaliter vim habebat, ut qui ex ejus fructu comederet, perpetua soliditate vestiretur, nulla infirmitate, vel anxietate, vel senij lassitudine fatigandus.*

§. III.

Arbor scientiæ Boni & mali.

PRæter Arborem Vitæ produxerat quoque DEUS in medio paradisi, arborem seu lignum scientiæ boni & mali. Genesis. 2. v. 9. quæ similiter post desitionem paradisi, desiit esse. De hac similiter inquiri solet: An arbor hæc fuerit materialis & corporea? Secundò. An una tantùm numero? Tertiò. In qua specie arborea fuerit? Quartò, Cur appellata fuerit arbor scientiæ boni & mali.

Ad quæ, dicendum est primò. Arborem scientiæ boni fuisse materialem, seu corpoream, ac naturalem. Tùm quia eam Moyses cæteris arboribus ex humo gernatis & in Paradiso consitis adnumeravit. Tùm quia usum fructuum ejus, homini, sub comminatione mortis interdixit, ferebat igitur fructus, qui poterant ab homine comedi. Eva item aspiciens arborem aspectu pulchram, fructumque ejus ad vescendum suavem, decerpsit, comedit, viroque suo comedendum dedit. Quæ omnia sunt argumenta, naturalis & corporeæ arboris.

Ad secundum dicendum: fuisse tantùm unicam numero hujusmodi arborem, nam una & sola sufficiebat consilio ac proposito DEI, volentis per eam probare hominis obedientiam. Deinde scriptura ubicunque eam nominat, singulari utitur numero. Demùm interdictio ejus ad Adam & Evam tantùm pertinebat, & in una numero arbore continebatur, ùt patet ex illis verbis scripturæ: præcepitque eis: *Ex omni ligno Pardisi comede, de ligno autem scientiæ boni & mali nè comedas.*

Ad Tertium dicendum. In qua specie arborum fuerit *arbor scientiæ boni & mali* sciri non posse, cùm hâc de re Scriptura sacra, planè nihil referat, potuit enim esse cujuscunque speciei arbor, neque necessè fuerat, ut esset diversæ speciei ab omnibus alijs arboribus: Nam nec interdicta est primis parentibus, quòd per se mala esset, aut ipsis exitialis, sicut docet S. Augustinus lib. 13. de Civitate DEI cap. 20. Nec scientia boni & mali, naturalis illius erat effectus, sed ad probandam tantùm hominis obedientiam, ejus fructus ipsis erat interdictus. Ut bene advertit Pererius lib. 3. Commentariorum, in Gen. Quæst 2. Hinc vana est illorum opinio, qui existimârunt fuisse vel vitem, vel frumentum: Ex conjectura, quòd in Pane & Vino, Christus Dominus Sacramentum Eucharistiæ exhibuerit, ad expiandam videlicet noxam, per esum illius fructûs contractam. Nam Scriptura eandem nominat arborem, ubicunque de ea agit, frumentum autem utì & vitem, constat non esse arborem. Nec minus incongrua est opinio Philoxenis, aliorumque qui eam censebant fuisse Ficum. Nam lib. 3. Genes. Scriptura testatur, arborem illam fuisse pulchram oculis, & visu delectabilem, quod profectò in arborem Ficus minùs quadrat. Magìs tamen ad veritatem accedunt, qui opinati sunt eam fuisse Malum, quanquam nomen mali, nomen generale est, multas species arborum complectens, quòd si verò per malum intelligant pomi speciem, nec sic fortè multùm á veritate aberrant.

Ad Quartum dicendum: cum communi Theologorum Sententia, sic dictam esse illam arborem ab eventu, qui esum fructûs ejus consecutus est. Sic enim primi nostri Parentes, experiendo cognoverunt discrimen inter bonum, quô ante peccatum fruebantur, & malum quod peccando incurrerunt, adeòque Scientiam experimentalem boni & mali habuerunt.

§. IV.

Gygantes.

Gygantes, hoc est, extra-ordinariæ staturæ homines, olim fuisse, tam Sacra quàm prophana, testatur Historia. Horum autem duo erant genera, alij enim erant certis locis frequentes, & populos integros constituebant, alij in varijs locis rariores erant, qui monstris penè ob corporis ingentem molem justè accenserentur.

At primò Gygantum meminit Sacer Historicus Moyses, Genesis Capite 6. v. 4. *Gygantes autem erant super terram in diebus illis* (hoc est ante diluvium) post diluvium verò, primus Gygas, de quo fit mentio in Sacris Literis, videtur fuisse Nembrot, de quo Genesis cap. 8. & 9. Nam verba illa, quæ interpres noster habet: *Ipse erat potens*. Septuaginta Interpretes vertunt *Ipse erat Gygas*. Dein Numerorum 13. v. 34. ubi exploratores reversi è terra promissionis, missi è solitudine à Moyse, ita retulerunt de habitatoribus illius: *Populus quem aspeximus proceræ staturæ est, ibi vidimus monstra quædam filiorum Enac de gente gygantum, quibus comparati, quasi locustæ videbamur.* Et Deuteronomij cap. 2. v. 10. ait Moyses, Moabitarum terram primò habitâsse *Emim* populum magnum & validum, & tam excelsum, ut esset similis *Enacim*, qui ipse erat gygas, & posteri ejusdem gygantes. Et infra eodem capite, v. 20. & 21. loquens de terra Ammonitarum, ait: Quòd terra illa fuerit reputata terra gygantum, ac in ipsa olim habitâsse gygantes. Et cap. 3. v. 11. Memorabilis Gygas *Og* recensetur, qui originem ducens ex gygantibus lectum ferreum habebat, cujus longitudo erat novem cubitorum, latitudo cubitorum quatuor. Et paulò post v. 13, *Cunctaq; Basan vocatur terra Gygantum.* Jam ad prophanos Scriptores transeamus. *Pomponius Meta* libro de situ orbis, cap. 4. ait. Quondam in India, repertos fuisse homines, tantæ proceritatis, ut Elephantis etiam & ibi maximis, sicut nos equis, facilè atque habiliter uterentur. Plura de his hîc omitto, quæ reperiri poterunt apud *Solinum* & *Plinium*. Nunc verò similium gygantum terra, vel Regio nulla est, saltèm quoad integras gentes, & populos, adeòque desierunt ampliùs esse gygantes. Nam licet & defactò, subinde, licèt rarissimè, reperiantur homines staturâ inusitatæ magnitudinis, hi tamen ipsi, antiquis illis nullo modo sunt comparandi, utpotè qui gygantes gygantum, meritò dici meruerunt.

§. V.

Purpura.

EArum rerum, quæ hodie non reperiuntur, & tamen priſcis ſæculis in uſu erant, primo loco ponit *Gvido Pancirollus*, purpuram; porrò purpura fuit ex eo Conchiliorum genere, quod intrinſecùs animatam continebat carnem, & in mediis faucibus, candidiſſimam habebat venam, quam fortè rectiùs *Strabo* vocat lingvam, aitque eam longitudinis eſſe digitalis, acutie & duritie tantâ, ut eâ & conchulas, & quascunque ſui generis teſtas, perforare poſſit, quâ excisâ pretioſus ille promanabat cruor, quo lanæ & ſerica tingebant ad veſtes inde contexendas à ſolis Regibus, & Imperatoribus, Senatoribusque Romanis geſtari ſolitas, privatis ſiquidem purpura planè interdicta fuit. Conchylia autem hæc, maximè colligebantur in Syria, & apud Tyros. Exiſtimat nihilominus idem Pancirollus, conchylia ſimilia defactò quoque exſtare in rerum natura, integræ ſiquidem ſpecies rerum ſenſitivarum, non intereunt, verùm ait nullum ampliùs earum uſum, cùm nemo ſit, qui venæ illius eximendæ modum ſciat, opinaturque amiſſæ purpuræ cauſam eſſe, quòd Syria & alia loca, in quibus conchylia hæc reperiebantur, in Turcarum, Barbarorum, & incultorum hominum devenerint manus. Unde conſequens eſt, illam purpuram, quæ his conficitur temporibus, non genuinam' ſed ſpuriam duntaxat eſſe.

§. VI.

Encauſtum.

EX purpura Atramenti genus conficiebatur, quod *Encauſtum* nominabatur, terebatur enim in pulverem Conchylium purpuræ, & adjiciebatur nonnihil de cocto ex ipſo colore, & ſimul liquabatur, reductâque inde materiâ liquidâ, & denſitate ſuâ Scripturis apta, dicebatur *Encauſtum*. Hoc ſoli Imperatores, Privilegjis & Literis ſubſcribendis utebantur, alijs omnibus ſub pœna perduellionis id prohibitum erat, eos videlicet, poſt publicationem bonorum omnium, capitali non immeritò pœnâ plectendo, qui eo uſi fuiſſent, idque ideò, nè ita facile atque in proclivo eſſet, dolum in principum literis committere, & ut teſtatum fieret, illa in ſpecie parva re, omnia in Principe debere eſſe alia, & majora, quàm in privatis. Cæterùm *Encauſtum* cum Purpura ivit in deſvetudinem. Hæc ex Pancirollo, ac illius Commendatore, ac Euſebio Niernbergio, libro 10. de miraculis terræ promiſſionis, cap. 83.

§. VII.

§. VII.

Lapis Obsidianus.

OBsidianus Lapis ab *Obsidio*, qui eum in Æthiopia primus invenit, nomen est consecutus. Nigerrimi coloris fuit, & translucidi, unde ex eo etiam specula parietum conficiebantur, quæ pro imagine umbras reddebant. Eruebatur ut plurimùm in littoribus Arabiæ felicis. Ab hoc lapide vitrum quoque ejusdem coloris, Obsidianum est vocatum, quod tamen ipsum, ad lapides magis, qaàm metalla spectabat, omnia siquidem patiebatur quæ cæteri lapides. Nam & sculpi, & excavari, perforarique ac cælari per commodè poterat, nisi quòd esset perlucidum, & formas transmitteret, sicuti vitrum, gigniturque apud *Macrobios*. Fiebant ex hoc lapide etiam gemmæ multiplices, quin & statuæ. Et ut *Plinius* lib. 36. cap. 26. testatur. Nulla alia materia temporibus illius fuit sequacior, aut etiam tincturæ accommodatior. *Pancirollus* putat hoc genus lapidis, amplius non reperiri, quod tamen fortassis sic limitari potest: Quòd venæ hujus lapidis, in littoribus Arabiæ felicis, jam desierint non verò quòd totaliter in rerum natura esse desierit, plurimæ enim adhuc venæ in terra variorum lapidum & metallorum latent, & in dies in diversis partibus orbis, inveniuntur, novæ, & qui in Indias Orientales navigant, repertum à se hoc genus lapidis gloriantur, sed an verè vel falsè, incompertum est.

§. VIII.

Asbestum seu Linum vivum.

DE hoc *Pancirollus*: Erat antiquitùs species quædam Lini, quod Græci *Asbestum*, Latini, *Linum vivum* appellant. Et hoc Tela contexebatur, & tunicæ, quæ igne non tantùm non absumebantur, sed in illum conjectæ, sordibus exustis, depurabantur magis, quàm possent aquis, aitque hodie illud non inveniri. Plinius lib. 19. cap. 1. testatur adhuc suo tempore, Linum hoc, rarum fuisse inventu, ac inventum æquâsse pretium excellentium margaritarum. Fuit verò hoc Linum genus lapidis. Eruebatur itaque hic lapis, & conterebatur, capillamentis tantùm remanentibus, excusâ dein terreâ materiâ, pectinibus aptabatur, dein in fila ducebatur, ex quibus demùm tela conficiebatur. Existimo tamen hoc genus Lini, defacto quoque inveniri esto rarissimè. Nam & Neoterici Authores ejusdem crebram faciunt mentionem, ejusque naturam variis experientiis examinant. P. Kircherus scribit, se ex tali tela confectam papyrum habuisse, quam ubi ea conscripta erat, igni injiciebat, & ex igne rursus mundam, ac pro nova scriptione aptam, extrahebat, sed quia rarissima est, hinc parum pro nihilo computando, meritò inter res jam deperditas, censeri potest.

§. IX.

Byſſus.

BYſſus quoque erat Linum ſubtiliſſimum, candidum, & molliſſimum, quod circa *Elin* in *Achaja* Græciæ Provinciâ, gigni ſolebat, ex quo pulcherimæ, eæque pretioſiſſimæ conficiebantur veſtes. Alii Byſſum appellant Lanam illam, quæ Pinnæ (concharum id genus eſt) adhæret, colore luteo, ac perlucido. Unde Byſſinæ veſtes, ex Lana illa molliſſima colore luteo nigricante, ac ſplendorem auri reddente, contextæ. Utrumque hoc genus Byſſi, hodie in deſvetudinem venit. Meminit Plinius lib. 19. cap. 1. alterum quoque Lini, quod ipſe κηλον, Ulpianus autem Ερεξηλον appellant, quaſi Lanam ligneam ſeu ligno decerptam dicas, quæ lanugo quædam eſt, ex pomo fruticis cujusdam apud Arabes depexa. ex qua contexta materia, magno vulgi errore Bombycina vocatur.

§. X.

Lapis ſpecularis.

Speculares hi Lapides, materia quædam lucida erant, & inſtar aëris transparens, quam veteres feneſtris imponebant, uti nos vitrum; facilè enim in quaslibet tenues laminas ſcindi poterat, muniebantur itaque his cœnacula, adverſùs ventorum imbriumque vim: quos ita arcebant, ut ſimul habitantibus lumen transfunderent. Reperiebantur adhuc tempore Neronis. Nam ùt Plinius teſtatur, Nero ex ſimilibus Lapidibus Specularibus, Sacellum fortunæ exſtruxerat, in quo qui erat extrinſecus, absque ullo obſtaculo conſpiciebatur, portis etiam clauſis.

§. XI.

Murrchina Vaſa.

MUrrchinum, Materia quædam candida fuit, purpureis maculis rubeſcens, quæ ſub terra inveniebatur, humore vi caloris ſub terra denſato. Non tralucebat *Murrchinum*, ſed in pretio erat colorum varietas in eo, ſubinde circumagentibus ſe maculis, in purpuram candoremquè & tertium ex utroque igneſcente velut per tranſitum coloris, purpura rubeſcente, aut lacte candeſcente, ſubinde in extremitatibus, quosdam repercuſsus colorum habens, quales in cœleſti arcu ſpectantur. Aliqua & in odore erat illius commendatio. Ita Plinius lib. 37. cap. 2. Inveniebatur in partibus Parthici Regni, præcipuè tamen in *Carmania*. Ex hoc conficiebantur vaſa, potui, & eſculentis accommodata. Noſtra hac tempeſtate non reperitur Murrchinum.

§. XII.

§. XII.

Genuinum Orichalcum, vulgò Aurichalcum.

QUod Orichalcum eſt Græcis, id Latinè Aurichalcum multi pronunciant, putantes hoc ex auro & ære conflari, cùm tamen Orichalcum, fuerit Metallum, purè ex ære, ſed auro ferè ſimile, ſummi apud veteres pretii, magnæque æſtimationis. Hoc Metallum etiam Plinii ætate vix reperiebatur, vena illius deficiente. Supererant nihilominus ex eo, aliquæ adhuc ſpecies, aut maſſæ, & fragmenta plúra. Orichalcum verò iſtud, quo nos utimur, non eſt genuinum & nativum, ſed artificiale, eſtque ſimplex æs, quod certis pulveribus *Latto dictis* aſperſum ac tinctum, ſplendorem veri Orichalci ſuſcipit.

§. XIII.

Verum Cinnamomum.

CInnamomum utì illud deſcribit Plinius, lib. 12. cap. 19. Frutetum erat ſitu breve ramo humili & repreſſo, nunquam ſuprà duas ulnas in altitudine exceſcens, ejuſque pretium quondam fuiſſe in libras denariûm mille, quæ ſumma 150. aureis noſtratibus æquivalebat, quod pretium poſtea adauctum eſt. Arabiæ & Indiæ ſylvis, in quibus illud creſcebat exuſtis, irâ Barbarorum. Galenus lib. 2. Andito. ait: Adhuc ſuo tempore rarum inventu fuiſſe, præterquam in armariis Imperatorum. Unde infert Pancirollus veri Cinnamomi nullam eſſe defacto notitiam; ſicuti nec Xilocinnamomi, quod erat arboris dictæ lignum, cujus exterior cortex, erat Cinnamomum. Porrò Cinnamomum illud, quod hodie circumfertur, non eſt verum illud antiquum & genuinum, ſed lignum *Caſſiæ* veri Cinnamomi aliquam ſpeciem referens. Eſt autem Caſſia frutex altior cubitô Xilocinnamomo, craſſiora dans ſarmenta, & deficit à Xilocinnamomo, in multis nempè odore, colore, virtute, ac etiam pondere.

§. XIV.

Odoramenta pretioſa.

PLinius libro 12. & 13. varia Odoramentorum, ac Ungventorum, quæ apud veteres erant in uſu, refert genera, quorum hodie nulla eſt notitia. Inter hæc præcipua fuêre *Folium Barbaricum*, & *Coſtomomicum*, Illud conficiebatur ex radice odoratiſſima *Bachar* dicta, admixtis quoque aliis pretioſiſſimis plantis, nempè Nardo, Myrrhâ, Balſamo, & alijs hujuſcemodi. Hoc verò ex Amomo, & Coſto, quæ erant plantæ nobiliſſimæ, juxta ac odoratiſſimæ, Hæc Odoramenta ampliùs non habentur, utí nec prædictæ plantæ, ſed harum vice aliis ingredientiis utuntur moderni Myropolæ, & Aromatarii. v. gr. Pſeudocoſto, quod falſum, ſeu adulterinum Coſtum eſt.

§. XV.

Myrrha & Stachen.

SImiliter & Myrrhæ, complures ſpecies Plinius refert, lib. 12. & 16. Eſt autem Myrrha ſecundùm Plinium, Arbor Arabiæ, alta ad quinque cubitos, nec ſinè ſpina, caudice duro, & intorto, inciditur bis per annum, & ſic pretioſiſſimus extrahitur liquor, qui & ipſe Myrrha nuncupatur. Subinde autem ſudat guttas, & hæ dicuntur *Stachen*. Myrrha in Arabia optima colligebatur, nam illa, quæ ex India adfertur, & de quadam ſpina colligitur, multò priore inferior eſt, illam autem priorem exiſtimat Pancirollus, jam interiiſſe. Nam & ætate adhuc Plinii, geuina myrrha rara fuit, & quæ adferebatur, lentiſci globis & gummi, adulterabatur. Item cucumeris ſucco amaritudinis causâ, ſicut & causâ ponderis, argenti ſpumâ.

§. XVI.

Bdelium.

BDelium Plinius lib. 12. cap. 9. ſic deſcribit: *Bdelium eſt arbor nigra, magnitudine oleæ, folio roboris, fructus Caprifici, naturaq́; Naſcitur in Arabia, Indiaq́;, & Media ac Babylone, ſed nominatiſſimum in Bactriana.* Ex hac arbore proveniens gummi translucens, ſimile ceræ, nobiliſſimi erat odoris, & perfuſum vino, fiebat odoratius. Ejusdem meminit & Scriptura Sacra Geneſis 2. ubi deſcribit Fluvium *Phiſon*, quem ait circuire totam terram *Hevilath* in qua naſcitur aurum optimum, ibique invenitur *Bdelium*. Nunc hujus arboris nullum eſt veſtigium.

§. VII.

Balſamum verum, Opobalſamum, & Xilobalſamum.

INter omnia ungventa, principium ſibi vendicat locum *Balſamum*, quod Judææ tribuit Plinius & Strabo, ſic dictum ab Arabica voce *Balſamum*, quod latinè idem ſonat, ac Dominus, aut Princeps olei. Quippè ùt legimus Exodi 30. v. 23. Aromatum præſtantiſſimum. Eſt namque vallis propè Jericho, quæ continuis montibus, velut muro clauditur, ſpatium circiter 20. jugera continens, in eo ſylva eſt, & ubertate & amœnitate inſignis, Palmite & Balſamo diſtincta. Hanc per vineas *Engadi*, quarum mentionem facit Salomon in ſuis Canticis, volunt nonnulli intelligi. Sunt autem arbores Balſami, formam ſimilem piceis arboribus habentes, niſi quòd ſint humiles magis, & in vinearum morem excolantur. Harum frutices, ſi

acuto vitro, lapidéve vel osseis cultellis incidantur, emittunt succum pretiosissimum, eximiæ suavitatis, quem Opobalsamum vocant, qui omnibus aliis aromatibus, & oleis præfertur. Certo tamen tempore, sponte quoque hunc succum stillant. Ipsum autem lignum, surculusque Balsami *Xilobalsamum* nuncupatur. Præcipua gratia est lacrymæ, secunda semini, tertia cortici, minima ligno. Hoc Balsamum unà cum sua arbore interiit majori ex parte, dum Turcæ cujusvis politiæ & elegantiæ hostes, omnes Hierichuntinas vineas vastârunt. Atque quæ modicæ restabant, postea cunctæ periêre, incertum, an custodum incuriâ, an fraude, dolove, & invidia, an pietate & Religione læsâ, id acciderit. Juxta Plinium, in duobus duntaxat nascebatur hortis, quorum uterque erat Regius, horum unus 20. jugerum erat alter adhuc pauciorum. Ex his dein hortis *Cleopatra* Ægypti Regina, adhuc tempore Herodis Magni connivente *Antonio*. vel amatore, vel amico, aliquot Balsami arbusculas, transtulit in Ægyptum, ubi uberrimè proveniebant non sine fructu, sed hæ quoque exaruerunt, postea omnes. In felici tamen Arabia, teste Nicolao Christophoro Principe Radzivillio, qui eas Regiones peragravit, adhuc aliquid ex Balsamo provenit. Neque id Pancirollus negat, sed addit in fine adeò id rarum, & pauxillum esse, quod ex oriente adfertur, ut pro nihilo meritò æstimari possit. Porrò Balsamum illud, quod ex Occidente adfertur, non est genuinum, hoc enim educitur ex arbore, quam Mexicenses, *Hojtziloxitl* vocant, longè illo orientali inferius.

§. XVIII.

Publica Theatra, & Amphitheatra.

PUblica Theatra, & Amphitheatra, apud veteres Romanos fuêre magno in usu, ex quibus Senatus, Populusque Romanus, Comœdias & Tragœdias publicas spectabat, sed & alia eaque varia in iisdem exhibebantur spectacula. Amphitheatrum fuit ædificium rotundum, veluti ex duobus Theatris (quæ semicircularis figuræ erant) compositum, circumquaque usum spectandi præbens, Theatrum consequenter dimidia pars Amphitheatri erat. Et quidem Theatra initio fuêre temporalia, postea *M. Scaurus*, 30. diebus duraturum exstruxit, tandem Pompejus Magnus perpetuò mansurum Romæ erexit. Id Theatrum, postmodum alia atque itidem alia exceperunt, quæ etsi primitùs ad hunc finem exstructa fuerint, ut roboris & celeritatis concertantium, vel luctantium in iis specimina aderentur. Successu tamen temporis, scenicis quoque ludis locum præbuerunt, ac demúm Leones aliævè Feræ in iis conficiebantur, quin hæ & in homines quandoque ex industria immittebantur, atque hi cum illis pugnare cogebantur, sed & venationes omnis generis ferarum & gladiatorum congressus, & pugilum luctæ in iisdem exhibebantur. Erant autem hæc Theatra & Amphitheatra magnifica prorsus, atque amplissima, & sumptuosissima. Nam illut Pompeij Magni, 80. millium spectatorum, ita ut unusquisque eorum per quám commodissimè sederet, erat capax. Ro-

ma quatuor hujuscemodi numerabat Theatra, & bina Amphitheatra. Romam dein in similium Theatrorum & Amphitheatrorum erectione sunt secutæ & aliæ urbes; quæ eorundem adhuc vestigijs ac ruderibus gloriantur. Maximè integrum est Veronense Amphitheatrum 23184. hominum capax, singulis sessionem commodam, (nempè spatio pedis cum dimidio attribuit.) præbens, quod tamen extructum fuerat à quodam privato, ut ex inscriptione colligitur, nostro hoc sæculo, Regiæ opes ædificio hujusmodi erigendo vix sufficerent. Nunc Theatrorum publicorum, & Amphitheatrorum nullus est usus.

§. XIX.

Circi Maximi.

AD Theatra & Amphitheatra accedebant Circi maximi, (quorum Romæ solùm octo numerabantur.) In horum medio septem metæ erant constitutæ, & in circuitu duodecim portæ, per quas bigæ, aut quadrigæ emittebantur, & qui currentium primus metam attigit, ei certi generis materia, pro palio conficiendo, conferebatur. Unde hunc ipsum Ludum *Ad pallium currere* indigitârunt Latini, circumquaque verò populus in scalaribus gradibus, qui per gyrum Circi erant, non secùs ac in Amphitheatro sedebat. Erat autem Circus maximus ovalis figuræ. Hodie nusquam conspiciuntur Circi. Sed hujus ludi vice, equorum cursus solet institui ad certum terminum, qui tamen parum gratiæ videtur habere. Qui enim initium illius conspicit, neque medium, neque finem illius visu poterit contingere.

§. XX.

Certa Marmorum Genera.

NOn est hic sermo de communibus Marmorum generibus, qualia vel in Hungaria, vel in Germania, aliisquè partibus inveniuntur, ac effodiuntur, sed de iis, quæ olim apud Romanos erant in usu, summoquè pretio. Ut sunt: *Porphirytes*, quod rubet candidissimisque interyenientibus punctis discriminantur. *Lacademoninm*, viride, cunctisquè hilarius. *Ophytes* seu *Serpentinum*, sic dictum, quód Serpentinis maculis, sit simile. *Augustum* Undatum ac crispum in vertices. *Tyberium* sparsim convolutâ canicie. *Parium* item, candidissimum, & alia excellentia genera. Quorum quidem venæ, fortassis de facto quoque extant, sed quia hæ in manus Turcarum devenerunt, illa quoque Marmorum genera, pro perditis ac derelictis, meritò haberi possunt.

§. XXI.

§. XXI.

Torneamenta.

HEnricus I. Cognomento Auceps, Imperator 87. primus exhibuit *Torneamenta* Nationi Germanicæ Magdeburgi, Anno post natum Christum 930. eaque in laudem & decus eximiæ Nobilitatis, ad excitandum in Nobilibus studium Virtutis ac Laudis, imposterum quoque cehebrari jussit. Fuerunt autem hæc *Torneamenta*, exercitium militare, illudque equestre, in quo concurrebant Epuites magnis hastis ad invicem, vehementi impetu, & qui adversarium de equo hastâ deturbâsset, is Victor censebâtur, laudemque virtutis militaris, ac roboris, dexteritatisque reportabat. Nemo veró ad hoc militare exercitium admittebatur, nisi testimonium Nobilitatis, á quarto genere, & simul virtutis ac honestatis haberet. Durârunt hæc ludicra certamina usque ad Annum 1487. celebrabanturque in diversis semper locis Germaniæ, ad quæ fiebat ex universis partibus, maximus Principum ac Nobilium accursus. Verùm hæc egregia exercitia, desierunt jam esse. Monachii in Armamentario Serenissimi Electoris Bavariæ extant adhuc duò efformati equis insidentes pugiles, cum omnibus apparmentis, quibus adornabantur in hoc spectaculo ad invicem congredientes.

§. XXII.

Viæ Publicæ.

VIarum publicarum, antiquitùs magna cura habebatur, per totum Romanum Imperium, hæ in locis compluribus, per ingentia etiam spatia lateribus, vel sectis quoque lapidibus, maximis omninó expensis sternebantur. Atque Civili Lege cautum erat. *Vias per Imperium Romanum stratas habere.* Hinc per Antonomasiam viæ publicæ *strata* apud Scriptores veteres nuncupabantur. Solùm Romæ hujusmodi viæ Regiæ, & publicæ, ac stratæ erant triginta & una per reliquum Romanum Imperium 424. Ex Romanis, tres illæ erant celeberrimæ, nempè *Via Appia*, *Via Æmilia*, *Via Flaminia.* Plutarchus refert Cajum Gracchum, non modo viam lapidibus stravisse, sed & curâsse, ut lapidibus elevatioribus seu columellis, certâ mensura positis, millia passuum sive milliaria notarentur. Eligebantur quoque certi á senatu, penes quos viarum cura esset, ut eos, qui propè viam publicam bona possident, ad sternandas vias publicas compellerent.

Fuit insuper & *Censorum* ea functio ac munus, florente Republica, ut in urbe vias silice, extra Urbem glareâ seu terra arenosâ substruendas, marginandasque curarent. Ut videre est apud Livium Libro 41. Quandoque & Collegio Quæstorum, structura hæc viarum committebatur, teste Svetonio, *in Claudio Cap. 24.* Ipse etiam *Augustus*, eandem hanc curam, perhibetur non fuisse dedignatus in se susci-

suscipere. Id quod à nobis non observatur, quò fit ut nec hyeme lutum, nec æstate pulvis unquam deficiat.

Munditiâ igitur & elegantiâ viarum publicarum veteribus longè inferiores sumus.

§. XXIII.

Palæstræ & Stadia.

PAlæstræ & Stadia apud veteres fuêre in usu, hunc in finem, in iisdem se juvenes, & Adolescentes, luctando, saliendo, currendo, jaculando, & cum cæstu pugnando, exercerent, atque sic fierent patientes laborum, & disponerentur, ad res arduas faciliús subeundas, sicque præluderent futuris militaribus exercitiis. Porrò *Pallæstra* Græca vox, ex usu facta est latina, παλλω enim græcé latinis luctam significat, atque hunc in modum, hi ludi, tanquam à potiori in iis corporis exercitatione, nempè luctâ, Palæstra denominati sunt; uti postea & ipse locus, in quo hi ludi fiebant, similiter appellatus est. Erat autem locus ille Quadratus, & nominabatur etiam *stadia* quia duorum stadiorum habebat circuitionem. Magnoque erant hi ludi in pretio apud Romanos: Lacones verò adeò huic studio erant affecti, ut pro fortibus militibus, se bonos Palæstritas, & Athletas, seu luctaores dici potiùs exoptârint. Hi ludi venerunt jam in desvetudinem, & ijsdem magno malo boni communis, & in corruptelam juventutis, successerunt saltûs effœminati, & alearum, chartifoliorumque lusus, in quibus & tempus, & ætas, & substantia, ac patrimonia integra, quantoque turpissimè prodiguntur.

§. XXIV.

Obelisci.

OBelisci, èrant trabes seu columnæ lapideæ, Pyramidibus minores, in figuram metæ cujusdam, deorsum versús specie quadratâ sensim ad proceritatem in surgentes excelsam ac demum in angustum verticem desinentes, & paulatim gracilisentes, in quibus gesta & facinora egregia, resque memomorabiles, per schemmata & symbola, ad posteriorum memoriam conscribebantur. Horum maximus usus erat apud Ægyptios, qui postea transivit etiam ad Romanos. Primum obeliscum erexit & invenit *Mitres*, qui Heliopoli regnabat, hunc imitati sunt dein alii Reges. Altitudo porrò Obeliscorum, minima erat 40. media 80. maxima 90. cubitorum

Florente Româ, in ipsa Urbe erant majores Obelisci sex, ex Ægypto advecti, minores 72. Inter omnes verò Obeliscos eminebat is, quem Augustus ex Ægypto immensis sumptibus advehi, & in Circo maximo erigi curaverat, quemvè postea

ſtea Xiſtus quintus Pontifex Maximus, velut è latebris eruit, & induſtriâ *Dominici Fontani*. Architecti celeberrimi Anno 1586. inde traſtulit, atque ante ædes Pontificias, & Sancti Petri Baſilicam collocavit. Porrò Obeliſci ex uno, atque integro lapide exſcindebantur. Nunc Obeliſcorum nullus ampliùs eſt uſus, eſtque jam intermiſſa illorum erectio.

§. XXV.

Pyramides.

PYramides moles erant lapideæ, eæque maximæ, ita erectæ, ut è lato in acutum mira altitu dine tenderent. Structura earum erat quadrata in fundo, ex tabulis marmoreis, quaquà versùm compoſita, eaque ſenſim in excelſum aſſurgens, paulatim in ſupremo acumine graciliſcebat. Reges Ægyptii primi id genus ædificii excogitâſſe putantur, nomen tamen qui eas exſtruere curârunt, omninò ignoratur: Juſto Judicio D E I, obliteratis in memoria poſterorum, tantæ vanitatis authoribus, qui tamen per earum erectionem, nominis ſui quærebant immortalitatem. Una ex his à 360 hominum millibus, ſpacio 20. annorum conſtructa proditur. Fuerunt ſub his ſepulchra Regum, qui ſub hoc tam admirabili ædificio immortalitatis famam conſequi intendebant. Sed periit cum ſonitu memoria eorum. Horum quoque ædificiorum vanitas, poſterioribus ſæculis evanuit.

§. XXVI.

Coloſſi.

COloſſi, in hoc differebant ab Obeliſcis & Pyramidibus, quòd Obeliſci fuerint quadratæ figuræ, ſemper graciliores, donec in acumen aſcenderent, atque ex eodem & quidem integro lapide ſecti. Pyramides verò ejusdem quoque erant figuræ, ſed Molis longe majoris, & ex ſtrue lapidum congeſtæ. Coloſſi demùm, inſtar rotundarum columnarum, ex uno itidem ſecti lapide, aut certè fuſi ex ære, altitudinis prorſus eximiæ. Hodie hujusmodi opera non fiunt. Sæculum tamen hoc noſtrum, pietate Auſtriacæ Domûs, cœpit erigere Columnas, Coloſſis illis non abſimiles, publicis in locis locatas, quibus ſtatuæ Deiparæ Virginis apponuntur, in magnam devotionem populi, & honorem peculiarem Magnæ Matris.

§. XXVII.

Labyrinthi.

LAbyrinthus, Iſidoro lib. 15. Capite 2. teſte, eſt perplexum parietibus ædificium. Habebunt ſiquidem Labyrinthi vias longas, tortuoſas, & ſubterraneas, adeò intricatas, ut qui has ingreſſus eſſet, inexplicabili errore duce-

retur, & exitum invenire nequiret. Horum præcipuos quatuor fuisse, scribit *Majolus* in suis memorabilibus. Primus fuit Ægyptius Helenopoli: Secundus Creticus. Tertius in Lemno: Quartus in Italia. Bonfinius Decade 4. Lib. Scribit alium adhuc Labyrinthum famosum fuisse in Hungaria, verùm non tantis exstructum ambagibus, neque tantâ lapideâ mole, sed qui horti amœnissimi vicem præstabat. Sæculis nostris similes Labyrinthi non exstruuntur. Esto eorum simulacra quædam in hortis, ex fruticetis subinde excitentur, quale & ætate nostrâ Posonii, in deliciosissimo tunc horto Lippaiano videre licuit.

§. XXVIII.

Pyropus.

PYropus vulgò gemma putatur, è Carbunculorum numero, sed falsò. Plinio siquidem teste, Libro 34. Cap. 8. Pyropus fuit æs quoddam Cyprium, cujus in uncias singulas seni scrupuli auri addebantur, atque ita in pertenuem extrahebatur bracteam, quæ Pyramidum pilis, aut turrium summitatibus adaptabatur. Hæc cùm solaribus radiis tangebatur, non secùs atque ignis micabat. Ideò Pyropus vocabatur, quód ignis fulgorem repræsentaret. Verùm ars ista conficiendi hosce Pyropos, penitús jam extincta est. Uti Pancirollus Titulo 33. adnotat.

§. XXIX.

Electrum.

ELectri tria sunt genera, unum, quod defluente medulla ex arboribus pinei generis, quasi gummi ex Cerasis nascitur, densaturque rigore aut tepore, aut mari, si quando id, intumescens æstus rapuit ex Insulis. Hoc genus Electri, non videtur differre á *Succino*. Alterum Electri genus est Metallum, quod naturaliter in scrobibus invenitur. Tertium est, quod fit per artem, atque hoc fit ex auro, quintâ tamen parte argenti addita. Quanquam *Suidas* referat: *Electrum* quoq; fieri ex auro, cum vitrea quadam & lapidea confusione. Hujus tertii generis Electri, magna fuit apud veteres authoritas & æstimatio, erat, siquidem ipso puro auro splendidiùs, sed maximè ad Lucernarum lumina, auro puro, clariús longè splendescebat. Hanc quoque artem conficiendi hoc genus Electri jam desiisse, ait idem *Pancirollus*.

§. XXX.

Æs Corinthum.

DE hoc Pancirollus Titulo 34. *Anno 608. ab urbe condita, Mumius capta Corintho Nobili Civitate, in Isthmo Græciæ sitâ, urbem incendit, eaq; flagrante, casu factum est, ut aurum, Argentum, & Æs, liquefacta miscerentur.*

rentur. Ac cùm pulchra videretur mixtura ista, post incendium inventa: fusa inde fuerunt vasa, & candelabra, affabrè sculpta. Eaq; Corinthia dicebantur, eò quòd mixtura ista Corinthii primùm esset inventa. Horum pretia postea in immensum excrevêre, quibus, vel maximè delectabatur Augustus Imperator. Ejus tria genera fuisse testatur Plinius Libro 34. Cap. 2. *Candidum*, cui plùs inerat argenti, Alterum, in quo aurum prævalebat. Tertium in quo æqualis omnium temperies erat. Metallum hoc planè jam extinctum est, nec ullus ampliùs est illius usus.

§. XXXI.

Lucernæ perpetuò ardentes.

FUisse apud Romanos usum Lucernarum perpetuò ardentium, atque artem conficiendi oleum incombustibile, quod nunquam consumebatur, deducitur ex variis Historriis, quibus constat diversis in locis ac temporibus, inventas fuisse in subterraneis Cryptis & sepulchrorum locis, Lucernas antiquissimis temporibus illic positas, & adhuc ardentes. Nam Anno 1401. temporibus Henrici Imperatoris, ab agricola quodam, non procul ab Urbe Romana, ad Tyberim fluvium, inventa est Lucerna adhuc ardens, unà cum prodigiosa, & gygantea corporis humani magnitudine, quod ex conjectura fuit cadaver *Pallantis Arcadii* filii *Evandri*, olim à Turno interfecti, consequenter Lucernam illam oportebat arsisse, bis mille & ampliùs annis. Tempore quoque Pauli III. Pontificis Maximi, invento sepulchro Tuliolæ Ciceronis filiæ, utì ex inscriptione tumbæ: *Tuliolæ filiæ meæ* colligebatur, reperta fuit in eodem etiam tunc ardens, sed admisso aëre, mox extincta est. Arserat proinde hæc Lucerna circiter per 1500 annos. Aliæ similes Historiæ, passim à diversis referuntur Scriptoribus. Hæc porrò ars ampliùs nostra ætate non extat.

§. XXXII.

Vitrum ductile.

TEmporibus Tyberii Cæsaris, excogitatum fuisse à quodam artifice Vitri temperamentum, ut ductile atque flexibile, & malleabile esset, aliorum metallorum instar, complures testantur Scriptores. Cujus etiam Plinius meminit Lib. 36. Cap. 26. Historiam autem inventionis sic describunt: Imperante Tyberio Cæsare, cùm Porticus maxima, Romæ, in alterum latus inclinâsset, Architectus quidam mira prorsus arte, excogitatis ingeniosissimis machinis, eandem in pristinum situm reposuit. Hoc & miratus est Tyberius, & invidit, adeòq; pecuniâ hominem donatum urbe ejecit, dato eidem mandato, nè post hac unquam ad suum conspectum venire tentaret. (Viros enim ingeniosos, & virtute præstantes, summo odio Tyberius habebat.) Verùm is rursus invento à se Vitro Ductili,

atque

atque ex eodem fabricatâ artificiosissimâ phialâ, Cæsaris benevolentiam captare volens, Aulam adiit, atque ad Cæsarem admissus, eidem Phialam novæ inventionis, pro munere obtulit. Laudata est species muneris: commendata manus artificis; accepta devotio donantis. Author novi hujus inventi, ut admirationem intuentium verteret in stuporem, & sibi pleniùs gratiam conciliaret Imperatoris, depositam á Cæsare Phialam recepit, & in pavimentum magno impetu abjecit, quæ quidem non confracta, sed duntaxat, instar æris aut cupri collisa est. Mox sublatam, vehementi illo ictu jam aliqua parte complicatam, adhibito malleolo, velut æneam, aut argenteam, aureamvé in pristinum restituit. Hoc facto singularem gratiam, & familiaritatem Cæsaris, se promeruisse inventor credebat. Sed secùs res accidit. Quæsivit enim Cæsar ex artifice: Nunquid alius illam artem nosset præter illum? cùmque is respondisset: non nosse. Jussit eum Cæsar ultimo supplicio affici, dicens: quòd si vitri ejus species orbi innotesceret, futurum ut omnia metalla, ipsumque adeó argentum, & aurum, quasi lutum vilesceret. ita periit hæc ars in primo sui inventore.

§. XXXIII.

Septem Orbis Miracula.

SEptem Orbis Miracula passim á variis describuntur, quamvis nonnulli in eorum enumeratione, inter se dissentiant. Ad nostrum propositum sufficit, hæc olim extitisse, & jàm esse desiisse. Horum primum erat *Thebæ Ægyptiæ*, Urbs ambitu suo 17. milliaria occupans, in longitudinem verò 10. Eam centum portas habuisse scribit Homerus. Extra Urbem centum erant stabula, quorum quodlibet ducentorum equorum fuit capax, centum item hortos pensiles numerabat. Intus viæ habebantur subterraneæ, per quas integros exercitus potuerant Reges subducere, nullo oppidanorum sentiente. Murus Urbis latus erat pedes 24. altus 70. si *Diodoro* credimus. Ædes Urbis illius, quatuor aut quinque erant compositæ tabulis. Templa verò ibi pulcherrima, & inter hæc illud, quod sesquialterum milliare circuitu complectabatur. Adauxit tamen urbis ornatum, quód juxta Thebas Lapis Alabastrites nascatur, aureis guttis intertinctus. Uti habet Plinius Lib. 26. Cap. 8. quo lapide poterat Urbs universa exornari. Hæc tamen tanta Urbs, tandem ab Alexandro Magno fuit destructa, ac postea Diospolis dicta, cujus etiam nunc supersunt aliquæ reliquiæ.

Secundum Miraculum mundi fuit *Templum Dianæ*, viginti annis ædificatum ab universa Asia. Cujus longitudo erat 425. pedum, latitudo 220. columnas habebat 127. Singulas à singulis Regibus exstructas, ex quibus triginta sex erant celatæ, ac tam hæ, quàm aliæ, infinitis propemodúm ornamentis decoratæ.

Tertium fuit Mausolæum Sepulturæ Causâ, *Mausolo* Cariæ Regi, ab Artemisia uxore ædificatum. Opus stupendum prorsus. Quod sic describit Pancirollus:

cirollus: *Erat id quadratæ figuræ de pulcherrimo marmore, in circuitu 400. & undecim pedes habebat, in altitudinem attollebatur 25 cubitis, & 36 columnis cingebatur. Nec ascensus ibi dabatur, nisi gradibus in murorum angulis, alarum instar in altitudinem consurgentium, constitutis.* Quo in loco, uti & in medio, nobilissimæ erant Statuæ. In summo verò *Quadriga marmore a* artificiosissima. Ab hoc Sepulchro, omnia dein Regum & Imperatorum monumenta pretiosa, *Mausolæa* fuerunt denominata.

Quarto numero inter Orbis miracula, fuêre *Muri Babylonici.* Quorum latitudo fuit cubitorum 50, altitudo 200, Ambitus verò 60, millium passuum. Mœnibus autem 300, turres imminebant, & per ordinem earundem, centum portæ stabant, æreæ omnes, unà cum cardinibus. Nunc hujus Urbis rudera tantùm extant.

Qnintum fuit, *Colossus Rhodi* maximum Solis simulacrum, ex ære conflatum. Altitudinis 170. cubitorum, cujus singuli digiti, majores erant, quàm pleræque Statuæ, pollices verò tantæ amplitudinis, ut nemo eos brachiis potuerit complecti. Duodecim annis tradunt perfectum, pretio talentorum trecentorum, quæ summa 180. millia aureorum facit. Hunc postea comminuerunt Agareni Insulâ Rhodo potiti.

Sextum erat *Simulacrum Jovis Olimpij*, *à Phidia* celatum, tantæ pulchritudinis & artis, ut nemo eam potuerit imitari.

Septimum *Capitolium Romæ*, adeò sumptuosum, ut quater centum millia aureorum, in solis fundamentis fuerint exposita. Ejus admiranda ornamenta describit Plinius, Lib. 33. Cap. 3. circa finem. Alii tamen in numerum 7. miraculorum mundi, ponunt binas Pyramides grandiores Ægypti. Thebis omissis. Alii item Capitolio omisso, iisdem adnumerant Regiam *Cyri* Medorum Regis. Sed quæcunque tandem ea fuerint, satis est, ad nostrum institutum ea fuisse, & jam esse desiisse.

§. XXXIV.

Coronæ Militares.

ROmani, ut milites suos ad egregios ausus, præclaraque facinora animarent, præter alia præmia, donariavè, strenuis militibus, multifarias coronas militares conferebant. Ex quibus præcipuæ erant: Triumphalis, Civica, Obsidionalis, Muralis, Castrensis, seu Vallaris, Navallis. *Thriumphales* Coronæ offerebantur Imperatoribus, ob honorē triumphi. Hæ antiquitùs é Lauro erant, post fieri ex auro cœptæ. *Obsidionalis* dabatur ab iis, qui liberati sunt ab obsidione, ei Duci per quem liberabantur, & hæc fiebat, ex viridi gramine, & illo quidem quod in eo ipso loco crevit, intra quem clausi erant, qui obsidebantur. *Civica* dabatur ei, qui è manibus hostium vitam Civis eripuisset, & hæc nectebatur ex quercu

quercu glandes proferente. *Muralis* dabatur ei, qui primus murum subiit, inque oppidum hostium per vim ascendit, & hæc erat aurea. *Castrensis seu Vallaris* erat, quâ Imperator donabat eum, qui primus Castra, & Vallum hostium, fuisset ingressus: prior quasi muri pinnis decorabatur, altera insigne valli habebat. *Navalis* demùm, quæ & *Rostrata* conferebatur ei, qui primus hostium Naves conscendisset. Et hæc similiter erat aurea, eaque rostri Navis formam repræsentabat. Qui horum aliquâ coronati erant, perpetuò eâ uti poterant, Ludos ineunti semper assurgi etiam à Senatu moris erat, jus sedendi in loco proximo Senatui habebat. Vacatio denique omnium onerum ipsi, Patrique & Avo paterno concedebatur. Nunc harum Militarium Coronarum nullus usus, non desunt tamen hoc etiam tempore, varia remunerationum benè meritos milites præmiandi genera.

§. XXXV.

Triumphi.

De triumphandi solenni ritu, jure & privilegiis, multi multa scripsére ex quibus paucula hæc excerpere placuit. Primò potestas concedendi militi, facultatem Triumphum agendi, erat penes Senatum, quem oportebat semper integrum convenire, quoties de his summis honoribus agebatur. Secundò. Nemini, nisi qui Dictator, aut Consul, aut Prætor, res bello præclarè gessisset, licuit triumphare. Tertiò. Lege cautum erat, nè quis triumpharet, nisi quinque millia hostium una vice cecidisset. Quartò. Illi, qui hostes fugâsset, absque sangvinis effusione, aut etiam inferioris statûs homines, ut servos vicisset. Non concedebatur hîc májor triumphus, sed minor duntaxat, qui Ovatio dicebatur. In quo victor Romam equo ingrediebatur, purpureâ togâ auro intertextâ vestitus, comitantibus eum Equitibus amicis, ac subsequente exercitu. At verò majoris Triumphi erat hic ritus. Primò. Dies ille Triumphalis, Festus per totam urbem agebatur, Templis omnibus apertis, & Civibus ita mensas instruentibus, ut de cibo & potu, militibus quoque cunctis abundè suppeteret. Secundò, Senatus triumphanti obviam procedebat, usque ad portam, per quam is Urbem ingrediebatur: eumque usque ad Capitolium comitabatur, Tertiò, Sequebantur Tubicines, & Buccinatores, Classicum, ut in conflictu usurpabant, occinnentes. Quartò, Postea ducebantur currus spoliis hostium devictorum onusti. Quintò, Ferebantur turres & simulacra Urbium expugnatarum, ipso etiam modo, quo cum hostibus conflictum erat repræsentato. Sextò, Dein sequebatur Æs, Argentum, & Aurum hostibus ereptum. Item gemmæ purpura, vestes auratæ & pretiosæ, Coronæque Militares, quæ aliquando triumphans obtinuisset. Septimò, Tum vehebatur omne armorum genus hostibus ereptum. Octavo, Post sequebantur ipsi Reges aut Duces devicti, cum uxoribus, liberis, fratribus, & aliis cognatis, ac familiaribus: itemque alii hostes capti, manibus post terga ligatis. Nonò, Tandem ipse triumphator, aureo insidens curru, instar turris fabricato, purpurea aut auro inter-

texta veste indutus, & dexterâ manu ramum é Lauro, sinistrâ veró sceptrum eburneum tenens, quatuor canditis vehebatur equis. Decimo, Currum triumphantis sequebantur ejusdem ministri: postea omnes Duces cum exercitu, ordine incedebant, ramum è Lauro in manu, & Lauream coronam in Capite habentes. Undecimò, Sic ad Capitolium deducto triumphante, ibique consuetis ceremoniis,& solennitatibus peractis, rursus cuncti adhibitis variis instrumentis musicis, Triumphantem, domum comitabantur, atque ita festivam istam solennitatem finiebant. Numerabantur autem 350. Triumphi á Romulo usque ad Belizarium, qui postremùm sub Justiniano Imperatore triumphavit, non quidem Romæ, sed Constantinopoli. Jam similes Triumphi, non sunt ampliùs in usu, sed horum loco successit Hymni Ambrosiani decantatio, Tormentorumque explosio. Festivi item ignes,aliæque hujusmodi festivitates.

§. XXXVI.

Oylmpiates.

OLympia, ludi erant ab Hercule instituti circa Olympiam, Eleæ Regionis, in Peloponeso, Urbem. *Hercules* enim *Augeâ Elidis Rege* superato, in amœnissimis campis Olympiæ vicinis, juxta Alpheum fluvium, militare certamen instituit, quod ineunte quinto quoque anno celebraretur: Hoc fine ut Juventus Græciæ, his concertationibus exerceretur, & sic veris certaminibus præluderet. Ab his ludis *Olympias* dicebatur quinque annorum spatium, juxta quas Olympiades, Græci tempora omnia supputabant, qua in re dein & Latini Scriptores, eosdem imitabantur, ita numerantes: Olympiadis primæ, vel secundæ, aut vigesimæ, aut centesimæ, anno primo, vel secundo, vel tertio, vel quarto. Sic v. gr. Historiographi testantur Constantinum Magnum fatis cessisse, Anno à Christo nato 361. Id alii sic exprimunt: Anno primo, Olympiadis 285. hoc est: Ducentesimæ octuagesimæ quintæ. Jam & modus hic supputandi annos, & ludi ipsi, per quorum numerum numerabantur Olympiades, desierunt esse.

§. XXXVII.

Arcus Triumphales.

ARcus Triumphales, in eorum ædificabantur honorem, qui exteras Civitates, Provincias, & Nationes Populi Romani Imperio subjugâssent. Erant porrò hi è marmore, instar trium ingentium portarum, marmorei cujusdam Palatii formam repræsentantium, erecti. In his inscribebantur, præclara eorum facinora, quorum in honorem exstruebantur. Eorum olim Romæ 36. numerabantur. Sæculo hocce stabiles ac perennes tales arcus non eriguntur. Temporanei tamen subinde fiunt, ad solennem ingressum Regum ac Cæsarum in celebriores Urbes.

§. XXXVIII.

Damnatio ad Metalla.

MOris erat olim apud Romanos, quos ultimo ſupplicio nolebant adjudicare, ad metalla condemnare, grave autem admodum erat hoc pœnæ genus, præſertim iis, qui ad effodiendum Sulphur, & Gipſum, duriſſimaque Marmora eruenda condemnabantur. Multi ex Chriſtianis, perſecutionem Paganorum experti, pœnam hanc ſubierunt. Hæc tamen pœna poſtea in uſu eſſe deſiit, in cujus locum tamen ſucceſſit condemnatio ad Triremes, æquiparanda fortaſſis pænæ priori, ſi non gravior illâ meritò cenſenda eſt.

§. XXXIX.

Damnatio ad Beſtias.

INter alias pœnas mortis, in morte habebant veteres, præſertim Romani, Reos ad beſtias condemnare, qui vel offerebantur ſimpliciter in devorandum, beſtiis carnivoris, ut Leonibus, Urſis, aut Pardis, (ad quod genus mortis, plurimi Chriſtiani vigente Paganiſmo condemnabantur) vel cum iisdem pugnare cogebantur, ſed duntaxat ii, qui ſummam peritiam artis gludiatoriæ habebant, vel fortitudine, ac viribus eximiis præditi erant, ut ſic vel morte ſuâ populum ſpectantem, oblectarent. Quod genus pœnæ, manſuetudo Chriſtianæ Religionis, penitus abolevit, adeóque in numerum earum rerum, quæ olim fuerunt, & jam deſierunt eſſe, devenit.

§. XXXX.

Crucis Supplicium.

CRucis Supplicium, omnium ſuppliciorum, maxime doloroſum, & ſimul infame erat, nihilominùs apud veteres tam Gentiles, quàm Hebræos, uſitatiſſimum. *Doloroſum*, utpotè, quod á nimia cruciatus acerbitate, *Crux* fuerit dictum. *Infame*, nam Romani, in ſervos potiſſimum, quos vix inter homines reputabant, vel in publicos Latrones, hoc ſupplicio ſæviebant, & apud Judæos, teſte ipsâ Scripturâ, maledictus reputabatur, qui penderet in ligno, hoc eſt qui ſupplicio Crucis afficeretur. Duravit autem hoc genus ſupplicii uſque ad tempora Conſtantini Magni, qui poſt repertam ſalutarem Crucem Domini Hieroſolymis, à Sancta Helena Matre, primus legem ſancivit, nè Crux in ſupplicium unquam adhiberetur. Ita, res quæ olim hominibus probro fuit, & ludibrio, venerationi, & gloriæ eſſe cœpit. Hæc enim jam exornat Regum Coronas, & Impe-

ratorum

ratorum Diademata, hæc condecorat Pontificum Tiaras & pectora, hæc munit Christianorum frontes, & corda. Judæis tamen manet adhuc *Scandalum*, Gentilibus *stultitia*, Dæmonibus *terror*, Hæreticis nostri temporis *Abominatio*. Utpote, inimicis Sanctæ Crucis, quorum DEUS, venter est. Nos autem oportet gloriari, in Cruce Domini nostri JESU Christi, in quo est Salus, Vita, & Resurrectio nostra per quem salvati & liberati sumus. Et hoc signum Crucis, erit in Cœlo, cùm Dominus ad judicandum venerit. Ecce Crucem Domini, fugite partes adversæ. Per signum Sanctæ Crucis de inimicis nostris, libera nos DEUs noster.

§. XL.

Pœnæ in indevotos.

PRætermitto hic Statuta Sacrorum Canonum, & Legum municipalium uniuscujusque Provinciæ, circa Pœnas in impios, & indevotos. Adduco duntaxat primorum Sanctorum Regum Hungariæ, hac in materia Decreta. Et quidem *Sanctus Rex Stephanus*, contra eos, qui diebus Dominicis (& eadem est ratio etiam de Festis) labores serviles exercere præsumpserit, constituit: *Ut si quis cum bobus & equis laborans inventus fuerit, bovem unum illi communitati, cujus membrum est, persolvere teneatur.* Lib. 2. Decretorum. cap. 7. Et *S. Ladislaus Rex* Lib. 1. Decrerorum. cap. 11. sic statuit: *Si quis diebus Dominicis & Festivis, venatus fuerit, canibus & equo careat.* De præsumente verò Die Festo Sacrum Missæ Sacrificium negligere hæc fuit S. Stephani Lex. *Qui verò Sacrum audire neglexerit, vapulet, publicè & depiletur.* Velùt S. Ladislaus decernit. Lib. 1. Cecret. cap. 11. *Verberibus corripiatur.* Quod idem Decretum extendit etiam ad Negotiantes. Lib. 1. Decretorum ejusdem Regis, cap. 15. Ubi sic loquitur: *Si quis Dominicis diebus, vel majoribus Festivitatibus Ecclesiam negligens mercaturam exercuerit, equô careat.* Contra violatores Jejuniorum hæ erant Leges. *Si quis quatuor Temporum jejunia carnem manducando violaverit, per spatium unius hebdomadæ, inclusus jejunet.* S. Stephanus lib. Decret. Ccp.8. similiter: *Qui feriâ sextâ carnes manducaverit, per unam hebdomadam jejunet inclusus.* Ibidem cap. 9. Contra autem negligentes Confessionem in articulo mortis, idem S. Rex Stephanus statuit. ibidem cap. 11. ut sepulturâ ritûs Christiani careant. *Et si Parentes ac domestici Presbyteros vocare neglexerint, & ita infirmus absq; Confessione subjaceat morti, iidem luant negligentiam jejuniis, secundùm arbitrium Presbyterorum.* De his item qui tempore Missæ garriverint, sic habet: Cap. 18. *Si qui ad Ecclesiam venientes, ad audiendum Divinum Officium, ibidem horâ solennitatis Missarum, inter se murmurant, & cæteros inquietant, exponentes fabulas otiosas, & non intendentes ad Divinas Lectiones, cum Ecclesiastico nutrimento, si majores sunt, increpati cum dedecore expellantur de Ecclesia: si verò minores vulgares, in Atrio Ecclesiæ, pro tanta temeritate, coram omnibus ligentur, & corripiantur flagellis.* Demùm summatim hoc comprehendens S. Ladislaus, lib. 1. cap. 25. sic statuit. *Si quis Dominicum diem*

non observaverit, & dies Festos *non servaverit. aut Quatuor Tempora, & Vigilias non jejunaverit, aut mortuos suos, ad Ecclesiam suam non sepeliret, duodecim diebus, pane & aquâ pœniteat in Cippo.* Quæ quidem pœnæ, manent adhuc in Sanctis Legibus scriptæ, atque antiquitùs etiam in praxi fuêre, sed his jam temporibus, quis easdem tentabit in usum revocare?

§. XLI.

Pœnæ in Blasphemos.

ADversùs Blasphemos olim variæ eæque rigidissimæ constitutæ erant pœnæ. Nam in veteri Lege blasphemi lapidibus obruebantur; Jure Civili, triremibus, exilio, lingvæ abscissione puniebantur; quin & morte mulctabantur: Canonico, solemnis pœnitentia blasphemantibus erat constituta, & Clericus jubebatur deponi, Laicus anathematizari; Decretales verò de iisdem sic statuunt: *Si Clericus hujus sceleris arguatur, & convincatur, dignitatibus & beneficiis omnibus, quacunque habuerit, eò ipso privatus existat, ad eaq; retinenda inhabilis reddatur: Laicus verò si nobilis fuerit, pœnâ 25. aureorum mulctetur, pro secunda vice 50. Pro tertia autem vice Nobilitatem perdat: Si verò ignobilis ac plebejus fuerit, in carcerem detrudatur: quòd si ultra duas vices blasphemus deprehensus fuerit, per integram diem, ante fores Ecclesiæ principales út infamis stare cogatur: si verò pluries in hoc peccatum lapsus fuerit, ad perpetuos carceres, vel triremes damnetur. Statuimus etiam ut sæculares judices, qui contra tales blasphemiæ convictos, non animadverterint, eosq; justis pœnis minimè affecerint, quantum in iis fuerit, quasi eidem sceleri obnoxii, iisdem quoq; subjiciantur.* Demùm Jure Municipali in diversis Regionibus, diversæ in blasphemos statutæ fuêre pœnæ. Et juxta Regni Hungariæ Decreta Blasphemantes prima vice publicè cædebantur, altera vice baculis compulsabantur, tertia vice id facere præsumentes, non minùs, quàm homicidæ ipsi, vel alii malefactores, capite plectebantur: audientes autem, & non accusantes, exactione trium marcarum argenti, mulctabantur. Hæ pœnæ ampliùs vix sunt in usu, Magistratuum sive conniventiâ, sive negligentiâ, ast non sinè gravissima & inexcusabili culpa, à DEO vel in hac, vel in alia vita, severè in iisdem vindicanda.

§. XLII.

Jejuniorum Rigor.

VEteres Christiani in exactè servandis jejuniis rigidissimi prorsus extitêre. Nam inprimis non solùm à carnibus, sed & à lacte, butyro, caseo, ovis, cæteris quæ ex carnibus originem habent, die jejunii penitùs abstinebant. Unde Greg. Papa cap. denique Dis. 4. scribens Augustino Anglorum Apostolo, sic ait:

ſic ait: Par autem eſt, ut qui his diebus á carnibus abſtinemus, ab omnibus quoque, quæ ſementinam trahunt originem carnis, jejunemus, á lacte videlicet caſeo, & ovis. Deinde tempore Quadrageſimalis Jejunii omnem inſuper vini uſum ſibi interdicebant: Ita Clemens Romanus, lib. 5. Conſtitutionum Apoſtolicarum: *A vino* (inquit) *& carnibus abſtinete vos* (loquitur autem de diebus Quadrageſimalis Jejunii) Et Cyrillus Hieroſolymitanus, Catecheſi 4. *Jejunamus, á vino & carnibus abſtinentes.* Et Theophilus Alexandrinus, Serm. 5. de Paſchate. *Nunquam diebus Quadrageſimæ vini poculum ſuſtinemus,* Et Origines lib. 4. in Job. *Quando jejunamus, nec guſtamus carnem, nec vinum.* Inſuper Quadrageſimalia Jejunia protrahebant, uſque ad initium noctis, ſive ad ſolis receſſum & obitum, nihil omninó ad illud usque tempus guſtantes; ſic unica duntaxat corporis refectio per diem jejunii apud eoſdem erat in uſu. Præter hæc veró longiores habebant Quadrageſimas. Nam Quadrageſimale Jejunium inchoabant ſtatim á Dominica Quinquageſimæ, & alii paſſim á Dominica Sexageſimæ, imó nonnulli & maximi Orientales ab ipſa Doninica Septuageſimæ. Quin & ipſas Quadrageſimas multiplicabant, & non pauci ternas per annum obſervabant. Unam ante Paſcha, quæ erat communis omnibus: Secundam ante Feſtum S. Joannis Baptiſtæ, vel Sanctorum Petri & Pauli? Tertiam ante Nativitatem & per Adventum, & hæc quoque erat uſitatiſſima. Demùm præter vigilias Sanctorum, & *Quatuor anni Tempora*, etiam tres *Rogationum dies* jejunio tranſigebant, ac poſtremó per totius anni Ferias VI. & dies Sabbathi, non ſolùm á carnibus, & lacticiniis abſtinebant, ſed ſtrictiſſimè jejunabant, ac his, complures etiam Feriam IV. ſuperaddebant. Sed heu! ubi jam eſt hæc priſca fidelium pietas? ubi antiqua Devotio? certè hæc, ſi non planè deſiit, ſaltem non ita viget, utí olim viguit: Nam ex Indulgentia Sanctæ Matris Eccleſiæ, his temporibus non obligamur ad Septuageſimalem, vel Sexageſimalem, vel Quinquageſimalem Abſtinentiam, ſed ſola imponitur nobis Quadrageſima, & hæc quidem non duplicata aut triplicata, ſed per annum duntaxat unica, eaq; plurimum quoad rigorem relaxata: in ea ſiquidem non prohibetur vini uſus, & permittitur (nobis Septemtrionalibus) veſci ovis, lacte, & caſeo, & conceditur veſpertina refectiuncula præter cœnam, quæ & ipſa non differtur ad ſerum uſque veſperum, uti antiquitùs, ſed circa meridiem licitè ſumitur; & tamen etiam cum hac tanta conniventia, & condeſcenſione, ac rigoris remiſſione, à paucis obſervatur. Nam ab hujus obſervatione; excipi volunt Nobiliores, ſenes item, ac juvenes omnes, tertium ſeptennium ætatis non excedentes, ab hac obligatione excuſant ſe, infirmi, & viribns, aut valetudine, aut complexione debiles, plebei item, Agricolæ variique generis Opifices, fœminæ quoque lactentes, ac prægnantes, utí & milites, peregrè proficiſcentes, omnis denique ſortis homines, varias, & utinam ſæpè non futiles cauſas deobligationis ſuæ prætendentes; ita ut ſancta Quadrageſima, ad ſola ferè Religioſorum Domicilia & Clauſtra, videatur jam rerelegata.

§. XLIII

§. XLIII.

Sacramentalium Pœnitentiarum Rigor.

MAgnus omninó fuit primorum Christianorum in Pœnitentia pro delictis subeunda, rigor: neque sanè tam facilè, nè dicam perfunctorié, ac delicatè ut hodie, peccata sua expiâsse sentiebant fideles. porrò Pœnitentia hæc alia fuit privata, quæ pro peccatis soli Sacerdoti per Confessionem detectis, occultè, peragenda injungebatur. Alia autem publica, quæ pro publicis & notoriis criminibus imponebatur, & hæc iterum duplex erat: Solennis scilicet & non solennis. Pœnitentia solennis, non nisi pro gravissimis criminibus, quæ totam Civitatem conturbâssent, magnumque scandalum attulissent, imponi consveverat. Atque hæc à solo Episcopo, & semel duntaxat imponebatur, hæc enim erat solennis quædam professio, non redeundi iterum ad publica illa scandala; sicut Baptismus est solennis professio, non redeundi ad infidelitatem: & ideò sicut unum Baptisma, ita & una fuit solennis Pœnitentia.

Pœnitentia autem publica non solennis, pro publicis quibuscunque peccatis, licèt non ita gravia essent, neque scandalum adferrent imponi consueverat, & hanc Presbyteri etiam injungere valebant, & pœnitentes reconciliare, ac sæpiús quoque ea potuit agi, ac iterari. Et quidem ut privatæ pænitentiæ actus, qui à Confessariis pœnitentibus imponebantur. Exemplificemus, ii erant ergo Jejunium trium Quadragesimarum intra annum. Peregrinatio ad Limina Apostolorum Romam, vel ad Corpus S. Jacobi Compostellam, vel ad Sepulchrum Christi Hierosolymam, diuturna eaque severa castigatio carnis: humi-cubationes per complures noctes, jejunia in pane & aqua per multos dies: & alia his similia. Actus autem publicæ pœnitentiæ multiplices erant & varii: Nam prima pœna, publicè pœnitentium, eaque communis erat, abstinere á participatione Mysteriorum. Secunda, ut pœnitentes non promoverentur ad Statum Clericalem. Tertia: ut abstinerent à nuptiis. Quarta, ut ad militiam sæcularem non accederent, sed soli DEO deinceps servire satagerent. Quinta, ut non essent susceptores in Baptismo, aut Confirmatione, dum in ordine pœnitentium starent. Sexta, ut Unctione infirmorum carerent. Septima, ut singulis diebus jejuniorum venirent, ad Ecclesiam, & capita submitterent Sacerdotibus, qui eis manus imponerent, & pro iis orarent. Octava, ut mortuos sepelirent. Nona, ut diebus Dominicis, & tempore Paschali, cùm fideles stantes orabant, ipsi genua flecterent ad orandum. Decima, ut non irent ad Balnea, neque ad convivia, & invitati recusarent, sed jejuniis & orationi, saccoque ac cineri incumbentes, assiduè operam darent. Insuper Habitus quoque pœnitentium erat certus, quo distingveretur à cæteris, videlicet pulla vestis, cilium, caput detonsum in viris, velatum in fœminis. Locus etiam in accessu Ecclesiæ pœnitentium varius erat, pro varietate criminum; Alii enim in loco remotissimo ab Altari, extra portas Ecclesiæ consistebant, nec permittebantur ingredi

ingredi Ecclesiam, sed præ foribus flebant, & orationes fidelium postulabant, aliis jam intra Ecclesiæ portas subsistere licebat, unde audire Verbum DEI poterant, non tamen cum reliquis fidelibus ad orationem admittebantur, alii quidem admittebantur jam ad orandum cum reliquis fidelibus, non tamen ad Sacrificium Missæ audiendum. Alii demùm ad hoc audiendum permittebantur, sed tamen ab Altaris Communione excludebantur. Tempus demúm pœnitendi aliis longius, aliis brevius præscribebatur, ut trium, septem, decem, aut plurium annorum. Quantulæ jam sunt Pœnitentiæ hæ, quas nunc Confessarii suis pœnitentibus imponunt, respectu antiquarum illarum pœnitentiarum? & tamen & illæ exiguæ, vix, aut nè vix quidem, vel valdè obiter adimplentur.

§. XLIV.

Specula Caustica, Procli & Archimedis.

DUo insignes, & toti mundo mirabiles Causticorum Speculorum priscis sæculis extiterunt Artifices, *Proclus*, scilicet, & *Archimedes* Quorum ille specula ex arte fabricâsse ustoria fertur, eáque de muro è regione hostilium navium, *Bizantium* obsidentium suspendisse, in quæ cúm solares radii impegissent, ignis inde fluminis instar erumpens, classiarios, ipsasque hostium naves combussit, sicque hostis obsidionem solvere debuit, ùt testatur Zonaras, Tomo 3. Historiarum. Hic verò similiter per urentia Specula, Romanorum Siracusas obsidentium incendit triremes, universamque hostilem dissipavit classem. Hæc ars quoque jam interiit. Nam licèt nostris sæculis, complutes tentaverint similia Specula conficere, ad perfectionem tamen tantam artis illius, nunquam poterant pervenire, nam post maximos conatus, Speculum quod factum erat, ad 15. vel 16. passuum distantiam asserem comburebat, ast Archimedis juxta *Philippi Cluverii, in Sicilia antiqua*, Naves Romanorum combussit, ad tria millia passuum, juxta Diodorum verò Siculum, ad tria stadia, hoc est 375. passus Procli quoque Speculum, non minoris virtutis fuisse, ex luculento effectu deducitur haud incongruè.

§. XLV.

Cibi capiendi Modus.

DUplicem differentiam in Modo capiendi Cibi, inter veteres & moderni temporis homines, solummodò hic adduco. Prima est quoad tempus; matutino enim tempore illi nihil coquebant: & nec ii qui in iisdem alioquin commorabantur ædibus simul manducabant, sed quô cuilibet libitum erat tempore atque eò victitabant, quod in penu erat repositum, vesperi autem cœnæ apparatum instituebant, unde apud Romanorum Scriptores, prandii nulla, cœnæ

& cœnaculi frequens fit mentio. Secunda est quòad situm corporis, comedebant enim, non ùt nos sedendo, sed in lectulis procumbendo: insidebant itaque lectulis, pedibus quidem pro longitudine corporis extensis, corpore verò sivè thorace ad mensam, quæ satis ampla erecta erat. Quilibet lectulos duos commodè capiebat: alterum quidem cubantem, quod virorum, & sedentem alterum, quod fœminarum erat. Quia verò ad quamlibet mensam tres solummodò lecti strati erant, ideò locus ille Tridinium nominabatur, quod enim Græcis κλινη, id latinis lectus est. Quilibet igitur orbe suo in gremium posito manducabat. Nec ad alium usum erat destinata mensa, quàm ut cibus & potus in ea collocaretur. Verùm hic situs Romanis & Græcis erat magìs familiaris. Nos Servatorem nostrum secuti, more Hebræorum manducamus sedentes. Sed quòad tempus, multùm discrepamus à veteribus. Nostro enim sæculo, & prandium & cœna sumitur, & utraque comestio protrahitur, & apud aliquos etiam vix non conjungitur, à non paucis quoque prandio & cœnæ, etiam jentaculum, & merenda superadditur, sicque magna pars diei edendo consumitur, at consequenter & tempus perditur, & pecunia dissipatur, & sanitas labefactatur, & vita decurtatur. *Cæterùm* comedere semel in die, est necessitatis, bis, voluptatis, ter, intensi & magni laboris; quater, brutalitatis.

§. XLVI.

Proba, per Ignem, & Duella.

MOris erat apud veteres, veritatis indagandæ causâ, inter partes controversas, cùm res ex aliis indiciis & argumentis probari nequiret, personæ illi quæ de crimine incusabatur, præscribere, probam ferri candentis, quod levando, certis cæremoniis præmissis, si adurebatur, rea pronunciabatur, si illæsa portaret ferrum, innocens declarabatur. Hac ratione etiam S. Cunegundis Virgo & Uxor Henrici Imperatoris, de pudicitia apud eundem suspecta, suam innocentiam legitur comprobâsse. Quæ quidem proba initio quidem adhibebatur in solo crimine adulterii, postea tamen extensa est & ad alia objecta crimina, nam & infamati de furto, candentis ferri judicium subire compellebantur, quibus si quæ exinde sequebatur adustio, Civilis pœna infligebatur, sin minùs, impunè abire permittebantur. Sed & cùm oriretur lis, de Possessionibus, nec ea aliter decidi posset, duello inito determinabatur, & is qui victor evasisset, legitimus possessor esse judicabatur. Hæ probæ dein Jure Canonico fuêre sublatæ, per Cœlestinum III. Innocentium III. & Honorium III. ùt constat lib. 5. Decretalium, titulo 35. cap. 1. 2. & 3. Sed proba per ferrum candens, diutiùs observabatur in Hungaria, nempè usque ad annum 1309. quam quidem probationem, non licebat alibi facere, quàm in Sedibus Episcoporum, Varadini potissimùm, & majoribus Præposituris, Posoniensi ac Nitriensi. Hanc consuetudinem postea, utpoté DEO invisam abolevit Carolus Martellus, initio statim sui Regiminis in Hungaria.

§. XLVII.

§. XLVII.

Proba per aquam ferventem.

ADhibebatur, & Aquæ ferventis ad similem dirimendarum controversiarum usum, probatio, sed nescio an alibi extra Hungariam, cujus origo videtur fuisse, ex Lege Zelotypiæ, Numeror. 5. desumpta, quâ mandabatur: *Vt vir conceptâ contra uxorem suam thori suspicione, quæ testibus argui non posset, adduceret eam ad Sacerdotem: Sacerdos autem, præberet ei aquas amarissimas, in quas maledicta congessit. Quas ubi biberit, & polluta est & contempto viro adulterij rea, pertransibunt eam aquæ maledictionis, & inflato ventre computrescet famur, eritq; mulier in maledictionem, & exemplum omni populo. Quòd si polluta non fuerit, erit innoxia & faciet liberos.* Verùm maxima hujus Legis Zelotypiæ, à prædicta consvetudine fuit diversitas. Lex enim Zelotypiæ expresso DEI mandato innixa & approbata fuit, nec in quibusvis litibus, sed duntaxat, in Matrimonij casu valuit, ac denique in tali causa, quæ ad judicium solius Sacerdotis deferebatur. Consvetudo verò illa probationis superstitiosè potiùs, nec ullo mandati Divini fundamento introducta fuerat. Ubi autem Divinum mandatum non exstat, & aliquid in natura præter communem cursum fieri videmus, illud artificio alio, quàm Divina operatione, evenire judicatur. Deinde hic modus probationis in omnibus ferè obscuris differentijs, ac controversijs, & in judicijs quoque forensibus adhibebatur. Unde meritò sublatus est.

§. XLVIII.

Romani Imperij Amplitudo.

MAjor fuit Romani Imperij, quàm sit Turcarum aut Sinarum, vel ullius prioris, aut posterioris Imperij Amplitudo; quamvis Amplitudo Augustissimæ Domûs Austrio-Hispanicæ, tum præsertim cum Portugallia eidem conjuncta esset, hanc adæquaverit, aut etiam superârit, utpotè quæ sola, quatuor Terrarum partes Europam, Asiam, Africam & Americam, magna, ex parte occupârit. Maximum porrò Imperium Romanorum fuit, & in suo quasi culmine ab Augusto ad Trajanum, quando clausum fuit Oceano à Britanicis Insulis ad Fortunatas, hincque ad Nili Cataractem majorem, maris rubri utroque sinu, Arabico, & Persico, Tigri fluvio, verticibus montium Caspij, & Caucasi, Mœoti Lacu, fluminibus Danubio, & Rheno, Longitudo itaque illius fuit 1200. milliarium Germanicorum, Latitudo dimidio major. Nicephorus Hist. Eccl. lib. 1. cap. 17. ait, tempore Augusti, recensitos in toto Imperio fuisse, ducentos sexaginta milliones, ter centum, & sexaginta millia personatum: Ejusque Provinciæ ad Occidentem spectantes erant sequentes.

Liguria,
Etruria,
Umbria,
Tuſcia,
Valeria.
Latium,
Campania,
Lucania,
Brutium,
Sicilia,
Sardinia,
Corſica,
Calabria,
Apulia,
Picenum Suburbicarium,
Flaminia,

Æmilia,
Venetia,
Iſtria,
Alpes Cottiæ,
Rhetia 1.
Rhetia 2.
Noricum Mediterraneum,
Noricum Ripenſe,
Pannonia 1.
Valeria,
Savia,
Pannonia 2.
Dalmatia,
Tripolitana,
Bizatium,
Africa,

Numidia,
MauritaniaSitienſis
Mauritania Cæſarienſis,
MauritaniaTingentina,
Bœtica,
Luſitania,
Gallæcia,
Tarraconenſis,
Carthagienſis,
Baleares,
Alpes Maritimæ,
Alpes Grajæ,
Viennenſis 1.
Viennenſis 2.
Viennenſis 3.

Novem-Populania.
,Aquitania 1.
Aquitania 2.
Lugdunenſis 1.
Lugdunenſis 2.
Lugdunenſis 3.
Lugdunenſis 4.
Maxima Sequanorum.
Belgica 1.
Belgica 2.
Germania 1.
Germania 2.
Britannia 1.
Britannia 2.
Flania Cæſarienſis,
Valentia,

Ad Orientem verò hæ pertinent.

Prævalitana,
Epirus Nova,
Epirus Vetus,
Achaja,
Creta,
Galatia ſalutaris,
Paphlagonia,
Honorias,
Bithynia,
Heleſpontus,
Phrygia Pataſinæa,
Lydia,
Aſia,
Inſulæ,
Theſſalia,

Macedonia,
Dardania,
Dacia Mediterreanea,
Dacia Ripenſis,
Caria,
Lycia,
Pamphilia,
Piſidia,
Cilicia 2.
Cilicia 1.
Capadotia 2.
Capadocia 1.
Armenia 1,
Mœſia 1.
Mœſia 2.

Scythia,
Hæmimons,
Thracia,
Armenia 2.
Comagena Euphratenſis,
Oſchœna,
Meſopotamia,
Syria,
Cyprus Inſula,
Syria ſalutaris,
Phœnicia,
Rhodope,
Europa,

Pontus Polemoniacus,
Helenopontus,
Galatia,
Palæſtina 1.
Palæſtina 2.
Palæſtina ſalutaris,
Arabia Petræa,
Auguſta Amnica,
Ægyptus,
Arcadia,
Thebais,
Lybia Inferior,
Lybia Superior.

Sicque complectebatur Romanum Imperium, maximam orbis cogniti tunc partem. Nunc autem Romanum Imperium, redactum eſt ad ſolam ferè Germaniam, vaſtam quidem & populoſiſſimam Regionem, ſed quæ cum amplitudine antiqui Romani Imperij comparari non poteſt, adeoque amplitudo Romani Imperij meritò recenſetur inter eas res, quæ deſierunt eſſe.

§. XLIX.

§. XLIX.

Copiæ Militares Romani Imperij.

NUmerus militiæ Romani Imperij, dum illud in flore esset, ut testatur Agarthias, extendebat se ad sexcenta, quadraginta quinque millia. Sed ut hic numerus Agarthiæ constet, auxiliares copias annumerâsse debuit. Nam ordinariorum militum, ad summum putantur fuisse, ad 400. millia, computando simul tam in campum prodeuntes, quàm Classirios & Præsidiarios milites. Certè numerus Castrensium sub Augusto, & Tiberio, nonnisi 25. Legionum erat, sub Trajano verò & Hadriano 30. Dum tamen tunc militia Romana, vel maximè floreret. Porrò una Legio constabat, 6666. viris. Ut ut sit, tantas Copias militares nunc imperium non habet, uti habuit olim. Quamvis in præsenti quoque si totum Imperium Romanum, suas vires uniret, atque perfecta concordia inter Principes Imperij esset, accedente præsertim potentia Cæsaris, quàm ex Provinciis, & Regnis, peculiari jure sibi subjectis habet, nullus omninò in Orbe Monarcha reperitur, quem debellare non posset.

§. L.

Antiquus Urbis Romanæ Decor.

URbs Romana Orbis Domina, ad summum splendorem sub Trajano pervenisse fertur, quamvis hanc laudem Constantino tribuat Nazarius. Quadrata fuit initio, postea rotunda propemodùm, murus ab Animone Geometra dimensuratus, unius & viginti milliarium Italicorum repertus. Hoc ambitu continebantur montes 7. publicis privatisque ædibus insessi, gradatim declinantes, & veluti superæ quædam urbes, urbi inferæ dominantes, Regiones 14. Compita 265. Insulæ 46602. Templa 424. Fora 17. Suburbia excurrebant ad Oppida Tybur, Ocriculum, Ariciam, & Ostiam, ad mare, aliqua ad 15. milliaria, imò nesciebatur ubi urbs desineret. Flumina sub ipsa urbe fluebant 14. alveis præcipuis. Fontibus ad summos montes evocandis, ut inde possent aquæ dispensari, impensos aliquando septem nostrates milliones, testantur Scriptores. Addunt unum Agripam Lacus 700. fecisse, salientes 105. Castella 130. insuper Cloacas opere pensili subternavigatas, in quas 7. amnes, cursu præcipiti ruentes, omnia perpurgabant. Domitianus in solam Capitolij deaurationem, ipsos septem milliones impendit. Præter plurima alia, duodecim publica fuerunt balnea, ab Imperatoribus structa, in quibus gratis lavabatur. In Thermis Antonini fuerunt è polito marmore 1600. sellæ, & commodè tot homines simul lavare poterant; In Thermis verò Diocletianis, duplo circiter plures: In Balneo verò Hetrusci, ait Plinius, omnia fuisse argentea, canales, labra, quin & solum ipsum. Ubi jam Theatra

Amphitheatra, quæ erant & magnificentissima, & sumptuosissima, & amplissima. Certè in Amphitheatro Pompeji, per saxeos gradus, veluti sellas, commodè sedere poterant spectatorum 87000. in superiori parte stare 12000. universim 99000. Ubi piscinæ, porticus, xista, nemora, sphœristeria, & quanta horum & multitudo, & amplitudo! Ubi colossi, Obelisci, Palæstræ? Statuarum in urbe tanta multitudo erat, ut alterum populum penè parem incolis daret, & hæ ex ære passim, ac marmore, Principum verò ex argento, & auro solido. Ubi viæ publicæ, ornatissimæ & latissimæ maximarumque expensarum. Viâ Appiâ, vir expeditus, quinque diebus habuit quid percurreret. A porta Capena, ad Urbem Capuam usque protendebatur hæc via, quam Augustus Brundusium usque perduxit per milliaria circiter 350. lata erat 25. pedes, & tam firma, ut laxi nihil aut soluti appareret, perinde ac si saxum esset unicum, Via Flaminia, Româ Ariaminum usque & inde porrò Aquilejam perducebat, plures aliæ tales fuerunt viæ, jam privatorum hominum ædes, tales fuerunt, ut angustæ putarentur, si earum minor esset area, jugeribus quatuor, pauper verò & sordidus videbatur civis, cujus parietes Alexandrinis marmoribus, aut numidicis crustis, non essent distincti, & apud quem aquam argentea epistomia, non funderent. Mitto atria columnata, & aurea columnarum capittella. mitto pomaria in summis turribus, & sylvas ac hortos in Domorum fastigijs. Nec mirum, nam quicquid artificum insigniorum Græcia, aut Asia habebat, Romam evocabatur, qui quod natura denegabat, per artem tentabant, nihilque fuit in Provincijs magnificum, utile, vel gratum, quod in urbem non inveheretur. Incolarum numerum, quod attinet, hunc ad 4. milliones existimant nonnulli ascendisse. Imò tempore Claudij Imperatoris censa sunt Romæ Civium 69. centena millia, & centum quadraginta quatuor millia, ut scribit Tacitus lib. 12. Ast ubi nunc hic antiquus Romæ decor? desijt profectò esse. Nam etsi Romanæ modernæ urbis sit magnus splendor, is tamen cum florente antiqua Roma, comparari nullatenus potest. sit nihilominus in quo glorietur moderna Roma nempè quòd Sanctitate & fidei veritate veterem superet.



DISSER-

DISSERTATIO DECIMA, CURIOSA MISCELLANEA.

DE REBUS FALSÆ, ET DUBIÆ EXISTENTIÆ.

§. I.

PRIMVM MOBILE.

PRimum *Mobile*, Seu supremum Solidum cœlum, cujus impetu, & motu regulari concitatissimè, quotidie reliqui inferiores orbes cœlestes, itidem Solidi, cum affixis sibi stellis rapiantur ac moveantur, ab Oriente, per Meridiem, in Occidentem, indeque per mediam noctem, in Orientem rursus reducantur, spatio ferè 24. horarum æqualium, primò loco censui ponendum esse, inter res falsæ, aut dubiæ existentiæ, quæ quidem primi Mobilis existentia, à veteribus Philosophis & Astronomis, tanquam indubita supponebatur, nullo tamen solido argumento probabatur, imò fictis omnino principiis innitebatur. Nam nec Cœli sunt solidi, (nisi fortè Cœlum fixarum stellarum idque duntaxat quoad extimam partem) sed prorsus fluidi, ut à recentioribus, clarissimis argumentis, & manifestis experientiis ostenditur; ac proinde ad talem raptum primi mobilis penitus inepti; nec datur realis hæc multiplicitas cœlorum, quam antiqui sine necessitate adstruebant; nec cœli ipsi moventur, sed Astra ipsa in ijsdem secundùm Leges à DEO & Naturâ sibi præscriptas, idque vel à propriis formis, vel (ut alii existimant) ab Intelligentiis, nec dantur Contrarij motus Astrorum, quò ad realem Existentiam, sed solùm apparentes, qui præcipuum fundamentum erant, *primum Mobile* statuentium. Cùm enim viderent stellas omnes, adeoque ipsos etiam Planetas, singulis diebus Naturalibus, ab Oriente, occasum versùs volvi, & inde iterum ad Orientem revolvi, & nihilominus observarent eosdem Planetas, contrario motu dietim, ab occasu in ortum, proprio motu moveri, seu potiùs retrocedere, certisque spatiis temporum, integras revolutiones sic peragere, ac ijsdem absolutis, ad pristinum locum redire, ac aliunde illis constaret manifestè, non posse idem corpus moveri eodem tempore simul motibus oppositis, exinde concluserunt, duo principia motuum Cœlestium admittenda; unum pro motu proprio stella-

ſtellarum, maximè Planetarum alterum pro motu omnium, quod ſtatuebant *primum Mobile*, ſeu ſupremum aliquod Cœlum, ſecum rapiens reliquos cœlos ſtellarum. Quò fundamento everſo, corruit tota hæc *primi Mobilis* machina, ac evadit in merum mentis figmentum.

§. II.

Motus Contrarij Aſtrorum.

MOtus Contrarij Aſtrorum Reales, æquè non exiſtunt, ac ipſum *Primum Mobile*. Moventur igitur Aſtra unico duntaxat motu reali, ab Oriente in Occidentem, is verò, qui iiſdem tribuitur ab occaſu in ortum, eſt merè apparens, qui ex eò provenit, quod Aſtra moveantur inæquali velocitate, unde fit, ut ſtellæ fixæ citiùs attingant terminum, à quô ſimul cum Planetis cœperant moveri, quàm ipſi Planetæ; & ex his Saturnus citiùs, quàm Jupiter, & hic citiùs quàm Mars, & Mars, quàm Venus, & Mercurius; lentiſſimè, autem omnium Luna, atque ſic Aſtra apparent nobis recedere verſùs partes Orientales Zodiaci, ac Eclipticæ. Porrò hic motus ſyderum non eſt ſimplex, ſed per ſpirales lineas perficitur, ita ut non conficiant exactum circulum diurnum, nec revertantur ad idem punctum Horizontis hodie, in quô heri fuerunt, ſed flectant non nihil ad mundi latera verſùs Polos, & quidem Planetæ in liquidiſſimo illo cœlo, nunc magis ad terram accedendo, nunc magis ab illa recedendo, ſicque ſalvatur omnis eorum motûs diverſitas, per unicum eumque ſpiralem motum.

§. III.

Sphæra Ignis.

SPatium inter ſupremam aëris ſuperficiem, uſque ad concavitatem Lunaris cœli comprehenſum, igne Elementari repletum eſſe, cenſuerunt plerique veteres, quod proinde Sphæram Ignis dixêre, ad quam veluti centrum ſuum omnes ſublunares ignes naturaliter aſcendendo, tendunt. Verùm nulla ratio evincit hujus Sphæræ Ignis exiſtentiam, nec experientia ulla probat. Deinde ille ignis vel haberet proprietates ſublunaris noſtri ignis, vel non; Si ſecundum, non eſt dicendus ignis, ut potè qui nec urit, nec lucet, nec pabulo indiget. Si primum ſequeretur, quod omnia deberet corpora contigua accendere, nimiaque illius voracitas, totum mundum abſumeret; Non poſſent inſuper ſublunaria frigefieri à Cœleſtibus Corporibus, deberent enim vel in ipſo illo igne calido ſummè, priùs producere frigus, vel agere in diſtans. In toto igitur immenſo illo ſpatio nihil aliud eſt, præter ætherem, qui in ſubſtantia non eſt aliud, quàm ipſius aëris partes ſubtiliſſimæ. Atque hoc ipſum ſentit Ariſtoteles. lib. 1. Meteororum. cap. 4. Quòd autem flamma ſemper ſurſum tendat, id provenit ab aëre graviore, qui halitum ejuſdem ſurſum extrudit, nec inde ulla tenus evinci poteſt, dari Sphæram Ignis.

§. IV.

§. IV.

Motus Terræ Copernicanus.

COpernicus, & illius sequaces, contra manifestum, & communem sensum, omnium hominum, solem stare affirmant, terram è contra moveri, & quidem motu triplici. *Primus* est, *Diurnæ Revolutionis*, seu *Vertiginis*, quo 24. horarum spatio perhibetur circa suum centrum & axem moveri. *Secundus est Translationis*, qui dicitur Annuus, quô volunt Copernici stante sole in centro universi, terraqueum globum moveri circa ipsum solem, unius anni & sex horarum spatio. *Tertius est* Motus *Librationis* axis, quô ab Austro in septemtrionem sex Mensibus, & à septemtrione ad Austrum aliis sex Mensibus, eadem terra, juxta eorundem opinionem libratur. Verùm hi omnes motus, falsæ penitus sunt existentiæ. Probatur id authoritate ipsius scripturæ sacræ, quæ est firmior omni omnino ratione. Legimus enim Eccl. Cap. 1. Terram in æternùm stare, solem autem oriri, occidere, & ad locum suum converti, gyrari per medium, & flecti in Aquilonem, & lustrare universa in circuitu. Atqui juxta Copernicanos terra nunquam stat, & sol nunquam oritur, nec occidit, nec gyratur, nec flectitur, nec revertitur in locum suum, nec lustrat universa in circuitu. Ergo.

Item Josue 10. dicitur: Sol & Luna stetisse in medio cœli, & non festinâsse occumbere spatio unius diei. Et Isaiæ 38. narratur, sol reversus decem lineis, per gradus, quos descenderat. Ergo juxta scripturam, Sol, Luna, & Astra reliqua, circa terram, non verò terra circa solem movetur. Hinc meritó Copernicana ista fictio, de motu terræ, ab Ecclesia damnata, & graviter censurata est. Sed Rationibus validissimis, opinio hæc falsitatis manifestè, convincitur; verùm cúm de hoc argumento alibi jam actum sit, brevitatis causâ eas hîc prætermittimus.

§. V.

Motus Trepidationis Terræ.

NOn defuerunt Philosophi etiam sæculis proximis, qui opinabantur Terram circa suum centrum, vel ad saltum unius pulicis, motu Trepidationis, & veluti Titubationis, insensibiliter licèt moveri. Hôc ducti argumento, quòd Globus Terraqueus, ita naturâ sit constitutus, in medio mundi, ut centrum gravitatis ipsius, coincidere debeat, cum centro universi, seu mundi, si ergo mutetur illius centrum gravitatis, tam diù non quiescet, sed movebitur ac fluctuabit trepitando, donec iterum conjungatûr cum centrô mundi. Hoc autem centrum gravitatis terræ, mutatur vel ad unius pulicis saltum. Nam terra est in æquilibrio, mutato veró æquilibrio partium mutatur centrum gravitatis corporis in æquilibrio positi. Æquilibrium verò, hôc ipso mutari necessè, quòd addatur aliquid plus ad

unam partem, quàm fit in altera parte, quod in hoc casu fieret. Ergo. Ast hîc quoque motus numerandus est inter res Falsæ Existentiæ præsertim cùm pariter scripturæ sacræ contrarietur. Nam Psalmo 104. dicitur: Fundâsti terram super stabilitatem suam, non inclinabitur in sæculum sæculi. Ostenditur id ipsum etiam ratione. Nam sicut ad bonum generationum animalium, & commoditates hominum erat, terram immobilem esse in centro, seu ad centrum, ita necesse fuerat immobilem esse & circa centrum. Præterea quodvis pondus, quod addi potest terræ ex una parte minorem habet proportionem ad ejus motum excitandum, quàm ala muscæ, aut levissimus pulvisculus additus uni lancium manentium in æquilibrio, & sustinentium utrinque decem centenarios, aut etiam plures, igitur terra circa suum centrũ manet imobilis. Istam autem imobilitatem circa suum centrum, habet globus terraqueus, per virtutem magneticam, sibi à natura inditam, ratione cujus ita polis mundi correspondet, ut nulla vi naturæ, ab hoc situ dimoveri possit. Unde ab æquilibrio mobili quod per additionem alicujus, ad unam partem, mutatur, nulla est paritas ad æquilibrium terraquei globi, cui aliunde sua immobilitas competit.

§. VI.

Inhabitabiles Zonæ Terræ.

COsmographi, & Geogrophi, quinque latos circulos statuunt, qui Cœlum terramque velut fasciis cingunt, quos proinde Zonas vocant, ex his una est torrida, duæ temperatæ, & totidem frigidæ. Zona torrida est, spacium globi terraquei, inter duos tropicos conclusum, & ab æquinoctiali linea, in duas partes divisum, spatium verò inter tropicos & arcticos circulos, vocatur Zona temperata, quarum una est septemtrionalis, quàm nos incolimus, altera Australis. Spacia denique inter arcticum & antarcticum circulum conclusa, Zonæ frigidæ appellantur. Ex his *torrida & frigida* æstimabantur ab antiquis inhabitabiles, hæ quidem ob nimium rigorem frigoris, illa autem ob perpetuum illumque intolerabilem æstum, utpotè quam ex vertice sol perpendicularibus radiis perpetuò torret. Verùm jam compertum est contrarium, nullam scilicet esse ex quinq; his Zonis, quæ undequaque incoli non posset, consequenter inhabitabiles Zonas terræ, nullibi existere. Torrida enim defactò incolitur in Asia ab Indis, in Africa ab Æthiopibus, in America à Brasilianis, & Peruianis; nam Divinâ sic ordinante providentiâ, torrida ex variis attemperatur rationibus. Primò quia noctes diebus ibi ferè sunt æquales, & ita nocturnum frigus, diurnum calorem temperat. Secundò, ex vaporum copiâ, quæ à mari circum fuso deducitur, abundat pluviis, iisque frequentissimè irroratur. *Tertio.* Temperatur à ventis crebro eandem perflantibus, Zonarum autem frigidarum frigus variis ex causis particularibus benignum redditur, ut constat ex descriptionibus *Olai Magni*, & recensionibus navigationibus Hollandorum, ad Polum Arcticum susceptis.

Phœnix

§. VII.

Phœnix.

NOn leve quoque oritur dubium, utrum sit, aut unquam in rerum natura fuerit talis Avis, qualis esse Phœnix, ab Authoribus ejus existentiam adstruentibus, describitur. Qui ajunt eam unicam esse in toto orbe, Aquilæ magnitudine, capite honorato, in conum plummis exstantibus, cristatis faucibus, circa collum, fulgore aureo, postera parte purpurea, exceptâ caudâ, in qua roseis pennis, cæruleus inscribitur nitor, eamque vivere quingentis, aut etiam pluribus annis, atque in Cedris Libani, absque cibo & potu, vento pasci. Quæ cùm se viderit senuisse, collectis aromatum virgultis, rogum sibi instruit, & conversa ad radios Solis, alarum plausu, voluntarium sibi incendium nutrit, & sic se unà cum nido incendit ac incinerat, ex cujus cineribus dicunt die altero vermem nasci, qui alis die tertia assumptis, infra paucos dies, in avem pristinæ figuræ commutatur, & tunc avolat. Atque qui sic descriptum Phœnicem dari, aut saltem aliquando extitisse opinantur, probare id intendunt. *Primò*, authoritate plurimorum antiquorum scriptorum, quâ Græcorum, quâ Latinorum, & quidem eorum, qui vel arcanorum curiosi ac seduli scrutatores, aut oppidò insignes Cosmographi, aut denique fide digni Historici fuerunt. *Secundò*, Authoritate Sanctorum Patrum, qui ea, quæ profani scriptores, de maximo isthoc naturæ miraculo literis consignârunt, non tantùm non rejecerunt ut fabulosa, sed suo etiam calculo comprobârunt, atque ex hâc Historia redivivi Phœnicis ex proprijs cineribus, duo præcipua fidei nostræ Mysteria, Incarnationis scilicet ac Resurrectionis, Gentilibus vero similia reddere, ac persvadere (argumento ducto à comparatione seu exemplo) conabantur. *Tertiò*, Authoritate ipsius scripturæ Sacræ, nam Psalmo 91. v. 13. Ubi vulgata versio legit: *Iustus* ut Palma *florebit*. Tertullianus & Epiphanius legunt Justus ut Phœnix florebit, per Phœnicem non Palmam sed avem intelligentes. Similiter ubi Lib. Job. 29. v. 18. vulgata legit: *Dicebam quia in nidulo meo moriar & sicut Palma multiplicabo dies.* Idem Tertullianus, & Venerabilis Beda, sequentes antiquos Hebræos legunt: *Et sicut Phœnix multiplicabo dies.* *Quartò*, Argumento desumpto ab alia simili ave *Semenda* nomine, quæ reperitur in ulteriore India, hanc enim ajunt mortem suam præsentire, eâque propinquante ligna deferre in nidum, cantillare dein, & post alarum percussionem, ligna incendere, atque comburi. Inde vermiculum gigni ex cineribus, qui postea in avem ejusdem generis excrescat. *Quintò*, Exemplo sumpto, ab alia quadam avicula Americana *Holltzitziltolt* dicta, quæ non diutius vivit, quàm flores herbarum, quarum alitur meligine durent superstites, postquam verò hæ emarcuêre, ad pinus aliasque arbores se rostro affigit, sicque appensa hæret examinis, per totum brumæ tempus, ac vernantibus rursus agris, amicisque ortis herbis & florescentibus, denuo reviviscit, similes vices plures subitura. *Sextò*, Testimonio Regis cujusdam Æthio-

piæ, qui Epistolâ ad summum Pontificem datâ, inter cætera addit: In terra sua esse Phœnicem avem cujus vita durat annis 350.

Qui autem Phœnicem avem supra descriptam, nec existere, nec unquam extitisse asserunt. Moventur primò: Quia nec *Aristoteles* tam acuratus, animalium investigator, in tot de animalium conscriptis à se libris, neque *Diodorus Siculus*, nec denique *Strabo*, qui tanta alioquin de varijs Arabiæ & Ægypti (in quibus tamen terris Phœnix exististere dicitur) animalibus, litteris consignârunt, ullum de Phœnice ave, verbum habent Existimârunt proinde fabulosa esse, quæ de illa circumferebantur, nec, digna, quæ scriptis consignarentur. Secundò. Quia ij ipsi, qui de hac ave scripserunt, de illius existentia, plurimùm dubitant. Nam *Herodotus* ingenuè negat, ea quæ de Phœnice jactantur, sibi verosimilia videri. *Plinius* ait se haud scire, an fabulosa sint, quæ de eadem ipse, ex alijs refert. *Cornelius Tacitus*, cùm multa de Phœnicis formâ ætate, ortu, ac moribus enarrâsset, sic tandem concludit: *Hæc incerta & fabulosis (narrationibus) aucta.* Tertiò, Quia inter ipsos Authores, qui de Phœnicis naturâ, & moribus scripserunt, summa est dissensio, quò ad illius formam, magnitudinem, colorem, longævitatem vitæ; singularitatem, sexum, natale Solum, ortum, interitum, ac resuscitationem. Quartò, Quia Genesis 1. v. 22. Deus, piscibus, & Avibus recens à se creatis benedicens, indiscriminatim, & sine ulla exceptione, dixit: *Crescite & multiplicamini, & replete aquas maris, avesque multiplicentur supra terram.* Quod sanè Phœnici non conveniret, cùm sit unica in mundo Avis. Quintò, Quia in eodem libro Genesis. Cap. 7. v. 2. & 3. dicitur Deus instante diluvio, hunc in modum præcepisse Noë Patriarchæ: *Ex omnibus animantibus mundis* (hoc est, ex singulis speciebus) *tolles septena, & septena, Masculum & Fæminam.* Qui textrus pariter cum existentia Phœnicis, utpotè unicæ in orbe, conciliari non potest. Sextò, Quia Phœnix (utpotè Avis nobilissima, omnium aliarum avium) perfectius animal esset (si daretur) quàm ut ex sanie parentis, vel ex corrupti corporis cineribus repullulascere possit, quemadmodum sunt ea: quæ ex putri materia, sine seminali virtute gignuntur, uti sunt apes, vespæ, Scarabæi, mures, ranæ, serpentes, unde hunc modum nascendi sanior Philosophia, non nisi animantibus imperfectis, cum Aristotele 4. Meteororum, Cap. 2. concedit. Septimò, Quia nulla est rerum corruptibilium, in sublunaribus species, quæ non simul omni tempore plura individua habeat, Deo authore sic ordinante, ne corrupto uno individuo, simul etiam ipsa species pereat. Quod cùm ita sit, quis credat speciem Phœnicis, tanquam nobilissimæ omnium avium, unico contineri individuo? Præterea, cùm post diluvium vixullus vixit quingentis annis. Quis quæso Phœnicis numeravit annos? Demum Phœnicis assertores, plerique *Heliopolim* assignant, pro loco ortûs & interiûs ejusdem. Ast Heliopolis non semper fuit, & jam nulla ejus extant vestigia, ubi ergo ante moriebatur, Phœnix, & ubi nunc oritur & moritur? Concludendum itaque est, Phœnicem, prout supra descriptus est, (cum enim sexu careat utroque genere dicitur.) nec existere, nec unquam in rerum naturâ extitisse.

Argumenta autem sententiæ affirmativæ facilè solvuntur. Ad *Primùm*, enim

enim respondetur: Quòd cum authores illi summopere inter se discrepent, & non solùm ad invicem repugnantia, sed omninò incredibilia de Phœnice asserant, ita, ut quid credere de eo debeas, nescias, optimum esse, si nihil de eo credas. Ad *Secundùm*, dicendum est: Sanctos Patres de existentia Phœnicis nihil asseruisse, nec aliquid ex propria sententia pronunciasse, sed ex aliorum duntaxat scriptis, ea, quæ de Phœnice dicebantur, retulisse; atquè hinc Gentilibus, Mysterij Incarnationis. & Resurrectionis possibilitatem, solùm modo velut ex ultrò concessis, ostendere, conatos fuisse. Ad *Tertium*, Respondeo in utroq; illo Sacræ Scripturæ textu, per Phœnicem, non avem sed Palmam intelligi, adeoque vulgatam versionem, præferendam esse, cujusvis alterius privatæ lectioni. Vox enim φοινιξ (latine Phœnix) est æquivoca apud Græcos, & Palmam & avem significans. In Hæbraico autem Textu citato, Psalmo. 91. v. 13. ponitur vox *Thamar*, quæ nunquam in scriptura significat Avem, sed ubique ac semper arborem *palmæ*. Unde alter Textus Sancti Jobi, non habetur in Græco simpliciter, *sicut Phœnix*, seu *Palma*, sed ωσπερ στελεχοι φοινικος, hoc est, sicut truncus Palmæ, denique ex contextu utriusque citati Textus, si bene perpendantur, manifestum est, neutrum prorsus de Ave, sed utrumque de arbore loqui. Ad *Quartùm*, Ajo de *Semenda* ave fabulam esse, non ad alium finem confictam, quàm ut fabulæ Phœnicis patrocinaretur. Datur quidem *Semenda* Avis, sed multa quæ circa eam feruntur, mendacia sunt à peritis & exploratoribus naturæ illius, deprehensa, ut agnoscunt, *Scaliger* & *Aldrovandus*, alijvè. Ad *Quintum dico*, Exemplum illud nihil conferre ad rem, multæ enim etiam aliæ aves, multique vermes, toto hyeme velut sopiti, & quasi mortui jacent, æstateque redeunte reviviscunt, ab hoc autem exemplo, nimium quantum distat Phœnicis figmentum. Ad *Sextum*, Fragmentum illud Epistolæ Regis Abassinorum, seu Æthiopiæ quod attinet, nec Æthiopum, nec Munsteri, qui illud citat, moribus alienum est à verò aberrare, uti comperum est, imò hoc testimonium se ipsum elidit, cùm aliam Patriam tribuit Phœnici, uti & aliam longævitatem. Nam juxta propugnatores Existentiæ Phœnicis Patria Phœnicis, est Ægyptus & Arabia, non autem Æthiopia, & longævitas ejus, sunt anni 500. non 350. uti assignantur in dicta Epistola.

§. VIII.

Avium Britanicarum, vulgo Berniclarum, ex arboribus aut Lignis putridis generatio.

SUnt in Britania Aves, quas *Berniclas*, seu *Bernetas*, communiter vocant, anseribus similes, aliquanto tamen minores. Has alij ex quodam fructu arboris in mare decidente, alij ex vermibus computrescentium lignorum generari existimant, illi itaque asserunt, in Insulis vicinis Britaniæ, sed potentissimum in *Orcadibus*, & *Hidibribus* Insulis super ripas maris, certi generis arboris esse, quæ producant fructus, folijs conglomeratis, anatum, vel anserum potiùs formas habentes

bentes, qui ubi maturuerunt, decidunt sponte sua, vel ad terram, vel ad mare, & dejecti quidem ad terram, putrescunt, in aquam autem demersi, sensim animantur, & sub aquis enatant, ac successu tempori,, plumis pinisque excrescentibus, in aëra volant: Hi verò earum Avium generationem, sic describunt: Ajunt etiam, quòd si lignum abjegnum in aqua marina, quæ dictas Insulas alluit relinquatur, ut paulatim incipiat computrescere mox ex eo enasci quosdam fungos, hos sensim moveri & animari à vermiculis, in ijs progenitis, qui successu temporis, enatis capite & pedibus, atque alis ac plumis, formantur in aves; rostro interim à ligno suspensas, & per mare fluctantes usque ad maturitatem, donec se commoventes abrumpantur, ac ita demum ad justum incrementum perveniant, ac postremò sicut Aves cæteræ avolare incipiant. Addunt alij conchulas pusillas bivalvas è musco & limo enatas & semiputridas, carinis navium annosarum adhærescere, atque in his vermes prædictos generari, qui modo præmemorato in alites evadant. Verùm hanc Berinclarum originem, & generationem fabulosam, ac vanam alij existimant esse. Nam Albertus Magnus Libro 23. de Historia animalium testatur, se cum multis alijs spectâsse has aves, & ova fovere & pullos educare, sed & Batavi ante paucos annos ad Novam Zemblam navigantes, in compluribus scopulis, aves hujus modi incumbantes suis ovis observârunt, & non nullas illarum, multaque earum ova, in naves retulerunt. Persvasio ergo vulgi & Authorum, contrariæ sententiæ inde orta est, quòd viderent annis sigulis innumerabilem penè multitudinem ejus modi avium circa Britannicas Insulas, nec tamen scirent, ubi orirentur, aut unde venirent, putaveruntque proinde animalia illa allata & conformia, conchulis aut materijs putrescentibus inclusa, excrescere in hosce anseres.

§. IX.

Gryphes.

GRyphes variè describunt varij Authores, communiter tamen magnitudinem eis tribuunt Leonis, quæ anticâ parte, nimirum capite rostro, alis, pedibus & ungvibus referat aquilam, posticâ verò hoc & reliquo corpore, & caudâ Leonem. Ajunt verò has Aves, tanti esse roboris, ut homines armatos præliando, imò Elphantes quoque, ac Dracones superent. *Isidorus Episcopus Hispalensis* lib. 12. Orig. Seu Ethimologiæ Cap. 2. Gryphes vocat animalia pennata, quadrupedia. *Et Sanctus Eustachius Antiochenus*, in *Hexam*: de Gryphe asserit. Quòd veluti apud nos aquila Leporem, sic ille Leonem facillimo negotio raptum prædatur. Majora his Gryphibus tribuit, *Ioannes de monte villa*, aitque: Unicum Gryphem, magnitudine & robore, octo etiam leones, centúmque Aquilas superare, utpotè, qui, vel equum, unâ cum insidente equite, vel binos etiam conjunctos boves, ungvibus suis, quorum aliqui boum cornibùs multò majores sunt è via abripiens, in nidum suum deportat. Inveniri autem Gryphes ajunt in *Bractia*, *India*, & *Scythia Asiatica*, aurumque quô Regiones illæ abundant, ab

ijs custodiri, quin & nidos, vel rectiùs habitacula ex auri frustis sibi componere. Nullus tamen Authorum Gryphes existere asserentium, unquam hoc animal oculis suis vidit, sed omnia, quæ de Gryphibus scripsêre, solùm velut audita, & ab alijs relata enarrant, Unde illorum authoritas, hoc in puncto, penitus nihil probat, sed in locum hujus videtur succedere scripturæ Sacræ authoritas, quæ Gryphes esse in rerum naturâ supponit. Nam lib. Levitici Cap. 11. v. 13. in vulgata nostra editione sic legitur: *Hæc sunt quæ de Avibus comedere non debetis, & vitanda sunt vobis.* Aquilam, & Gryphes, & Haliætum, idem supponunt multi, ac præstantes in hunc Textum commentatores. Verùm salva etiam scripturæ Sacræ authoritate, Gryphes prout describuntur ab Authoribus eorum existentiam, in rerum naturâ admittentibus, veròsimiliùs est fabulosos esse, & nullibi esse, nec unquam fuisse. Nam illi ipsi Authores, quæ de ijs scribunt, neque in eorum forma conveniunt inter se, neque in magnitudine, neque in loco, neque in aliis circumstantiis, imò nec in substantia quidem. Nam Gryphes fabulosos esse fatetur *Plinius*, id ipsum asserit Albertus Magnus, alijque. Deinde á centum jam & ampliús annis Europæi Argonautæ, peragrârunt orbem universum, & curiosissimè in res peregrinas indagârunt, nullibi autem invenerunt, ac nec famâ quidem audierunt, Aves reperiri, quæ partim sint Leo, partim Aquila. In citato proinde Sacræ Scripturæ Textu, per Gryphes intelligendum est, Aquilæ genus maximum, quòd maximè aduncum habet rostrum, & ungves, estque fortissimum & rapacissimum, & ita hunc locum explicat, Cornelius à Lapide, probatque hanc suam interpretationem. *Primò.* Quod in Hebraico Textu, Vox *Peres* quam vulgata vertit in vocem Gryphes, & septuaginta Interpretes in vocem Græcam τερυπα significet speciem majoris Aquilæ, aut ut *Oleaster* putat in genere Avem rapacem, magnarum ungularum, à Verbo *Parsah*, quod ungulam significat. Atque eodem modo interpretatur idem vocaculum *Peres* in Libro Deutoronommii Cap. 14. v. 12. quod etiam confirmatur ex eo: Quia in citato Capite 11. Levitici *Grips* ponitur post *Aquilam*, & ante *Haliætum*, utique ad denotandum, quòd sicut *Haliætus*, ita & *Grips* sit species *Aquilæ*. Unde Aldrovandus Lib. 10. Ornithologiæ Cap. 1. ait. Quòd si Avis ulla in rerum Naturâ, quæ Gryphis nomine venire debeat, ponenda sit, eam se Aquilæ, aut vulturis maximum quoddam genus esse judicare, quæ ob inusitatam magnitudinem, & ob inauditum robur, vana multa & absurda de se fabulanda, veræ naturalis historiæ ignaris, occasionem dederit. Et dein subjungit: Grypbes enim quadrupedes ut magnus Albertus quoque advertit, ab Historicis potiùs & Poëtis, quàm à Philosophis & rerum naturæ peritis, memorantur. Aves verò bipedes Aquilæ similes, immensæ molis ac roboris, non in una orbis reperiuntur plagâ.

§. X.

Pelicanus.

PElicanus, à pelle cana sic dictus, eó, quòd canas habeas pennas, describitur à variis Authoribus: Quòd sit Avis Ægyptiaca in solitudine Nili fluminis, matie

semper

semper affecta, quæ quidquid glutit citò digerit, utpotè cujus stomachus nullum ventriculum habet, quô teneat cibum, solùm enim visceris ductum habet, qui ab introitu oris usque ad secreta naturæ pertingit. Pullos suos sangvine lateris, aut rectiùs pectoris, dicitur vivificare, cùm t,eos propter importunitatem suam occiderit, vel à serpente, qui eis insidiatur, interemptos invenerit. Horum autem duo genera esse dicuntur; unum Aquaticum, quod piscibus & conchis, alterum terrestre, quod serpentibus, lacte Crocodylorum, vermibus, & lacertis, vivit. Jam verò quoad Existentiam Pelicani an scilicet talis Avis, prout hîc descripta est, uspiam extet, vel aliquando exsterit, meritò in dubium & contoversiam vocatur. Cui dubito ut satis fiat; Tenendum est Primò, Avem quæ Pelicanus dicitur, omnino dari cùm & sacra scriptura, ejusdem mentionem faciat, dicente propheta Rege: *similis factus sum Pelicano fortitudinis.* Tenendum est secundo, verò simile quoque esse, quòd duo sint Pelicanorum genera, Terrestre unum. Alterum Aquaticum. Tenendum est Tertió, incertum prorsus esse, omnes illas qualitatates & proprietates, quæ in Pelicani descripione, á varijs scriptoribus adferuntur, Pelicano convenire. Quod vel ipsi authores ingenuè fatentur; quos inter Sanctus Augustinus, in enarratione in eundem Psalmum. 101. sic ait de Pelicano loquens: *Dicuntur hæ Aves tanquam colaphis rostrorum occidere parvulos filios suos, eosdemque in nido occisos à se, lugere per triduum; postremò dicunt, matrem, seipsam graviter vulnerare, & sangvinem suum, super filios fundere, quô illi super fusi reviviscunt.* Et postea subjungit: *Fortassè hoc verum, fortassè falsum sit; tamen si verum est, quemadmodum illi congruat, qui nos vivificavit sangvine suo, videte* Tenendum est Quartó, Pelicanum esse illam ipsam Avem, quæ *Platea* dicitur, atque hanc non distingvi ab *Onocrotolo*, adeoque Pelicanum Avem, contra distinctam ab his, nec existere, nec unquam extitisse, ratio est: Quia eandem Avem, quam Aristoteles vocat Pelicanum, Plinius, & Aristotelis interpres, plateam appellant, easdemque proprietates, (demptis quæ fabulosè eidem adscribuntur) quas ille Pelicano, hi plateæ avi attribuunt; & vicissim descriptio quæ convenit plateæ avi, convenit & avi Onocrotalo dictæ. Unde & in scriptura Sacra, eodem vocabulo Hebraico, tam Onocrotalus, quàm Pelicanus interdum exprimitur.

§. XI.

Aves Diomedeæ.

Diomedearum Avium, mentionem faciunt, præter alios, *Aristoteles*, *Plinius*, *Solinus*, *Albertus Magnus*, & *Divus Augustinus*, ex quorum descriptionibus, solúm ea, quæ magis admiranda in ijs videntur commemoro. Primó reperiebantur hujuscemodi Aves, in sola Diomedis Insula, in Mari Adriatico, é regione Apuliæ. Secundò, Forma illis erat pene quæ *Fulicis*, color canditus, ignei oculi, ora dendata, Tertiò, Advenas Barbaros, clangore infestabant,

festabant, atque in eorum capita involabant, gravibusque ictibus impetebant, vulnerabant, quin quandoque & perimebant. Græcis verò advenientibus, blandiebantur. Quartò. Inde fabulæ origo desumpta est, Diomedis socios, in earum effigies mutatos, facto circa eam Insulam naufragio, & Duce suo Diomede amisso, quem necaverat dolo Æneas Rex. Quintò, Delubrum Diomedis, quod in illa Insula erat, omni die celebrant studio hujusmodi; Aquis imbuebant plumas. alisq; impendiò madefactis confluebant ad illud, & illud rorulento, in ædem excusso humore purificabant, tunc pennulis super plaudentes, inde discedebant, quasi peracta religione. Sextò. Ante adventum Diomedis, nec quidem in illa Insula visebantur, ac post ejus interitum, in ea sola. De his avibus, quid sentiendum sit, docet Sanctus Augustinus Lib. 18. de Civitate DEI Cap. 18. Ubi inter alia sic scribit: *Diomedeas autem volucres, quandoquidem genus earum per successionem propaginis durare perhibetur, non mutatis hominibus factas, sed iis subtractis credo fuisse suppositas, sicut Cerva pro Iphigenia, Regis Agamemnonis filia. Neque enim dæmonibus judicio DEI permissis, hujusmodi præstigiæ difficiliores esse potuerunt, sed quia illa virgo viva reperta est, suppositam pro ea Cervam facilè cognitum est. Socii verò Diomedis, quia subitò disparuerunt, & postea nullo loco comparuerunt, perdentibus eos ultoribus Angelis malis, in eas aves, quæ pro illis occultè, ex aliis locis ubi est hoc genus avium, in ea loca perductæ sunt, ac repentè suppositæ, creduntur esse conversi. Quòd autem Diomedis in Templum aquam rostris afferunt, & aspergunt, quòd blandiuntur Græcigenis, alienigenas prosequuntur, mirandum non est, fieri dæmonum instinctu, quorum interest, persvadere DEUM esse factum Diomedem, ad decipiendos homines, ut falsos DEOS, cum veri DEI injuria, multos colant.*

§. XII.

Remora.

ADmirabiles protsus effectus, qui *Remoræ* pisci, à scriptoribus tribuuntur, haud leve dubium, multorum animis injiciunt, tam de illorum veritate, quàm de hujus in rerum naturâ existentia. Ajunt itaque Remoræ pisciculo exiguo, mirabilem vim inesse, ad retinendas & remorandas naves quantumvis magnas, & quantumvis valido vento, & remigantium labore in mare propulsas, unde etiam à remorando & retinendo naves, nomen Remoræ apud Latinos accepit, Græci eum *Echeneidem*, ab eodem effectu appellant. Præter hunc effectum, alios ei tribuunt Aristoteles, & Plinius, nempe: quòd remoretur lites & judicium, si quæ partium litigantium, eum apud se habeat: & conservet ac contineat impurum amorem, fluxûs gravidarum utero sistat, partusque ad puerperium contineat. Addit adhuc alium *Trebius Niger*, apud Plinium. Lib. 9. Cap. 25. Hanc vim ei asserdit, in sale tribuens, ut aurum quod deciderit in altissimos puteos, admotus, exvato trahat. Insuper alii asserunt eum esse præsagum tempestatum, unde Plinius Lib. 22. Cap. 1.

Cap. 1. eum auſpicabilem piſciculum nuncupat. De forma porrò ac Figurâ, colore, magnitudine, aliiſque accidentibus illius, prorſus inter ſe diſconveniunt, ut meritò quis, vel ob hoc ſolùm dubitare queat, utrum vera ſint, quæ de ejus virtute retentiva navium, aliiſque illius proprietatibus ſcribunt, & num ullibi tantillus piſciculus, tantarum virium reperiatur. Et quidem alios Remoræ effectus, facile eſſet ut fictioſos reijcere, at primum & principalem, qui eſt, retinere ac remorari naves, etiam vaſtiſſimas, nefas putant plerique, de tot ſcriptorum fide ambigere. & tam luculenta exempla, quibus prædictus effectus comprobatur, inficias ire, Bina enarrat Plinius, lib. 32. cap. 1. Tertium Aldrovandus, lib. 3. de piſcibus, cap. 22. & Cardanus, lib. 7. de varietate rerum, cap. 37. Quarti meminit Plutarchus, lib. 2. Quæſtionum Convivalium, §. 1. His tamen non obſtantibus P. Athanaſius Kircherus, lib. 3. Artis Magneticæ, parte 6. cap. 2 §. 3. Piſciculum *Remoram*, cui tanta vis retinendi naves tribuitur, fabuloſum eſſe, adeoque nec exiſtere, necunquam extitiſſe conſtanter affirmat, idque conatur multis evincere argumentis. Nec tamen negat contingere poſſe ſubinde, ut navis in medio curſu ſiſtatur immota, ſed hunc effectum ait tribuendum eſſe, contrariis ſibique occurentibus æſtibus, qui tunc in illis locis contingunt, ubi detinetur, & repentè ſiſtitur Navis. Quod & Schottus recognoſcit, in Phyſica curioſa, lib. 10. cap. 14. Addit tamen hos æſtus, qui aliquando detinent & ſiſtunt, naves, eſſe temporaneos, ex terræ motu. Subjungit deinde; Eventus illos, quos pro exemplis ſcriptores adducunt, circa retardationem, vel detentionem navium, in medio cursûs, & navigationis per mare, potuiſſe etiam à bonis, vel malis Angelis provenire, potuiſſe præterea idipſum Remigum fraude, in contrarium nitentium contingere. Demum concludit, quòd ſi quis piſciculus talis daretur, qui naves remoraretur, is id non efficeret, per qualitatem aliquam occultam, à ſe in navem transfuſam, navisque currentis, ac venti propellentis, impetum retardantem, alioquin enim intra navem receptus piſciculus ille, eundem effectum præſtaret, quia tunc etiam qualitatem illam à ſe transfunderet. Atqui in navem Caij Caligulæ, & Cardinalis Turonenſis receptus, non præſtitit eundem effectum, quem extra applicatus præſtitiſſe fuit creditus (ipſis Authoribus contrariæ ſententiæ qui has Hiſtorias, ſolùm ex auditis referunt, idipſum fatentibus) Neceſsè itaque eſſet, ut id faceret per retentionem, apprehenſam videlicet navim retinendo, ac reſiſtendo, ita ut robur ac virtus retentiva illius, eſſet major, quàm virtus reſiſtitiva navis, ac ventorum, tale autem robur, exiguo piſciculo, vel limaci (hanc enim formam eidem aliqui tribuunt) quis attribuere poterit? Atque hos Authores, ego quoque ſequens, Remoram piſciculum, in Catalogum rerum falſæ Exiſtentiæ refero.

§. XIII.

Equæ Hiſpanicæ & Cappadociæ vento concipientes.

CONſtans opinio apud veteres fuit, de Equabus Olyſponenſibus, & Cappadocibus, quòd ſolo vento concipiant frequenter, ſine maris admixtione.

Docet

Docet id Plinius lib. 8. Historiæ Naturalis, cap. 42. Constat (inquit) in Lusitania, circa Olyssipponem oppidum, & Tagum amnem, equas Favonio flanti obversas, animalem concipere spiritum, indeque partum fieri, & gigni pernicissimum, sed triennium vitæ non excedere. Idem asserit *Solinus* lib. 86. Polyhistor, *Columella* lib. 6. cap. 26. *Varro* lib: 2. de Re Rustica. Simile habet *Sanctus Augustinus* lib. 21. De Civitate DEI. cap. 5. De Equabus Cappadociæ. Et Aristoteles lib. De Historia Animalium, cap, 18. Ex tot igitur Authorum probatissimorum, & antiquissimorum, ac optimorum, satis constare videtur, vanum nequaquam esse, quòd de Equabus, ex vento concipientibus, creditum hactenus fuit, & etiamnum passim creditur. Visum nihilominus est aliquibus, ac imprimis Justino Historico, lib. 44. hanc totam narrationem, ad fabulas reijciendam, cui commento fundamentum ac occasionem dedit summa pernicitas equarum Galleciæ, Lusitaniæ, ac Cappadociæ, quæ tanta esse dicitur, ut non immeritò ipso vento concipi videantur. Certè Lusitani hoc tempore negant, pullos Equinos ex equabus vento gravidis nasci. Vulgi ergo opinione decepti sunt, *Varro*, *Columella*, & alij scriptores veteres.

§. IV.

Salamandra in igne vivens.

SAlamandram in igne vivere, imò & ignem contrario frigore suo vincere atque extingvere, refert ex auditu Aristoteles, lib. 5. Historiæ Animalium, cap. 19. Idem asserit Plinius, lib. 10. Naturalis Historiæ, cap. 66. Sic de Salamandra scribens: *Huic tantus est rigor, ut ignem tactum extingvat*, non alio modo quàm glacies. Pari ratione *Nicander* in Alexipharmacis cap. 31. ait: *Salamandræ, nullum posse nocere ignem.* Verùm id non nulli constanter negant. Cùm enim ad vitam omnis animantis, adeoque & Salamandræ, requiratur certa temperies primarum qualitatum, ignis verò vis, & efficacia sit tanta, necesse est ut ex superante calore, in Salamandra ab igne producto, hoc temperamentum dissolvatur & corrumpatur, adeoque ea vivere desinat. Rationi huic accedit experientia. Nam *Malthiolus* primæ notæ Medicus, scribit, se opinionem veterum de Salamandra in igne vivente, falsam comperisse, multis Salamandris experiendi causâ in ignem conjectis, brevique extinctis. Idem experti sunt & alij. Sed quia Salamandra, perhumidæ ac frigidæ naturæ est, suoque attactu prunas, aliquam diu extingvit, existimatum ab aliquibus fuit, illam impunè in igne versari. Verùm quidem est, quòd modicissimum ignem, uti quæcunque alia res humida extingvat, ast vel in mediocri igne, ipsa extingvitur, nec tamen comburitur, sed instar ambusti corij corrugatur, si demùm in ignem majorem injiciatur, & diutiùs in eo relinquatur, insuper & comburitur, licèt non tam facilè ac res aliæ siccæ, vel minùs humidæ.

§. XV.

Unicornis seu Monoceros.

Monocerotem ajunt ejusdem descriptores, esse feram asperrimam, raram admodùm, Equi magnitudine, equoque jubâ, & reliquo corpore similem, capite cervino, in quo cornu crescit unicum, duorum aut etiam trium cubitorum, pedum bonitate, & totius corporis celeritate præstare, apri caudam, pedes verò Elephantis habere, vivum, adultum saltem, nunquam venire in potestatem hominum, nec capi ab ullo posse, ait Solinus cap. 5. Polyhistoriæ. Nam quòd alij scribunt, virginem ei puellam proponi, in cujus ille sinu deposita omni ferocitate, caput deponat, & sic velut inermis capiatur, mera fabula est. Quin & de ipsius hujus animalis sic descripti existentia dubitatur, an sit vel unquam in rerum natura fuerit? Certè Andreas *Morinus*, peculiari libello, probare conatur, aut ficta esse omnia, aut ex vulgi errore orta, quæcunque antiqui, & illos secuti recentiores, de *Monocerote* tanquam peculiari animali, ab aliis unico cornu præditis distincto, scripsêre. Signatè autem loquitur hic Author de Monocerote *tanquam peculiari animali ab aljis, unico cornu præditis distincto*, Nam Monoceros, si nomen spectetur, idem est ac animal unius cornu, convenitque hoc vocabulum omnibus animalibus quæ unum cornu habent, talia verò aliqua animalia, cujusmodi est ex: gr: & Rhinoceros, extra Controversiam est, & existere & extitisse semper. Sed & scriptura Sacra, tale aliquod dari supponit animal, ut cum dicitur psalmo. 21. ℣. 22. *Salva me ex ore Leonis, & à cornibus unicornium humilitatem meam* & Psal, 91. ℣. 11. *Et exaltabitur velut unicornis cornu meum.* Et Psal. 28. ℣. 6. *Et dilectus quemadmodum filius unicornium.* & Psal. 77. ℣. 69. *Et ædificavit sicut Unicornium sanctificium suum in terra.* Item, Jsaiæ cap. 34. ℣. 7. *Et descendant unicornes cum eis, & tauri cum potentibus.* Quæstio igitur est de *Monocerote*, seu *Unicorne*, prout hoc nomen accipitur, pro peculari quodam animali, distincto ab omnibus alijs animalibus, unicum cornu habentibus, & nominatim à Rhinocerote. Certè Tertulianus, lib. 2. contra Idol. cap. 10. Divus Gregorius lib. 31. Moralium cap. 13. Divus Isidorus lib. 12. Origen. cap. 2. Albertus Magnus lib. 22. de Animalibus. Arius Montanus, alijque non nulli veteres, & novi interpretes scripturæ, *Monocerotem* & *Rhinocerotem* pro eodem animali accipiunt. Divus quoque Hieronymus, vocem *Hebræam Rem*, vel *Reem* reddit Latinè modò *Monocerotem*, modò *Rhinocerotem*, tam in præcitatis scripturæ textibus, quàm in sequentibus, ut Deuteronomij, cap. 31. ℣. 13. Numerorum 23. ℣. 22. & cap. 24. ℣. 8. Job. 36. ℣. 9. Porro *Rhinocerotem* dari in Rerum Naturâ, nemo est qui ambigat, & Romanis erat notissimum animal, utpote quod populo Romano, in Amphitheatris sæpè pro spectaculo erat productum, & nunc quoque in diversis Orbis partibus reperitur. Verùm hoc animal est longè diversum à *Monocerote* seu *Unicorne*, sicut is describitur. Est namque Rhinoceros, Magnitudine Tauri, sed eum

eum longitudine superans, formâ apro proximâ, duo cingula, tanquam Draconum volumina, á dorso, usque ad uterum circumeuntia, alterum jubam versus, alterum ad lumbum habens, unicum quidem cornu, sed non adeo longum, illudq; non in fronte, sed in naribus gerens, Monoceros autem dicitur esse formâ & magnitudine equi, caudâ suillâ, capite cervino, & in media fronte famosum illud cornu habens. Quale animal nemo veterum scriptorum asserere ausus est à se unquam visum fuisse; Solus *Ælianus* ex auditis hæc recenset: *Prasicorum Regi, illius pullos* (scilicet Unicornis) *etiamnum teneros ajunt deportari, nam integræ ætatis & perfecta, nullum unquam, quisquam meminit captum esse*, sed & moderno tempore, quô tota Asia, Africa, & America, lustrata diligentissimè, non à mercatoribus tantùm, lucro inhiantibus, sed & à curiosissimis rerum Exoticarum perscrutatoribus & scriptoribus, non semel fuit, nullibi tamen ab ijs vel vestigium talis animalis est repertum. *Ludovicus Barthoma* quidem, se vidisse duos Monocerotes Meсhæ in Arabia testatur, sed in hoc suspectæ est fidei. Refert etiam *Grazias* ab *Orta*, & Andreas Theretus. Tomo. 1. lib. 5. cap. 5. ab alijs visa animalia, unico cornu à natura prædita, sed ut ex descriptione illorum patet, hæc à Monocerote longè erant diversa. His ductus Rationibus, Monocerotem quoque seu Unicornem, rebus dubiæ saltem, si non falsæ existentiæ, adnumero.

§ XVI.

Cornu Monocerotis seu Unicornis.

VErùm contra ea, quæ Paragrapho superiori disseruimus, videntur manifesto esse argumento. Cornua illa, magni pretij, coloris eburnei, striis quibusdam cochlearum in morem, per totam suam longitudinem tornata, quæ in plerisque Regum, Principum, Gazophylaciis, Pharmacopoliis, Fanis, alijsque celeberrimis locis asservantur, & pro veris cornibus Unicornium ab omnibus habentur. Cui scrupulo, ut satis fiat. Sciendum est, omnino illa tantæ æstimationis cornua, quæ pro veris, ac genuinis Monocerotis cornibus hactenus habita sunt, non cornua Monocerotum, sed piscium quorundam è Cetorum genere, pro muscides, vel dentes esse, ut claré patet, post Navigationes hoc nostro sæculo in Groenladiam susceptas, in cujus Regionis Littore, â Nautis Belgis & Hollandis, similia cornua colliguntur, ac dein per varias Europæ partes distrahuuntur. Et certè, si etiam in illorum sententia qui ajunt dari in rerum natura Monocerotes, hæc animalia rara admodùm sunt, unde quæso tanta copia horum cornuum, ut vix sit alicujus nominis Pharmacopolia, in qua, ea non reperiantur? Deinde illis ipsis Authoribus fatentibus, cornu unicornis, longitudo ad summùm est duorum, vel trium cubitorum, ast cornua hæc, quæ pro Monocerotum cornibus ostenduntur, sunt subinde quinque, subinde etiam septem cubitorum, igitur saltem ista cornua non sunt Monocerotum. Demum cornua hæc sunt gravissimi ponderis, ponderant enim instar Eboris, quantùm igitur jam ponderabit unum cornu vel trium cubitorum

bitorum? profectò huic ponderi supportando, vix sufficeret caput Monocerotis, utpotè animalis, non majoris equo vulgari. Effoditur præterea certa massa ex terra lapidifica, instar longissimi cornu, tam in Italia, quàm in Germania, & alibi, hanc quoque falsò aliqui putant esse cornu Monocerotis, cùm tamen inter fossilia censeri debeat.

§. XVII.

Excessivi Gygantes Gygantum.

NOn solùm instar cornu, dicta Massa Terrea, cujus jam mentionem fecimus, eruitur, sed insuper etiam ejuscemodi quæ animalium ossa, dentes. tibias, & maxillas repræsentat, quæ à plerisque si inusitatæ sunt magnitudinis, pro miraculo quasi Gygantum ossa fuissent, habentur, & in portis Civitatum, Templorumque appenduntur. Et quidem Gygantes extitisse, & nunc etiam subinde extare, tam scripturæ Sacræ authoritate, quàm variis antiquis æquè & recentioribus demonstratur exemplis; Ast eorum existentia, quorum magnitudo, ex miræ magnitudinis ossibus, quæ passim inveniuntur in subterraneis locis, deducitur, meritò in dubium revocatur. Enim verò scriptura testatur Goliath Gethæum, fuisse longum cubitorum 6. & palmi unius. Og Gygantis & Regis Basan, lectum fuisse 9. cubitorum. Legimus etiam apud Prophanos scriptores, Ajacis cadaver repertum fuisse 10. cubitorum, *Pusionem* & *Secundillam*, denos pedes & ampliùs id
2.
est cubitos 6.— habuisse proceritatis. Claudio Imperatori ex Arabia, advectum
3.
fuisse Gygantem novem pedum, & totidem unciarum, quem tamen procerrimum omnium hominum fuisse ætas illa judicabat. Verùm quid est hæc proceritas, ad monstrosam illam proceritatem, quæ ex inventis posterioribus sæculis, ossibus colligitur? Nam si veræ sunt Historiæ, *Aridnis* viri sive Æthiopis, sive Indi cadaver inventum, fuisse 30. cubitorum. Panormitani Gygantis, cubitorum 18. Gygantis in Bosphoro Cimmerio reperti, cubitorum 24. Anglici Gygantis, cubitorum 33. Drepanitanum, denique Gygantem fuisse altum 200. Cubitorum. Itaque aliquorum Gygantum altitudinem excrevisse ad cubitos 6. aliorum ad 7. aut 8. aliorum etiã ad 9. vel etiam 10. concedi potest; at aliquos excrevisse ad altitudinem 20. 30. 40. 70. non est credibile, minùs verò quod à *Bocatio* de Trepanitano Gygante scribitur, fuisse nimirum 200. Cubitorum, id est. pedum (tribuendo cubito uni, pedem unum cum dimidio) 300. Nullæ enim ædes, nulla tentoria, cavernæ subterraneæ nullæ, aut vix ullæ, tantam molem stantem, & ambulantem capere potuissent, ut bene observat Schotus, in sua Physica curiosa fol. 513. & Kircherus, in mundo subterraneo, lib. 8. sect. 2. cap. 4. Decepti ergo fuêre, qui tantam molem ijs attribuerunt. Causa deceptionis fuit, quod ex dente aliquo vel osse quod Gy-

gantum

gantum putârunt, falso ratiocinio, totius corporis molem desumpserint, cúm tamen ingentia illa ossa, quæ in multis locis reperta fuerunt, & etiamnum subinde reperiuntur, non vera sed fictitia ac fossilia fuerunt ossa, intra terræ viscera, ut fusè probat Kircherus, loco pauló ante citato.

§. XVIII.

Pigmæi.

NAnos, sive Pigmæos inveniri subinde in diversis Orbis partibus, nemo est, qui neget, id enim manifesta evincit experientia, ast integras Regiones, & Regna Pigmæorum dari, non omnes sibi volunt persvadere. Pro affirmativa nihilominus sententia, stant plurimi, hos inter præcipuum locum tenet Aristoteles, qui lib. 8. de Historia animalium cap. 12. Pigmæorum Regionem constituit, ad paludes Ægypti superiores, unde Nilus profluit, quô in loco cum Gruibus pugnare dicuntur. Similia refert Photius, ex *Ctesia Gnidio*, lib. rerum indicarum, & ex *Nonnosi* Historia, Legationum ad Æthiopes susceptarum. Verùm de his clariùs Plinius passim, sed maximè lib. 7. Naturalis Historiæ cap. 2. ubi de Asiæ populis, ad extremos fines Indiæ ab Oriente, circa Gangis fontem habitantibus, sic scribit: *Supra hos extrema in parte montium, Spithamæi Pigmæi esse referuntur, ternas Spithamas longitudine, hoc est ternos dodrantes non excedentes, salubri cœlo; semperque vernante, montibus ab Aquilone oppositis: quos à Gruibus infestari Homerus quoque prodidit. Fama est, eos insidientes arietum caprorumque dorsis armatos sagittis, veris tempore, universo agmine, ad mare descendere, & ova pullosq; earum alitum consumere, ternis expeditionem eam mensibus confici, aliter futuris gregibus non resisti.* Plura hujuscemodi legere est, apud *Pomponium Mela*, lib. 3. de situ Orbis: *Ælianum*, lib. 15, de Animalibus cap. 29. atque alios plurimos, sed horum omnium authoritatem elidit *Strabo*, lib. 17. Geographiæ, unicâ hac ratione: *Nam nemo fide dignus, id ex visu narrat.* Et sanè ita est. Ipsi enim hi Authores, qui Pigmæorum integras Regiones dari asserunt, non alijs terminis utuntur, quam *Fama est*, *dicuntur*, *narrantur*, *sic tradunt* alij sic *proditur*, *ita audio*, *ita retulerunt* eximiæ fidei testes. Ad minus itaque dubia, si non omnino falsa, erit, Pigmæorum quoque existentia.

§. XIX

Centauri, Hippo-centauri, Ono-centauri.

CEntaurorum nomine hîc intelliguntur, monstra illa, quæ externa corporis specie, hominem & equum, aut hominem & asinum referunt, ex quibus illa Hypocentauri, hæc verò Ono-centauri appellantur. De his ergo quæ-

ritur

ritur, an sint, vel aliquando in rerum naturâ fuerint? Et quidem affirmativam sententiam tenet imprimis Plinius lib. 7. Naturalis Historiæ cap. 3. ubi ajt se oculis Hypo-centaurum in Thesallia natum, & inde in Ægyptum, ac ex Ægypto ad Claudium Imperatorem missum vidisse. De Onocentauri, miram Historiam, Ælianus lib. 17. cap. 1. Variarum Historiarum, refert. S. Hieronymus quoque scribit in vita Sancti Pauli primi Eremitæ, cap. 6. Sancto Antonio ad S. Paulum invisendum properanti, apparuisse Hypo-Centaurum. Quin & scriptura Sacra Isaiæ cap. 34. ℣. 14. describens vastationem Idumeæ, mentionem facit Ono-centaurorum, dicens: & occurrent Dœmonia *Ono-centauris*, supponit ergo scriptura, Ono-centauros esse in rerum naturâ. His accedit Ratio, quòd passim quovis ferè loco ac tempore conspecta fuerint monstra è diversis animalium formis configurata. Cur non igitur etiam ex formâ seu figurâ hominis, & Equi, vel Asini?

Verùm prædicta naturæ monstra esse, aut unquam fuisse, in rerum natura, negant multi, existimantque ea esse pura, Poëtarum figmenta. Ex his imprimis est Poëta Philosophicus *Lucretius*, qui lib. 5. in hunc modum canit.

Sed neque Centauri fuerunt, nec tempore in ullo
Esse queat duplici naturâ, & corpore bino,
Ex alienigenis membris compacta potestas.

Idem sentit *Tullius*, lib. 1. Tusculanarum Quæstionum, & lib. 2. de natura Deorum. Ejusdem sententiæ quoque est *Seneca* lib 8. Epist. 59. Aristoteles quoque, cœterique Philosophi Græci, Arabes, & Latini, cùm fictarum rerum exempla proponunt, etiam Hippo-Centauros nominant. Insuper & Sanctus Augustinus, lib. 18. De Civitate DEI. cap. 13. inter fabulas, recenset, ea, quæ de Centauris scribuntur. Plinii igitur suspecta est fides. Historiarum, quam describit Ælianus, refert prior illo Crates ex *Mysio Pergamo*, qui eandem narratam testatur à Pythagora, sed quàm is sola auditione & famâ accepit. Sanctus Hieronymus ipsemet dubitat, an Centaurus ille, qui Sancto Antonio apparuit dæmon fuerit, an monstrum? Textum illum Sacræ scripturæ, alii, aliter legunt. Nam ubi septuaginta Interpretes ponunt vocem Ono-Centauri, alij ponunt vocem *Ulula*, & in Hebraico textu ponitur vox *jim*, quæ genericè sylvestres bestias significat. S. verò Chrysostomus, in Morali sensu, per Ono-Centauros intelligit homines pigros, qui ætatem juventæ, in pigritia, torpore, & otio consummunt. Demum ratio paritatis adducta pro affirmante sententia, parum aut omnino nihil probat. Monstra enim quæ constant ex diversis animalium formis, sunt ab animalibus ejusdem quasi speciei, ut sunt: Mulus, ex Asino & equa, Lycisca ex Lupo & Vulpe, Leopardus ex Leone & Pardo; at homo & equus, vel asinus, sunt in maxima inter se distantia, & dispositiones atque organizationes pro anima requirunt longè disparatas.

§. XX.

Tritones & Sirenes.

Tritones & Sirenes dicuntur, à superiore parte, ad umbilicum usque hominem,

nem, ab umbilico ad caudam referre piscem, unde ab aliquibus homines marini nuncupantur. Et quidem, si virilem formam præseferant dicuntur Tritones, si Fœmineam, Sirenes, sive Nimphæ, vel Nereides. De his pariter non nulli dubitant, an extent, vel unquam extiterint. Verùm licèt plurima fabulosa, de Tritonibus & sirenibus circum ferantur, tamen dari aliqua monstra Marina, quæ homines ex parte una, & piscis ex altera formam præseferant, ob multorum scriptorum, & testium ocularorum authoritatem, negari vix potest. Nam in Lusitania, tempore Tyberij Cæsaris, visus est homo Marinus, qui concham inflans resonabat. Petrus Gillius de animalibus, & ex ipso Petrus Hispalensis parte 1. cap. 24. referunt ad *Renatum* Regem, allatum fuisse marinum hominem. Ludovicus de vives lib. 2. de vera fide Christi, narrat, ætate sua apud Batavos, captum fuisse Marinum hominem, & supra duos annos detentum, tandem in mare remissum, gaudentem & exultantem. E Norvegia, in Germaniam, duos similes homines pisciformes Marem & fœminam, adductos fuisse, refert Eusebius Nierberius, ex historicis illius temporis. Sed recentiùs & luculentius exemplum est, quod sequitur: Anno Domini 1525. die 3. Novembris. Romæ in Ripa Majore, repertum est Monstrum, hominis formâ usque ad umbilicum, deinde piscis bifidâ caudâ in semilunæ specie defurcatâ. Omitto plura his similia exempla, & Testimonia. Dantur igitur Tritones; dantur & Sirenes, seu homines Marini & Pisciformes, neque tamen quis dicat hos veros esse homines. Quia similia monstra, nihil in actionibus suis humanæ ratiotinationis ostendunt, solam formam hominum ex parte præseferunt. Oceanus enim non minus quàm terra, est monstrorum variorum ferax, imo non desunt qui dicant, omnium ferè terrestrium animalium formas & figuras, inter pisces, & monstra Marina reperiri. Cæterùm, quod Mythologi pleriqne dicunt, de Sirenibus Volatilibus, nempè Sirenes esse quasdam fæminea facie, præditas aves, quæ in mari prætereuntium aures cantilenis suis demulceant, & in mortis discrimen deducant, id omnino pro fabula habendum est. Narrationis autem veritas ita se habet (inquit Nierbergius) loca quædam sunt in mari, montibus valde angustiata, quibus allisi fluctus ingentem Sonum edunt, quô auditô prætereuntes, vehementer reformidant, fluctibusque vitam committunt, & non rarò ipsi cum navi unà pereunt. Hinc fuit occasio confictionis prædictæ fabulæ. Neque id, quod alii ajunt ipsam scripturam Sacram approbare existentiam hujusmodi sirenum volatilium, Isaiæ cap. 13. in fine, ubi Sirenes asserit inhabitaturas, unà cum aliis bestiis, & volucribus, deserta Babylonis, ad præsentem rem quidpiam facit. Nam id, quod Latinus interpres vertit, per vocem sirenes, Chaldæus Textus vertit, Dracones. Divus Hieronymus dœmones aut monstra, aut Dracones magnos & volatiles. Scholasticus verò Græcus, volatilia, quæ emittunt quærulam vocem, ac propemodùm ululant.

§. XXI.

§. XXI.

Fauni & Satyri.

QUos Græci Satyros, illos Latini Faunos vocant. Hos Plinius asserit esse animalia simijs haud dissimilia, addit autem eos sive quadrupedes, sive in duos pedes erectos tanta velocitate ferri, ut nisi senes aut ægri, capi non queant. Forma eorum hæc dicitur: Capite sunt humano sed cornuto, toto corpore villosi, rubente vultu, naso simo, auribus asininis, pedibus Caprinis, frondium latebris gaudentes, & admodum petulci, *Pausanias* scribit Satyros esse homines, severo trucique aspectu, corporibus hirtis, pilorum colore subruffo, gaudis Equinis. Plutarchus memorat, unum talem fuisse captum à *Sylla*. Talem quoquè in conspectum se dedisse Divo Antonio testatur, in ejus vita ipsemet S. Hieronymus. Diodorus Siculus lib. 1. Bibliot: de *Osiride* loquens ait: Cùm esset in Æthiopia ferunt oblatos ei Satyros, comas umbilicotenus habentes. Æmilianus lib. 6. hæc de illis habet. *Ad Indiæ montes, Coruda locus est opacissimus, ubi bestiæ Satyrorum, toto corpore hirsutæ, equi caudam habent, & à summis montium saxa devolvunt venatoribus.* Albertus Magnus, ut refert Nierembergius lib. 5. Historiæ Naturalis cap. 9. scribit in sylvis Saxoniæ versus Daciam, duo paulò ante illa tempora, capta fuisse monstra pilosa, humanam habentia formam, fœmina morsibus canum, telisque venatorum interiit, Mas advixit cicuratus, didicitque erectus incedere, & quamvis impeditè, loqui, & exili, capreoli instar voce, sed sine vestigio firmo mentis. Eosdem agnovisse videtur Isaias Propheta citato superiùs cap. 13. ℣. 20. ubi prædicit desolationem Babylonis, per illa verba, *& pilosi saltabunt ibi*, & cap. 34. describens devastationem Idumeæ, ponit inter alias bestias, pilosos, dicens: *Et pilosus clamabit alter ad alterum*, ubi pro pilosis intelligi á Propheta satyros volunt non nulli. Et quidem superstitiosa antiquitas, non solùm supposuit existentiam Faunorum seu Satyrorum, sed insuper eos pro Diis, aut semidiis sylvanis habuit, quibus & lucos consecrabat, & scenas, in frondibus, speluncis, montibus, gramine, reliquisque agrestibus, velut in topiarii speciem construebat, ac varios cultus adhibebat, eosque saltantes, ac tripudia agitantes, finxit, gesticulatione ridicula, petulante ac procace. Verùm fides recta docet, ficta fuisse hæc Numina, & ratio svadet vana, & sine re extitisse Nomina. Quantùm verò ad allatas Historias & Exempla attinet, dicendum est, vel eas fuisse veriùs fabellas, quàm historias, vel ex relatione, & dubiæ ac incertæ famæ auditione, conscriptas, vel à Dæmonibus fuisse assumptas similes formas. Nam ut Stengelius, de Judiciis Divinis Tom. 2. cap. 48. ait: Non est negandum sæpè, qui Centauri, Satyri vel Fauni putabantur, malos Dœmones fuisse, qui talium monstrorum corpora induerunt, ut terriculamento essent hominibus, addo ego, vel ut apud Gentiles superstitionem augerent, & cultum divinum quem magnopere affectant, ab ijs deferri sibi persvaderent. Per pilosos autem, quorum

rum Isaias mentionem facit, alij interpretantur hircos, alii dœmones specie hircorum, aliorumque animalium hirsutorum & pilosorum apparentes, quasi Dij Nemorum essent: Septuaginta interpretes, pro pilosis simpliciter ponunt dæmones.

§. XXII.

Homines Sylvestres.

UTrùm reperiantur, vel reperti aliquando fuerint Homines Sylvestres, facilè decidetur, Quæstio. Intellecta benè hujus vocabuli Nomenclaturâ. Etenim si per homines sylvestres, intelligantur homines agrestes, rudes, omnis politiæ Urbanæ ignari, quin & DEI notitiâ carentes, moribus feroces, corporis cultum omnem ignorantes, & in quibus vix scintilla humanitatis alicujus residet. Tales esse, ac fuisse in rerum natera, tam veterum, quàm recentiorum scriptorum ostendunt testimonia. Cujusmodi censendi sunt ij Carmaniæ populi, quos describit, Pomponius Mela lib. 3. cap. 43. de sinu Persico agens: Carmani (inquit) Navigantium dexterâ sunt positi, sine veste ac fruge, sine pecore, ac sedibus, piscium cute se velant, carne cruda vescuntur, præter capita toto hirsuti corpore. His similia scribit Solinus, de Lybiæ populis & Plinius lib. 6. Naturalis Historiæ cap. 30. & lib. 5. cap. 8. At verò si nomine sylvestrium hominum veniant homines omni ratione carentes, sive solâ formâ extrinsecam hominis præseferentes (re ipsa autem feræ ac bruta) tales nec extrare, nec unquam extitisse clarùm est. Quandoquidem feri hujusmodi populi ac homines, per aliorum hominum conversationem paulatim mansvescunt, humanitatem induunt, fidem rectam suscipiunt, legibus se subijciunt, & in optimam gentem evadunt, ut multorum annornm experientia, hoc & præterito sæculo docuit multis in locis, & præsertim in noviter repertis Americæ Regionibus. Ita Schottus Curiosæ Physicæ. Fol. 395.

§. XXIII.

Homines Acephali, & Arimaspi.

DE hominibus Acephalis, hoc est, sine capite, ora, & oculos in pectore habentibus, scribit Plinius, lib. 5. Natural: Historiæ cap. 5. ubi ait: *Blemiiis* (sunt hi populi Æthiopiæ) *traduntur capita abesse, ore, & oculis in pectore affixis.* Et *Mela lib. 1.* Cap. *De Cyreica in fine*: Blemijis (ait) *Capita absunt, vultus in pectore est.* His consentit *Solinus* cap. 44. *Polyhist*: Dicens: Blemyos, sed non eos, qui vicina rubro mari incolunt, credunt trunca nasci parte, quæ caput est, os tamen & oculos habere in pectore. Sed quod magis mirùm est, ipsemet Sanctus Augustinus, Serm. 37. ad Fratres in Eremo, testatur se vidisse in Æthiopia, cùm ibi jam Episcopus existens, Evangelium prædicaret, homines in pe-

ctore oculos habentes, uti & alios unum oculum habentes in fronte, de his ipsis Monoculis hominibus, seu Arimaspis, sic scribit Plinius lib. 7. Historiæ Naturalis cap. 2. Prope locum illum, quem *Geselitron* appellant, produntur existere Arimaspi, quos diximus uno oculo in fronte mediâ insignes. Idem de Arimaspis asserit Gellius, lib. 6. cap. 4. Eadem habet & Solinus, cap. 25. Demum Majolus Colloquio 2. Dierum Canicularium hæc habet: Fulvio Torquato Consule, dicitur è Mauritania, Romam perductus homo monoculus, in Ægypti Vastissimis Eremis interceptus, qui per urbem circumducebatur spectandus, miraculi gratiâ. Verùm hos Acephalos, sive homines aliquos sive populos integros, verò-similiùs videtur nec existere, nec unquam extitisse. Nam homini ita necessarium est caput, utpotè sensuum omnium, internorum externorumque sedes, ut sine illo homo subsistere nequeat. Unde consequens est, homines & populos Acephalos, vel omnino fabulas esse, vel certè ut existimat *Aldouandrus* ob exiguitatem colli, caput immediatè quasi annexum habentes pectori, quam ob causam apparent os & oculos gerere in pectore. De Arimaspis idem sentiendum est, certè Matthias à Michor Canonicus Cracoviensis & Medicinæ Doctor, lib. 1. de Sarmatia Asiatica & Europea, ubi ab aliquibus Authoribus, statuebantur esse Arimaspi, seu homines unum oculum in media fronte habentes, cap. 14. in fine clarè testatur. Quòd in Septemtrione, etiam post Gottiam, Finlandiam, Iuchriam, & post mare Caspium, non sint homines monstrosi, scilicet monoculi seu Arimaspi, bicipites, canina capita habentes, ut non nulli fabulantur, sed homines nobis & aliis hominibus similes. Et addit: Hæc vera sunt, & qui scripsit, verùm scripsit, Et scimus quia verum est testimonium ejus. Ad authoritatem proinde, citatorum scriptorum dicendum est, eos solùm aliunde audita & relata scripsisse, & nihil ex se asseruisse, quod patet ex terminis quibus utuntur, in eorum descriptione, scilicet: *produntur, traduntur, creduntur*, & aliis his similibus, Sanctus verò Augustinus intelligendus est, quòd asseruerit se fuisse, & Evangelium prædicâsse, in illis ipsis Regionibus, quas inhabitare dicebantur Acephali, & Arimaspi, postremò Maioli, relatio, non est usque adeò Authentica, præterquam quòd potuerit esse, aliquis homo monstrosus, qui ex defectu sufficientis materiæ, cum uno duntaxat fuerit oculo natus, sicut ex simili defectu & eadem de causâ, nascuntur infantes subinde absque altera manu, vel absque aliis integrantibus membris, quòd autem dicebatur homo ille Monoculus, in Ægypti Vastissimis Eremis interceptus, id additum haud dubio fuerat à Ductoribus ejus, pro emungenda majori pecunia, à Curiosis eum contemplari volentibus.

§. XXIV.

Homines Cynocephali.

HOminum Cynocephalorum, seu Cani-capitum meminerunt non nulli, quos inter, est Megastenes & Ctesias Gvidius. Qui ajunt: in montibus ad Indum Fluvium protractis, degere homines canino capite, sermone eos nullo

nullo uti, canum tantùm more latratum edere, atque ita mutuò se intelligere, carnibus eosdem crudis vesci, totiusque gentis capita numerari, ad centum & viginti millia. Dentes illis esse, quàm canibus majores, & caninos similiter ungves, sed longiores & rotundiores. Sed horum quoque hominum natio, à pluribus, fabulas inter, & figmenta conumerata est. Et licèt Joannes de *Plancarpio*, & Vincentius *Burgundius*, authores sint novæ inventionis hominum hujus generis, in desertis scilicet Tartariæ, proximioribus sæculis factæ, ipsimet tamen sola narratione aliorum, cùm Moschoviam peragrarent, se id percepisse, ultroneè profitentur. Unde & hæc relatio censenda est vana. Sunt quidem fortassis certi populi in vastissimis illis desertis, Tartaris infesti, qui à Tartaris, Canes appellantur, per contumèliam, & ob eontinuas ac sævas infestationes, non verò à forma & figûra caninâ, ab iis sic dicti. Sunt quoque Cynocephali, sed non hominum. verùm simiorum astutissimorum genus, quod humanam mentem penè simulat.

§. XXV.

Prodigiosæ deformitatis Homines.

E Multis prodigiosis populis, quos commemorant rerum naturalium scriptores aliquot duntaxat genera, eorum hîc adducemus, quorum existentia meritò à nonnullis in dubium revocatur. Hos inter primo loco veniunt homines enormiter auriti de quibus mira ab Authoribus produntur. Nam ut Plinius lib. 4. Naturalis Historiæ, cap. 13. testatur. In Scythia populos reperiri, quorum nuda aliàs corpora, prægrandes ipsorum aures contegant, & lib. 7. cap. 2. ajt quoque alios Indiæ populos esse, qui toti conteguntur auribus. Similia habet Mela. lib. 3. cap. de Hispaniæ, & septemtrionis Insulis, in quibus ajt esse Satmalos populos, quibus tam magnæ aures sunt, ut ad ambiendum corpus omne sufficiant, & nudis alioquin pro veste sint. Similia pariter Megathetem scripsisse refert Strabo. Idem etiam refert Solinus cap. 3. Polyhistoriæ, Antonius *Daca*, & Petrus *Simon* Authores sunt, ut refert Nierembergius lib. 8. Historiæ Naturalis cap. 1. Homines inveniri Tutanochas dictos, quibus adeò prolixæ aures sunt, ut usque ad terram dependeant, & sex homines sub uno condi possint.

His adnumero homines Astomos, id est qui carent ore, dein Brachystomos, qui tam pravo sunt ore, ut id instar exigui duntaxat sit foraminis, ac demum elingves seu lingvâ carentes, vel nullum usum ejusdem habentes: De his Plinius lib. 9. Historiæ Naturalis. cap. 30. sic scribit: Ferunt *certè ab Orientis parte infima* (*Æthiopiæ scilicet*) *gentes esse sine naribus, æquali totius oris planiciê, alias superiori labro orbas* alias *sine lingvis. Pars etiam ore concreto, & naribus carent, uno tantum foramine spirat, potumque calamis avenæ trahit, & grano ejusdem avenæ spontè provenientis, ad vescendum. Quibusdam pro sermone nutus, motusque*

tusq; membrorum est. Idem lib. 7. cap. 4. (*Ferunt*) *ad extremos Indiæ fines ab Oriente, circa fontem Gangis, esse Astomorum gentem, sine ore, corpore toto hirtam, vestirifrondium lanugine, halitu tantùm viventem, & odore quem naribus trahunt.* Eadem habet Solinus, cap. 43. & Mela lib. 3. Capite de Æthiopia. *Demum* istis addo diversas alias hominum formas. Asserit ergo Plinius, lib. 7. Naturalis Historiæ cap. 2. In quadam Convalle magna *Imaj* Montis in Scythia esse Regionem, quæ vocatur *Abarimon*, in eaque sylvestres homines vivere, aversis post crura plantis, eximiæ nihilominus velocitatis, & passim cum feris vagantes. Item Gentem inter *Nomadas Indos*, narium locô foramina tantûm habentem, angvium more loripedem, vocarique *Syrictos*. Plura de his invenies, apud citatum Nierberium lib. 8. Historiæ Naturalis cap. 1. & 2. Ubi inter reliqua hæc etiam habet: Non procul Californiâ in Provincia *Honopuestan* nomine, incolas illius ad oras magni lacûs habitare, & sub aquis mersos dormire ajunt. De horum hominum existentia, quid sentiendum sit, ex ipsorum harum rerum scriptorum mente conijcere licebit. Plinius itaque ipse, suam narrationem, de harum formarum hominibus, sic concludit: *Non tamen ego in plerisque eorum, obstringo fidem meam, potiusq; ad Authores relego.* Nierberius, aliàs summus similium rerum exoticarum Naturæ admirator: *Fides sit penes Authores, quos tamen in multis* (sed non in omnibus) *fide dignos reperi.* Demùm Schottus lib. 3. parte 2. Physicæ Curiosæ, hæc habet: Ego ut non nego homines reperiri, quibus solitò majores sunt aures, ita ut credam tantæ esse magnitudinis ut dictum, adduci vix possum; putoque pleraque hyperbolicè dicta, & mox Paragrapho sequenti: Esse homines prorsus Astomos, difficulter adducor, ut credam, esse brachistomos, haud difficulter admitto. Hos fortassis aliqui viderunt, & propter os exiguum Astomos crediderunt. Elingves etiam, hoc est omni lingvâ carentes, difficulter admitto, usu lingvæ carentes, & tamen nutibus inter se agentes, non negarem, nec enim impossibile est, imò nec difficilè quidem, nutibus solis inter se agere homines, & animi conceptus manifestare. Unde concludo, hæc genera hominum, si non non falsæ omnino, saltèm valde dubiæ existentiæ esse.

§. XXVI.

Fortuna.

NOn soli Poëtæ, sed & Philosophi Gentiles, Fortunam finxêre DEAM, & Numen quoddam. Fuerunt autem in hunc errorem inducti, ex eo, quòd viderent latentes quosdam & inopinatos eventus; quorum causam dum ignorarent, nec tamen nullam sibi esse persvaderent, occultum aliquod esse Numen, à quô ij provenirent, statuerunt, & huic Fortunæ nomen imposuerunt. Variè autem hanc effingebant, alij cœcam, furenti similem, volubili saxo pendentem, quô picturæ artificio, significare volebant eam nihil ratione & judicio, sed omnia

temerè, & cœco impetu administrare, rerumque humanarum cuncta susque deque vertere, iniquam vexatricem esse, malis propitiam, bonis adversam, vagam ac versatilem, & in sola levitate constantem. Alii ad ejus potentiam significandam eam pingebant, Capite polum tangentem, & manu cornu copiæ, quasi rerum omnium, Dominam gerentem, alii aliis modis, ejus inconstantiam, & volubilitatem exprimebant. Nullam autem talem Fortunam extitisse, aut esse, Christiana fide certum est. Mansit tamen etiam apud Christianos nomen Fortunæ, & vana opinio; ut in prosperis felicibusque successibus propitiam, in adversis eventibus adversam existiment sibi esse, nescio quam Fortunam. Verùm verior & Christiana Philosophia docet, rem aliquam contra distinctam, à Divina providentia, cui hoc nomen Fortunæ conveniat, nec existere nec extitisse unquam. Nam ut tradit Sanctus Augustinus lib. 3. De Trinitate cap. 4. *Nihil in ista totius Creaturæ amplissima quadam immensaque Republica est, quod non de interiori, atque intelligibili aula summi Imperatoris, aut jubeatur, aut permittatur.* Quam dein veritatem in lib. 83. Quæstionum, in hunc modum probat. *Quicquid casu fit, temerè fit. Quidquid temerè fit, sine providentia fit. Sed nihil extra Divinæ providentiæ regulam fit. Ergo respectu illius, nihil, temerè, vel casu, & verè fortuitò fit.* Quòd igitur prosperetur hic, non ille, hic elevetur, iste deprimatur, ex DEI solius providentiâ provenit, & quod nobis videtur fortuitus casus, id jam in DEI dispositione & ordinatione, decretum aut prævisum, ac in voluntate DEI, vel absoluta, vel permissiva fuit: Omne enim quod bonum est, DEI voluntate positiva fit, malum quod fit, DEI permissione fit, DEUS enim nihil potest velle, nisi bonum, nec malum permittere, nisi præviderit, ex illius permissione, bonum majus aliquod eventurum.

§. XXVII.

Fatum Gentilium.

NOmine Fati intellexerunt Gentiles inevitabilem quandam necessitatem rerum contingentium, ejusque legibus ita addixère omnia, ut voluntatis arbitrium penitus tollerent, dicentes: Fatum esse indeclinabilem rerum seriem & catenam per æternæ consequentiæ ordines in semetipsam implicantem, sive Naturalem, & necessariam rerum consequentiam. Et tale Fatum meritò, numeratur inter res falsæ existentiæ. Unde Sanctus Augustinus, in Joann. Tractatu 23. & lib. 5. De Civitate DEI. cap. 9. & alibi, fatuos esse eos censet, qui tale *Fatum* aliquid esse putant. Est igitur Fatum apud rectè sentientes, nihil aliud, quàm inhærens rebus mobilibus, immobilis dispositio, per quam divina providentia, suis quæque nectit ordinibus, uti definitur à Boëtio, lib. 5. de consolatione, prof. 6. Sive est ordo causarum secundarum, Divinam providentiam exequentium.

§. XXVIII.

§. XXVIII.

Fatum Genethliacum.

GEnethliacum Fatum id dicitur, quod ligat ac nectit firmiter actiones omnes, eventusque ad vim syderum, & positionem stellarum. Genethliaci namque Astrologi, ex Horoscopis, seu positura stellarum: bella, victorias, incendia, nuptias, Magnatum mortes, proditiones, fœdera, pacem, amicitias, inimicitias, felices, vel infelices rerum successus, certò ac infallibiliter prædicunt, ac pollicentur. Quin ex *Genesi* cujusque hominis, hoc est constitutione constellationum & signorum cœlestium, tempore Nativitatis ejusdem, de toto vitæ illius cursu, omnibusque ejus fortuitis eventibus, ac nominatim de filiis, de Uxore, de divitiis, & honoribus, de officiis, de bonis vel malis successibus, de valetudine, & infirmitate, de rixis & contentionibus, de plagis, ac victoriis, de carcere ac liberatione è captivitate, de mortis genere, deque ipsius vitæ mensuris, temerario ausu, tanquam certò & infallibiliter eventuris præsumunt prædicere. At hoc quoque Fatum, fatuum est, & si quod tale fatum daretur, ab illo solùm effectu, ejus existimatio colligi posset, quod fatuos faciat illos, qui eidem fidem adhibent. Nulla enim à stellis, nulla ab earum influxu necessitas antecedens, oritur, influunt quidem sidera, in hæc inferiora, nec lucent in cœlo otiosa, quin & ipsam voluntatem inclinare possunt, ast necessitare nequeunt. Sapiens enim dominatur Astris, non Astra Sapienti. Sicut enim quisque suæ fortunæ est faber, ita & fati sui quisque potest dici auctor. Aliud est inclinari naturam, aliud necessitari, sæpè proclives ad vitia, in magnam evadunt Sanctitatem, sæpè optimæ aliàs indolis, ad vitiorum barathrum merguntur: sub ijsdem sideribus, eâdemque illorum positura nati, unus divitiis affluit, alter paupertate premitur, unus longævam vitam ducit, alter citò eandem finit, unus ad dignitates extollitur, alter perpetuò latet, & in omnibus deprimitur, vicissim in uno prælio pereunt violenta morte plurimi, vel eodem genere mortis, pestifera ex g. lue, merguntur simul multi fluctibus maris, diversis omninò temporibus, ac diversa stellarum positurâ nati. Præterquam quòd tota Genethliacorum, de suo hoc fato doctrina, adeò ludicris, inanibus, & futilibus nitatur principiis ac fundamentis, ut ea doctos ac intelligentes, magis moveat ad risum & indignationem, quàm imperitos ad sui admirationem.

§. XXIX.

Fatum Acatholicum

HOc quoque Fatum, in fatuitate prædictis aliis fatis non cedit, in impietate autem alia longè superat. Nam vel ad desperationem horrendam deducit vel ad omnia scelera perpetranda viam adaperit. Cujus Fati hoc est Dillema:

ma: Vel ab æterno sum prædestinatus, ad gloriam, vel reprobatus ad supplicium: si prædestinatus, necessariò salvabor, & si pessimè vixero: si reprobus, necessariò damnabor, & si velim bene vivere. Nititur autem illud in Calvini impia & fatua opinione, quâ is existimabat homines nudo DEI arbitrio, citra proprium meritum, aut demeritum, alios ad vitam, alios ad mortem æternam prædestinatos esse. Dillemma igitur prædictum, sic explicandum est. Si prædestinatus sum, id est præordinatus ad vitam æternam, per certa media, quæ cum DEI gratia in mea potestate sunt, consequendam, certò consequar vitam æternam, si illa adhibuero. Rursum si sim reprobatus, id est, si à DEO ordinatus sum ad infernum, propter mea peccata, quæ liberè commissurus sum, certò damnabor, si illa peccata commisero.

§. XXX.

Lycantropia.

Operâ Dœmonum, posse homines mutari in bestias, & sæpiùs mutatos fuisse in Lupos, plurima quæ extant, svadere videntur exempla. Scythiæ Europeæ populi, *Neuri* dicti, teste Pomponio Mela, lib. 2. cap. 1. Statis temporibus vertebantur in lupos, iterumque in homines. *Arcades*, ut Divus Augustinus, lib. 18. De Civitate DEI. Cap. 17. Ex M. Varrone, refert Stagnum quoddam ejus Regionis, transnatantes, transfigurabantur in lupos, & cum cœteris ejusdem generis congregati, per novem annos lupi permanebant, humanis tamen carnibus abstinebant. Reversi dein ad idem stagnum, & iterum transnatantes, recipiebant formam pristinam, addito novem annorum senio. Olaus Magnus, circa finem lib. 18. Vulgatissimis exemplis confirmat, in Prussia, Livonia, & Lithvania, homines artificiis Magicis, transformari in lupos, ac rursus ad humanam speciem redire. Longum esset, hîc similia exempla, quæ apud scriptores habentur, & quotidiana relatione, ac ipsarum sagarum fassione, perhibentur, referre. Non desunt tamen Viri docti, qui hanc Lycantropiam, seu hominum in lupos transmutationem, sive veram, sive fucatam, ex dœmonum aut Magorum delusione, prorsus reijciant, putantque omnia, quæcunque unquam, in hoc genere contigerunt, aut contigisse narrantur, humorum vitio, aut atræ bilis excessu, alteriusvè morbi contigisse, illisque Symptomatibus affectos, putâsse se in lupos conversos. Certè multi Medici præstantissimi *Lycantropiam* inter morborum affectiones numerant. Vanæ ergo sunt, & non nisi vi morbi, humorumque & maximè atræ bilis commotione, læsæ mentis simulacra hujusmodi, hominum in lupos vel alias bestias transmutationes, & delusoriæ dœmonum deceptiones & fascinationes, quæ quibus modis fiant, meliùs patebit, ex proximè dicendis.

§ XXXI.

Aliæ Similes Metamorphoſes.

NOn ſolùm in Lupos, ſed in alias quoque beſtias, ac bruta mutari homines, ope, ac præſtigiis dœmonis, multi conſtanter affirmant. Narrat Sanctus Auguſtinus, Eodem lib. 18. De Civitate DEI. Cap. 7. fuiſſe ſuo tempore mulieres ſtabularias in Italia, quæ viatoribus caſeum dabant, neſcio quibus veneficiis infectum, quô ſumptô, protinus illi vertebantur in jumenta, & onera portabant. De Sagis Vernonii, ex Bodino, refert Schottus lib. 2. Curioſæ Phyſicæ cap. 26. Eas frequenter fellium innumerabilium ſpecie, in Caſtellum pervetuſtum ſolitas convenire, aliquot viros in illo pernoctantes infeſtando, quorum etiam unum interemerunt, reliquos læſerunt, ſed multis viciſſim fellibus ab ijs læſis; quæ poſtea, in fœminas verſæ, gravia vulnera compertæ ſunt accepiſſe, plura hujus generis exempla prætermitto, hanc enim hominum in varias beſtias operâ dœmonum, & præſtigiis Magorum mutationem, videtur agnoviſſe tota antiquitas, eidemque conſentit tota ferè præſens vulgi communitas. Re tamen ipſa, talis mutatio, nec fit, nec facta eſt dœmonum ope unquam, ſed omnes ſimiles hominum in cattos, equos, aſinos, aliaſque beſtias transmutationes, quæ ope dœmonum fiunt, & in quibus verè homines ſub beſtiarum formis apparent, deluſoriæ ſunt, & uno ex ſequentibus modis contingunt: Vel enim dœmon ſagis ipſis ferarum exuvias aptiſſimè circumdat, quod ex multarum faſſionibus conſtat, vel magorum, & aliorum, quos illi præſtigiis ſuis, in beſtias transmutare videntur, corpori ex aëre, aliundevè formatâ effigie belluinâ, eam ita adaptat, ut veræ beſtiæ, quoad externam ſpeciem, videantur, tam ſibi ipſis, quàm aliis hominibus, & animalibus. Et in his duobus caſibus nihil mirum eſt, ſi poſtmodum vere inveniuntur, ſaucii magi, illis membris humanis, quæ in ferino illo corpore vulnera exceperunt; aliquando verò ipſe dœmon, beſtiæ corpus aſſumit, & loco Sagæ, à talibus beſtiis, inferri ſolita damna, aliaque in commoda infert, aut quandoque etiam verum ferinum, aut alterius animalis corpus ſubſtituit, & tunc quoque diabolus, in abſentium magorum corpore, vi pacti, eam partem conſauciat, quæ in vero vel ficticio ferino illo corpore, fuit ſauciata. Plura de his videre eſt apud Delrio lib. 4. Diſquiſitionum Magicarum. Quæſt. 12.

§. XXXII.

Lapis Philoſophicus.

NOmine Lapidis Philoſophici, intelligitur extractum illud famoſiſſimum per artem Chymicam *Elixir* ab Arabibus nuncupatum, ſeu tinctura illa Achymiſtarum, quâ reliqua metalla inferioris generis, ut cuprum, ſtannum,

num,

num, mercurium, quin & ipſum ferrum, ſed argentum comprimis, convertunt in purum aurum. Et quidem non deſunt multi, qui lapidis hujus, ipſam etiam poſſibilitatem, fortiter impugnant, ſunt viciſſim multi etiam ex Philoſophis, qui Alchimiam penitus deteſtantur, ſunt qui eandem mordicus propugnant, quæſtionem illam in Phyſica proponi ſolitam pertractantes: Utrum ſcilicet per artem Chymicam applicando activa paſſivis, verum & purum aurum fieri poſſit? Verùm quicquid ſit, de ejus poſſibilitate (quam neque impugno, neque pertinaciter tueor) hâc tamen etiam ſuppoſitâ, ſupereſt adhuc quæſtio, an hic lapis Philoſophicus, jure merito, non debeat cenſeri, inter res falſæ aut ſaltem dubiæ exiſtentiæ. Nam eſto: Alchymiſtæ, vix non jurejurando aſſerant, ſe hujus artis experimenta ſæpiùs jam dediſſe, & lapidem Philoſophicum confeciſſe, ab aliiſque confectum vidiſſe, ac cum optato ſucceſſu illius uſum in praxim deduxiſſe, non tamen fidem apud cordatos obtinere valent. Tum quia id ſoli ipſi de ſe jactant, nec alia via idipſum, quàm propriâ aſſeveratione probant. Tum, quia Alchimiſtas ſæpiùs in manifeſtis impoſturis ſciunt fuiſſe deprehenſos. Tum, quia ferè ſemper mendicum eſt hoc hominum genus. Si igitur hanc artem conficiendi aurum, nôrunt, cur ſuam paupertatem non ſublevant? Tum, quia opulentiſſimos etiam, hâc arte, ad majores divitias anhelantes, bene parta prodegiſſe, & ad inediam redactos eſſe nôrunt. Tum denique quia inopem nunquam ad divitias evectum, multos à divitiis ad inopiam extremam deveniſſe, per hanc artem, perſpectum habent. Meritò igitur Lapis Philoſophicus quoque Catalogo rerum falſæ, aut ſaltem dubiæ Exiſtentiæ, adſcribi poteſt.

§. XXXIII.

Ungventum Armarium, naturaliter abſentes, & longè diſtantes, Sanans.

Ungventum Armarium dictum eſt, quô non vulnus, ſed gladius, aut quodcunque aliud telum, quô vulnus eſt inflictum, aut ſaltem aliquod aliud ſangvine vulnerati infectum ungitur, & patientis nihilominus vulnus, quocunque ſpacio diſſiti curatur, tam feliciter, acſi ipſi præſenti medicamentum fuiſſet applicatum. Hoc quoque ungventum naturaliter ſanans in diſtantia patientis, numero inter res falſæ omnino exiſtentiæ. Nam imprimis, ut in Philoſophia docetur, ac pro certo tenetur. Nullum agens agit naturaliter extra ſuæ activitatis ſphæram, hoc eſt extra certos limites ac terminos. Igitur nec hoc ungventum armarium, naturaliter agere poteſt, in vulnus, quocunque ſpacio diſſitum. Verbi g. ut Turca Aſiaticus, vulneratus ad Budã, ſanetur exiſtens in Aſia, per ſolã applicatione hujus ungventi in Hungaria, ad gladium, quô is fuit vulneratus. Deinde ingredientia ad hocce ungventum ſunt talia, quæ paſſim à Sagis & veneficis adhibentur, meritò igitur eſt de Magia ſuſpectum, demum in illo conficiendo obſervantur ſuperſtitioſæ circumſtantiæ, quæ nullam habent connexionem naturalem cum effectu ſanitatis,

tatis, præcipitur enim attendendum punctim ne an cæsim sit factum vulnus, & in punctura gladium esse ungendum, à cuspide versus manubrium, in cæsura autem ab acie versus tergum: ut gladius aut telum illud fasciis obvolatur, secundùm tantùm eam partem, quæ fuit in vulnere, & loco mundo, ac temperato reponatur & id genus alia. Ergo. Tenendum proinde est, quòd si quando curantur vulnera dissita adhibendo prædicta ratione ungvento armario, non ipsum, sed naturam illa curare, dum sangvis vulneri patientis in loco illo, in quo est is sistitur, dum eluitur & mundè servatur, hæc enim quoque adhibentes prædictum ungventum, ad conservationem effectûs requirunt. Vel si aliter, & ad solam ungventi hujus applicationem ad gladium, aut telum, quô quis vulneratus est, sanatur vulnus vulnerati etiam longissimè distantis, id non nisi opera dœmonis fieri.

§. XXXIV.

Pseudo-criptologia & Criptographia nonnullorum.

IOannes Porta, in Libro manu scripto de secretis inauditis, ad Rudolphum II. Imperatorem missis, ut refert Schottus parte 4. Magiæ Naturæ & Artis lib. 1. cap. 1. inter varia criptrographica Secreta, præscribit modum conficiendi duas pixides Magneticas, nempe quarum ope inquacunq; locorũ distantia, amicus absenti amico, arcanos mentis suæ conceptus manifestare possit, adeoque cum illo colloqui. Aliam praxim similes pixides Magneticas conficiendi, confingit Hercules de Sunde, in sua Steganologia, & Steganographia, apud eundem Schottum loco citato. Ajunt itaque, quòd si duo sic confectas pixides habeant, singuli singulas (quibus circum scriptæ sint literæ Alphabeti) eos in quacunque locorum distantia, posse sibi mutuò arcanos mentis suæ conceptus manifestare. Nam si unus illorum existens v. g. Constantinopoli, attingat stylo ferreo aliquam literam, ex circumscriptis in sua pixide, ad eam utique acus Magnetica naturaliter se convertet, atqui etiam acus Magnetica, in pixide amici Viennæ existentis, eandem literam se convertendo ostendet, & sic consequenter, pergendo per literas, donec integra verba, & ex his integer sensus, efformetur. Alium modum idem Janus Hercules proponit, eodem lib. cap. 5. Qualiter scilicet duo inter se, quantâvis distantiâ dissiti, per reciprocam sangvinis insitionem, possint colloqui, de rebus, de quibus antea inter se convenerant. Quoties cunque enim Petrus v. g. Parisijs existens, volet aliquid Paulo Romæ existenti nunciare, acu pungat aliquoties locum vulneris sui, & illico Paulus, se pungi sentiet & ad auscultandum se præparabit; Tum si de primo illorum, de quibus convenerant, monere vult, unicam sibi puncturam acu imprimit, & unicam sentiet & Paulus absens, si de secundo, duas, si de tertio, tres, & sic ordine rerum manifestandarum. Alium adhuc modum addit Porta, per sympaticum quoddam ungventum, in eodem libro manuscripto dicens: Quod si duo amici, habentes vulnera in eodem corporis loco, veluti in brachiis, & circa eadem vulnera, operâ Chirurgi, fiant duo circuli, & in eosdem

inscribatur Alphabetum, eodem ordine & modo, ejusdemque mensuræ & capacitatis, quoties cunque acie cultri sangvine amici tincti, & dicto ungvento sympatico inuncti, pungat amicus distans aliquam literam, ex vulneri suo circum scriptis, eandem puncturam, super eandem literam sentiet & alter amicus, & ita per ordinem combinatis literis, sciet amici distantis, conceptum arcanum mentis. Hos omnes modos pariter referro inter res falsæ prorsus existentiæ, utpotè & rectæ rationi omnino repugnantes, & nullâ experientiâ probatos, nec ab ullo unquam effectuatos, insuper & superstitiosos, ac merè confictos, verbo fabulosos.

§. XXXV.

Annuli Jaspide vel Turcesio instructi, intra vitrum filo suspensi, horarum diei vel noctis indicatio.

MUltorum persvasio est, quòd si annulus Jaspide, vel lapide Turcesio instructus, è filo subtili suspendatur, & intra scyphum vitreum demittatur, tot ictus sonoros det, quota tunc hora diei, aut noctis habetur, in loco, ubi hæc praxis instituitur. Ajuntque id naturaliter omnino effici à dicto lapide. Et quidem quòd hunc effectum det sic instructus & dispositus annulus, probant ab experientia, quòd verò id naturaliter fiat, rationibus sequentibus ducuntur. Primò. Quia aliis lapidibus non minùs admirandi, naturales tamen effectus conceduntur, nam inter alios admirandæ virtutis lapides, gemmæ conjuges reperiri dicuntur, quarum alteram marem, alteram Fæmellam nominant, quibus hoc natura impertivit, ut motâ unâ, moveatur & altera, etiam si una longissimè ab altera distet, igitur & Jaspidis naturæ poterit convenire effectus prædictus. Secundò. Animal Cinocephalus, dietim circa utrumque Æquinoctium, duodecies interdiù horariis intervallis ululat sicque horarum intervalla ad amussim indicat. Tertiò. Gallus quoque auroram dieique crepusculum, certissimis spatiis interjectis, certissimò pronunciat. Quartò. Febris, sive tertiana, sive quartana, etiam nobis nolentibus certò tempore, quàm exactissimè præsto est. Quintò. Marinus æstus, quotidie una horâ tardiùs suam reciprocationem perficit, igitur & Jaspidi potuit natura dare, ut horas indicet. Verùm hæc quoque vis naturæ in Jaspide vel Turcoide. meritò in numerum rerum dubiæ, aut omnino etiam falsæ existentiæ censeri debet. Nam primò, numerare, juxta Aristotelem solius intellectûs est, quô Jaspis, aut quicunque alius lapis caret. Secundò, Quia si hæc experientia probatur. E.G. Secundâ horâ pomeridianâ, simul in diversis partibus orbis, hic apud nos in Hungaria, deberet dare duos ictus, in Italia verò ictus modò octodecim, modò novemdecim, modò etiam viginti unum. In Perside verò, & in quibusdam aliis Provinciis, modò undecim, modò duodecim, sicut enim nos computamus horas 24. incipiendo à media nocte, usque ad alteram mediam noctem, ita Itali ab Occasu, & Persæ ab ortu Solis easdem numerant. Tertiò Quia causa necessaria eodem modo applicata, semper eundem & ubique effectum præa stat.

ſtat, ſi in paſſo non ſit major, vel minor reſiſtentia, ſive ſi cætera omnia ſint paria. At verò Jaſpis, vel Turceſius annulo inſertus, eodem modo etiam applicatus, & vitro ſimiliter diſpoſito, cæteriſque omnibus paribus, nec ſemper, nec ubiq; totidem ictus dat, quota ſit hora. Ergo. Quando igitur id accidit, accidit vel caſu, vel fraude occulta tenentis annulum, dum leviſſimo motu & inviſibili filum cum annulo detorquet in latus toties, quot edi ictus deſiderat, vel certè dœmonis aſtu, ut ſic hominem in ſuperſtitionem inducat.

Ad rationes oppoſitæ ſententiæ facilis eſt reſponſio. Nam conjugium illud gemmarum, authenticâ experientiâ non poteſt oſtendi, & videtur vulgi nimis creduli tantùm famâ eſſe approbatum: à marino autem æſtu, febrili acceſſione, galli cantu, Cynophali ululatu horario, nulla eſt inſtantia, quia quicquid illa agunt, id ita agunt, ut illa non dependeant à libera hominum voluntate, ſicut dependet omnis, & præſertim horaria numeratio, quæ eſt prorſus arbitraria. Tempus ſiquidem poteſt dividi in partes majores vel minores prout hominibus libet, quomodo ergo quit fieri, ut Jaſpis omni ratione carens, eam rem naturaliter pulſu indicet, quæ tota non naturaliter, ſed artificialiter, ex ſolo hominum placito inſtituta eſt?

§. XXXVI.

Per Solum viſum, & per Solam vocem Faſcinatio.

Viſum ſolum, ac ſola verba, quorundam hominum vim habere naturalem, ad alios faſcinandos, hoc eſt contagione, virulenta tabe, aliovè modo, inficiendos & alterandos, communis ferè omnium, & maximè vulgi, eaque firmiſſima eſt perſvaſio. Plinius lib. 7. Hiſtoriæ Naturæ cap. 2. affirmat eſſe in Africa, quaſdam integras familias, quarum laudatione, intereant prognata, areſcant arbores, emorianturque infantes, ejus generis gentes quaſdam eſſe etiam apud Triballos & Illyrios, quæ viſu pariter faſcinent, interimantque, quos diutiùs intuentur, iratis præcipuè oculis.

Quâ in re tenendum eſt, primò, ſolas & nudas voces, nullam vim naturalem habere ad faſcinum inducendum. Quia nudæ voces & ſola verba, ſicut nullam virtutem naturalem habent, ad inducendos morbos, aut mortem, ad conferendam ſanitatem, aut vitam, ita nec ad faſcinationem, quæ infirmitas quædam eſt, ſeu contagio extrinſecus illata.

Tenendum eſt ſecundò, Solum & nudum aſpectum aliorum, naturaliter non eſſe cauſam faſcinationis. Nam cùm viſio ſit actio immanens, & fiat per introſuſceptionem ſpecierum non verò per extramiſſionem radiorum, non poteſt explicari, quomodo naturaliter fiat, per ſolam & nudam viſionem, dicta faſcinatio, ſeu infectio. Quoniam tamen experientiâ conſtat, aliquos, aliorum aſpectu lædi, quòd ſi quandoque ad aſpectum ſequitur faſcinatio, cauſæ illius ſunt noxii ſpiritûs ac vapores ex oculis, & multò magis ex ore & naribus aſpicientis egredientes, & læſum inficientes. Non omnem itaque faſcinationem pono inter res falſæ exiſtentiæ, ſed illam duntaxat, quæ putatur cauſari per ſolum viſum, & per ſolas ac nudas vo-

das vo.

das voces. Addo præterea fascinationem aliquando fieri dœmonis arte, dum strigibus nocere volentibus cooperatur ex pacto. Ita sentit & Delrio. Disquisitionum Magicarum par. 1. Quæst. 3. Sec. 2.

Illa autem. quæ pro contraria parte solent, vel possunt adferri, parùm omnino aut penitus nihil ad præsentem difficultatem faciunt, cujusmodi sunt: 1. Lippus aspiciens alium, causat in eo lippitudinem; 2. avis *Galgalus* dicta oculos in ictiricum defigens, sibi morbum attrahit, & ægro sanitatem adfert. 3. Lupus videns hominem priùs, quam ab eo videatur, raucedinem viso à se inducit. 4. Struthiocamelus, solo visu ova intra arenam abscondita excludit. 5. Gallus visu solo, Leonem terret. 6. Regulus demum, visu solo hominem alterat. Igitur & solo visu fascinatio inducirur. Nam Lippus aspiciens alium, non solo visu, sed propter infectos spiritus, halitus, & vapores ex oculis, & etiam ex ore ac naribus egressos, in altero lippitudinem causat. Idquod de Galgalo ave refertur, multi in dubium revocant, si tamen id eveniat, fit id propter occultam Sympathiam, inter morbum ictiricum, & dictam aviculam, & non præcisè propter visionem. Lupus priùs visus non semper raucedinem inducit, si tamen id aliquando contingat, causa est timor, ex lupo viso conceptus, qui fauces & guttur exsiccare solet. Struthio Camelus, non excludit ova visu, intra arenam abscondita, sed locum aspicit, ut nocitura arceat, ova autem à calore telluris seu arenæ excluduntur. Gallus visu Leonem terret, ob antipathiam inter utrumque. De Regulo dubitant plerique, id tamen si verum est, causa est, quia noxios & venenatos spiritus, ex occulis & ore jaculatur, & non solus visus. Ita Schottus parte 4. lib. 5. Magiæ universalis naturæ & Artis.

§. XXXVII.

Sanitatum per solum hominis alicujus contactum & afflatum restitutio.

QUi opinantur aliquos homines habere virtutem naturalem sanandi morbos solo contactu vel afflatu. Probant id primò variis experimentis. Nam imprimis, Milites passim solo afflatu, ad lintei appositionem, sanant vulnera etiam atrocissima, & hanc artem vocant, artem Sancti Anselmi. 2. In Hispania, sunt aliqui, quos vocant Salutatores. In Italia, Sanctæ Catharinæ, vel Sancti Pauli Gentiles, qui solo tactu aut afflatu varios morbos sanant. 3. In Flandria, quotquot nati sunt ipso die Parasceves, & quotquot nullo fœmineo fœtu intercedente septimi masculi legitimo thoro sunt nati, dono sanitatis in variis morbis, se prædi tos gloriantur. 4. Reges Franciæ solo tactu sanant strumam. Simile donum. S. Edvardo Regi Angliæ concessum fuisse aliqui scribunt. 5. De Pyrrcho Rege tradunt multi, eum certi digiti contactu lœnosos sanâsse.

Probant id secundò exemplis aliorum animalium, aliarumque rerum, quæ admirabilem vim habent, non solùm in sanandis morbis sed & in aliis quoque effectibus causandis, quos solo perpetrant attactu. Nam *Torpedo* piscis, solo attactu ma-

num

num piscatoris stupefacit. *Serpens* querneæ contactu moritur, idem Ibidis pennâ sistitur, vipera arundinis vel fagineæ virgulæ percussione obstupescit, vespertilio foliis plantani abigitur, pennæ aliarum avium, pennis aquilæ permixtæ absumuntur, lupinis chordis junctæ agninæ in fidibus dissiliunt. Ex quibus omnibus inferunt, naturalem esse virtutem, quâ aliqui homines solo contactu variis morbis medeantur.

Demum id ratione quoque firmare contendunt. Nam sicut in herbis, lapidibus, & animalibus inveniuntur virtutes sanandi, ita nihil repugnare ajunt, quin & intra humanam speciem similes vires inveniantur, ita, ut in uno homine, sit talis lapidis, in alio talis plantæ, in tertiò talis animalis virtus. Item, quidã naturali complexione vel constellatione, vel infectione, sunt nocivi aliis solo afflatu, vel etiam solo visu, ergo ex eijsdem causis, & simili modo, quidam naturali complexione, vel constellatione, erunt aliis salutares & medici.

Verùm meliùs, hæc quoque naturalis virtus sanandi alios, per solum attactum vel afflatum, numerari debet inter res falsæ existentiæ. Ratio est, quia virtus sanandi alios, per manuum impositionem, & consequenter per tactum, vel afflatum tribuitur, à Sacris literis, gratiæ supernaturali, estque ut testatur S. Paulus 1. ad Corinth. 12. v. 9. donum, & gratia gratis data à DEO. Supernaturale igitur donum est, non naturale. Ad id itaque quod adducebatur, pro contraria opinione respondendum est: Militarem illam vulnerum curationem, non esse naturalem, sed fieri ope diaboli, & involvere pactũ cum illo, sive explicitum sive implicitum 2. Salutatores illos quidem non esse universim damnandos, sed hoc non esse donum naturale, verùm supernaturale concessum ijsdem à DEO, per alicujus Sancti intercessionem. 3. Idem dicendum est ad tertiam experientiam. Non enim absimile vero est, (inquit Delrio) ob Divi honorem, & Martyrij Sanctitatem, & honorem conjugii, DEUM id aliquibus concessisse. 4. Quod refertur de Regibus Galliæ, & de Sancto Edvardo, non potuit id fieri, nisi virtute Divina, quam DEUS liberè potuit ijsdem conferre. 5. Quod traditur de Pyrrhi digito, id vel mendacium est, vel ab adulatoribus confictum, vel dœmonis ope perfectum. 6. Ad exempla alia de animalibus, aliarumque rerum virtutibus, dicendum: Multa ex ijs esse dubia, pleraque verò ex ijs quæ contingunt in similibus operationibus evenire, ob antipathiam, & ob diffusionem alicujus qualitatis occultæ. 7. Ad rationem ex lapidibus, plantis & animalibus quibusdam desumptam, dico eam magis militare pro nostra sententia. Nam vim illam beneficam, quam illa à natura acceperunt, habent ex temperamento certo, ac definito totius speciei lapidis, plantæ, animalis. Si ergo aliquibus hominibus vis sanandi alios solo tactu naturalis esset, ratione speciei humanæ & alijs inesset, ideoque omnibus competeret, quod falsum est. Ad alteram rationem, licèt aliqui ex naturali complexione, nocivi sint, non ideo etiam ex naturali complexione sanativi. Quia bonum ex integra causa, malum ex singulis defectibus. Ex constellationibus autem aliquos esse nocivos solo visu, vel attactu, vel afflatu, pariter falsum est.

FINIS.

Errata, sic Corrige.

Pagin.	Lin.	Errata.	Correcta.
.	13.	*Et linea aquali circumferentiæ.*	Et linea æqnalı quarti parti circumferentiæ.
bid.		*230.*	1350.
bib.		*prope sita*	proposita
.	2.	*propter est*	propior est
2.	5.	*Ilerus*	Iberus
3.	12.	*Liris*	Larius
4.	3.	*Basile*	Basilea
.3	5.	*Noschva*	Moschva
bi.	7.	*Valentiana*	Valentianæ
5.	13.	*Dordreum*	Dordracum
bid.	32.	*Cataris*	Calaris
8.	13.	*Thyrrelmo.*	Tyrrhæno
9.	26.	*Ascarnia*	Ascania
0.	2.	*Nareotis*	Mareotis
2.	12.	*Sigetum*	Sigæum
bi.		*Rapollinsis*	Lapallensis
5.	19.	*Saponam*	Sajtocam
bi.	21.	*Babaniæ*	Bahamæ
40.	16.	*Segoinus*	Segninus
41.	18.	*Ancroitana*	Anconitana
44.	9.	*Messanensis*	Alessanensis
47.	26.	*occitaria*	Occitania
49.		*Eeidastotensis*	Eichastetensis
50.	13.	*Vicanensis*	Viennensis
51.	17	*Breadum*	Orcadum
53.	4.	*Lubeffensis*	Lubuscensis
54	7.	*Alcrisiensis*	Almisiensis
58.	34.	*fugentur*	fugantur
50	19.	*Insularum*	Insula
61.	4.	*præbeat*	præbeant.
Ibi.	6.	*rosæa*	rosea
Ibi.	29. & 30.	*Capillos*	Lapillos
		Capillis	Lapillis
62.	19.	*Continentes*	Continentis
Ibi.	23.	*aggreßionem*	aggestionem
Ibi.	25.	*Echicudas*	Echinidas
Ibi.	28.	*aut omnia demergi*	ast omnia demergi
Ibi.	30	*Atlaureden Insulam*	Atlantidem Insulam
Ibi	37.	*plurima virgulta*	adde contineat
66.	14.	*exsiccante*	exsiccato
78.	21.	*vapore*	vaporum
79.	1.	*quare in*	quare & in
84.	5	*pelles navium*	postes navium
86.	33.	*eam*	eum
87.	2.	*cornua*	cornea
92.	32.	*foscilibus*	fossilibus
Ibi.	38.	*& in unam*	& in unum
98.	36.	*optimæ celeberrimæ*	optimè cellerimeque
Ibi.	48.	*sæpiat*	sepeliat.
100.		*Centis*	Gentis
102.	5.	*quem*	quam
Ibi.	31.	*ad alium applicare*	ad alium usu applicare
111.	11.	*dececit*	defecit
122	7.	*niglandis*	*juglandis*

Pagin	Lin.	Errata.	Correcta.
125.	39.	*odere*	Oderæ
126.	20.	*Metamastæ*	Metanastæ
130.	39.	*interior*	interiori
135.	22.	*è serre*	è ferro
142.	ult.	*generalißimæ*	generosissima
145.	32.	*aemporibus*	temporibus
150	20.	*cnasevit*	consevit
151.	26.	*rem tota*	rem totam
Ibi.	34.	*Segna*	Segnia
152.	29.	*dictu*	dicti
159.	9.	*monres*	montes
161.	28.	*instructißimos,*	instructissimas,
162.	17.	*sunt*	sint
167.	7.	*condenscat.*	condensat.
Ibi.	9.	*prorsus*	perosus
Ibi.	24.	*per igne*	per ignem
Ibi.	34.	*in angulis*	in angulos
168.	7.	*adutitur*	traducitur
Ibi.	12.	*consnmit*	consummit
172.	15.	*levitas*	lævitas
176.	37	*Acus ferrea, quæ partem borealem tetigit, partem australem respicit Boream.* lege. acus ferrea, quæ partem borealem tetigit respicit Austrum, quæ verò tetigit partem Australem, respicit Boream.	
177.	17.	*duo magnetica*	duo magnetes
179	5.	*illi*	illis
180.	2.	*credibilis*	credibile
181.	30.	*Rubrum*	Rubinus
Ibi.	37.	*apis*	lapis.
182.		*hæmoragiam*	hæmorrogiam
183	10.	*que*	qui
Ibi	antep.	*tunicata*	tunicatam
184.	25.	*Japis*	Lapis
Ibi.	31.	*ut sit*	ut fit
185.	26.	*ultra*	ut vera
187.	1.	*sufflitus*	suffitus
Ibi	11.	*quartenas*	quartanas
189.	10.	*succus*	fuccus
190.	32	*Latrinorum*	Latrinarum
192.		*Bubones*	Bufones & sic consequenetr
196.	15.	*fitqué*	sitque
202.	10.	*ui unum linea recta*	in una linea recta
208.	12.	*transpicit*	transpici nequit
Ibi.	16.	*Et sic difficultate*	Et sic cum difficultate
214.	1.	*& quia*	& qui
217.	28.	*Canonicorum*	Concanonicorum
245.	33.	*China.*	China chinæ
249.	20.	*Chymia inventa.*	Chymica inventa
250.	17.	*& qua*	ex qua
Ibi.	21.	*efficatia virtus*	efficatior virtus,
Ibi.	33.	*axuste*	exusti
Ibi.	ult.	*evaporio*	vaporario
251.	23.	*profluebat*	profluebant
255.	3.	*Schilier*	Schotus

256

256.	5.	*inquo*	inque

Ab hinc per errorem mutati sunt Foliorum Numeri, & loco 257. positus est 347. ac dein 248. ac sic deinceps continuatur hujus series, juxta quam sic errata corrige.

248.	27.	*Meteoriscis*	Neotericis
249.	16.	*per illas*	per illa
250.	17.	*quadrata circuli*	quadraıura circuli
Idi.	28.	*quadratæ*	quadraturæ
Ibi.	20.	*Luclides*	Euclides
251	9.	*Augustæ*	Augusta
252.	25.	*invadiarij*	incendiarij
233.	26.	*Marvanas*	Marsenas
Ibi	31.	*molentina*	molendina
254.	9.	Bloandus	Blondus
255.	6.	*aurea*	auro
256.	24.	*jusiu*	jussu
Ibi.	31.	*in summo flore*	in summo est flore
257.	21.	*melique*	melioríque
258.	2.	*ac ipso*	ab ipso
259.	19.	*incidebant*	incidebat
263.	18.	*eadem*	eâdem
264.	15.	*tam*	euni
		Item *& Florida*	è Florida
272.	10.	*genernatis*	generatis
279.	32.	*aderentur*	ederentur
280.	5.	*atribuit*	attribuendo
282.	18.	*luctlonores*	luctatores
Ibi.	21.	*quantóque*	quandóque
	28.	*posteriorum*	posterorum
283.	penul.	*habebunt*	habebant
287	34.	*ob honore*	ob honorem
289.	14.	Olympiates	Olympjades
293.	14.	*paßim*	passim &
	15.	*Domnica.*	Dominica
	35.	*vivibus*	viribus
296.	7.	*Tridinium*	Triclinium
310.	4.	*cumt*	cum
Ibi.	9.	*contoversiam*	controversiam
Ibi.	19.	*descripione*	descriptione.



CURIOSIORA
ET
SELECTIORA
VARIARUM SCIENTIARUM
MISCELLANEA.

AUCTORE
P. MARTINO SZENT-JVANY
Societatis JESU Sacerdote.

DECADIS SECUNDÆ
PARS SECUNDA.

Continens,
MULTIFORMES EPHEMERIDES
ET
Diversarum Rerum curiosas Observationes.

Cum Facultate Superiorum, & Privilegio Sacræ Cæsareæ Regiæque Majestatis, Speciali.

TYRNAVIÆ,
Typis Academicis, per Joannem Andream Hörmann,
ANNO M. DC. XCVI.

INDEX EPHEMERIDUM.

Hujus Secundæ Partis,

DECADIS SECUNDÆ.

I. Ephemerides Aſceticæ, ex Sanctis Patribus.
II. Ephemerides Aſceticæ, ex varijs ſelectis Aſcetis.
III. Ephemerides Aſceticæ, ex aureo libello Thomæ Kempenſis.
IV. Ephemerides Monoſticæ Miſcellaneæ.
V. Ephemerides Fatales Heroum.
VI. Ephemerides Aſceticæ Homœoptotæ.
VII. Ephemerides Selectorum Adagiorum.
VIII. Ephemerides Chriſtiano-Machometanæ.
IX. Ephemerides Hungariæ.
X. Ephemerides Auſtriacæ.

Index Curioſarum Obſervationum.

I. Centum Obſervationes curioſæ, circa Plantas & Arbores.
II. Centum Obſervationes, Curioſæ Miſcellaneæ.
III. Centum Obſervationes, circa Exoticos Naturæ effectus.
IV. Centum Obſervationes, Simpathiæ & Antipathiæ, variarum Rerum.
V. Centum Obſervationes, Oeconomico-Monarchicæ.
VI. Centum Obſervationes, circa modum rectum, intelligendi & interpretandi Sacram Scripturam.
VII. Centum Obſervationes, circa ſelectiores Antilogias Evangeliſtarum.
VIII. Centum Obſervationes, circa ſelectiores Antilogias Apoſtolicas.
IX. Centum Obſervationes, circa Hæreſum ortus ex non intelligentia, vel mala interpretatione ſcripturæ ſacræ.
X. Centum Obſervationes, circa totidem Sacræ Scripturæ ſelectiorum Textuum, genuinam explicationem.

ILLUSTRISSIMO,

AC

REVERENDISSIMO

DOMINO, DOMINO

LADISLAO

MATTYASSOWSKY,

ELECTO EPISCOPO

NITRIENSI,

LOCIQUE ET COMITATUS EJUSDEM SUPREMO, AC PERPETUO COMITI; SACRÆ CÆSAREÆ REGIÆQUE MAJESTATIS, CONSILIARIO, ET PER REGNUM HUNGARIÆ AULÆ

CANCELLARIO.

DOMINO, DOMINO, AC PATRONO COLENDISSIMO.



EPISTOLA DEDICATORIA.



INsulæ sunt Gaditano Mauritaniæ non procul sejunctæ freto, à rara loci uberioris fœcunditate, Cœlique benignioris temperie, fortunatarum nomen adeptæ; harum in unam ut animad-verto, & Litteraria hæc, curiosioribus variarum scientiarum onusta mercibus navis applicat, cùm plenis in-vecta carbasis in tutissimum humanitatis Tuæ portum se recipit, Præsul Illustrissime, Mecœnas Gratiosissime. Sic est: aper-

aperta *Universis* benignioris munificentiæ Tuæ atria, Insulæ sint ter fortunatæ, quos non acceperint fortunatos, efficiunt. Quâ ego spe recreatus, cùm post emensa jam labore ferè improbo, tot támque variarum Lucubrationum maria, collectas hasce rarioris Litteraturæ merces, ac in secundam hanc Decadis secundæ Miscellaneorum partem, velut onerariam impositas in tutum subducere cogitarem, animo primus occurristi, cujus ad Litus appellerem. Id quod si fortè tentavi confidentiùs, causam dicere non abnuo; Sed ad humanitatis Tuæ tribunal reus. *Ut sciremus*: Occidere soles, & redire posse; Jam Te, quod grandia Tua in patrium orbem postulabant merita, æquissimâ tandem Augustissimorum etiam Coronatorúmque Arbitrorum electum libella, Regni Cancellarium fama vulgaverat; quis tum Pannoniæ subsultantis jubilus? Inauguratæ Illustrissimæ Dominationis Tuæ fortunatum diem, Tuumne, an suum appellet; in hodiernum diem nondum conclusit; quæ bonorum omnium sensa? quod gaudium? hos inter unus ego non uno tibi nomine obæratus silentiosi Harpocratis personam sustinerem? eorum non sum è Syllabo, de quibus purpuratus Angliæ scripsit Cancellarius: esse permultos, qui beneficia pulveri, maleficia marmori inscribant. Timuissem tamen etiam grati animi ergò, hæc ego donaria præsentare, aliúdque tributum, modo, quo licuisset parâssem, nisi quo Litteraria hæc dona prosequerere animo probè perspexissem. Familiare est scilicet excelsis mentibus fovere Litteras, Litteratis favere nempe quam in Te universi suspicimus Sapientiam, mirum nihil est, si in alijs ames. Testem ego omni majorem exceptione Tuæ sapientiæ Romam appello; servat hodiedum Ro-

manum ad S. Apollinarem Hungarico-Germanicum Collegium, ostentátque amplissimum Litteraturæ Tuæ Testimonium, tam exaggeratâ Virtutis scientiæque commendatione, ut in utróque eò processisse judiceris, quò prope consummati solent. Tantus hic Sapientiæ splendor non poterat non meos incurrere in oculos, dum vela facerem, de Cynosura sollicitus; hæc ergò me, ac velificantem hanc Gloriæ Tuæ ratim, in hunc, quem subeo portum adduxit. Quid enim peregrinas quærerem faces, quando Tuæ & coruscant propiùs, & emicant uberiùs. Ut enim natalium splendorem, & illustres familiæ ceras, de qua etiamnum in inclyto Bohemiæ regno primaria Rerumpublicarum obeunt ministeria; ut inquam per antiquæ Nobilitatis Tuæ Lucem non attendam; meridianum Virtutum Tuarum jubar oculos animúmque perstringit, & tacitè illapsum in sui rapit commendationem. Pastoralem Tuam vigilantiam, sollicitam Ecclesiarum curam, indefessos pro domo DEI labores estne aliquis, qui ignoret? Scepusiensia tredecim lustremus oppida. Floret inibi Orthodoxa Religio, nullus ab Hæresi metus; hæc ut proscriberetur, & illa ut floreret, Tu effecisti. Quibus enim non apud Serenissimum Poloniæ Regem precibus, quô non apud Celsissimum Principem Lubomirski Zelo; quo non fervore apud Apostolicum in Poloniam Nuncium egisti? institisti? perorâsti? quoad re ex animi sententia confectâ, omnis in ea oppida postliminiò redeundi facultas rabulis prædicantibus intercluderetur. Cùm Româ redux oves Domini pascendas suscepisses; is Tuus fuit Zelus, is Divinæ gloriæ promovendæ ardor; ut non contentus partas tueri, & servare omnes, plurimas eis adjunxeris. Sicubi humano more aliqua à recto tramite deviasset, reduxisti; si qua lues animum cujúsquam corripuit, absterg

sisti. Angustis ego nimiùm cancellis Apostolicum Tuum Præsul Illustrißime Zelum, non sine palmari veritatis injuria circumscripsero, nisi & quid universa huic Tuæ in DEUM Religioni debeat Pannonia, apertiùs edixero. Vix dum decumana illa, quæ universos involverat, tempestas posuit auspice DEO, suppreßis Laureato Marte hæterodoxorum conatibus; indicta de more erant regni Sopronium Comitia: Religio etsi jam nonnihil solidata; nondum tamen omnino in tuto èrat collocata. Hìc verò Tu inter accerrimos ejus propugnatores non ultimum Te profiteri, velis remísque perniciosißimam illam utriúsque religionis & conscientiæ libertatem impugnare; nihil non agere, instare precibus, rationum suadere momentis; modis omnibus labanti fidei nostræ suppetias ferre. Ut verè nihil ego exaggeratè dicturus sim, si fidenter pronuntiem, eos inter, Te non omnino postremum esse, per quos hæc, quam videmus in orbe nostro patrio, suo religio postliminiò restituta est splendori. Tibi suum Innocentia plurimorum vel præservata, vel reparata debet præsidium, Tibi (pace Tuâ verecundiáque dicere liceat) pietas vel reducta, vel in Mariano hoc regno iterum solidata, Tibi non levi ex parte suam debet firmitatem. Novêre hoc, & ut decebat æstimavêre illi, qui Te licèt reluctantem ad Divi Benedicti Præfectum, móxque Vicarium Strigoniensem, ac deníque Præpositum Scepusiensem esse voluerunt. Novit, æstimavit, Virtutem hanc honoravit, Coronata LEOPOLDI Magni Majestas, quandò videlicet Imperialibus in Comitijs motu proprio primum statim Te Antistes Reverendißime, quem Cancellarij in munus substitueret, designavit. Habes itáque debitum, ab hominibus Virtuti Tuæ suffragium; Sed si tacerent hi, lapides ipsi loquerentur, & Virtutem Tuam, religionémque evulgarent, illi videlicet, quos patrio in solo

erectâ

erectâ ex fundamentis DEO TER. OPT. Max. æde consecrâsti; illi, quos in Monasterium Divi Francisci Familiæ, recenter constructum in Comitatu Lyptoviensi Munificus Religiosorum Protector collocâsti; illi, quibus antiquissimam, structuræque perelegantis Basilicam eodem loci reparas, ac instauras. Singula animi Tui ornamenta complecti cuperem, nisi ab immodico Tuarum Virtutum splendore, debilioribus timerem pupillis. Interim hac ego in luce, quam meridianam ex umbra metior, cum mea hac oneraria ad fortunatas hasce Insulas applico. Patere Tu, ut quos sæpè aliàs, hos etiamnunc, subeat benignos Tuos obtutus. Etsi non nominâssem, secundam esse partem, constitisset, quæ tam feliciter ad beatas hasce Canarias pertigerit. Argo-Navis nitet inter sidera, meæ huic sat fuerit aliquo apud Te esse Loco. Id quod dum spero, ac præstolor, ut in hoc, quem tenes gloriæ theatro dignissime regni Mariano-Apostolici Cancellarie, quasi Lux procedas, & crescas in perfectum diem, sapientiæq; ac Virtutis Tuæ fulgoribus patriam illustres, umbras dissipes, mihique ut soles benignus affulgeas, etiam, atque etiam precor. Divina benignitas Illustrissimam ac Reverendissimam Dominationem Tuam, diu Patriæ, diu nobis, sospitem præstet, servet incolumem.

Tyrnaviæ in Collegio Academico S. J. Anno Domini 1696.

Illustrissimæ ac Reverendissimæ
Dominationis Tuæ

Humillimus in Christo Servus

Martinus Szent-Jvany.







PARAGRAPHUS PRIMUS.
EPHEMERIDES ASCETICÆ,
EX
SANCTIS PATRIBUS.
SEU
SELECTA VITÆ CHRISTIANÆ DOCUMENTA,
Per ſingulos dies Anni totius diſtributa.

JANUARIUS.

I.



DEſideranti *Cœleſtia*, faſtidio ſunt *tranſitoria.*

2. Omne tempus, quod ſaluti æternæ non *impenditur*, irrevocabiliter *perditur.*

3. Nulla eum adverſitas *dejicit*, quem nulla proſperitas *corrumpit.*

4. Inde in perpetuum ſpiritus *interit*, unde ad tempus caro ſuaviter *vivit.*

5. Qui æterna cogitat *bona*, nulla penſat præſentia *mala.*

6. Bonorum mens, quò duriora pro veritate *tolerat*, eò æternitatis præmia certiùs *impetrat.*

7. Sancti viri omnem præſentis vitæ *copiam*, reſpectu æternarum divitiarum, reputant eſſe *inopiam.*

8. Vitia *interdum*, faciem ſumunt *virtutum.*

9. Sæpe immoderata *ira*, vult videri indignatio *juſta.*

10. Sæpe in puniendis reis *ſocordia*, vult haberi pro *miſericordia.*

11. Sæpe incauta *timiditas*, putatur eſſe *humilitas.*

12. Sæpe aliorum præſumpta *correptio*, judicatur eſſe debita *admonitio.*

13. Sæpe Fuga *laborum*, exiſtimatur Fuga *honorum.*

14. Sæpe nimia *levitas*, vult dici ſuavis *comitas*.

15. Præſentis vitæ *dulcedo*, divinæ comparata, eſt mera *amaritudo*.

16. Qui vitia ſubigere *appetit*, virtutum armis ſe *accingit*.

17. Diſcretio *operum*, diſcretionem in cælo efficit *dignitatum*.

18. Otioſitas, mater eſt *nugarum*, & noverca omnium *virtutum*.

19. Amor DEI, nunquam eſt *otioſus*, ſed ſemper *negotioſus*.

20. Amor DEI verus, non eſt *verbalis*, ſed *realis*; non tantùm *affectuoſus*, ſed & *effectuoſus*.

21. Qui verè amat *DEUM*, omnia adverſa, hilari animo ſuſtinet propter *eum*.

22. Verecundæ mentes ſunt arguendæ *leniter*, impudentes verò *duriter*.

23. Sicut perſeverantibus in culpa, debetur jure *vindicta*, & *pœna*; ita reſipiſcentibus, *danda eſt venia*.

24. Qui lucro *inhiat*, damna *formidat*.

25. Juſtitia veritatem *novit*, perſonam non *accipit*.

26. In diſcuſſione *cauſarum*, non debet eſſe acceptatio *perſonarum*.

27. Amor hujus *ſæculi*, impedit amorem *DEI*.

28. Omnia hujus mundi *bona*, fucata ſunt, & *vana*.

29. Mundus eſt, ubi malitiæ *plurimum*; ſapientiæ, & bonitatis *modicum*.

30. Fallit mundus multos, & ipſe *fallitur*, decipit plurimos, & ipſe *decipitur*.

31. Plures nihilominus credunt mundo *fallaci*, & diabolo *mendaci*, quàm DEO, & Chriſto *veraci*.

FEBRUARIUS.

1. Tranſit mundus, & concupiſcentia *ejus*, velut fumus, & umbra; ſic eſt omnis gloria *illius*.

2. Gaudia *præſentia*, ſequuntur lamenta *æterna*.

3. Nemo poteſt gaudere cum hoc *mundo*, & regnare cum Chriſto in altero *ſæculo*.

4. Temporalia, ſint in uſu *moderato*; æterna, & cæleſtia in *deſiderio ſancto*.

5. DEUM *timere*, eſt nulla, quæ facienda ſunt bona, *præterire*.

6. Ille veraciter DEUM *novit*, qui ſe à cunctis operibus pravis *cuſtodit*.

7. Si DEUM ſuper omnes homines *timebis*, nullum hominem *formidabis*.

8. Bona noſtra, non nobis ſunt *adſcribenda*, ſed DEO *attribuenda*.

9. Qui bona à DEO accepta ſibi *arrogat*, ſuis contra DEUM donis *pugnat*.

10. Animæ pulchritudo eſt potiùs *affectanda*, quàm corporis *adornanda*.

11. Cùm culpa animum *tentat*, mens ad brevitatem delectationis propoſitæ *attendat*.

12. Culp

12. Culpa ad opus prodire non *permittitur*, ſi intus ſtatim, ac naſcitur, *extingvitur.*

13. Multum ſanè eſt, quòd mortem non cogitemus! *quotidiana* ſpectantes *funera.*

14. Inter flagella *toleranda*, mala quæ fecimus, ſunt *commemoranda.*

15. In die *bonorum*, ne immemor ſis *malorum.*

16. Et in die *malorum*, ne immemor ſis *bonorum.*

17. Sæpe ad avaritiam cor *parentis*, allicit fœcunditas *prolis.*

18. Avaritia deſideratis rebus, non *extingvitur*, ſed *augetur.*

19. Qui hìc ardent avaritiæ *ignibus*, illic etiam cremantur gehennæ *ardoribus.*

20. Immenſum eſt, quod ſine termino *ſequitur*: & parum eſt, quidquid *finitur.*

21. Sæpius eſt penſanda vitæ hujus *brevitas*, ac ſumma illius *vanitas.*

22. Si bona quærimus, illa ſunt *diligenda*, quæ ſperantur ſine fine *habenda.*

23. Si mala pertimeſcimus, illa ſunt *timenda*, quæ à reprobis ſine fine ſunt *toleranda.*

24. Juſti actus ſuos, quotidie *examinant*, & ad rectæ conſcientiæ dictamen *revocant.*

25. Bonum, quod mente *concipitur*, repente opere *perficiatur.*

26. Virtus Sanctorum adverſitatibus *creſcit*, & tentationibus *proficit.*

27. Omnia machinamenta *tentationum*, Sanctis viris vertuntur in augmenta *virtutum.*

28. Non nocet *ſenſus*, ſi procul ab animo abſit *conſenſus.*

MARTIUS.

1. Ad Fidem plures *veniunt*, ad Cæleſte Regnum pauci perducuntur, atque *perveniunt.*

2. Plerique DEUM ſequuntur *vocibus*, ſed fugiunt *moribus.*

3. Semper tibi diſpliceat *quod es*, ſi vis pervenire ad id, quod *non dum es.*

4. Nam, ubi tibi *placuiſti*, ibi *remanſiſti*; ſi autem dixeris ſufficit, *periiſti.*

5. Mens juſti, cùm patitur adverſitates *humanas*, conſequitur conſolationes *divinas.*

6. Interdum *tentamur*, ne de virtute *elevemur.*

7. Sæpe, quem tentationis certamen non *ſuperavit*, nimia ſecuritas *proſtravit.*

8. Aliena mala leviùs *tolerat*, qui ſua *conſiderat.*

9. DEUS ſpectat Talentorum, & gratiarum *uſum*, non verò *cumulum.*

10. Nunquam eris pro morte bene *paratus*, niſi ſemper ſis *paratus.*

11. Non poteſt DEO non *diſplicere*, qui nimiùm ſtudet hominibus *placere.*

12. Turpe ſanè eſt, virtutem verbo *docere*, & doctrinam ſuam facto *improbare.*

13. Qui ſeipſum priùs non *judicat*, quid in alio rectè judicet, *ignorat.*

14. Qui aliena curioſè *diſcutit*, ſua is diſcernere *neſcit.*

15. Illud eſt clarum venturæ ſalutis *indicium*, ſi incipit homo noſcere *ſeipſum.*

16. Bonarum *mentium eſt*, etiam ibi aliquando culpam agnoſcere, ubi *non eſt.*

17. Conſcientia *delictorum*, eſt maxima omnium *afflictionum.*

18. Nihil curandum eſt, dum nos aliorum malevolentia *incuſat*; ſi conſcientia nos, non *accuſat.*

19. Multò meliùs eſt ardere flammâ *febrium*, quàm flammâ *vitiorum.*

20. Et multò meliùs eſt, duris hominibus in ſervitio *ſubjici*, quàm blandientibus dæmonijs *ſubdi.*

21. Magna eſt ſecuritas *cordis*, nihil habere concupiſcentiæ *ſæcularis.*

22. Quaſi per amæna prata in carcerem *pervenit*, qui per præſentis vitæ proſpera ad interitum *tendit.*

23. Quantò majores *ſumus*, tantò humiliùs nos *geramus.*

24. In hac vita, qui *nulla proſpera appetit*, *nulla adverſa pertimeſcit.*

25. Cauſa populi *ruinæ*, ſunt Sacerdotes vitæ *malæ.*

26. Vera ſapientia *hominis*, eſt cognitio ſuæ *vilitatis.*

27. Si ambis videre *divina*, debes non videre, nec æſtimare *terrena.*

28. Nulla certior eſt ad ſalutem *porta*, quàm Chriſti JESU *vita*, quæ tota fuit humilis, & *contempta.*

29. Nunquam eſt ſine *ſolatio*, voluntatis divinæ *executio.*

30. Quantum deſiderium eſt vitæ *æternæ*, tantum debet eſſe, & viæ ad illam ducentis *tenendæ.*

31. Quantò quis gradus dignitatis eſt *altior*, tantò caſus eſt *periculoſior*

APRILIS.

1. Potentes hujus mundi, de potentiæ gloria dum *extolluntur*, horâ unâ quâ neſciunt, ſubitò *rapiuntur.*

2. Et dum pedes fixiſſe *credunt*, caſu lubrico ad ima laci *deſcendunt.*

3. Vita noſtra ad tempus *amareſcat in pœnitentia*, ne æternam amaritudinem *ſentiat in vindicta.*

4. Per Fl-

4. Per fletum, ad æterna gaudia *ducimur*; ad fletum æternum, per gaudia *deducimur*.

5. Unusquisque nostrûm ad pœnitentiæ lamenta *confugiat*, dum flere ante percussionem *vacat*.

6. Incassum per abstinentiam corpus *atteritur*, si inordinatis motibus anima, ac mens, varijs vitijs *agitatur*.

7. Nihil prosunt *lamenta*, si replicantur *peccata*.

8. Vera pœnitentia plangit *commissa*, & non committit ampliùs *plangenda*.

9. Nam si quis priora peccata *deplorat*, ut tamen alia *committat*, is pœnitentiam agere, aut *simulat*, aut *ignorat*.

10. Amaritudo præsentis *pœnitentiæ*, extingvit supplicium sequentis *iræ*.

11. Quos præsentia mala non *corrigunt*, eos ad futura mala *perducunt*.

12. Unitas, & solitudo, sicut noxia est *malis*, ita innocua est *bonis*: Sancta enim *solitudo*, sola est *beatitudo*.

13. Justi correptionibus *meliorantur*, injusti verò deteriores *redduntur*.

14. In damna *expenditur*, quidquid cum peccato *congregatur*.

15. Culpa, dum non *corrigitur*, *augetur*.

16. Tantò apud DEUM obligatiores *sumus*, quantùm apud homines magìs inultè *peccamus*.

17. Difficilè est malè inchoata *corrigere*, & semel formata deformiter, in melius *reformare*.

18. A minimis vitijs, per minora *peccata*, prolabimur, ad maxima *crimina*, ac *scelera*.

19. Peccatum úsque ad inferos *ducitur*, quod ante finem vitæ præsentis, per correctionem, ac pœnitentiam non *emendatur*.

20. DEUS peccata in ultimo judicij die *judicat*, qui ante peccantium derisionem *tolerat*.

21. Peccatum dum *defenditur*, *geminatur*.

22. Incassum bonum *agitur*, si ante terminum vitæ *deseratur*.

23. *Nullus perfectus est*, qui inter adversitates occurrentes, *patiens non est*.

24. Nulla, quæ in hoc mundo hominibus *fiunt*, ábsque omnipotentis consilio *eveniunt*.

25. Nihil casu contingit; Fortuna nulla datur; Fatum nullum est, sed omnia quæ in hoc mundo *fiunt*, ex DEI ordinatione, vel permissione *eveniunt*.

26. Unicus capillus de capite nostro *non decidit*, unicus passer de tecto *non cadit*, unicum folium in arbore *non movetur*, unica undæ fluctuatio *non crispatur*, quin à DEO *prævideatur*.

27. DEUS est, qui *humiliat*, & *exaltat*, percutit, & *sanat*, *deducit* ad inferos & *reducit*.

28. DEUS est, qui vocat ea, quæ *non sunt*, ac ea *quæ sunt*: qui ex lapidibus potens est filios Abrahæ *facere*, & per vilia, & abjecta, ac debilia, fortia *confundere*, ac mirabilia *efficere*!

29. Nemo est, qui possit DEI absolutæ ordinationi resistere: in ipsius manu corda sunt *omnium*, contra DEUM nullum est humanum *consilium*.

30. Omnis, per quem necesse est aliena vitia *corrigi*, semetipsum debet priùs solerter *intueri*.

MAJUS.

1. Convitia illata facilè *toleramus*, si mala quæ fecimus, in memoriam *revocamus*.

2. Carnalis dulcedo *delectationis*, in conscientia nutrit vermem *doloris*, ac *desolationis*.

3. Omnis peccator prudens erit in *pœna*, qui stultus fuit in *culpa*.

4. Diabolus, quos viventes blandiens *decipit*, morientes sæviens *rapit*.

5. In quantùm ad delectationem præsentium *ducimur*, in tantùm, minùs ab illicitis *avocamur*.

6. Servitus peccati quantò videtur esse *suavior*, tantò re ipsa est *durior*.

7. Non abeas post hæc *inferiora*, & *mundana*, ut assurgas ad *æterna*, & *divina*.

8. Ubi dominatur *passio*, deturbatur soliô *ratio*.

9. Qui mundum hunc, & ejus principia, ac *Maximas sequuntur*, meritò à Christo à *Cælesti gloria excluduntur*.

10. Peccatum *subditi*, reputatur esse culpa *Præpositi*, si ad illud *tacuerit*, neque peccantem *corripuerit*.

11. Vita *Præsulis*, sit norma *gregis*.

22. Ars *artium*, est regimen *animarum*.

13. Regimen non debet *suscipere*, qui nescit cæteros bene vivendo *præire*.

14. Inimicum tolerare, sed odisse, non est virtus *Mansvetudinis*, sed velamen *furoris*.

15. Vitam animæ, quælibet culpa *polluit*, servatus verò contra proximum rancor, *occidit*.

16. Qui perversis actionibus affectus, operibus inquinatis *invigilat*, nequaquam dignus est auxiliari, *dum orat*.

17. Noli peccare post *veniam*, noli vulnerari post *curam*, noli sordidari post *gratiam*.

18. Cogita graviorem *culpam* esse post *veniam*, renovatum vulnus plùs dolere

dolere post *curam*, molestiùs esse hominem sordidari post adeptam *gratiam*.

19. DEUS ad verba deprecantis non *attendit*, sed orantis cor *inspicit*.

20. Cùm malè gesta *defleveris*, nequaquam rursus *facias*, quod iterum in precibus *plangas*.

21. Parentum *divitiæ*, prolibus præstant occasionem *discordiæ*.

22. Qui suis multiplicandis divitijs *inhiant*, quomodo alterius vitæ gaudia *sperant*?

23. Dives Epulo, qui minima *negavit*, ad minima petenda *devenit*.

24. Divites tot penè quotidie *perimunt*, quot morientium pauperum, apud se subsidia *abscondunt*.

25. Non habet aliquid viriditatis ramus boni *operis*, si non maneat in radice *Charitatis*.

26. Ille veraciter charitatem habet, qui, & diligit in DEO *amicum*, & propter DEUM *inimicum*.

27. Ille uberes fructus prædicationis *colligit*, qui semina bonæ operationis *præmittit*.

28. Sermo *Doctorum*, debet formari ad capacitatem *Auditorum*.

29. Prædicator bonus, hoc vivendo *implet*, quod loquendo *suadet*

30. Nam loquendi authoritas *perditur*, quando vox opere non *adjuvatur*.

31. Correptio *amica*, plùs prodest, quàm *stricta*.

JUNIUS.

1. Via ad Cœlum angusta, & arcta est, quia non admittit id, quod *libet*, sed quod *licet*.

2. Lata, & spatiosa est via, quæ ducit ad *perditionem*, quia non constringitur lege DEI, & ratione, sed abit in sensuum *effusionem*.

3. Ut per latam viam eas, non est contendendum, nam naturali impetu ad malum raperis; per angustam ut penetres, magnâ contentione est opus, tam ut seriò *velis*, quàm ut seriò bene *opereris*.

4. DEI facta *veneranda* sunt, non superbè *investiganda*.

5. Nonnullis solet Nobilitas *generis*, parere ignobilitatem *mentis*.

6. Sic mors ipsa, cùm venerit *vincetur*, si priusquàm veniat, semper *timeatur*.

7. Mors *certa*, sed hora mortis *incerta*, incertus *locus*, incertus & mortis *modus*. Fatentur id quidem omnes *ore*, sed pauci *re*, & *opere*.

8. Latronem mors agit, quæ nos in itinere ad cœlum *constitutos adoritur*, prosternit, prorsúsque *incautos*, ac *imparatos*.

9. Momentum tuæ *mortis*, principium est *fœlicis*, aut *infœlicis æternitatis*.

10. Cùm

10. Cùm ergo tempus mortis nostræ sit incertum, oportet nos semper excubare vigiles: is autem *vigilat*, qui in statu gratiæ est, corque suum omnis generis virtutibus *adornat*.

11. Satiùs est modò non nimis impensè cor creaturis *addicere*, quàm easdem in hora mortis cum amaritudine, & invitè *deserere*.

12. Ultimus mortis angor, qui impiorum corda *premit*, justos non *attingit*.

13. Verba *dimetienda*, antequam *proferenda*.

14. Quidquid datur pauperi, si subtili consideratione pensetur, non est *donum*, sed *mutuum*.

15. Perdit omne, quod *agitur*, si non in humilitate *solidatur*.

16. Fœliciter *sapit*, qui alieno malo *sapit*.

17. Dum æterna retributio *cogitatur*, præsens gloria, quàm sit nulla, *cognoscitur*.

18. Omne, quod hîc *eminet*, plus mœroris, quàm gaudij, admixti *habet*.

19. Nequaquam valet is in culmine honorum humilitatem *discere*, qui in imis positus, non desinit *superbire*.

20. Nescit laudem cùm suppetit *fugere*, qui ad hanc didicit, cùm deesset *anhelare*.

21. Qualis quisque apud se *lateat*, contumelia illata *probat*.

22. Cum honoris *augmento*, cura quóque, & sollicitudo accedit cum *incremento*.

23. Sicut virtus humilitatis omne vitium *enervat*, sic arrogantia *roborat*.

24. Solet lætitia arcana mentis *aperire*, átque aperiendo *amittere*.

25. Laus sua justos *cruciat*, iniquos *exaltat*.

26. Summum in Regibus bonum est, justitiam *colere*, ac sua cuique jura *servare*.

27. Ut amorem trajicias ad *futuræ vitæ bona*, memineris relinquenda brevi esse *præsentis vitæ commoda*.

28. Si hac nocte repetat DEUS animam tuam à te; hæc, in quibus requiescis, cujus erunt? quid *proderunt?* imò quantùm *oberunt ?*

29. In cœlo est Patria tua: illuc est migrandum, nisi præmittas eo *thesaurum*, exulabis *æternùm*.

30. Amans fit id, quod amat; *terrenus* igitur es, si terram amas: *cœlestis*, si cœlum: *divinus*, si DEUM.

31. Totum in Divinæ providentiæ sinum *conjice te*, quoniam ipsi est *cura de te*.

JULIUS

JULIUS.

1. Sit prima cura tua, in finem, ad quem creatus es, *respicere*; & in media ad eum consequendum, cum effectu *incumbere*.

2. Justitia postulat, ut qui non probatur *malus*, præsumatur esse *bonus*.

3. Hæc pœna est temerè judicantium, ut in quo *judicio* judicaverint *alios*, ipsi judicentur in *illo*.

4. Primùm, trabem de oculo tuo *ejice*, & tunc festucam in oculo fratris *inspice*.

5. Plùs sæpe ira in vindicta *exigit*, quàm injuria *accipit*.

6. Non irasci, ubi est irascendum, *vitium est*; & nolle emendare id, quod est emendandum, *peccatum est*.

7. Divina severitas eò acriùs iniquum *punit*, quò diutius *toleravit*.

8. Levis Fortuna est, citò *reposcit*, *quod dedit*.

9. Judex *damnatur*, cùm nocens *absolvitur*.

10. Ut te rectè componas ad *orandum*, & corpore, & mente ab omni strepitu *est secedendum*.

11. Comites orationis sunt: *Reverentia*, amor DEI, & in eum *Fiducia*.

12. Hoc primum ex omnibus est desiderandum, ut DEUS ab omnibus *agnoscatur*, ac *colatur*, eique uni *serviatur*.

13. Ut sanctitas ejus *æstimetur*, bonitas illius *ametur*, justitia *timeatur*, omnis creatura illius potestati *subdatur*.

14, Dum Orationem Dominicam *oras*, petis non dimitti tua debita, si non aliorum *dimittas*.

15. Inopiæ desunt *pauca*, avaritiæ *omnia*.

16. In nullum avarus *bonus*, in se autem *pessimus*.

17. Cuivis dolori, *optimum* est patientia *remedium*.

18. Lex universi est; quæ jubet *nasci*, & mori quóque jubet, ac *denasci*.

19. Fortuna vitrea est, quæ *frangitur*, dum *tangitur*.

20. Fortuna, quem nimiùm *fovet*; stultum, & præsumptuosum *efficiet*.

21. Multos *timere debet*, quem multi *timent*.

22. Malè *vivunt*, qui semper, vel diu victuros se *credunt*.

23. Quisquis charitatem *non habet*, omne bonum amittit, *quod habet*.

24. Terrarum longitudo non *disjungit*, quos amor *jungit*.

25. *Contemne vivens*, quæ post mortem *habere non potes*.

26. Fragilis est, & *caduca*, omnis temporalis *potentia*.

27. Sollicitè debet unusquisque *vivere*, semper terminum vitæ suæ *considerare*, ut valeat hujus sæculi blanditias *cavere*.

28. Xenia, & *dona*, perturbant judicia *recta*.

29. Nullum condemnemus ante judicium. Antè *proba*, & ſic *judica*.

30. Ubi *lucrum*, ibi & *damnum*, *lucrum in arca*, *damnum in conſcientia*.

31. Mors malis *mala eſt*, & *amara*; mors probis *eſt amœna*, & *ſolatio plena*.

AUGUSTUS.

1. Qui nunc tempore ſibi dato ad bene agendum, non *utitur*, horam unam, aut exiguum pœnitendi ſpatium in morte deſiderabit, & illi non *dabitur*.

2. Emenda nunc vitam *reprobam*, ut effugias malam mortem, & *amaram*.

3. Homo lingvoſus, & temerarius *in verbo*, odibilis eſt DEO, & *toti mundo*.

4. Noli apud temetipſum multùm *ſapere*, & quod ad te non pertinet, noli *inquirere*.

5. Impoſſibile eſt, ut *homo ſis*, & moleſtiarum, ac miſeriarum hujus vitæ *expers ſis*.

6. Venturi exitûs ignorantia incerta eſt, & dum mori non *timetur*, ſubitò vita *tollitur*.

7. Unde feſtinet unuſquíſque ne in iniquitatibus ſuis *rapiatur*, ſimúlque vita cum culpa *finiatur*.

8. In hac vita *ſolùm*, licitum eſt operari meritorium *bonum*.

9. In altera vita, non tam expectatur *operatio*, quàm meritorum *retributio*.

10. Vanus ſermo, *vanæ* eſt index *conſcientiæ*.

11. Qualis ſermo *oſtenditur*, talis & animus *comprobatur*.

13. Ea, quæ apud homines deſpecta ſunt, & *contemptibilia*, apud DEUM ſunt in *magna gloria*.

13. Non lætificemur ad humanas *laudationes*, nec expaveſcamus hominum *vituperationes*.

14. Paulatim creſcunt vitia, & dum non curamus *parva*, prolabimur in *magna*.

15. Ad vitia *tua*, non *aliena* attende.

16. In nulla cauſa contendas, quia contentio lites *parit*, rixas *gignit*, faces aliorum *accendit*, concordiam *rumpit*.

17. In omni tuo *opere*, auxilium DEI poſce.

18. Si cures, ut nulla ſit in te *imperfectio*; efficies, ut ſit in te maxima *perfectio*.

19. Nullum tam parvum eſt *malum*, quod non inclinet ad *pejus malum*.

20. Neceſſe

20. Necesse est adesse *divinum*, ubi humanum cessat *auxilium*.

21. Si fine consilio nihil *feceris*, post nullum factum *pœnitebis*.

22. De mortuo inimico tuo noli *gaudere*, sciens, quòd omnes simus sub mortis *onere*.

23. Consilium DEI, nemo nisi spiritualis vir *intelligit*, animalis enim homo ea, quæ DEI sunt, non *percipit*.

24. Rem maximam *procuras*, si minima *curas*.

25. Maximam *injustitiam facit*, qui, ut videatur, *justitiam facit*.

26. Justus mavult quæque mala *tolerare*, quàm vel unam legem DEI *violare*.

27. Qui patienter tolerat *mala in hac vita*, gloriam magnam merebitur *in altera vita*.

28. Homo pacificus securam possidet *mentem*, invidus perpetuam sentit *tribulationem*.

29. Graviùs torquetur impius, excogitando mundi *commoda*, quàm justus tolerando *adversa*.

30. Non potest quis esse in *pace*, si spem suam ponat in *homine*.

31. Utì pauperibus spiritu, à Christo Regnum Cœlorum *promittitur*, ita divitibus hujus sæculi, væ æternum *intonatur*.

SEPTEMBER.

1. Desiderantes, & esurientes *Justitiam*, semper habent unde *saturentur*, quia semper habent ubi justitiam *operentur*.

2. Nihil est tam minutum, & exile in verbo, *cogitatione*, & *opere*, cujus non erit stricta ratio danda coram supremo *Judice*.

3. Tunc videbis unicum otiosum *verbum*, pejus esse, quàm quodcúnque hujus mundi *malum*.

4. Unicum divinæ gratiæ *gradum*, pretiosiorem esse, quàm sit totius hujus mundi *aurum*.

5. Tunc videbis divitias esse quisquilias, honores esse fumum, voluptates esse spumam, & totam mundi *gloriam*, esse levissimam *bullam*.

6. Tunc videbis beatiùs esse vivere cum Lazaro *in paupertate*, & *miserijs*, quàm cum Epulone, *in purpura*, & *convivijs*.

7. Tunc nihil erit in pretio nisi *virtus*, & succumbet omnis humanus *respectus*, & ratio *statûs*.

8. Tunc cuncta hujus sæculi axiomata, & principia, *detractâ larvâ*, agnoscentur fuisse *futilia*, *noxia*, *ac stulta*.

9. Pluris apud te valeat DEI *præconium*, quàm vana laus hominum, átque *encomium*.

10. Gloriosius est injuriam tacendo *fugere*, quàm respondendo *superare*.

11. Magna est virtus, si non *lædas*, à quo læsus es.

12. Magna est fortitudo, si etiam læsus *remittas*.

13. Magna est gloria, si cui potuisti nocere, *parcas*.

14. Nec DEUS verè *sine proximo*, nec proximus verè diligitur *sine DEO*.

15. Non possunt peccata dimitti *ei*, qui non dimittit debita in se *delinquenti*.

16. Qui fratrem suum tardiùs sibi *conciliat*, DEUM tardiùs sibi *placat*.

17. Jactantia, est superbiæ *filia*.

18. Si te à peccato non detinet DEI *amor*, saltèm detineat te Judicis *timor*.

19. Facilè Judex à Justitia *deviat*, si in causis, non DEUM, sed homines *pertimescat*.

20. A divitijs facilè devenitur ad vitia, tolle *vitium*, & divitiæ non nocebunt.

21. Abstinentia est mater *sanitatis*, voluptas mater *ægritudinis*.

22. Radix desperationis est ignavia, & non solùm *radix*, sed & mater, & *nutrix*.

23. Magis optandum est, à quolibet *reprehendi*, quàm ab adulatore *laudari*.

24. Plùs nocet lingva *adulatoris*, quàm gladius *persecutoris*.

25. Si non dimittis injuriam, quæ tibi facta est, non *orationem pro te facis*, sed *maledictionem pro te inducis*, sic enim dicis: sic mihi dimitte, sicut & ego dimisi.

26. Gravia *peccata*, grandia *lamenta* desiderant.

27. Citiùs ad precem Judex *flectitur*, si à pravitate sua petitor *corrigitur*.

28. Tantus debet esse orantis erga DEUM *affectus*, ut non desperetur precum *effectus*.

29. Qui à præceptis DEI *avertitur*, id, quod in oratione postulat, impetrare non *meretur*.

21. Nihil est vile, quod amore DEI *agitur*, quia, vel vile non agitur, vel agendo vilitas rei *tollitur*.

OCTOBER.

1. Sæpe DEUS multos non exaudit ad *voluntatem*, ut eos exaudiat ad *salutem*.

2. Qui abſcondit ſcelera ſua, non *dirigetur*, qui autem confeſſus fuerit, & reliquerit ea, miſericordiam *conſequetur.*

3. Confeſſio omnium *malorum*, initium eſt omnium *bonorum.*

4. Peccatum proditum in Confeſſione, citò *curatur*; crimen autem, tacendo *ampliatur.*

5. Si patet in Confeſſione *vitium*, fit ex magno puſillum, & *exiguum.*

6. Confeſſio, eſt ſalus *animarum*, & diſſipatrix *vitiorum.*

7. Quid plura? obſtruit os *inferni*, portas aperit *paradiſi.*

8. Utinam tam citò convertatur peccator ad *pœnitentiam*, quàm citò Dominus paratus eſt, præfinitam mutare *ſententiam.*

9. Qui tempus congruum pœnitentiæ *perdit*, fruſtra ante Regni cœleſtis januam, cum precibus *venit.*

10. Parum ab infideli *differt*, qui pœnitentiam ad ſenectutis tempora *differt.*

11. Pœnitentia agenda eſt, non *verbo*, ſed *facto.*

12. Qui cupit eſſe certus in morte de *Indulgentia*, ſanus *pœniteat*, ſanúſque perpetrata facinora *defleat.*

13. Melior eſt rei familiaris *diminutio*, quàm animæ *perditio.*

14. Rari ſunt amici *veri*, & qui úſque ad finem exiſtant *chari.*

15. Meliùs eſt inimicitias perpetuas hominum infidelium *ſubire*, quàm DEI offenſam amicitijs noxijs *provocare.*

16. Fœlix, qui vel *unum* ex multis, *verum* invenit *amicum.*

17. In bonis non agnoſcitur *amicus*, in malis non abſconditur *inimicus.*

18. Non derelinquas amicum *veterem*, ex novis enim vix invenies ei *ſimilem.*

19. Amicitia hujus *ſæculi*, inimica eſt *cœli.*

20. Cibo corpus *paſcitur*, pio opere ſpiritus *nutritur.*

21. Nihil prodeſt ventrem ab eſcis *reſecare*, & animam paſſionibus *obruere.*

22. Qui vult DEUM *poſſidere*, debet vanitatibus hujus mundi *renunciare.*

23. Qui hujus mundi rebus *delectantur*, turbulentis ejus curis, & ſollicitudinibus *conturbantur.*

24. Non bene poſſumus *vigilare*, ſi dapibus voluerimus ventrem *onerare.*

25. Timenti DEUM bene erit in extremis, & in die ſuæ *defunctionis*, particeps erit divinæ *benedictionis.*

26. Nihil melius, quàm DEi *timor*; nihil ſuavius, quàm DEI *amor.*

27. Unde bonus *proficit*, inde invidus *deficit.*

28. Ex peccatis bella naſcuntur, & certamina, ubi autem peccatum *non adeſt*, ibi pax *animæ eſt.*

29. Quid juvat multa proponere, aut *deſiderare*, & nunquam ad opus manum *admovere.*

30. Non eſt utilior *ſcientia*, quàm ſui ipſius *notitia*.

31. Qui cuſtodit os ſuum, cuſtodit *animam ſuam*, & qui moderatur labia ſua[, oſtendit *prudentiam ſuam*.

NOVEMBER.

1. Tempore congruo *loquere*, tempore congruo *tace*.

2. Non ſuperbè audeat quis, id quod non intelligit, vel *condemnare*, vel *temerè judicare*.

3. Non propterea incipe opus bonum, ut *laudent te homines*, nec propterea deſiſte à bono, quia de factis tuis ſiniſtrè *loquuntur homines*.

4. In DEI judicio nihil proderunt *elogia hominum*, ubi ſola penſantur *opera ſingulorum*.

5. Ubi *multiloquium*, ibi etiam *ſtultiloquium*.

6. Caro, ſuis Tyronibus elargitur *momentaneam voluptatem*; mundus, *tranſitoriam ſublimitatem*: diabolus, *perpetuam captivitatem*: DEUS, *interminabilem fœlicitatem*.

7. Quidquid non eſt pro *æternitate*, totum plenum eſt *vanitate*.

8. Non ſervire *æternitati*, eſt ſervire *vanitati*.

9. Sicut finis non eſt gaudio *bonorum*, ita damnatis non erit finis *tormentorum*.

10. Quiſquis in ſolo æternitatis deſiderio *figitur*, nec proſperitate *attollitur*, nec adverſitate *quaſſatur*.

11. O cœca mens hominum, quæ ſemper tranſitoria *appetit*, æterna *reſpuit*!

12. Non dormientibus *provenit* Regnum Cœlorum, nec otio, ac deſidià torpentibus, beatitudo æterna *promittitur*.

13. In tempore utiliter non *vivitur*, niſi ad comparandum meritum, quô in æternitate *vivatur*.

14. Quod pro vita æterna *agitur*, etiam poſt mortem *ſervatur*.

15. Labor modicus, *voluptas æterna*: voluptas modica, *pœna perpetua*: multorum *vocatio*, paucorum *electio*. *Hæc fuit S. Franciſci Lectio*.

16. Nihil eſt æquè *utile*, quàm de gehenna *cogitare*, & *diſſerere*.

17. Non eſt perſona in judicio *conſideranda*, ſed cauſa *perpendenda*.

18. Cave *honores*, quos ſine culpa tenere non *potes*.

19. Bona eſt *ſubſtantia*, cui non eſt peccatum in *Conſcientia*.

20. Qui in ſuis divitijs *confidit*, ex improviſo ſæpe *corruit*.

21. Quantò ampliùs tibi nunc *parcis*, tantò duriores poſtea pœnas *luere debebis*.

22. Quidquid

22. Quidquid hîc oblectare creditur, *temporale est*; quidquid autem illic cruciat, *æternum est.*

23. Paucis diebus hîc *vivimus*, & *transimus*: omnes *morimur*, & velut aqua *dilabimur.*

24. Si tormenta, rationabiliter sunt evitanda *momentanea*, quæ finem habent, quô animô omni fine *carentia*?

25. Meditatio æternitatis, longanimitatem *alit*, & perseverantia vigorem *addit.*

26. Semper epulas loquacitas *sequitur*, cúmque venter *reficitur*, lingva *defrenatur.*

27. Verum gaudium non *possidetur*, nisi pax, & justitia teneatur.

28. Impia est *promissio*, quam sequitur sceleris *adimpletio.*

29. Gaudium semper habet *bona vita*, conscientia autem rea, semper est *in pœna.*

30. Non aliud loquaris, aliúdque *facias*, non aliud *dicas*, & aliud in mente *teneas.*

DECEMBER.

1. Sinè prævia consideratione nihil *promittas*, & semel promissa fideliter *adimpleas.*

2. Prima sapientia, est vitare *malum*; secunda, facere *bonum.*

3. Non est magnum multa *scire*, sed est magnum bene *vivere.*

4. Quid tibi prodest, si prædiceris *bonus*, dum es *malus.*

5. Graviter *delinquunt*, qui sibi loquentes jurare *cogunt.*

6. Beatus est ille, qui, & rectè *vivit*, & bene vivendo fidem rectam *custodit.*

7. In DEI providentia *fundatus animus*, adveniente quacúnque tempestate, manet *quietus, ac pacatus.*

8. Meliùs est *alieno* clarescere *testimonio*, quàm *proprio.*

9. E cœlo sunt *petenda*, omnis boni operis *auspicia.*

10. Quid juvat multa *scire*, & semetipsum *ignorare*?

11. DEUS exercet servos suos per multas *tribulationes*, ac multifarias *tentationes*, & quos *amat*, illos in hoc sæculo *castigat.*

12. *Superbia*, *&* *Ira*, *Avaritia*, *Venus*, *&* *Crapula*, potiorem partem mortalium trahunt ad *Tartara.*

13. Nemo læditur nisi *à se ipso*, ô quàm fœlix est is, qui nîl curat, quid dicatur *de ipso.*

14. Non is, qui multa *habet*, sed is, qui non multa *cupit*, censendus est felix, & beatus.

15. Christus beatos eos *pronunciat*, quos mundus, & caro miseros *reputat*; DEUS non *fallitur*, igitur Caro, & Mundus errat, ac turpiter *decipitur*.

16. Omnis perfectionis *initium*, est ejus ardens *desiderium*.

17. *Amari* vult DEUS, sed & reverenter coli, ac *adorari*.

18. Justa *causa* fletûs, est DEI offensa, eáque sola lacrymis *digna*.

19. Nihil tibi accidit per omnem vitam, aut accidere *poterit*, quin DEUS illud *prævideri*t, DEO enim nihil *fortuitum*, nihil est non *prævisum*.

20. Nemo sibi fidat, nemo in virtute sua *glorietur*, sed cum timore, ac tremore, unusquisque salutem suam *operetur*.

21. Per unum peccatum, via ad aliud *sternitur*, & ubi non caventur minora, ad graviora *delabitur*.

22. Piæ, ac compunctionis lacrymæ, lavant *sordida*, decorant *fœda*, suscitant *mortua*.

23. In his tribus pendet universa Evangelij doctrina. *Abstine* à malo, & abnega temetipsum: *Sustine*, & tolle crucem: *Age*, & sequere JESUM præeuntem.

24. Familiare est Christum sequenti Symbolum, & usitata Tessera: *Tacere*, & *Latere*, & illa priùs *facere*, quæ vult alios *docere*.

25. Vis laqueos omnes diaboli effugere? sobrius esto, & vigila: de malis hactenus commissis *dole*, in futurum meliora *propone*, & proposita *exequere*, omnémque inordinatam ad temporalia propensionem, ex animo *proscribe*.

26. Nullum tam sanctum opus homo *inchoat*, cui se dæmon immiscere non *studeat*.

27. Quæ major insania, quàm unicè curare momento *transitura*, & ne cogitatione quidem attingere æternùm *duratura*.

28. Cor humanum tantò amoris divini evadit *capacius*, quantò ab alijs, quæ mundi sunt, depuratum fuerit *diligentiùs*.

29. Modicum est, leve, ac temporaneum, omne onus *tribulationis*, sed æternum, & magnum est, illi promissum gloriæ pondus *retributionis*.

30. Tristitia justorum convertetur in *æterna gaudia*, mundi verò gaudium in *æterna lamenta*.

31. Laude dignissimus est is, qui omnibus diebus mortem *expectat*; sed ille Sanctus, qui nullà non horà eam *desiderat*.



PARA

PARAGRAPHUS SECUNDUS.

EPHEMERIDES ASCETICÆ,

Ex varijs ſelectis Aſcetis.

JANUARIUS.

I.

TUa ſcelera fuêre, ô homo! culter, qui JESUM infantem ſauciavit.

2. Vis diu tibi, & DEO vivere? corpori parum indùlge.

3. De pauperi, qui DEUM cupis eſſe debitorem.

4. Indulget ijs DEUS, quod petunt, qui ſibi nihil indulgent.

5. Vis à DEO honorari? mundi honores fuge.

6. Tutiſſimus ubique eſt, quem DEUS tuetur.

7. Quietem æternam non ſperet, qui pro ea nihil laborat.

8. Multa poteſt apud DEUM, qui pro DEO patitur multa.

9. Speras miſericordiam in Cœlis? eſto miſericors in terris.

10. Pauci homines fini ſuo convenienter vivunt, & ſalvi fiunt; & inde accidit, homines turmatim, ſicut floccos nivium ruere in gehennam, & maximam eorum partem damnari.

11. Unicum peccatum mortale, ſufficit ad æternam damnationem.

12. Si DEO vis carus eſſe? bene cœptis conſtanter inſiſte.

13. Vis ad Cœlum invitari? dimitte creata.

14. Adſunt Cœleſtia, ubi abſunt terrena ſolatia.

15. DEUS Angelis peccantibus non pepercit, quid de te futurum cenſes? Angeli deliquêre ſemel, tu millies: illi cogitatione unicâ, tu cogitationibus, verbis, & operibus innumeris: Illi erant excellentiſſimi Spiritus, tu miſer es terræ vermiculus, & tamen illi detruſi ſunt ad Orcum, & tu liberè peccare præſumis?

16. Unicum peccatum Adæ, fecit nos, quotquot ſumus homines, paradiſô exules, & mortis reos; & tu peccata peccatis cumulando, cœlum tibi promittere audes?

17. Quot actu ardent in inferno ob pauciora peccata, quàm ſint tua?

18. Tam dulce eſt Cœlum, ut qui illud cogitat, tormenta rideat.

19. Quàm ſordet mihi terra, dum Cœlum aſpicio *S. Ignatij Fund. S. I. ſuſpiriũ.*

20. Eſto cum DEO, ut DEUS tecum ſit, & ſecurus eris.

21. Bene perditur corpus, ut non perdatur anima. Cœlo non est aptus, quem non patientia aptat.
22. Suggestiones non admitte, & dæmonem superâsti.
23. Amicum Christi, Crux probat.
24. Devotè moritur, qui devotè vixit.
25. Cur non ludis mundum, toties tibi illudentem?
26. Quis es tu, qui peccas? quis ille, quem peccato offendis? quàm vilis res illa, propter quam cœlum amittis, & DEUM deseris!
27. Amanti DEUM, nihil est difficile.
28. Sola salus servire DEO est, sunt cætera fraudes.
29. DEUS diligentes se, diligit.
30. Mirum est, & maximè mirum, homines reperiri, ratione præditos, quos fluxarum rerum amor, in Cœli oblivionem abducit.
31. Omne, quod innocenter agitur, à stulto mundi, stultum esse putatur.

FEBRUARIUS.

1. Si amas DEUM, non pigebit te diu orare.
2. Crux Christi, pignus est amoris.
3. Relinque, quæ habes, propter DEUM, & Cœlum habebis.
4. A teneris virtuti assvescere, est tutissimum.
5. Dignus gratiâ non est, qui eam æstimare non novit, aut non vult.
6. Peccas? ô homo! ecce DEUS te videt, diabolus accusat, conscientia testatur, Angelus adstat, infernus æternum minatur!
7. Vis amari à Christo? ama amore ejus multa pati.
8. Ex virtutibus, sola perseverantia coronatur!
9. Vitam amas æternam? mortem ergo non timeas temporalem.
10. Opta fortiter, ut vincas, & coronaberis.
11. Non puduit te peccare, & pœnitere cur pudet?
12. Vis exorare JESUM, pete per MARIAM.
13. Si in DEO est Patria, cur dulcius apparet esse exilium?
14. Hominem vis habere debitorem, cur non DEUM?
15. Sicut mori optas, sic etiam vive.
16. Sancta, sanctè tractari debent.
17. Confide, propitium habebis Judicem, si Judicis Matrem Patronam habueris.
18. Nihil DEO carius, & nîl in orbe rarius, charitate.
19. Latrare diabolus potest, mordere non potest, nisi volentem.

20. Placet

20. Placet DEO, quiſquis novit pati.
21. Malè non moritur, qui libenter opera charitatis exercet.
22. Valde chari ſunt DEO, quibus captivi, & pauperes ſunt chari.
23. Non poteſt homo homini eſſe amicus, qui DEO fuerit inimicus.
24. Mundus, & dæmon, etiam cùm bene facere videntur, cavendi.
25. Nec facilior, nec planior via eſt in Cælum, patientiâ.
26. Cœlo diſplicere non poteſt, cui placet pro Chriſto pati.
27. Vis mundus eſſe? mundum fuge.
28. Nî iratum velis experiri DEUM, cave ſancta aliorum conſilia impedire.

MARTIUS.

1. In Cœlum, & pauperes, nemo fruſtra eſt liberalis.
2. Æternùm non patietur, qui patitur cum Chriſto.
3. Pudorem vix tuetur, qui carni blanditur.
4. Vera pax animi, non niſi per adverſa obtinetur.
5. Quanta fœlicitas! da fruſtulum panis, & recipe Cœlum.
6. Is verè magnus eſt, qui quod alios docet, ipſe facit.
7. Vis animam tuam poſſidere in Cœlo? patere.
8. Theſaurum quæris? vel Crucem Chriſti, vel miſſam à Chriſto accipe.
9. Et quid quæſo moras nectis in converſione?
10. Sine adverſis, non aditur Cœlum.
11. Verè Crucis pretium non ſcimus, ſi pati recuſamus.
12. Perfectus DEI amor ſolus eſſe non poteſt, ſine proximi amore.
13. Peccâſti? planè ne pereas, pœnitentiam age.
14. Stultus eſt, qui Cœlum ſibi fabricat in terris.
15. O Juris-Conſulti, utinam ſciretis, quàm ſit bona pauperum, & pupillorum cauſa. Plus hæc vobis importaret utilitatis, quàm ſumma divitum munera.
16. Si hominibus ſtudeas placere, ſervus DEI non es.
17. Omnes amamus aliquid, cur non DEUM?
18. Quid nî omnem horam timeas, quando omnis ultima eſſe poteſt.
19. Inter præſens, & æternum, magna eſt diverſitas, vide quid eligas!
20. Nunquam DEUS ſuis operarijs, & ſervis deeſt.
21. Si liberalibus in pauperes Cœlum aperitur, profectò avaris clauditur.
22. Fruſtra triumphum expectas, ſi pugnare nolis.
23. Vis à MARIA diligi, eandem dilige.
24. O quàm eſt glorioſus, qui pro Fide moritur, vel patitur!

25. Verus Chriſti ſervus, homines non timet.

26. Nec inter parentes, vel cognatos, ſemper tuta fides.

27. Sperne mundum, & ſapiet JESUS.

28. Quàm graviter vapulabit, qui propter mundum, Chriſtum, vel opere, vel verbo negat.

29. Multi peccatores plus patiuntur, ut damnentur; quàm juſti, ut ſalventur.

30. Æquius ne eſt, ut DEUS faciat, quod tibi libet; an, ut tu impleas beneplacitum ejus.

31. O quàm fœlix eſſes, ſi non velles, niſi quod DEUS vult, ô quàm viveres in profunda pace.

APRILIS.

1. Quid juvat eſſe in patria, & exulare à DEO?

2. Quid majori charitati dabit DEUS, qui etiam hauſtum frigidæ remunerabitur?

3. Ne ſic deſipias, ut mundi ſis amicus, & DEI inimicus.

4. Angelos devotè cole, experieris amicos.

5. DEUS poſuit terminos vitæ noſtræ, qui præteriri non poterunt. Breves dies ſunt hominis, numerus menſium ejus, apud DEUM eſt.

6. Si patiendum? cur non libenter? ut proſit pati.

7. Miraris DEUM in te tam illiberalem, vide, qualis tu ſis in pauperes?

8. Sit ſanè terminus vitæ tuæ, vigeſimus, aut trigeſimus, aut quadrageſimus, aut ſeptuageſimus annus, ad eum vita pertinget, & ſupra non aſcendet; & quid hi omnes anni ſunt ad æternitatem?

9. Ubi ſunt Principes gentium? & qui dominabantur ſuper beſtias, quæ ſunt ſuper terram? *Baruch.* 3. *v.* 16. potentes, & divites hujus ſæculi, tranſierunt omnes, velut umbra.

10. Quid horres dolores, quibus cœlum emitur?

11. Cùm tuæ preces non audiuntur, vide quomodo ores?

12. Vis DEO eſſe charus? gratias frequenter age.

13. Eſto vir multæ orationis, & quod timeas, non habebis.

14. Peccâſti? non deſpera, Magdalenam ſequere pænitentem.

15. Excipe Chriſtum in pauperibus, ut ab eo excipiaris.

16. Hîc ſaluti tuæ ſatage, ſi ſapis?

17. Nemo fruſtra MARIAM invocat.

18. Audi Chriſtum, & audiet te.

19. DEO, non diris, te devove.

20. Fœlices

20. Felices labores, quibus Cœlum, & obtinetur, & impletur.
21. Si pati, janua eſt ad DEUM; væ renuentibus pati.
22. Patientia in doloribus, reperit flores.
23. Nunquam fruſtra coluntur Cœlites.
24. Ne time, hôc vel illô morbô mori, ſed malè mori.
25. Vis coronari? flores patientiæ collige.
26. O brevis vita! ô longa æternitas!
27. Quàm cœcus es, qui tenebras lumini præfers!
28. Nemo non poteſt, ſi velit, pauperibus bene facere.
29. Aut pœnitendum, aut ardendum.
30. Veritas, odium parit.

MAJUS.

1. Non malè moritur, qui priùs mundo moritur.
2. Veræ miſericordiæ, nihil nimis eſt vel charum, vel pretioſum.
3. Merge opes, ne te mergant.
4. Subtile malum, vana gloria.
5. Quid proſunt honores, ſi te DEUS contemnat?
6. Quid juvat placere hominibus, ſi DEO diſpliceas.
7. Quid obeſt ab hominibus contemni, ſi à DEO æſtimeris?
8. Tantò plus diligeris à Chriſto, quantò minùs diliges mundum.
9. Reſpicit humiles DEUS.
10. Cave DEO ſubtrahas, quæ DEO debes.
11. Nec citiùs, nec ſeriùs morimur, quàm DEUS velit.
12. Fidelibus DEI ſervis, omnia ſerviunt.
13. Fuge perniciosa hominum conſortia.
14. Sancti timent judicari, tu rides!
15. Non confundetur, qui in Cruce ſpem ponit.
16. Non potes omnia dimittere? ſaltèm cor non affige.
17. Quiſquis ſapis, time Juſtitiam DEI.
18. Vis ſcire, quantùm Chriſtum ames? quantùm pro eo pateris.
19. Væ tibi, qui patrem carnalem plùs audis, quàm Cœleſtem.
20. Vis non labi? ſemper cave.
21. Si ſtare nôſti pro DEO, ſtabit DEUS pro te.
22. Putas ſapit, qui mundum diligit?
23. Talis in te erit DEUS, qualis tu in alios.
24. Lætè moritur, qui bene vixit.

25. Ut in æternitate non egeas, jam provide.
26. Qui rectè novit orare, omnia habet.
27. Non est brevior ad DEUM via, Cruce.
28. Pugna, & DEUS non deerit, tibi suô adjutoriô.
29. Nullibi opes magìs prosunt, quàm in manibus pauperum.
30. Brevi morte æternam redimere, prudentis est.
31. Ubique servire DEO potes, si velis.

JUNIUS.

1. Utrùm melius sit, Christi, an mundi amicum esse? elige.
2. Te mortalem credis, & ad mortem non te paras?
3. Sequutus es peccantes, sequere & pœnitentes.
4. Finis coronat opus.
5. Peccati leprâ vis liberari? lacrymis baptizare.
6. Quid tibi sufficit? si DEUS non sufficit.
7. Omnis copia, quæ non est DEUS, egestas est.
8. Si delectat te mundus, semper vis esse immundus.
9. In Angelis suis reperit pravitatem, & tu non expavescis!
10. Ubi Samson, heros ille fortissimus? ubi Salomon Sapientissimus? ubi pulcher Absolon? ubi Jonathas amabilis?
11. Ah cinis, quare extolleris?
12. DEUS, qui Luciferum damnavit, num tibi parcet?
13. Ceciderunt stellæ de Cœlo, & ego pulvis quid præsumo!
14. Ventrem accepisti, ut nutrias, non distendas; ut tu illi domineris, non ut eum Dominum habeas; ut tibi serviat, non ut tu illi servias.
15. Magis aggravant Christum vulnera peccati, quàm vulnera corporis sui: talem Patrem (DEUM) offendere, quàm crudele!
16. Quânam fronte attollo oculos ad vultum Patris, tam malus filius!
17. Pejus est peccare, quàm à dæmone obsessum esse.
18. Peccatum, una duntaxat res est gravis, & pertimescenda, reliqua omnia mera fabula.
19. Unus peccati consensus, immensas animæ, & corporis amittit divitias.
20. Qui diligit iniquitatem, odit animam suam.
21. Universa vanitas, omnis homo vivens.
22. Pœnitententiam agere, est perpetrata mala plangere; & plangenda non perpetrare.
23. Qui pectus suum tundit, & non se corrigit, peccata solidat, non tollit.

24. Veræ

24. Veræ pœnitentiæ indicium eſt, opportunitatis fuga, ſubtractio occaſionis.

25. Non dimittitur injuſtè ſublatum, niſi reſtituatur ablatum.

26. Eadem te, quæ alios; ſors manet abeundum tibi hinc, & mors ſpoliabit te omnibus bonis vitæ hujus.

27. Noli peccata contemnere, quia minora ſunt; ſed time, quia plura ſunt.

28. Ex opum cupiditate naſcitur ira, fraus, perjurium, injuſtitia, inquietudo mentis, duritiæ in pauperes, ariditas, & diſtractio in oratione,

29. Ex opibus congeſtis oritur ſuperbia, jactantia, arrogantia: ex ſuperbia hypocriſis, ambitio, aliorum contemptus, triſtitia, de ſecundis proximorum ſucceſſibus, judicij proprij tenacitas, & alia plurima vitia.

30. Ex contemptu mundi, & divitiarum, ſequitur animi pax, & tranquillitas, magna cordis lætitia, & conſolationum divinarum abundantia.

JULIUS.

1. Pauci moriuntur, opinione ſuâ tardiùs.
2. Nihil auferes tecum hinc; niſi bona, & mala opera.
3. Non poteſt malè mori, qui bene vixerit.
4. Pœnitentia, quæ ab infirmo petitur, infirma eſt.
5. Non ſecurus hinc exit, qui malè ſecurus hîc vixit.
6. Fruſtra parantur remedia, cùm mortis imminent pericula.
7. Momentum mortis tuæ, principium eſt felicis, vel infelicis æternitatis. Nam ſi lignum ceciderit in Auſtrum, (cœleſtis gloriæ) aut Aquilonem, (æternæ damnationis) in quocúnque loco ceciderit, ibi erit. *Eccleſ.* 11. *v.* 3.
8. Quô tu modò caderes, ſi nunc exſcindereris?
9. Quot putas hâc ipsâ horâ morientes, pœnis æternis mulctandos? jam ſi tibi moriendum eſſet, quid futurum de te crederes?
10. Nimis ille temerarius eſt, qui cum peccato mortali cubitum vadit.
11. In morte aperientur nobis oculi: ut videamus bona hujus mundi, meriſſimas eſſe vanitates.
12. Quando es natus? audiviſti, & fortè ſcriptum etiam legiſti; quô Anno, Menſe, die, & horâ, vel etiam minuto: at nec ætas tua, nec annus, nec menſis, nec dies adſcriptus eſt, quô tu morieris.
13. Amaritudo eſt peccati, mors vicina. Ars verò illam tollendi, eſt confeſſio tempeſtiva.
14. Egiſſe moriens, quod voles, hoc nunc age. Egiſſe, quod tunc non voles, nunc non age.

15. Præſtat non committere id, de quo in Judicio judiceris; quàm funeſtam dare materiam, ipſo Judice, id vidente.

16. O! ſi quàm ſevera, omnium, quæ fiunt, à DEO in morte ratio exigatur, tibi perſpecta forent!

17. Cùm interîerit homo, non deſcendet cum eo gloria.

18. O! ſi quàm difficilis ſit ad ſalutem aditus, palàm intelligeres!

19. Quoties diem Judicij cogito, toto corpore contremiſco; inquiebat S. Hieronymus: Quid igitur nos miſeri facturi ſumus, ubi tanti viri trepidant!

20. Nemo credit, quàm DEUS exactè rationes poſcat, ſtrictè judicet, ſeverè puniat!

21. Quis peccare poterit, qui ſemper ante oculos ſuos, DEI Judicium ponit?

22. Iter ad Divinum Tribunal, à nemine ſuſcipiendum, ſine digna pœnitentia.

23. In vita ſpirituali, nihil tam exiguum eſt, quod non mereatur incrementum gratiæ, & gloriæ.

24. Carnalis gloria, dum nitet, cadit.

25. Quoúſque tu tantæ gloriæ præfers fœnum, quod hodie eſt, & cras in clibanum mittetur?

26. O ſæculum vanum, quod tanta nobis promittis, dum decipis!

27. Infelix voluptas, infeliciſſima cupiditas, quæ per tranſitoriam dulcedinem, præparant ſempiternam amaritudinem.

28. Homines id, propter quod peccant, hîc amittunt, & ipſa peccata ſecum portant.

29. Mors ſceptra ligonibus æquat, & univerſa arguit vanitatis.

30. Si poſſemus facere, ut dies Judicij non veniret, nec ſic eſſet malè vivendum.

31. Vide, ut ad Euchariſtiam ſæpe, ſed ſemper paratus accedas; ne tibi Judicium manduces, & bibas.

AUGUSTUS.

1. O homo! futurum ſcito, ut judicéris, & minùs peccabis.

2. Quoties diem Judicij cogito, toties corde, & ore contremiſco.

3. Accedamus ad pœnitentiam, interrogemus conſcientias noſtras, ut poſſimus horrendum evadere Judicium DEI viventis.

4. Quid quæſo tunc proderit ſcientia, & jactantia? quid divitiæ, & terrenæ dignitatis cupiditas? quid ſæculi pompa, & mundi vanitas? quid facient tabulæ, ſi tremunt columnæ in Divino Judicio? Quid prodeſt tam diù vivere, quando tam parum nos emendamus?

5. Quo-

5. Quomodo virgulta immobilia ſtabunt, ſi hujus pavore cedri quatiuntur? ſi hoc in viridi, in arido, quid fiet?

6. Magnopere opta, ut diem obitûs, diem extremi Judicij, damnationem extremi ſupplicij, beatitudinem Regni futuri, ſemper memineris. *S. Ambroſius.*

7. Si in Angelis reperîſti pravitatem, quid fiet de me?

8. Sto attonitus,& conſidero,quia Cœli non ſunt mundi in conſpectu tuo.

9. Mors eſt Echo vitæ: Mors ita, ſicut vita.

10. Plena conſolatione ſententia: Venite Benedicti. Plena horrore: Ite maledicti. Alterutra certò nos expectat.

11. Nemo credit, quanta tormentorum apud inferos ſit acerbitas! nemo capit, quanta ſit diuturnitas! nemo ſatìs perpendit,quàm longa ſit æternitas!

12. Infirmitas carnis, ſi patienter ſuſtineatur,erit quaſi purgationis ignis.

13. Deſcende frequenter cogitatione in infernum,ſi vis evitare infernum.

14. Omnis dolor irruet ſuper damnatos. Illic, eſt ignis, qui non ſuccenditur. Illic, eſt vermis, qui non moritur. Ibi frigus horrendum, pœna inexplicabilis, tenebræ æternæ:

15. Ibi horribilis facies dæmonum, fœtor intolerabilis. Ibi fletus,& ſtridor dentium, planctus,& gemitus damnatorum. Æterna fames, æterna ſitis, æternum ſulphur, æternum odium.

16. Ibi eſt æterna rabies, æterna paſſio, æterna fames, æterna confuſio, æternus luctus, æterna comploratio, æterni boni omnis abſentia, æterni mali præſentia.

17. Quid proderit poſt mortem inanis gloria? brevis lætitia? mundi potentia? carnis voluptas? magna familia?

18. Multi ceciderunt in ore gladij, ſed non ſic, quaſi qui interiêrunt, per lingvam ſuam.

19. O quantam partem damnatorum, voluptates carnis præcipitârunt.

20. O quàm multorum animas oculi deprædati ſunt! Eva, Dina, David, & plerique alij tibi exemplo ſint; nam felix, & ſapiens eſt, qui ex alieno malo, cavet ſuum.

21. O ſi homines ſaperent, & intelligerent, ac finem ſuum, & beneficium Creationis,ac Redemptionis ſuæ agnoſcerent, &,ut par eſt,æſtimare vellent!

22. DEUS dedit intellectum homini, & firmavit oculos ſuos ſuper eum; ut non ſit ſicut equus,& mulus, quibus non eſt intellectus, ad cognoſcendum Creatorem ſuum.

23. Intellectum quidem, ut agnoſceret DEUM, ac Dominum ſuum: voluntatem, ut eum diligeret, & Cœleſtia ſolùm appeteret: Memoriam, ut illius, ac bene-

ac beneficiorum ejus ſemper recordaretur: ſenſus, ac vires, cum corporis,tum animæ, ut hæc omnia ad nominis ejus gloriam, converteret.

24. Ecce finis ad quem homo conditus eſt, nempe: ut Dominum DEUM ſuum laudet, & revereatur, eique ſerviens, tandem ſalvus fiat.

25. Conſtitutus es in hoc ſtadio, ut ſtrenuè currendo, & certando, tandem accipias bravium, & coronam Juſtitiæ.

26. At, ô cœci & infelices, qui non ſapiunt, nec intelligunt hæc! adeóque nihil minùs curant, quàm id, cujus gratiâ conditi ſunt.

27. Et quaſi in vacuum acceperint animas ſuas, ita circa præſentia ſolliciti ſunt, & toti in his occupantur, quæ inquirunt gentes, DEUM ignorantes.

28. Unde ita corruptè vivunt, & abominabiles in ſtudijs ſuis, quaſi non ſit DEUS, & non ſit ſcientia in excelſo.

29. Vel quaſi unus ſit interitus hominis & jumenti, & æqua ſit utriúſque conditio: adeò rarò, vel nunquam, Cœlum, & Cœli prœmia cogitant.

30. Conſidera quæſo vanitatem hominum, ſtulto, ac inani labore ſe conſumentium: ſtatuunt oculos ſuos declinare in terram, & malunt laborare pro vilibus hujus mundi rebus, quàm pro honore, & amore DEI, & prœmio vitæ æternæ, malunt inanem gloriam venari, quibus ptomittitur æterna!

31. O quàm pauci cuſtodiunt vias ſuas, ut non delinquant in lingva ſua: unius verò lingvæ damna, & delicta, nulla lingva recenſere valet.

SEPTEMBER.

1. Quid proderunt fuſcæ divitiæ? mala concupiſcentiæ? Ubi riſus? ubi jocus? jactantia? de tanta lætitia, poſt tantam voluptatem, quàm gravis miſeria!

2. Nullus ex ijs, qui habet gehennam ante oculos, incidet in gehennam.

3. Nullus ex ijs, qui deſpexit gehennam, effugit gehennam.

4. Damnati non habent requiem, die, ac nocte. Quærent mortem, & non invenient eam, deſiderabunt mori, & mors fugiet ab eis.

5. Cruciabuntur igne, & ſulphure, úſque in æternum non videbunt lumen: mors depaſcet eos, & mori non poterunt.

6. Fumus tormentorum eorum, aſcendet in ſæcula ſæculorum. Semper morientur ad vitam, ſemper vivent ad mortem, ſepulchrum eorum, domus eorum in perpetuum, hoc ſepulchro egredientur nunquam.

7. Tria ſunt in damnatis, quæ omnem cogitationem omnino excedunt noſtram: Non poteſt excogitari ullum bonum etiam minimum, quo illi non careant. Non poteſt excogitari ullum malum, quò illi majus non patiantur.

Non po-

Non poteſt excogitari ullum tam longum tempus, quô illi diutius omnia hæc mala, non ſuſtineant, & illis bonis careant.

8. Quidquid quis dicat, aut cogitet de æternitate, minùs dicit, aut cogitat.

9. Qui non vult cruciari, aut ardere ſemper, ante ſupplicium, cogitandum eſt de ſupplicijs.

10. Levis nunc neglectus, æternum fit diſpendium.

11. Alia DEI judicia, alia hominum.

12. Homo videt ea, quæ patent, DEUS autem intuetur cor.

13. Felix, & infelix æternitas, ab uno momento pendet.

14. Modica hìc voluptas, ſed poſtea pœna æterna. Modicus hìc labor, ſed poſtea gloria æterna.

15. Domine, hìc ure, hìc ſeca, modò in æternum parcas.

16. Si ab alio injuriâ, damno, aut contumeliâ læſus fuiſſes, quid non feciſſes pro commodo, famâ, & honore tuendo? At verò, ut DEO placeres, ut cœlum lucrareris, quàm exiguum eſt, quod hactenus egiſti?

17. Si vel decimam partem eorum, quæ feciſti pro ſæculi hujus apparentibus, & fucatis bonis, feciſſes pro cœlo: ſalvus utique, & beatus viveres!

18. O inſani, & infideles corde, qui tam profundè in tenebris jacent, & nihil, niſi carnalia ſapiunt!

19. Attende ad cœleſtia bona, & videbis, quòd omnia iſta temporalia, nulla ſint, ſed valde incerta, & magìs gravantia, quia nunquam ſine ſollicitudine, ac timore poſſidentur, ac cum dolore amittuntur.

20. Felix proinde eſt, omnis is, qui potuit mundum contemnere, experiríque, quàm dulce ſit mundi hujus nugis nugarum carere.

21. Tuam ipſius conſcientiam conſule, an non hactenus duriora pro mundo, & carne tua paſſus es, quàm quæ DEUS pro Cœlo lucrando à te exigeret?

22. Ecce quàm impigrè currunt filij hujus ſæculi, quomodo ſe ſe diſcruciant, ut modica, & mox peritura bona terræ, ſibi comparent, cœleſtia autem penitus negligunt.

23. Multò faciliùs eſt cœlum lucrari, quàm terram; placere DEO, quàm mundo.

24. Nam labor, & contritio, ac infelicitas eſt in vijs eorum, quia viam pacis non cognoverunt.

25. An non ipſorum damnatorum vox eſt: vias difficiles ambulavimus, laſſati ſumus in iniquitatibus noſtris!

26. Facilis relapſus ad peccatum, argumentum eſt pœnitentiæ minùs ſeriæ.

27. Quàm facilè eſſet multis effugere peccata, ſi ſeriò vellent pericula, & occaſiones peccatorum effugere.

28. Nimis proni ad mala ſunt ſenſus hominis, ab adoleſcentia ſua, & tu inter ipſas occaſiones, ſeu incentiva peccandi, illæſus tranſibis?

29. Faciliùs eſt modò Divinæ Juſtitiæ ſatisfacere, dum adhuc eſt tempus miſericordiæ, & dies ſalutis, quàm in altera vita, per pœnas purgatorij.

30. Faciliùs eſt hîc ſolvere pœnas peccatorum, quàm reſervare in illud tempus, in quo ipſæ quóque Juſtitiæ judicabuntur.

OCTOBER.

1. Nihil pretioſius tempore invenitur.

2. Non defrauderis à die bono, & particula boni diei non te prætereat.

3. Dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes, maximè ad domeſticos fidei.

4. Ne dicas, priora tempore meliora fuêre, quàm nunc ſunt, virtutes faciunt dies bonos, vitia malos.

5. Sicut unda undam perpetuò propellit, ita dies diem trudit.

6. Quiſquis lethaliter delinquit, DEUM graviſſimè offendit, eúmque ſibi & hoſtem conſtituit. Divinam gratiam amittit, omne genus miſeriarum, & calamitatum ſibi ultrò accerſit.

7. Damna fleo rerum, ſed plus fleo damna dierum. Rex poterit rebus ſuccurrere, nemo diebus.

8. Sicut tinea veſtimento, vermis ligno, ita viri triſtitia nocet cordi.

9. Vive precor, ſed vive DEO, nam vivere mundo, mortis opus, vera eſt, vivere, vita DEO.

10. Tempus eſt, ut aliquando, æternæ tuæ ſaluti provideas.

11. Vivamus DEO paululum, qui ſæculo viximus totum.

12. Cœlum, & terra clamat, Domine, ut amem te.

13. Peccatores, vix timore pœnarum, à vitijs abſterrentur. Juſti amore DEI, & conſideratione ſempiternæ vitæ, ad omne opus bonum incitantur.

14. In Cœlo eſt, quidquid deſideratis, quidquid amatis, ô homines! ibi enim eſt omnis boni præſentia, omnis mali carentia.

15. Si enim delectat nos pulchritudo? Fulgebunt juſti ſicut ſol; ſi velocitas, aut fortitudo? ſi libertas corporis? Erunt beati ſimiles Angelis DEI. Si ſatietas? inebriabuntur ab ubertate domûs DEI.

16. Si longa, vel ſalubris vita? ibi erit ſana æternitas, & æterna ſanitas. Quia juſti in perpetuum vivent, & ſalus juſtorum à Domino eſt. Si cantus, & melodia? Angeli concinunt ſine fine DEO. Si voluptas? torrente volupta-

tis potabuntur. Si ſapientia, oſtendit ſe ipſam eis. Si amicitia? ſincera hæc erit, & conſtans, inter DEUM, & Beatos,ac beatorum inter ſe.

17. Quid autem eſt vita noſtra? quæ tota comprehenditur in hoc compendio: Somnus, Bulla, Vitrum, Glacies, Flos, Fœnum, Umbra, Cinis, Punctum, Vox, ſonus, Aura, Nihil.

18. Major eſt Scripturæ Sacræ authoritas, quàm omnis ingenij humani perſpicacitas.

19. Omnia alia aliena ſunt, ſolum tempus noſtrum eſt.

20. Quot pori corporis, tot oſtia ſunt mortis, non ubíque ſe mors propè oſtendit, ubíque tamen, propè eſt.

21. Ecce nunc tempus acceptabile, nunc dies ſalutis, ſi hoc negligis, nimis temerè tibi aliud ſpacium pœnitentiæ polliceris.

22. Age nunc ergo, quod tunc actum voles, cùm plus agere non poteris, & non egiſſe cùm poteris, vehementer, ſed nimis ſerò, dolebis.

23. O ſi ſcires, quàm periculoſum, & noxium ſit, in vacuum gratiam DEi accipere, & vocantem DEUM negligere!

24. Cogita quantopere ob rei viliſſimæ jacturam, ſubinde doleas, & plores; & non doles, cùm feciſti detrimenta animæ tuæ, & amiſiſti DEUM, ſummum bonum tuum.

25. O quanta eſt dementia peccatoris? dum vendit animam ſuam, pro viliſſimo hujus mundi pretio, cujus pretium eſt Sangvis Chriſti.

26. Siccine pluris tibi eſt honor tuus, aut aliud exiguum, ac tranſitorium bonum, quàm æterna tua ſalus?

27. Mavult peccator hoſtem ſequi, qui obſequium ſibi præſtitum, & brevis voluptatis uſuram, æternis ſupplicijs penſat; quàm Chriſtum, qui ſequentes ſe, gloriâ, & honore coronat.

28. Miſer peccator DEUM fontem Aquæ vivæ derelinquit, & fodit ſibi ciſternas, quæ continere non valent aquas, cùm poſſit haurire aquas in gaudio, de fontibus Salvatoris.

29. Peccator, & mundi hujus amator, tanti facit viliſſimas, & inaniſſimas mundi vanitates, ut ſæpe malit offendere DEUM, quàm hominem; æterna bona perdere, quàm caduca; & mandata DEI potiùs, quàm hominum judicia, contemnere.

30. Quid facies miſer in illa die tremenda, quando DEUS revelabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium.

31. O quàm breves, quàm falſæ, quàm inordinatæ, & turpes ſunt omnes voluptates hujus mundi!

NOVEMBER.

1. Principium dulce eſt, ſed finis amoris amarus.

2. Voluptas brevis, lònga pœnitentia.

3. Læta venire Venus, triſtis abire ſolet.

4. Flumina quæſitum, ſic in mare dulcia currunt. Poſtquam guſtârunt æquora, amara fluunt.

5. Quippe nec ira DEUM tantùm, nec tela, nec hoſtes, Quantùm ſola nocet animis, illapſa voluptas.

6. Voluptas eſt veluti quidam hamus diaboli, ad perniciem nos trahens.

7. Nihil dæmoni tam gratum, quàm ſunt deliciæ, & ebrietas, quoniam fons eſt omnium malorum, & genitrix.

8. Oblectatio corporeæ voluptatis, plus doloris habet, quàm jucunditatis.

9. Fili mi, cuſtodi ſermones meos, & præcepta mea reconde tibi.

10. Non contriſtabit juſtum, quidquid ei acciderit.

11. Vis nunquam eſſe triſtis? bene vive; bona vita, ſemper gaudium habet.

12. Cum malis conſilium non habeas, non enim poterunt diligere, niſi quæ eis placent.

13. Qui cum ſapientibus graditur, ſapiens erit. Amicus ſtultorum, ſimilis efficitur.

14. Reſurget juſtus, ut judicet; peccator, ut judicetur, impius; ut ſine judicio puniatur.

15. Nihil pernicioſius civitati, quàm diviſio; & nihil melius, quàm unio.

16. Si uxor, maritus, & filij, átque domeſtici, in concordia ſunt, quid eſt domus? niſi Cœlum. Si autem diſcordia eſt inter illos, quid eſt? niſi infernus.

17. Pacem habete, & DEUS pacis, & dilectionis, erit vobiſcum.

18. Secura mens, quaſi juge convivium.

19. Sera pœnitentia, raró eſt vera, non tam enim deſeruntur peccata, quàm ipſa deſerunt peccatorem: & mirum eſt valde, quòd tam rei incertæ, & dubiæ, audeas ſalutem tuam committere, qui alibi certiſſima quæque ſollicitè perquiris?

20. Convertere igitur ad DEUM, & æternos dies in mente habeto, quoniam mille anni apud DEUM ſunt, tanquam dies heſterna, quæ præterijt.

21. An non perversè agis, dum vis dare ætatis florem, carni, & mundo,

& fœcem

& fœcem Chriſto? qui tibi dedit omnia, & tui causâ fuit in laboribus, à juventute ſua?

22. Nunquam invenies verum gaudium in creaturis, nunquam in ijs reperies ſolidam quietem, nunquam cum illis habebis ſecuritatem, nunquam cum illis obtinebis fidelitatem.

23. Stude ita vivere, ut ſemper mors te paratum inveniat, túque paratus ſemper ad mortem, excipias; & quidem promptè, & hilariter, utpote terminum omnium hujus mundi miſeriarum, & portum Regni Cœlorum, ac perpetuorum gaudiorum.

24. Quamdiu ſumus in hac vita, peregrinamur à Domino, & ſumus in exilio: quis jam peregrinus, & exul, non promptè, ac hilariter ſuſcipiat revocationem ſui in patriam? Ecce mors hoc nobis beneficium præſtat, hæc enim, & revocat nos, & reducit in cœleſtem patriam.

25. Vita hominis, militia eſt ſuper terram. Poſt longas pugnas, miles aſpirat ad quietem, expectat avidè bravium, & laborum ſuorum mercedem, & remunerationem. Ecce mors eſt, quæ nobis ad iſta præbet aditum.

26. Totus hic mundus in maligno poſitus eſt, eſt vallis lacrymarum, & miſeriarum, eſt mare periculis, ac naufragijs infame. Ecce mors eſt finis omnium iſtorum malorum, & portus ad æternam ſecuritatem. Quid igitur horroris in ea invenitur? cur ita timetur?

27. O quantum eſt hominis ſolatium, vitam in bonis operibus exegiſſe.

28. Theſaurus meritorum, ſanctis virtutum actibus comparatus, bonum eſt, quod animo eripi non poteſt.

29. Inter omnia bona, quæ deſiderari ab homine poſſunt, máximum eſt, ſancta Mors.

30. Vive igitur deinceps in gratia, ut moriaris in pace; vive ſanctè, ut moriaris tranquillè; vive in pœnitentia, ut moriaris in ſecuritate.

31. Aut pecus, aut ſaxum eſt, quem à vitijs non revocat æternitas.

DECEMBER.

1. Omne tulit punctum, patitur qui ſemper agítque, quæ vult, quóque modô vult DEUS, & quia vult.

2. O Mortales unius dieculæ, quotidianorum ignari, futurorum non proſpicientes, prerpendite, ad quam tenditis æternitatem.

3. Væ illi carni, væ illi animæ, æternitati quæ præfert brevem moram.

4. Quid prodeſt ei, quem ſordidant mores, generatio clara? aut quid nocet ei generatio vilis? quem mores adornant.

5. Difficile

5. Difficile eſt, ut præſentibus quis, & futuris bonis fruatur; ut hîc ventrem, & ibi mentem impleat, ut de delicijs tranſeat ad delicias, & in utróque ſæculo primus ſit, & in Cœlo, ac in terra appareat glorioſus.

6. Nihil eſt in rebus, ac negotijs humanis, præter umbram, aurámque leviſſimam, ſine mora prætervolantem.

7. Si conſideremus, quæ, & quanta ſint, quæ nobis promittuntur in Cœlis, vileſcunt animo omnia, quæ habentur in terris.

8. Honores fugiunt, manet æternitas; aurum te deſerit, manet æternitas; caro dilabitur, manet æternitas; pro tam vilibus, tam ſæva æternitas; & pro tam brevibus, æterna æternitas!

9. Cur ergo ludimus? venit æternitas; cur tempus perdimus? quærit æternitas; fugit, quod quærimus, ſed non æternitas; & id, quod dicimus, notat æternitas; Et, ſi quid patimur, laudat æternitas; & quando labimur, notat æternitas.

10. Quid heu ſtertitis? clamat æternitas! æterna perditis! urget æternitas; nugas diligitis, monet æternitas.

11. Aut mundus errat, aut Chriſtus fallitur; atqui hunc, cùm ſit infinita Sapientia, falli impoſſibile eſt, ergo mundum errare neceſſe eſt. Cur igitur mundi dictamina potiùs, quàm doctrinam Chriſti, ſequuntur homines.

12. Vincula hujus mundi, aſperitatem habent veram, jucunditatem falſam.

13. Non eſt timendum, ſit niſi æternum malum, non eſt amandum, ſit niſi æternum bonum.

14. Non dormientibus, provenit Regnum cœlorum; nec otiô, vel deſidiâ torpentibus, beatitudo æternitatis promittitur. Mundus clamat, ego decipiam; caro clamat, ego inficiam; diabolus clamat, ego deficiam; Chriſtus verò dicit, ego reficiam. Et tamen ſuperba mens, magis vult ſequi deficientem, quàm reficientem.

15. Quæ nùnc placent, momentanea ſunt; quæ te manent, æterna ſunt; Ridet voluptas, interim infernum parat.

16. Facilè omnes cruces vincit, qui mente ſuâ æternitatem aſpicit.

17. Inter omnes tribulationes humanæ animæ, nulla eſt major, quàm conſcientia delictorum.

18. Paradiſi gloria, eſt ſempiterna vita. Labore igitur, ſi fieri poſſet, emenda ſempiterno. Et tu nec modicos labores vis præſtare, pro eâ conſequenda.

19. Omnium ſæculorum ſpatia, ſi æternitati comparentur, non exigua æſtimanda ſunt, ſed nulla. Nam finiti ad infinitum, nulla eſt comparatio.

20. Nulla

20. Nulla maris arena, illum sæculorum numerum, quem continet æternitas, exæquabit. Tot annorum myriades, an non possunt horæ unius lenocinia superare?

21. Certum est, nec beatos habituros, quod in æternum metuant; nec damnatos, quod sperent.

22. O æternitas, quàm longa es! ô æternitas, quàm optabilis es beatis! ô æternitas, quàm terribilis es damnatis!

23. Peccâsti aliquando graviùs? si ita; non restat aliud, quàm, vel infernus, vel pœnitentia.

24. Nisi promptè, ac celeriter pœnitentiam agas, fortè nunquam illam rite perages.

25. Cur differs conversionem tuam? Nisi eam agas, subitò fortassis morieris: Nisi illam agas in tempore, serò illam ages in æternitate.

26. Noli pœnitentiam, vel bonum aliquod opus differre in crastinum, cùm non es certus, de vita in crastinum producenda.

27. Quid tibi proderit, vixisse in delicijs, si moriturus sis in peccato? quid tibi proderit tempus transegisse voluptuosè vivendo, si infelix futurus sis in omnem æternitatem?

28. Tempus concessum est tibi, ut curam geras salutis tuæ, néque tibi superest, nisi modicum temporis. Ecce mors singulis diebus appropinquat. Ecce vita dilabitur. Ecce sanitas deficit. Ecce judicium tuum imminet.

29. Quàm multis hominibus, hic ipse annus currens, erit finis vitæ, & initium æternitatis: quid, si & tibi, qui hæc legis? ingemisce, & contremisce.

30. Virtus, si quam amâsti, vitia, quæ patrâsti, tecum ibunt in vitam alteram: nec alios habebis comites tam longi itineris!

31. Humanæ vitæ Prologus est *nasci*, Narratio *dolere*, Epilogus *mori*.



PARAGRAPHUS TERTIUS.

EPHEMERIDES ASCETICÆ,

SIVE SELECTI APHORISMI, EX AUREO LIBELLO

THOMÆ KEMPENSIS.

De Imitatione Chriſti, excerpti; & in ſingulos anni dies diſtributi.

JANUARIUS.

I.

VAnitas vanitatum, & omnia vanitas: præter amare DEUM, & illi ſoli ſervire.

2. Non omni homini reveles cor tuum, ſed cum ſapiente, & timente DEUM, age cauſam tuam.

3. Quis te magis impedit, & moleſtat, quàm immortificata affectio cordis?

4. Bona vita refrigerat mentem; & pura conſcientia, magnam apud DEUM præſtat confidentiam.

5. Pro nulla re mundi, & pro nullius hominis dilectione, aliquod malum eſt faciendum.

6. Totum vanum exiſtima, quidquid conſolationis occurrit de aliqua creatura.

7. Iſta ſumma eſt ſapientia, per contemptum mundi tendere ad cœleſtia Regna.

8. Noſtra opinio, & noſter ſenſus, ſæpe nos fallit, & modicum videt.

9. Nemo eſt in mundo ſine aliqua tribulatione, vel anguſtia, quamvis Rex ſit, vel Papa.

10. Stude patiens eſſe, in tolerando aliorum defectus.

11. Tunc meliùs interiorem teſtem, DEUM quærimus, quando foris vilipendimur ab hominibus.

12. Sicut oculus tuus alios conſiderat, ſic iterum ab alijs notaris.

13. Ignis probat ferrum, & tentatio hominem juſtum.

14. Gaudebis ſemper veſpere, ſi diem expendas fructuosè.

15. Sequentes ſuam ſenſualitatem, maculant conſcientiam, & perdunt DEI gratiam.

16. Bonus, & devotus homo, opera ſua priùs intùs diſponit, quæ foris agere debet.

17. Quis eſt, qui meliùs habet? utique, qui pro DEO aliquid pati valet.

18. Habeas ſemper oculum ſuper te primùm, & admoneas te ipſum, ſpecialiter præ omnibus tibi dilectis.

19. Erras, erras, ſi aliquid quæris, quàm pati tribulationes: quia tota iſta vita mortalis, plena eſt miſerijs, & circumſignata crucibus.

20. Non eſt magnum, cum bonis, & manſvetis converſari: hoc enim omnibus naturaliter placet.

21. Propter levitatem cordis, & negligentiam defectuum noſtrorum, non ſentimus animæ noſtræ dolores.

22. Non parvum munus eſt, quod à ſummo DEO donatur, etiamſi pœnas, & verbera donaverit, gratum eſſe debet, quia ſemper pro ſalute noſtra facit.

23. Dixit quidam: quoties inter homines fui, minor homo redij; hoc ſæpius experimur, quando diù confabulamur.

24. Omnes volunt cum Chriſto gaudere, ſed pauci volunt aliquid cum Chriſto ſuſtinere.

25. Si tu eſſes intùs bonus, & purus, tunc omnia ſine impedimento videres, & bene caperes.

26. Non dormit diabolus, nec caro adhuc mortua eſt: ideo non ceſſes te præparare ad certamen

27. Excedunt ſpirituales conſolationes, omnes mundi delicias, & carnis voluptates.

28. Si eſt gaudium in mundo, hoc utique poſſidet puri cordis homo.

29. Nunquam ſis ex toto otioſus, ſed aut legens, aut ſcribens, aut orans, aut meditans, aut aliquid utilitatis pro communi laborans.

30. Non es ſanctior, ſi laudaris: nec vilior, ſi tu vituperaris. Quod es, hoc es, nec major dici vales, quàm (DEO teſte) ſis.

31. Nihil DEO acceptius, nihil tibi ſalubrius, in mundo iſto, quàm libenter pati pro Chriſto.

FEBRUARIUS.

1. Hæc eſt altiſſima & utiliſſima lectio, ſui ipſius vera cognitio, & deſpectio.

2. Non magni pendas, quis pro te, vel contra te ſit: ſed hoc age, & cura, ut DEUS tecum ſit in omni re, quam facis.

3. Meritò deberes libenter modicum pati pro Chriſto, cùm multi graviora patiantur pro mundo.

4. Scientes libenter volunt videri, & ſapientes dici.

5. Homo internus citò ſe recolligit; quia nunquam ſe totum ad exteriora effundit.

6. Si mundum amo, felicitatibus mundi congaudeo, & de adverſitatibus ejus triſtor.

7. Si fuerit tecum JESUS, nullus poterit tibi nocere inimicus.

8. Quis tu, ut timeas à mortali homine judicari? hodie eſt, & cras non comparet.

9. Habeas bonam conſcientiam, & DEUS bene te defenſabit.

10. Bonum eſt nobis, quòd aliquando habeamus aliquas gravitates, & contrarietates.

11. Purus, ſimplex, & ſtabilis ſpiritus, in multis operibus non diſſipatur.

12. Raro totus liber quis invenitur à nævo propriæ exquiſitionis.

13. Multi occultè ſe ipſos quærunt, in rebus quas agunt, & neſciunt.

14. Pone totam fiduciam tuam in Domino, & ſit ipſe timor tuus, & amor tuus.

15. Multi quærunt, quis major ſit in Regno DEI? qui ignorant, an cum minimis erunt digni comparari.

16. Vigila ſuper te ipſum, excita te ipſum, admone te ipſum: & quidquid de alijs ſit, non negligas te ipſum.

17. Oportet te aliorum graviora ad mentem reducere: ut leviùs feras tua minima.

18. Homo pacificus, plus prodeſt, quàm bene doctus.

19. Infirmus infirmum decipit, dum exaltat: & veraciter magìs confundit, dum inaniter laudat.

20. Illa ſtudeas magìs cavere & vincere, quæ tibi frequentiùs in alijs diſplicent.

21. Humanum ne metuas judicium, ubi te conſcientia pium reddit, & inſontem.

22. Soli DEO, & Angelis ejus opta familiaris eſſe, & hominum notitiam devita.

23 Satìs citò ſentimus, & ponderamus, quod ab alijs ſuſtinemus; ſed quod alij à nobis ſuſtinent, non advertimus.

24. Si ambulas ab intrà, non multùm ponderabis volantia verba.

25. Memento ſemper finis, & quòd perditum non redit tempus,

26 Non eſt magna fiducia ponenda in homine fragili, & mortali.

27 Putas, quòd ſemper habebis pro tua voluntate conſolationes Spirituales?

28 Vult Deus, ut tribulationem ſine conſolatione diſcas pati, & ut illi totaliter te ſubijcias.

MARTIUS.

MARTIUS.

1. Non eſt aliquis Ordo tam ſanctus, nec locus tam ſecretus, ubi non ſint tentationes, vel adverſitates.

2. Quàm felix, & prudens, qui talis nunc nititur eſſe in vita, qualis optat inveniri in morte.

3. Nimis caſualiter ſtat, qui non projicit omnem ſollicitudinem in Dominum DEUM ſuum.

4. Homines ſumus, nec aliud, quàm fragiles homines ſumus; etiamſi Angeli à multis æſtimamur, & dicimur.

5. Eâdem re, unde quis delectationem concipit, inde doloris pœnam frequenter recipit.

6. Omnibus ergo perlectis, & ſcrutatis, ſit iſta concluſio finalis: Quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in Regnum DEI.

7. Hæc eſt gratia tua (Domine) ad amicum tuum; pati, & tribulari in mundo pro amore tuo, quotieſcúnque id permiſeris fieri.

8. Quid quæris quietem, cùm natus ſis ad laborem.

9. Cum humilibus, & ſimplicibus, cum devotis, & morigeratis ſociàre, & quæ ædificationis erunt, pertracta.

10. Teſtimonium hominum ſæpe fallit, meum judicium verum eſt, ſtabit, & non ſubvertetur, dicit Dominus.

11, Non potes effugere crucem, quocúnque cucurreris: quia quocúnque perveneris, te ipſum tecum portas.

12. Non attrahas tibi res aliorum, nec te implices cauſis majorum.

13. Si ſpiritum amo, de ſpiritualibus cogitare delector.

14. Tentatio eſt vita humana ſuper terram.

15. Verum eſt, quòd unuſquiſque libenter agit pro ſenſu ſuo, & inclinatur ad eos magìs, qui ſecum ſentiunt.

16. Nihil magìs dignus ſum, quàm flagellari, & puniri: quia graviter, & ſæpe, & in multis te offendi, & in multis valde deliqui, ô DEUS!

17. Divitibus noli blandiri, & coram magnatibus non libenter appareas.

18. Non ſit pax tua in ore hominum: ſive enim bene, ſive malè interpretati fuerint, non ideo es alter homo.

19. Neſcimus ſæpe quid poſſumus, ſed tentatio aperit, quid ſimus.

20. Si reus es, cogita; quòd te libenter velis emendare.

21. Mundi gloriam ſemper comitatur triſtitia.

22. Nemo ita cordialiter ſentit Paſſionem Chriſti: ſicuti, cui contigerit ſimilia pati.

23. Nisi steteris in DEO, permutare te potes, sed non meliorare.

24. Unâ tentatione, seu tribulatione recedente, alia supervenit; & semper aliquid ad patiendum habebimus.

25. Audivi enim sæpe, securius esse audire, quàm dare consilium.

26. Fili, noli credere affectui tuo, qui nunc est, citò mutabitur in aliud.

27. Putamus alijs aliquando placere, ex conjunctione nostra, & incipimus magìs displicere.

28. Esto providus, & vigila in orationibus, & humilia te in omnibus.

29. Non magni pendas, qui pro te, vel contra te sit: sed hoc age, & cura, ut DEUS tecum sit in omni re, quam facis.

30. Nulla mala actio te impediet, si liber intùs ab omni inordinato affectu fueris.

31. Petent alij, & accipient: tu petes, nec impetrabis. Erunt alij magni in ore hominum, de te autem tacebitur. Quod alij dicunt, audietur; quod tu dices, pro nihilo computabitur. Quod alijs placet, successum habebit; quod tibi placet, ultrà non proficiet. In quibus omnibus magnâ opus erit patientiâ.

APRILIS.

1. Bonus, & pacificus homo, omnia ad bonum convertit.

2. Si libenter crucem portas, portabit te, & deducet te ad desideratum finem.

3. Tu facta tua bene scis excusare, & colorare; & aliorum non vis recipere excusationes.

4. Charitas habenda est ad omnes, sed familiaritas non expedit.

5. Dimitte omnia, & invenies omnia.

6. Quantò plus quísque sibi moritur, tantò magìs DEO vivere incipit.

7. Inter hostes versaris, à dextris & à sinistris impugnaris.

8. In DEO fundati, & confirmati, nullô modô possunt esse elati.

9. Ex puro corde procedunt fructus bonæ vitæ.

10. Si invitè portas, onus tibi facis, & te ipsum magìs gravas, & tamen oportet, ut sustineas.

11. Justius esset, ut te accusares, & fratrem tuum excusares.

12. Qui parvos non vitat defectus, paulatim labitur ad majores.

13. Utile mihi, quòd confusio cooperuit faciem meam, ut te potiùs, quàm omines, ad consolandum requiram (mi DEUS!)

14. Crux igitur parata est, & ubique te expectat.

15. Non ſis familiaris alicui mulieri: Sed in communi omnes bonas mulieres DEO commenda.

16. Bonorum gloria, in conſcientijs eorum eſt, non in ore hominum.

17. Fili, ad illud diligenter attendere debes, ut in omni loco, actione, ſeu occupatione externa, ſis interiùs liber, & tui ipſius potens.

18. Si portari vis? porta & alium.

19. Unâ tentatione, ſeu tribulatione recedente, alia ſuccedit: ſed adhuc priore durante conflictu, plures ſuperveniunt, & inſperati.

20. Qui bene in pace eſt, de nullo ſuſpicatur: qui autem malè contentus eſt, & commotus, varijs ſuſpicionibus agitatur, nec ipſe quieſcit, nec alios quieſcere permittit.

21. Cum juvenibus, & extraneis, rarus eſto.

22. Oportet te ſæpe agere, quod non vis; & quod vis; oportet te relinquere.

23. Si vis exaltari in cœlo, oportet te humiliari in mundo.

24. Bonum eſt, quòd patiamur quandóque contradictores, & quòd malè, & imperfectè de nobis ſentiant, etiamſi bene agimus, & intendimus.

25. Utinam in te penitus non dormitet profectus virtutum, qui multa ſæpius exempla vidiſti devotorum.

26. Qui hodie tecum ſunt; cras contrariari poſſunt; & è converso ſæpe ut aura vertuntur.

27. Dimitte cupiditatem, & invenies requiem.

28. Scito, quia amor tui ipſius magis nocet tibi, quàm aliqua res mundi.

29. Nolle alijs acquieſcere, cùm id ratio, aut cauſa poſtulat, ſignum eſt ſuperbiæ, & pertinaciæ.

30. Si abjicis unam crucem, aliam proculdubio invenies, & forſitan graviorem.

MAJUS.

1. Vincenti datur manna, & torpenti multa relinquitur miſeria.

2. Imaginatio locorum, & mutatio, multos fefellit.

3. Fili, committe mihi ſemper cauſam tuam, & ego bene diſponam in tempore ſuo.

4. Non eſt grave humanum contemnere ſolatium, cùm adeſt Divinum. Sed magnum eſt, tam humano, quàm Divino carere ſolatio.

5. Time judicia DEI, expaveſce iram omnipotentis.

6. In multis te oportet eſſe inſcium, & æſtimare tanquam mortuum ſuper terram, & cui totus mundus crucifixus ſit.

7. Sed

7. Sed nec inimicum diabolum timebis, si fueris fide armatus.

8. Transitoria sinistro intuere oculo, & dextro cœlestia.

9. Oportet ad voluntatem DEI æquanimiter stare, & cuncta supervenientia tibi, ad laudem JESU Christi perpeti.

10. Hæc mihi sit consolatio, libenter velle carere, omni humano solatio.

11. Dilectio creaturæ, fallax est, & instabilis. Dilectio JESU, fidelis, & perseverabilis.

12. Verbum verum, & stabile da in os meum DEUS, & lingvam callidam longè fac à me.

13. Exteriora nostra, pariter & interiora, nobis scrutanda sunt, & ordinanda: quia utráque expediunt ad profectum.

14. Nemo aptus est ad comprehendendum cœlestia, nisi se submiserit ad portandum pro Christo adversa.

15. Ad hoc conare, hoc ora, hoc stude desiderare, ut ab omni proprietate possis exspoliari, & nudus nudum JESUM sequi.

16. Homo passionatus, etiam bonum in malum trahit: & faciliter malum credit.

17. Sicut in prosperis ei placeo, ita nec in adversis displiceo, ait Dominus.

18. Sustine cum Christo, & pro Christo, si vis regnare cum Christo.

19. Non minimum est, etiam in minimis se relinquere.

20. Non est salus animæ, nec spes æternæ vitæ, nisi in Cruce.

21. Ut æterna futura supplicia possis evadere, mala præsentia studeas pro DEO æquanimiter tolerare.

22. Quem DEUS adjuvare voluerit, nullius perversitas ei nocere poterit.

23. Quia despici metuis, reprehendi, pro eo excusationū quæris umbracula.

24. Habe primum zelum super temetipsum, tunc zelare poteris etiam justè proximum tuum.

25. Nihil sic timeas, nihil sic vituperes, & fugias, sicut vitia, & peccata tua.

26. Cui sapiunt omnia, prout sunt, non ut dicuntur, aut æstimantur, hic verè sapiens est.

27. Fili, erige cor tuum, ad me in cœlum, & non contristabit te contemptus hominis in terris, ait Dominus.

28. Converte te suprà, converte te infrà, converte te extrà, & intrà, & in omnibus invenies crucem.

29. Non est hoc purum, & perfectum, quod propriâ commoditate est infectum.

30. Ubi

30. Ubi es, quando tibi præsens non es, & quando omnia percurristi, quid te neglecto, profecisti?

31. DEUS reum, & innocentem judicabit: sed occulto judicio, utrúmque ante probare voluit.

JUNIUS.

1. Non omnis affectio, quæ videtur bona, statim est sequenda, sed nec omnis contraria affectio, ad primum fugienda.
2. Justorum lætitia de DEO, & in DEO est, & gaudium eorum de veritate.
3. Si carnem diligo, quæ carnis sunt, sæpissime imaginor.
4. Patientiam omnes commendant, quamvis tamen pauci pati velint.
5. Justus non conturbatur, quidquid à DEO ei acciderit.
6. Si pati non vis, recusas coronari: si autem coronari desideras, certa viriliter, sustine patienter.
7. Noli nimis in sensu tuo confidere, sed velis etiam libenter aliorum sensum audire.
8. Plùs proficis in relinquendo omnia, quàm in studendo subtilia.
9. Nunquam eris internus, & devotus, nisi de alienis silueris, & ad te ipsum specialiter respexeris.
10. Sive parva, sive magna sint, stude cuncta patienter ferre.
11. Qualis unusquísque intùs est, taliter judicat exteriùs.
12. Multi multa loquuntur, & ideo parva fides est adhibenda.
13. Habe bonam conscientiam, & semper habebis lætitiam.
14. Non componas te ad multam requiem, sed ad magnam patientiam.
15. Sæpe videtur esse charitas, & est magis carnalitas.
16. Si rectè me inspicio, nunquam mihi facta est injuria ab aliqua creatura.
17. Si tu scis tacere, & pati, videbis procul dubio Domini auxilium.
18. Quære veram pacem, non in terris, sed in cœlis; non in hominibus, nec in cæteris creaturis, sed in DEO solo.
19. Modicum lumen est in nobis, & hoc citò per negligentiam amittimus.
20. Fili, magis placent mihi patientia, & humilitas in adversis, quàm multa consolatio, & devotio in prosperis.
21. Qui bene in pace est, de nullo suspicatur.
22. Ex inordinato amore, & timore, oritur omnis inquietudo cordis, & distractio sensuum.
23. Christus pati voluit, & despici, & tu audes de aliquo conqueri?
24. Noli concupiscere, quod non licet habere.

25. Hoc optandum eſt tibi, ut ſive per vitam, ſive per mortem, DEUS ſemper in te glorificetur.

26. Juſtè fit: ut qui inordinatè delectationes quærunt, & ſequuntur, non ſine amaritudine, & confuſione eas expleant.

27. Tota vita Chriſti Crux fuit, & Martyrium, & tu tibi quæris requiem, & gaudium?

28. Vanum eſt, & inutile, de futuris conturbari, vel gratulari, quæ fortè nunquam evenient.

29. Si fuerit amor tuus purus, & ſimplex, & bene ordinatus, eris ſine captivitate rerum.

30. Quid times tollere crucem, per quam itur ad Regnum?

JULIUS.

1. Devotus homo, ubique ſecum fert conſolatorem ſuum JESUM, & dicit ad eum: Adeſto mihi Domine JESU, in omni loco, & tempore.

2. Internus homo, ſui ipſius curam, omnibus curis anteponit.

3. Non eſt moleſtior, & pejor hoſtis animæ tuæ, quàm tu ipſe tibi.

4. Pro modica hac voluntate, quam nunc ſponte deſeris, habebis ſemper voluntatem tuam in cœlis.

5. Sæpe in oculis DEI reperitur culpabile, quod hominum judicio creditur laudabile.

6. Omnis tibi creatura, ſpeculum vitæ, & liber ſanctæ doctrinæ eſt.

7. Quid eſt homo inde melior, quia reputatur ab homine major?

8. Tentatio eſt, quæ te vexat, & formido vana, quæ te exterret.

9. Si vis regnare mecum, porta crucem mecum.

10. Quæ homo in ſe, vel in alijs emendare non valet, debet patienter ſuſtinere, donec DEUS aliter ordinet.

11. O quanta fiducia erit morituro, quem nullius rei affectus detinet in mundo!

12. Qui non appetit hominibus placere, nec diſplicere timet, multa perfruetur pace.

13. Sæpe valde prodeſt ad majorem humilitatem conſervandam, quòd defectus noſtros, alij ſciunt, & redarguunt.

14. Ecce, ſi cuncta contra te dicerentur, quæ fingi malitioſiſſimè poſſunt, quid tibi nocerent, ſi omnino tranſire permitteres?

15. Quid importat ſollicitudo de futuris contingentibus, niſi ut triſtitiam habeas.

16. Interdum à DEO relinqueris, interdum à proximo excitaberis, & quod ampliùs eſt, ſæpe tibimetipſi gravis eris.

17. A notis, & à charis amicis oportet elongari, & ab omni temporali ſolatio, mentem tenere privatam.

18. Quid poteſt aliquis in te verbis, aut injurijs? ſibi potiùs nocet, quàm tibi.

19. Cogita peccata tua, cum diſplicentia magna, & mœrore, & nunquam reputes te aliquid eſſe, propter opera bona.

20. Propter diverſitatem ſenſuum, & opinionum: ſatìs frequenter oriuntur diſſenſiones, inter amicos, & cives.

21. Non eſt Regnum DEI in ſermone, ſed in virtute.

22. Nunquam ſentire aliquam turbationem, nec pati aliquam cordis, vel corporis moleſtiam, non eſt præſentis temporis, ſed ſtatûs æternæ quietis.

23. DEUM time, & hominum terrores non expaveſces.

24. Quo modo poteſt amari hæc vita, habens tantàs amaritudines, & tot ſubjecta calamitatibus, ac miſerijs.

25. Brevis gloria, quæ ab hominibus datur, & accipitur.

26. Si recurſum habes ad ſemper viventem, & manentem veritatem, non contriſtabit te amicus recedens, aut moriens.

27. Multa oportet ſurdâ aure pertranſire, & quæ tuæ pacis ſunt, magìs cogitare.

28. Cogita in gratia, quàm miſer, & inops ſis ſine gratia.

29. Vere inanis gloria, mala peſtis, vanitas maxima: quia à vera trahit gloria, & cœleſti ſpoliat gratiâ.

30. Non eſt alia via ad vitam, & ad veram internam pacem, niſi via ſanctæ crucis.

31. Pro amore DEI, debes omnia libenter ſubire.

AUGUSTUS.

1. Noli diſcutere opera Altiſſimi, ſed tuas iniquitates perſcrutare.

2. Non omne altum, ſanctum: nec omne dulce, bonum: nec omne deſiderium, purum: nec omne charum, DEO gratum.

3. Habet magnum, & ſalubre purgatorium patiens homo, ſuſcipiens injurias, plus dolet de alterius malitia, quàm de ſua injuria.

4. Totum mundum nihil æſtima, DEI vocationem omnibus exterioribus antepone.

5. Si non uteris undique ſcuto patientiæ, non eris diù ſine vulnere.

6. Amans DEUM anima, ſub DEO deſpicit univerſa.

7. Si prævisa etiam lædunt ſæpe; quid improviſa, niſi graviter etiam feriunt.

8. Quamdiu mortale corpus geris, tædium ſenties, & gravamen cordis.

9. Commotus vir conſiderat, quod alij facere teneantur, & negligit, quod facere tenetur.

10. Nulla eſt ſanctitas, ſi manum tuam Domine ſubtrahas!

11. Sæpe homo rem aliquam agitat, quam deſiderat: ſed cùm ad eam pervenerit, aliter incipit ſentire.

12. Aufertur ab elato, quod dari ſolet humili.

13. Diſce obtemperare, pulvis!

14. Ut quid te contriſtat parvum factum, aut contra te dictum? ſi amplius fuiſſet, commoveri non debuiſſes: ſed nunc dimitte tranſire. Non eſt primum, nec novum, nec ultimum erit, ſi diù vixeris.

15. Mala conſcientia, ſæpe timida eſt, & inquieta ſemper.

16. Non ſit tibi cura, de magni nominis umbra, & de multorum familiaritate, nec de privata hominum dilectione.

17. Utilius eſt, oculos à rebus diſplicentibus avertere, & unicuique ſuum ſentire relinquere, quàm contentioſis ſermonibus deſervire.

18. Ab omnibus oportet te aliquando ſeparari: ſive velis, ſive nolis.

91. Alijs hoc, vel illud committetur, tu autem ad nihil judicaberis. Propter hoc natura aliquando contriſtabitur, & magnum, ſi ſilens portaveris.

20. In omni re reperietur aliquis defectus; & in omni loco erit, qui adverſetur.

21. Non poteſt eſſe, niſi bonum, quidquid de me (ait Chriſtus) feceris.

22. Non debemus nobis ipſis nimis credere, quia nobis ſæpe deeſt gratia, & ſenſus.

23. Fili, noli eſſe curioſus, nec vacuas gere ſollicitudines. Iſta enim generant diſtractiones, & magnas in corde obſcuritates.

24. Propter JESUM ſuſcepimus hanc crucem, propter JESUM perſeveremus in Cruce.

25 Si bonum eſt tuum ſentire, & hoc ipſum propter DEUM dimittis, & alium ſequeris, magìs exinde proficies.

26. Ad DEUM recurrendum eſt in omni judicio, nec proprio innitendum arbitrio.

27. Munit parum locus, ſi deeſt ſpiritus fervoris.

28. Quid times tollere Crucem, per quam itur ad Regnum?

29. In vera contritione, & cordis humilitate, naſcitur ſpes veniæ; reconciliatur

ciliatur

ciliatur perturbata conscientia; reparatur gratia perdita; tutus fit homo, à futura ira; & occurrunt sibi mutuò in osculo sancto DEUS, & pœnitens anima.

30. Multò nobilior est illa doctrina, quæ de sursum ex divina influentia manat, quàm quæ laboriosè, humano acquiritur ingenio.

13. Quidam non planè DEO confidunt, ideo providere sibi satagunt.

SEPTEMBER.

1. Stude cor tuum ab amore visibilium abstrahere, & ad invisibilia te transferre.

2. Quis est homo, qui ita cautè, & circumspectè in omnibus se custodire valet, ut aliquando in aliquam deceptionem, vel perplexitatem non veniat.

3. Si non vincis parva, & levia, quando superabis difficiliora?

4. Per multas tribulationes oportet nos intrare in Regnum DEI.

5. Natura, exteriora hominis respicit; gratia, ad interiora se convertit.

6. Quis habet fortius certamen, quàm qui nititur vincere se ipsum?

7. Non reputes te aliquid profecisse, nisi omnibus te inferiorem sentias.

8. Sint omnia sub te, & tu non sub eis.

9. Esse sine JESU, gravis est infernus; & esse cum JESU, dulcis paradisus.

10. Homo videt in facie, DEUS autem in corde. Homo considerat actus, DEUS verò pensat intentiones.

11. Utinam non multùm adhærerem futuris eventibus, sed ad beneplacitum tuum, me incunctanter offerrem!

12. Raro invenietur tam spiritualis, qui omnibus sit nudatus.

13. Non est hominis felicitas, habere temporalium abundantiam, sed sufficit ei mediocritas.

14. Nec est extra me valens auxilium, néque utile consilium, sed néque durabile remedium.

15. Si aliquid boni habueris, crede de alijs meliora, ut humilitatem conserves.

16. Dispone, & ordina omnia secundùm tuum velle, & videre; & non invenies, nisi semper aliquid pati debere, aut sponte, aut invitè.

17. Væ eis, qui cum parvulis humiliare se sponte dedignantur: quoniam humilis janua Regni cœlestis, eos non admittet intrare.

18. Nemo aptus est, ad comprehendendum cœlestia, nisi se submiserit ad portandum pro Christo adversa.

19. Qui veram, & æternam gloriam desiderat, temporalem non curat.

20. O quàm bonum, & pacificum de alijs ſilere: nec indifferenter omnia credere, néque de facili effari.

21. O qui ſcintillam haberet veræ charitatis, profectò omnia terrena ſentiret plena eſſe vanitatis.

22. Non qui ſeipſum commendat, ille probatus eſt: ſed quem DEUS commendat.

23. Nec inimicum diabolum timebis, ſi fueris fide armatus, & JESU cruce ſignatus.

24. Ad minùs ſuſtine patienter, ſi non potes gaudenter.

25. Pone te primò in pace: & tunc alios poteris pacificare.

26. Cui æternum verbum loquitur, à multis opinionibus expeditur.

27. Non dormit diabolus, nec caro adhuc mortua eſt: ideo non ceſſes te præparare ad certamen: quia à dextris, & à ſiniſtris hoſtes ſunt, qui nunquam quieſcunt.

28. Qui timorem DEI poſtponit, diù ſtare in bono non valebit, ſed diaboli laqueos citiùs incurret.

29. Quàm bonum, DEUM ſemper inſpectorem cordis quærere, nec omni vento verborum circumferri.

30. Si te ſubtraxeris à ſuperfluis locutionibus, nec non à novitatibus, & rumoribus audiendis; invenies tempus ſufficiens, & aptum, ad bonis meditationibus inſiſtendum.

OCTOBER.

1. Mali nunquam habent veram lætitiam, nec internam ſentiunt pacem.

2. Animalis homo, non novit interni hominis libertatem.

3. Si eſſent omnes perfecti, quid tunc haberemus ab alijs pro DEO pati?

4. Quando nudus, nudum JESUM ſequeris, recedet immoderatus timor, & inordinatus amor morietur.

5. Si ad vulnera, & pretioſa ſtigmata JESU devotè confugies, magnam in tribulatione conſolationem ſenties.

6. Ah! longa vita non ſemper emendat, ſed ſæpe culpam magìs auget.

7. Quod pati nolo, omnimode cavere debeo.

8. Quid hîc circumſpicis, cùm iſte non ſit locus tuæ requietionis?

9. Multùm contrariatur ſupernæ viſitationi falſa libertas animi, & magna confidentia ſui.

10. Rarus eſt fidus amicus, in cunctis amici perſeverans preſſuris.

11. Bene ſemper agere, & modicum de ſe tenere, humilis animæ indicium eſt.

12. Pro

12. Pro utilitate indigentis, opus bonum aliquando intermittendum est, aut etiam pro meliori mutandum.

13. Quia non audes resistere altiori potestati, sub Domino constitutus, ideo durum tibi videtur, ad nutum alterius ambulare.

14. Alta verba non faciunt sanctum, & justum: sed virtuosa vita efficit DEO charum.

15. Humilem DEUS protegit & liberat: humilem diligit, & consolatur: humili homini se inclinat.

16. Adhuc (proh dolor!) vivit in te vetus homo, non est totus crucifixus, non est perfectè mortuus.

17 Omnis homo naturaliter scire desiderat: sed scientia sine timore DEI, quid importat?

18. Duabus alis homo sublevatur à terrenis, simplicitate scilicet, & puritate.

19. Parum satìs est, ut verba interdum sustineas; qui necdum fortia verbera tolerare vales.

20 Quantò altiùs quis in spiritu profecerit, tantò graviores sæpe cruces inveniet.

21 Disce nunc omnia contemnere, ut tunc possis liberè ad Christum pergere.

22. Natura cupida est, & libentiùs accipit, quàm donat; gratia, beatiùs judicat dare, quàm accipere.

23. Frena gulam, & omnem carnis inclinationem faciliùs frenabis.

24. Re verâ peccator es, & multis passionibus obnoxius, & implicatus.

25. Qui gratiam DEI retinere desiderat, sit gratus pro gratia DEI data, patiens pro sublata; oret, ut redeat; cautus sit, & humilis, ne amittat.

26. Loquere mihi Domine, ad qualemcúnque animæ meæ consolationem, & ad totius vitæ emendationem!

27. Cognosce te indignum divinâ consolatione, sed magìs dignùm multâ tribulatione.

28. Datur consolatio divina, ut homo fortior sit ad sustinenda adversa.

29. Natura quærit curiosa habere, & pulchra, & horret vilia, & grossa; gratia verò simplicibus delectatur, & humilibus.

30. Miser es, ubicúnque fueris, & quocúnque te verteris, nisi ad DEUM te convertas.

31. Bene etiam consulis, & alios nôsti roborare verbis: sed cùm ad januam tuam venit repentina tribulatio, deficis consilio, & robore.

NOVEM-

NOVEMBER.

1. Christus habuit adversarios, & oblocutores; & tu vis omnes habere amicos, & benefactores.

2. Si frequentiùs de morte tua, quàm de longitudine vitæ tuæ cogitares; non dubium, quin frequentiùs te emendares.

3. Non curat inimicus, an veris, an falsis illudat, & decipiat, & utrùm præsentium amore, an futurorum formidine prosternat.

4. Credis te evadere, quod nullus mortalium potuit præterire? quis sanctorum, in mundo sine cruce, & tribulatione fuit?

5. Certa viriliter, consvetudo consvetudine vincitur.

6. Utinam dignus esses aliquid pro nomine JESU pati: quàm magna gloria remaneret tibi, quanta exultatio, omnibus sanctis DEI, quanta quóque ædificatio esset proximi.

7. Non est virtus hominis, sed gratia Christi, quæ tanta potest, & agit in carne fragili, ut quod naturaliter semper abhorret, & fugit, hoc fervore spiritûs aggrediatur, & diligat.

8. Quantò quis in se humilior fuerit, & DEO subjectior, tantò in omnibus erit sapientior.

9. Natura de defectu, & molestia citò conqueritur: gratia constanter fert inopiam.

10. Quantò ampliùs tibi ipsi nunc parcis, & carnem sequeris; tantò diutius postea pœnas lues, & majorem materiam comburendi reservas.

11. A fabulosis, & incautis hominibus, protege me Domine, ne in manus eorum incidam, nec unquam talia committam.

12. Quando ad hoc veneris, quod tribulatio tibi dulcis est, & sapit pro Christo, tunc bene tecum existima.

13. Nemo dignus est cœlesti consolatione, nisi diligenter se exercuerit in sancta compunctione.

14. Natura confusionem timet, & contemptum: gratia autem gaudet pro nomine JESU contumeliam pati.

15. Quando malè habes, & tribularis: tunc tempus est promerendi.

16. Ita mortuus deberes esse affectionibus dilectorum hominum, ut quantum ad te pertinet, sine omni humano optares esse consortio.

17. Castiga nunc corpus tuum per pœnitentiam, ut tunc valeas certam habere confidentiam.

18. Et, si eligendum tibi esset, magìs optare deberes pro Christo adversa pati, quam multis consolationibus recreari: quia Christo similior esses, & omnibus sancti ejus conforminor.

19. Cogita peccata tua cum diſplicentia magna, & mœrore, & nunquam reputes te aliquid eſſe.

20. Meliùs eſt modò purgare peccata, & vitia reſecare, quàm in futurum purganda reſervare.

21. Natura libenter honorem, & reverentiam accipit; gratia verò omnem honorem, & gloriam, DEO fideliter attribuit.

22. Tam diù caſtigari debet caro, & cogi ſervituti ſubeſſe; donec parata ſit ad omnia.

23. Magna ſapientia eſt, non eſſe præcipitem in agendis, nec pertinaciter in proprijs ſenſibus ſtare.

24. Plures mundum libentiùs audiunt, quàm DEUM; faciliùs ſequuntur carnis ſuæ appetitum, quàm DEI beneplacitum.

25. Multùm proficies, ſi te feriatum ab omni cura temporali reputaveris.

26. Placeat tibi ſuper omnia, æterna veritas, diſpliceat ſuper omnia, vilitas tua maxima.

27. Quando homo bonæ voluntatis tribulatur, vel tentatur, aut malis cogitationibus affligitur: tunc DEUM ſibi magìs intelligit neceſſarium.

28. Si quæris in omnibus JESUM, invenies ubique JESUM; ſi autem quæris te ipſum, invenies etiam teipſum: ſed ad tuam perniciem.

29. Homo, qui nec dum in ſe perfectè mortuus eſt, citò tentatur, & vincitur in parvis, & in vilibus rebus.

30. Amor DEI vult eſſe liber, & ab omni mundana affectione alienus.

DECEMBER.

1. Initium omnium malarum tentationum, inconſtantia animi, & parva ad DEUM confidentia.

2. Conſequentur magnam cordis libertatem, qui arctam pro nomine tuo ingrediuntur viam.

3. Ne glorieris in divitijs, ſi adſunt: ſed in DEO, qui omnia præſtat, & ſe ipſum ſuper omnia dare deſiderat.

4. Prudens amator, non tam donum amantis conſiderat, quàm dantis amorem.

5. Grave eſt, aſſveta dimittere; ſed gravius eſt, contra propriam voluntatem ire.

6. Citiùs vincitur exterior inimicus, ſi interiùs homo non fuerit devaſtatus.

7. Non confidas, nec innitaris ſuper calamum ventoſum; quia omnis caro fœnum, & omnis gloria ejus, ut flos fœni cadit.

8. Meliùs eſt modicum ſapere, cum humilitate, & parva intelligentia, quàm magni ſcientiarum theſauri, cum vana complacentia.

9. Sine charitate opus externum nihil prodeſt; quidquid autem ex charitate agitur, quantumcúnque etiam parvum ſit, & deſpectum, totum efficitur fructuoſum.

10. Quod ſi omnia ſolatia mundi ſolus haberem, & omnibus delicijs frui poſſem, certum eſt, quòd diù durare non poſſent.

11. Quàm felix, & prudens, qui talis nunc nititur eſſe in via, qualis optat inveniri in morte.

12. Converte nos ad te Domine, ut ſimus grati, humiles, & devoti: quia ſalus noſtra tu es, virtus, & fortitudo noſtra.

13. Quando gratia DEI venit ad hominem, tunc potens fit ad omnia, quando recedit, tunc pauper, & infirmus erit.

14. O quàm profundè ſubmittere me debeo, ſub abyſſalibus judicijs tuis Domine, ubi nihil aliud me eſſe invenio, quàm nihil, & nihil.

15. Ecce non potes duo gaudia habere: delectari hîc in mundo, & poſtea regnare in cœlo, cum Chriſto.

16. Domine, libenter patiar pro te, quidquid volueris venire ſuper me.

17. Valde gravatur homo interior, neceſſitatibus corporalibus in hoc mundo.

18. Elige ſemper minus, quàm plus habere.

19. Reprehenditur frequenter mundus, quòd fallax ſit, & vanus: nec tamen facilè relinquitur.

20. Si vidiſti hominem aliquando mori, cogita quia tu per eandem viam tranſibis.

21. Non eſt verus patiens, qui non vult pati, niſi quantùm ſibi placuerit.

22. Semper cum timore DEI, & cordis humilitate, deſiderandum eſt, & petendum, quidquid deſiderabile menti occurrit.

23. In quibus homo peccavit, ex illis graviùs punietur.

24. Neque tunc aliquid magni te reputes, aut ſpecialiter dilectum exiſtimes, ſi in magna fueris devotione, aut dulcedine: quia in iſtis non cognoſcitur verus amator virtutis, nec in iſtis conſiſtit profectus, & perfectio hominis.

25. Qui omnibus viliorem ſe æſtimat, aptior eſt ad percipiendum majora.

26. Ubique profectum tuum capias: ut ſi bona exempla videas, vel audias, ad imitandum accendaris. Si quid autem reprehenſibile conſideraveris, cave, ne idem facias.


27. Tu non indiges reſpondere pro alijs, ſed pro te ipſo rationem reddes.

28. Adhuc tepeſcimus auditis tot ſignis tuis, & doctrinis : quid fieret, ſi tantum lumen, ad ſequendum te non haberemus.

29. Non me vincat, DEUS meus, non vincat caro, & ſangvis; non me decipiat mundus, & brevis gloria ejus; non me ſupplantet diabolus, & aſtutia illius.

30. Si úſque in hodiernam diem, ſemper in honoribus, & voluptatibus vixiſſes, quid totum tibi ptoſuiſſet, ſi jam mori, in inſtanti contingeret.

31. Omnia ergo vanitas, præter amare DEUM, & illi ſoli ſervire.



PARAGRAPHUS QUARTUS.

EPHEMERIDES MONOSTICHÆ.

JANUARIUS.

Monoſticha Spiritualia pro omnibus.

I.

FElix Anni omen, JESU Venerabile Nomen.
2. Qui JESUM neſcit, nihil eſt, ſi cætera diſcit.
3. Qui JESUM diſcit, ſatis eſt, ſi cætera neſcit.
4. Res malè diſcernit, quiſquis cœleſtia ſpernit.
5. Fruſtra conatur, cui non DEUS auxiliatur.
6. Factum, Factori ſummo, præponere noli.
7. Ante DEI vultum, nihil unquam reſtat inultum.
8. Auxilium Chriſti, venit ad nos tempore triſti.
9. Aſper erit victus, labor aſper, & aſper amictus:
10. Aſpera cuncta tibi, ſi vis ſuper æthera ſcribi.
11. Quæras virtutem, ſi vis reperire ſalutem.
12. Prorſus, & ábſque mora, mala devitare labora.
13. Omne bonum quod habes, contaminat unica labes.
14. Si quis ſalvari vult, perpetuóque beari.
15. Chriſto devotum, ſtudeat ſe tradere totum.
16. Quantò major eris, perfectior eſſe teneris.
17. O felix pactum, ſummo cum Numine factum.
18. Tu modò da cœnum, reddet pro munere cœlum.

19. Nos solet immundus promissis fallere mundus.
20. Aurum promittit, stipulam pro munere mittit.
21. Dic homo, quid speres, cùm mundo totus adhæres?
22. Tecum nulla feres, licet omnia solus haberes.
23. De re terrena, procedunt mille venena.
24. Quid sis, quid fueris, quid eris? semper mediteris.
25. Sic minùs, átque minùs, peccato subjicieris.
26. Est iter angustum, quod ducit ad æthera sursum.
27. Dum cor non orat, nequicquam lingva laborat.
28. A macula cordis, munda orans, intima cordis.
29. Vive DEO soli, quod amat caro, quærere noli.
30. Si timeas bellum, facias cum carne duellum.
31. Omnis origo mali, processit ab arbore mali.
Omne bonum pomo, perdidit omnis homo.

FEBRUARIUS.

Monosticha pro Studiosis.

1. Nos resonante Lyrâ, modulemur carmina mira.
2. Vis mentem esse sciam? cole totâ mente MARIAM.
3. Discat, qui nescit, nam sic Sapientia crescit.
4. Audi doctrinam, si vis vitare ruinam.
5. Plùs probo thesaurum docti, quàm divitis aurum.
6. Ebrius, átque satur, nunquam bene philosophatur.
7. Bacchus, & argentum, mutant mores Sapientûm.
8. Tardè doctus erit, nimiùm qui ludere quærit.
9. Libros scruteris, quamvis opulentus haberis.
10. Qui nimiùm fatur, fatuus simul esse putatur.
11. Pauca loqui, sua verba coqui, vult providus, ô qui!
12. Stellis, átque herbis, vis est, sed maxima verbis.
13. Qui bene consvescit, semper cum laude senescit.
14. Scire tuum sordet, si crimen pectora mordet.
15. Virtute excultum, decorat sapientia vultum.
16. Hac sine doctrina, quæso quid? fœda latrina.
17. Ut pro ventre merum, sic est pro pectore verum.
18. Qui scit, laudatur; qui nescit, vituperatur.
19. Aurum asinus gestans, rudis est, & pondere constans.
20. Res valet, ars præstat: si res perit, ars mihi restat.

21. Collige thesaurum, qui gemmas vincit, & aurum:
22. Tollere quem fures nequeunt, nec rodere mures.
23. Ebrietas, somnus, tempus, dementia morbus.
24. Tollunt de cista mentis, quæ noverit, ista.
25. Qui sapit, hic spernit, quidquid mutabile cernit.
26. Heu stolidæ mentes, pereunt peritura sequentes.
27. In fraudes multos, adducit opinio stultos.
28. In matutinis, quicúnque cupit vigil esse.
Is cum gallinis habet ire cubare necesse.

MARTIUS.

Monosticha pro emendatione vitæ.

1. Damna fleo rerum, cur non fleo damna dierum?
2. Quísque potest rebus succurrere, nemo diebus.
3. Quid valet argentum, quídve annis vivere centum?
4. Post mortem fumus, pulvis, & umbra sumus.
5. Pulvis, & umbra sumus, pulvis nihil est, nisi fumus.
6. Si nihil est fumus, nos nihil ergo sumus.
7. Est animus fœdus; pangens cum crimine fœdus.
8. Culpæ est pœna comes, fera mater, & effera proles.
9. Nunc tempus flendi, & tempus peccata luendi.
10. Vis culpam delere? dole, orando, miserere.
11. Per miserere mei, tollitur ira DEI.
12. Si malè fecisti? mox respice vulnera Christi.
13. Cerne, quid es, quid eris? sic mox pius efficieris.
14. Vile cadaver eris, crebrò hoc ergo mediteris.
15. Nunquam peccares, si Christum semper amares.
16. Patri cœlesti, nunquam placuêre scelesti.
17. Stat scelus occultum, sed non remanebit inultum.
18. Ultio justa DEI, digna refundet ei.
19. Tristius est felle, à Christo discedere velle.
20. Semper in æternum, nox obscurabit avernum.
21. Sunt tibi tortores, serpentibus horridiores,
22. Deformes, nigri; sed non ad verbera pigri:
23. Est dolor, átque metus, pérque omnia sæcula fletus.
24. Sunt ibi pro lignis, hominis miseri, cibus, ignis.
25. Non est, quod speres, æterni criminis hæres.

26. Non venit ad metas, orci miſerabilis ætas.
27. Quam pateris pœnam dignè, hîc patiâre benignè.
28. Menti major erit lux, quò major fuerit crux.
29. Quando mala exundant, tunc lumina, flumina fundant.
30. Hîc tantùm planctus, reſonabit in æthere cantus.
31. Si hîc non lugebis, cœleſti luce carebis.

APRILIS.

Monoſticha pro Polyticis.

1. Rex condit legem, ſervat lex condita Regem.
2. Rex dat jura gregi, reddit grex omnia Regi.
3. Exlex qui vivit, meritò ſine lege peribit.
4. Quanta eſt libertas, tanta & ſolet eſſe poteſtas.
5. Immutant mores hominem, cùm dantur honores.
6. Nobilitas morum, magìs ornant, quàm genitorum.
7. In quo nulla fides, in eo, tu, quomodo vives?
8. Rebus tranquillis, metuas adverſa ſub illis.
9. Juſti vexantur, niſi pravi corripiantur.
10. Verus amicus erit, qui plùs me, quàm mea quærit.
11. Qui placidum vultum dat, dat ſine munere multum.
12. Gratia, quando datur, ſtudeas, ut reſtituatur.
13. Gratia debetur, pro munere, ſi citò detur.
14. Sed ſi tardetur, non gratum munus habetur.
15. Lex, & natura, & cœlum, & DEUS, omnia jura,
16. Damnant ingratum, infauſto quaſi ſydere natum.
17. Nemo eſt tam pravus, qui non ſit laudis avarus.
18. Si des plorando, perdis tua munera dando.
19. Dum canis os rodit, ſocium, quem diligit odit.
20. Conſilio factum, non pœnitet eſſe peractum,
21. Dandi tolle moras, citô dando, munus honoras.
22. Hunc fidum dico, bene qui ſuccurrit amico.
23. Sit niſi nota fides, ignoto quomodo fides?
24. Qui leviter credit, deceptus ſæpe recedit.
25. Quidquid nix celat, ſolis calor omne revelat.
26. Et quod cor claudit, lingva hoc citò garrula pandit.
27. Se minùs afflictum ſentit, qui prævidet ictum.
28. Si ſtudeas nummis, præfers mox infima ſummis.

29. Nîl dant mensipetæ, nîl portant, præter, Avete.
30. Est verum verbum, frangit DEUS omne superbum.
Non stat securus, qui protinus est ruiturus.

MAJUS.

Monosticha pro Juvenibus.

1. Ut levis est ventus, levis est, sic, vana Juventus.
2. Per multum cras, cras, tandem dilabitur ætas.
3. Quot Majo flores, tot sunt in amore dolores.
4. Tempora transibunt, & gaudia vana peribunt.
5. Transit ut unda fluens, tempus, & hora ruens.
6. Esse solet raró, pulchra, pudica caro.
7. Mentes corruptas, excœcat blanda voluptas.
8. Illos devita, quos infamat mala vita.
9. Quod puer assvescit, senior dimittere nescit.
10. Quid caro? vilis humus: quid carnis gloria? fumus.
11. Quod nova testa capit, inveterata sapit.
12. Parva juventutis, plerúmque est cura salutis.
13. Spiritus inde perit, dum corpus mollia quærit.
14. Aspice fœtorem Veneris, sectare pudorem.
15. Virtutem florum perdis, perdendo ruborem.
16. Gaudia vera petas, quæ nunquam terminat ætas.
17. Est caro nostra cinis, post principium, est citò finis.
18. Hîc quidquid pulchrum est, non est nisi putre sepulchrum.
19. Incrassata caro, gustat cœlestia raró.
20. Non pulchrum vultum, sed cor tibi reddito cultum.
21. Sub facie compta, mens est ad turpia prompta.
22. Quisquis amas mundum, tibi prospice, quà sit eundum.
23. Hæc via, quâ vadis, via pessima, plenáque cladis.
24. Integritas morum, juvenem facit esse decorum.
25. Perdunt mortales, blandi plerúmque sodales.
26. Incautas mentes, fallit spes vana, virentes.
27. Perpende æternum, ut vites securus avernum.
28. Vina, joci, lusus, juvenum est nunc pessimus usus.
29. Dic homo vas cinerum, quid confert flos facierum?
Copia quid rerum? mors ultima linea rerum.
30. Per florem, juvenum status, est bene significatus.
Ut flos vere perit, sic homo pulvis erit.

31. Esse, fuisse, fore, hæc tria florida, sed sine flore.
Nam simul omne perit, quod fuit, est, & erit.

JUNIUS.

Monosticha pro Militia.

1. Bella gerant Reges, permittunt qualia leges.
2. Miles amat bellum, Venus otia, cultor agellum.
3. Qui est miles fortis, ridet discrimina mortis.
4. Belliducum laurum, discordia perdit, & aurum.
5. O panis! panis, stomachus te clamat inanis.
6. Quando deest panis, tunc est labor omnis inanis.
7. Dura fames nostris armis, est maximus hostis.
8. Si tardè consultamus, citò rem faciamus.
9. Consilium factum, celerem mox postulat actum.
10. Principijs obsta, serò est post funera posta.
11. Ut vites hostes, Regnorum claudito postes.
12. Si vis esse pugil, jugiter esto vigil.
13. Miles laudatur, quem fœmina non comitatur.
14. Si justè certas, faciunt spes sidera certas.
15. Injustum bellum, non est, mihi credito, bellum.
16. Pax, pax clamatur, sed pax per bella paratur.
17. Pervigili curâ, est opus explorare futura.
18. Vivendi munus, præstare potest, DEUS unus.
19. Dux Leo, tyrones, etiam facit esse leones.
20. Fortis adest miles? Dux ausus faxit heriles.
21. Lentus adest miles? gressus præstabit aniles.
22. Roboris, aut artis, par est victoria Martis.
23. Si desit nervus, langvet certamine servus.
24. Hostem non astus vincit, sed bellicus æstus.
25. Rem præcedentem videas, & cerne sequentem.
Tela nocent leviùs, visa volare priùs.
26. Hoc nulli est certum, cui pugna velit dare sertum.
27. Prœmia victorum, pendent à fine laborum.
28. Hoc scriptum resonat, finis, non pugna coronat.
29. Bassam Budensem, vir erat, qui misit in ensem.
30. Si foret argentum, âtque virorum millia centum.
Protinus ad furcas, possemus mittere Turcas.

JULIUS.

Monoſticha pro Juriſperitis.

1. Multis major equi cura eſt, quàm Juris, & æqui.
2. Gratia fit pluris, quàm tota ſcientia Juris.
3. Jus non firmatur, Juris niſi forma ſequatur.
4. Munera corrumpunt Juriſtas, Juráque rumpunt.
5. Qui ſpernat munus, non eſt è millibus unus.
6. Judicis eſt recti, nec munere, nec prece flecti.
7. Sæpe ſolent cenſus, hominum pervertere ſenſus.
8. Lites injuſtas, Dominus non linquet inultas.
9. Vivere ſi lætus cupias, in pace quietus:
10. Certamen, lites, rixas, & jurgia vites.
11. Ut capias aurum, Juris tibi carpito laurum.
12. Si citò non ſolvis lites, te crimine volvis.
13. Cauſidici, átque forum, multorum cauſa malorum.
14. Jurgia Legiſtæ, miſcent, fraudéſque Foriſtæ.
15. Ut volucrum viſcus, venator opum eſt ita Fiſcus.
16. Quando crumena ſonat, litem citò fine coronat.
17. Invertunt Jura, accipiunt qui munera plura.
18. Sunt rari Ivones, quamvis in lege Solones:
19. Qui non nummatis, vellent ſuccurrere gratìs.
20. Qui miſeros ſpernit, ſibi callem ad tartara ſternit.
21. Judicis in cunctis, ſit juſta potentia punctis.
22. Si non ad guſtum, fertur ſententia juſtum.
23. Judicis in culmen, vibratur ab æthere fulmen.
24. Hic bene ſe ditat, qui injuſta, & noxia vitat.
25. Si ſit legalis, juſta eſt exceptio talis,
26. Qui falso jurat, nihil immortalia curat.
27. Teſtibus, & ſcriptis, cauſam decidito victis.
28. Inſons cenſetur, crimen niſi jure probetur.
29. Auro te emungas, calamum quo judicis ungas.
30. Supplex charta jacet, quando crumena tacet.
31. Plura ex digeſtis, ediſcere jura poteſtis.

AUGUSTUS.

Monoſticha Ethica, ſeu Moralia.

1. Deficit ambobus, qui vult ſervire duobus.

2. Lux decorat flores, ſic Chriſti gratia mores.
3. Non eſt in mundo dives, qui dicat: abundo.
4. O dives! dives, non omni tempore vives.
5. Fac bene dum vivis, poſt mortem vivere ſi vis.
6. Fons decus eſt decoris, decor eſt inſigne decoris.
7. Pax huic ſervatur, quòd ſecum in corde moratur.
8. Qui ſolet iraſci, ſolet ille, & ſangvine paſci,
9. Noxia ſi cupitis, præſtat caruiſſe cupitis.
10. Hoc eſt conſvetum, comitantur triſtia lætum.
11. Plùs laudatori, quàm tu tibi credere noli.
12. Arbor, ut ex fructu, ſic vir cognoſcitur actu.
13. In tota vita, tibi diſcors vivere vita.
14. Pelle ſub agnina, latitat mens ſæpe lupina.
15. Multa ſuſurrantes, mendacia ſunt cumulantes.
16. Debet adeſſe timor, maculet ne pectora livor.
17. Affectus, luctus, generat in pectore fluctus.
18. Perdo animi ſenſus, niſi frænem carcere ſenſus.
19. Deſpicito cultum, muliebrem haud reſpice vultum.
20. Eſt animo luſcus, cui fragrat corpore muſcus.
21. Erras ingreſſu? redeas à calle regreſſu.
22. Omnia des cupido, ſua non perit inde cupido.
23. Iras ſuſtollis, ſi ſit reſponſio mollis.
24. Præceſſit tactus, ſequitur mox impius actus.
25. Si niſi non eſſet, perfectus quilibet eſſet;
26. Jam vix ſunt viſi, qui caruêre niſi.
27. Urit amor cœcus, non eſt amor arbiter æquus.
28. Nam deforme pecus, judicat eſſe decus.
29. Curis plenus eris, ſi vis, ut glorificeris,
30. Cœcus agens cœcum, facit hunc, procumbere ſecum.
31. Poſtquam gaudebis, rurſum poſt gaudia flebis:

SEPTEMBER.

Monoſticha pro cura corporis.

1. Omnibus eſt notum, poſt ovum ſumere potum.
2. Sæpius ægrotat, nimiùm qui maſſica potat:
3. Námque frequens hauſtus, non eſt mihi credite fauſtus.
4. Vinum ſume vetus, ſi vis veteraſcere lætus.

5. Non

5. Non bene consultum est, hornis assvescere multùm.
6. Horna nocent nervis, poteris dare talia servis.
7. Balnea, vina, Venus, vitæ sunt noxia penus:
8. Impediunt cursum, tendentis ad æthera sursum.
9. Parcus vescendo, parcissimus esto bibendo.
10. Sanior esse potes, si cum moderamine potes.
11. Sanat langvorem, faciens medicina dolorem.
12. Officies menti, dans pingvia fercula ventri.
13. Sæpe nocent vitæ, nascentia massica vite.
14. Est valde insanus, qui nolit vivere sanus.
15. A tenui cœna, est agilis mens, atque serena.
16. Sed plenus venter, renuit vigilare libenter.
17. Somnus longus obest, brevior pro corpore prodest.
18. A puero duris opus est assvescere curis.
19. Langvor membra ligat, si te via longa fatigat.
20. Ignibus, ac herbis, vis est, sed maxima verbis.
21. Non est sat tutum, morbum vi pellere acutum:
22. Ast in punctura, venas incidere cura.
23. Qui manducat olus, poterit consumere solus:
24. Si non elixum, sapiat tibi: sumito frixum.
25. Et sensus lentos, facit & cerevisia ventos.
26. Salvia cum ruta, faciunt tibi pocula tuta.
27. Emundat visum, & stomachum confortat anisum.
28. Pisum inflativum est cum pellibus, átque nocivum;
Pellibus ablatis, sunt bona pisa satis.
29. Parcito sæpe cibis, & sic annosior ibis.
30. Pone gulæ metas, ut sit tibi longior ætas.

OCTOBER.

Monosticha pro Oeconomis.

1. Pingvis ubi est tellus, piger hîc solet esse popellus.
2. Tam malè nîl cusum, quod nullum prosit ad usum.
3. Nescit homo verè quid habet, nisi cesset habere.
4. Esto laborator, DEUS est tunc auxiliator.
5. Cura facit canos, quamvis quis non habet annos.
6. Qui plus expendit rerum, quàm summa rependit;
7. Is non miretur, si paupertate gravetur.
8. In vestimentis, non est sapientia mentis.

9. Qui nimiùm cultus curat, fit pauper adultus.
10. Non multos fructus dat ager, nisi sit bene cultus.
11. Ejicias servos, quos noveris esse protervos.
12. Cui lanx longinqua est, illi sunt damna propinqua.
13. Est valde rarus dives, qui non sit avarus.
14. Dextera cùm parca est, tunc est tibi plenior arca.
15. Insta, ne cesses, aderunt post semina messes.
16. Otia, quisquis amat, væ, væ, mihi postea clamat.
17. Qui capit uxorem, litem capit, átque dolorem.
18. Qui caret uxore, & lite is caret, átque dolore.
19. Gaudet utérque parens, cùm filius est bene parens.
20. Mutua, quæ debes, non citò das? es hebes.
21. Ungentem pungit, pungentem rusticus ungit.
22. O bona fortuna, & cur non es tu omnibus una?
23. Si non mutarer, tunc non fortuna vocarer.
24. Cur citò mutaris, nobiscum quando jocaris.
25. Nummos injustos, tollat fera flamma perustos.
26. Luxuriat vitis, nisi falce putare velitis.
27. Si fodis, ac scindis, sequitur vindemia pingvis.
28. Impingvat fimus sata; quæ penetraverit imus.
29. Pro modico multum, consumere, credito stultum.
30. Nulla in agendo mora, & sine fructu nulla sit hora.
31. Sic erit hora brevis, sic labor ipse levis.

NOVEMBER.

Monosticha pro Senibus.

1. Quos senium frangit, mors illos proxima tangit.
2. Felicem sortem! bene posse occumbere mortem.
3. Non mihi sit durum, quod novi me moriturum.
4. Nec mortem flebo, nam tecum Christe manebo.
5. Solum hoc Christe peto, misero me surripe letho.
6. Regnum cœlorum, requies est plena laborum.
7. Nîl tibi deficiet, DEUS omnibus omnia fiet.
8. Tempora transibunt, sed non bene facta peribunt.
9. Illi vita perit, quisquis pereuntia quærit.
10. Gazas congestas, præcedat mentis honestas.
11. Tempus adest flendi, & senibus peccata luendi.

12. Robur decrescit, senibus sapientia crescit.
13. Rumpit jucundi laqueos, & retia mundi.
14. Jure tibi plaudes, solo si Numine gaudes.
15. Despice res viles, ut Christi sis citò miles.
16. Cœlum non quæret, qui terræ totus adhæret,
17. Ut tibi sit lumen, summum fac dilige Numen.
18. Quodvis momentum, est senibus gradus ad monumentum.
19. Numen ad immensum, totum convertito sensum.
20. Atria sunt cœli, menti patefacta fideli.
21. Si sapis, hæc spernis bona, quæ præsentia cernis.
22. Est tibi vita brevis, modò vivis, cras morieris.
23. Multa senex plangit, quando mors instat, & angit.
24. Fabula jam exacta est, & mundi scena peracta.
25. Plena est vita malis, volat & pernicibus alis.
26, Tristia censebis moriens, nec fata timebis.
27. Tecum nulla feres, licèt omnia solus haberes.
28. Est hæc vita brevis, transit ut aura levis.
29. Omni ad mortem horâ, curritur ábsque mora.
30. Est mihi cuncta meus, quô queo velle DEUS.

DECEMBER.

Monosticha varia.

1. Omnis homo in mundo, fragilis stat, sicut arundo.
2. In vili veste, heu! rarus tractatur honestè.
3. Hunc homines decorant, quem vestimenta decorant.
4. Haustum sæpe merum, faciet citò perdere verum.
5. Arbor honoretur, cujus nos umbra tuetur.
6. Fama repleta malis, velocibus avolat alis.
7. E re terrena, requies removetur amœna.
8. Carius est charum, si prægustâtur amarum.
9. Non quivis sordet, quem dente calumnia mordet.
10. Cùm fœx, cùm limus, cùm res vilissima simus:
11. Unde superbimus? per terram terra redimus.
12. Quamvis fœdatur, cuivis placet id, quod amatur.
13. Non de ponte cadit, cum quo Sapientia vadit.
14. Non fies prudens, si es multo tempore ludens.
15. Satiùs est verè, morsum fugiendo cavere:

16. Quàm prope ſerpentem procumbere, virus habentem.
17. Cùm ſis in menſâ, tunc & de paupere penſa.
18. Eſt oculis gratum, ſpeculari ſemper amatum.
19. Is facilè exorat, ſupplex qui Numen adorat.
20. Non animo triſti fer pœnam, quam meruiſti.
21. Qui paſcit corvos DEUS, is non deſerit orbos.
22. Undique per montes, currunt ad flumina fontes.
23. Qui ſeſe laudat, Chriſti ſe munere fraudat.
24. Dulcior eſt JESUS, quàm quivis corporis eſus.
25. Volvitur in pannis, qui nullis clauditur annis.
26. Væ miſero mundo, venies cùm Chriſte ſecundò.
27. Ut meliùs cernam, porto de nocte lucernam.
28. Hic miſer eſt, & erit, mundi qui proſpera quærit.
29. Hæretici fictis, miſcent ſacra Biblia dictis.
30. Principium lauda, quod conſequitur bona cauda.
Ferrum quando calet, tundere quíſque valet.



PARAGRAPHUS QUINTUS.

EPHEMERIDES FATALES,

SEU

Dies obitûs Præcipuorum Orbis Virorum.

JANUARIUS.

PRimâ die Januarij, obiêrunt Titus Livius Romanæ Hiſtoriæ Princeps, Anno Chriſti 17. *Patavij.* Publius Ovidius Naſo Poëta, eodem die ac anno, *Ad pontum Euxinum.* S. Baſilius Magnus, Anno Chriſti 378. *Cæſareæ.* Ludovicus XII. Galliarum Rex, *Pariſijs.* Leo Imperator Orientis, cognomento Philoſophus, 911.

2. Aloyſius Fliſcus Lovaniæ Comes, Juvenis lingvâ, manúque promptus, pelago hauſtus, 1547.

3. Autherius Papa, 238. Philippus V. Galliarum Rex, 1059. *Pariſijs.* Lælius Capillupus Poëta, 1560. Georgius Lippai Archi-epiſcopus Strigonienſis, prudentiâ, libertate, ac pietate inſignis, 1666. *Poſonij.* Joachimus II. Elector Brandeburgicus, 1571.

4. Sanctus Edvardus Rex Angliæ, castitate & miraculis clarus, 1066. Fridericus ex Marchione Misnensi primus Elector Saxoniæ, 1428. Christophorus Mandragonius, bello Hispanico in Belgio clarus, 1596. *Antuerpiæ.*

5. Ramirius Rex Legionis, & Castellæ bellicosissimus, 939. Carolus Audax, Burgundiæ Dux postremus cæsus, 1477. Ussumkassanus Persarum Rex, de Turcis sæpius victor, 1478.

6. S. Raymundus de Pennafort, ex stirpe Regum Aragoniæ, Ordinis Prædicatorum Generalis III. 1275. Joannes Maldonatus Soc. Jesu, Scripturæ Sacræ interpres, Orbi Christiano notus, 1583. Christophorus III. Palatinus, Daniæ Rex, 1448. Wilhelmus Dux Cliviæ, 1592. Casimirus Comes Palatinus, eodem anno, & die.

7. S. Canutus Daniæ Rex, necatus, 1081. Innocentius X. Pontifex, 1665. *Romæ.* Carolus I. utriúsque Siciliæ Rex, 1284.

8. Jottus Florentinus, Pictorum suæ ætatis Princeps, 1336. *Florentiæ.* Galilæus Galilæi Astronomiæ scientissimus, 1642. Cœlestinus III. Papa, 1198. Alexander Dux Florentiæ à cognato miserè perimitur, 1531.

9. Joannes Aventinus, qui Bojorum Annales conscripsit, 1534. *Ratisbonæ.* Martinus Ximines Cardinalis, vir summæ prudentiæ, & maximæ eruditionis, 1518. *Arandæ*, in Hispania. Joannes II. Elector Brandeburgicus, 1499.

10. Vigilius Papa, 555. S. Agatho Papa, 682. Joannes VI. Papa, 705. Gregorius X. Papa, 1276. Otho Dux Brunsvicensis, 1470.

11. Petrus Urseolus Venetorum Dux, Basilicæ S. Marci Fundator, 997. S. Hyginus Papa, 158. Georgius Szelepcheny, Archiepiscopus Strigoniensis, summæ prudentiæ, ac experientiæ vir, 1685.

12. Carolus III. cognomento *Crassus*, Imperator, 888. Leo Thrax Imperator, 444. Maximilianus I. Romanorum Imperator, 1519. Ludovicus II. Marchio Mantuæ, 1477.

13. Onius Marius Arpina, Jugurthæ, & Cimborum victor, Anno ante Christum, 83. Henricus Cardinalis, dein Rex Lusitaniæ, 1580. Fridericus Pulcher, Romanorum Imperator, 1330.

14. Aloysius Gonzaga, Mantuæ Princeps, 1360. Gensericus Vandalorum in Africa Rex, 886.

15. Leonardus Lessius Soc. Jesu, vir doctissimus, & scriptis clarissimus, 1623. Bamba Visigothorum in Hispania Rex, prodigiosissimus hostium victor, 886.

16. Galla Imperator peremptus, 69. *Romæ.* Robertus Siciliæ Rex, 1342.

17. Theodosius Magnus Imperator, 395. *Mediolani.* Georgius Castriotus,

vulgo

vulgo Scanderbegus, Epirotarum Princeps fortissimus, 1466. Rugerius Doria Launensis, Dux belli invictissimus, 1305. in *Catalonia.*

18. Amurathes Turcarum Imperator, qui Cyprum Insulam Venetis eripuit, 1595. Petrus Bembus Venetus, S. R. E. Cardinalis doctissimus, 1547. *Romæ.*

19. Symmachus Papa, 514. Dagobertus I. Galliarum Rex, 645. Jacobus Lainec Soc. Jesu, II. Generalis, unus ex decem S. Ignatij socijs, Arca utriúsque Theologiæ, etiamnum vivus à Pontificibus appellatus, 1565. *Romæ.* Nicolaus Corpernicus eximius Astronomus, 1543.

20. Rudolphus II. Imperator, 1612. *Prægæ.* Theophilus Imperator Orientis, 842. S. Fabianus Papa, 253.

21. Ludovicus II. Imperator, 912. Josephus Scaliger admirabilis ingenij vir, 1609. *Lugduni.* Gelasius II. Papa, 1219.

22. Paschalis II. Pontifex, 1118. Albertus Bojus Hollandiæ Comes, 1404.

23. Otho III. Imperator veneno sublatus, 1002. Ferdinandus V. Catholicus Hispaniæ Rex, Saracenorum domitor, 1516.

24. Jacobus Salianus Soc. Jesu, Annalium veteris Testamenti conditor. 1640. Philippus Rex Macedonum, Alexandri Magni Parens, anno ante Christum natum, 334. Martinus Becanus S. J. Theologus celebris, 1624. *Viennæ.*

25. Volaterranus vir infinitæ propè Lectionis, 1521. Ferdinandus Rex Neapolitanus, 1491. Christianus Daniæ Rex, 1558.

26. Marcianus Imperator, 457. B. Albericus S. Cisterciensis Ordinis Institutor, 1107.

27. Nerva Imperator, 98. *Romæ.* Vitalius Papa, 669. Tamerlanes Tartarorum Imperator victoriosissimus, 1402.

28. Carolus Magnus Occidentis Imperij restaurator, 814. *Aquisgrani.* Martinus Papa, 884. Paulus V. Papa, 1623. Franciscus Dracus, Novarum terrarum inventor, 1596.

29. Terentius Poëta, Anno ante Christum natum, 164. Aurelianus Imperator, prope *Bizantium* occisus, 275.

30. Alanus Theologus summus, qui nomen universalis Doctoris promeruit, 1294. *Parisijs.* S. Felix I. Papa, 275. & Sanctus Felix II. Papa, 492.

31. Jacobus I. Rex Aragoniæ invictissimus, 1229. Claudius Aquaviva S. J. Generalis V. admirandæ prudentiæ, & sapientiæ vir, 1616. *Romæ.*

FEBRUARIUS.

1. Stephanus IV. Pontifex, 772. Carolus IV. Galliarum Rex, 1327. Ludovicus

dovicus Bavariæ Dux, 1294. Hieronymus Alexander à Motta, è Comitibus Flandriæ in Carnia S. R. E. Cardinalis, vir doctissimus, 1542. *Romæ.*

2. Hugo de S. Victore, Saxo, divinis, humanísque literis eruditissimus, 1139. Fridericus Thuringus electus Romanorum Imperator, 1349.

3. S. Ansgarius Svecorum, & Danorum Apostolus, Bremensis Archiepiscopus, 865. Henricus Bavariæ Dux, 1290. Henricus Placidus, Dux Austriæ, 1337. Joannes Franciscus Picus, Mirandulæ Comes, græcè, latinéque doctissimus, 1533.

4. Lucius Septimius Severus Imperator, 211. in *Britannia.* Claudius Tacitus Imperator, *Sirmij* in *Pannonia.* 220. Isidorus Pelusiota vir eruditissimus, 440. in *Ægypto.*

5. Conradus, cognomento Magnus, Lusatiæ Marchio, 1156. Franciscus Montmorantius S. J. vir nobilitate, & doctrinâ clarus, 1611.

6. Amurathes IV. Turcarum Imperator, à Prætorianis trucidatus, 1640. Christophorus Clavius S. J. sæculi nostri Archimedes, 1612. *Romæ.*

7. Moyses Propheta, ante Christum natum, 1470. Simon Machabæus, ante Christum natum, 134. Ferdinandus Medices, Hetruriæ Magnus Dux, 1609. Sisinnius Papa, 308. Wilhelmus Bavariæ Dux, Maximiliani I. Electoris Parens, 1626.

8. Philippus Emmanuel Dux Mercurij, Albæ Regalis in Hungaria expugnator, 1602. Carolus I. Angliæ Rex, capite à suis truncatus, 1646. Mutius Vitellescus S. J. Generalis VI. prudentiâ, ac pietate conspicuus, 1645. *Romæ.*

9. Alphonsus IV. Aragonum Rex, 1336. Alto, è Scotiæ Regibus Monachus, ac Episcopus, 760.

10. Joannes Eckius, Lutheri Antagonista, & triumphator, 1543. *Ingolstadij.*

11. Gregorius II. Pontifex, 731. Balduinus III. Hierosolymorum Rex, 1156. Augustus Saxoniæ Elector, 1586.

12. Andronicus Orientis Imperator, 1332. Rupertus II. Palatinus Elector, 1398.

13. Trecenti Fabij hâc die cæsi. Bela II. cognomento cæcus, Hungariæ Rex, 1245. Alphonsus Salmeron S. J. unus ex decem S. Ignatij Socijs, Scripturæ sacræ interpres fortissimus, 1585. *Neapoli.*

14. Honorius II. Pontifex, 1231. Balduinus IV. Hierosolymorum Rex, 1185.

15. Conradus Imperator, 1152. Henricus Marchio Misnensis, cognomento Illustris, 1227. Josephus Acosta S. J. Rerum Jndicarum eruditus scriptor, 1599.

16. Saladinus, Ægypti Sultanus, bellicosissimus, 1193. Benedictus III. Papa, 858.

17. Jovinianus Imperator, 364. Michaël Angelus Bonarota, picturæ, & sculpturæ miraculum, 1564. *Romæ.* Wilhelmus, Hassiæ Landgravius, 1500.

18. S. Simeon Hierosolymæ Episcopus, Christi secundùm carnem propinquus, 127. Gregorius V. Pontifex, 998. Vincentius Gonzaga Mantuæ, & Montisferrati Dux, 1612. Carolus Dux Lotharingiæ, sæpius de Turcis in Hungaria gloriosus Triumphator, 1690.

19. Sabinianus Papa, 605. S. Bonifacius Lausanensis Episcopus, 1260. Joannnes Marchio Badensis, Elector Trevirensis, 1565.

20. S. Eucherius Episcopus Aurelianensis, 777. Joannes Rex Daniæ, 1513.

21. Julius II. Papa, 1513. Odoardus Farnesius S. R. E. Cardinalis, Alexandri Farnesij Parmæ, & Placentiæ Ducis filius, insignis prudentiæ, & pietatis vir, 1626.

22. Petrus Damiani S. R. E. Cardinalis, de Christiano Orbe meritissimus, 1080. Siricius Papa, 398.

23. Eugenius Papa, ingenio, & rebus gestis insignis, 1447.

24. Boguslaus IV. Pomeraniæ Dux, 1319. Eberhardus cognomento Barbatus, Dux Wirthenbergensis, 1496.

25. Ferdinandus II. Imperator gloriosissimus, 1637. Lucius II. Papa, 1145. Godefridus Hilbert Lotharingiæ Dux, 1075.

26. Albertus Walstanius, Frislandiæ Dux, rebus bello gestis gloriosissimus, 1634. Præmislaus Silesiæ Dux, in bello occisus, 1290. Antonius Possevinus Scriptor nobilissimus, 1611.

27. Rugerius, Neapolis, & Siciliæ Rex victoriosissimus, 1153. Philippus ingenuus, Elector Palatinus, 1508. Fridericus Dux Saxoniæ, 1539.

28. Raymundus Comes Olini Tholossanus, pòst Tripolitanus, Sacræ expeditionis adversùs Saracenos Promotor egregius, 1195. Benedictus VIII Papa, 1024. Comes Thomas Nadasdius, vir summi consilij, 1620.

MARTIUS.

1. Gordianus Imperator, 248. Basilius Macedo Orientis Imperator, 886. Albertus III. Dux Bavariæ, 1460.

2. Simplicius Papa, 483. Carolus Flandriæ Comes, Princeps optimus, in templo trucidatus, à conjuratis, 1126.

3. Clemens VIII. Papa, 1605. Joannes Fridericus Saxoniæ Dux, 1554.

4. Alexander Picolomineus Senensis, Philosophus, & Mathematicus eximius, 1576. S. Lucius Papa, 257. Stephanus III. Hungariæ Rex, 1176.

5. Eusebius Pamphilius Episcopus Cæsariensis, Historiæ Ecclesiasticæ Princeps, 340. Pelagius I. Pontifex, 559.

6. Benedictus Pererius S. J eruditissimus Scripturæ Sacræ interpres, 1610. *Romæ.*

7. Antonius Pius Imperator, 161. in *Villa Laurina.*

8. Franciscus Sfortia, Dux Mediolani, Heros Mavortius, 1260.

9. Julius Mazarinus, Patriâ Romanus, S.R.E Cardinalis, vir prudentiâ gubernandi, & felicitate toti Europæ notissimus, 1661. *Parisijs.* Leonardus Aretinus, egregius Historicus, 1443. *Florentiæ.* S. Cyrillus, Monachus, Apostolus Pannoniæ, 910.

10. Gilbertus Genebrardus Chronographus celebris, 1597. Lotharius IV. Galliarum Rex, 1428.

11. Heraclius Imperator, 641. Albertus Marchio Brandeburgicus, dictus Achilles Germaniæ, 1486.

12. S. Gregorius Magnus, Pontifex, & Doctor Ecclesiæ, 604. Uladislaus Locticus Rex Poloniæ, 1333. Uladislaus II Rex Hungariæ, & Bohemiæ, 1516. Cornelius à Lapide S. J Commentator totius Scripturæ Sacræ eruditissimus, ac doctissimus, 1637.

13. Belizarius Magnus, Justini Imperatoris Polymarchus gloriosissimus, 565. Franciscus Vatablus, Scripturæ Sacræ explanator eximius, 1547. *Lutetiæ.* Martinus Cromerus, Rerum Polonicarum Scriptor, 1589.

14. Martinus de Aragonia, fortissimus Hispanorum belli Dux, 1639. Joannes Comes Palatinus, Dux Neoburgi, 1443.

15. Julius Cæsar, viginti tribus vulneribus confossus, anno ante Christum, 41. *Romæ.* Atila Hunnorum Dux, 454. *Budæ.* S. Zacharias Papa, 752.

16. Marcus Aurelius Imperator, Philosophus, 180. Tyberius Imperator, 39. Sigismundus Zapolya, Transylvaniæ Princeps, 1571.

17. S. Patritius, Hyberniæ Apostolus, 491. Valentinianus I. Imperator, 375. Et eâdem die Valentinianus III. Imperator, 455.

18. Alexander Imperator interemptus, 237. Opilius Macrinus Imperator, militari tumultu occisus, 219. Sigismundus Bathorius, Transylvaniæ Princeps, 1611. *Pragæ.*

19. S. Joseph Nutritius Christi Domini, Anno à nativitate Christi, 14. Phocion Philosophus veneno necatus. Petrus Pazmanus è Soc. J. Archiepiscopus Strigoniensis, S. R. E. Cardinalis, Literarum, & Religionis Orthodoxæ in Hungaria Restaurator, 1637. *Posonij.*

20. Matthias Imperator, 1619. *Viennæ.* Baptista Mantuanus versu celebris, 1516. Balduinus Hierosolymæ Rex II. 1118. Wolffgangus Wilhelmus Dux Neoburgicus, 1653.

21. Galienus Imperator, 268. S Benedictus, Monachorum in Oriente Patriarcha, 553. Carolomanus Rex Hungariæ, 880.

22. Wilhelmus I. Bavariæ Dux, 150. Carolus Marchio Badensis, 1598. Podebragius, Bohemiæ Rex, 1471.

23. Julius III. Papa, 1555. Justus Lipsius, elegantiâ ingenij, & eruditione variâ, scriptísque celebris, 1666.

24. Nicolaus V. Pontifex, 1455. Comes Joannes Tyllius, Catholici fœderis exercitûs in Germania supremus Dux, 1632.

25. Richardus Angliæ Rex, 1199. Pertinax, optimus Imperator, 193. Joannes Guilielmus, Juliaci, & Cliviæ Dux, 1609.

26. Romanus Imperator Orientis, Zoë Uxoris insidiis sublatus, 1034. Hugo Rex Cypri, 1294.

27. Carolus IV. Imperator, & Gregorius XI. Pontifex, eâdem hâc die, & eodem anno nempe, 1378. moriuntur. Joannes Rex Galliæ, 1364. Joannes II. Stuartus Rex Scotiæ, 1406.

28. S. Guntrannus Burgundiæ Rex: pietate, & sanctitate illustris, 594. Chilibertus Galliarum Rex, 587. S. Sixtus III. Pontifex, 440.

29. Claudius Imperator, scelere uxoris veneno sublatus, 58. Alij aliter Franciscus Dux Mantuæ gloriosissimus, 1519.

30. Stephanus II. Papa, 752. Amadæus IX. Sabaudiæ Dux, 1472.

31. S. Amos Propheta, ante Christum, 802. Franciscus I. Galliarum Rex, 1547. Philippus II. Hispaniarum Rex, 1621.

APRILIS.

1. Sigismundus I. Rex Poloniæ, 1548. Emericus Rex Cypri, anno 1025.

2. Ferdinandus III. Imperator, 1657. *Viennæ*. Levigildus Visigothorum Hispaniæ Rex, 586. S. Franciscus de Paula, 1507.

3. Honorius IV. Pontifex, 1287. Boleslaus Poloniæ Rex, 1205. Quidobaldus I. Urbini Dux, 1559.

4. S. Ambrosius Ecclesiæ Doctor, 397. S. Isidorus junior, 636. Georgius Trapezuntinus, vir doctissimus, 1396. *Romæ*.

5. S. Vincentius Ordinis Prædicatorum, doctrinâ, & sanctitate insignis, 1418. Matthias Corvinus, fortissimus Hungariæ Rex, 1490. *Viennæ*.

6. Raphaël Urbinus, & Albertus Durerus, Pictorum miracula, Ille 1520. Hic 1517. Zeno Imperator, 491.

7. Carolus VIII. Galliarum Rex, 1498. Ludovicus cognomento Gibbosus, Bavariæ Dux, 1448.

8. Antonius Caracalla Imperator, occisus, 219. Joannes IX. Papa, 936.

9. Constantinus Papa, 714. Edvardus Angliæ Rex, 1483. Henricus cognomento Pius, Silesiæ Princeps, 1241.

10. S. Agapitus Papa, 461. Clemens III. Papa, 1191. Gregorius XIII. Papa, 1583. Ludovicus Balbus Imperator, 829.

11. Leo Magnus Papa, 461. Donus Papa, 678. Bajazethes Imperator Turcarum, à filio Selymo peremptus, 1512.

12. S. Julius Papa, 1352. Sergius II. Papa, 842. Onuphrius Patavinus, Ordinis Sancti Augustini eximius scriptor 1568.

13. Hyppolitus Salvianus Medicus celebris, & Scriptor clarus 1572 *Romæ.* Innocentius Cybo S.R.E. Cardinalis, prudentiâ, & liberalitate insignis 1550.

14. Christophorus Comes Palatinus Rheni. 1564. Sebastianus Barradius S.J. nominantissimus Scriptor, 1615. *Conimbricæ.*

15. Emmanuel Crisolova Græcarum literarum in Italia Restaurator. 1415. Balduinus Constantinopolitanus Imperator, à Saracenis occisus. 1205.

16. S. Paternus Abrincensis Episcopus, 560.

17. B. Alexius Falconerius, unus ex septem, qui Ordinem Servorum B. MARIÆ Virginis instituerunt, 1310. S. Anicetus Papa, 175. Georgius cognomento Dives, Bavariæ Dux, 1573.

18. Joannes IV. Dux Brabantiæ, 1426. Galdinus Archiepiscopus Mediolanensis, miraculis clarus, 1178.

19. Robertus Stuartus Scotiæ Rex, 1390. Rupertus Bavariæ Princeps, Episcopus Ratisbonensis, 1507. Hieremias Drexelius S. J. eleganti, ac piâ Scriptorum varietate clarus, 1630. *Monachij.*

20. Mauritius Imperator, jussu Phocæ cum filijs necatus, 613. Clemens V. Papa, 1314.

21. Alphonsus V. Castellæ Rex, 1284. Petrus Appianus celebris Mathematicus, & Cosmographus, 1151. *Ingolstadij.*

22. Alexander II. Papa, 1073. Henricus VII. Angliæ Rex, 1507. Sother Papa, 171.

23. Michaël III. Imperator Orientis, 867. Priamus Scothorum Rex, in seditione occisus, 1014.

24. Albertus I. Imperator à nepote occisus, 1308. Pharamundus I. Francorum Rex, 429. Comes Nicolaus Palffi, Jaurini alter recuperator, & eximius Heros, 1600.

25. Geysa magnus Hungarorum Dux, 1077. Fridericus Fortis Marchio Misniæ, Gregorius de Valentia S. J. Theologus eminentissimus, 1603. *Neapoli.* Comes Matthias Gallassius, Dux belli famosissimus, 1647. *Viennæ.*

26. Philippus Audax, Dux Burgundiæ, 1404.

27. Leo XI. Papa, 1605. Otho IV. Imperator, 1228. Magellanus Indiæ inventor, 1521.

28. Stephanus Archiepiscopus Cantuariensium, qui primus in Capitula sacra Biblia distinxisse fertur, 1228. Stephanus X. Papa, 1058. Franciscus Maria, postremus Urbini Dux, 1631.

29. Richardus Marchio Brandeburgicus, circa annum Christi, 1000. Sigismundus III Rex Poloniæ, 1632.

30. Seneca Philosophus, & Lucanus Poëta, ante Christum, 65.

MAJUS.

1. Primâ hujus Mensis desiêrunt vivere, Arcadius Imperator, 408. Gregorius VI. 1044. Marcellus II. 1555. Pius V. 1572. Summi Pontifices.

2. S. Antonius Archiepiscopus Florentinus, 1481.

3. Alexander I. Papa, 132. Alexander V. Papa, 1510. Mahometes II. Turcarum Imperator, qui Christianis II. Imperia, 18. Regna, & 200. Urbes eripuit, 1481.

4. Carolus II. Neapolitanus, 1309. Joannes Dux Brabantiæ, Lovaniensis Academiæ Fundator, 1425. Ulysses Aldrovandus, incomparabilis operum naturæ scrutator, 1605. *Bononiæ.*

5. Dedo Saxoniæ Palatinus, vulgò Pater pauperum dictus, 1956. Fridericus III. Saxoniæ Elector, 1525. Henricus Comes Tyrolis, & Rex Bohemiæ, 1334.

6. S. Joannes Damascenus, scriptis; & sanctitate clarus, 749. Bonifacius Tusciæ Marchio potentissimus, 1052.

7. Benedictus II. Papa, 677. Joannes XV. Papa, 996. Ottho Magnus Imperator, 976. Ladislaus III. & Bela IV. Hungariæ Reges, ille anno Christi, 1208. hîc 1225.

8. Christophorus Columbus, novi Orbis inventor, 1506. Ramirius Aragoniensis Rex, in prælio à Nepote Sancio, occisus, 1063.

9. Hadrianus III. Papa, 885. B. Nicolaus Alberganus, S.R.E. Cardinalis, 1443.

10. S. Jobus Patriarcha, ante Christum natum, 1508.

11. Cardinalis Parisius, Juris utriúsque interpres clarissimus, 1545. *Romæ.* Henricus II. Castellæ, & Legionis Rex, 1379. Matthæus Riccius S. J. qui primus Evangeli um in Sinas invexit, 1610.

12. Carolus Aquitaniæ Dux, 1422. Thomas Palæologus, Peloponesi Despota, 1465.

13. Salu-

13. Salustius Crispus, Romana primus in Historia, ante Christum natum, 33. Sergius Papa, 1012.

14. Paschalis I. Papa, 824. Theodorus I. Papa, 649. Joannes XII. 964. Henricus IV. Franciæ, & Navarræ Rex, 1610. Ludovicus XIII. Galliarum Rex, 1646.

15. Valentinianus junior Imperator, 392. Benedictus II. Papa, 685.

16. S. Benno Episcopus Misnensis, 1106. Comes Christophorus Castilionensis, celebris Legum interpres, 1425.

17. Joannes XX. Papa, 1277. *Viterbij*. Joannes Taulerus Ordinis Sancti Dominici pijssimus, ac doctus scriptor, 1136. Venceslaus Dux Plocensis, 1330.

18. S. Ericus Sveciæ Rex, 1160. Philippus Cardinalis Dux Bavariæ, Episcopus Ratisbonensis, 1598. B. Frater de Cantalico Capucinus, 1585. *Romæ*.

19. Albinus Alcuinus, Caroli Magni, in Mathematicis, & Philosophicis instructor, 804. Ivo, Pupillorum, Viduarum, & Pauperum Advocatus, 1303. Thomas Sanchez S. J. Theologus insignis, 1610. *Romæ*.

20. S. Bernardus Senensis, 1444. Osmannus Turcarum Imperator, à suis interfectus, 1622. Uladislaus IV. Poloniæ Rex, 1648. *Cracoviæ*. Nicolaus Serrarius S. J. eruditissimus Theologus, & Historicus, 1609.

21. Henricus IV. Imperator, 1125. *Trajecti*. Alexius Comnenus, Trapezunti Princeps, cum tribus filijs, & quinque nepotibus, subitâ tempestate maris exortâ submersus: 1570.

22. Constantinus Magnus Imperator, 337. Conradus III. Imperator, 1254. Christianus I. Daniæ Rex, 1482.

23. Conradus I. Imperator, 909. Leopoldus II. Austriæ Archidux, 1412. Laurentius Surius Carthusianus, qui vitas Sanctorum edidit, 1578.

24. Vincentius Lyrinensis, doctrinâ, & sanctitate clarus, 440. Edoardus V. Angliæ Rex, 1483. David Rex Scotiæ, 1153.

25. Urbanus Papa, 233. Alphonsus II. Aragoniæ Rex, 1196. Alexander IV. Papa, 1261.

26. Venerabilis Beda, Scriptor doctissimus, & sanctitate clarissimus, 776. S. Eleutherius Papa, 194. Philippus Nereus, Congregationis Oratorij Institutor, 1595.

27. S. Joannes I. Papa, 526. Item Joannes II. Papa, 553. Raymundus Berengarius Comes Barcinonensis, bellis contra Saracenos celeberrimus, 1076.

28. S. Germanus Parisiorum Episcopus, miraculis clarus, 579. David Beroinus, S. R. E. Cardinalis, ingenij splendore, ac vitæ gravitate illustris, à Sectarijs strangulatus, in Scotia, 1546.

29. S. Gau-

29. S. Gaudentius, in conversione Hungarorum, S. Adalberti Coapostolus, 988. Joannes Duglessus Leopoliensis Archiepiscopus, Chronologus, 1480. Jacobus Latomus Belga, insignis Theologus, 1544. *Lovanij.*

30. Carolus IX. Galliarum Rex, 1547. Balduinus Pulchro-barbus, Comes Flandriæ, 1036. Ferdinandus III. Castellæ Rex gloriosissimus, 1252.

31. Jagello ex Duce Lithvaniæ, Poloniæ Rex, 1434. Guilielmus Comes Hollandiæ, 1412. Rovandus ille Magnus Pipini Regis nepos, rebus bello præclarè gestis clarus, 800. Geysa II. Hungariæ Rex, 1141.

JUNIUS.

1. Primâ die hujus Mensis, mortuus est Rupertus Bavarus Imperator, 1410. *Oppenheimij.*

2. Carolus II. Rex Hungariæ trucidatus, 1386. Thomas Nadasdius Hungariæ Palatinus, 1561. Augustinus Torniellius, Annalium veteris Testamenti Scriptor, 1620.

3. Eugenius II. Papa, 655. Richardus Edvardi IV. Angliæ Regis filius, à Patruo peremptus, 1483. Franciscus Mendoza S. J. excellens Sacræ Scripturæ interpres, 1605.

4. Blondus Flavius insignis Historiographus, 1483. *Romæ.* Sancius IV. Rex Aragoniæ, 1054.

5. Mathusalem ante Christum, 2936. Fridericus Brunswicensis electus in Imperatorem, in reditu è comitijs perfidè interemptus, 1400. Conradus Salicus Imperator, 1039.

6. Henricus Castellæ Rex, casu tegulæ peremptus 1217. Ludovicus Areostus, Italici carminis vates percelebris, 1534. Alexander III. Imperator Orientis, 912.

7. Guilielmus Bonus, Comes Hollandiæ, 1437. Casimirus Poloniæ Rex, 1492. Josephus Blancanus S. J. Scriptor Mathematicus clarus, 1624. Georgius Rakoczi II. ex vulnere in prælio contra Turcas accepto, 1660. mortuus *Varadini.*

8. Edvardus Fortunatus Marchio Badensis, 1600. Vincentius Caraffa Generalis Soc. Jesu, vir genere, pietate, & doctrinâ illustris, 1624.

9. S. Cyrillus Episcopus Alexandrinus, 444. Ernestus cognomento Strenuus, Austriæ Marchio, 1075.

10. Servius Tullius, Sextus Romanorum Rex, occisus anno ante Christum, 531. Fridericus I. Imperator submersus, 1190. Franciscus Dux Alenconij, 1584.

11. Jacobus

11. Jacobus III. Scotiæ Rex, ſuorum conjuratione peremptus. 1488. Rudolphus III. Saxoniæ Elector. 1410. Joannes III. Luſitaniæ Rex. 1557.

12. Leo II. Papa. 717. *Romæ.* Ludovicus Gonzaga Marchio Mantuæ. 1478.

13. Martinus Navarra, doctiſſimis ſuis ſcriptis orbi notus. 1586. *Romæ.* Joannes Sambucus, Tyrnavienſis, Hiſtoricus. 1484.

14. Veremundus, Legionis Rex. 791. Joannes Borgia Gandiæ Dux, fratris ſcelere confoſſus. 1479.

15. Paulus Venetus, Hiſtoricus, & Coſmographus eruditiſſimus. 1429. Philippus Bonus III. Burgundiæ Dux. 1467. Andronicus junior, Imperator Orientis. 1381.

16. Hugo Magnus, Comes Pariſienſis. 958. Chriſtianus Brunſwicenſis, Bello Germano-Svecico notiſſimus. 1626.

17. Joannes Albertus, Poloniæ Rex. 1501. Ferdinandus, Luſitaniæ infans, Joannis I. Regis Filius. 1445.

18. Fulvius Urſinus, Antiquitatum Romanarum illuſtrator. 1600. *Romæ.* Leo Iſauricus, Imperator. 741.

19. S. Romualdus Camaldulenſium Monachorum Fundator. 1023. Dagobertus I. Rex Galliarum. 645.

20. Ludovicus Pius Imperator. 840. S. Severinus Papa. 540.

21. Jacobus Menochius, præſtantiſſimus Legum interpres. 1607.

22. Innocentius V. Papa. 1276. Philippus Imperator. 1201. Laurentius Bajerlink, novo vitæ humanæ theatro, juris publici facto, celebris. 1627.

23. Henricus Dux Brunſwicenſis, globo tormenti trajectus. 1514. Chriſtianus II. Elector Brandeburgicus. 1611.

24. Titus Veſpaſianus, Imperator 79. Edvardus III. Angliæ Rex. 1377.

25. Simon Montfortius, Albigenſium Hæreticorum domitor. 1218.

26. Adeodatus Papa. 676.

27. Alphonſus, cognomento Magnanimus, Rex Aragoniæ. 1458. Erneſtus Ludovicus, Dux Pomeraniæ. 1582.

28. Alexander Magnus, ante Chriſtum natum. 323. S. Leo II. Papa. 684. Diogenes Cynicus Philoſophus, ante Chriſtum. 324.

29. Paulus I. Papa. 767. Raymundus Lullus, Doctor illuminatus dictus, 1315. Abrahamus Orthelius, inſignis Coſmographus. 1598.

30. Erneſtus Dux Bavariæ. 1421. Cardinalis Baronius, Annalium Eccleſiaſticorum Conditor. 1602. *Romæ.*

JULIUS.

1. Migrârunt ex hac vita primâ die hujus Mensis, Aaron Pontifex, Moysis frater, ante Christum natum. 1470. Alphonsus VI. Castellæ Rex. 1109. Carolus Archidux Austriæ, Pater Ferdinandi II. Imperatoris. 1590.

2. Henricus Imperator cognomento Auceps. 936. in *Saxonia.* S. Ottho Episcopus Bambergensis, Pomeraniæ Apostolus. 1139. Nicolaus Causinus S. J. cujus erudita, & pia scripta leguntur. 1651.

3. S. Landfrancus, Archiepiscopus Cantuariensis, quem alij præcipuum, Theologiæ Scholasticæ Authorem dicunt. 1039. Marcus Annius Florianus Imperator, anno Christi. 279.

4. Benedictus V. Papa. 965. Guilielmus Dux Brunswicensis. 1535.

5. Constantinus Ducas, Imperator Orientis. 1069. Maximilianus I. Elector Bavariæ. 1651. Ottho, Elector Brandeburgicus. 1206.

6. Isaias Propheta ante Christum. 712. Thomas Morus, vir pijssimus, & doctissimus Angliæ Cancellarius. 1535. Benedictus Arias Montanus, sacrarum lingvarum peritissimus. 1598.

7. Romulus, alter Conditor Romæ, anno ante Christum. 713. Sigismundus Augustus, Poloniæ Rex. 1575. Nicolaus II. & Benedictus XI. Pontifices, ille anno Christi, 1061. hic 1304.

8. Epaminondas, Thebanus, Dux Belli fortissimus, anno ante Christum. 361. Pipinus, Caroli Magni filius, Italiæ Rex. 810. Eugenius III. Papa. 1153. Bernardus, Dux Vinnariensis, Bello Svecico clarus. 1639.

9. Leopoldus, Austriæ Dux, ab Helvetis cæsus. 1388. Ferdinandus IV. Hungariæ, Bohemiæ, & Romanorum Rex. 1654.

10. Hadrianus Imperator. 138. Henricus II. Galliarum Rex. 1559. Benedictus VIII. Papa. 984. Comes Buquovius, Cæsarei exercitûs Generalis. 1621.

11. Mauritius, Saxoniæ Elector. 1553. Anthimius Imperator. 472. S. Pius Papa. 167. Leo Armenus, Orientis Imperator, 813. Ottho de Wittelspach, modernæ Serenissimæ Domûs Bavaricæ author. 1283.

12. Joannes Gerson, Cancellarius Parisiensis, scriptor illustris. 1429. Franciscus Dux Lotharingiæ. 1546.

13. Anacletus Papa. 112. Bartholus à Saxo-ferrato, lucerna Juris dictus. 135.

14. S. Henricus II. Imperator. 1024. Arnulphus, Bojorum Dux. 937.

15. Adolphus, Imperator. 1299. Constans, Imperator. 669. Rudolphus I. Imperator, 1291. Egbertus Rex Angliæ. 673,

16. Joannes Casimirus, Saxoniæ Dux. 1633. Bernardus Maffæus, S. R. E. Cardinalis, vir omni genere Scientiarum instructissimus. 1553. *Romæ*.

17. S. Leo IV. Pontifex. 855. Innocentius III. Pontifex. 1216.

18. Godefridus Bullionius Hierosolymorum Rex. 1100. Franciscus Petrarcha, Poëtica laude clarissimus. 1374.

19. Hermanus Contractus, Ordinis S. Benedicti Chronologus, & Mathematicus insignis. 1054. Ludovicus Niger, Palatinus Rheni. 1489.

20. Petrus Lombardus, Magister Sententiarum, & Theologorum Scholasticorum 1164. Albertus, cognomento Sapiens, Archidux Austriæ. 1358. Joannes Zapolya, Hungariæ Interrex. 1540.

21. Daniel Propheta, ante Christum natum. 518.

22. Henricus IV. Princeps Poloniæ. 1290. Carolus VIII. Galliæ Rex. 1461.

23. Franciscus Duarenus, Juris-Consultus illustris. 1559.

24. Hermannus de Salza, primus Ordinis Teutonum Magister. 1240. Henricus, Marchio Misniæ. 1435.

25. Ferdinandus I. Imperator. 1564. *Viennæ*. Constantinus Chlorus, Constantini Magni Parens. 306. Thomas à Kempis, pijssimus Scriptor. 1471. Innocentius VIII. Papa. 1492. Paulus II. Papa. 1471.

26. Carolus Emmanuel, Sabaudiæ Dux. 1630. Philippus I. Rex Galliæ. 1108.

26. Jacobus I. Aragoniæ Rex fortissimus. 1276. Ludovicus, Hassiæ Landgravius. 1626. Comes Simon Forgachius, perfidè à Turcis confossus. 1552.

28. Innocentius I. A. C. 417. Stephanus III. 754. Paulus II. 1471. Victor II. A. C. 1054. S. Victor. 1203. Summi Pontifices. Comes Lupus Batthyanus, à Turcis brachijs, & pedibus truncatus. 1552.

29. Urbanus II. Papa, Sacræ expeditionis pro recuperanda terra Sancta Author. 1099. Urbanus VIII. Papa. 1644. S. Felix II. P. 858.

30. Albertus II. Ferrariæ, & Mutinæ Dominus. 1393. Ludovicus Barbatus, Dux Bavariæ. 1447. Henricus, Bavariæ Dux dictus Landhutensis. 1450.

31. S. Ignatius S. J. Fundator. 1556. Comes Adolphus Schvvarczenburgius, Jaurini Recuperator. 1625.

AUGUSTUS.

1. Septem Fratres Machabæi, acerbissima passi tormenta, è vivis sublati, anno ante Christum natum. 166. Justinus Senior, Imperator. 527. Theodosius II. Imperator. 450. Laurentius Valla, de latina lingva optimè meritus. 1465.

 2. Henricus

2. Henricus III. Galliæ Rex. 1589. Stephanus III. Papa. 1057 Emmanuel Philipertus, Dux Sabaudiæ. 1580.

3. Jacobus III. Scotiæ Rex. 1460.

4. Sebaſtianus, Luſitaniæ Rex, in prælio contra Mauros occiſus. 1578.

5. S. Oſvaldus, Angliæ Rex. 643. Odonus, Herulorum Rex. 493. Stanislaus Hoſius, Polonus, S. R. E. Cardinalis, Catholicæ fidei propugnator zeloſiſſimus. 1519.

6. Raymundus Princeps Aragoniæ, Maurorum terror. 1162. Jacobus I. Rex Valentiæ, eorundem Maurorum Domitor. 1267. S. Dominicus, ſanctitate, & doctrinâ clarus. 1221. *Bononiæ.* Ejus tamen feſtivitas quartâ Auguſti celebratur.

7. Majoranus, Imperator. 481. Lotharius, Lotharingiæ Rex. 869. Claudius Jajus S. J. unus ex primis decem Socijs S. Ignatij. 1552. *Viennæ.*

8. Alphonſus V. Luſitaniæ Rex. 1481. Petrus, Siciliæ Rex. 1343.

9. Valens Imperator. 378. Hugo Elienſis Epiſcopus, de Eccleſia meritiſſimus. 1264.

10. Tyberius Imperator. 583. Joannes Fontana, Architectus celeberrimus. 1614. *Romæ.*

11. Nicolaus de Cuſa, Cardinalis, Theologorum, & Mathematicorum ſui ſæculi Princeps. 1464.

12. Rudolphus I. Elector Palatinus. 1319. Joannes Elector Brandeburgicus. 1445.

13. Joannes I. Luſitaniæ Rex. 1433. Ludovicus Elector Palatinus. 1449.

13. Svvatoboius, Lotharingiæ Rex. 900. Sixtus IV. Papa. 1484.

14. Pius II. Papa. 1464. B. Stanislaus Koſtka S J. 1568. Carolus Manſfeldius, rebus bello præclarè in Hungaria geſtis illuſtris. 1595.

15. Honorius Imperator. 423. Alexius Comnenus, Orientis Imperator. 1118.

16. Sylvius Antonianus, S. R. E. Cardinalis, humanis literis egregiè cultus. 1603.

17. Ibrahimus, Turcarum Imperator, à Prætorianis militibus occiſus. 1648.

18. Albertus cum Trica Auſtriæ Archidux. 1395. Alexander VI. Papa. 1503. Paulus IV. Papa. 1559.

19. Octavianus Auguſtus, Imperator, anno Chriſti. 14. S. Ludovicus, Epiſcopus Tholoſanus. 1293. Fridericus III. Imperator. 1493. *Lincij.*

20. S. Samuel Propheta, anno ante Chriſtum natum. 1076. in *Judæa*

Oſorinus

Osorinus, Angliæ Rex. 651. Joannes de Lugo S. J. Cardinalis, pietate, Religione, monimentísque ingenij clarissimus. 1660. *Romæ.*

21. Alphonsus Justus, Castellæ Rex. 1157. Alexander de Hales, Ordinis S. Francisci, vir doctissimus, SS. Bonaventuræ, & Thomæ Aquinatis Præceptor. 1245.

22. Eberhardus Franconiæ Dux. 958. Nicolaus III. Papa. 1280. Philippus VI. Galliarum Rex. 1350.

23. Stilico, Heros fortissimus, Honorij Imperatoris gener. 408.

24. Henricus VIII. Imperator. 1313. Richardus III. Angliæ Rex. 1485. Casimirus, Dux Pomeraniæ. 1368.

25. S. Ludovicus, Francorum Rex. 1270. Gratianus, Imperator optimus. 383.

26. Otthocarus, Bohemiæ Rex, in prælio contra Rudolphum cæsus. 1278.

27. Alexander III. Papa, vir eloquens, divini, humaníque Juris scientissimus. 1181. Valentinianus II. Imperator. 392. Sixtus V. Papa. 1590.

28. Hugo Capetus, Galliarum Rex. 998. S. Augustinus. 340.

29. Ludovicus II. Hungariæ Rex, in prælio contra Solymanum, in palude ad oppidum Mohacs submersus. 1526. Carolus Gonzaga, Mantuæ Dux. 1637. Henricus V. Angliæ Rex. 1423.

30. Ludovicus XI. Galliarum Rex. 1483.

31. Rudolphus I. Imperator. 1291. Jacobus Rossa, S. R. E. Cardinalis, Archiepiscopus Vlissiponensis, Lusitaniæ Regis nepos, virtute, ac pudicitiâ insignis. 1459. *Florentiæ.*

SEPTEMBER.

1. Josue, primus Israëlitici populi post Moysen Dux, anno ante Christum 1470. Balduinus Lilanus, Comes celeberrimus Flandriæ, anno Christi. 1067

2. Joannes Cardinalis Aldobrandinus, Clementis VIII. frater, summus Pœnitentiarius. 1573. *Romæ.*

3. Joannes Galeatius, Mediolani primus Dux. 1401.

4. Solymanus, Turcarum Imperator, in obsidione Szigethiana. 1566.

5. Antharis, Longobardorum Rex. 588.

6. Joannes XIII. Papa. 972. Guilielmus Postellus, Gallus, disciplinarum, Lingvarúmque ferè omnium exoticarum doctissimus. *Parisijs.* 1581.

7. Alphonsus I. Aragoniæ Rex, in velitaria pugna, à Mauris trucidatus. 1134. Leo IV. Orientis Imperator. 776. Ferdinandus III. Castellæ Rex. 1313.

8. S. Corbinianus, Bavariæ Apostolus. 780. S. Sergius I. Papa. 701.

9. Thomas de Vio Cajetanus, S. R. E. Cardinalis, Ingeniorum ævi sui miraculum appellatus. 1536. Fridericus IV, Elector Palatinus. 1610.

10. Jacobus Amanatus, Cardinalis Picolomineus, vir magnæ doctrinæ, ac ingenij elegantis 1476.

11. Odvardus Farnesius, Parmæ, & Placentiæ Dux. 1646. Joannes de Werth, Germanicis bellis clarus. 1652.

12. Joannes Hunnyades, Turcarum in Hungaria domitor. 1456. Innocentius VI. Papa. 1362. Andronicus Imperator Orientis. 1185.

13. Philippus II. Hispaniarum Rex potentissimus. 1598. Titus Imperator, anno Christi. 83. Ferdinandus Elector Coloniensis, Bavariæ Dux. 1650. Ludovicus I. Hungariæ Rex. 1382.

14. S. Cyprianus. 263. S. Ghrysostomus. 407. Franciscus Toletus S. J. S. R. E. Cardinalis, doctissimus. 1596.

15. Ludovicus Richeomus, S. J. Scriptor eximius. 1625. Philippus, Navarræ Rex. 1344.

16. Victor III. Papa. 1087. Carolus V. cognomento Sapiens, Galliarum Rex. 1380. Ludovicus I. Bavariæ Dux, à Morione confossus. 1231.

17. Robertus Bellarminus, S. J. S. R. E Cardinalis, cui testimonio Clementis VIII. tunc Ecclesia parem in doctrina non habuit. 1621.

18. Octavius Farnesius, Parmæ, & Placentiæ Dux. 1587. Andreas Neapolis Rex, dolo uxoris, laqueo peremptus. 1345. Alphonsus Albuquertius, rebus præclarè bello in India gestis insignis. 1515.

19. Licinius Crassus, Orator celebris. anno V. C. 663. Matthias Palmerius Pisanus, Chronologus. 1483. *Romæ.*

20. Guilielmus Ocham, Ordinis Minorum, Anglus, Doctor singularis nuncupatus. 1347. Ludovicus VII. Galliæ Rex. 1180. Selymus, Turcarum Imperator. 1520.

21. Carolus V. Imperator. 1558. *In Monasterio S. Justi, propè Vallisoletum in Hispania.* Philippus, Valesius, Neapolis, & Siciliæ Rex. 1380.

22. Publius Virgilius Maro, Latinorum Poëtarum Princeps, anno ante Christum. 19. Ottho Frisingensis Episcopus, Marchio Austriæ, insignis Scriptor. 1158.

23. Gabriel Vasquez S. J. eximiâ, & exquisitâ eruditione, summo ingenio, scriptisque Theologicis illustrissimus. 1604.

24. Pipinus, Galliarum Rex. 768. Innocentius II. Papa. 1145. S. Gerardus Episcopus Csanadiensis, in Hungaria. 1042.

25. Franciscus Syvarez S. J. Theologus, nunquam satis laudatus. 1617. *Ulissipona.*

26. Philippus

26. Philippus I. Hispaniarum Rex, *Burgis* in *Hispania*. 1506. Urbanus VII. Papa. 1590. Cardinalis de Turre Eremita, exquisitæ doctrinæ vir. 1468. *Romæ*.

27. Andreas Argolus insignis Astronomus, 1657. Didacus Covaruvias, J.C. celeberrimus. 1577.

28. Lotharius Imperator. 885. Ambrosius Spinola, rei Militaris scientiâ clarissimus. 1630.

29. Didius Julianus Imperator. 195. Henricus VI. Imperator. 1198. Petrus Aragoniæ Rex, Maurorum terror. 1108. Gustavus Trole, Rex Sveciæ. 1560.

30. S. Franciscus Borgias S.J. Generalis III. *Romæ*. 1572. Benedictus I. Papa. 577. Cidesvindus, optimus Hispaniæ Rex. 653.

OCTOBER.

1. Crispus, Constantini Magni filius, veneno sublatus. 325. Bonifacius IX. Papa. 1404. Joannes Austriacus, Caroli V. filius naturalis. 1552.

2. Justinus II. Imperator. 578. Urbanus IV. Papa. 1264.

3. Emmanuel Comnenus, Imperator Constantinopolitanus. 1180. Hercules II. Dux Ferrariæ. 1559.

4. S. Franciscus Seraphicus. 1226. *Assisij*.

5. Carolus Calvus, Occidentis Imperator. 877.

6. Philippus, Galliæ Rex. 1131. Henricus III. Imperator. 1056.

7. Ludovicus, Germaniæ Rex. 876. Ferdinandus II. Neapolis Rex. 1495. Marcus Papa. 336. Carolus Simplex, Galliarum Rex. 929.

8. Cœlestinus IV. Papa. 1241. Cardinalis Sirletus, claro genere, sed magìs Sapientiâ, ac virtute conspicuus. 1585. *Romæ*.

9. S. Guntherus, S. Stephani Regis Hungariæ consangvineus. 1045. Clemens II. Papa. 1047. Joannes, Castellæ Rex. 1399. Comes Tampier, Heros incomparabilis. 1620. in expugnatione *Posonij*.

10. S. Paulinus, Episcopus Eboracensis. 644. Henricus Wenceslaus, Dux Münsterbergensis. 1591.

11. Bonifacius VIII. Papa. 1304. Ludovicus IV. Bavarus Imperator. 1347.

12. Eduvinus, Angliæ Rex, in prælio occisus. 632. Maximilianus II. Imperator. 1576. Richardus Rex Angliæ. 1399.

13. Ludovicus Ultramarinus, Rex Galliæ. 954. Alphonsus Vargas, Ordinis Eremitarum, Archiepiscopus Hispalensis, vir doctissimus. 1357.

14. Fraucifcus Egrenfis Mutinæ Dux. 1658. Heraldus Rex Angliæ. 1066. Petrus Caffandus S. J. Aftronomicis obfervationibus clarus, anno Chrifti· 1655.

15. Urbanus VI. Papa. 1389. Gregorius XIV. Papa. 1591. Marcommius, Scotiæ Rex. 1097. Philippus Audax, Galliæ Rex. 1282.

16. B. Albertus Magnus. 1280. Ludovicus, Siciliæ Rex, Petri Regis filius. 1355. Demofthenes Orator, ante Chriftum. 320.

17. Auria, Genuenfium Belli Dux famofiffimus. 1323. Philippus Comminæus, Hiftoriographus. 1509.

18. Joannes VII. Papa. 707. Pius III. Papa. 1503. Rupertus, Comes Palatinus, Epifcopus Argentinenfis. 1478.

19. Joannes Angliæ Rex, extorris. 1216. Martinus Delrio S. J. omni fcientiarum varietate confpicuus, Scriptor illuftriffimus. 1608.

20. Honorius I. Papa. 638. Democritus Philofophus, anno ante Chriftum. 362. Joannes Petrus Maffæus, S. J. Indicarum rerum Scriptor elegantiffimus. 1603. *Romæ.*

21. Carolus VI. Galliarum Rex. 1422. Julius Cæfar Scaliger, vir omni literaturâ infignis. 1558.

22. Carolus Martellus, Pipini Regis Galliarum parens, Dux belli gloriofiffimus. 742. Joannes Dux Bavariæ. 1340.

23. B. Joannes Capiftranus, Ordinis S. Francifci, doctrinâ, fanctitate, ac expeditionibus contra Turcas in Hungaria clariffimus. 1456.

24. Francifcus Sfortia, potens Dux Mediolanenfis. 1535. Tycho Brahe, nobilis Danus, & Aftronomus celeberrimus. 1601. *Pragæ.*

25. Bonifacius I. Papa. 423. Bonifacius V. Papa. 625. Joannes Andreas Doria Genuenfis, rebus maximis bello geftis clarus. 1560. Jacobus Zarabella, celebris Philofophus. 1589.

26. Evariftus Papa. 121. Conradus Dux Sveviæ, & Fridericus Dux Auftriæ, decollati juffu Caroli Andegavenfis. *Neapoli.* 1269.

27. Alphonfus II, poftremus Ferrariæ Dux. 1597. Fridericus III. Elector Palatinus. 1566.

28. Carolus Valefius, Francifci primi Regis Galliarum parens. 1494. Rudolphus Agricola, qui Græcas literas primus intulit in Germaniam. 1488.

29. S. Malachias Primas Hyberniæ, cujus fub nomine circumferuntur de fucceffione Pontificum vaticinia. 1348.

30. Carolus III. Sveciæ Rex, Guftavi Adolfi parens. 1611.

31. Jacobus Siciliæ, & Aragoniæ Rex. 1317. Ferdinandus I. Rex Lufitaniæ. 1328.

NOVEM-

NOVEMBER.

1. Hadrianus II. Papa. 872. Albertus II. Auſtriæ Archidux, & Imperator, ac Hungariæ, & Bohemiæ Rex. 1439. Plinius II. qui Hiſtoriam naturalem conſcripſit. 82.

2. Richardus de S. Victore. 1148. Paulus III. Papa. 1549. Bartholomæus Colleonus, Bergomus, clarus apud Venetos Militiæ Dux. 1475.

3. Probus Imperator. 283. S. Carolus Boromæus. 1584.

4. Carolomannus Rex Auſtriæ. 771. Adamus Venceslaus Dux Sileſiæ. 1578.

5. Caſimirus, cognomento Magnus, Rex Poloniæ. 1370.

6. Franciſcus Zarabella, S. R. E. Cardinalis, vir doctiſſimus. 1421. Innocentius VII. Papa, 1406.

7. Valentinianus Imperator. 375. Robertus, Scotiæ Rex glorioſiſſimus, A. C. 1329.

8. Joannes Duns Scotus, Ordinis Minorum, Doctor ſubtilis. 1308. *Coloniæ.* Carolus Dux Calabriæ. 1328.

9. Ferdinandus Cardinalis Infans Hiſpaniæ, Belgij Gubernator. 1641.

10. Fulco, Rex Hieroſolymorum. 1192. Uladislaus Hungariæ Rex, contra Turcas ad Varnam in prælio cæſus. 1444.

11. Bonifacius III. Papa. 605. Petrus, Rex Aragonum. 1288. S. Martinus Epiſcopus, patriâ Sabarienſis, in Hungaria. 401.

12. Ludovicus VII. Galliarum Rex. 1226. Martinus III. Papa. 541.

13. Juſtinianus Magnus Imperator, Legum-lator. 565. Nicolaus I. Papa. 867. Paulus Guzman S. J. Scriptor inſignis. 1635.

14. Nicolaus Trigautius S. J. Rerum Sinenſium Scriptor. 1628. *Pechini* apud Sinas.

15. Achmetes I. Turcarum Imperator. 1617. Gabriel Betthlemius, Tranſylvaniæ Princeps. 1629. Dominicus Sotto, Ordinis Prædicatorum, egregius Scriptor. 1560. Jacobus Caldera, ſtrenuus ſuæ ætatis Armorum Dux. 1440.

16. Guſtavus, Rex Sveciæ; & Godefridus Henricus Comes à Pappenheim, cæſi in prælio. 1632.

17. Joannes Picus, Mirandulæ, & Concordiæ Dux, divini propè ingenij. 1494. Joannes III. Rex Sveciæ. 1591.

18. Beſſarion S. R. E. Cardinalis, vir doctiſſimus. 1472. Joannes Monacenſis, D. B. 1473. Lucas Vadingus, Annalium S. Franciſci Scriptor. 1657.

19. Anaſtaſius II. Papa. 498. S. Pontianus Papa. 237. Fridericus Saxoniæ Dux, Magiſter Ordinis Teutonici. 1510.

20. Alphonſus Calvera Hiſpanus,Ordinis S. Dominici vir perdoctus. 1598. Ludovicus Haſſiæ Landgravius. 1585.

21. Garcius Rex Navarræ. 1150. Ladislaus Poſthumus, Hungariæ, & Bohemiæ Rex. 1458.

22. Henricus III. Rex Angliæ. 1272. Ludovicus Aureliacenſis Dux, Anno Chriſti. 1407.

23. Chilbertus Rex Franciæ IV. 710. Franciſcus Dux Brunſwicenſis. 1549.

24. Mauritius Imperator. 602. cum liberis à Phoca occiſus. Perſius Flaccus, Poëta Satyricus. 62.

25. Lucius III. Papa. 1185. Arnulphus Imperator. 899.

26. Clodovæus Magnus Franciæ Rex. 514.

27. Quintus Horatius Flaccus Poëta. ante Chriſtum Anno 5. Hermanus Haſſiæ Landgravius, Archiepiſcopus Colonienſis. 1508.

28. Gregorius III. Papa. 711. Caſimirus Rex Poloniæ. 1059.

29. Philippus Pulcher Galliarum Rex. 1314. Carolus IV. Imperator. 1378. Ottho cognomento Illuſtris, Bavariæ Dux. 1353.

30. Germanicus, Tiberij Cæſaris ex Fratre Nepos. 19. Berengarius Imperator occiſus *Veronæ*. 923.

DECEMBER.

1. Enodius Arelatenſis, Scriptor, & defenſor antiquiſſimus, S. R. E. 521. Edmundus Campianus S. J. Martyrio affectus, *Londini* in Anglia. 1582.

2. Leo X. Pontifex 1521. S. Franciſcus Xaverius, Indiarum Apoſtolus. 1552. Alexander Farneſius, Dux belli incomparabilis. 1592.

3. Petrus Chryſologus. 450. Henricus I. Angliæ Rex. 1135. Lotharius II. optimus Imperator. 1138.

4. Cardinalis Richelius, prudentiâ politicâ, & ingenio, totâ Europâ celeberrimus, Dux, & Par Franciæ. 1642. Carolus Rex Germaniæ, Caroli Magni filius. 811.

5. Franciſcus II. Galliarum Rex. 1560. Alphonſus Rex Portugalliæ. 1185.

6. Clemens VI. Papa. 1352. Rudolphus III. Burgundiæ Rex. 1032. Rudolphus Elector Saxoniæ. 1370.

7. Marcus Tullius Cicero, anno ante Chriſtum. 40. Innocentius IV. Papa. 1254. *Neapoli*. Thomas Boſius, inſignis Eccleſiaſticus Scriptor. 1610 *Romæ*.

8. S. Euthychius Papa. 283. Ottho II. Imperator. 983. *Romæ*.

9. Sigiſmundus Imperator, Hungariæ, ac Bohemiæ Rex. 1437.

10. Pius

10. Pius IV. Papa. 1565. Boleslaus Pudicus, Poloniæ Rex. 1279. Henricus Castellæ Rex. 1474.

11. Paulus Jovius celebris Historicus. 1552. *Florentiæ.* Dionysius Petavius S. J. Scriptor egregius, & lumen Chronologiæ. 1652. *Parisijs.*

12. Ferdinandus de Toledo, Dux Albanus, Dux belli summus. 1582. Fridericus Victoriosus, Comes Palatinus. 1476. Jacobus Scotiæ Rex. 1542.

13. Emmanuel Lusitaniæ Rex, Magnus, & felicissimus. 152. Stephanus Bathorius, Poloniæ Rex gloriosissimus. 1589. Thassilo ultimus Bojorum Rex. 787. Calixtus II. Papa. 1124.

14. Formosus Papa. 896. Andreas Bathorius Cardinalis, interfectus. 1599. Gerson Cancellarius Academiæ Parisiensis, pijssimis scriptis celebris. 1363.

15. Joannes VIII. Papa. 882. Alphonsus Aragoniæ Rex, Astronomiæ restitutor. 1393.

16. Balduinus animosus, Comes Flandriæ. 1195. Franciscus Sachinus S. J. cujus pererudita scripta leguntur. 1625.

17. Renatus Junior, Lotharingiæ Dux. 1508. S. Guilielmus Normandiæ Dux. 944.

18. Cardinalis Martinusius, vulgò Georgius Monachus, Episcopus Varadinensis, interfectus. 1551. *Varadini.*

19. Donus II. Papa. 972. Urbanus V. Papa. 1307. Joannes III. Lusitaniæ Rex. 1521.

20. Hermanus Alberti I. Imperatoris Frater, in Rheno submersus. 1288.

21. Mahometes III. Turcarum Imperator. 1603. Petrus Canisius S. J. doctissimus, ac pijssimus Scriptor. 1596. *Friburgi* in Helvetia.

22. Franciscus Gonzaga, Dux Mantuæ. 1612. Matthæus Raderus S. J. eruditissimus Scriptor. 1634.

23. Chilibertus I. Franciæ Rex. 560. Ferdinandus Rex Hispaniarum. 1516.

24. Vitellius Imperator. 71. Franciscus Dux Brunswicensis. 1601.

25. Leo Armenus Orientis Imperator. 800. Henricus III. Castellæ Rex. 1406.

26. Hadrianus Papa, quô nemo diutius Pontificum post S. Petrum Ecclesiæ præfuit. 795. Vincentius II. Mantuæ Dux. 1627.


27. Agapitus II. Papa. 955. Ferdinandus I. Legionis, & Castellæ Rex. 1060. Nicolaus Estensis, Ferrariæ Marchio. 1441.

28. S. Franciscus Salesius. 1622. Carolus Austriæ Dux, Ferdinandi II. Frater. 1624. *Madriti* in Hispania.

29. S. David Rex, ante Christum natum. 1032. Innocentius IX. Papa. 1591.

30. S. Anastasius, Colocensis in Hungaria Archiepiscopus. 1034. Emmanuel Sà S. J. Scriptor, & Theologus clarissimus. 1596.

31. Sylvester I. Papa. 335. Reinaldus Marchio Atestinus Princeps, virtute, fortitudine, ac prudentiâ nemini secundus. 1335.



PARAGRAPHUS SEXTUS.

EPHEMERIDES ASCETICÆ, SEU HOMOEOPTOTA ASCETICA,

Per singulos dies totius Anni distributa.

JANUARIUS.

I.

COgita ô homo, quid *fuisti*? quid *es*? & quid *eris*? *fuisti* nihil, *es* cumulus miseriarum, esca vermium *eris*.

2. Ante tempus fuisti in abysso *inanitatis*, nunc es in abysso *calamitatis*, brevi eris in abysso *æternitatis*.

3. *Fuisse*, jam nihil est; *esse*, momentaneum; *fore*, perpetuum est.

4. Considera unde venis, & *erubesce*; ubi stas, & *ingemisce*; quo vadis, & *contremisce*.

5. Hoc forsan anno lectus tibi erit, non ut priùs è molli *ansere*, sed tumba sepulchralis è duro *assere*.

6. Sic ordire vitam tuam, quasi annus hic *novissimus*, esset tuæ vitæ *novissimus*.

7. Nullum est momentum *temporis*, cujus pretium non sit infiniti *ponderis*.

8. Bonum cujuslibet rei *principium*, optimi finis est *augurium*.

9. In anni exordio, temporis *feriæ*, sunt secuturi temporis velut *exequiæ*.

10. In pœnitentiæ procrastinatione, vel unica *hora*, est longa *mora*.

11. Qui es sublimi in cœlum *aspectu*, noli esse declivis in solum *affectu*.

12. Hæc una est honesta *avaritia*, velle semper crescere in DEI *gratia*.

13. Avaritia in bonis æternis, est *laudabilis*; in caducis, *detestabilis*.

14. Gratia

14. Gratia est, ut *conservetur*; pecunia, ut *erogetur.*

15. Sic vive, ut cùm desinendum erit vivere, te vixisse, *nec ob fœditatem pudeat, nec ob perversitatem pœniteat.*

16. Sic vive, ut sis potiùs vitâ *melior*, quàm famâ, vel delicijs *clarior.*

17. Nunquam eris à DEO *desertus*, si in orationibus fueris apud DEUM *disertus.*

18. Tot habemus, qui nos infestant *exercitus*, quot sunt perduelles animi *affectus.*

19. Prima hominis DEO placere volentis *occupatio*, sit frequens, & solers *meditatio.*

20. Quis alius noster est *finis*? quàm pervenire ad Regnum, cujus nullus erit *finis.*

21. Memento, quòd terra sit tibi pro exiguo tempore *hospitium*, non pro omni tempore *domicilium.*

22. Es siquidem hîc *accola*, non *incola*; es advena, & *peregrinus*, non civis, & *domesticus.*

23. Vita hæc, est via, per quam in Patriam *imus*: est egressio à DEO, per quam ad DEUM *redimus.*.

24. Vita, est via ad cœlum unica, sed habet infinita *diverticula*, ac multa *pericula.*

25. Omnis extra æternum amorem *amor*, non est, nisi *amaror.*

26. DEO cùm *unimur*, *munimur.*

27. Vive, non ut *libet*, sed ut expedit, *decet*, & licet.

28. Cuncta opera tua, præeat recta *intentio*, comitetur attentio, animet *devotio.*

29. Paucis deest sciendi *curiositas*, plurimis intelligendi *studiositas.*

30. Alliciat te ad bene agendum *utilitas*, quam tota pollicetur *æternitas.*

31. In omnibus, quæ agis, finem *respice*, DEI voluntatem *suscipe*, Christi exemplum *suspice.*

FEBRUARIUS.

1. Si vita *studium* est? sic disce, ut *sapias*; si *stadium*? sic curre, ut bravium *capias*,

2. Si *militia* est? sic certa, ut *vincas*; si *mercatus* est? sic negotiare, ut quæstum *facias.*

3. Si *Theatrum* est? sic personam age, ut plausum *referas*; si *peregrinatio* est? sic ambula, ut metam *attingas.*

4. Si *exilium* eſt ? ſic illud ſuſtine, ut Patriam *obtineas*. Si *mare* eſt ? ſic velifica, ut portum *ſubeas*.

5. Si *ſementis* eſt? ſic ſere in *terris*, ut poſſis metere in *cœlis*.

6. Si *diverſorium* eſt? ſic in eo verſeris, ut hoſpitem te eſſe *cogites*; ſi *vinea*? ſic labora, ut mercedem *reportes*.

7. Nulla eſt ſpes *veniæ*, ſi tempus *pœnitentiæ*, differatur ultra terminos *miſericordiæ*.

8. Ideo non parvum eſt *crimen*, tantum velle ſubire *diſcrimen*.

9. In peccatis, quò pergis *diutius*, eò recedis à DEO *longiùs*, redibis *difficiliùs*.

10. Ad DEUM nolle *redire*, eſt velle *perire*.

11. Noli abuti indulgentiâ *præteritâ*, nam propè eſt vindicta *ſecutura*.

12. DEUS, qui diù *parcit*, tandem *punit*.

13. Et quod pepercerit, non ſit tibi calcar, ut *pecces*, ſed frenum, ne *pecces*.

14 Priuſquam Sacerdoti peccata tua per confeſſionem *aperias*, de peccatis ſeriò *doleas*.

15. Neceſſe eſt ad DEUM te pœnitendo *redire*, niſi velis in æternum *perire*.

16. Seriò te peccâſſe *doleas*, ut pœnam à peccato inflictam *deleas*.

17. Quæ inſania? amare momentaneam *proſperitatem*, vel *voluptatem*, & non timere calamitatum *æternitatem*.

18. Quod evenit alijs, tibi ne eveniat, *pave*; ut non eveniat, *cave*.

19. Vitæ hujus *principium*, mortis eſt *exordium*.

20. Quidquid in hac vita æſtimatur, magni *ponderis*, eſt *leve*: quod putatur longi *temporis*, eſt *breve*.

21. Homo, eſt flos tempeſtivè *naſcens*, tempeſtivè *denaſcens*.

22. Vix *oritur*, & ecce *moritur*; quaſi flos *egreditur*, & mox *conteritur*.

23. Furibunda, & cœca mors, in dies *graſſatur*, & in quoſvis ſine diſcrimine *debacchatur*.

24. Priùs oportet, ut deſinas malè *vivere*, quàm deſinas *vivere*.

25. Sperne vitam *præſentem*, ut non metuas mortem *imminentem*.

26. Deſipis, ſi illam cenſeas dignam *amore*, quam experieris eſſe plenam *dolore*.

27. Ubi mortalitas *deficit*, ibi æternitas *incipit*:

28. Hanc, ſi *prævides*, cur tibi non *provides*?

MARTIUS.

MARTIUS.

1. Comes morienti erit, aut *vita*, aut *pœna*.
2. Impius aperiet oculos in *pœna*, quos clausit in *culpa*.
3. Quidquid quæris extra *te*, est infra *te*; imò plerúmque contra *te*, unde, dum illa *quæris*, te *perdis*.
4. Salutis æternæ *negotium*, nec ad momentum admittit *ocium*.
5. Dum tempus inutiliter *labitur*, immensi tibi lucri, occasio *elabitur*.
6. Grave pateris *damnum*, cùm nullum facis cum tempore *lucrum*.
7. Pro salute æterna, labor *gravis*, est *levis*; & diuturnus, est *brevis*.
8. Ut evitetur spiritûs *desidia*, cavenda est *somnolentia*.
9. Quid enim est aliud *somnus*, quàm animæ consepultæ *tumulus*?
10. Plus, quàm decet; & diutius, quàm oportet *dormire*, est saluti suæ *indormire*.
11. *Violenti*, non *vinolenti*, vel *somnolenti*, capiunt Regnum cœlorum.
12. Non minùs *errat*, qui cum multis *errat*, nec minùs *sapit*, qui cum paucis *sapit*.
13. Tantò quis est DEO *vilior*, quantò sibi *pretiosior*: tantò autem *pretiosior*, quantò sibi *vilior*.
14. Sint potiùs, qui te doleant esse *bonum*: quàm, qui gaudeant te esse *malum*.
15. Cur amamus vitam *fugientem*, & *currentem*? quæ fugit *nos*, & non amamus vitam *permanentem*, quæ expectat *nos*?
16. Quæ est ista insania, conquirere *thesaurum*, & perdere *cœlum*.
17. Quædam societas, penè etiam nominis est, duabus his rebus: *vitijs*, & *divitijs*.
18. *Opes*, non sunt aliud, quàm *compedes*: & quæ putantur corporis *ornamenta*, sunt animi *impedimenta*.
19. Semper voluptatem punit, aut præcox *pudor*, aut serus *dolor*.
20. Nemo altiùs *cadit*, quàm qui altiùs *scandit*.
21. Ubicúnque est *fastigium*, illic finitimum est *præcipitium*.
22. Quantò excelsior est *gradus*, tantò profundior est *casus*.
23. Primum, quod feriant *fulmina*, ut plurimùm sunt *culmina*.
24. Quot è salutis suggestu *excidissent*, si ad honorem evecti *fuissent*.
25. Affinia sunt nomine, *Dominatio*, & *Damnatio*; is igitur metuat *damnari*, qui expetit *dominari*.
26. Perniciosissima est vanæ gloriæ *fugacitas*, quæ vix *advolat*, mox *avolat*, penè simul *desinit*, ac *incipit*.

27. Magna

27. Magna *fama*, magna eſt *nota*, niſi cum ea fuerit *vita bona.*

28. Quale quæſo eſt *ſolatium*, ſupra terram clarere *famâ*, infra terram ardere *flammâ?*

29. Quid confert ad ſalutem, famæ *claritas?* niſi illam illuſtret vitæ *integritas.*

30. Plerúmque nobilitas *carnis*, parit ignobilitatem *mentis.*

31. Formæ *nitor*, vernantium florum mutabilitate eſt *fugacior*, quæ, quò nobis eſt *gratior*, eò tempore eſt *brevior.*

APRILIS.

1. Rara eſt *domus*, in qua non ſit aliquis *momus.*

2. Sæpe ſplendida *veſtis*, eſt animi *reſtis.*

3. Vanus eſt corporis *cultus*, quando animus eſt *incultus.*

4. *Comptulus*, & *comatulus*, idem plerúmque, & *ſordidulus.*

5. Corpus, ut rectè excolas, nec ad invidiam *ſplendeat*, nec ad contémptum *ſordeat.*

6. Utere veſte, ut pudoris *tegumento*, non ut pectoris *ornamento.*

7. Formam veſti, ſtatus *præſcribat*, non vanitas *ſuggerat.*

8. Nullius minùs, quàm ſui ſunt *Domini*, qui nati ſunt duntaxat *abdomini.*

9. Vix inſtituuntur *convivia*, ubi non audiantur in probos *convicia*, & non referantur aliorum *vitia.*

10. Ubi congeſtus eſt ſelectiſſimorum ferculorum *cumulus*, ibi certus eſt temperantiæ *tumulus.*

11. Ubi peregrinæ *dapes*, ibi multæ animi *labes.*

12. Carnis *ſagina*, mentis eſt *carnificina.*

13. Quid aliud ſunt corpora nimiùm *pingvia?* quàm animata *dolia.*

14. Cibus, & potus, ſit tibi *pharmacum*, non per nimietatem *toxicum.*

15. Ingenium ſubtile reddit *eſuries*, hebes *ingluvies.*

16. Qui volutatur in ſordibus *carnis*, privatur delicijs *mentis.*

17. Quid eſt bonum? Rerum ſalutem concernentium æternam, *ſcientia.*

18. Quid eſt malum? Rerum ſalutem concernentium, *imperitia.*

19. Rerum creatarum bonus *uſus*, eſt orbis ſalus; *abuſus*, eſt *interitus.*

20. Bona temporalia, ne putentur *mala*, dantur & *bonis*; & ne putentur magna *bona*, dantur & *malis.*

21. Totus humanæ vitæ *ſtatus*, nihil eſt niſi perpetuus *caſus.*

22. Omnia ſub ſole *vanitas*, proinde ſupra ſolem *veritas.*

23. Itàque, ut *ſapias*, *ſape*, & quære, quæ ſurſum ſunt, ubi eſt *veritas*; *ſperne*, quæ deorſum ſunt, ubi eſt *vanitas.*

24. Omne

24. Omne in hac vita *lætum*, tandem admiſcet *fletum*.

25. Venit ſæpe fortuna renitente vultu, tanquam *comica*; diſcedit furenti, tanquam *tragica*.

26. Non rarò eos redigit ad ultimam *inopiam*, quibus præbuerat cornu *copiam*.

27. DEUS eſt ſemper ſui *ſimilis*, illi igitur conjunctus, nunquam eris tibi *diſſimilis*.

28. Quôcum meliùs *eſſe*, quàm cum illo *eſſe*, quôcum æternùm *eſſe*, eſt beatum *eſſe*?

29. Potéſne vel momento ab eo *abeſſe*? à quo ſolo tibi datur *eſſe*.

30. Moleſtum non ſit tibi, cum ſummo bono *eſſe*, cujus deliciæ ſunt, tecum, etſi viliſſimo *eſſe*.

MAJUS.

1. Certò tibi perſvadeas, nihil in hoc univerſo eſſe *malum*, niſi quod te efficiat *malum*.

2. Semen *triſtitiæ*, erit tibi ſeges *lætitiæ* futuræ vitæ.

3. Unde mala, quæ pateris, magis *expectes*, quàm *horreas*; adverſa, quibus premaris, *ambias*, non *fugias*.

4. Initium *bonorum* eſt, abſtinentia *peccatorum*.

5. Tunc incipis eſſe *bonus*, cùm deſinis eſſe *malus*.

6. A malorum fuga ſumendum eſt *initium*, antequam in virtutum incumbas *exercitium*.

7. Plus DEUM precare, ut abluat tuas *culpas*, quàm ut remittat *pœnas*; nec tam flagites pœnæ *indulgentiam*, quàm culpæ *veniam*.

8. De ſalutis, hoc eſt ſummo *negotio*, delibera cum *otio*.

9. Sæpe melior eſt conſulta *tarditas*, quàm inconſulta *temeritas*.

10. Præcipitando, rem *deſtrues*, cunctando *reſtitues*.

11. Attende ad ea, quæ *vides*; crede, quæ non *vides*.

12. Hinc tanti errores in hominibus, quia nec attendunt ad ea, quæ *vident*, nec credunt ea, quæ non *vident*.

13. Bene ſenties, fide *docente*, ratione *diſcente*, ſapientiâ *æſtimante*, prudentiâ *conſulente*, ſcientiâ *dirigente*.

14. Multa *leguntur*, ſed lecta, non *ſeliguntur*; vel ſelecta, non *attenduntur*.

15. Radix unde pullulat, omnis in rebus etiam graviſſimis *deceptio*, eſt mentis *inconſideratio*.

16. Rarus ſiquidem eſt, qui, quid egerit, *reſpicit*, quid agat, *aſpicit*, quid acturus ſit, *proſpicit*.

17. Una *lectio*, sæpe legentis est *mutatio*, si sit *bona*; sæpissime *perditio*, si sit *mala*.

18. *Inertia*, & *ignavia*, meritorum est *tinea*.

19. Carnis *prudentia*, est mentis *imprudentia*.

20. Mundi *sapientia*, est apud DEUM *stultitia*.

21. Pro quæstu pecuniæ, labor maximus, apud filios sæculi hujus est *levis*; pro gradu gratiæ minimus, est *gravis*.

22. Quod negligi sine periculo poterat, certatim *quæritur*, quod apprimè curandum erat, contemptim *negligitur*.

23. Cave, ne inanibus, & inutilibus curis *consenescas*, & meris nugis *incanescas*.

24. Filij hujus sæculi pro temporali gloria, úsque ad mortem desudare *appetunt*: pro spe perpetua, nec parum quidem laborare *expetunt*.

25. Pro terrenis lucris, quaslibet injurias *tolerant*, & pro cœlesti mercede, vel tenuissimi verbi ferre contumeliam *recusant*.

26. Qui volentes, injustè utuntur *bonis*; justè, nolentes, cruciabuntur *malis*.

27. Illata cuilibet *injuria*, non àccipientis, sed inferentis est *miseria*.

28. Malevolæ suspiciones sunt *calumniantium*, benevolæ suspiciones sunt *gubernantium*.

29. Suspende *judicium*, ubi non est certum rei *indicium*.

30. Opinio circa res, ut sæpissime, sic gravissimè *errat*, nunc enim res iniquas *commendat*, nunc injustis elogijs *condemnat*.

31. Solus DEUS potest judicando non *labi*, qui solus in cognoscendo, non potest *falli*.

JUNIUS.

1. Nec malam conscientiam sanat laudantis *præconium*, nec bonam vulnerat, conviciantis *opprobrium*.

2. Si verum est *convitium*, quod tibi objicitur, illud corrige, quia in te est *vitium*; si falsum, illud despice, quia alterius est *mendacium*.

3. Si tibi bona sit *conscientia*, quid tibi malorum oberunt *convitia*.

4. Habebit mercedem tua *patientia*, si oblivioni detur illata tibi ab alio *injuria*.

5. Is, qui te conviciatur, vel te *ridet*, vel te *monet*; si monet, *proficis*, si ridet, modô velis, non *officit*.

6. Nulla est pars corporis, quàm lingva, promptior ad *nocendum*, difficilior ad *frænandum*.

7. Sicut

7. Sicut gratiæ defluxus eſt *facilis*, ita tranſitus ad gratiam eſt *difficilis*.
8. Hæc eſt propoſiti noſtri ſumma, quod ſentimus, *loquamur*, quod *loquimur* ſentiamus.
9. Melius eſt, nihil *habere*, quàm multa habentem, nemini *tribuere*.
10. Non minùs eſt criminis, habenti *tollere*, quàm cùm poſſis, & abundes, indigenti *denegare*.
11. Plus perſequitur lingva *adulatoris*, quàm manus *interfectoris*.
12. Levius putari debet crimen, quod patratur gladio *micante*, quàm quod committitur lingvâ *adulante*.
13. Nunc, nec *promittendi* eſt modus, nec promiſſa *frangendi*, pudor *ullus*.
14. Avarus, nunquam *habet*, prodigus nunquam *habebit*.
15. Sapiens habet ſinum facilem, non perforatum, ex quo multa *exeant*, nihil *excidat*.
16. Quidquid habes, non cuſtodi *ſordidè*, nec ſparge *prodigè*.
17. Avaro, tam deeſt, quod *habet*, quàm quod non *habet*.
18. Nam bona illi tunc *deſunt*, cùm *adſunt*; *caret*, dum *habet*; *eget*, cùm *poſſidet*.
19. Ubi multæ ſunt *divitiæ*, ibi multæ, ut tollantur, *inſidiæ*.
20. Plùs avari animum pungit, quò *caret*, quàm oblectent eum omnia, quæ *habet*,
21. In ſumma rerum *copiâ*, genuina eſt avaro *inopia*; nam & eget, quas poſſidet, *divitijs ſuperfluis*, & eget rebus, quibus non utitur, *neceſſarijs*.
22. Habendo, ardor animi *acquiritur*, non, *extingvitur*.
23. Avaritiæ vitium faciliùs *arguitur*, quàm *repellitur*.
24. Nunquam erit in cœlo quis particeps æternæ *lucis*, niſi fuerit in terra amicus *Crucis*.
25. Tantò curſor eſt vicinior metæ, quantò diſtat magìs à prima linea; ſic eò eris DEO *vicinior*, quò à te *remotior*.
26. Qui in omnibus corpori ſuo *indulget*, bona animi *emulget*.
27. Perfecta mors vitæ *ſenſualis*, eſt perfectio vitæ *ſpiritualis*.
28. Nullus in corpore, vel in animo tuo ſit *motus*, qui non dirigatur ad DEUM, qui eſt omnium agendorum *ſcopus*.
29. O quàm tibi olim conſtabit *carô*, ſi tibi nimiùm chara fuerit *caro*.
30. Senſus tui addicti ſint, non ſuis *deſiderijs*, ſed animi *imperijs*; ſint fidi *excubitores*, non perfidi *proditores*.

JULIUS.

1. Si intemperanter nimis indulges *ſenſibus*, pungetur anima *ſentibus*.

2. Cave tibi ab ijs, nam illorum *blanditiæ*, ſunt animæ *inſidiæ.*

3. Nulli ferè eſt exquiſitus corporis *cultus*, quàm quibus animus eſt *incultus.*

4. Sæpe ſub veſte *odorifera*, latet anima *cadaverifera.*

5. Quid vis *inveſtigare?* quæ præſtat *ignorare.*

6. Mirum ſanè eſt, quòd tot inter *pericula*, tanta inter *negotia*, tantùm tibi ſit ocij, vacuíque temporis, ut hinc, átque inde, in omnem partem oculos *circumferas*, ut quid alij agant, alijs *referas.*

7. O quanti veritatem quærunt, non in *veritate*, ſed in *vanitate*, quæſitam inveniunt, non ad *veritatem*, ſed ad *vanitatem.*

8. Tunc DEUS hominem *æſtimat*, dum ſe, nihil à ſe, ſed totum à DEO habere *exiſtimat.*

9. DEUS reſiſtit ſuperbis, ne vitio ſuperbiæ fiant *peſſimi:* ſuperbi reſiſtunt DEO, ne ejus beneficio fiant *optimi.*

10. Quantùm times, ne *pereas*, tantùm cave, ne *ſuperbias.*

11. Ubi ventris eſt *ingluvies*, illic mentis eſt *illuvies.*

12. Comede, ut corpus *reficias*, non ut *conficias.*

13. Si multum *bibis*, non diù eris in *vivis.*

14. Inſanit ſupra *modum*, qui bibit ultra *modum.*

15. Experimento probatum eſt, acediæ impugnationem, non *declinando fugiendam*, ſed *reſiſtendo ſuperandam.*

16. Quod eſt veſti *tinea*, hoc eſt menti *acedia.*

17. Homo, in DEI obſequio *hebes*, nunquam erit ipſius Regni *hæres.*

18. Omnis *deſidioſus*, ſibi ipſi fit *odioſus.*

19. Sicut oſtium vertitur in *cardine ſuo*, ſic piger in *lectulo ſuo.*

20. Homo piger *ſudat*, dum *manducat*; *alget*, cùm laborat.

21. Tempus otioſè *perdere*, eſt temporis pretium, quod eſt majus omni pretio, *prodigere.*

22. Vix culpa eſt *admiſſa*, mox omnis quies *amiſſa.*

23. Mala conſcientia, infeſtior eſt animo *teſtis*, quàm in collo prædonis ſuſpendendo *reſtis.*

24. In ipſo ſanctitatis *faſtigio*; ſi non timeas, proximus es *præcipitio.*

25. Expedit ab imo *ſurgere*, quàm ex alto *cadere.*

26. Quíſque patitur ſuos *manes*, quia in quolibet eſt aliqua, quæ inficit *labes.*

27. Sic unus eſt nobilis *ſangvine*, ſed pravus *indole*; eſt dives fortunæ *opibus*, ſed pauper naturæ *dotibus.*

28. Hic acuto, & aſtuto eſt *ingenio*, ſed nimis indulgens ſuo *genio.*

29. Ille

29. Ille, est quasi encyclopædia omnis *scientiæ*, sed nullius est *conscientiæ.*

30. Ille, pollet omnibus *artibus*, sed caret etiam omnibus *virtutibus.*

31. Ille, esset homo omni ex parte *consummatus*, nisi esset tam facilè *iratus*: illius vita esset vivendi *norma*, nisi sineret se rapi alienâ *formâ.*

AUGUSTUS.

1. Prodigiosior est nimiùm in anima *nævus*, quàm maximus in corpore *morbus.*

2. Qui non potes pati labem in *fronte*, maculam in *veste*; cur pateris sordes in *mente.*

3. Fiunt *pœnarum oblectamenta*, quæ fuerunt *sensuum instrumenta.*

4. Latet ultimus *dies*, ut observetur omnis *dies.*

5. Unicuique sua *cupiditas*, est *tempestas*, ac proinde quantùm metuis *naufragium*, tantùm fugias sequi cupiditatis *imperium.*

6, Quid est, quòd voluptatem sequeris? priùs illa *avolat*, quàm *advolat*, vix *fuit*, jam *fugit*, cuilibet est solùm *advena*; ast, quæ ex ea sequitur acerbitas, est *accola.*

7. Cui allucet de cœlo divinæ gratiæ *splendor*, huic invisus est, exquisitus in corpore *odor.*

8. Serpunt *vitia*, & transibunt in *vicina*, nocent non modò *contactu*, sed & *conspectu.*

9. Rerum natura sic est, ut quoties bonus conjungitur malo, non ex bono malus fiat *melior*, sed ex malo bonus fiat *deterior.*

10. Semper est proximum *periculum*, ubi est malum *consilium.*

11. Errorem *definire*, est faciliùs, quàm *finire.*

12. Nimius circa naturæ fragilia, seu fortunæ futilia bona *affectus*, est maximus in DEI obsequio *defectus.*

13. Fugienti peccandi occasiones, non est probrosa *fuga*, quia has fugiendo, acquiritur victoriæ *palma.*

14. Si in tantùm irasceris inimico tuo, ut illum planè mactare velis, beneficijs eum *macta*, & omnis inimicitia tibi cadet *victoria*, quia dum *pepercisti*, tunc *vicisti.*

15. Fuge mulieris *faciem*, quasi animi *facem*: illius enim *vultus*, erit tibi *vulnus*, in hac siquidem *pugna*, opus est *fugâ.*

16. Verè angustus tibi est *animus*, quem delectat *mundus*, qui totus est *immundus*, & in quo nihil est, nisi *fraus*, & *dolus.*

 17. Volu-

17. Voluptas hujus mundi, citò nos relinquit, quæ *fluit*, & è manibus, vix tacta, *effluit*, penè antequam *venit*, *perit*.

18. Laborioſa, inextricabilis, & prolixa eſt textu *tela*, hæc *vita*; ſed ut multis diebus *texitur*, ita puncto temporis, *abrumpitur*.

19. Hæc ſententia decretoria, mundo data eſt, ut in eo omnia orta *occidant*; & aucta *ſeneſcant*.

20. Illud tibi perſvade, eam vitæ partem eſſe *periculoſiſſimam*, quam incuria facit *ſecuriſſimam*.

21. Inter proſperas *ſortes*, nemo poteſt evadere malignorum *dentes*.

22. Sola *miſeria*, caret *invidiâ*.

23. Cogita vitam eſſe *viam*, vitæ tempus, eſſe curſum ad *metam*.

24. Niſi Divinæ gratiæ ſubveniat *adjutorium*, nihil prodeſt copioſumcujuslibet adhortantis *elogium*.

25. Nihil eſt tam futile, & imbecille, aut *invalidum*, quod non valeat ad tui *exitium*, niſi accedat gratiæ *auxilium*.

26. Plus igitur æſtima animæ *gratiam*, quàm cujuſcúnque rei maximam *ſcientiam*.

27. Minima animi ob commiſſa ſcelera *contritio*, eſt commiſſorum peccatorum *remiſſio*.

28. Nolenti cum Divina gratia *operari*, & cum illa *negotiari*, nihil ſupereſt, quàm æternùm *cruciari*.

29. Spes omnino inanis eſt, tunc velle bene *vivere*, quando deſinendum eſt *vivere*.

30. Quod eſt ſanitas oculorum ad videndum *ſolem*, aut lucem, hoc eſt gratia, ad implendam *legem*.

31. Ut tenebris nihil *funeſtius*, ita luce nihil *venuſtius*, & tamen ſic laudata lux *cæli*, umbra tantùm eſt gratiæ *poli*.

SEPTEMBER.

1. Virtus, eſt hæreditas poſthuma, quam mors non *tollit*, ſed *attollit*.

2. Pudeat majori labore parare ſibi damna *æterna*, quàm lucra *ſempiterna*; *perniciem*, quàm *ſalutem*.

3. Faciliùs eſt multò virtutes *conſequi*, quàm vitijs *obſequi*.

4. Semper neceſſe eſt, ut nitatur ad *profectum*, qui ſemper vult vitare *defectum*.

5. Aſcendit virtus, dum *procedit*; *proficit*; dum *proficiſcitur*; *creſcit*, dum *progreditur*; *ſurgit*, dum *pergit*.

6. Virtus

6. Virtus otioſa, quæ ad opera ſe non *movet*, ad ſalutem non *promovet.*

7. Non ſanatur animus ſubtilia *intelligens*, ſalutaria *eloquens*; ſed bona bene *faciens*, & ſemper *proſpiciens.*

8. In virtutis ſtadio, noli ſtare, nam *ſtando cades*; *cadendo*, *jacebis*; ac tandem jacendo *peribis.*

9. Prudentis eſt præterita *cogitare*, præſentia *ordinare*, futura *providere.*

10. Remotâ *juſtitiâ*, quid ſunt Regna, niſi magna *latrocinia.*

11. Amicum priùs *elige*, poſtea *dilige.*

12. Amicus ſine delectu non eſt *admittendus*, non caſu, non temerè, ſed conſilio, & maturè *parandus.*

13. Amicum quidem *colas*, plus tamen *diligas.*

14. Amicus diù quæritur, vix *invenitur*, difficilè *ſervatur*, amiſſus rarò *reconciliatur.*

15. Foris terribiliter perſonet *increpatio*, intùs lenitatis teneatur *dilectio.*

16. Non ſincerè *diligit*, qui fratrem peccantem *negligit*, errantem *non corripit.*

17. Quis non *miretur*, imò & *indignetur* eorum, quæ ad corpus ſpectant, licèt ſint *minima*, maximam geri *curam*; eorum, quæ ad *animam*, licèt ſint maxima, penitus *nullam*.

18. In corripiendo, primùm adhibeatur mollior, quàm gravior *oratio*, deinde *increpatio*, tandem ſequatur *punitio.*

19. Plus ergo corrigendo agat *benevolentiæ*, quàm *ſeveritatis*, adhibitio; plus *cohortatio*, quàm *commotio*, plus *charitas*, quàm *poteſtas.*

20. *Peccare*, eſt omnium malorum operum *peſſimum*, *corripere* peccantem, eſt opus omnium operum DEO *gratiſſimum.*

21. Peccantibus diſſimulando *connivere*, eſt peccata eorum *fovere.*

22. Proximum *exonerare malo*, pars *amoris eſt*; *cumulare bono*, pars *altera eſt.*

23. Virtutem, ut perſvadeas, efficaciùs facies *exemplo*, quàm *præcepto*; *vitâ*, quàm *linguâ*; *factis*, quàm *verbis.*

24. Inſere de virtute oportunum ſubinde *ſermonem*, oſtende illius exercendo *occaſionem*, expone *pretium*, propone *præmium*, accende *deſiderium.*

25. Amoris *conſortium*, non timet *diſſidium*, ut probes *amare*, ſtudeas *honorare.*

26. Ut amicum ſerves, *abſtine*, quò poſſit ille *offendi*; *ſuſtine*, quò tu lædi: cave *faſtidium*, quod non rarò deſinit in *odium.*

27. Ubi non datur *munus*, ſupereſt, ut detur ſaltem benignus *vultus.*

28. Inimicus tibi erit loco honoris, & *gloriæ*, ſi immemor fueris *injuriæ.*

29. Memor

29. Memor ſis beneficiorum DEI, tibi exhibitorum, & hæc tria verba animo ſemper revolve: Accipe, Redde, Cave. *Beneficium* accipe, *obſequium* Redde, *ſupplicium* Cave.

30. Cave ô homo! qui es à DEO è nihilo *conditus*, tot, tantíſque ejus donis *cumulatus*, à tot malis, aut *liberatus*, aut *conſervatus*, ne eidem fias pro tot beneficijs *ingratus*. Cave omni conatu tuo, ne offendas *Conditorem*, ne negligas *Benefactorem*, ne ſpernas *Salvatorem*.

OCTOBER.

1. Manſvetus Princeps, & *affabilis*, tutior eſt publici amoris *excubijs*, quàm omnium militum *gladijs*.

2. Qualis eſt amor in *corde*, talia ſint verba in *ore*, & quod eſt in *ore*, hoc ſit in *corde*.

3. Sis magìs dum oras, ſollicitus de clamore *cordis*, quàm *vocis*, clament *opera*, non *verba*; *vita*, non *lingva*.

4. Unum tibi ſit *votum*, uni DEO eſſe *devotum*, ſic vota tua DEUS non tantùm *audiet*, ſed & *exaudiet*.

5. DEUS non voce clamoroſâ eſt *pulſandus*, ſed conſcientiâ rectâ *placandus*, quia auditor eſt *cordis*, non *vocis*.

6. Itáque dum oras, *totus* attende *illi*, qui *totus* attendit *tibi*.

7. Quâ fronte ſacratiſſimo templo *aſſiſtit*, qui inanibus fabulis, & otioſis verbis *inſiſtit*.

8. Fides orando *impetrat*, quod Lex *imperat*.

9. Si DEUS confert ad preces fidelium *corporalia*, multò, & libentiùs, ſed & liberaliùs conferet *ſpiritualia*.

10. Quiſquis ſpreverit DEI *minantis imperium*, certò incurret DEI *caſtigantis ſupplicium*.

11. Peccatori exordium *illuminationis*, eſt humilitas *confeſſionis*.

12. Aurum ſi amiſeris, potes tantundem *recuperare*, ſi tempus periêrit, nec ipſum, nec aliud pro eo, potes *reſtaurare*.

13. Non homo præſtat DEO beneficium in his, quæ *dederit*, ſed DEUS in his, quæ *acceperit*.

14. DEO ſoli totum ſe *committere*, eſt omnes pietatis in DEUM numeros *abſolvere*.

15. Quid iniquius, quàm velle ſibi obtemperari à *minoribus*, & nolle obtemperare *majoribus*?

16. Ubi *adeſt* Chriſtus, tela aranea murus *eſt*; ubi *abeſt* Chriſtus, murus, aranea tela *eſt*.

17. Sic

17. Sic moderare animum, ut non modò ijs, quæ *adblandiuntur*, non *abripiatur*, sed etiam ijs, quæ *minitantur*, tanquam inanibus spectris, non *absterreatur*.

18. Patientes propriè dicuntur, qui malunt, mala non committendo, *ferre*; quàm non ferendo, *committere*.

19. Inchoantibus præmium *promittitur*, sed perseverantibus *datur*.

20. Non est temperantia, in solis recusandis *superfluis*, sed & in admittendis *necessarijs*.

21. Pacem non *obtinet*, nec gaudium *retinet*, nisi qui *sustinet*, & *abstinet*.

22. Duæ sunt machinæ, quibus omnia fortuna perturbat, vel quia dat, quod *nolumus*; vel quia negat, quod *volumus*.

23. Qui cibis *abstinent*, & mala *agunt*, dæmones imitantur, quibus culpa *adest*, & cibus *abest*.

24. Homo *vinolentus*, plerúmque est, & *somnolentus*, & ideo in DEI obsequia *lentus*.

25. Ne vinum tibi sit ad *ruinam*, sicut illud emis, sic & bibas, ad *mensuram*.

26. Si vinum bibas sinè *mensura*, quid sequetur, quàm ut mens careat rationis *usurâ*?

27. Quod unum habes in te cæleste, & *divinum*, perdes illud per nimium *vinum*.

28. Propter *vites*, gravissimæ sunt inter carnem, & spiritum *lites*.

29. Quod est gemma in *annulo aureo*, hoc est verecundia in *puero ingenuo*.

30. Pluris faciendus est homo, modesta *loquens*, quàm lingva *garriens*.

31. Qui sine humilitate virtutes *congregat*, quasi in ventum pulverem *portat*.

NOVEMBER.

1. Vera fides est, quæ in hoc quod verbis *dicit*, moribus *non contradicit*.

2. Cognoscitur arbor ex *fructibus*, homo ex *operibus*.

3. Omne illud tempus tibi æstima *perditum*, ex quo non refers *fructum*, aut *meritum*.

4. Hæc est in omnibus *sola perfectio*, suæ imperfectionis *cognitio*.

5. Inter adversa *omnia*, sint tibi pro tessera, illa *verba aurea*, Sancti Francisci: *DEUS meus*, & *omnia*.

6. Non orietur ei sol *gloriæ*, cui non fuerit ortus sol *justitiæ*.

7. Tria sunt monstrosa in homine: sermo *multus*, fructus *nullus*; vultus *gravis*, & actus *levis*; caput *canum*, & cor *vanum*.

8. Inimicitiam, in aquam ſcribere oportet, ut quamprimum *obliteretur*: amicitia autem in æs, ut perpetuò firma, & immota *conſervetur*.

9. Unius pij libelli *lectio*, ſæpe eſt legentium, à mundo *averſio*, & ad DEUM *converſio*.

10. Qui ſemel à recto tramite aberravit, quò magis *incedit*, hôc magìs à meta *recedit*; quò plùs *feſtinat*, plùs & *errat*; quò *properat celeriùs*, eò à termino *diſtat longiùs*.

11. Bonus timeat, ne *cadat*, malus conetur, ut *ſurgat*.

12. Mundus, dum nobis delicijs *arridet*, mendacijs nos *irridet*.

13. Qui voluptatem maximè *ſequuntur*, minimè *conſequuntur*.

14. Refugienda eſt ampla *poſſeſſio*, ne conſequatur profunda *perditio*.

15. Beatus, qui poſt illa non abijt, quæ poſſeſſa *onerant*, amata *inquinant*, amiſſa *cruciant*.

16. DEI Judicia, nemo plenè *comprehendit*, juſtè nemo *reprehendit*.

17. Bombycis *ſtamina*, formicæ *ſtabula*, apis *ædificia*, excedunt omnium hominum *artificia*.

18. Ut Dij teſtibus *gentilibus*, omnia vendunt *laboribus*, ſic & DEUS omnia ſua vendit *labore*, ſed *facili*; *moleſtiâ*, ſed *brevi*; *incommodo*, ſed *exiguo*.

19. Nam gratiam, quâ nihil in cælo, & terra habet æſtimabilius, vendit unico *ſuſpirio*, unius diei *jejunio*, unâ ex oculis *lachrymulâ*, unâ ſangvinis *guttulâ*, unâ ſudoris *ſtillulâ*, unâ vocis *voculâ*, unius horæ *vigiliâ*.

20. Suſtinete virgam *corripientem*, ne ſentiatis malleum *conterentem*.

21. Vera *religio*, in unius DEI veri conſtat *ſervitio*, alia omnis irreligioſa eſt *religio*.

22. Sapientis eſt, malle pati in hac vita *levia*, quàm poſt illam *gravia*; melius enim eſt *corripi*, quàm *conteri*.

23. Quod *nocet*, *docet*; quod *pungit*, *ungit*; DEUS juſtos cùm *percutit*, *perficit*; dum *flagellat*, *coronat*.

24. Peccator prudens erit in *pœna*, qui ſtultus fuit in *culpa*.

25. Ut cum fructu ores, tranſcende *omnia*, & conſcende ad eum, qui eſt ſuper *omnia*.

26. Utatur animus corpore, ut *jumento*, ut ſit illi *adjumento*; ſit illi *uſui*, non *oneri*, ancilletur *corpus*, dominetur *animus*; *præſit* iſte, illud *ſubſit*.

27. Ubi auri eſt *ingluvies*, ibi vitiorum eſt *congeries*.

28. Utere *tempore* cum *fænore*, utere ut *theſauro*, quia eſt pretioſius omni *auro*.

29. Doctrina in *dictis*, ſcientia eſt; in *factis*, virtus.

30. Multi multa *ſvadent*, quorum ipſi nihil ſibi *perſvadent*.

DECEM-

DECEMBER.

1. Quis ſic *delectat*, quàm ille, qui fecit omnia, quæ *delectant.*

2. In DEO eſt omnipotens *miſericordia*, & miſericors *omnipotentia.*

3. Si adhæreas mundo, eris *immundus*; ſi gloriæ, eris *inglorius*; ſi famæ, reddêris *infamis*; ſi honori, eris ſine *honore*; ſi divitijs, tentaberis de *vitijs*; ſi homini, nitêris *arundini.*

4. Fruſtra extra DEUM *quæritur*, quod in illo ſolo *invenitur.*

5. DEO is ſolùm *placet*, qui *fugit*, quæ ei *diſplicent*; & facit, quæ ei *placent.*

6. *Nummicola*, non eſt *Chriſticola*: ſicut cui placet, diſplicere DEO, propter plebem, eſt *plebicola*; aſt qui colit DEUM propter cœlum, eſt *cælicola*: ſicut qui colit agrum, vel vineam, eſt *agricola*, vel *vinicola.*

7. Non eſt, quis eò *melior*, quò *ornatior*, ſed eſt *mollior.*

8. Mundus cultores tam certò *decipit*, quàm blandè *excipit.*

9. Ne æternùm *pereas*, vide cui *adhæreas.*

10. Honore non eſt dignus, qui honorem *quærit*, ſed quem honor *quærit.*

11. Amanti DEUM patria eſt, non modò omne *ſolum*, ſed & omne *ſolùm.*

12. In hoc ſæculo, vix creſcit granum *virtutis*, mox miſcetur in paleam *vanitatis.*

13. Quò clariùs DEUM cognoveris, eò te profundiùs *ſubmittes*, & ardentiùs ejus præcepta *admittes.*

14. Qui ſpretâ DEI gloriâ, ſe & ſua *jactat*, veneno ſe *lactat.*

15. Non pedum *motibus*, ſed cordis *affectibus*; non *rotis*, ſed *votis*; non *ſcalis*, ſed *alis*, tenditur ad requiem æternam.

16. Si amas bona, quæ ſunt *facta*; cur non amas DEUM, per quem ſunt *facta.*

17. Circumfer cor per omnia amabilia, *vagabitur*, non *ſatiabitur*; ambulabit, non quieſcet.

18. Non ſunt in aëre tot *atomi*, quot ſunt in te ad amandum DEUM *ſtimuli.*

19. Tot ſunt in te DEI amandi *tituli*, quot ſunt in infinito *numeri.*

20. Ut DEUM ames, non tantùm eſt ipſius *deſiderium*, ſed & *imperium.*

21. Quantò certiùs credes Deiparam fuiſſe conceptam ſinè *labe*, tantò citiùs expiaberis ab animi *clade.*

22. Ad id unicè adlabora, ut tua pulchritudo non ſit formæ *venuſtas*, ſed vitæ *probitas*, ſermonis *veritas*, cogitationis *pietas*, operum *benignitas.*

23. Priùs necesse est Christum *sequi*, quàm possimus *assequi*; cujus est, de via *iniquitatis*, nos reducere in viam *veritatis*.

24. Quomodo pervenies ad eum, qui est *vita*, nisi per eum, qui est *via*, Christus autem est, & *via*, & *vita*.

25. Unde bonus *proficit*, inde invidus contabescit, & *deficit*.

26. Sine DEUM in te *ferire*, & paternè *sævire*, hoc enim est per crucem ad Cælum *ire*.

27. Puderet te fortasse imitari hominem *humilem*, igitur imitare saltèm DEUM, factum pro te *hominem*, & hunc *humilem*.

28. Si non vis decipi mundi *mendacijs*, insistas necesse est Christi *vestigijs*.

29. Nónne multorum Christianorum vita, non tam uti *Job* loquitur, est *militia*, quàm *malitia*?

30. Si credis, quòd Christum imitari sit *gloria*, non erit arduum ferre, contemptus hominum, & *opprobria*.

31. Satiùs est propter Christum, vel semel *contemni*, & alijs *postponi*, quàm omnibus hominibus semper *præponi*. Via altera est spatiosa, quæ ducit ad mortem *æternam*, altera angusta, quæ ducit ad vitam *sempiternam*. Vide quam viam *ineas*, ne *pereas*.



PARAGRAPHUS SEPTIMUS.

EPHEMERIDES ADAGIORUM,

SEU

SELECTA ADAGIA.

In dies singulos totius Anni distributa.

Numerus I.

JANUARIUS.

I.

A *Jove principium.* Id est: negotium omne auspicijs divinis est inchoandum.

2. *Qui procul à Jove, procul à fulmine.* Monet securiores, qui à præpotentium familiaritate sunt remoti: illi enim, si velint, vel nutu perdere possunt.

3. *Quod*

3. *Quod supra nos, nihil ad nos.* Dictum hoc deterret à curiosis investigationibus arcanorum, quæ sunt aut supra captum, aut ad principes pertinentia.

4. *Sæpe etiam est olitor valde opportuna locutus.* Admonemur non esse fastidiendam salutarem sententiam, propter authoris humilitatem.

5. *Ne sutor ultra crepidam.* Vetat, ne quis sententiam ferat, quæ sunt ab ipsius arte, aut professione, aut statu aliena.

6. *Ad græcas calendas.* Idem, quod nunquam. Græci enim nullas habent calendas.

7. *Asinus ad lyram.* In eos, qui ob imperitiam inepti sunt ad aliquod munus.

8. *Mali corvi, malum ovum.* Aptè usurpabitur, quoties à præceptore malo, discipulus malus: aut à patre improbo, perversus filius proficiscitur.

9. *Festina lentè.* Docet potissimùm principes; res seriò, prudenti tamen cunctatione, & consilio peragendas.

10. *Aquila non captat muscas.* Animus excelsus, res humiles despicit.

11. *Cæcus, cæcum ducit.* Ubi indoctus indoctum docere, aut inconsultus, imprudenti consilium dare conatur.

12. *Qui citò dat, bis dat.* Id est: ut cunctanti animo facta largitio ingrata: ita hilari, & promptâ manu præstita, gratissima esse solet.

13. *Æthiopem lavas.* Quasi dicas: omnem operam perdis, frustra cum aliquo, v.g. stupido, agis.

14. *Aquam à pumice postulas.* Pro eo, quod est: ab aliquo petere, cujus ipse, à quo petis, maximè est indigus, vel rerum suarum tenacissimus.

15. *Delphinum natare docet.* Qui monere quempiam conatur in ea re, in qua, cùm sit ipse exercitatissimus, nullo eget doctore.

16. *Omnem movere lapidem.* Idem, ac omnia experiri, nihil intentatum relinquere.

17. *Notum lippis, ac tonsoribus.* Illud dicitur: quod jam in ora vulgi abijt. Nihil enim ferè in civitate contingere potest, quod in tonstrinis non narretur.

18. *Senes, bis pueri.* Quadrabit in eos, qui cùm sint senes, tamen puerilibus quibusdam studijs indecorè detinentur. Aut qui in senectute desipiunt.

19. *Tuis te pinxit coloribus.* Id est: talem te dixit, qualis es.

20. *Aliam quercum excute.* In eos convenit, qui sinè fine petunt aliquid, aut qui indesinenter ab eodem mutuum petunt.

21. *Optat ephippia bos piger, optat arare caballus.* Tangit vitium illud humanis ingenijs insitum, quò semper alienam sortem appetunt, suam contemnunt.

22. *Evitatâ Charybdi incidit in Scyllam.* Sensus est: dum vito gravius malum, in alterum minus incidi.

23. *Ad restim res rediit.* Dicimus, cùm summam rerum desperationem notamus.

24. *Tuo te pede metire.* Monet adagium, ut quisque seipsum, non ex assentatorum laudibus, sed ex veris dotibus, ac virtutibus æstimet.

25. *Multi thyrsigeri, pauci Bacchi.* Multis scilicet mortalium adesse virtutis insignia, aut etiam famam, qui tamen verâ virtute careant.

26. *Corvum delusit hiantem.* Qui rerum suarum captatorem arte frustratus est.

27. *Sapientum octavus.* Is dicitur per Ironiam, qui cùm sit insigniter insipiens, sapiens tamen haberi vult.

28. *Olet lucernam.* De re meditata, multóque labore elucubrata.

29. *Annosa vulpes haud capitur laqueo.* In eum, qui longâ ætate, multáque experientiâ, callidior est, quàm ut dolis capi possit.

30. *Canis in præsepi.* Est is: qui nec ipse fruitur re quâpiam, nec alios sinit frui; canis enim in præsepi, nec ipse comedit fænum, nec equum sinit ad illud accedere.

31. *Nescis, quid serus vesper vehat.* Monemur, ne præsentium successuum prosperitate elati, futuri curam abjiciamus.

FEBRUARIUS.

1. *Sustine, & abstine.* Est universæ Philosophiæ moralis compendium: monet adversa fortiter esse ferenda, ab illicitis esse abstinendum.

2. *Nihil est ab omni parte beatum.* Id est: nullus est in orbe status, qui non habeat aliquid incommodi admixtum.

3. *Felicium multi cognati.* Res explicatione non eget.

4. *Mendacij memorem esse oportet.* Innuit mendaces facilè capi posse; nisi consequenter mentiri velint, ac primi mendacij probè meminerint.

5. *Assidua stilla saxum excavat.* Nihil est tam arduum, quod non vincat, nihil tam durum, quod non emolliat, assiduitas.

6. *Satiùs est recurrere, quàm currere malè.* Sensus est; præstat mutare consilium, quàm in malè institutis pergere.

7. *Delphinum sylvis appingit, fluctibus aprum.* Qui res perperam, & insulsè, aut refert, aut disponit.

8. *Phryx plagis emendatur.* In barbaros, servilique ingenio homines dicitur: qui non pudore, néque monitis, sed verberibus fiunt meliores.

9. *Amicus*

9. *Amicus, úsque ad aras.* Adhibendum, cùm quis innuit, eoúsque amico favendum, & obtemperandum, quoúsque ad divina violanda non invitamur: tum enim verò lex amicitiæ non obligat.

10. *Sale emptum mancipium.* De homuncionibus vilissimis.

11. *Contra torrentem niti.* Dicuntur, qui frustra certant cum ijs, quos vincere nequeunt.

12. *Loripedem rectus derideat.* In eum, qui id alijs exprobrat mali, cui sit ipse obnoxius.

13. *Priùs assas, quàm ceperis.* Cùm quis præmaturè disponit ea, quæ adhuc in dubia spe constituta sunt.

14. *Auro loquente, nihil potest oratio.* Indicat, munera fortissimas etiam rationes vincere.

15. *In antro Trophonij vaticinatus est.* De homine vehementer tetrico: propterea, quòd olim creditum est eum, qui in Trophonij specum descendisset, postea nunquam ridere.

16. *Duos insequens lepores, neutrum capit.* Qui simul duplex captat commodum, utrôque frustratur: qui vult duobus servire, neutri satis facit.

17. *Ignis non extingvitur igne.* Malum, non tollitur malo. Iram, non lenit ira.

18. *Aliud stans, aliud sedens.* Usurpabimus, cùm summam animi inconstantiam significabimus: quasi tantillum intervallum commutet hominis sententiam.

19. *Ne cinerem vitans, in prunas incidas.* Docet sic malum minus fugiendum, ne in majus aliquod delabamur.

20. *Quid de pusillis magna proœmia.* Dicendum in eum, qui in re non magni momenti, verbosâ utitur prælocutione.

21. *Equus peccat, asinus punitur.* Quoties pro ijs, quæ potentiores peccaverint, inferiores puniuntur, & indignas dant pœnas.

22. *In pulicis morsu, invocat DEUM.* Qui rebus etiam minimis plurimùm turbatur.

23. *Qui molam fugit, vitat farinam.* Id est: qui refugit laborem, & industriam, non fruetur emolumentis.

24. *Exactâ viâ, viaticum quærere.* Quadrat in senes avaros: laborat hæc ætas hoc vitio, ut quò minùs vitæ superest, eò plùs de victu sollicitetur.

25. *Saxum volutum, non obducitur musco.* Qui non potest eodem in loco consistere, raro fit ut ditescat.

26. *A remo ad tribunal.* Dici solitum: ubi quis repentè ab infima conditione provehitur, ad honesti muneris administrationem.

27. In occi-

27. *In occipitio oculos gerunt.* Qui ſunt verſuti, & circumſpecti, quóſque neutiquam proclive ſit fallere.

28. *Plures adorant ſolem Orientem, quàm Occidentem.* Eum, qui in fortuna aſſurgit, plures colunt; quàm eum, qui ad incitas redigi incipit.

MARTIUS.

1. *Vulpes è pelle noſcitur.* Mendacem res ipſa, & oris habitus facilè redarguit.

2. *Inter cæcos, regnat ſtrabus.* Inter indoctos, qui ſemidoctus eſt, doctiſſimus habetur.

3. *Oſcitante uno, oſcitat & alter.* Dicendum: quoties exemplo peccantis, ſtatim provocatur aliquis ad ſimile facinus.

4. *Ne in cælum exſpue.* Vetat facere id, quod in facientis recidat caput.

5. *Inter ſacrum, & ſaxum hærere dicitur.* Qui in extremis conſtitutus eſt anguſtijs.

6. *Serò ſapiunt Phryges.* Convenit in eos, quos ſtultè factorum ſerò pœnitet.

7. *Homo homini DEUS.* Tunc dicitur, cùm ab aliquo inſperata ſalus affertur.

8. *Suo jumento ſibi malum accerſit.* Qui ipſe ſibi malorum eſt auctor.

9. *Quartâ Lunâ nati.* Dicuntur, quorum res improſperè ſuccedunt.

10. *Hîc Rhodus, hîc ſaltus.* Dictum cuidam, qui ſe Rhodi eximiè ſaltâſſe jactabat, ejus autem periculum in præſentia facere renuebat. Convenit, ubi quis re præſtare non potens, quod alibi ſe feciſſe ait.

11. *Albæ galinæ filius dicitur.* Qui in favore eſt Principis, & aliorum.

12. *Sacram anchoram ſolvit.* Qui ad extrema præſidia confugit.

13. *Bis, ac ter, quod pulchrum eſt.* Monet ea, quæ bona, aut pulchra ſunt, etiamſi operoſa ſint, repetenda eſſe.

14. *Muneribus, vel Dij capiuntur.* Id eſt: munera, étiam eos, quos dijs quodammodo ſimiles ob ſapientiam, aut potentiam putamus, frangunt.

15. *Ubi amici, ibi opes.* Is ſcilicet opulentiſſimus habendus, qui amicis abundat.

16. *Semper feliciter cadunt Jovis taxilli.* De ijs, quibus ob potentiam omnia ad votum fluunt.

17. *Figulus figulo invidet, faber fabro.* Innuit, inter homines ejuſdem profeſſionis, frequentem eſſe æmulationem, & invidiam.

18. *Malum conſilium, conſultori peſſimum.* In eos, in quorum caput recidit, quod alijs perperam conſuluerunt.

19. *Suum cuique pulchrum.* Idem,quod, sua cuíque etiam deformia,præ alijs placent.

20. *Cœlo terraq; loqui.* Dicuntur, qui frustra vociferantur: ij enim exclamare solent, ô cœlum! ö terra! qui hominum diffidunt præsidijs.

21. *In arena consilium capere.* Est, è re nata mutare consilium, & tempori (quod ajunt) servire.

22. *In trivio hærere.* Est dubitare, & animo incerto esse.

23. *Ducat remum, qui didicit.* Unumquémque decet eam artem exercere, quam didicit.

24. *Asinus inter simias.* Ubi quis incidit in homines nasutos, & contumeliosos, à quibus impunè rideatur.

25. *Longæ Regum manus.* Nimirum, Reges offendi non debent, potentia enim eorum procul se extendit.

26. *Clavum clavo pellere.* Significat: dolum dolo, vim vi, aut malum malo avertere.

27. *Salem apponito.* Jubet hoc dictum prudentiam adhiberi in omni actione.

28. *Ex ipso bove lora sumere.* Dicuntur, qui, quo lædant quempiam, id ab ipso, quem lædunt, accipiunt.

29. *Quot homines, tot sententiæ.* Monet rarum esse judiciorum consensum.

30. *Ollæ, amicitia est eorum.* Quos patina, aut poculum, non benevolentia conciliat.

31. *Omne tulit punctum.* Pro eo, quod est omnium calculo comprobatum.

APRILIS.

1. *Manus manum lavat.* Officium officio, beneficium beneficio provocatur.

2. *In utrámvis dormire aurem.* Est, animo otioso, securo, vacuóque esse.

3. *Mare Cœlo permiscet.* Qui omnia confundit, & turbat.

4. *Omnium horarum homo.* Dicitur, qui serijs pariter, ac jocis est accommodatus.

5. *Miscet sacra profanis.* Qui nihil pensi habet, nihílque non audet.

6. *Scio, quid distent æra lupinis.* Id est: scio discrimen rerum vilium, & pretiosarum.

7. *Pecuniæ obediunt omnia.* Id est: nihil est, quod pecuniâ effici, aut comparari non possit.

8. *In tuum ipsius sinum inspice.* Monet, ut domesticorum vitiorum recordatione, desinamus arrogantiùs insectari aliena.

9. *Tunica pallio propior est.* Potior habenda amicorum ob propinquitatem, quàm aliorum ratio.

10. *Satis jam quercus.* De ijs, qui relicto victu sordido, ad lautiorem, elegantiorémque transeunt.

11. *Reti ventos venari.* Idem, quòd in vanum operari.

12. *Necessarium malum.* Est, quo nec privari potes, nec ferre commodè, & patienter.

13. *Néque cælum, néque terram attingit.* Qui res prorsus absurdas profert.

14. *Nihil ad carmen.* Id est: quæ loqueris, non est ad propositum.

15. *Salem, ac mensam ne prætereas.* Ne violes amicitiæ jura; nam his rebus olim conciliabantur amici.

16. *In portu impingit.* Qui in ipso operis ingressu, statim peccat.

17. *Leonem larvâ terres.* Fortem, ac peritum virum, minis inanibus territas.

18. *Sybaritica oratio est.* Quæ nimis exquisito studio floret.

19. *Equus me portat, aut Rex.* Hoc ij dicere possunt, qui commodissimè alieno labore, & impendijs vivunt.

20. *Tangit ulcus.* Qui ejus rei facit mentionem, quæ nos vehementer urit.

21. *Mihi isthic, nec seritur, nec metitur.* Quasi dicas, hæc res ad me non pertinet.

22. *Artem quævis alit Regio.* Significat, certissimum esse viaticum eruditionem, aut artificium.

23. *In sylvam ligna ferre.* Est aliquem ijs rebus augere velle, quibus ipse maximè abundat.

24. *Ne quid nimiùm.* Svadet adagium, in omnibus moderationem.

25. *Novit quid album, quid nigrum.* Qui perspicacis judicij, ac magnæ est experientiæ.

26. *Albus, an ater sis, nescio.* Dici solet de homine prorsus ignoto.

27. *Duabus sedere sellis.* Est incertarum esse partium, & ancipiti fide.

28. *Simia in purpura.* De stupidis magnifico cultu ornatis.

29. *In vino veritas.* Significat ebrietatem, animi succum tollere.

30. *Si vultur es, cadaver expecta.* In avidos testamentorum captatores.

MAJUS.

1. *Bos in lingva.* Contra eos, qui non audent liberè, quod sentiunt, dicere, ob pecuniam acceptam: olim enim in nummis, bovis figura imprimebatur.

2. *Argenti anginam patitur.* Eſt ſuperiori finitimum.

3. *Ab equis ad aſinos.* Ubi quis è conditione lautiore,ad viliorem devenerit.

4. *Leonina ſocietas.* Eſt, cùm omne commodum ad unum aliquem redit, reliquis vi fraudatis : qualis cum præpotentibus eſſe ſolet.

5. *Lupi eum priores viderunt.* In raucum,& cui vox repentè faucibus hæſit.

6. *Ex tripode.* Dici ſolitum de ijs, quæ vehementer vera , átque indubitata videri volumus.

7. *Premere pollicem.* Ex veterum Romanorum geſtu,eſt,in aliqua re favere.

8. *Ut ſementem feceris, ita & metes.* Præmium reportabis factis dignum.

9. *Nudo veſtimenta detrahere.* Id eſt : impoſſibilia à quopiam poſtulare.

10. *Ferrum natare doces.* Operam in conatu impoſſibili perdis.

11. *Fecem bibat, qui vinum bibit.* Idem, quod, qui fruitus eſt optimis, eundem boni conſulere debere deteriora.

12. *Et nati natorum, & qui naſcentur ab illis.* Hoc proverbio, longam rei propagationem ſignificamus.

13. *Animo ægrotanti, medicus eſt oratio.* Id eſt : ſermo mollis, & appoſitus frangit iram, cæteróſque immoderatos animi affectus.

14. *Umbra,pro corpore.* Quoties aliquis magnum quiddam videbitur aſſecutus, cùm nihil tamen adferat, præter titulum, aut ſpes meras.

15. *Præſentem mulge, quid fugientem inſequeris?* Monet præſens lucrum non omittendum, ſpe commodorum, quæ incerta ſunt.

16. *Qui,quæ vult, dicit, quæ non vult, audiet.* Prohibet audacem loquacitatem, niſi fortè quis acerbiùs refelli cupiat.

17. *Similis ſimili gaudet.* Idem, quod ſimilitudo morum, eſt conciliatrix animorum.

18. *Homo homini lupus.* De eo dici poteſt, qui officio, aut alio modo, ſibi compari nocet.

19. *Flere ad novercæ tumulum.* Eſt ſimulare geſtu dolorem , cùm re ipſa gaudeas.

20. *Leonem ex ungvibus æſtimat.* Qui ex minimis res maximas conjicit.

21. *Lari ſacrificant.* Qui tenaces ſunt, nihil è domo efferri patiuntur : nam antiquis religioſum erat ex ijs quidquam foras eferre, quæ Lari ſacrata eſſent.

22. *Illotis manibus rem tractare.* Eſt irreverenter agere , deſumptum ex veteris ritibus, in quibus illotis manibus quidquam facere vetitum erat.

23. *Palinodiam canit.* Qui dicta ſua revocat.

24. *Elephantum ex muſca facere.* Id eſt : res exiguas verbis attollis & exaggeras.

25. *Ut canis è Nilo.* Qui leviter, ac obiter artem quampiam, aut auctorem deguſtant.

26. *A limine ſalutare.* Convenit cum adagio proximè antecedenti.

27. *Elephantus non capit murem.* Generoſus, & excelſus animus negligit lucella minuta, nec rebus exiguis offenditur. Idem eſt de viris eximiè doctis.

28. *Sacrum ſine fumo.* De convivijs tenuibus, ſacrificia enim pauperrima habebantur, in quibus fumus non adeſſet.

29. *Summum jus, ſumma injuria.* Hoc eſt: tum maximè diſceditur ab æquitate, cùm ſuperſtitiosè hæretur legum literis, id enim ſummum jus appellant, cùm de verbis juris contenditur, néque ſpectatur, quid ſenſerit is, qui legem ſcripſit.

30. *Romanus ſedendo vincit.* De ijs, qui tranquilli, átque otioſi, tamen, quæ volunt, efficiunt.

31. *Dimidium, plus toto.* Ænigma, quo aurea mediocritas commendatur

JUNIUS.

1. *Largitio non habet fundum.* Significat ſtultâ liberalitate, quantaslibet opes exhauriri, vel potiùs effluere.

2. *Monſtrari digito.* Eſt inſignem, & communi ore celebratum eſſe.

3. *Figuli opes.* Dicuntur, res fragiles, incertæ, aut neutiquam duraturæ.

4. *Serò Jupiter diphteram inſpexit.* In eos, qui ſerò quidem, ſed aliquando tamen pro malè factis dant pœnas.

5. *Aut mortuus eſt, aut docet literas.* Significabant olim, cuipiam omnino malè eſſe, tametſi parum liqueret, quid rerum ageret. Eò, quod Athenienſes victi à Siculis, aut capti, filios eorum literas docere cogebantur.

6. *Lutum luto purgat.* Qui malum per malum, aut pejus, excuſat.

7. *Si juxta claudum habitaveris, claudicare diſces.* Monet proverbium, periculoſam improborum conſvetudinem eſſe fugiendam.

8. *Caput ſine lingva.* Qui in conſultatione nihil ſcit loqui, ſed aliorum tantummodò ſententiæ annuit.

9. *Dij laneos habent pedes.* Docet Principes ad inferendas pœnas tardos eſſe oportere.

10. *Eâdem navi nauigare.* Eſt, ejuſdem eſſe fortunæ, ſectæ, conditionis &c.

11. *Ardua, quæ pulchra.* Monet ea, quæ magni æſtimantur, labore venire.

12. *Dimidio vitæ nihil differunt felices ab infelicibus.* Eo ſcilicet tempore, quò dormiunt, in ſomno enim (cui dimidia propè vitæ pars impenditur) nil felix ab infelice differt.

13. *Nemini*

13. *Nemini fides, nisi cum quo priùs modicum salis absumpseris.* Non est temerè novis hominibus fidendum, nec secreta temerè communicanda.

14. *Leporem non edit.* In deformes. Credebat enim antiquitas eos formosos fore, qui lepores frequenter esitarent.

15. *Rara avis.* Dicitur: quidquid novum, ac inventu perrarum est: ut concordia fratrum.

16. *Multas amicitias silentium diremit.* Admonet adagium, assiduo convictu, ac frequentibus alloquijs, necessitudines ali; intermissione, & absentià dissolvi.

17. *Ad pileum vocare.* Est sub prætextu libertatis, ad seditionem concitare: erat enim pileus insigne libertatis.

18. *Quod in animo sobrij, hoc in lingva ebrij.* Vinum, & pudorem, & timorem abigit, quo sobrij quædam eloqui, aut nolunt, aut non audent.

19. *Ale luporum catulos.* Illis dici solitum, qui læduntur ab ijs, de quibus bene meriti sunt.

20. *Priùs locusta bovem pariet.* De re prorsus impossibili.

21. *Asinus portans Mysteria.* In eum, qui indignè in munere splendido versatur.

22. *Canis festinans, cæcos parit catulos.* Qui nimio festinandi studio laborant, rem parum absolutam edunt.

23. *Falces petebam, tu ligones negas.* De ijs, qui respondent id, quod ad rem non attinet.

24. *Nunquid & Saul inter Prophetas?* Proverbium sacrum est. Cùm ineptissimi, aut indignissimi, inter alios summas tenentes dignitates versantur.

25. *Dente Theonino rodi.* Dicuntur, qui convitijs lacerantur. Sumptum à Theone Poëta loquacissimo, ac mordacissimo.

26. *Aureo piscari hamo.* Est quempiam, muneribus subdolè sibi devincire.

27. *Protheo mutabilior.* Qui valde inconstans, & versipellis est.

28. *Amicus magis necessarius, quàm ignis, & aqua.* Admonet, neminem esse tam divitem, ac potentem, quin opus habeat amicorum officijs.

29. *Simul sorbere, & flare, difficile.* Contra eos, qui eodem tempore plura peragenda præcipiunt.

30. *Sera in fundo parsimonia.* Docet in tempore parcendum rebus necessarijs, néque imitandum profusorum vulgus, qui tunc incipiunt esse parci, cùm nihil superest.

JULIUS.

1. *Parturiunt montes.* Dicitur, cùm quis pollicetur ingentia, deinde nihil promissis dignum edit.

2. *Invoca fortunam, & manum admove.* Monet ita eſſe fidendum divino auxilio, ut nihilo ſegniùs, quantùm in nobis eſt, etiam ipſi noſtrâ adnitamur induſtriâ.

3. *Quam quiſque novit artem, in hac ſe exerceat.* Quarum rerum ſumus periti, in his duntaxat diſputandis tractandíſque verſemur.

4. *Carpet citiùs aliquis, quàm imitabitur.* De rebus prorſus eximijs, quas magìs proclive eſt taxare, quàm imitari.

5. *Spes in herbis.* Uſurpandum, cùm ſpem immaturam, ac longè adhuc abeſſe indicabimus.

6. *Inter indoctos etiam corydus ſonat.* In quoſdam, qui inter idiotas, audent ſeſe velut eruditos oſtentare, inter doctos ſilent. Eſt autem Corydus avis rauca, & inelegans.

7. *Quævis terra, patria.* Subauditur Sapientibus. Illi enim ubicúnque gentium vixerint, felices ſunt, cùm felicitatem ſuam ſecum circumferant.

8. *Ficum petit.* Id eſt: rei cujuſpiam acquirendæ gratiâ blanditur. Athenienſes enim ubi agricolas blandè alloquebantur, ficus petebant.

9. *Scapham ſcapham, ligonem ligonem vocat.* De homine ſincero, & minimè in verbis fucato, qui rem, ut eſt in ſe, narrat.

10. *Ne ad aures quidem ſcalpendas otium eſt.* De homine nimiùm negotijs occupato.

11. *Vinum vela habet, clavum non habet.* Eô, quòd ebrietas nihil conſultè, nihil moderatè dicit, aut facit.

12. *Summum cape, & medium habebis.* Monet eos, qui vel ad mediocritatem pervenire cupiunt, ad ſummum eniti debere.

13. *Optimum alienâ inſaniâ frui.* Felix, qui alienis erratis cautior, alienis periculis prudentior efficitur.

14. *Aulædus ſit, qui citharædus eſſe non poſſit.* Præſtat in inferiori gradu eſſe perfectum, quàm in altiori poſtremum.

15. *Colophonem rei addere.* Eſt ſupremam manum, ſeu finem operi imponere.

16. *Excoriatum, denuò excoriare.* Eſt à pauperrimo quidpiam extorquere.

17. *Servus, ſervo præſtat; Dominus, Domino.* Monet, etiam in eodem hominum genere perſonarum habendam rationem; nec enim, qui doctior, eſt illico doctiſſimus.

18. *Fur furi amicus.* Eadem vitæ conditio, etiam inhoneſta, & abjecta conciliat animos.

19. *Mus picem guſtans.* Is dicitur, qui cùm priùs audaculus fuerit, deguſtato periculo, timidiſſimus efficitur.

20. *Quod factum est, infectum fieri nequit.* Ijs inclamandum, qui inutili mœrore rem præteritam malè cessisse immoderatiùs dolent.

21. *Catulum leonis alere.* Est eum fovere, qui futuris temporibus beneficia malis rependit.

22. *Multis parasangis præcurrere.* Dicitur, qui longè, ac multis partibus alios in re quapiam superat. Parasangam autem Persæ 30. stadiorum spatium vocant.

23. *Chius Dominum emit.* In eos, qui ipsi sibi, & quidem operosè malum accersunt, ut qui magnis conatibus malam, & imperiosam uxorem ducit.

24. *Panes sunt somnia canum.* Quod quis appetit, in eo mens tota versatur, atque adeò etiam somnia de eo fingit.

25. *E squillis non nascitur rosa.* Ab improbis parentibus, vix speranda bona soboles.

26. *Nominis sui oblivisci.* Dicuntur: qui, vel nimis obliviosi sunt. Vel clementiori fortunâ evecti, statûs sui pristini non recordantur.

27. *Spem pretio emunt.* Qui in rem vehementer incertam profusos largiuntur sumptus.

28. *Qui semel scurra, nunquam Paterfamilias.* Monet à via semel improbè suscepta, difficilem, ac rarum esse regressum.

29. *Utrámque facere paginam.* Dicitur res, à qua pendet nostra felicitas, & infelicitas. Quod Plinius de fortuna dixit.

30. *Aureæ compedes.* Idem, quod splendida servitus, qualis ferè est aulicorum.

31. *Ab ovo, úsque ad mala.* Id est: à principio úsque ad finem. Veteres enim cœnam inchoabant ab ovis, & terminabant in malis, seu pomis.

AUGUSTUS.

1. *Alpha penulatorum.* Dicitur joco à Martiali, egenorum miserrimus.

2. *Quo semel est imbuta recens, servabit odorem testa diù.* Docet, virtutes, aut vitia, in ætate tenera hausta, vix eradicare posse in ætate adulta.

3. *Saxum volvere.* Dicuntur, qui inexhausto quopiam, inutili tamen labore fatigantur.

4. *Quod lydius, auro, aurum homini.* Monet, hominem seu in fide, seu in constantia, nullâ re magìs probari posse, quàm auro.

5. *Magna civitas, magna solitudo.* Quadrabit de libro magno quidem, sed inculto, & indocto.

6. *In scirpo nodum quærit.* Qui in re levicula, & nullius momenti difficultates movet.

7. *Mendici pera inexplebilis est.* Qui frequenter petere assvevit, vix petendi finem facere potest.

8. *Ad amussim scindendus lapis, non amussis ad lapidem.* Id est: Vita ad leges est corrigenda; non è contrà, leges ad mores nostros trahendæ sunt.

9. *Non è quovis trunco fit Mercurius.* Non omnium ingenia sunt commoda disciplinis.

10. *Vinum vendibile, hæderâ non eget.* Vera virtus non indiget præconijs.

11. *Malignos habere vicinos.* Dicitur, qui seipsum impensiùs laudat.

12. *Venter non habet aures.* Ubi fames urget, nec honestæ quidem admittuntur rationes.

13. *Trium literarum homo, est FUR.* Licèt olim de viris illustribus dici solitum sit, cùm viri nobiles, præter nomen, & cognomen, etiam prænomen habuerint. Ut: M. T. C.

14. *Veritas odium parit.* Notat vitium humanum, quô veritatem, potissimùm de moribus corrigendis prolatam, aversamur. Et ob eam sæpe alios odio prosequimur.

15. *Hos ego versiculos feci, tulit alter honores.* Cùm quis alieno labore pro suo venditato honorem consequitur, authore dissimulato.

16. *Pictoribus, átque Poëtis omnia licent.* Afferriso let, pro excusandis audacioribus poëtarum figmentis.

17. *Habet & musca splenem.* Etiam impotentes, grandes quandóque jactant minas.

18. *Canis reversus ad vomitum.* Est adagium sacrum in eos, qui relabuntur in eadem flagitia, à quibus aliquando sunt expiati.

19. *Arbore dejectâ, quilibet ligna colligit.* Si quem fortuna præcipitem dederit, in hunc passim omnes incurrunt.

20. *Date mihi pelvim.* Petebant antiqui pelvim, quasi mox evomituri bilem, ob indignationem conceptam, ex dictis, aut factis intolerabilibus.

21. *A fronte præcipitium, à tergo lupi.* Cùm aliquis hinc, átque hinc, duobus premitur malis, ut in utrumcúnque inciderit, pereundum sit.

22. *Munus levidense.* Eruditi vocant munus vile, minimíque pretij.

23. *Vota senum, consulta virorum, & facta juventæ.* Hæc tria sunt opportuna, si nimirum ea, quæ senes optanda judicant, viri consilijs, juvenes manu procurent.

24. *Cani das paleas, asino ossa.* Cùm res præposterè distribuuntur.

25. *Si leonina pellis non satis est, vulpina addenda.* Cùm viribus res obtineri non potest, dolus adhibendus.

26. *Semper superioris anni proventus melior.* Natum ex opinione quadam hominibus

hominibus præſertim plebeis innata, quâ ſemper præterita laudant, præſentia faſtidiunt.

27. *Poſt bellum, auxilium.* Quoties ſeriùs malo adhibetur remedium.

28. *Obtrudere palpum.* Eſt arte, fucóque decipere, ac traducere quempiam.

29. *Æſopicus graculus.* Dicitur, qui aliena ſibi uſurpat, aliorúmque bonis ſe jactat.

30. *Calabri hoſpitis munera.* Rectè dixeris, ruſticana, leviáque, quæ magìs onerent accipientem, quàm juvent. Calabri enim copiâ inſvavium onerabant hoſpitem.

31. *Bolus è faucibus ereptus.* Cùm commoditas, quæ jam propemodum tenebatur, præter expectationem, ſubitò præripitur.

SEPTEMBER.

1. *Teſtam teſtæ collidi:* Dicitur, cùm duo confligunt, utriúſque malo.

2. *Umbra fugientem ſequitur, ſequentem fugit.* De honore dici ſolitum.

3. *Boni paſtoris eſt, tondere pecus, non deglubere.* Dictum Tyberij Cæſaris, in Principes nimias conſtituentes exactiones.

4. *Novi equidem Clypeum dextrâ, levâque movere.* Ad utrámque fortunam paratus ſum.

5. *Cum Jove ſanè nolim certamen inire.* Cùm quis negat ſe rem velle habere cum homine potentiore.

6. *Nullum ego ſum Numen, quid me immortalibus æquas?* Eſt virorum ingenuorum, refutantium immodicas laudes.

7. *Ardua res homini mortali, vincere Numen.* Arduum, à privato Principem ſuperari.

8. *Navita de ventis, narrat de bobus arator.* Suo quíſque ſtudio tenetur.

9. *Verba in conſilio, valet in certamine robur.* Cùm opus eſt, re, non agendum verbis.

10. *Quod peto da Cai, non peto conſilium.* Eundem cum priori habet ſenſum.

11. *Culicem colunt, camelum glutiunt.* Qui rebus minimis ſuperſtitiosè intenti, maxima negligunt.

12. *Dulce bellum inexpertis.* Imperiti, quandóque res nocituras, in deſideratiſſimis habent.

13. *Conjuncti pollent etiam vehementer inertes.* Junctas vires, etiam debilium, non eſſe ſpernendas.

14. *Qualia purpurei comedunt obſonia Reges.* Non tantùm de lautis menſis dici ſolitum, ſed etiam de oratione eximiè polita, quæ mentem dulcè paſcit.

15. *Corynthijs non indignatur Ilium.* Hoc dicto clàm exprobramus ignaviam alicui, qui ita se gesserit; ut hostes nihil habeant, ob quod illi magnopere indignentur.

16. *Cereri sacrificans.* Ubi in convivio vinum defecit. In sacris enim Cereris vinum adferre fas non erat.

17. *Clavam extorquere Herculi.* Dicimus, cùm rem factu difficilem significamus.

18. *Hodie mihi, cras tibi.* In eos, qui dum sibi felices videantur, alijs casum infelicem exprobrant.

19. *Canis sæviens in lapidem.* Competit ei, qui mali sui causam non authori, sed nuncio, aut alicui alteri, ad quem res minimè pertinet, adscribunt.

20. *Sydera addere cælo.* Idem, ac ijs rem augere velle, qui omnibus abundant.

21. *Piscis primùm à capite fœtet.* In malos principes, quorum contagione reliqui inficiuntur.

22. *Malum vas non frangitur.* Qui conditionis est deterioris, vitæ tutioris est.

23. *Prævertit anchoræ jactum DEUS.* Dici, solitum, cùm res præter spem evenit.

24. *Nosce teipsum.* In eos, qui defectibus alienis intenti, excessus suos non advertunt.

25. *Cum cane, simul & lorum perijt.* Cùm non res tantùm, sed & spes recuperandi interijt.

26. *Priùs antidothum, quàm venenum.* Quando se quis purgat priùs, quàm accusetur.

27. *Non omnis fert omnia tellus.* Non quilibet hominum habet omnia naturæ dona.

28. *Postquam paveris, impera.* Contra eos, qui cùm nihil solvant, imperiosè alijs præcipiunt.

29. *Et post malam segetem, serendum est.* Monet etiamsi primo conatu res cupita ad votum non incedat, ab inceptis non esse desistendum.

30. *Nescio quæ parvis gratia rebus inest.* Sensus est clarus: Multa ob solam parvitatem placent.

OCTOBER.

1. *Lupus in fabula.* Cùm fortè fortuito in medio sermone intervenit, is, cujus mentio fiebat.

2. *Mira de lente.* Quoties res humilis, & pusilla magnificis laudibus effertur.

3. *Arcus intensus rumpitur.* Non est ita serijs vacandum, ut nunquam animus relaxetur.

4. *Destitutus ventis, remos adhibe.* Cùm fortuna est adversa, magìs adlaborandum est.

5. *Mercurius supervenit.* Adhibendum, si quando silentium oritur, in multorum consensu. Non enim erat fas loqui præsente Mercurio.

6. *Asino narras fabulam.* Res eruditas, & sublimes, stupido, vel idiotæ proponis.

7. *Ubi tu Cajus, ibi ego Caja.* De fæminis, néque dicto, néque dominatu viris cedere volentibus.

8. *Tranquillo quilibet Imperator est.* Innuit, non esse artis pacatis omnibus rem publicam gubernare; sed cùm adversis premitur, tum demum virtus apparet.

9. *Asinus stramenta mavult, quàm aurum.* Servilis, & abjecti animi homines utilitatem, & præsentia commoda, virtuti, gloriæ, & honori præferunt.

10. *Respublica nihil ad musicum.* Dicendum, cùm quis se in negotium à suo instituto prorsus alienum immiscet.

11. *Lachrymâ nil citiùs arescit.* Affectibus, cùm non durent, minimè fidendum.

12. *Inveterata vaticinari.* Est, omnibus notissima, tanquam nova narrare.

13. *Asinus asino, sus sui pulcher.* Idem, quod similis simili gaudet.

14. *Argentum accepi, Imperium vendidi.* Qui accipit beneficium, perdit libertatem.

15. *Preces armatæ.* Sunt consilia, aut preces cum necessitate conjunctæ, ut sunt principum petitiones.

16. *Nuncio nihil imputandum.* In eos, qui imprudenter, tristia nuncianti indignantur.

17. *Terris jactatus, & alto.* Qui omne genus periculorum subijt.

18. *Surdo fabula canitur.* Cùm quis dicendo oleum, operámque perdit.

19. *Manet altâ mente repôstum.* Significat veteris injuriæ memoriam nondum esse obliteratam.

20. *Domi suæ quilibet Rex.* Cùm dicimus, in ædibus nostris, quæ volumus, nos liberè facere posse.

21. *Furor arma ministrat.* Homo iratus, quod primum obvium est, id pro armis capit.

22. *Herculis cothurnos aptare puero.* Est res imprudenter, & præposterè combinare.

23. *Forſan olim & hæc meminiſſe juvabit.* Dici ſolitum, cùm inter adverſa conſtitutos ſolari volumus.

24. *Haud equidem tali me dignor honore.* Præſentiſſimum adversùs adulatores remedium, & viris magnis ſemper in ore habendum.

25. *Vulpes pilum mutat, non mores.* Dignitates improborum, titulos, non mores mutant.

26. *Quantum mutatus ab illo.* Cùm quempiam à vitijs ad meliorem frugem, aut è contrà, tranſijſſe miramur.

27. *Jam proximus ardet Ucalegon.* Id eſt, periculum non procul abeſt.

28. *Nunc omnes terrent auræ.* Cùm homo mali eſt conſcius, omnia timet.

29. *Auri ſacra fames.* Eâ laborare dicimus eos, qui auri gratiâ, divina, ac humana miſcent.

30. *Serpens in gremio.* Idem, quod periculum aliquod eſt intra parietes domeſticos.

31. *Fata viam invenient.* Conſolationis inſtar in re dubia, & periculoſa, ſperanti opem divinam affuturam.

NOVEMBER.

1. *Gratior eſt, pulchro veniens è corpore virtus.* Docet formam rebus plurimùm addere decoris, ut gratius ſit, quidquid à liberalis formæ hominibus fiat.

2. *Solem facibus adjuvare.* De ſupervacaneis, & abſurdis dici ſolitum.

3. *Facilis deſcenſus Averni.* Proclive eſt ad perditionem, & vitia delabi.

4. *Procul eſte prophani.* Cùm indoctos, à ſecretioribus literarum aditis arcebimus.

5. *Quiſque ſuos patitur manes.* Nullus eſt adeò omni ex parte beatus, ut nihil habeat, quod patiatur.

6. *Heu pietas! heu priſca fides!* Quoties præſentium temporum vitia exprobramus.

7. *Gratijs litavit.* Qui hilari, & ad humanitatem compoſitâ fronte, omnia agit.

8. *Flectere ſi nequeo Superos, Acheronta movebo.* Eſt deſperantis, & ad extrema fugientis.

9. *Timor addit alas.* cùm ſignificamus quempiam ob metum opus injunctum perfeciſſe.

10. *Contra Neptunum tela.* Quando imbeciliores longè potentioribus reſiſtere dicimus.

11. Tuo

11. *Tuo te jugulas ense.* In eum, qui suis ipsius verbis refellitur.

12. *Sinite arma viris.* Nemo ea aggrediatur, ad quæ, aut vires, aut ingenium non suppetit.

13. *Rex omnibus idem.* Id est: coram DEO non est personarum acceptatio.

14. *Ubi uber, ibi tuber.* Nihil tam beatum in terris, cui admixtum non sit aliquid difficultatis.

15. *Anser inter olores.* Cùm indoctus, inter doctos garrit.

16. *Cælum irritat armis.* Qui in potentiorem, inanes jactat minas.

17. *Trahit sua quémque voluptas.* Significat alios alio teneri studio, & id potissimùm sectari quémque, quo delectatur maximè.

15. *Rusticus es Corydon.* Ubi quempiam sui statûs commonefacimus, ne quid ultra suam sortem appetat.

19. *Timidi nunquam statuère trophæum.* Ardua potissimùm, magnis animis aggredi convenit.

20. *Audaces fortuna juvat.* Eundem cum superiori habet sensum.

21. *Ante leves pascentur in æthera cervi.* De re impossibili.

22. *Solem in meridie negare.* Est in re certissima, & manifesta repugnare.

23. *Mutatis requiescunt fœtibus agri.* Alternatis curis alleviatur animus.

24. *Quantùm lupus curat numerum.* In hominem imprudenter furacem, cui nec sacrum, nec numeratum est quidquam.

25. *Inter lugentes luge.* In eum, qui alieniore tempore intempestivè designat aliquid, vel loquitur.

26. *Canibus ossa prodit.* Qui inimico consilia sua patefacit.

27. *Quod rarum, charum.* Proverbium clarum, & ore vulgi tritissimum.

28. *Dissidij pomum.* Dici potest res quælibet, cujus causâ bella, aut discordiæ oriuntur.

29. *Æsopicum onus est.* Quod sub initium grave est, sensim tamen in dies alleviatur.

30. *Nulla salus bello, pacem te poscimus omnes.* Hoc versu belli osores utuntur.

DECEMBER.

1. *Urget præsentia Turni.* Præsentibus Duce, hero, magistro, milites, servi, discipuli, diligentiores sunt.

2. *Fluctibus obloqui.* Est, cum fæmina, aut homine nimiùm verboso altercari.

3. *Intestina adolens, ipse carnem devorat.* Qui DEO vilissima, sibi optima largitur.

4. *In cinere scribit.* Qui in re quapiam inutilem operam collocat.

5. *In cavea non canit luscinia.* Nihil est libertate præstantius ad res agendas.

6. *Pardus non deponit maculas.* Vitia naturæ, vix, aut ne vix quidem corrigi possunt.

7. *Cicadæ humi canunt.* Dicendum, cùm vastitatem regionis significamus.

8. *Una hirundo non facit ver.* In eos, qui nimiâ ducti conjecturâ, temerè res discernunt.

9. *Nihil hydropico siccius.* Nihil divite avaro egentius.

10. *Cum Evandri matre loqui.* Est, nimiùm vetustâ, & obscurâ latinitate loqui.

11. *Non omne est aurum, quod splendet.* Non omnis virtutis umbra, virtus dicenda est.

12. *Aureo laqueo, etiam lepus leonem capit.* Largitione etiam principes ab inferioribus capiuntur.

13. *Amicorum communia omnia.* Est per se clara lex amicitiæ.

14. *Æs Dodoneum.* Dicitur homo improbæ, átque importunæ loquacitatis.

15. *Res ad triarios rediit.* Quoties in periculo ad extrema auxilia confugitur.

16. *Sus, cum Minerva certamen inivit.* Cùm indocti, ac stolidi doctissimos in certamen provocant.

17. *Bos lassus fortiùs figit pedem.* Senes consilij maturitate, & constantiâ juvenibus præstant.

18. *Toto errare cælo.* Est vehementer à rei veritate abscedere.

19. *Qui fodit alteri foveam, ipse incidet in eam.* Qui alteri periculum parat, sæpe in se convertit.

20. *Patriæ fumus, igni alieno luculentior.* Amor patriæ facit, ut domestica plus alienis placeant.

21. *Rara concordia fratrum.* Proverbium ob exempla quotidiana notissimum.

22. *Davus sum, non Oedipus.* Cùm dicere volumus, rem ab alio propositam, valdè obscuram esse.

23. *Certare de lana caprina.* Est de re nullius momenti pertinaciter altercari.

24. *Ovem lupo committit.* Qui quempiam hosti, aut malevolo curandum tradit.

25. *Asino crocum.* Quando quispiam res magni pretij, in vilissima impendit.

26. *Saxis committere semen.* Est, operam omnem, in re aliqua perdere.

27. *Non semper ridet Apollo.* Non semper feliciter res eveniunt: variat cursum fortuna.

28. *Crambe*

28. *Crambe repetita.* Dicitur, res iterum, átque iterum, cum audientium tædio propoſita.

29. *Non omnia poſſumus omnes.* Cùm quis modeſtè onus humeris impar, recuſat.

30. *Dij laboribus omnia vendunt.* Adagium in pigros, & deſidioſos.

31. *Non venit ex horto floſculus iſte tuo.* Cùm aliquis aliena, tanquam ſua, oſtentat.



EPHEMERIDES ADAGIORUM,

SEU

SELECTÆ PARÆMIÆ.

In ſingulos dies totius Anni diſtributæ.

Numerus II.

JANUARIUS.

I.

IN *alieno choro pedem ponere.* Quadrat in illos, qui ſe alienis miſcent negotijs.

2. *Alba avis.* Accipitur pro re nova, átque auſpicata.

3. *Falces poſtulabam.* In illos, qui reſpondent id, quod ad rem nihil attinet.

4. *Extra cantionem.* Dici poteſt de eo, qui non loquitur ad propoſitum.

5. *Ne viâ quidem eâdem ingrediuntur.* Id eſt: diſſident extremo odio.

6. *In nocte conſilium.* Id eſt: Conſilium non debet præcipitari.

7. *Puer glaciem.* Quadrat in eos, qui nolunt amittere, quæ retinere non poſſunt.

8. *Larus parturit.* Dicitur in eos, qui pollicentur magna, ſed exigua præſtant.

9. *Corcyræa ſcutica.* Dicitur de re, non congruo ſibi cultu exornata.

10. *Niſi, ſi quæ vidit avis.* Dicitur de re valde occulta.

11. *Unicum arbuſtum, non alit duos erithacos.* In eos, qui in eodem munere concorditer verſari nequeunt.

12. *Extra oleas.* De illo dicitur, qui terminos præſcriptos tranſgreditur.

13. *Ne grandia loquaris.* Monet paræmia temperandum eſſe à jactantia.

14. *Exercitatio poteſt omnia.* Id eſt: Nihil tam arduum, quod labor non vincat.

15. *In nassam incidit.* In illum, qui intricata habet negocia.

16. *Hipponacteum praeconium.* Accipitur pro infami nota.

17. *Aureo piscari hamo.* Dicitur de illis, qui propter exiguum commodum, periculum magna perdendi subeunt.

18. *Archilochia dicta.* Id est: mordacia, & contumeliosa verba.

19. *Oculis ferre.* Id est: valde aliquem amare.

20. *Adest Euparyphus ex comaedia.* In illum, qui splendidè vestitus, ostentat sua.

21. *In nullo est numero.* Dicitur de homine nullius aestimationis.

22. *In numerum pervenire.* Id est: aliquam sibi aestimationem capere.

23. *Ut Phidiae signum.* Dicitur de re, quae primo aspectu placet omnibus.

24. *In cursu esse.* Id est: magno conatu aliquid consequi velle.

25. *Cadere in cursu.* Id est: desideratâ frustrari laude.

26. *In quadrum redigere.* Id est: aptè rem disponere.

27. *In alia est regione.* Dicitur de illo, qui longiùs aberrat à vero.

28. *Malis, mala eveniunt.* Dici potest in illos, qui propter sua malè facta, nomen perdunt.

29. *Surculum defringere.* Id est: non callere totam disciplinam.

30. *Lacinia tenet.* Dicitur de illo: qui rem quampiam non possidet, ex integro.

31. *Conchas legere.* Id est: otio tempus terere.

FEBRUARIUS.

1. *Strumam dibapho tegit.* In eum, qui infamiam, aliquâ dignitate obliterat.

2. *De statu demigrare.* Hoc est: recedere à vitae instituto.

3. *E terra spectare naufragium.* Id est: in tuto aliorum videre pericula.

4. *Contrahere vela.* Pro eo, quod est reprimere sese, & cautiùs agere.

5. *Consessus in talario ludo.* Accipitur pro conventu hominum, parum honoratorum.

6. *Ferit frontem.* Dicitur in eum, qui impotenter indignatur.

7. *Dulce pomum, absente custode.* In illos, qui impunitate ad malum provocantur.

8. *Daedaleum remigium.* Usurpatur pro celeritate.

9. *Vervecea statua.* Accipitur pro servo stupido.

10. *Eme, cui imperes.* Dici potest illi, qui imperiosè agit cum illis, qui sibi non subjacent.

11. *Nec caput, nec pedes.* Id eſt: negotium ita perturbatum, ut quid agendum ſit, neſciatur.

12. *Unà cum phanis, & aris.* Quadrabit: cùm nihil eſſe prætermiſſum ſignificamus.

13. *Mus non fidit antro.* Admonentur Juvenes, ut præter opes, etiam literas ſibi comparent.

14. *Herculis quæſtus.* Accipitur pro magnis impendijs.

15. *Æacidinæ minæ.* Accipitur pro atrocibus, & ſuperbiſſimis minis.

16. *Rectam inſtas viam.* Simile eſt huic: Rem acu tetigiſti.

17. *Jovis germen.* Dicitur homo, inſigni virtute præditus.

18. *Oracula loquitur.* Id eſt: certa, & indubitata.

19. *Lucernam accendere poſſes.* Exprimitur hâc paræmiâ, vehemens ira.

20. *Ex cohorte Prætoris.* Ij dicuntur, qui ad omnem nutum præſtò ſunt.

21. *Ne inſciens quidem verum dicit.* Id eſt: homo, inſigniter vanus.

22. *Falſum probrum, non ultra aures.* Hoc eſt: viri boni animum non lædunt convicia.

23. *Saliares dapes.* Opiparum convivium dicitur.

24. *Fumoſæ imagines.* In eos dicitur, qui jactant antiquam Familiam.

25. *Hic caſus, non debet mutare veſtem.* Hoc eſt: hæc res non eſt digna luctu.

26. *Talum repoſuit.* De illo dicitur, qui correxit lapſus ſuos melioribus factis.

27. *Duobus digitis capere.* Hoc eſt: parcè.

28. *Salit ſupercilium.* Hoc eſt: ſpes aliqua titillat animum.

MARTIUS.

1. *Securim injicere.* Hoc eſt: vehementer lædere, ac vulnerare.

2. *Res digna, ob quam vadimonium deferatur.* Id eſt: res maximi momenti.

3. *Somnium hybernum.* Dicitur: de prolixa, & inepta narratione.

4. *Doribus, doricè loqui, licet.* Convenit in homines naturâ loquaces.

5. *Commovere ſacra.* Pro eo, quod eſt, extrema experiri præſidia.

6. *Palmarium facinus.* Hoc eſt: inſigne, & triumpho dignum factum.

7. *Decumanus fluctus.* Accipitur pro magno, & periculoſo fluctu.

8. *Obtorto collo trahitur.* In illum dicitur, qui vi compellitur.

9. *Ad vinum diſerti.* Illi dicuntur; qui aliàs inepti, inter pocula tamen ſunt jactabundi.

10. *Hic est, cui nec tempestas quidem nocere potest.* Id est: homo extremè inops.

11. *Quadratus homo.* Est ille sapiens, qui in nullo casu fortunæ mutat animum.

22. *Manduces.* Dicuntur homines, qui minis inanibus incutiunt terrorem.

13. *Præstat canem irritare, quàm Anum.* Id est: valde difficile est cum vetula rixari.

14. *Trochi in morem.* Dici solet de versatilibus, & inconstantibus.

15. *Censória virgula.* Dicitur judicandi authoritas.

16. *Pileum donat, ut pallium recipiat.* In illum, qui pro exiguo officio, magna beneficia postulat.

17. *Myconiorum more venit in convivium.* In illum, qui non vocatus comparet.

18. *Dedi malum, & accepi.* Pro eo, quod est, par pari referre.

19. *Non debent omnes eodem collyrio curari.* In illos, qui diversos genios eodem modo regunt.

20. *Carpet citiùs, quàm imitabitur.* Pro re immutabili.

21. *Terram video.* Ab eo dici potest, qui alicujus molesti laboris, finem est assecutus.

22. *Igne, ferróque minatur.* Dictum de illo, qui extremâ ardet inimicitiâ.

23. *Modò palliatus, modò togatus.* Accipitur pro homine inconstante, & lubricæ fidei.

24. *Extra fumum, & undam.* Id est: extra periculum.

25. *Vinariam habet anginam.* In bibulum, qui à vino præfocatur.

26. *Orphicam vitam ducit.* Id est: innoxiam, & intaminatam.

27. *Non è quercu, aut saxo.* Dici potest de homine animi virtutibus ornato.

28. *Scatet cæno barbarico.* Id est: homo valde stupidus.

29. *Magìs, quàm sol Heracliti.* De illis dici potest, quæ sinè spe reparationis deficiunt.

30. *In navibus educatus.* In hominem rudem, & incultum.

31. *Amat ut lupus ovem.* De illo dicitur, qui sui commodi gratiâ simulat amorem.

APRILIS.

1. *More Romano.* Pro eo accipitur, quod est simpliciter, & ábsque fuco.

2. *Sustollere manus.* Id est: vehementer gaudere.

3. *Non oportet hospitem, semper hospitem esse.* Id est: turpe est in in eadem disciplina, diù versatum esse, & nihil scire.

4. *Optima quidem aqua.* Tunc dici potest, cùm aliquid nimis laudatur, quo tamen alia magìs digna laude, habentur.

5. *Porrigere manus.* Hoc est auxilio esse.

6. *Primùm apes abigendæ.* Significat, priùs tollenda impedimenta, pòst capiendum præsidium.

7. *Vento vivit.* Quadrat in illum, qui nullo vivit impendio.

8. *Verò verius.* Significat, rem prorsus indubitatam.

9. *Nummo addicere.* Pro eo, quod est minimo vendere.

10. *Admovet ad lapidem funiculum.* De illo dicitur, qui in rebus gerendis, magnam adhibet diligentiam.

11. *Scarabeo citiùs persvaseris.* Dictum in illum, qui à malo vix avocari possit.

12. *Profert verba coquinaria.* Quadrat, in blandiloquum.

13. *Alas reddere.* Significat, in spem bonam erigere.

14. *Ipsis, & Chijs.* Proferri potest : quando aliquis sibi, & amicis bona precatur.

15. *Sine canibus, & retibus.* Id est: proprio Marte rem gerit.

16. *Néque apud homines, néque in mari.* Pro eo, quod est, nusquam.

17. *Néque intus, néque foris.* Dici potest, de homine tepido, qui nec est hæreticus, nec fervens Catholicus.

18. *Aspis, à vipera.* Convenit homini pessimo, qui malum discit à pessimo.

19. *Pulmo priùs venisset.* In homines pigros, ac lentos.

20. *Capere urbem.* Hoc est: rem difficilem assequi.

21. *Mendicus vix parentes habet amicos.* Nempe, quia divitiæ conciliare solent amicos.

22. *Ad bonam frugem redijt.* De illo, qui resipiscens, mores emendavit.

23. *Equi donati, non sunt examinandi dentes.* Hoc est : donum etiam exile, acceptandum.

24. *Vulpem dolo circumvenire, difficile est.* Id est: non facilè versutus decipitur.

25. *E clibano boves.* Usus hujus erit, quando splendorem convivij significare volumus.

26. *Lapidem calcavit, à cane morsum.* In hominem rixosum.

27. *Citiùs testudo leporem prævertet.* De re impossibili dici potest.

28. *E Patroclis domo venit.* In hominem sordidè parcum.

29. *Utitur rebus, ut bello partis.* In hominem prodigum.

30. *Bellum affectat, qui nunquam bellavit.* Id est : inexpertus, non cavet pericula.

MAJUS.

1. *Prolixior Iliade.* In homines vehementer garrulos.
2. *De toga, ad pallium.* Idem ſignificat, ac: ab equis, ad aſinos.
3. *Pulchrè fallit vulpem.* In illum, qui dolo capit aſtutum.
4. *Muſicam docet amor.* Hoc eſt: amans diſciplinas, proficiet.
5. *Mens videt, mens audit.* Significatur homo attentus, & in omnibus circumſpectus.
6. *Cuticulam curat.* In hominem ventri deditum.
7. *Spontanea moleſtia.* Dici poteſt in parentes exaggerantes moleſtiam, ex multitudine prolium.
8. *Avarus, niſi cùm moritur, nihil recti facit.* Quia ſcilicet tunc bona alijs relinquit.
9. *Non eſt beatus, qui ſe neſcit eſſe beatum.* Senſus per ſe patet.
10. *Nunc tuum ferrum in igne eſt.* Hoc eſt: Negotium tuum jam agitur.
11. *Tranquillo mari, quilibet eſt gubernator.* Id eſt: tempore felici, facilè eſt imperare.
12. *Non incitat equum juxta Nyſſam.* In eum, qui aberrat à propoſito in dictione.
13. *Serò molunt deorum molæ.* De illis: qui aliquando tandem pro malefactis punientur.
14. *Poſt Oſculanam pugnam redit miles.* Id eſt; qui priùs erant victi, jam victores redeunt.
15. *Non faciunt arma militem.* Id eſt: Arma non dant timidis animum.
16. *Alterâ manu fert aquam, alterâ ignem.* In illum: qui coram blanditur, occultè nocet.
17. *Tam perit, quàm extrema faba.* Dicitur de homine in periculo conſtituto.
18. *Etiam poſt vulnera, redeundum ad bellum.* Id eſt: licèt res non ſuccedat ex voto, pergendum tamen in bene ceptis.
19. *Teſtudinem, equus inſequitur.* In illum, qui rem præpoſterè agit.
20. *Solus ſapit.* In hominem, de ſcientia ſua multùm præſumentem.
21. *Megaricum machinamentum adhibet.* In illum, qui dolo rem agit.
22. *Delphicus gladius.* Hoc eſt: res ad diverſos uſus accomodabilis.
23. *Putre ſalſamentum, eget origano.* In rem vilem, quæ neceſſe habet laudari.
24. *Nemo bene merito bovem immolavit, præter Pyrrhiam.* Exprimitur magna in benefactores ingratitudo.

25. *Fumi*

25. *Fumi umbra.* Usurpatur, pro re vilissima.

26. *Vivum cadaver.* Pro homine voluptatibus sensuum immerso.

27. *Ex fronte perspicere.* Idem est: ac primo aspectu noscere.

28. *Spem pretio emere.* In eos: qui verum Principum favorem obsequijs captant.

29. *Subere levior.* In hominem inconstantem.

30. *Ægrotus, quamdiu habet animam, spem habet.* Hoc est: in rebus afflictissimis, non desperandum.

31. *Muti citiùs loquentur.* Aptè tunc dicitur, cùm quis ad secretum servandum se obligat.

JUNIUS.

1. *Calidum mendacium.* Accipitur pro audaci, & imprudente mendacio.

2. *Etiamsi Cato dicat, non credo.* Tunc proferendum, quando incredibilia narrantur.

3. *Ver ex anno tollere.* Id est: hoc quod in negotio est præcipuum omittere.

4. *Noli cum initio finem copulare.* In illos, qui vix aggrediuntur negotium, exitum quærunt.

5. *Qui minùs sapit, minùs habet timoris.* Id est: rudes, & indocti, facilè sunt temerarij.

6. *Animus habitat in auribus.* Hoc est: audita facillimè excitant animum, ad diversos affectus.

7. *Piscatur in rebus.* Id est: diligenter exquirit omnia.

8. *Sera in fundo parsimonia.* Id est: non est magna laus in senectute à voluptatibus abstinere.

9. *Sybaritæ per plateas.* Pro eo, quod est fastuosè incedere.

10. *Protheo mutabilior.* Homo vafer, inconstans, & versipellis.

11. *Alia Lacon, alia asinus illius portat.* In illos, quorum oratio dissentit à factis.

12. *Manum admoventi, fortuna est imploranda.* Id est: Divino auxilio, industria adhibenda.

13. *Lupus circa puteum chorum agit.* In illos, qui sumptâ inaniter operâ, spe suâ frustrantur.

14. *In alieno foro litigare.* Pro eo, quod est in re nova, & inassveta versari.

15. *Longum valere jubet.* Hoc est: à re aliqua totaliter se abdicat.

16. *Domesticus testis.* Id est: sui ipsius laudator.

17. *In faucibus portat bovem.* In edacem solet dici.

18. *Arietem emittit.* Dicitur in rixosum, & pugnæ cupidum.

19. *Infundis ramis vinum.* In illum, qui alteri id præstat, quô uti non potest.

20. *Summis uti velis.* Id est: maximo conatu aliquid aggredi.

21. *Servilem capillum præ se fert.* In hominem aggrestibus moribus.

22. *Vivit, ut tibicen.* In illum, qui lautè, sed alieno vivit sumptu.

23. *Accipit & glebam erro.* In illos, qui nihil aspernantur, ut voti sui fiant compotes.

24. *Noli in formicarum agmen inspuere.* Id est: plebem concordem, etsi sit imbecillis, noli irritare.

25. *Pirem non fert vasa vacua.* Dici potest: in homines, libenter convivia frequentantes.

26. *Bos in stabulo.* Id est: homo inutilis, & otiosus.

27. *Ex perpendiculo progreditur.* De illo dicitur, qui exacto judicio operatur.

28. *Loquax talpa.* Significat hominem verbosum, sed nullius judicij.

29. *Organum tueri.* Id est; robur, & masculum animum retinere.

30. *Omnem vocem mittere.* De illis dicitur, qui ad persvadendum nihil omittunt.

31. *Postico discessit.* Id est: furtim, & alijs inscijs.

JULIUS.

1 *Per fluvium traducere.* Significat difficultatem rei explanare.

2. *Fluctus mutus.* Id est: homo tacitè excandescens.

3. *Versatur undarum in altis.* De illo, qui in summis difficultatibus est constitutus.

4. *Non incedis per ignem.* Sic monendus est, qui indecorè, festinantérque incedit.

5. *Pecuniæ pedibus compensantur.* Id est: œconomus subinde excurrere debet ad agros.

6. *Maritimi mores.* Id est: inconstantes.

7. *Eamus Athenas.* Tunc dicendum, quando bonum locum, suspiramus.

8. *Ad coronidem úsque.* Id est: ad extremum rei finem.

9. *Officere luminibus.* Ille dicitur: qui gloriam alterius obscurat.

10. *Camarinè loqui.* Illi dicuntur: qui audacter, & severè loquuntur.

11. *Cum sarcinis nemo enatat.* Id est: qui vult esse liber, relinquat præmia servitutis.

12. *Exiguum colito.* Id eſt: adhibe modum rebus, & menſuram.

13. *Deorum concio.* De illis dicitur: qui magna cum authoritate loquuntur.

14. *Metiri digitis.* Id eſt: expendere accuratiùs rem, quàm oportet.

15. *Arator, niſi incurvus prævaricatur.* Convenit in negotium, quod magnos exigit ſudores.

16. *Domi leones, foris vulpeculæ.* In illos, qui in ſuos, & non in inimicos ſunt ſævi.

18. *Nec Apollo intelligit.* Significatur, res valde obſcura.

19. *Sinapi alitur.* In hominem ſupra modum tetricum.

20. *Leo cordulâ vinctus.* In magnum virum, qui exiguo commodo captus, in aula degit.

21. *In tranſennam inducere.* Pro eo: quod eſt, dolo fallere.

22. *Operi incipienti favendum.* Hoc eſt: tyrones in arte aliqua, non debent nimiùm redargui.

23. *Ne quæras deus eſſe.* In hominem undequáque beatum in hac vita.

24. *Da lapidi volam.* Convenit illi, qui minatur talibus, quibus nocere non poteſt.

25. *Baccæ egent oleo.* Poteſt accomodari avaris, qui nunquam dicunt, ſatìs eſt.

26. *Sapiens non eget.* Hoc eſt: ſapiens, ſi pauper ſit, poteſt facilè diteſcere: ſi dives, divitias conſervare, & tueri.

27. *Cognatio movet invidiam.* Hinc dicitur: rara concordia fratrum.

28. *Néque dicta, néque facta.* Uſurpatur, quando vehementer, falſa aliquis narrat.

29. *Ut luti bajulus.* In illos, qui functionibus honeſtis, ad abjectum quæſtum abutuntur.

30. *Nec currimus, nec remigamus.* Hoc eſt: adverſante fortunâ conantes, nihil proficimus.

31. *In leporinus carnibus vivit.* De illo dicitur, qui lautè, & delicatè comedit.

AUGUSTUS.

1. *Cyclopum more vivit.* Id eſt: poſthabitis legibus, facit quod ei libet.

2. *Millium terebrare.* Hoc eſt: in re difficili, ſed inutili laborare.

3. *Sub aliena arbore fructum legit.* In hominem, qui aliorum laboribus fruitur.

4. *Corvus albus.* Convenit homini, alieno à ſenſu communi.

5. *Homo*

5. *Nebulæ in pariete.* Accipi poteſt pro rumoribus falſis, & confictis.

6. *Homo fractis auribus.* Ille dicitur: qui eſt rixoſus.

7. *Olla lenticulam attigit.* Convenit illis, qui vehementer ad aliquid ſunt propenſi.

8. *Zenonis eſt, & lentem coquere.* Id eſt: viri boni eſt, etiam in minimis circumſpectum eſſe.

9. *Coreaceum auxilium.* Id eſt: infirmum,& imbecile.

10. *Homo maturior moro.* Dici poteſt de homine, miti ingenio & prudente.

11. *Malo vehitur aſino.* De homine dicitur, cui res non bene ſuccedunt.

12. *Filum ductum eſt, opus eſt & acu.* Id eſt: opus inchoatum, debet perfici.

13. *In frigidum furnum panem injicit.* Significat hominem inaniter ſe fatigantem.

14. *Vacuam inhabitat domum.* In illum, qui bono, quod ad ſpeciem oſtentat, caret.

15. *Canis ad cibum.* De ijs, qui ad ſuum properant exitium.

16. *Nutu, ac renutu.* De illo dicitur, qui ſummam habet potentiam.

17. *Equitandi peritus, ne cantet.* Hoc eſt: qui ſeria profitetur, nugas relinquat.

18. *Ne veſtigium quidem.* Quadrat in rem penitus oblitam.

19. *Ad aram confugere.* Significat extremum refugium capere.

20. *De re dubia queritur.* Dicitur de illo, qui levibus malis quærit remedia, diſſimulat majora.

21. *Omnia præter animam.* Dici poteſt de homine, omnia ſua amittente.

22. *Non uno culeo dignus.* Significatur homo ſceleratiſſimus.

23. *Nec vultu lædatur pietas.* Hoc eſt: pietas erga parentes, adeò colenda, ut ij ne nutu quidem atrociore lædantur.

24. *Ex poteſtate exijt.* De eo dici poteſt, qui à mente excidit.

25. *Injuria, ſolvit amorem.* Idem ſignificat, ac iſtud: contemptus amor, vertitur in iram.

26. *Agit ex ſyngrapha.* In illum, qui rigidè cauſam ſuam urget.

27. *Gallinæ defluunt pennæ.* In illum,qui per luxum patrimonium abligurit.

28. *Bathyolis habet poculum.* Significat hominem ſordidum, qui bonis ſuis ſolus fruitur.

29. *Redijt ad incitas.* Id eſt: ad extremam miſeriam.

30. *Sortem, & uſuram perſolvit.* De illo, qui ſeriùs, ſed graviùs punitur.

31. *In ventrem inſilijt.* In hominem totum gulæ, & ventri deditum.

SEPTEM-

SEPTEMBER.

1. *Scelera non habent consilium.* Id est: qui peccat, non expendit malorum exitum.

2. *Lupus movet lupum.* Dici potest, de duobus pariter improbis.

3. *Necessitas acuit ingenium.* Id est: tenuis fortuna, stimulat ad ediscendas artes.

4. *Mæsonica tractat dicteria.* Dicitur de homine in verbis petulante.

5. *Muscas imitatur.* In hominem impudentem, qui continuò alienâ utitur mensâ.

6. *Relinque ungves, caput aggredere.* Id est: qui Rempublicam gubernant, non tractent levia.

7. *Seriâ fronte.* Hoc est: quæ ex animo, citráque fucum dicuntur, geruntúrve.

8. *Non habet, cui indormiat.* De illo rectè dicitur, qui extremè est pauper.

9. *Factum, transactum.* Id est: nihil prætermissum, quod ad rem agendam pertinebat.

10. *Calcaneum ostendit.* In illum dicitur, qui in conflictu fugit.

11. *Opus, ad opus.* Hoc est: operi nullus imponitur finis.

12. *Cræsi pecuniæ teruntium addere.* Simile est huic: meridiano soli, lucernam adhibere.

13. *Celei supellex.* Accipitur pro vili, & rusticana supellectili.

14. *Capere crines.* Id est: occasionem oblatam arripere.

15. *Vestigijs majorum insistere.* Hoc est: non recedere, à majorum gloriosis factis.

16. *In foro veritas.* Hoc est: abstinendum à mendacio in foro.

17. *Prodijt ex Phelleo.* Dicitur in illum, qui ex humili fortuna, ad dignitatem emersit.

18. *Quò plus Parthi bibunt, plus sitiunt.* Dici potest, de avaris.

19. *Veterata vaticinatur.* Dicitur de illo, qui narrat ea, quæ tonsoribus sunt nota.

20. *Areopagitâ taciturnior.* Ille dicitur, qui est secreti valde tenax.

21. *Obolo dignus.* Convenire potest in illum, qui in aliquo numero vellet haberi.

22. *Edaces sunt Triremes.* Dici potest, de re magnis impendijs comparanda.

23. *Catone hoc contenti sumus.* Hoc est: in hoc statu res bene fluunt.

24. *Superavit dolum Trojanum.* De illo dicitur, qui ingeniosè quid fecit.

25. *Laureolam in mustacijs quærere.* Hoc est: ex frivolis præclaram captare famam.

26. *Mali principij, malus finis.* Hoc est: quæ malis consilijs inchoantur, malo exitu terminantur.

27. *Amentatam hastam tenere.* Id est: arma habere ad proximam pugnam.

28. *Lapides flere.* Dici solet de re lamentabili, & vehementer miseranda.

29. *Causâ cadere.* Id est: malè agendo, jus perdere.

30. *E schola cantilena.* Id est: oratio, quæ plus habet ostentationis, quàm eruditionis.

OCTOBER.

1. *Res palestræ, & olei.* Id est: quæ non ad serium negotium, sed ad lusum adhibentur.

2. *In eadem est navi.* Dicitur de illo, qui communi tenetur periculo.

3. *Non movenda loquor.* Hoc est: quæ silentio volebam sepelire, cogor proloqui.

4. *Vatum genus avarum.* Id est: augures appetunt pecuniam.

5. *Vati non conviciandum.* Hoc est: nemo debet indignari, veritatem sibi dicenti.

6. *Fato repugnat.* Quadrat in illum, qui in adversis perturbatur.

7. *Nullus sum.* Hoc de se dicere potest, qui in extrema est calamitate.

8. *Celeritas in malis optima.* Id est: curandum, ut mala inevitabilia, sint quàm brevissima.

9. *Doceat, qui didicit.* Hoc est: Magister non debet esse imperitus.

10. *Texit apologum Alcyono.* Potest applicari illi, qui pro veris ficta recenset.

11. *E tribu Salaconum.* Dici potest de homine valde tenui fortunâ.

12. *Fama prodit omnia.* Id est: Virum bonum, fama aperit, etiam in terræ cavernis.

13. *Velatis manibus orant.* Dicitur, de suppliciter orantibus.

14. *Ad pila ventum est.* Hoc est: de propinquo res agitur.

15. *Pleno gradu ingressus.* De illo dicitur, qui magno studio rem instituit.

16. *Mortuo vilior.* Dicitur de abjectissimo.

17. *Sapientia, gubernator navis.* Id est: plùs habent momenti consilia, quàm vires.

18. *Præficarum lachrymæ.* Dicitur de illis, qui simulatè de re quapiam, dolent.

19. *Altiùs Oromedonte.* Dicitur de illo: qui nimiùm altè ſapit.
20. *Tempeſtas rerum.* Id eſt: magna rerum confuſio.
21. *Quid cæco cum ſpeculo.* Poteſt de illo dici, qui indignus ambit dignitates.
22. *Palpare in tenebris.* Id eſt: exiguis conjecturis rem inveſtigare.
23. *Magis gaudet, quàm qui ſenectam exuit.* Dicitur, de magno alicujus gaudio.
24. *Ut in velabro olearij.* Dicitur in illos, qui de re agenda conſpirant.
25. *Conſtitit ut Bagas.* De homine ſtupido, & attonito aptè dici poteſt.
27. *Cancrum regredi docere.* Id eſt: indocilem docere.
28. *Canes timidi vehementiùs latrant, quàm mordent.* Dici aptè poteſt, in milites jactabundos.
29. *Inutile duximus bellum.* Exprimitur inanis conatus.
30. *Auro habet ſuppactum ſolum.* Id eſt: homo valde opulentus.
31. *Non eſt oleum in lecytho.* Id eſt: apud inexorabilem non eſt precibus locus.

NOVEMBER.

1. *Simia fucata.* In deformem anum, quæ rugas occultans, ungit faciem.
2. *Qui eget, in turba verſetur.* Id eſt: qui eleemoſynam quærit, adeat frequentiam hominum.
3. *Corrumpit oves malus paſtor.* Dici poterit de malo præceptore.
4. *Dabit victoriam fuga.* Id eſt: ne ſuccumbas in tentationibus libidinoſis, fuge occaſiones.
5. *Potentes ſubinde plumbeas gerunt iras.* Hoc eſt: propter leves offenſas, graviter indignantur.
6. *Sat bene, ſed ex alieno promontorio.* In illum: qui alieno labore propriam gloriam captat.
7. *Ipſe ſibi reperit malum.* De illo, qui ſuo læditur invento.
8. *Capram cæleſtem orientem conſpexit.* De illo dicitur, cui res ad votum ceſſit.
9. *Dux belli à fronte, & à tergo ſit oculatus.* Id eſt: ad omnem eventum providus.
10. *Miſerabilis res, incertâ ſede vagari.* De illis dici poteſt, qui mutant continuò vitæ inſtitutum.
11. *Spinæ dant flores Juventæ.* Id eſt: aſpera vita Juvenum, innocentiam protegit.

12. *Lampo jurat per anſerem.* In hominem,qui jure jurando decipit.

13. *Ficus poſt piſcem, caſeus poſt carnem.* Id eſt: alia alijs congruunt.

14. *Mœnia Semiramidis expugnavit.* Id præſidium, quod inexpugnabile credebatur.

15. *Aurum ſubæratum circumfert.* In hominem inſincerum, qui aliud loquitur, aliud cogitat.

16. *Cave, ne columnas rumpas.* Quadrabit in loquacem, & clamoſum.

17. *Hæret in vado.* In illum, qui negotio aſſumpto progredi non poteſt.

18. *Leporis vitam vivit.* In hominem anxium, & meticuloſum.

19. *Multæ adhuc volventur rotæ.* Id eſt: multæ adhuc evenient rerum mutationes.

20. *Piſtillo calvior.* Id eſt: homo egenus, aut valde ſimplex.

21. *Fluvius non ſemper fert ſecures.* Non ſemper omnibus eveniunt, quæ uni evenerunt aliquando feliciter.

22. *Cervus canes trahit.* Pro eo, quod eſt eſſe præpoſterum.

23. *Iſthmum perfodere.* Id eſt: magno ſed irrito labore aliquid moliri.

24. *Alia producit æſtas, alia hyems.* Id eſt; alia expectanda à juvene, alia à ſene.

25. *Bubo canit luſciniæ.* In illum, qui cùm ineruditus ſit, doctum docet.

26. *In culmo arare.* Id eſt: labore nunquam intermiſſo vim mentis exhaurire.

27. *Non ſemper erit æſtas.* Ita monendi ſunt, quibus fortuna ſavet, nè inſoleſcant.

28. *Rore paſcitur.* In illum, cujus ſtylus eſt jejunus, & aridus.

29. *Tuam ipſius terram calca.* Illi dicendum, qui ſe alienis immiſcet negotijs.

30. *Poſt acerba prudentior.* In illum, qui ſuo malo ſapit.

DECEMBER.

1. *Homo ſubjugus.* Id eſt: qui omnia alterius arbitratu facit.

2. *Nihil cum fidibus graculo.* Id eſt: apud aratrum educatus non tractet Homerum.

3. *Ulyſſes pannos exuit.* De illo dici poteſt, qui præter hominum opinionem è vili ſtatu ad alta eſt elevatus.

4. *Andabatarum pugna.* Significat ábſque omni judicio temerarium auſum.

5. *Aſinus balneatoris.* Id eſt: dives avarus, qui alijs congregat, ipſe verò non fruitur.

6. *Mulierem*

6. *Mulierem ornat silentium.* Inferes: ergò virum, utpote prudentiorem, loqui decet.

7. *Herculanâ scabie oblectatur.* In illum, qui adulationes libenter audit.

8. *Salivam imbibere.* Accipitur pro eo, quod est esse alicui assvetum.

9. *Domi suæ compluitur.* Significatur per hoc ignavus homo.

10. *Nunc, & oves ultro fugit lupus.* Id est: res inverso ordine pergunt.

11. *Ad Phasim úsque navigavit.* Id est: multas Provincias, & longinquas visitavit.

12. *Nec sangvineis flectitur lachrymis.* Id est: homo durus, & immisericors.

13. *Litteris laqueum mandare.* Id est: Scholas deserere.

14. *Pardi mortem simulat.* In illum: qui fraude alteri perniciem molitur.

15. *Stultus est, qui compedes suas, licèt aureas, amat.* In illum, qui ob delectationem peccata patrat.

16. *Pellem caninam rodere.* Pro eo, quod est hominem maledicum convicijs insectari.

17. *Omnia sub unam Myconum colligit.* In illum, qui plures scientias simul confundit.

18. *Promus magìs, quàm Condus.* De illo dicitur, qui parta prodigere, sed servare non scit.

19. *Ne mihi sis tutor.* In illum, qui monet sibi non subjectum.

20. *Fraudare genium prodest animo.* Id est: naturæ malè inclinatæ denegare petita est meritorium.

21. *Non est conveniens in Divorum epulo sedisse diutius.* In Sacerdotes, nimiùm prolixè celebrantes.

22. *Verbis pugnas, non re.* Quadrabit in illum, qui multa dicit, nihil probat.

23. *Quæ manibus quadrant, versat hastas.* De illo, qui officia gerit, non nisi suis aptata talentis.

24. *Nec semper pluit post cantum ranarum.* In illos, qui vanas faciunt rerum conjecturas.

25. *Mars librat utrásque bilances.* Dici poterit de conflictu, in quo victoria est dubia.

26. *Nec Dij fati expungunt diem.* Id est: omnes morimur.

27. *Tinctura Cyzicena.* Accipitur, pro dedecore non eluendo.

28. *Non inest illi dentale.* De homine inepto, & inutili.

29. *Canis uivens è Magdalia.* In illos, qui alieno victitant cibo.

30. *Junonis sacra bajulat.* In fastuosè incedentem.

31. *Ire per extentum funem.* Pro eo, quod est rem perquam difficilem præstare.

EPHEMERIDES ADAGIORUM,
SEU
SELECTÆ PARÆMIÆ.
In singulos dies totius Anni distributæ.
Numerus III.
JANUARIUS.
I.

COmmunis omnis est amicorum dolor. Verus námque amicus, de malo amici, non minùs dolet, quàm de suo.

2. *Stateram, ne transgrediaris.* Hoc est: ne quid facias præter jus, ac æquitatem.

3. *Ignem ne gladio fodito.* Hoc est: irâ percitum ne lacesses.

4. *Cor non edito.* Id est: ne curis tuum ipsius animum excrucies.

5. *A fabis abstineto.* Id est: non te ultro ingeras muneribus Reipublicæ.

6. *Cibum in matellam ne immittas.* Id est: sermonem urbanum ne committas, in hominis improbi animum.

7. *Ad finem ubi veneris, ne velis reverti.* Id est: ubi multùm laborâsti in bene cæptis, constanter perge in ijs.

8. *Per publicam viam ne ambules.* Id est: ne vulgi sequaris errores.

9 *Tollenti onus, auxiliare; deponenti, nequaquam.* Id est: ad virtutem incedentibus, augenda sunt præcepta, non item desidiosis.

10. *Unguium, criniúmque præsegmenta ne contemnito.* Id est: pauperes cognatos, noli spernere.

11. *Adversùs solem ne loquitor.* Id est: manifestis non repugnes.

12. *Gladium acutum avertas.* Id est: à periculosis negotijs abstine.

13. *Hirundinem sub eodem tecto ne habeas.* Id est: abstine à garrulorum, & susurronum commercio.

14. *Sellam oleo, ne absterseris.* Id est: non abutendum rebus optimis, ad res minùs dignas, & inutiles.

15. *Adonidis horti.* Applicatur hæc paræmia rebus leviculis, parúmque frugiferis, & ad brevem, præsentémque duntaxat voluptatem idoneis.

16. *Infixo*

16. *Infixô aculeô fugere.* Ubi quis dicto convitio, vel maleficio, ſtatim ſeſe ſubducit.

17. *Inter malleum & incudem.* Dicitur de ijs, qui perplexi, ad extremum periculum rediguntur.

18. *Novacula in cotem.* Dici ſolitum in hos, qui fortè in eas res inciderunt, in quas minimè volebant.

19. *Annus producit ſegetes, non ager.* Id eſt: educatio, & longa virtutum exercitatio, plùs prodeſt, quàm genus, vel ſola indoles.

20. *Calidum prandium comediſti.* Id eſt: feciſti, quod tibi magno malo ſit futurum.

21. *Malum bene conditum ne moveris.* In eos, qui ſuâ ſtultitiâ ſibi turbas excitant.

22. *Sopitos ſuſcitat ignes.* Qui controverſiam ſemel ſopitam, rurſus temerè reſuſcitat.

23. *Laureum baculum geſto.* Ita ſoliti ſunt loqui, qui eſſent ab aliquibus inſidijs appetiti, felicitérque effugiſſent.

24. *Fœnum habet in cornu.* In homines maledicos, ac feroces dicitur.

25. *In me hæc cuditur faba.* Id eſt: mihi hoc periculum, & malum iminet.

26. *Servire ſcenæ.* Servire tempori, & rebus præſentibus ſe accomodare.

27. *Polypi mentem obtine.* Quâ jubemur pro tempore alios, átque alios mores; alium, átque alium vultum ſumere.

28. *Cothurno verſatilior.* Dicitur in hominem parum conſtantem, & lubricæ fidei.

29. *Magìs varius, quàm hydra.* Uſurpatur de calidis, ac doloſis.

30. *Multæ Regum aures, átque oculi.* Multos ſiquidem obſervatores habent, quid quíſque dicat, faciátque.

31. *Malo nodo, malus quærendus cuneus.* Licebit uti, quoties malum, malitiâ retundimus.

FEBRUARIUS.

1. *Memorem mones, doctum doces.* Id eſt: loqueris ei, qui ipſe rem callet.

2. *Muti magiſtri.* Dicuntur libri, qui loquuntur quidem nobis, ſed dubitanti non ſatis commodè reſpondent.

3. *Frons occipite prior.* Significabatur hàc paræmiâ, rectiùs geri negotium, ubi præſens, ac teſtis adeſt is, cujus agitur negotium.

4. *Semper graculus aſſidet graculo.* Idem eſt: quòd ſimilis ſimili gaudet.

5. *Cretensis Cretensem provocat.* Quoties improbus agit cum improbo.

6. *Summum fastigium imponere.* Pro eo, quod est rem omnibus suis partibus absolvere.

7. *Catastrophe fabulæ.* Id est: subita rerum lætarum commutatio in tristes.

8. *In trivio sum consilij.* In eos: qui dubitant, quíque incerti sunt animi, hæsitantes, quid potissimùm eligant.

9. *Fratrum inter se sunt acerbissimæ iræ.* quippè atrociores, quàm vulgarium inimicorum.

10. *Taurum tollet, qui vitulum sustulerit.* Significatur majora patraturum adultum, qui puer vitijs minoribus assveverit.

11. *Vivorum oportet meminisse.* In eos, qui plurimùm de vita functis loquuntur.

12. *Cum larvis luctari.* Dicuntur ij, qui defunctos insectantur maledictis.

13. *Senis doctor.* Convenit in eum, qui in re seria, átque intempestiva, frustra sumit operam.

14. *Ubi timor, ibi & pudor.* Audacia siquidem parit impudentiam.

15. *E multis paleis, parum fructûs collegi.* Id est: multo labore, non multum emolumenti sum consecutus.

16. *Extra lutum pedes habet.* Hoc est: emersit ex periculo.

17. *Expertes invidiæ Musarum fores.* De his dictitatum, qui doctrinam suam candidè, libentérque alijs communicant.

18. *Et meum telum habet cuspidem acuminatum.* Rectè utimur, quoties fatebimur, nos quidem inferiores esse, non deesse, tamen quóque nobis, quô queamus nocere.

19. *Inter lapides pugnat, nec lapidem tollere potest.* Dictum in eos, qui præsenti commoditate, ob ignaviam non utuntur.

20. *Auscultet, cui sunt quatuor aures.* Significat, viro prudenti, res quàm plurimas, tam audiendas, quàm usu vitæ periclitandas.

21. *Feras, non culpes, quod vitari non potes.* Admonet, ut mala, quæ nullâ ratione possunt declinari, néque propelli, saltèm animi æquitate leniantur.

22. *Emere malo, quàm rogare.* Innuitur, haudquaquam gratìs accipi, quod precibus emitur.

23. *Ilias malorum.* Dicitur, de calamitatibus maximis, simul & plurimis.

24. *Lerna malorum.* De malis item plurimis, simul in unum congestis, & accumulatis.

25. *Hostium munera, non munera.* In muneribus enim, non sic attendendum est, ad id, quod donatur, quàm quo affectu detur.

26. *Nec obulum habet, unde restim emat.* Paræmia est in eos, qui maximâ rei familiaris inopiâ laborant.

27. *Hinulus*

27. *Hinnulus leonem (subaudi cepit, vicit, aut provocat.)* Quoties præpostero rerum ordine, qui viribus multo est inferior, superat potentiorem.

28. *Talpâ cœcior.* De ijs, qui supra modum cœcutiunt, aut qui minimè rem judicant.

MARTIUS.

1. *Sine sacris hæreditas.* Intelligitur de lucro, quod cui obvenit gratìs, & circa ullam operam.

2. *Turpe est, mansisse diù, vacuúmque rediisse.* In illum, qui ex longinquis Academijs indoctus redijt.

3. *Sui ipsius indicio perijt sorex.* In eos, qui suapte voce se produnt.

4. *Induitis me leonis exuvijs.* In eos, qui suscipiunt negotium majus facultate, quíque se magnificentiùs gerunt, quàm pro sua conditione.

5. *Ebur atramento candefacere.* Id est: cultum, átque ornatum externum inducere, quô decus nativum obscuretur.

6. *Pulchrorum, etiam autumnus pulcher est.* Quadrat in ea, quæ cùm naturâ sint egregia, ne tum quidem fastidiendi videntur, cùm maturuerunt.

7. *In frigidis tibi mens calet negotijs.* Illi objici potest, qui nimis avidè cupit æmulum sepelire.

8. *Magnorum fluminum, navigabiles fontes.* Significat, præpotentium', quantulacúnque, plùs pollerę, quàm universas tenuium opes.

9. *Gladiatorio animo.* Significatur, ita tendi ad nocendum alteri, ut id cum proprio etiam periculo tenetur.

10. *Frusto panis.* Pro re quantumlibet pusilla, & vili.

11. *Me mortuo, terra misceatur incendio.* Quâ significatur nihil suâ referre, quid sequatur, cùm ipsi tollantur è vita.

12. *Post principia.* Sumpta paræmia est à bellis, in quibus tutissimus locus est post principia, seu aciem primam obversam hosti.

13. *Septem convivium, novem convicium.* Quâ significatur, in convivium paucos adhibendos, alioqui fore contentiosum.

14. *Non est cujuslibet Corynthum appellere.* Paræmia est de rebus arduis, & aditu periculosis, quas non sit cujuslibet hominis affectare.

15. *Nullam hodie lineam duxit.* Quadrat in eos, quibus cessatum est ab exercitio studij, artísque suæ.

16. *Néque natare, néque literas novit.* In eos, qui supra modum indocti sunt.

17. *Mordere frenum.* Pro eo, quod est, vel leviter repugnare servituti.

18. *Citis quadrigis: Jovis quadrigis fugere.* Hoc eſt: pro eo, quod eſt ociſſimè fugere.

19. *Omnem jacere aleam: Vela ventis permittere.* Id eſt: rem univerſam fortunæ arbitrio committere.

20. *Sub omni lapide ſcorpio dormit.* Admonet paræmia, ne quid apud captioſos, & calumnioſos temerè loquatur.

21. *Sus tubam audivit.* In eos quadrat, qui res quidem egregias audiunt, verùm eas néque intelligunt, néque mirantur.

22. *Aſinum ſub fræno currere docet.* Hoc eſt: doces indocilem.

23. *Undas numeras, arenam metiris.* Hoc eſt: rem infiniti laboris, átque inexplicabilem aggrederis.

24. *Arare littus: in ſaxis ſeminare.* Eſt, ſterilem operam ſumere.

25. *Apud fimum, aromatum odorem ſpargit.* Convenit in eos, qui rem egregiam indignis adhibent.

26. *Contorquet piger funiculum.* Id eſt: laborat in re, quæ nihil adfert emolumenti.

27. *Caudâ tenes angvillam.* In eos aptè dicitur, quibus res eſt cum hominibus lubricæ fidei.

28. *Multa cadunt inter calicem, ſupremáque labra.* Quâ monemur, nihil tam certum ſperari, néque quidquam eſſe tam vicinum, quod non repentinus aliquis caſus queat intervertere.

29. *Pedem ubi ponat, non habet.* Pro eo, quod eſt, ne tantillum quidem agri poſſidet.

30. *Eâdem oberrare cordâ.* In eos dicitur, qui in ſimili re crebriùs peccant.

31. *Ars varia vulpi, aſt una echino maxima.* Significat quoſdam unicâ aſtutiâ plus efficere, quàm alios diverſis technis.

APRILIS.

1. *Auribus lupum teneo.* Dicitur de re, quâ nec commodè frui quis poteſt, nec ſecurè dimittere.

2. *Quid ſi cœlum ruat?* In eos, qui tutiſſimis etiam in rebus ridiculè timent.

3. *Umbram ſuam metuere.* In eos: qui pueriliter trepidant.

4. *Indignus, qui illi matellam porrigat.* Dicitur de vehementer inæquâlibus.

5. *Quid opus erat longis canere tibijs.* In eos, qui ſuperfluam operam aſſumunt, aut inanes expenſas faciunt.

6. *Non*

6. *Non omnibus dormio.* In eos, qui quædam in alijs dissimulant, quæ non in omnibus.

7. *Uno fasce complecti.* Id est: unâ eâdémque operâ.

8. *Cum Minerva manum quóque move.* Id est: auxilio DEI cooperandum etiam esse.

9. *Non omnino temerum est, quod vulgo dictitant.* Id est: non planè falsum videtur, quod pluribus est in ore.

10. *Heroum filij noxæ.* Id est: præstantissimorum virorum filij, multùm à progenitorum moribus sæpe distant.

11. *Dicendo, dicere discitur.* Id est: dicendo consequimur, ut dicamus.

12. *Alio relinquente fluctu, alius excepit.* Id est: unâ adversitate superatâ, altera supervenit.

13. *Quis aberret à janua?* Dici solet: ubi quis penitus aberrat à vero.

14. *Utre territas.* Quoties quis inanem formidinem incutit.

15. *Gladiator in arena consilium capit.* Quando quis ex occurrentibus rerum circumstantijs, opportunum consilium capit.

16. *Qualis vir, talis oratio.* Id est: cujusmodi est perorantis vita, ejusmodi perorationis efficacia.

17. *Messe-tenus propriâ vive.* Hoc est: sumptum facito, pro modo facultatum tuarum.

18. *Non videmus manticæ, quod in tergo est.* Id est: non videmus nostra propria vitia, cùm aliena curiosiùs perscrutemur.

19. *Odi memorem compotorem.* In eos: quæ in amicos; & inter pocula dicuntur, facilè alijs propalant.

20. *Simia, simia est, etiamsi aurea gestet ornamenta.* Quoties rei vili ascitia, peregrináque ornamenta, indecenter admoventur.

21. *Ira, omnium tardissimè senescit.* Nam vulgò, mortales, injuriæ tenacissimè meminisse solent.

22. *In lente unguentum.* Ubi quis induit sermonem vilis cujuspiam hominis, alijs de viris egregijs verba facientibus.

23. *Annulus aureus in naribus suis.* Ut si stulto contingant opes, fatuæ forma, genus ignavo, magistratus imperito.

24. *In eburnea vagina, plumbeus gladius.* In decoros formâ, & ingenio carentes.

25. *Omnia idem pulvis.* Defunctorum cineres, inter quos nihil apparet discriminis.

26. *Ab asino delapsus.* In eos dicitur: qui inconsultè quippiam agunt, & imperitè.

27. *Oleo tranquillior.* In homines minimè iracundos.

28. *Aurem vellere.* Idem ſignificat, quòd admonere.

29. *Fontes ipſi ſitiunt.* In eos: qui petunt, quod ipſis affatim abundat domi.

30. *Omnium rerum viciſſitudo eſt.* Significat in rebus humanis, nihil ſtabile, ac perpetuum eſſe.

MAJUS.

1. *Velocem tardus aſſequitur.* In eum competit, qui viribus imbecillior, arte átque ingenio vincit potentiorem.

2. *Noveris tempus.* Admonet, opportuno tempore omnia facienda.

3. *Tollat te, qui non novit.* Si cujus dolos, jam non ignotos eſſe nobis ſignificamus.

4. *Occultæ Muſices, nullus reſpectus.* Senſus eſt: quod, quamvis egregias quis habeat ingenij dotes, ſi tamen eas non proferat, perinde eſt, ac ſi eas non haberet.

5. *Fricantem refrica.* Par eſt, de merente bene, bene mereri.

6. *Vitioſâ nuce non emam.* Pro eo, quod eſt, ne minimo quidem.

7. *Homo tribolis, homo triaſſis.* Id eſt: viliſſimus, planèque nullius pretij.

8. *Dignus obeliſco.* Id eſt: dignus quovis honore.

9. *Naſo ſuſpendere.* Eſt vafrè, & ſubdolè irridere.

10. *Ex Jovis tabulis teſtis.* Pro certo, & indubitato teſte.

11. *Eodem ore calidum, & frigidum efflare.* In bilingves, qui eundem modò laudant, modò vituperant.

12. *Oculata manus.* Quæ promiſſa velint exhiberi re, non oratione promitti.

13. *Cæca dies, & oculata dies.* Pro die, quâ non numeratur præſens pecunia, & quâ numeratur.

14. *Unico digitulo ſcalpit caput.* In molles, átque effæminatos.

15. *Dionis gry.* Ubi quempiam magno animo contemnimus, ac nequidem reſponſo dignum judicamus.

16. *Ut poſſumus, quando ut volumus, non licet.* Ubi ſignificamus, noſtra nobis parum placere, verùm facultatem deeſſe, non animum.

17. *Frontis perfrictæ.* Sui pudorem omnem dedidicerunt.

18. *Frontem exporrigere.* Uſurpatur, cùm hilareſcimus.

19. *Frontem contrahere.* Cùm ringimur, vel triſtamur.

20. *Attollere ſupercilium.* In homines faſtuoſos.

21. *Bibe elleborum.* In inſanos.

22. *Ede nasturtium.* In socordes, & ignavos usurpatur.

23. *Melle litus gladius.* Significat blandimenta, cum severa apprehensione.

24. *Lethale mulsum,* Quidquid ita jucundum est, ut idem sit pernitiosum.

25. *Senesco semper multa addiscens.* Significat, usu vitæ, multáque rerum experientiâ, parari prudentiam.

26. *Nunc pluit, & claro nunc Jupiter æthere fulget.* Id est: aliquando res adversæ sunt, aliquando secundæ.

27. *Plus aloës, quàm mellis habet.* Id est: plus molestiæ, quàm voluptatis habet.

28. *Animus in pedes decidit.* In vehementer meticulosos.

29. *Vespa cicadæ obstrepens.* Quadrat in eum, qui certat longè inferior, cum superiore.

30. *Pilos pro lana.* De re vehementer inæquali, aut negotio supra modum absurdo.

31. *Testudinem pegaso comparat.* De rebus nequaquam inter se conferendis.

JUNIUS.

1. *Aliter catuli longè olent, aliter sues.* Quâ significatur, non vestè dignosci hominem ab homine, sed ingenuitate.

2. *Eodem bibere poculo.* Est ijsdem affici incommodis.

3. *In planiciem equum.* Quoties quis ad id provocatur, in quo plurimùm valet.

4. *Terræ filius.* In eos, quorum genus incertum est.

5. *Tertius Cato.* In viros impendio tetricos, átque alienæ vitæ censores.

6. *Caudæ pilos equinæ paulatim vellere.* Id est: quod viribus, átque impetu fieri nequit, id tempore, átque assiduitate conficitur.

7. *Virum improbum, vel mus mordeat.* Significatur: quâcúnque ratione, vindictam non deesse malis.

8. *Litem movebit, si vel asinus canem momorderit.* In rixosos, & litium avidos.

9. *Degit, ubi cervi abjiciũt cornua.* Id est: homo abstractus ab aliorũ consortio.

10, *Bonus Dux, bonum reddit comitem.* Id est: Prudens, & incorruptus Magistratus, & probos, & integros reddit cives.

11. *Timidior es prospicierte.* Dicitur de homine supra modum pavido.

12. *Diomedea necessitas.* De ijs, qui vi adacti, non sponte quid faciunt.

13. *Ad pristina præsepia.* In eos, qui è vita quapiam lautiore excussi, ad pristinam tenuitatem rediguntur.

14. *Alia via, alia diæta.* In eos: qui commutatâ in melius fortunâ, pariter, & vitæ rationem, moréſque commutant.

15. *A mortuo tributum exigere.* In eos, qui per fas, nefáſque divitias undequáque congerunt.

16. *Aureos montes polliceri.* De ijs, qui immenſa promittunt, re ipsâ verò parum, aut nihil præſtant.

17. *Ambabus manibus haurire.* De ijs dici conſvevit, qui ſummo conatu quippiam agunt.

18. *Congregare cum leonibus vulpes.* Eſt, res impares, diſſimiléſque permiſcere.

19. *Aquila in nubibus.* Dicitur, de re quidem magna, ſed non facilè aſſequibili.

20. *Volantia ſectari.* De ijs, qui ad quamcúnque occaſionem ſunt mutabiles.

21. *Cicadam alâ corripuiſti.* Id eſt: loquentem contra te magìs irritâſti.

22. *Theſaurus carbones erant.* In eos, qui ſpe ſuâ fruſtrantur.

23. *Solus currens, vicit.* De ijs, qui vincunt nemine contrariante.

24. *Cauda de vulpe teſtatur.* In eos, qui puſilla in re, qualesnam ſint, declarant.

25. *E fimbria de texto judico.* Hoc eſt: ex aliquo puſillo, reliquorum conjecturam facio.

26. *Hic funis nihil attraxit.* Significat operam fruſtra inſumptam.

27. *Pyrauſtæ interitus.* In eos, qui ſibi ipſis exitium accerſunt.

28. *Fuêre quondam ſtrenui Mileſij.* In eos, qui à priſtina fortuna defluxerunt.

29. *Aquilæ ſenecta, Corydi juventa.* De vivida, viridíque ſenecta, quæ præſtantior eſt aliquorum juventâ.

30. *Merx ultronea putet.* Id eſt: ingrata ſunt, quæ ultro non petentibus offerun tur.

JULIUS.

1. *Endymionis ſomnum dormis.* In eos, qui nimiùm ſunt ſomno dediti.

2. *Vertere vela; funem reducere.* Eſt, in diverſum ſententiam mutare.

3. *Venia primùm experienti.* Id eſt: ignoſcendum illis, qui novo quopiam negotio incipiunt verſari, ſi per imperitiam peccent.

4. *De pilo pendet; de filo pendet.* De re vehementer periculoſa.

5. *Balbus balbum meliùs intelligit.* Hoc est: Indoctis indocta magis placent.

6. *Austrum perculi.* Hoc est: operam lusi.

7. *De facie nôsse.* Id est: leviter cognitum habere.

8. *Intus, & in cute notus.* Id est: modis omnibus cognitus.

9. *Vulpes haud corrumpitur muneribus.* De callidis, ac versutis, quos haud facilè est pollicitationibus, aut levidensibus munusculis revocare à proposito.

10. *Stipendio deligenda arbor.* In re vehementer indigna, néque ullo pacto toleranda.

11. *Animam debet.* De eo, qui immodico ære alieno, obstrictus est.

12. *Simia, non capitur laqueo.* In callidos tergiversatores, qui coargui nequeunt.

13. *Sereno tempore penulam conteris.* In eum, qui res necessarias temerè, nec in tempore profundit.

14. *Polypi caput.* In hominem varium, in quo & virtutes aliquæ, & vitia quædam inveniuntur.

15. *Muta persona.* In eos, qui in consensu deliberantium, nihil de suo adferunt.

16. *Similes habent labra lactucas.* Ubi similia similibus contingunt.

17. *Quocúnque pedes ferent.* In eos, qui nihil certi pro suo statuunt proposito.

18. *Si meus ille stylus fuisset?* Id est: si hoc negotij mei fuisset.

19. *Summis naribus olfacere.* Id est: levem experientiam alicujus rei adhibere.

20. *Bos alienus subinde foras prospectat.* In eos: quibus apud alienos non satis ex animo res succedunt, eóque sæpiùs suos desiderant.

21. *Frigidam aquam suffundere.* Pro eo, quod est clanculum instigare.

22. *Purpura, juxta purpuram dijudicanda.* Hoc est certissimum judicium, ex collatione rerum, ad se invicem nascitur.

23. *Cucurbitas lippis.* In cœcutientes ac stupidos.

24. *Lepus pro carnibus, (subaudi periclitatur.)* In eos, qui ob aliquam sui utilitatem, in discrimen vocantur.

25. *Unà cum ipso canistro.* In eos, qui res suas intemperanter profundunt.

26. *Septennis cùm sit, nondum produxit dentes.* In natu grandes, res pueriles tamen tractantes.

27. *Pedibus ingredior, natare enim non didici.* In eum, qui majorum rerum imperitus, minutioribus rebus se exercet.

28. *Una domus non alit duos canes.* In duos eidem lucro, aut muneri inhiantes.

29. *Ubi quis dolet, ibidem & manum habet.* In eos, qui de ijs frequenter tractant, quæ animum movent.

30. *Anus, simia serò, sed tamen aliquando capitur.* Monentur versuti, sibi nimis fidentes.

31. *Facilè est mortuo vellere barbam leoni.* Id est : non est labor, mactatum decapitare hostem.

AUGUSTUS.

1. *Objicere canibus agnos.* Id est: litrum, imperitis calumniatoribus.

2. *E letheo campo oriundus.* Id est: homo vehementer oriundus.

3. *Ne puero gladium.* Id est : periclitatur Respublica, in qua imperiti gubernant.

4. *Leonem radere, summi est periculi.* Id est : cum potente litigare, non est tutum.

5. *Et ventus promovet, & æstus.* Dicitur de homine, omni ex parte fortunato.

6. *Ventus, nec manere, nec sinit navigare.* Id est : negotium, cujus nec incipiendi, nec datur facultas absolvendi.

7. *Ad mensuram, aquam bibit, qui priùs citra mensuram offam sorbebat.* In illum, qui ex delitijs, ad extremam redactus est inopiam.

8. *Caligare in sole.* Pro eo, quod est in re clarissima cæcutire.

9. *Rex tragicus.* Ille dicitur, qui nomen habet Regis, sed vires nullas.

10. *Tanquam è naufragio.* De homine extremæ paupertatis.

11. *Grues, lapides gestantes.* De illis dicitur : qui providè gerunt negotia.

12. *Trutinâ justiùs ferrum tenet.* De illo: qui incorruptà gerit æquitate.

13. *Ipse sibi tibicen est.* In illum : qui sua ipse facta extollit.

14. *Ipse famet, & canes alit.* In illum, qui splendidè vestitur, neglectis necessarijs ad victum.

15. *Mores amici noveris, non oderis.* Id est: in amico aliqui defectus sunt dissimulandi.

16. *Aries nutricationis mercedem solvit.* Dici poterit: ubi quis pro beneficijs, mala rependit.

17. *Mopso Nisa datur.* Id est: res eximia indigno offertur.

18. *Polypus contusus, tandem mitescit.* In illum, qui post longas castigationes vitam emendat.

19. *Ne verba pro farina.* In illum, qui pro beneficijs non aliter, quàm verbis est gratus.

20. Canere

20. *Canere ad Myrtum debet.* Id eſt: homo rudis, & illiteratus.

21. *Bellum, ſed abſque ſangvine geſſit.* De illo, qui multa ſuſtinuit, ſed abſque ullo damno.

22. *E cœtu Cecropum prodijt.* In hominem prorſus verſipellem.

23. *Veniat, qui proderit hoſpes.* Id eſt: adventus eſt illorum gratus, qui aliquid adferunt.

24. *Non dictis, ſed pugnis.* In hominem, qui rem non rationibus, ſed vi urget.

25. *Architæ crepitaculum.* In hominem garrulum, & in riſum ſolutum.

26. *Aſinus eſuriens, fuſtem negligit.* In illum, qui propter cibum & potum, omnia ſuffert.

27. *Nos decem Rhodienſes, decem naves.* In illos, qui nimiùm tribuunt viribus ſuis.

28. *Gratiæ nudæ.* In ingratos, qui multa accipiunt, nihil rependunt.

29. *Aratro jaculari.* Id eſt: qui ſuo magno incommodo, alterum lædunt.

30. *Crolyli jugum ferunt.* De illis conjugibus, qui æquali improbitate vivunt.

31. *Atticus porrigit manum, etiam dum moritur.* In illum, qui avidè captat, lucra, & munera.

SEPTEMBER.

1. *Argi collem aſcendis.* Id eſt: locum multis periculis obnoxium.

2. *Argenteis haſtis Urbem cœpit.* Id eſt: non armis, ſed pecuniâ.

3. *Apertæ huic ſunt Muſarum januæ.* De illo, qui in percipiendis diſciplinis eſt celer.

4. *Etiam in hyeme roſas quærit.* In ſenem, amori, Bacchóque deditum.

5. *Jam ventus navim deſeruit.* In illum, qui favore Magnatum ſpoliatus, adverſa patitur.

6. *Apage hoſpitem in tempeſtate.* Dici poterit, ubi quis importuniùs advenit.

7. *Homo Bombylius.* Id eſt: verboſus, ſed inutilis.

8. *Pluris eſt oculatus teſtis unus, quàm auriti decem.* Id eſt: referenti tantùm audita, difficiliùs credendum.

9, *Etiam cœlo nubilo, roſas loquitur.* De homine, etiam inter adverſitates læto.

10. *Turpe eſt ſilere, loquente Iſocrate.* Id eſt: Dedecus eſt, inter doctos non loqui.

11. *Jam non vellicant ſpinæ.* Dici poterit, quando quis liberatur à magnis curis.

12. *Phœnice rarior.* De homine eximiæ ſcientiæ, vel ſanctitatis.

13. *Pedibus in ſententiam deſcendere.* Id eſt: aliorum opinioni aſſentiri.

14. *Ne in cœna quidem meretur laudem.* In hominem prorſus nullâ dignum laude.

15. *Nudo mandare excubias.* Id eſt: rei executionem committere inſufficienti.

16. *Non verba, ſed facies computat annos.* In ſenem, qui dicit ſe eſſe juvenem.

17. *Multi Duces, perdidêre Cariam.* Id eſt: non bene res ibi agitur, ubi multi imperant.

18. *Lydorum caricæ.* Dicitur, quidquid eſt oppiparum, & varijs conditum cupedijs.

19. *Mellis medullam in ore portat.* Id eſt: Homo miræ in converſando ſvavitatis.

20. *Nunc meſſis eſt, relinque vindemiam.* Aptè monentur, qui ſuo tempore non agunt, quod agendum eſt.

21. *Impetis peritum artis.* Id eſt: litem moves, contra hominem peritum, & expertum.

22. *Deteriùs Babijs tibijs canit.* De Poëta, cujus carmina hiulca ſunt, & inſulſa.

23. *Periculum proræ ſella.* Id eſt: in hac re præcipuum eſt periculum.

24. *Aliud genus remi.* Id eſt: res novæ, & inuſitatæ inducuntur.

25. *Uſus ovium nullus, ſi paſtor abſit.* Id eſt: non vincet exercitus, ábſque capite.

26. *Paſelitarum ſacrificium.* Id eſt: ſumptus tenues, & ſordidi.

27. *Paſetis numos donat.* In illum, qui quod donat, rurſus repetit.

28. *Clamoſior lauro ardente.* Id eſt: homo clamoſus, & contentioſus.

29. *Dives eſt, ſed ex Pylæa.* In hominem, qui opes poſſidet injuſto titulo.

30. *Nihil prodeſt Phani oſtium.* In hominem parcum, cujus opes etiam cuſtoditæ, pereunt.

OCTOBER.

1. *Vas aureum, ſed intus toxicum.* In ſimulatum, qui in ore mel, in corde fel, circumfert.

2. *Jam tandem lux affulſit.* Id eſt: proſpera ſuccedunt triſtibus.

3. *Tantalus inter opes.* Id eſt: homo avarus, qui eô, quod habet, non fruitur.

4. *Dædali*

4. *Dædali ruina.* In ſuperbum, qui ſuo ſtatu perit.

5. *Nolens, volente animo.* Ille dicitur: qui fingit ſe nolle, quod tamen cupit.

6. *In vultu Hercules, in animo lepus.* In hominem meticuloſum, qui tamen miles vult videri.

7. *Inter pocula Euriali.* In illos, qui ad menſam ſunt leones, in prælio lepores.

8. *Jovis ſandalium.* De eô: qui vilem ſuum ſtatum ab illo æſtimat, cui ſervit.

9. *Amæa Areſiam reperit.* Dici ſolet, de re quapiam, diù deſiderata.

10. *Optimum condimentum fames.* Objici poterit ijs, quibus nunquam ad guſtum condiuntur dapes.

11. *Sæpe, quem venti ſecundi promovent, metus premit.* Id eſt: nemo inter mundanas proſperitates ſecurus vivit.

12. *Canis ſublimi ſede locatur.* In illum, qui dignitatem adipiſcitur, quam non meretur.

13. *Azanios nunquam potavit fontes.* In hominem nimis indulgentem vino.

14. *Vereor, ne in nervum erumpat.* Dici poterit in temerariam audaciam.

15. *Florem, qui præterijt, ne quæras.* In illum, qui affligitur de rebus, quæ recuperari nequeunt.

16. *Urbs, in rus transſmigravit.* De civitate, ubi omnis eſt vitæ licentia.

17. *Non quære mollia, ac dura feras.* Tangit paræmia illos, qui ardua ſubterfugiunt.

18. *Aderit Adraſtia Nemeſis.* Aptè objicietur inſolenter arroganti.

19. *Fruſtra Herculi calumnia ſtruitur.* De illo, cujus vita intaminata lingvas non metuit.

20. *Halcionios agit dies.* In hominem tranquillam ducentem vitam.

21. *Aceſei, & Heliconis digna manu.* Id eſt: res ſingulari artificio elaborata.

22. *Multùm de ferina comedit.* In hominem, in rebus ſuis negligentem.

23. *Ne propiùs quidem ferire.* Id eſt: multum aberrare à re propoſita.

24. *Bellerophon, litteras adfert.* De illo, qui litteras profert contra ſe ſonantes.

25. *Circulum abſolvere.* Id eſt: rem omni ex parte perficere,

26. *Titanicum aſpectum gerit.* Id eſt: homo tetricus, moroſus, & furioſo ſimilis.

27. *Etiam Jovi arridet donum.* Id eſt: omnes libenter accipiunt.

28. *Etiam inter flores loquitur lapides.* De homine brusco, & vehementer aspero.

29. *Habitat ad fontem ruralem.* De homine laborioso, & inquieto.

30. *Bunas ad tribunal sedet.* De illo, qui lites differt, ut numos cumulet.

31. *Thraces fœdera non nôrunt.* In homines perfidos & fœdifragos.

NOVEMBER.

1. *Caduco parieti inclinatur.* In hominem, qui spes suas in bonis perituris ponit.

2. *Charetis pollicitationibus abundat.* In illum, qui facilè promittit, difficulter præstat.

3. *Clavi findere ligna, & securi fores aperire.* Id est rem præposterè agere.

4. *Empedoclis simultatem sectatur.* In illum, qui ex levi causa rumpit amicitiam.

5. *Rosam cum anemona conferre.* Id est: componere inter se valde imparia.

6. *Jam manum ferulæ subduxit.* Id est, doctus factus, scholas deseruit.

7. *Celeriùs quàm Butes.* Pro eo: quod est sine mora exequi.

8. *Verba importat Hermodorus.* Eruditè dicitur in illum, qui præter verba nihil habet.

9. *Obest viro egenti verecundia.* Id est: pauperem, quem pudet mendicare, miseria premit.

10. *Pomarius Hercules.* Ille dicitur: qui præter nomen magnificum, nihil habet.

11. *Lupinum poculum haurit.* In illum, qui cum vitæ periculo voluptatem sectatur.

12. *Lydus ostium clausit.* In illum, qui sese abdit, ut liberiùs peccet.

13. *Citiùs usura currit, quàm Heraclitus.* Abstinendum ab usura, monet adagium.

14. *Tauro oneratis, qui ferre vitulum nequit.* In heros, qui nimiùm subditos premunt.

15. *Felix, qui nihil debet.* Nempe: quia debitores rarò quiescunt.

16. *Ad digituli crepitum mandat.* Exprimitur homo arrogans, & fastuosus, in imperando.

17. *Hyperi vertigine agitatur.* In hominem, qui semper idem narrat, cum aliorum tædio.

18. *Sus, sub fustem.* In illum: qui in præsens discrimen sese præcipitat.

19. *Non præstat gratiam, sed vendit.* In illum, qui nihil donat, nisi spe aliquid obtinendi.

20. *Noli ignem sufflare.* Id est: hominem irâ percitum ne lacesses.

21. *Si vis evadere, i Arbilas.* Dici poterit homini exiguorum talentorum, qui tantùm inter stupidos æstimatur.

22. *Si equum non potes, asinum agas.* Id est: si quod ambis non datur, amplectere, quod offertur.

23. *Etiam senes in saltus eunt.* In illos, qui sese contra exigentiam sui statûs gerunt.

24. *Suâ ipse præcordiâ rodit.* Id est: homo, qui nimio mœrore semetipsum consumit.

25. *Quid tibi Apollo cecinit?* Quadrabit hæc interrogatio, ad Legatum, reducem à Principe.

26. *Arctum gestat pectorale.* In hominem nimis anxium, & in rebus gerendis sollicitum.

27. *Non timet suspendium, ut heros fiat.* In illum, qui ut celebretur, sese in periculum conjicit.

28. *Ne citò amicos pares.* Id est: explora bene quibus te confidas.

29. *Bonus è pharetra dies.* Dicebatur olim, de die fortunato.

30. *Mala adsunt Cannacæ.* Id est: rerum status miser, & plenus lamentis.

DECEMBER.

1. *Senex dum saltat, multum excitat pulveris.* Id est: si prudens erret, multos habet spectatores.

2. *Siren amicum nunciat, apis hospitem.* Quadrabit, quando plures eadem de re bene ominantur.

3. *Ubi non sunt aquilæ, etiam corvi æstimantur.* Id est: inter rudes, etiam latinitate tincti præsunt.

4. *Nemo bene regit, qui non possit regi.* Id est: non bene præest, cujus passiones ratione non possunt regi.

5. *Qui ictum timet, scorpium non infestet.* Id est: ne proscindaris lingvâ, iratam fæminam declina.

6. *Invitâ Minervâ nemo sapit.* Id est: repugnante naturâ, non discuntur litteræ.

7. *Facilè est ex portu, spectare fluctus.* In illos, qui inter pocula, de prælijs discurrunt.

8. *Res est in cuspide novaculæ.* Id est: in summo periculo.

9. *Qui meis bonis sunt fruiti, experior hyrundines.* Id est: relinquunt me infelicem, quos olim felix, feci esse felices.

10. *Charontis januam ingressus.* Dicitur de re vehementer tristi, & luctuosa.

11. *Vulnus Chironiam exponit artem.* Id est: valde periculosum.

12. *Amat, ut Gello proles.* De matre, quæ ita indulget prolibus, ut noceat.

13. *Codrus est in patriam.* De illo dici potest, qui pro incolumitate Patriæ, mori non metuit.

14. *Non possidet pecuniam, sed ab ipsa tenetur.* Id est: homo extremè avarus.

15. *Phoci convivium.* Dicitur, ubi quis ab illis læditur, quibus bene fecit.

16. *Ipsi quod cœpistis manducate.* Illis dici potest: qui postquam imprudenter aliquid aggressi sunt, ab alijs consilium petunt.

17. *Bilis amara, amaro tollitur pharmaco.* Id est: vis, vi debet repelli.

18. *Noctua illi volavit.* De illo, qui non viribus militum, sed pecuniâ victoriam comparavit.

19. *Dives factus, non lætatur.* Id est: divitiæ faciunt hominem anxium & tristem.

20. *Qui amat quietem, serviat scenæ.* Id est: accomodet se tempori, & rebus præsentibus.

21. *E tardigradis asinis, equus emersit.* Dicitur de discipulo erudito, cujus instructores indocti erant.

22. *Non est vellicandus scorpio.* Id est: cum homine furiosè cholerico, non sunt tractandi joci.

23. *Achilles duas, & quatuor thesseras jecit.* De Duce fortunato, qui semper vincit.

24. *Res antiquior est, quàm chaos.* Id est: nimis prisca & obsoleta.

25. *Dum calculantur sydera, absit somnus.* Id est: in rebus magni momenti, non est dormiendum.

26. *Tineas pascit.* In illum, qui multos habet libros, sed nunquam legit.

27. *Inter calumnias, ad portum stat Toroneum.* Id est: homo patiens, qui omniâ surdâ præterit aure.

28. *Pro perca scorpium.* In illum, qui optima ambiens, pessima adeptus est.

29. *Camelus saltitat.* De eo, qui licèt ex natura sit tetricus, affectat tamen svavis videri.

30. *Tenuiter ducit.* In hominem sordidè tenuem, qui minutissimorum habet rationem.

31. *Simiarum pulcherrima, deformis est.* Dicitur de illis, quæ ipso genere sunt vitiosa.

PARA-

PARAGRAPHUS OCTAVUS.

EPHEMERIDES CHRISTIANO-TURCICÆ, SEU MACHOMETANÆ.

HOC EST:

Res memorabiles Chriſtianorũ cum Machometanis geſtæ.

Nomine Machometanorum intelliguntur hîc gentes & Nationes, quæ Machometis Pſeudo-Prophetæ deliria ſequuntur, ut ſunt: Saraceni, Turcæ, Tartari, Mauri, & Arabes.

JANUARIUS.

I.

GRanata Maurorum in Hiſpaniâ urbs primaria, mille & trecentis turribus præcincta, à Ferdinando Aragoniæ & Caſtellæ Rege, 25. Aprilis, Anno 1491. obſeſſa, & 25. Novembris, ejuſdem Anni expugnata, ac deditione capta, Præſidio Hiſpanico hac die firmatur, 1492. *Brietius Caſerrius.*

2. Ferdinandus, & Iſabella Aragoniæ & Caſtellæ Reges, hac die eandem Urbem ſolenniter intrant. Ita Maurorum Regnum poſt annos 780. deſijt in Hiſpaniam, meriti exinde Reges Hiſpaniæ, nomen & titulum Catholicorum Regum.

3. Diviſo Saracenorum Imperio, (quod maximam partem Aſiæ, Africæ, & Europæ complectebatur) in varias ditiones, quas illi *Caliphas* nuncupârunt; plurima ſucceſſu temporis inter eos exorta ſunt bella, & in hac die, graviſſimum committitur prælium, in quo *Saſamuldaulus*, Sultanus & Calipha perit.

4. Ejuſdem *Saſamuldauli* interempti caput in diſco Azzdunalæ Sultano, æmulo ejuſdem ac victori offertur. *Annales Turcici.*

5. Saraceni, Duce Scondare, Italiam invadunt, & hoc die in ſolo S. Vincentij ad Fontes Vultuni Monaſterio, nonningentos Cœnobitas Martyrio afficiunt. Anno: 882. *Bucelinus.*

6. Idem

6. Ijdem Saraceni plurima Italiæ loca devaſtant, 882. Clemens III. Pontifex creatur, qui ſtatim Cruciferis, omnium peccatorum Indulgentiam conceſſit, edixítque, ut preces pro Expeditione Chriſtianorum, ad recuperandam Terram Sanctam, contra Saracenos, totâ Eccleſiâ funderentur, 1188. Tum apud *Giſertium* de manu Guillielmi *Tyrij* Archiepiſcopi, Reges Franciæ & Angliæ, Philippus & Henricus, & Comes Flandriæ Philippus, ſumpsêre Crucem, cum ſuis Proceribus, Anglus albas, Francus purpureas, Flander virides, átque injunctæ omnibus, præterquam ijs, qui ſuſceperant Expeditionem ſacram, Bonorum omnium Decimæ *Saladinæ* ſic dictæ, quia hæc Expeditio ſuſcepta erat contra *Saladinum*, Saracenorum Sultanum, qui Terram ſanctam Chriſtianis eripuerat. *Brietius.*

7. Quidam *Caramites* nomine, gravem inter Saracenos ſeditionem commovet.

8. Idem *Caramites*, cum ſuis Complicibus, Saracenorum Exercitum profligat.

9. Saracenorum Imperium in tres potiſſimùm partes ſubdividitur. 862.

10. Ab hac die magnarum inter illos diſſenſionum ſumptum eſt initium, per quas mutuò ſe infeſtantes, & Turcas in auxilia ſæpiùs evocantes, tandem ab ijſdem Turcis oppreſſi ſunt.

11. Turcæ evocati ex ſua Regione, quæ eſt inter Caucaſios montes, & Pontum Euxinum, ac Caſpium mare, à diſſidentibus inter ſe Saracenis, ob denegata ſibi promiſſa ſtipendia, tumultuantur graviſſimè. 867.

12. Ægiptum invadunt Saraceni. 639. quo eodem anno etiam Hieroſolymam capiunt. *Brietius.*

13. Urbes ditionis Turcicæ, horribili terræ motu concutiuntur. 1546.

14. Continuatur adhuc plurium Arcium per Turcarum Imperium hæc ruina. 1546. Ab Equitibus Rhodijs olim, nunc Melitenſibus, in Inſula Melita, fortiſſimæ Arcis S. Elmi dictæ, contra incurſiones Turcarum, ſolenniter jacta ſunt fundamenta, 1552. *Caſerrius.*

15. Turcæ in Moldaviam irrumpentes, regionem illam crudeliſſimè vaſtant. 1475.

16. Selymus Turcarum Imperator, Alcayrô potitur, 1517. *Bucelinus.* Stephanus Moldaviæ Princeps, Turcas Provinciam ſuam vaſtantes profligat, triginta millibus eorum cæſis. 1475. *Bonfinius.* Amurathes III. Turcarum Rex XIV. calculi dolore extingvitur. 1595. In Mauritania ſeptem Fratres Franciſcani, Martyrio afficiuntur, 1221. *Ricciolus.*

17. Memorabili omninò tuendæ Virginitatis exemplo, in Hiſpania, finibus Carpentanorum, ad Tagum flumen, in Monaſterio quodam Monialium Virgines

Virgines DEO dicatæ, ne à Mauris fœdarentur, à DEO impetrârunt, ut potiùs vivæ cum Monasterio à terra absorbeantur. Anno Chr. 781. *Bucelinus.* Saraceni Turcarum ditiunculam invadunt. 731.

18. Circa hunc diem Lusitani, Duce Almeidâ, insignem de Ægiptijs victoriam referunt, Regémque Cambajæ vectigalem Lusitaniæ Regi reddunt. 1509. *Ricciolus.*

19. *Salalias* Rex Halebi interficitur. 1029. *Annales Turcici.*

20. Succedunt in Regno eidem, duo filij ejusdem. 1029.

21. Committitur cruentum hos duos inter fratres prælium.

22. Matthias Corvinus Turcarum terror, in Regem Hungariæ eligitur. 1459.

23. Ferdinandus Catholicus Hispaniæ Rex, Granatâ à Turcis receptâ, ipsis Mauris & Judæis ex Hispania pulsis, Neapolitano Regno armis parto, Novo Orbe reperto, clarissimus, moritur. A.C. 1516. ætatis 66. Regni 41. *Caferrius.*

24. Selymus Turcarum imperator, Tomumbejum, Ægipti Sultanum, ingenti prælio vincit, Regnúmque delet Mamalucorum, quod per annos 267. steterat. *Brietius. Caferrius.*

25. Multæ Turres, & ædes, terræ motu in Palæstina corruunt. 1341. *Bucelinus.*

26. Sigismundus Poloniæ Rex, Tartaros profligat. 1527.

27. Tamerlanes Tartarorum Rex, Turcarum triumphator extingvitur. 1402. Qui Bajazethem eorum Imperatorem devicerat, ac ceperat, atque caveæ ferreæ inclusum circumducebat. *Bucelinus. Ricciolus.* Georgius Castriotus, vulgò *Scanderbegus*, Epirotarum Princeps, qui Turcica arma ab Epiri vastatione, per annos 23. fortiter avertit, annum agens 63. moritur. 1466, *Caferrius.*

28. Sultanus *Jachia* nomine, Saracenorum Imperium, infelici successu ambit. 792.

29. Jesidas in Principem Saracenorum inauguratur. 670. *Annales Turcici.*

30. Tartari Comitatum Castri Ferrei, mox etiam Insulam Muraköz vastant. Anno Christi 1603. *Istvanfius.* Joannes Austriacus, qui dein Turcas ad Echinades Insulas gloriosè devicit, Hâc die ordinum Belgij copias, ad Nivellam profligat. 1568. *Strada.*

31. Jacobus Aragoniæ Rex, à Saracenis Baleares Insulas recuperat, capto Insularum illarum Rege cum filio, qui factus Christianus, Cœleste Regnum pro terreno commutavit. 1229. *Brietius.*

FEBRUARIUS.

1. Circiter Calendas Februarij, *Alibechum* Bajazetis Turcarum Imperatoris Sendoroviæ Præfectum, cum valido Exercitu, in Transylvaniæ fines ingressum, & cum ingenti præda, per quinque dies coacta redeuntem, Siculorum tumultuaria manus, prædâ exuit, & pleròsque Turcas occidit. 1493. *Bonfinius.*

2. Turcæ & Tartari circa *Quinque Ecclesias*, & *Sigethum*, in hybernas divisi stativas, longè majori numero coacti, Illyrium ingenti damno afficiunt, longè latéque illud devastantes. 1603. *Istvanfius.* Item Temesvarinum fulmine tactum, succenso pulvere tormentario, disjicitur & exuritur. 1576. *Bucelinus.*

3. Colomanus Rex Hungariæ, qui transitum Christianorum Exercitui contra Saracenos, ad recuperandam ab ijs Terram sanctam denegaverat, ob hoc extremâ apud cæteros Christianos notatus infamiâ, extingvitur. 1110.

4. Conradus Imperator, celebrato Conventu in Germania, cum multis Episcopis, Nobilibus, & innumerabili populo, Crucem suscipit adversus Saracenos, è possessione Terræ sanctæ ejiciendos. 1147. Qui tamen Exercitus à Græcis proditus, à Turcis lacessitus, penè totus interijt. *Brietius.*

5. Complures alij quoque Principes Christiani, dant sua nomina magno fervore, sacræ huic Expeditioni. 1147. *Ricciolus.*

6. Templum Hierosolymitanum secundum, à Zorobabele absolvitur. Anno ante Partum Virginis. 415. Quod dein excisum fuit à Tito, Anno Chr. 72. deinde reædificatum fuit à Constantino Magno, A. C. 326. Et tandem in potestatem Machometanorum venit iteratò. 1187. Nunc quoque tamen Christianorum devotioni inservit, permittentibus id Turcis (lucri gratiâ) & administratur per RR. PP. Ordinis S. Francisci Seraphici. *Caferrius.*

7. Carolus V. inauguratur & coronatur Rex Hispaniæ, Turcarum dein in Africa domitor, & sæpiùs de ijsdem victor. 1518. *Bucelinus.*

8. Amurathes, Turcarum IV. Imperator, Constantinopoli, anno ætatis 32. Imperij: 17. à prætorianis trucidatur. 1640. *Brietius.*

9. Alphonsus IV. Aragonum Rex, qui junctis viribus cum Alphonso XI. Castellæ Rege, insigni victoriâ, Mauros in Hispania A. Chr. 1330. prostraverat, moritur. 1336. *Bucelinus.*

10. Occiditur *Tajaddulas* Rex Saracenorum, 1095. Quo eodem anno magnâ alacritate, suscipitur à Christianitate Expeditio pro recuperanda Palæstina, eáque eliberanda, è potestate Saracenorum. *Brietius.*

11. Baldvi-

11. Baldvinus III. Rex Hierosolymæ, ob rem Christianam in Oriente periclitantem, & ob Saracenorum invalescentem potentiam, mœrore animi defungitur. 1156. *Bucelinus.*

12. *Andronicus Senior*, Imperator Orientis, cùm imperâsset annis 50. vixisset 74. & sub quo Imperium Græcorum à Turcis labefactari haud mediocriter cœperat, moritur. 1332. *Bucelinus. Brietius.*

13. Succedit eidem in Imperio *Andronicus Junior*, Nepos Senioris, sub quo id adhuc magìs postmodùm est à Turcis diminutum, 1332. *Bucelinus. Brietius.*

14. Sanctus Henricus Imperator, Saracenorum, & aliorum infidelium domitor, à Benedicto VIII. Pontifice, ad S. Petrum, in Imperatorem Romanorum coronatur, Anno Christi. 1014. *Caferrius.*

15. Conradus III. Romanorum Imperator, qui 200 millia contra Saracenos duxerat pro recuperatione Terræ sanctæ, quamvis non cum optato successu, hac die extingvitur. 1152. *Bucelinus. Brietius.*

16. *Saladinus* Negemendini filius, Ægipti Rex, genere Turca, qui plurimis prælijs Christianorum vires in Palæstina attrivit, moritur. 1193. *Caferr.*

17. Terræ motus hac die Constantinopolim concutere incipiens, totos 40. dies durat, sed & Hierosolymam affligit, multáque ædificia subruit. 1034. *Bucelinus.*

18. Paulus Kinisius, & Stephanus Bathoreus, Transylvaniæ Wayvoda, in campo Kenyér-mező dicto, ad 30. millia Turcarum cædunt. 1479. *Bonfinius.*

19. Sigismundus III. Rex Poloniæ, coronatur in Regem Sveciæ, in Regia Urbe Uspalia, Anno Christi. 1594. Contra quem cùm Osmanes Imperator Turcarum, cum 300 millibus militum, præter maximam multitudinem Tartarorum venisset, magnis cladibus ab eo repulsus, & pacem petere coactus est. 1621. *Brietius.*

20. S. Eucherius Episcopus Aurelianensis, multa gravia passus, sub Carolo Martello Saracenorum domitore, hàc die DEO fruiturus, mortalitatem exuit. 727. Quo quidem anno idem Carolus Martellus, Lugdunum capit, Saracenis ejectis, & insuper Aquitaniam quoque occupat. *Caferrius.*

21. Martinus V. Papa moritur. 1431. Vir sine dubio magnus, cujus prudentiâ extinctum est Schisma, cujus occasione Machometanorum crescebant vires. Quo eodem anno Thessalonica à Turcis occupatur, unde postmodùm suas in universam Græciam sparserunt victorias. *Brietius.*

22. Nicolaus IV. Papa creatur, magnus Zelator concordiæ Christianorum, & Belli sancti contra Saracenos promotor. 1288. *Ricciolus.*

23. Naſcitur Mathias Archidux, filius Maximiliani II. Imperatoris. 1557. Qui dein multa glorioſa, contra Turcas in Hungaria geſſit.

24. Nonnulli hâc die Machometum Pſeudo-Prophetam, natum contendunt. A. Chr. 560. Matthias Corvinus, dein Hungariæ Rex, Turcarum terror naſcitur. 1443. *Bonfinius. Caferrius.*

25. Damaſcus Metropolis Syriæ, primâ vice à Saracenis obſideri cœpta. 630. *Annales Turcici.*

26. Achmet fit IV. Califa Saracenorum. A. Chr. 993. *Annales Turcici.*

27. Rogerius Neapolis & Siciliæ Rex, contra Saracenos, & Græcos ijſdem faventes, ſæpiùs victor, moritur. 1353. *Brietius. Bucelinus.* Sigethum olim glorioſiſſimè à Comite Nicolao Zrinio defenſum, & tandem à Solymano Turcarum Imperatore expugnatum, cum magna ſuorum clade, ac ſuo ipſius in eadem expugnatione interitu, ſub Auſpicijs Auguſtiſſimi LEOPOLDI I. ſine ulla ſangvinis effuſione, ob ſolum annonæ extremum defectum, recuperatur. 1689.

28. Raymundus Comes olim Tholoſanus, poſtea Tripolitanus, cujus magna gloria militaris extitit in Oriente contra Saracenos, ſed & laus pietatis illuſtrior, ſummo dolore totius Sacræ Expeditionis adverſus Saracenos, pro Terra ſancta recuperanda ſuſceptæ, diem extremum claudit. 1105.

MARTIUS.

1. *Baſilius Macedo*, Orientis Imperator, extremum vitæ diem claudit. A. Chr. 886. Sub cujus Auſpicijs, Andreas Dux, Saracenos Tarſi regnantes, Beatiſſimæ Virginis patrocinio, egregiè repreſſit, inſigni de ijs potitus victoriâ, ita ut ipſimet Saraceni, non humanâ, ſed Divinâ manu, ſe ſe victos faterentur. *Brietius.*

2. Chriſtiani *Alepum* Urbem Syriæ, ex improvisò aggrediuntur, eandémque die tertiâ expugnant. 951.

3. Clemens VIII. Pontifex, pacem inter Principes Chriſtianos inducere unicè ſtudens, ut progreſſibus Turcarum obviaretur, pientiſſimè obit. 1605. Quo eodem anno Turcæ felices in Europa, in Aſia infortunati extitêre, victi enim ſunt iteratò à Perſis, *Ademum* quóque Emporium in Erythræo mari ijs ereptum eſt. *Brietius.*

4. Joannes VIII. Palæologus Orientis Imperator, ad celebrandum Oecumenicum Concilium, poſtea Florentinum dictum, Ferrariam Urbem ſolenniter ingreditur. 1438. Hâc ſpe fretus, quòd per unionem Græcæ, & Latinæ Eccleſiæ, ſit auxilia à Principibus Chriſtianis Occidentalibus, contra Turcas impetraturus. *Caferrius.*

5. *Frideri-*

5. *Fridericus Ænobarbus*, fit Occidentis Imperator. 1152. Qui dein in Orientem trajiciens cum Exercitu, & plurimis de Saracenis victorijs, ac ad *Iconium*, Sultano illius tractûs, 400. millibus equitum stipato, patrocinio S. Georgij, cæso, cùm in minori Armenia, post prandium se in fluvio *Calycadno* lavaret, aquis mersus est. 1190. *Brietius*.

6. Nicolaus V. creatur Pontifex, cujus primus conatus fuit, conciliare inter se Principes Christianos, gravissimè inter se id temporis dissidentes, ut sic Turcarum progressibus obex poneretur. *Ricciolus*.

7. Edicto Mieseslai Principis ad Sacra Christiana conversi, per Poloniam idola cuncta evertuntur, & anniversaria rei memoria solennis dies hæc esse jubetur. Pro cujus fidei Christianæ defensione, dein Poloni, plurima bella adversus communes hostes Christianitatis, Turcas scilicet & Tartaros, gloriosè gesserunt.

8. Ingens Christianorum Exercitus, Duce Gvaltero Sensamer, Heroe maximo, in Orientem contra Saracenos movet. 1096. *Bucelinus*. Imò juxta *Ricciolum*, hâc die Constantinopolim pervenit. Quo eodem anno, secuti sunt prædictum Ducem in eandem Expeditionem, Petrus Eremita cum militia Cruce signata, plurimique alij Duces, & Comites Christiani, ac Episcopi quóque. Quos inter enituit Godefridus Bullionius, qui in eandem causam Ducatum suum Bullioniensem vendidit Episcopo Leodiensi, majori tamen vendentis, quàm ementis gloriâ. *Brietius*.

9. Emmanuel Rex Lusitaniæ, hâc die insignem classem in Indias mittit, non tantùm ad Gentiles incolas domandos, sed & ad repellendos Machometanos, ejus regiones infestantes. 1500. *Bucelinus*.

10. Neogradinum à Matthia Archiduce expugnatur. 1594. Quadragesimo secundo anno, postquam à Turcis bello Temesvariensi captum fuerat, plurimùm ad hanc expugnationem cooperante Comite Nicolao Palffi, quem Matthias Archidux post se Legatum cum summa potestate toti Exercitui præfecerat. *Istvansius*.

11. Heraclius Imperator Orientis, ex aqua intercute extingvitur. 641. Cujus Imperij anno 18. Machometes Pseudo-Propheta, ex *Æthribo* Felicis Arabiæ oppido, cum suis Saracenis agrum ad inhabitandum armatus petijt, ac etiam obtinuit, futurus Romanis & Græcis, totiúsque Christianitatis insidiator. *Brietius*. S. Eulogius Cordubensis Presbyter, & olim designatus Episcopus Toletanus, Martyrio à Saracenis in Hispania afficitur. 859. *Ricciolus*.

12. Vladislaus Locticus Rex Poloniæ, corpore pusillus, animo magnus, moritur. 1333. *Bucelinus*. Quo eodem anno Heraclia à Mauris capitur, cum tanta Christianorum multitudine, ut singula capita nummo aureo venirent. *Brietius*.

 13. Macho-

13. Machometes impius Pseudo-Propheta ac Impostor, ex crapula moritur. Anno Christi. 631. *Bucelinus. Brietius.*

14. Matthias Archidux, post captum Neogradinum, ob amnium inundantiam, continuásque pluvias, nullis in promptu habitis navigijs, & pontibus vi aquarum interruptis, exercitum ad tempus solvere cogitur. 1594. *Istvanfius.*

15. Supremus Vezirius *Ibraimus*, eò quod Christianis favisset, in Expeditione suscepta in Austriam, jussu Solymani Turcarum Imperatoris jugulatur, & in mare projicitur. 1535. *Istvanfius.*

16. Lotharius I. Imperator, à Fratribus Ludovico & Carolo denuò vincitur. 842. *Bucelinus.* Turpe sanè est bellum inter Principes Christianos, turpiùs inter fratres, dum id convertere deberent in communes Christianitatis hostes. Intereà tempore illo, quò hi fratres inter se digladiarentur, Saraceni contra Theophilum Imperatorem Orientis, victores evadunt.

17. Rex Fessæ & Marochi *Abdelmelicus*, Machometis nepotem, grandi clade profligat. 1575. *Bucelinus.* Solimanus II. Imperator Turcarum, qui in obsidione Sigethi in Hungaria obijt, nascitur. 1500. *Caferrius.*

18. Matthias Corvinus, redux ex Bello Turcico, quod in Jajcza recuperanda, & magnâ Bosniæ parte, gloriosè gesserat, redemptâ à Friderico Cæsare Coronâ Regni Hungariæ, anno regiminis sui sexto, Albæ Regali coronatur. 1464. *Bonfinius,*

19. Primum Tributum Machometanis *Medinam* adfertur. 633. Quo eodem anno mortuo Elubezene Saracenorum Principe, successit Haumarus vir fortis, qui statim Civitatem *Boostrensem* invasit & cæpit, ac Theodorum, Heraclij Imperatoris fratrem, cum exercitu sibi occurrentem fudit ac profligavit. *Brietius.*

20. Baldvinus Rex Hierosolymorum II. sæpiùs de Saracenis victor, dum in Ægiptum novam expeditionem suscipit, & ad Nilum usque pervenit, morbo correptus, Hierosolymam redire cogitur, & in itinere hâc die extingvitur. 1118. *Brietius.*

21. Turcæ Civitatem Canisiensem oppidanis & præsidiarijs somno vinoq; sepultis, (erat siquidem Bachanaliorum dies) ex insidijs adoriuntur, obvios quosque captivant & trucidant, ingentémque prædam variarum rerum abducunt. 1573. *Istvanfius.*

22. Præsidium Canisiense, postquam 90. ferè annos in potestate Turcarum fuisset, & binas per hujus temporis decursum, obsidiones fortiter sustinuisset, fame longâ adactum, Augustissimi Leopoldi Cæsaris potestati se submittit. 1690.

23. Com-

23. Comes Georgius Zrinius, collatis cum Præfectis copiarum, quæ in Illyrij partibus agitabant, Sigismundo Herberstainio, & Friderico Trattmanstorfio consilijs, Berzenczam Arcem, Turcis eripit. 1594. *Istvanfius.*

24. Ijsdem prædictis Ducibus, nostri Segessium quóque, diffugientibus priùs Turcis, & præsidio succenso, occupant. 1594. *Istvanfius.*

25. Græci in Urbe Constantinopolitana, tum sub Latinorum potestate existente, excitato tumultu, magnâ strage Gallos Venetósque repentè obruunt, & hi vicissim recollecti, majorem cœdem eorum edunt, Urbémque diripiunt. 1205. *Brietius.*

26. Richardus Rex Angliæ, cognomento *Cor Leonis*, qui Expeditionem sacram in Saracenos, An. 1188. à Principibus Christianis susceptam, insurgendo in parentem interturbaverat, ob idque à Legato Apostolico, Pontificis authoritate anathemate perculsus fuerat, moritur hâc die, 1199. Sepultus uti jusserat ad Patris pedes, ut sic eidem læso, utcunque satisfaceret. *Brietius.*

27. Alphonsus XI. Rex Castellæ, centum millibus Saracenorum cæsis, *Algaziram* occupat. 1344. *Bucelinus.* Sigefridus Comes Kollonics, Canisienses Turcas profligat. 1603. *Istvanfius.*

28. Classis Gallica S. Ludovici Regis, è Palæstina, in qua contra Saracenos pugnaverat rediens, totâ ferè hâc die perit naufragio. 1253. *Bucelinus.* Hugo *Lusimianus*, Rex Cypri & Hierosolymorum obit, cui successit Joannes ejusdem filius, in onere potiùs, quàm in honore, rebus Christianis in Syria ad exitum vergentibus. *Brietius.* Novæ Urbis *Valletæ* in Insula Melita, fortissimi contra Turcas præsidij fundamenta jacta. 1566. *Caferrius.*

29. Jaurinum DEI singulari ope, & Comitis Nicolai Palffi, ac Adolphi Swarczenburgij industriâ, feliciter recuperatur. 1598. *Istvanfius.*

30. Ingens ubique, ob tanti momenti præsidij tam insperatè recuperati, inter Christianos lætitia, inter milites verò victores, prædæ maximæ divisio, ac officialium remuneratio, ex quibus *Babacurtus* felicem rei successum per dispositos equos Cæsari adferens, ab eodem quatuor millia aureorum, donativi nomine obtinuit; Swarczenburgio centum millia aureorum assignata; Palffius verò quicquam prœmij acceptare voluit, cùm se omnem operam, quam hac in re præstitisset, Patriæ primùm, ac dein Cæsari debuisse, ideóque gratuitò impendisse profiteretur. Anno Christi. 1598. *Istvanfius.*

31. Franciscus I. Galliarum Rex fortissimus, qui primus cum Turcis contra Augustissimam Domum Austriacam, pessimo exemplo, & Christianissimi nomine indecoro, fœdus inijt, moritur. 1547. *Bucelinus. Caferrius. Brietius.* Et specialiter *Spondanus*, qui licèt Gallus natione fuerit, & æstimetur fuisse Scri-

ptor pror-

ptor prorſus nationalis, ita, ut ubicunq; datur occaſio per auxeſim in laudes ſuæ nationis excurrat, hoc tamen fœdum fœdus ſummè impugnat & improbat.

APRILIS.

1. Sigiſmundus I. Poloniæ Rex, vir fortis & ſapiens, ac contra Tartaros ſæpiùs victor, obit Anno Chr. 1548. ætatis 81. Regni 40. *Caſerrius.* Quo eodem anno grave bellum inter Turcas & Perſas geſtum, quoniam *Bajazetes*, qui patrem Solimanum, in Selimum fratrem propenſiorem videbat, ad Perſas confugerat. *Brietius.* Scanderbegus Turcarum Exercitum profligat. 1554. *Bucelinus.* Almericus Rex Cypri, atque Hieroſolymæ moritur Ptolomaide. 1215. *Bucelinus.* Aly-Eunuchus Weſprimium obſidione cingit. 1552. *Iſtvanfius.*

2. Bagdamum Urbs ab Almanzare Albugjafar, XXIII. Califa Saracenorum exſtrui cœpta. 762.

3. Echius Comes Salmenſis, Jaurinenſis Generalis, arcem Hegidiam ad Balaton lacum in rupe ſitam, & Turcarum præſidio firmatam, & multis deprædationibus infamem, ex improviſo aggreditur, & duos poſt dies expugnat. 1560. *Iſtvanfius.*

4. Heraclius Imperator movet in Perſas, durante poſtmodùm ſex annis bello, adhibitis quoque Saracenis in ſuam militiam, qui eidem contra Coshroëm Perſarum Regem ſtrenuam præſtitêre operam. 622. A quo anno etiam incipit Ægira ſive Epocha, id eſt: initium annorum apud Machometanos, quo ſcilicet Machometes ob falſæ ſectæ confictionem, ex ſua urbe profugit. *Brietius.*

5. S. Ludovicus IX. Galliarum Rex, contra Saracenos pugnans in Oriente, cum toto Exercitu à Saracenis circumdatur, & poſt acerrimum prælium, cum duobus fratribus capitur, reliquis Gallis ad internecionem cæſis. 1250. *Caſerrius. Brietius.* Acon, ſeu Acra, aliàs Ptoleimais, non tam Chriſtianorum Urbs, quàm ſceleratorum receptaculum à Sultano Melec-meſſer Saracenorum Duce, à 60. Equitum, & peditum 160. millibus obſidetur. 1291. *Brietius.*

6. Defenſionem ejuſdem Urbis, in qua tunc numerabantur, armatorum ſupra 30. millia, incolarum plùs quadragies millibus, curam ſuſcipit Petrus Beluſius Templariorum Magiſter, vir fortiſſimus, virtute cujus, Urbs ſtrenuè defenſa eſt, quamdiù is non occubuiſſet. 1291. *Brietius.*

7. Cliſſa Dalmatiæ arx fortiſſima, à noſtris aſtu & vi capitur, & Turcis eripitur. 1596. *Iſtvanfius.*

8. Receptæ

8. Receptæ in hunc modum Cliſſæ, præſidium Germanici & Illyrici nominis imponitur, verùm Turcæ ejus loci jacturam minimè ferendam rati, non diù pòſt eandem obſident, & ingenti noſtrorum clade expugnant. Anno Chriſti. 1596. *Iſtvanfius.*

9. Selymus Turcarum Imperator, *Tocumlejum* Mamalucorum Regem, ex nupero prælio fugâ elapſum, hâc die Arabum ope captum, in Urbe Cayri celeberrimo in loco, unco ferreo appenſum necat, átque ita Regno Mamalucorum, quod per annos ferè 300. in Ægypto floruerat, finem imponit. 1517. *Brietius. Caferrius.*

10. Machometes Turcarum Imperator, cum ducentis & quinquaginta octo millibus, navibus 320. heri agreſſus Urbem Conſtantinopolim, prægrandibus machinis diverberare hâc die incipit. 1453. *Brietius.*

11. Weſprimium *Ali Eunuchus* deditione capit, & præſidiarios contra fidem datam, quà trucidat, quà ſervituti mancipat. 1552. *Iſtvanfius.* Bajazethes II. Turcarum Imperator, à Selymo filio, per ſeditioſos prætorianos, ſeptuagenario major, cùm regnâſſet annis uno & trigintà, Imperio deturbatur, ac per Sedechiam Hebræum medicum, veneno propinato vitâ exuitur. Anno Chriſti. 1512. *Caferrius. Brietius.*

12. Galli, Veneti, aliíque Principes Chriſtiani Occidentales, ad Sacram Militiam nomina profeſſi, Conſtantinopolim hâc die occupant. 1204. *Caferrius. Brietius.*

13. Statim ergo à Duodecim Electoribus creatus eſt Imperator Baldvinus Flandriæ Comes, annum agens trigeſimum ſecundum, quod Imperium tenuêre ejus Succeſſores, uſque ad annum 1262. quò Græci rurſus aſtu recuperârunt Conſtantinopolim, pulſis Latinis.

14. Græci amiſsâ Conſtantinopolí, ex reliquijs Imperij, varios Principatus, & Trapezuntinum Imperium fundare ſtatuunt. 1204.

15. Baldvinus Imperator Conſtantinopolitanus anno elapſo creatus, Adrianopolim obſidens, dum hoſtem ardentiùs inſequitur, in paratas à Bulgaris incidit inſidias, à quibus, multis ex ſuis amiſſis, ipſemet vivus capitur, & in Bulgariam abducitur. 1205. *Brietius. Caferrius.*

16. *Piali Baſſa*, ab irrita obſidione Melitenſi, inglorius rediens, ut aliquid videretur egiſſe, Chium Inſulam invadit, totamque cum incolis in ſervitutem redigit 1566. *Annales Turcici.*

17. Idem Piali Baſſa, ſine cæde, ſolâ calliditate, Inſulâ Chio occupatâ, omnia in eadem vaſtat, à direptione tamen Eccleſiarum abſtinet. Erat hæc Inſula in poteſtate Familiæ Juſtinianæ Genuenſis, ex qua 20. pueri ad Soly-

manum abducti, ac per vim circumcisi, quorum tamen nullus ejuravit fidem, in tam tenera ætate, penè omnes virgis cœsi, periêre. *Brietius.*

18. Alphonsus IV. Aragoniæ Rex, dictus *Imperator,* de Carpatinis triumphat 1111. *Bucelinus.* Quo eodem anno à Christianis, *Berytus*, & paulò post *Sydon* Urbes, Saracenis eripiuntur. *Brietius. Ricciolus.* Serenissimus Lotharingiæ Dux Carolus, Cæsarei Exercitûs in Hungaria contra Turcas Ductor, átque sæpiùs de ijsdem victor, welsij in superiore Austria, catharro suffocativo, moritur. 1690.

19. Leo IX. Pontifex moritur. 1054 vir magnarum virtutum, ideóque relatus in Catalogum Sanctorum. Qui eodem anno priùs per suos Legatos, *Humbertum* & *Fridericum* Cardinales, & Petrum Episcopum Amelphitanum, Constantinopolim missos, in Æde S. Sophiæ, Michaëlem Patriarcham, ob gravissimos errores anathemate percussit, unde auctum est Græcorum in Latinos odium, ex quo dein subsecuta est aperta à Romana Ecclesia separatio & secessio, quam cùm Romani Pontifices non possent, DEUS per Saracenos & Turcas, gravissimè postmodùm punivit, Græcorum Imperium in Turcas transferendo.

20. Petro Aubussonio, Magno Magistro Equitum Hierosolymitanorum, Bajazethes Turcarum Imperator, dono mittit manum dextram S. Joannis Baptistæ, quæ hâc die recepta fuit Rhodi, cum ingenti lætitia. 1482. & gratiæ actæ Bajazethi: quo eodem anno, dolo Bajazethis extinctus est Zizimus ejusdem frater, qui victus à Bajazethe, Rhodum profugerat, & inde in Galliam, ac demùm ad Pontificem missus fuerat. *Ricciolus.*

21. Natalis Urbis Romæ, hoc enim die Romulus aratro designavit mœnia Urbis condendæ, anno ante Christum 751. Atque ex tam vilibus initijs in tantam amplitudinem excreverat Romanum Imperium, ut solâ suâ vastitate interiret, labefactatum plurimùm à Saracenis, ac dein à Turcis quò ad Provincias Orientales, totaliter occupatum.

12. Alexander II. Pontifex obit. 1073. Quo eodem anno *Servi* populi eam partem Bulgariæ occupârunt, quæ nunc Servia dicitur; cujus caput est Belgradum. Estque jam à duobus sæculis sedes Belli Turcas inter ac Christianos, præsertim verò Hungariæ Reges.

23. Nitria à Turcis anno 1663. deditione accepta, per Excellentissimum Generalem Zuzam, sub Auspicijs Augustissimi Imperatoris Leopoldi expugnatur, ac recipitur. 1664.

24. Baldvinus Latinorum primus Constantinopoleos Imperator, Imperij sui Regimen auspicatur. 1204.

25. Venetiæ ædificari cæptæ, Anno Christi. 421. futurum dein suâ potentiâ

tentiâ fortissimum Christianitatis contra Turcas propugnaculum. S. Ludovicus Galliæ Rex nascitur. 1215. acerrimus Saracenorum hostis, qui binam contra eosdem ipsemet in persona sua expeditionem suscepit,& alteri quidem etiam immortuus est.

26. Obit Philippus Audax Burgundiæ Dux, & Flandriæ Comes. 1404. Quo eodem anno, Sultanus Ægipti, Rhodum obsedit, sed à Rhodijs Equitibus cum ignominia repulsus est.

27. Rudolphus Auspurgi Comes(à quo potentissimi Archiduces Austriæ) nascitur. Quæ Augustissima Domus,quanta bella contra Turcas & Saracenos, & reliquos Machometanos gesserit, non solùm in Europa, sed & in Africa, ac America, toti orbi notum est.

28. Sigismundus Rex Hungariæ, ac dein Imperator, ob bellum contra Turcas ad Varnam malè gestum, à suis capitur, & in custodiam retruditur. 1401.

29. Sigismundus III. Poloniæ Rex, è vivis abit. 1632. ætatis 66. postquàm 45. Annis sapienter regnâsset, illúdque ab Excursionibus & deprædationibus Tartarorum gloriosè defendisset. *Caferrius.*

30. Cometa novus apparet, quem pestilens lues, tam per Orientem, quàm per Occidentem secuta est. 1217. *Bucelinus.* Quo eodem anno, renovatum est bellum in Palæstina, appulso ad eam Andreâ Rege Hungariæ, cum multis Proceribus Hungariæ, Gallis etiam, atque Germanis. *Brietius.*

MAJUS.

1. Saladinus præcipuus Saracenorum Sultanus & Calipha, nostrorum viginti millia, & sexcentos in Palæstina profligat. 1187. *Bucelinus.* Jacobus Rex Aragoniæ, Balearicum bellum, contra Mauros aggreditur. 1229. Tata Arx, absente Arcis Præfecto, ex insidijs à Turcis,Duce Hamsâ capitur. 1559.

2. Bello inter Hispanos & Gallos, Turcis mirè proficuo, finis imponitur, conclusâ pace ad Veruinum. 1598.

3. Machometes II. Turcarum Imperator,qui Imperium Trapezuntinum, & Constantinopolitanum, Regna octodecim, & ducentas Urbes Christianis eripuit,colicis doloribus, Constantinopoli, extingvitur. Anno Christi. 1481. *Bucelinus. Caferrius. Brietius.*

4. Obijt Nicolaus Salmensis, clarus bello gestis, contra Turcas per Hungariam. 1580. Comes Simon Forgach, eximiæ virtutis & fortitudinis senex, cui certatim se adjunxerunt; Stephanus Bathorius, Franciscus Dobo, Sigismundus Rakoczius, Stephanus Drugethus de Homonna: Turcas Hatvani

obsidionem solvere volentes, non longè à Pago Tura, gloriosè devincit. 1549. *Istvanfius.*

5. Interea Generalis Tiffenbachius, Hatvanum obsidens, aquas ex ejusdem fossis derivare, irritò licèt eventu, conatur. 1594.

6. Tartari Precopenses, Moschvam Urbem invadunt & incendunt, magnâ strage & Regni devastatione. 1571. *Ricciolus.*

7. Matthias Archidux, Strigonium obsidione cingit. 1594. Terræ motus Constantinopoli, plurimas domos evertit. 1532.

8. Franciscus Balassius, obsesso Strigonio commeatum inferre volentibus Turcis, commisso priùs cum illis prælio acerrimo, illud eripit. 1594.

9. Concilium Lugdunense, septimâ hujus inchoatum, feliciter continuatur, ubi actum est, de Concordia Græcorum cum Ecclesia Latina, in quam etiam Græci, & ipsemet Michaël Imperator consensêre, ut sic unitis viribus, & animorum, conatibus & progressibus Saracenorum, Christianitas fortiùs ac efficaciùs resistere valeret. 1274. Verùm Josephi impij Patriarchæ malitiâ ab hac concordiâ populus revocatus est, & sic Orientis Ecclesia, sub jugum Saracenorum, & tandem Turcarum missa est. *Brietius.*

10. Nova Roma Constantinopolis, in honorem DEIparæ dedicatur. 330. à Constantino Magno. In eadem Urbe Terræ motu multa millia hominum opprimuntur. 1556.

11. Horribili atque imprimis terribili exemplo Cives Veneti, in communi & vastissimo Venetiarum incendio, dum Sancti Marci Basilica arderet, & Ducale Palatium flammis collucesceret, incendium tamen restingvere recusant, accusantes Magistratum, & pacis cum Turca initæ, hanc vindictam interpretantes. 1574. *Bucelinus.* Item Tamasus, aliàs Techmas, vel Thomas Rex Persarum, cùm vixisset annos duo de septuaginta, & quinquaginta regnâsset, moritur, relictis undecim filijs. 1576. *Brietius.*

12. Thomas Peloponesis Despota, Constantini, ultimi Imperatoris Constantinopolitani Frater, Peleponesi à Turcis occupatâ, Romam confugiens, ibidem sub Paulo II. moritur. Anno Christi. 1465. *Caserrius.*

13. Post mortem Thamasi Regis Persarum, statim ortæ sunt inter Undecim filios discordiæ, unde injecta est spes *Amurathi*, ditionis Persicæ, Otthomanico Imperio adjungendæ, initijs tamen quàm fine felicioribus. *Brietius.*

14. Honorius I. Papa creatur, Anno Christi. 626. sub cujus Pontificatu, orta sunt Sectæ Machometanæ initia. *Brietius.*

15. Christiani, Duce totius Exercitûs Andreâ Hungariæ Rege, Ptolomaidem cingunt. 1218. *Bucelinus.* Eodem anno & Damiatam nobilem Ægipti Urbem expugnant. *Ricciolus.*

16. Theo-

16. Theodorus Laſcaris, amiſsâ Conſtantinopoli, à militibus Niceæ, Imperator Orientis acclamatur. 1204. *Ricciolus.*

17. Mons Sancti Thomæ à noſtris ſub obſidione Strigonij capitur. 1549. Bajazethes II. Turcarum Imperator ſalutatur. 1481.

18. Valentinus Balaſſa, & Comes Curtius, in inſultu Strigonij occumbunt. 1594. *Iſtvanfius.* Turcæ ingenti claſſe, ducentarum quinquaginta navium, & quadraginta millibus militum, Melitam Inſulam appellunt, ſed poſt quatuor menſium oppugnationem, amiſſis viginti tribus millibus, inglorij recedere coguntur. Anno Chriſti. 1565. *Brietius.*

19. Machometes Turcarum Imperator Chalcidem, hodie Nigripontum, Eubeæ Inſulæ Urbem primam, ſui Juris facit. 147. *Brietius. Bucelinus. Alba Regalis*, Leopoldi I. auſpicijs, ſine effuſione ſangvinis recuperatur. 1688. Ejuſdem Cæſaris auſpicijs ſeptemdecim millia Turcarum, Duce Sereniſſimo Marchione Badenſi Ludovico, non procul Caſſonâ delentur. 1691.

20. Sacrum Fœdus contra Turcas ſancitum, inter Pium V. Pontificem, Philippum II. Regem Hiſpaniarum, & Rempublicam Venetam. 1571. *Caferrius.* Oſmanes Turcarum Imperator à Janizeris interficitur, ſublecto Muſtaphâ fratre illius in Imperium. A. Chr. 1622. *Brietius.* Aly Eunuchus, partem ſuæ militiæ, ad obſidionem Szigethi præmittit. 1556. *Iſtvanfius.*

21. Noſtri Szigethinenſes cum præmiſſis his Turcis, minoribus prælijs feliciter iterátis vicibus confligunt. 1556. *Iſtvanfius.*

22. Eaſdem excurſiones, hâc, & ſequentibus diebus continuant, & adeò ſecuros, & ita animatos ſe oſtendunt, ut nec oppidi, nec Arcis portas clauderent. 1556. *Iſtvanfius.*

23. Paulus IV. eligitur in Pontificem. 1555. Quo eodem anno Turcæ conatu irrito, Populonium & Elbam Inſulam obſident.

24. Tartari Precopenſes, Moſchvâ Urbe incensâ, prædâ divites redeuntes, Moſchos, qui prædam ijs eripere nitebantur, internecione delent. 1571. *Brietius.*

25. Alphonſus II. Rex Aragoniæ, Toletum Urbem Mauris eripit. 1085.

26. Baſilius Macedo, Collega Imperij renunciatur. 866. *Bucelinus.* Qui poſtmodum inſignem de Saracenis retulit victoriam, expugnatâ eorum claſſe, orientis oras infeſtante. 880. *Brietius.*

27. Raymundus Berengarius, Comes Barcinonenſis, murus Chriſtianitatis dictus, duodecim Regum Maurorum triumphator, moritur. 1076. *Bucelinus.*

28. Machometes Turcarum Imperatoris filius, annorum ſedecim adole-

ſcens, inauditâ pompâ circumciditur, præſentibus Chriſtianorum Regum Legatis. 1582. Interim Turcis per Perſas maxima clades infertur.

29. Conſtantinopolis à Machomete II. Decimo Turcarũ Rege, quinquageſimâ quartâ obſidionis die, vi & armis expugnatur, Conſtantinus Imperator fugiens, in ipſis portæ anguſtijs, à multitudine conculcatus interijt, cujus caput reſectum, & Machometo oblatum, circumlatum eſt, ad terrorem Chriſtianorum. 40. millia hominum trucidata, 60. millia capta ac vendita, incolarum theſauri incenſi, & refoſſi Turcis ceſsêre, quos ſi impendiſſent in ſtipendia Occidentalium militum, magnam eorum partem, uti & Urbem cum ſuis libertatibus conſervâſſent. 1453. *Brietius. Caferrius.*

30. Ferdinandus Rex Caſtellæ, Maurorum domitor, quivè Mauros ex Hiſpania ejecit, extingvitur. 1252. ætatis 52. *Bucelinus.*

31. Jagello Magnus, Rex Poloniæ, ac Dux Lithvaniæ, cùm regnâſſet annis 48. menſes tres, & dies ſeptemdecim, moritur. A. Chr. 1434. Succeſſit eidem Vladiſlaus III. ejuſdem filius, qui fuit etiam Rex Hungariæ, & cecidit ad Varnam, in prælio contra Turcas. Ejus poſteri continuatâ ſerie regnârunt uſque ad annum. 1572. quò in Sigiſmundo Auguſto, Jagellonum maſculorum ſoboles defecit, multáque præclara, contra communes & juratos totius Chriſtianitatis hoſtes geſsêre bella & prælia. *Brietius. Caferrius.*

JUNIUS.

1. Arx Erdőd à Turcis, & Tranſylvanis acri obſidione cingitur. 1543. Galli præſidiarij Papenſes rebellant, & de dando præſidio cum Turcis Albæ Regalenſibus tranſigunt. 1600. Solymanus cum ingenti Exercitu, contra Hungariam, Samandriam advenit. 1543. *Iſtvanfius.* Cæſareani civitatem Bellyines infra Varadinum occupant, Arcémque deditione capiunt. 1690.

2. Tartari Ruſſiam, & Sandomirienſem Poloniæ Tractum, hoſtiliter invadunt, obvioſquóſque mactantes, ac cuncta depopulantes. 1140. & rurſus anno. 1259. Ijdem Tartari eandem Poloniam devaſtant, aliáque inter loca Sandomiriâ potiuntur, multis millibus trucidatis, & aquâ merſis. *Bucelinus.*

3. Antiochia à Godefrido Bullionio, ac Chriſtianis fœderatis, cœſis Saracenorum ad centum millia, expugnatur. 1098. *Caferrius. Bucelinus.* Arslanes Budenſis Vezirius, Palotam arcem obſidet. 1566. ſtrenuè eandem propugnante Georgio Turio, ejuſdem præſidij præfecto. *Iſtvanfius.* Aly Eunuchus Conſtantinopoli valido cum Exercitu in Hungariam movet. 1561. *Idem.*

4. Sancius IV. Rex Aragonum, contra Mauros pugnans, telo ictus glorioſè occumbit. Anno 1094. *Bucelinus.*

5. Terræ

5. Terræ motus, Hungariam quóque concutit. 1443. Quo eodem anno Joannes Hunyadi, Turcarum castra ad Moravum fluvium, noctè concubiâ, cum decem millibus invadens, eorum triginta millia cæcidit, quatuor millia cepit, cæteris fugâ elapsis. Hinc processit ad fines Thraciæ & Macedoniæ, ubi objectum sibi Carambejum Præfectum Asiæ, cepit, ejúsque Exercitum grandi clade delevit. *Bonfinius. Brietius.*

6. Moritur Alexander III. Imperator Orientis. 912. Quo eodem anno obit & Alphonsus Magnus, qui antequam moreretur, magnam de Arabibus victoriam retulit, quâ gloriosus, mox ad nobilem in cœlum triumphum abijt. *Brietius.* Varadinum auspicijs Augustissimi Cæsaris Leopoldi deditione recipitur. 1692.

7. Godefridus Bullionius, fœderatíque Latini Principes, Hierosolymam obsident. 1099. *Caferrius.* Budensis Vezirius Aly Bassa, ex improviso in ipsis suburbijs Budensibus, à Haydonibus Hungaris occultè in insidijs latentibus, capitur. 1602. *Istvanfius.*

8. Vissegradum in Hungaria à Serenissimo Duce Lotharingiæ Carolo, Turcis eripitur. 1684.

9. Fridericus Imperator, habitis Ratisbonæ Comitijs, coactóque Exercitu, centum quinquaginta millium, in Palæstinam à Saladino Machometano occupatam, iter ingreditur. 1189. *Caferrius.*

10. Aly Bassa Constantinopolitanus, cum universis copijs & viribus, locatis à meridiana parte castris, Arcem Szigetanam oppugnare incipit 1556. Comes Sigefridus Kolloniczius, & Comes Franciscus Nadasdius, Turcarum aliquot minora Castella occupant & diripiunt. 1603. *Istvanfius.*

11. Aula Imperatoris Turcarum, fulmine tangitur & crematur. 1542. *Bucelinus.*

12. Horribilis omninò terræ motus in Thracia & Græcia, ac præsertim Constantinopoli, Adrianopoli, & Galliopoli, tribus his solùm Urbibus, hominum, 124000. oppressis, ex quibus viginti quatuor Bassæ, & duo millia ex Ministris aulicis Imperatoris Turcici, memorantur perijsse. 1542. *Bucelinus.*

13. Machometes Imperator, cum 150. millibus Belgradum, seu Albam Græcam, Serviæ munitissimam Urbem, ad Savum & Danubium confluentes fluvios, jam aliàs à patre suo frustrà tentatam, obsidet. 1456. *Brietius. Bonfinius.*

14. Areslanes Budensis Bassa, metu advenientis Echij Comitis Salmensis, Jaurinensis Generalis, obsidionem Palotæ, post decem dierum irritum conatum solvit. Anno Christi 1566. *Istvanfius.*

15. Comes Ferdinandus Hardecus, & Nicolaus Perlinus, qui Turcis Jaurinum

rinum præmaturè tradiderant, Jure militari convicti, extremo supplicio afficiuntur Viennæ. 1595. *Istvanfius.* Vigintiquinque millia Turcarum Sisciam denuò obsidione cingunt. 1593. *Istvanfius.* Echius Comes Salmensis, Wesprimium inopinatè aggreditur, & primo impetu pulsis Turcis, illud capit. 1566. *Istvanfius.*

16. Tribuni cæteri, qui occasione traditi Jaurini, Tatam, Palotam, Wesprimium, & Montem sacrum, Turcis capienda, deseruerant, quanquàm in Comitijs Centum-virali Judicio capitis damnatos, Rudolphus Cæsar liberos dimitti jubet. 1595. *Istvanfius.*

17. Ferdinandus Joannis I. Portugalliæ Regis filius, Fessæ Regi Machometano obses datus, pessimè à barbaro habitus, in carcere moritur. 1443. *Bucelinus.*

18. Comes Thomas Erdődi, cum Comite Auspergio, cum suis Exercitibus, ad solvendam obsidionem Sisciæ, Zagrabiæ conveniunt. 1593. *Istvanfius.*

19. Bihaczium, Fortalitium Croatiæ clari nominis, quod Wunna fluvius, in modum Insulæ circumfluit, à Bela IV. Hungariæ Rege, olim dum à Tartaris pulsus in Dalmatia exularet, opportuno loco conditum, à Turcis occupatur. Anno Christi. 1592. *Bucelinus. Istvanfius.*

20. Comes Thomas Erdődius, & Comes Auspergius habito consilio bellico, contra Hassanum, Sisciam obsidentem, progredi, & obsidionem solvere statuunt. 1593.

21. Ferdinandus Catholicus Rex Hispaniarum, Alloram Urbem Maurorum, expugnat. 1484. *Mariana.*

22. Nostri admirabilem, Ducibus Erdődio & Auspergio, ad Sissecum reportant de Turcis victoriam, cæsis eorum duodecim millibus. 1593. *Istvanfius.*

23. Arx S. Elmi, in Insula Melitensi, expugnatur à Turcis, cum magna tamen suorum strage. 1565. *Bossinus.* Solymanus Turcarum Imperator, Valponem Civitatem Sclavoniæ, deditione capit, Præfecto Arcis & Centurionibus, contra fidem datam, interfectis. 1543. *Istvanfius.*

24. Mox etiam idem Solymanus Sielosiam ardua in rupe sitam, ignaviâ Præfecti, Michaëlis Ferrei (qui potiùs plumbeus dicendus erat) deditione, in suam potestatem redigit. 1543. Belgradum post duorum mensium oppugnationem, à Solymano Turcarum Imperatore expugnatur. 1521. *Brietius. Istvanfius.*

25. Achmetes Bassa cum Machomete Beglerbego, Temesvarinum obsidet, & triginta muralibus tormentis, Urbem & Arcem quatere incipit. 1552. *Istvanfius.*

26. Illustrem de Turcica classe, apud *Tenedum* Veneti victoriam reportant quâ ad

quâ ad novem millia Turcarum occiſa, quinque millia capta, cum triremibus centum, Anno Chriſti. 1656. *Caferrius.*

27. Sereniſſimus Carolus, Dux Lotharingiæ, ſub auſpicijs Auguſtiſſimi Leopoldi Cæſaris; viginti millia Turcarum, ad Vaciam cædit, & Civitatem cum Arce occupat. 1684.

28. Antiochia Syriæ Urbs, defenſa fortiter, generoſiùs oppugnata à Cruce ſignatis, Duce Godefrido Bullionio, Saracenis eripitur. 1098. *Bucelinus. Brietius.* Leopoldus Auſtriæ Dux, Sancti Leopoldi pronepos, de Saracenis triumphat 1213. *Schönleben.*

29, Per Comitem Joannem Draskovits, quatuor millia Turcarum cæduntur. 1689. Machometes Rex Feſſæ, grandi prælio ab *Abdemeleco* profligatur. Anno 1575. *Bucelinus.*

30. Strigonium à Generali Mansfeldio obſidione cingitur. 1595. *Iſtvanfius. Acubat* Baſſa, Machometis II. Turcarum Regis Generalis, cum viginti millibus militum, Hydruntum Urbem Calabriæ obſidet. 1480. *Caferrius.* Joannes Caſimirus Poloniæ Rex, Coſacos & Tartaros magnâ clade devincit, in Bereſtetk, occiſis ultrà centum millia, ex Polonis bis mille & ducentis deſideratis. 1650. *Caferrius.*

JULIUS.

1. Magno rei Chriſtianæ bono, Rex Feſſæ Machometanus, Chriſto dat nomen, & ſolenniter baptizatur. 1560. *Bucelinus.* Quo eodem anno infeliciter ceſſit Hiſpanis, ſub auſpicijs Philippi Regis, Tripolitana expeditio, dum Claſſis Turcica, Ducibus Piali Baſſa, & Muſtapha, claſſem oppreſſit Hiſpanicam, perditis duo de viginti millibus Chriſtianorum, & viginti octo triremibus, ac quatuordecim onerarijs, cum multis minoribus navigijs captis. *Brietius.*

2. Nicephorus Phocas, Saracenorum triumphator, ab Exercitu Imperator Orientis acclamatur. 963. Quo eodem anno miſit Manuelem cum claſſe in Siculos Saracenos, ſed imperitiâ *Manuelis*, res Græcorum perdidit & Saracenorum erexit, cùm hic cæſus eſſet cum exercitu. *Brietius.* Echius Comes Salmenſis, Tatam in Hungaria, Turcis eripit. 1566. *Iſtvanfius.*

3. Res Chriſtianorum in Oriente, à Saladino & Saracenis in ſummas anguſtias rediguntur, nihilominus tamen Chriſtiani rem totam, prælio committere decernunt.

4. Saladinus Chriſtianos prælio vincit, Raymundo Principe, aliiſque Nobilibus, Epiſcopis, ad mille ducentos interfectis, peditum verò triginta tribus milli-

bus millibus, capto Gvidone Rege, cum Sancta Cruce. *Caferrius.* Licèt *Brietius* hanc pugnam ad septimam hujus referat. *Hariadnus Barbarossa*, Bassa Turcicus, bello maritimo clarissimus, extingvitur. 1546. Bartaffus Bassa, Gyulam arctâ obsidione cingit. 1566. *Istvanfius.*

5. Joannes Corvinus, toties de Turcis victor, hâc die adversam fortunam expertus, suorum quatuor millia perdit. *Bucelinus.*

6. Mauri Barcinonem expugnant, & Christianos omnes contrucidant. 989. *Bucelinus.* Tartari, Turcis, & nonnullis Rebellibus mixti, Equitatum nostrum, inter Petronellam & Elend pagos, ex improviso perturbant. 1683.

7. Theobaldus Navarræ Rex, contra Saracenos in Palæstina victor. Anno Christi. 1253. Et Sigismundus Rex Poloniæ, contra Tartaros triumphator. 1571. Ac Comes Echius Salmensis, contra Turcas in Hungaria strenuus pugnator. 1574. moriuntur. *Brietius. Ricciolus. Bucelinus.*

8. Petrus Eremita Ambiensis, Belli sacri contra Saracenos, sub Godefrido Bullionio, præcipuus author, piè in Domino obit. 1115. *Caferrius.*

9. In Arabia, Syria, Palæstina, & Mesopotamia, Terræ motus integras etiam Urbes, & multa millia hominum obruit. *Bucelinus.* Turcæ & Tartari Austriam fœdè depopulantur. 1683. Classis Veneta Turcicam classem, in Mari Ægæo delet, septingentis interfectis, bis mille militum captis, cum sedecim magnis navibus. 1651. *Caferrius.*

10. Catharina Cornelia, Marci filia Nobilis Veneta, olim Cypri Regina, Jacobi Regis vidua, amissâ Cypro, & à Turcis occupatâ, Venetijs moritur. 1559. *Caferrius.*

11. Terræ motus horribilis, Constantinopolim magnoperè concutit. 1490. *Bucelinus.* Moritur Almericus Rex Hierosolymorum. 1173. *Bucelinus.*

12. Acra Urbs Palæstinæ, in ora maris mediterranei, à Christianis occupatur. 1191. *Bucelinus.*

13. Aly Bassa, mortuo Principe Georgio II. Rakoczio, & adducto secum ad castra Achatio Barczaio ejusdem successore, acerrimè Varadinum oppugnare incipit. 1660.

14. Mustapha Bassa, supremus Turcarum Vezirius, Viennam cum ducentis ferè millibus circumvallat. 1683. S. Bonaventura ad Superos avolat, cùm Concilio Lugdunensi Oecumenico interest, in quo facta est Unio Ecclesiæ Græcæ cum Latina, & fœdus initum, inter Pontificem Gregorium X. Rudolphum I. Imperatorem, & Alphonsum X. Regem Castellæ, pro recuperatione Terræ sanctæ. 1274. *Caferrius.*

15. Godefridus Bullionius, Lotharingiæ Dux, cum Sacra militia, Urbem Hierosolymitanam, idque feriâ sextâ, horâ nonâ expugnat, postquam ea

636. annis,

639. annis, sub potestate Saracenorum extitisset, & omnium suffragijs, primus Rex Hierosolymæ eligitur. 1099. *Caferrius. Brietius.*

16. Filekinum in Hungaria, à Turcis proditione capitur. 1553. ex quo præsidio postmodùm incredibiles excursiones, incendia, cædes, ac depopulationes fuêre, octingentis & ampliùs oppidis ac pagis, sub tributum missis. *Istvansius.* Alphonsus IX. Castellæ, Petrus Aragoniæ, & Sancius Navarræ Reges, nobilissimam victoriam, adversùs innumerabiles Maurorum copias, ex Africa irrumpentes, divinitùs obtinent, quo in prælio, ducenta millia hostium desiderata fuisse scribunt, cùm ex Catholicis duntaxat viginti quinque manserint. 1212. Dies victoriæ miraculo partæ, annuâ festivitate in Hispania celebratur, quæ *Triumphus Crucis* vocatur. *Joannes Mariana, Rerum Hispanicarum Scriptor. Caferrius. Brietius.*

17. Baldvinus Flandriæ Comes, Constantinopolim expugnat, Gallorum & Venetorum operâ, quorum illi 20. peditū, & octo millia equitum submisêre, hi verò centum quinquaginta navium classem subministravêre; Urbs capta est intra octiduum, fugit Alexius Tyrannus: eductus è carcere, senex & excœcatus *Isaacius*, & cum Alexio filio Imperio rursùs est restitutus. 1203. *Brietius. Bucelinus.* Tartari magno numero, Nagaso & Coloburga Ducibus infusi, Poloniam vastant, & hâc die Abbatem Sanctæ Crucis in monte Calvo, Boleslai Regis cognatum, cum octuaginta duobus Monachis Martyrio afficiunt. 1260. *Bucelinus.*

18. Godefridus Bullionius Rex Hierosolymæ, ex Latinis primus, piè vitâ decedit. 1100. vir, quò robustiorem & fortiorem sæculum illud non vidit, utpotè: qui camelis colla uno gladij ictu facilè demeteret, armatum loricâ ferreâ Saracenum, in transversum secaret medium, ursum Syriacum conficeret solus, aliáque ejusmodi roboris munimenta sæpiùs ederet, quæ ipse suæ adscribebat castimoniæ, cùm vix anno unico regnâsset, succedit eidem Baldvinus, Dux Edessæ, qui regnavit annis septemdecim, & novem mensibus. *Caferrius. Brietius.* Constantinopoli turris quædam tacta est fulmine, in qua pulvis tormentarius continebatur, inde octingentæ ædes disjectæ sunt, vastúmque ortum incendium, cum magna Turcarum strage. 1490. *Bucelinus.* Nostri, à Turcis ad Petrinium cæduntur. 1592. *Istvansius.*

19. Aber Josephus Marochi Rex in Africa, assumptis secum sexcentis millibus Afris & Mauris, in Hispaniam transit, eámque cædibus implet, vincit etiam Alphonsum Regem, quinquaginta millibus occisis hâc die. 1195. *Caferrius.*

20. Solymanus Turcarum Imperator, *Quinque Ecclesias*, Urbem inferioris Pannoniæ, Præfecti & præsidiariorum ignaviâ, turpíque fugâ, absque sangvi-

ſangvinis effuſione, occupat. 1543, *Iſtvanfius.* Nicæa Urbs victis Saracenis, à noſtris capitur. 1097. *Bucelinus.*

21. Carolus V. Imperator, *Tunetum* in Africa expugnat, Maurorum ſeptem millibus interfectis, bis mille Chriſtianis liberatis. 1535. *Caferrius.*

22. Carolus Dux Lotharingiæ, & Ludovicus Marchio Badenſis, auſpicijs Auguſtiſſimi Cæſaris Leopoldi, ſuccurſum Turcicum infra Budam cædunt, omnibúſque Caſtris & tormentis exuunt. 1684. Noſtri Turcas propè Szigethum profligant. 1556. *Iſtvanfius.*

23. Turcæ obſidentes Viennam, duos ſimul Cuniculos, quos ſub terra, ante Lôbelianum & Palatinum propugnaculum effoderant, ſuppoſito igne ſuccendunt, non reſpondente tamen ex eorum ſententia eventu, nam alter ſine ullo detrimento, non ſatis obſtructo fomite evaporavit, alter non niſi decem viros in aërem excuſſit, aſſultum tamen & hunc quidem tertium in eodem hoc loco tentant, ſed & hâc tertiâ vice, à noſtris fortiter cum ſuorum multa cæde, rejecti ſunt. 1683.

24. Caran-Sebeſum & Lugaſtium Civitates, ab Achmete Tômôſvarinum obſidente, certis conditionibus ſalutem & libertatem impetrant. 1552. *Iſtvanfius.*

25. Aly-Eunuchus intermiſſam obſidionem Szigethianam ob ſuccurſum Baboczianis Turcis, à noſtris obſeſſis ferendum, iterum eandem repetit, quam tamen hâc vice poſtmodùm ſolvere cogitur. 1556. *Iſtvanfius.* Noſtri ex obſidione Viennenſi erumpentes in Turcas, egregiè eorundem ferociam retundunt. 1683.

26. Præſidium Turcicum Viroviticza in Sclavonia, ſe noſtris ad gratiam, & diſgratiam dedit. 1684.

27. Tômôſvarinum, poſt trigeſimum tertium obſidionis diem, in Turcarum poteſtatem devenit. 1552. *Iſtvanfius.* Moritur Jacobus Aragoniæ Rex fortunatiſſimus, qui tria Regna intra tempus regiminis ſui, Mauris abſtulit, & bis millia Templa, in honorem Beatiſſimæ Virginis exſtruxit. 1276. ætatis 80. Regni ſui 63. *Caferrius.* Spe præſenti Beatæ Virginis, Turca à Rhodijs Equitibus, nunc Melitenſibus, profligatur. Obſiderat autem hanc Inſulam Machometes II. Turcarum Imperator per Vezirium ſuum Meſitem, quam fortiter defendit Petrus Albuſſinius Alvernus, Magiſter Equitum Sancti Joannis Hieroſolymitani. Multis enim oſtentis DEUS Turcas terruit, quibus & octo millium ſuorum cæde, & quindecim millium vulneribus labefactatis, Inſulam relinquunt. 1480. *Bucelinus. Brietius.*

28. Noſtri Tômôſvarino per deditionem Turcis tradito exeuntes, contra fidem datam, à Turcis invaduntur, & crudeliter cæduntur. Et quidem *Loſſontio*

fontio loci Præfecto caput amputatur, Simoni Forgach juveni præstantissimo, qui paulò ante in expugnatione Lippæ, multis vulneribus acceptis, egregiam virtutis militaris laudem obtinuerat, nasus præscinditur, (cui id non probro, sed potiùs honori fuit) sícque in captivitatem abducitur: Lupus Bottyanius, brachijs ac pedibus truncatur, átque sic miserè perit. *Istvanfius.* Comes Nicolaus Palffi, Turcas Jaurinum obsidentes, per modum excursionis invadit, & tria ferè millia eorum cædit. 1594. *Istvanfius.*

29. Urbanus II. Pontifex Sacri belli maximus Promotor, moritur. 1099. Basilius Imperator, Bulgaros sæpè rebellantes magnâ clade afficit, & eorum quindecim millibus captis, oculos erui jubet, centeno quovis tantùm monoculo relicto, qui reliquos duceret. 1013. *Zonoras. Cedrenus.* Moschovia à Tartaris exuritur, multis millibus trucidatis. 1522. *Bucelinus.*

30. Machometes II. Imperator Turcarum, Euboeam Insulam Venetis eripit, Christianorum triginta millibus quà cæsis, quà servituti addictis. 1470. *Bembus. Bossius.* Auditâ Tőmősvari deditione, Lippa, cum summa ignominiæ nota, ab Aldano Hispano arcis Præfecto, deseritur, & incenditur. 1552. *Istvanfius.*

31. Constantinopoli multa millia ædium, vastissimo incendio, in cineres concidunt. Anno Christi. 1539. *Bucelinus.*

AUGUSTUS.

1. Fama-Augusta, Metropolis Cypri, à ducentis millibus Turcarum obsessa, hâc die expugnatur, qua in obsidione periêrunt Turcarum triginta millia. Præfecti Urbis, Marcus Antonius Bragadinus, & Thopolus, contra datam fidem, jussu Mustaphæ Bassæ, vivi excoriati, reliqui deditij omnes crudelissimè trucidati, aut in servitutem abducti. 1571. *Natalis Comes. Adrianus Roseus. Caferrius.* Insignis victoria de Turcis, à Comite Raymundo Montecuculi, auspicijs Augustissimi Leopoldi I. Cæsaris, ad Sanctum Gothardum reportatur, quam mox pax ad viginti annos conclusa, consequitur. 1664. Solymanus Turcarum Imperator Szigethum in Hungaria, præmissis copijs obsidione cingit. 1566. *Istvanfius.*

2. Hâc verò die ipsemet Solymanus, cum ingenti copiarum multitudine ad castra advenit. 1566. Viennenses nostri obsessi, feliciter succenso cuniculo contra Turcas, plurimos ex ijs in auras mittunt. 1683.

3. Turcæ in obsidione Viennensi, acerrimè extimam fossarum mœnibus adversarum spondam, vulgo Contrascarpe dictam, aggrediuntur, eámque ex parte occupant. 1683. Prælúdia sequentis cruenti conflictûs inter Machometanos

metanos & Sebeſtianum Regem Luſitaniæ in Africa præmittuntur. 1578.

4. Sebaſtianus Luſitaniæ Rex, Joannis Principis filius, & Joannis III. Luſitaniæ Regis Nepos, à copijs Abdelemeci Feſſæ Regis victus, occumbit in Africa, cum præcipua Regni nobilitate, & quindecim millibus militum, cæſis vel amiſſis. 1578. cùm vixiſſet ſummæ ſpei, & expectationis optimus Rex, annis 24. menſibus ſeptem, & diebus quindecim. *Brietius. Caferrius.* Noſtri Ducibus Mansfeldio & Nicolao Palffio Exercitum Turcicum triginta millium, qui in ſubſidium Turcis Strigonienſibus obſeſſis adventarent, cædunt & fugant, cœſis ex hoſtibus quatuordecim millibus, triginta ſeptem ſignis, ac totidem colubrinis acceptis, caſtris hoſtium direptis. 1595.

5. Achmetes Baſſa Solmoſiam arcem in Hungaria, parvo ſupra Lippam intervallo, monti edito impoſitam, ſed expugnatu difficilem, ab Hiſpanis & Hungaris Aldanæ Præſidiarijs derelictam in ſuam poteſtatem redigit. 1552. *Iſtvanfius.*

6. Machometes II. Belgradum cum centum quinquaginta millibus, jam à patre ſuo fruſtra tentatum, obſidens, à Joanne Hunyade Hungariæ tunc Gubernatore, S. Joanne Capiſtrano, & Joanne Carrujatio Pontificis Legato, vincitur, & in fugam conjicitur. Cæſa tunc fuiſſe perhibentur Barbarorum quadraginta millia, pleríque Baſſæ, ipſe Machometes in pectore plagam acceperat, quæ cùm lethalis crederetur, ſequenti nocte ſoluta eſt obſidio, relictis omnibus machinis. Ob quam victoriam, Feſtum Transfigurationis, in Eccleſia inſtitutum eſt. Anno Chriſti 1456. *Bonfinius. Brietius.*

7. Turcæ Tökölianis immixti, à Carolo Duce Lotharingiæ, ad Moravum amnem reprimuntur, ac decem ſignis militaribus amiſſis, repelluntur. 1683.

8. Circa hos dies Arx *Dregel* in Hungaria, ab Eunucho Aly Budenſi Vezirio obſidetur, & fortiter à Georgio *Zondio* propugnatur, qui ubi ampliùs arcem defendere non poſſet, expiatis priùs Chriſtiano ritu criminibus, pecuniam, veſtes, & res omnes quas habebat, in portam arcis comportari curavit, eaſque ſubditâ face flammis exuſſit, deinde cum reſiduis præſidiarijs, in hoſtes erupit, multóſque ex ijſdem interfecit, nec pugnare deſtitit, donec multis vulneribus, & aliquot glandibus ictus, mortuus corruerit. 1552. *Iſtvanfius.*

9. Idem Aly Eunuchus, complura minora præſidia, eâdem expeditione militari, & ut ipſi Turcæ jactabundi dicebant, ſpatiando, & quaſi ſecum otiando, in ſuam poteſtatem redigit. 1552.

10. Turcæ Methonam Urbem Peloponeſi, Venetis eripiunt, átque expugnant. 1499. Strigonium Solymanus Imperator, præſidiariorum non ſat maturâ deditione occupat, ſingulariter ſibi gratulando, quód eo die, quo Bajazethes

jazethes Methonam à Venetis cepiſſet, ipſe Strigonio potitus eſſet. Anno Chriſti. 1543. *Iſtvanfius.*

11. Machometes II. Turcarum Imperator, miſſo Achmete Baſsâ in Apuliam cum Exercitu, hâc die Hydruntum Urbem obſidet, & poſt viginti circiter dies expugnat, Archiepiſcopum loci, ligneâ ſerrâ diſſecat, occiſis ad undecim millia virorum, Apuliámque devaſtat. 1480. *Caferrius.* Eraſmus Tajfellius, Jaurini Præfectus, infeliciter cum prænominato Aly Eunucho confligit, ac ipſe quóque ſaucius, in poteſtatem hoſtium venit, quem dein Aly Eunuchus, cum aliquot præcipuis captivis, ac quadraginta ſignis Conſtantinopolim miſit, ubi ab irato Solymano, cuneo inſutus, in mare mergi juſſus eſt. 1552. *Iſtvanfius.*

12. Haſſanes Baſſa, Vezirius Budenſis, Albam Regalem obſidet. 1602. *Iſtvanf.*

13. Turcæ Viennam obſidentes, novum cuniculum ſuccendunt, ſed Divinâ providentiâ factum eſt, ut concipiens ignem pulvis, ad fomitem eundem remitteret, ipsíſque Turcis ingens damnum inferret. 1683.

14. Baldvinus Rex Solymorum, cum Comite Tripolitano, obviam Saracenis progreſſus, prævio ſigno Sanctæ Crucis, inſignem de ijs reportat victoriam. 1020. *Brietius. Bucelinus.* Henricus Flander, Baldvini frater, eligitur Conſtantinopolitanus Imperator, ubi mors captivi fratris apud Bulgaros audita eſt. 1206. Ipsâ hâc die, incertum quo anno, Petrus Rex Aragoniæ, Mauros ad *Morelium* profligat. *Bucelinus.*

15. Equites Sancti Joannis Hieroſolymitani, malè in Inſula Cypro à Rege habiti, & impetratâ ab Andronico Rhodo Inſulâ, Turcis ex ea ejectis, poſt longam obſidionem, ac expugnationem, tandem eâdem potiuntur, ibíque ſedem ſuam figunt. Inde poſtmodum Rhodij Equites dicti, quam etiam per annos ducentos & tredecim, ſtrenuè defenderunt adversùs Turcas. *Brietius. Caferrius.* Haſſanes Baſſa Szigethianus, Turcarum Præfectus, Kis-Comaromiam Arcem ex improviſo nocte concubiâ capit & diripit. 1591. *Iſtvanf.*

16. Exercitus Turcicus Strigonium obſidens, ad divertendam obſidionem Ujvarini à noſtris inſtitutam, à Sereniſſimo Carolo Duce Lotharingiæ, ac Sereniſſimo Duce Emmanuele ac Electore Bavariæ, fugatur & cæditur, & interim etiam Ujvarinum per inſultum ab Excellentiſſimo Generali Ænea Caprara occupatur. 1685. Eâdem etiam die, & anno, ab Excellentiſſimo Generali Leslæro pontes Eſzekienſes exuruntur. Saſvares Szigethi Præfectus, cum octo millibus Caniſienſes partes invadit, eáſque vaſtat, ac depopulatur. 1587. *Iſtvanfius.*

17. Idem Saſvares in reditu cum maxima præda, à noſtris Ducibus, nempe, Georgio Zrinio, qui eo tempore Caniſæ tuendæ præſidio præerat, Bottyanio

tyanio item & Nadaſdio, ac Friderico Trautmanſtorfio, in fugam cum ſuis conjicitur, ac devincitur, cœſis hoſtium duobus millibus, & non paucis eorum captis. Anno Chriſti. 1588. *Iſtvanfius.* Rhodus Urbs, aliquot menſibus à Turcis obſeſſa, hâc die liberatur. 1448. *Boſſius.*

18. Alphonſus Caſtellæ Rex, à Saracenis ad *Lalcurim* victus, ægrè effugit. 1195. *Bucelinus.* Quo eodem anno, diſcordia exorta inter Saladini filios, ſpes affulſit recuperandæ Palæſtinæ, miſſæ igitur circumquáque Legationes, ſed irrito conatu, Principibus Chriſtianis ad ſimiles occaſiones prorſus ſomnoſopitis, & ignaviâ torpeſcentibus. *Brietius.*

19. Turcicus Exercitus ad Salancamenum, per Sereniſſimum Ludovicum Marchionem Badenſem, ad internecionem deletur, cæſis & vulneratis hoſtium 52. circicer millibus, manente in prælio ipſomet Summo Vezirio, & Janiczerorum Agâ, omnibúſque Caſtris direptis & occupatis. 1691.

20. Nicephorus Phocas, jam priùs Imperator acclamatus à militibus, hâc die coronatur in Imperatorem Orientis, qui eodem & ſequenti anno, Inſulam Cypri, & centum ferè Urbes, ipsámque Antiochiam aſſeruit Imperio, & Saracenis eripuit. 964. *Bucelinus.*

21. Moritur Alphonſus Caſtellæ Rex, Maurorum hoſtis. 1157. Eâdem hâc die obit Fr. Philippus de Villers, quo Magiſtro Rhodus capta, Melitæ. 1534. Joannes quóque de Valeta, Magnus & ipſe Magiſter, qui Inſulam Melitam à Turcica obſidione fortiter tutatus erat, anno 1565. hâc eâdem die fato cedit. 1568. *Boſſius. Caferrius.*

22. Canea Cretenſis Inſulæ nobile propugnaculum, à Turcis poſt duorum menſium obſidionem expugnatur. 1645. *Caferrius.* Baldvinus II. Rex Hieroſolymæ, poſt liberatam fortiter & feliciter Antiochiam, ex morbo obit. Anno Chriſti. 1131. *Brietius.*

23. Cum Sinane Baſſa multis rebus præclarè in Aſia, & Africa, quin & Hungaria bello geſtis, tumente & ſuperbiente, Sigiſmundus Bathorius acerrimo prælio congreditur, eúmque vincit, ac in fugam conjicit. 1595. *Iſtvanfius. Brietius.*

24. Graviſſimum inter Perſas & Turcas committitur prælium, cujus ſucceſſus variè deſcribitur, utrique tamen parti, pugna erat cruentiſſima, victi primùm Perſæ, ſed dein reverſi, univerſum Exercitum Turcicum ferè ad internecionem delent. 1514. *Bucelinus. Brietius.* Selimus Turcarum Imperator, Campſonem Gaurum Ægypti Sultanum profligat, quo in prælio ipſe quóque Campſon, cum magna ſuorum Mamalucorum parte perit. 1516. *Brietius. Bucelinus.* Hatvanum in Hungaria, per Archiducem Maximilianum expugnatur. 1596. *Iſtvanfius.*

25. S. Ludovicus Rex Galliarum, bello contra Saracenos pro recuperanda Terra Sancta in ipsa expeditione correptus peste, hâc die extingvitur. 1270. Postquam regnâsset annis quadraginta quatuor, vixisset 56. *Caferrius.*

26. Constantinopolis ad tertiam partem per festivitates natalitias filij Sultani concidit in cineres, quo incendio ad nonaginta millia domorum, & centum Meschitæ incensæ dicuntur. 1637. *Caferrius.* Persæ à Turcis grandi prælio profligantur, triginta millibus cæsis. 1514. *Bucelinus.*

27. Nostri obsessi Viennenses feliciter eruptionem contra obsidentes Turcas faciunt. Eâdem die hostis binos cuniculos iterùm incendit, sed postremo vix quidpiam præstitit, ad fragorem autem primi, statim hostis assilijt, sed masculâ manu nostrorum & virtute, repulsus est. 1683.

28. Præviæ fatali prælio Mohaczìensi velitationes, toto triduo præmittuntur, in quibus Hungari semper fuêre superiores, incertum virtutene ac vi nostrorum? vel fortuitò? aut spontè cedentibus Turcis? ita, ut eo qualicúnque successu, elati animis præfecti & milites, magìs ac magìs ferocire, pugnámque poscere, & Regem ac Duces, ne eam diferre vellent, importunè urgere non dubitarent. 1526. *Istvanfius.*

29. Initum igitur funestum prælium, acritérque ab initio pugnatum est, verùm postmodùm multitudine hostium (qui nostros in decuplo ferè superabant) acies nostra circumventa inclinatur, totúsque exercitus, ac ipse etiam Rex Ludovicus, in fugam conjicitur, & in fuga in palude mersus perit. Peditatus totus ferè cœsus, ex Equitatu plures quidem evasêre, sed & hi majori ex parte interiêre, Nobilitas præcipua occubuit, perijt & ipse author & svasor prælij Paulus Tomoræus (ex Duce militiæ Religiosus, & ex Religioso Archiepiscopus Colocensis, ac totius Exercitûs ductor) cum multis Episcopis, Magnatibus, & Baronibus, castra universa direpta, sícque totius Hungariæ felicitas, unius prælij aleæ temerè exposita, est consepulta. 1526. *Istvanfius.* Item Belgradum Regni Hungariæ, ac totius Christianitatis fortissimum propugnaculum, à Solymano Turcarum Imperatore expugnatur. 1521. *Istvanfius.* Hasanes Purpuratus, Albam Regalem, necdum expleto à Christianis in ejus possessione integri anni spatio, iterum recipit. 1602. *Istvanfius.* Serenissimus Ludovicus Marchio Badensis, ad Moravam fluvium Bulgariæ, Turcicum Exercitum profligat & cædit, reportatis centum & quinque tormentis, plurimis tentorijs, aliísque impedimentis. 1689.

30. Præsidiarij Belgradienses, contra fidem datam, per pacta deditionis à Turcis trucidantur. Item Serenissimus Ludovicus Marchio Badensis, heri fugientes Turcas prosequitur, insignémque de ijs victoriam reportat. Item Solymanus partâ de nostris victoriâ, ad diversas partes prædatarios

 Equites,

Equites, quos Turcæ Acagios vocant dimittit, qui Hungariam longè latéque depopulantur, ac devaſtant. 1526. *Iſtvanfius.* Idem Solymanus Turcarum Imperator, Muſtapham filium natu maximum, ob affectati Regni ſuſpicionem, fœdo ſupplicio jubet interimi. 1555. *Bucelinus.*

31. Machometes Turcarum Imperator, Hydruntum Calabriæ occupat, & ſummâ crudelitate diripit. 1480. *Bucelinus.* Circa Calendas Septembris, Szabaczam Turcæ obſident. 1490.

SEPTEMBER.

1. Strigonium Hungariæ Arx munitiſſima, à Matthia Archiduce, poſt duorum menſium acrem obſidionem, & Turcarum ſtrenuam defenſionem, ad deditionis conditiones adigitur. 1595. *Caſerrius. Bucelinus. Iſtvanfius.*

2. Solymanus Turcarum Imperator, evocatus ab Iſabella Joannis Zapolliani Inter-Regis Vidua, in ſubſidium contra Ferdinandum I. Regem Hungariæ, dolosè Budam Metropolim Hungariæ pro ſe occupat, ipsámque cum filiolo Joanne Sigiſmundo, in Tranſylvaniam relegat. 1541. *Iſtvanfius.* Quo eodem die, poſt annos centum quadraginta ſex, póſtque iteratas ſed irritas intra hoc temporis ſpatium obſidiones ejuſdem, tandem auſpicijs Auguſtiſſimi Cæſaris Leopoldi I. per Carolum Lotharingiæ, & Emmanuelem Bavariæ Duces, in conſpectu Exercitûs Turcici, qui ad ſolvendam obſidionem venerat, armatâ manu gloriosè expugnatur, & recuperatur. 1686.

3. *Gyula* Fortalitium ſuperioris Hungariæ, Tranſylvaniam versùs, à Pertaffo Baſſa, quam Nonas Julias obſederat, Quercucenij Præfecti Arcis proditione vel ignaviâ, in Turcarum poteſtatem redigitur. 1566. Ipſe verò Quercucenius, contra pacta deditionis, poſtmodùm à Turcis compedibus vincitur, & Belgradum perducitur, ac tandem Selymi Imperatoris juſſu, ſtrangulatur. Cui ſanè præſtitiſſet, heroico exemplo Comitis Nicolai Zrinij ſui Promotoris & commendatoris, ad hanc præfecturam, in defenſione præſidij occumbere, quàm tam ignominiosè laqueo finem vivendi imponere. *Iſtvanfius.* Inſignem noſtri de Turcis ad Sixonem, reportant victoriam. 1558. *Iſtvanfius.*

4. Saraceni, igne cædéque Italiam vaſtantes, celebri opulentiâ Monaſterij Caſſinatis allecti (exceptâ ſolâ Eccleſiâ Salvatoris, quæ divinitùs incendium evaſerat) totum exurunt. 884. *Leo Oſtienſis.* Solymanus II. Turcarum Imperator, in obſidione Szigethiana moritur, ſed ejuſdem mors celatur, donec & præſidium à Turcis expugnaretur, & ejuſdem Filius Selymus ad caſtra adveniret. 1566. *Iſtvanfius. Caſerrius.* Supremus Vezirius cum ducentis millibus

millibus Turcarum & Tartarorum veniens in Hungariam, in transitu Babo-czam aggreditur, & hâc die expugnat. Anno Christi. 1600. *Istvanfius*. Ferdinandus II. tunc adhuc solùm Archidux Austriæ & Styriæ, magnis copijs, quà suis, quà Pontificijs, Canisam anno superiore amissam, obsidet. 1601. *Istvanfius*.

5. Selymus Turcarum Imperator, ingenti strage à Tartaris profligatur. 1568. *Bucelinus*.

6. Belgradum in confinijs Sclavoniæ & Serviæ situm, postquam in potestate Turcarum, annis centum sexaginta quinque fuisset, à Serenissimo Emmanuele Electore, & Duce Bavariæ, vi & manu armatâ expugnatur. 1688. Nostri rursus cum Turcis Jaurinum obsidentibus confligunt, & inchoatâ concertatione, ab illucescente aurora ad solis úsque occasum, velitando strenuè pugnant. 1594. *Istvanfius*. Colloniczius, Nadasdius, & Palffius, insignem victoriam, de Machomete Vezirio, ad Vacziam reportant. 1597. *Istvanfius*.

7. Alphonsus I. Aragoniæ Rex, cùm regnâsset annis triginta, in velitaria pugna, à Mauris trucidatur, qui vicies novies cum Mauris collatis signis pugnaverat, undè pugnantis nomen adeptus est. 1134. *Caferrius*.

8. Szigethum, post fortissimam & strenuissimam, tam oppugnationem, quàm propugnationem, à Turcis vi armatâ expugnatur, úsque ad extremum vitæ se gloriosè defendentibus præsidiarijs, animante eos ad fortiter pugnandum, & pro Christianitate occumbendum, Comite Nicolao Zrinio, simul & exemplo præeunte. Qui cùm omnia desperata esse vidisset, indutis speciosis ac pretiosis vestibus, quibus in spectaculis, ac nuptialibus pompis uti erat solitus, accinctus acinace paterno, quo multùm laudis & gloriæ acquisiverat, ac præsidij clavibus sacculo impositis, irruit in hostem, gravissiméque pugnans, tandem duobus trajectus ictibus, constanter, ac Heroicè occubuit. 1566. *Istvanfius*. Ibraimus summus Vezirius, Canisam obsidione circumvallat. 1600. *Istvanfius*.

9. Dux Mercurianus, Albam Regalem obsidet. 1601. *Istvanfius*. Nostri in campis Liburtinis, à Turcis profligantur. 1493. *Bucelinus*. Cùm enim *Jacupes Begus*, Bosniæ præfectus excursionem in Carnos fecisset, Derenczenius, Illyrici Præfectus, & Comes Frangepanus, prædâ onustos, reduces Turcas aggrediuntur, sed ab ijsdem superantur, utróque Duce ardentissimè pugnante & occumbente. Cecidêre in hac pugna, ex nostris quinque millia hominum, ac signa militaria omnia amissa. 1493. *Istvanfius*.

10. *Nicosia*, Insulæ & Regni Cypri caput, à Turcica classe, Ducibus Mustaphâ, Piali, & *Hali*, Janiczerorum Agâ, quadragesimo quinto obsidionis die, ca-

die, capitur, cœsis omnibus incolis, vel in servitutem abductis. 1570. *Brietius. Ricciolus.* Hassanes Bassa, cum septuaginta millibus, ad Pestanos campos pervenit, cujus adventu quaquam expectato, cum summæ ignominiæ nota *Jagenrajterus*, qui Pesto præerat, metu perculsus, relictis tormentis & commeatu, unà cum socijs Strigonium versùs profugit, hostìque locum relinquit. 1604. *Istvanfius.* Joannes Hunyades, Turcarum terror, totius Christianitatis mœrore extingvitur. 1456.

11. Jagenrajteri exemplum secuti, qui Hatvanini erant præsidiarij, incensâ priùs arce, sese in tutum proripiunt, & Turcæ utrúmque locum extincto incendio facilè occupant. 1604. *Istvanfius.*

12. Ferdinandi I. Regis Hungariæ Exercitus, Duce Ragendorffio, à Machomete Beglerbego, & Ulimanno Persâ, in obsidione Budensi graviter atteritur, ipséque Ragendorffius ex vulnere accepto & mœrore, postmodùm fato defungitur. 1547. *Istvanfius,* Viennensis obsidio Turcarum, Ducibus Joanne Rege Poloniæ, hujus nominis III. Carolo Lotharingiæ Duce, Emmanuele Electore Bavariæ, ac Electore quóque Saxoniæ felicissimè solvitur, Turcis omnibus turpiter profugientibus, castrísque cum tormentis ac papilionibus, universísque impedimentis, prædæ nostrorum relictis. 1683.

13. Achmet Eunuchus, Petriniam in Croatia, cum copioso Exercitu obsidione cingit, quam tamen adventu nostrorum solvere cogitur. 1596. *Istvanfius.* Waltherus de Plodenburg, ad quadraginta millia Tartarorum cædit. 1502. *Bucelinus.*

14. Memorabilem triumphum reportat Heraclius Imperator de Persis, Inde institutum est Festum Exaltationis S. Crucis. *Bucelinus.* Constantinus Magnus, Templum Sancti Sepulchri Hierosolymis solenni pompâ dedicari curat. 339. *Bucelinus.* Quod dein Anno Christi. 636. in potestatem Saracenorum devenit, sed anno 1099. recuperatis Hierosolymis, à Godefrido Bullionio Christianis restitutum fuerat, verùm rursùs ab expugnata Urbe per Saladinum, in Machometarum seu Turcarum potestate etiam num manet, ita tamen ut liber pateat Christianis peregrinis ad illud aditus, devotionis ergò.

15. Solymanus Turcarum Imperator, longè latéque Hungariam depopulatur. 1526.

16. Classis Fœderatorum, nempe: Pontificis Pij V. Philippi II. Regis Hispaniarum, & Venetorum, ac Melitensium, Messanâ contra Turcas pugnatura, solvit. 1571. *Caferrius.*

17. Joannes Franciscus Aldobrandinus, Romani Pontificis auxiliarium copiarum, contra Turcas in Hungaria Ductor, extingvitur. 1601.

18. Jaurinum ignaviâ Comitis Hardeci, Præfecti loci, à Sinano Vezirio occupatur. 1594. *Istvanfius.* 19. Hasa-

19. Hasanes Bassa, irrito licèt conatu Strigonium obsidet. 1604. Mercurius Dux, Albam Regalem recipit. 1601. *Istvanfius.*

20. Vissegradum ab Archiduce Matthia expugnatur, hostibus arbitrio victoris se tradentibus. 1595. Caroli V. Imperatoris auspicijs, *Aphrosiacum* Africæ Urbs, septuagesimo quarto die obsidionis capitur. *Thuanus. Schönleben.*

21. Turca Astracanum obsidens, magnâ clade acceptâ, se proripit. 1659. *Bucelinus.* Moritur Carolus V. Imperator, in Monasterio S. Justi, in Hispania, quo se, resignato Imperio, & omnibus Regnis ac Provincijs, in Filium Philippum translatis, receperat, Princeps bellicosissimus, & optimè animatus, in eliberationem totius Europæ, è Tyrannide Turcarum, si ab æmulis & domesticis tumultibus impeditus non fuisset. *Schönleben.*

22. Selymus I. Turcarum Imperator, pestilenti carbunculo extingvitur. 1520. *Caferrius.*

23. Induciæ inter Ferdinandum III. Cæsarem, & Ibraimum Turcarum Imperatorem, ad annos viginti sanciuntur. 1642. Ujvarinum à Turcis, post oppugnationem sex hebdomadarum, expugnatur. 1663.

24. Exercitus Turcicus ad Nissam, per Serenissimum Marchionem Badensem cæditur, & Urbs Nissa occupatur. 1689. Missa Gabrieli Bethlehemo quadraginta millia Tartarorum, à Polonis delentur. 1626.

25. Solymanus Imperator Turcarum, cum ingentibus copijs, ad obsidendam Viennam veniens, Austriam dirè depopulatur. 1529.

26. Hâc die autem ipsam Urbem Viennensem obsidione cingit. Augustissimus Imperator Leopoldus I. post victoriam ad Sanctum Gothardum obtentam, pacem cum Turcis ad annos viginti, per suum Legatum initam, ratificat. 1664.

27. Præsidium Eszekiense, à nostris per Generalem Dinebold, præter omnium spem à Turcis priùs metu derelictum, occupatur. 1687. Agriam Ibraimus Purpuratorum Princeps, cum ingenti Turcarum multitudine, obsidet. Anno Christi. 1596. *Istvanfius.*

28. Sigismundus Hungariæ Rex, & posteà Imperator, tristissimâ clade, à Turcis ad Nicopolim, Civitatem Bulgariæ, profligatur. 1393. *Bonfinius.* Saracenos insigni prælio vincit Constantinus Monomachus Imperator Orientis. 1048. Ibraimus Supremus Vezirius, Günczij obsidionem solvere cogitur. 1529.

29. Petrus Aragoniæ Rex, terror Maurorum, juvenis adhuc moritur. 1108. Operâ Francisci Nadasdi, Turcæ ex *Insula Leporum* dicta, Budæ opposita, ejiciuntur, & profligantur, cæsis aliquot millibus eorum. 1603. *Istvanfius.*

30. Nostri Pesthum acerrimo impetu aggressi, capiunt, & ingenti prædâ potiuntur, 1602. *Istvanfius.*

OCTOBER.

1. Concilium Viennense in Gallia inchoatur, quod inter universalia Concilia erat ordine Decimum quintum, Præside ipso Summo Pontifice Clemente V. Cui interfuêre Antiochenus & Alexandrinus, ritûs Latini Patriarchæ, & Episcopi trecenti, cum aliorum centum quatuordecim Procuratoribus, præter Abbates & Doctores. Tres item Reges: Francus, Anglus, & Aragonius, in quo actum est de Terræ Sanctæ à Machometanis recuperatione. 1331. *Caferrius. Brietius. Ricciolus.* Tartari ad Turcarum castra Varadinum obsidere intendentium, adveniunt. 1598. *Istvanfius.* Joannes de Austria, fortissimus Belli Dux, & Turcarum in Africa victor, moritur. 1578. *Caferrius. Brietius.*

2. Saladinus, victis nostris Hierosolymam occupat, ac Sanctam Crucem Christianis eripit, eandémque fœdissimè tractat. *Bucelinus.* Alij aliter.

3. Manuel I. Imperator Orientis, sub cujus Imperio, & cujus culpâ, Saraceni in oriente fecerunt progressus, (nam nec ipse iisdem resistere valebat, nec à Latinis vinci sinebat) hâc die moritur, succedit eidem eâdem die Alexius filius. 1181. *Bucelinus.*

4. Turcæ & Tartari Varadinum obsidione cingunt. Quo eodem die, ac ferè ejusdem diei horâ, nostri Budam obsident. 1598. *Istvanfius. Sinanus* Wesprimium obsidet, & nostris diffugientibus occupat. 1593. *Idem.* Sinan Bassa, post Jaurinum expugnatum, & Papam occupatam, Comaromium obsidione circumvallat, quam tamen postmodum metu adventûs nostri Exercitûs perculsus, solvit, Anno Christi. 1594. *Istvanfius.*

5. *Mamucha* Saracenus, cum classe sedecim octingentorum militum, Siciliam invadit, & Messanense Cœnobium diripiens, Sanctum Placidum Anicium, Sancti Benedicti discipulum, cum duobus Fratribus Romanis Principibus, ac Sorore eorundem, nec non toto Collegio Religiosorum, eò, quòd Christum abnegare renuerent, crudelissimè occidit. 1541. *Breviarium Romanum. Bucelinus.*

6. Carolus Calvus Imperator Occidentalis, cùm precibus Joannis VIII. Pontificis, qui à Saracenis premebatur, in Italiam venisset, & febre correptus, in Galliam redire vellet, pro medicamento, à Sedechia Judæo dato pulvere, veneno infecto, extingvitur. 877. *Caferrius.*

7. Christiani confœderati Supremo Duce totius expeditionis, Joanne Austriaco, navali prælio ad Echinades Insulas, propè Sinum Corinthiacum, inauditam & memorabilem victoriam de Turcis reportant. Cæsa sunt Turca-

rum vi-

rum viginti quatuor millia, quatuor millia capta, & Christianorum quatuordecim millia à dira servitute liberata. 1571. *Thuanus. Brietius. Caferrius.*

8. Wesprimium à Turcis capitur. 1593. Post viginti octo annorum, quàm ab Echio Comite Salmensi recuperatum erat. 1593. *Istvanfius.*

9. Nostri capto Pestho, complura minora Castella Turcis eripiunt. Anno Christi. 1598. *Istvanfius.*

10. Venetos inter & Genuenses gravis contentio circa *Famam-Augustam* Metropolim Cypri exoritur, quam tamen ex Sententia Juris, Veneti obtinent, qui Genuenses contradicentes omnes neci dant. 1372. Verùm Genuenses, hoc ipso die, recurrente anno 1373. illam vi occupant, sed postmodùm eandem contra Turcas defendere non valentes, ipsi quóque perdunt. Item Turcæ ad Parkanum, per Serenissimum Joannem III. Regem Poloniæ, (qui in auxilium solvendæ obsidionis Viennensis venerat) & Serenissimo Carolo Duce Lotharingiæ, magnâ cæde afficiuntur, perijt siquidem hoc in prælio Flos militiæ Turcicæ, multis eorum in fuga, rupto ponte navali, quo Parkanum Strigonio jungebatur, in Danubio mersis. 1683. *Hassanes* Bassa, metu adventantis nostri Exercitûs Duce Bastâ, Strigonij obsidionem solvit. Anno Christi. 1604. *Istvanfius.* Exercitus Ferdinandi Regis Hungariæ, sub Ducibus Joanne Casianer, & Ludovico Pecrio, ad Eszekum profligatur; dum enim rebus desperatis, equitatus noster, nocte concubiâ profugisset, & solùm peditatum desertum reliquisset, hic ab hostibus undique circumdatus, strenuè quidem se defendit, hortante Comite Lodronio, ultimatim tamen multitudine Turcarum obrutus, concisus, ac contritus est. 1537. *Istvanfius.*

11. Matthias Archidux, cum prætorianis suis cohortibus, & turmis in castra ad Veterem Budam advenit. 1589. *Istvanfius.* Nostri ad Putnokum insignem victoriam de Turcis reportant. 1588. *Istvanfius.*

12. Nostri Budam obsidentes, statim post adventum Matthiæ Archiducis, inferiorem Civitatem Aquaticam acriter adoriuntur, sed summâ vi à Turcis repelluntur, móxque redintegrato certamine, eandem capiunt. 1590. *Istvanfius.* Serenissimus Ludovicus Marchio Badensis, Turcas ad Vidinium cædit. 1689. Hasanes Bassa, Palotam, ignaviâ & socordiâ præsidiariorum, deditione occupat. 1593. *Istvanfius.*

13. *Almeria* Urbs Regni Granatæ in Hispania, victis Saracenis ab Exercitu Cruce Signatorum, capitur. 1147. *Bucelinus.* Solymanus Turcarum Imperator, dum Persis bellum infert, & Parthiam vastat, Seleuciam & Begdet expugnat, Sarvisium exscindit, & plurimis damnis Persas afficit. Ismaël Rex Persarum hodie suos in Turcas immittit, qui nocte in castra hostium irruentes, ma-

tes, maximâ clade eosdem devincunt, omnia tormenta eripiunt, & dimidium ferè Exercitum delent. Tam grata fuit Persis hæc victoria, ut ejus quotannis edicto Regis, memoria celebretur. *Leundarius in Annalibus Turcicis. Jovius.*

14. Ferdinandus II. tunc solùm Archidux, ob gravissimas cœli injurias, horribilesque tempestates, obsidionem Canisæ, solvere cogitur. 1601. *Istvanfius.* Agria decimo octavo obsidionis die, gregariorum militum tam Germanorum quàm Hungarorum proditione & conspiratione, reluctantibus frustrà Ducibus, & Præfectis, ac Maximiliano Archiduce, cum nostris appropinquante, Turcis deditur. 1596. *Istvanfius.*

15. Solymanus Turcarum Imperator, obsidionem Viennæ Austriæ, post viginti trium dierum acerrimas oppugnationes, fortissimè Urbem propugnante Philippo Palatino Rheni, desideratis suorum septuaginta millibus, nocte decimâquintâ Octobris præcedente sublatis silentio tentorijs, impedimentísque & conclamatis vasis, turpiter solvit. 1529. *Istvanfius.*

16. Abeunte Solymano, Ibraimus Supremus Vezirius cum magna parte Exercitûs, adhuc se in castris continet, verùm & is postero die Solymanum sequitur, ita ut terga antecedentium tueretur.

17. Nostri cognito hostium discessu, expeditis Equitum turmis, Turcas insecuti, plurimos eorum cædunt.

18. Milites præsidiarij, qui Viennam strenuè contra Turcas defendebant, gravissimè tumultuantur, Urbémque diripere statuunt, verùm triplici ad extremùm promisso stipendio, efferati illorum animi, ægrè ac difficulter placantur. 1595. *Istvanfius.*

19. Legati Cæsarei, Turcarum, & Bocskaiani, ad confluentem Sitvæ fluvij in Danubium, pro pace concludenda conveniunt. Et quidem ex parte Cæsaris fuêre: Joannes Molardus, Adolphus Althanus, Nicolaus Istvanfius, Georgius Turzo, Franciscus Battyanius, Sigefridus Colloniczius, & Christophorus Erdődius, Thomæ filius. 1605. *Istvanfius.*

20. Tractatus pacis Cæsarem inter, & Turcas inchoatur, quæ postmodùm etiam ad annos viginti duratura, concluditur. 1606. *Istvanfius.*

21. Excellentissimus Generalis Veterani, ter uno die, cum exercitu viginti duorum millium Turcarum confligit, sempérque victor evadit, ac paulò post Szegedinum capit. 1689.

22. Carolus Martellus Saracenorum domitor, & belli fulmen, extingvitur. 741. *Caferrius.* Serenissimus Ludovicus Marchio Badensis, Civitatem Quinque Ecclesiensem, & præsidium Sziklos deditione capit. 1686.

23. Carolus V. Imperator, expeditionem contra Turcas in Africam suscipit, &

pit, & Algeirum appulit. 1541. *Slegdanus. Schönleben.* Canisam Turcæ post quadraginta quinque dierum obsidionem valde intempestivâ nostrorum deditione occupant. 1600. *Istvanfius.*

24. Turcæ Bosnenses Carnioliam vastant, concrematis pagis, ac multis captivis in servitutem abductis. Verùm in reditu à Comite Josepho Turriano, & Thoma Erdődí, Croatiæ Bano invasi, temeritatis suæ pœnam luunt, nam apud *Slunium* in effusam fugam ab ijs conjecti, licèt numero & viribus longè superiores, multis suorum amissis, & decem signis militaribus victoribus relictis, prædam quóque sexcentorum incaptivatorum Christianorum, relinquere coacti sunt, cùm ex nostris nonnisi duo vel tres glandibus icti occubuerint. 1584. *Bucelinus. Istvanfius.*

25. Alphonsus I. Lusitaniæ Rex, Ulissiponem Caput Regni, post quatuor mensium obsidionem, à Mauris recuperat. 1147. *Caferrius.* Catharina Regina Bosniæ, Thomæ Regis uxor, post occupatam à Turcis Provinciam, Romam veniens, hàc die moritur. 1478. *Caferrius.*

26. Memorabile prælium inter Maximilianum Archiducem, & Machometem Turcarum Imperatorem, propè Agriam committitur, quô interiêre ex nostris decies mille, Turcarum verò ferè viginti millia. 1596. *Istvanfius.* Excellentissimus Generalis Piccolomineus, Uscopiam Urbem Albaniæ, intercipit, & Vulcano consecrat. 1689.

27. Albaniæ populus, magno accursu eundem Generalem Piccolomineum excipit, tanquam Christianitatis assertorem, verùm hanc Provinciam brevi amisimus, cujus occasio fuit nimia Officialium nostrorum nonnullorum exactio, & incolarum oppressio. 1689.

28. Georgius Castriottus, aliàs Scanderbegus, Joannis Epirotarum Principis filius, à Patre obses missus ad Amurathem Turcarum Imperatorem, hàc die Epyri Principatum recuperat, & Crojam Provinciæ Metropolim, expulsis Turcis intercipit. 1443. *Bonfinius. Caferrius.*

29. Alphonsus Castellæ Rex, memorabili prælio Mauros superat, cæsis in acie & fuga, facilè ducentis millibus. 1340. *Bucelinus.*

30. Nostri ex improviso Albam Regalem aggrediuntur, & Civitatem exteriorem depopulantur. 1593. *Istvanfius.*

31. Mox ipsam Urbem oppugnant, sed adveniente Hasano Budensi Vezirio, in subsidium Albanis, à cæptis resistere coguntur. 1593. *Istvanfius.*

NOVEMBER.

1. Raymundus Rex Aragoniæ, *Ilerdam* & *Fragam* Urbes Cataloniæ Mauris eri-

ris eripit. 1149. *Bucelinus.* Noſtri Duce Paulo Kiniſio, per centum millia paſſuum Bulgariam devaſtant, & tantam prædam coacervant, ita ut nec jumenta, nec currus, ad eam devehendam ſufficerent, ac in caſtris quinque boves uno aureo venderentur, eodémque pretio, hordei & avenæ tantum, quantum quatuor equis per annum alendis ſufficeret, incolumes omnes ac læti, Belgradum ſe recipiunt. 1494. *Bonfinius.*

2. Conſtantinopoli, & per Orientem, terræ motus horribilis ſumit initium, ad ſequentis úſque anni initium continuatus. 1037. *Bucelinus.* Haſanes Budenſis Vezirius, cum duodecim millibus, & ſexaginta quatuor tormentis campeſtribus, reduces noſtros ex ſoluta obſidione Albæ Regalis, aggredi parat. 1593. *Iſtvanfius.* Obit anno ætatis ſexageſimo ſexto, Regni trigeſimo ſexto, Barcinonæ Aragoniæ Rex Jacobus, Princeps religioſus, & bellis contra Mauros clarus. 1327. *Brietius.*

3. Acie utrínque inſtructa committitur prælium, Haſanem inter, & noſtros, Comes Nicolaus Palffius primus Janiczeros invadit, & pugnando fortiter ad unum omnes delet. Dextram alam Hardecus cum Equitatu Auſtriaco, medium agmen, Nadaſdius & Zrinius, Hoſtes victi fugatíque. Ex quibus peditum ſex millia, Equitum quatuor millia interiêrunt, tormenta omnia, & ſigna militaria ceſſerunt victoribus. 1593. *Iſtvanfius.*

4. Veneti & Genuenſes inter ſe navali prælio, ad Inſulam *Sapientia* dictam confligunt. 1351. & penes Genuenſes ſtat hâc die victoria, cùm 1352. victi non procul à Corſica à Venetis fuiſſent. Sícque inter ſe collidentes, dant occaſionem Turcicis in Græcia progreſſibus. *Caſerrius.* Eodem die Turcæ *Varadini*, noſtri *Budæ*, ſub Archiduce Matthia obſidionem ſolvunt, ob eaſdem utrínque difficultates, nempè incommodiſſima tempora, continuáſque pluvias. 1598. *Iſtvanfius.* Mechemetes *Satergis* Summus Vezirius, caſtra Archidúcis Maximiliani ad Vaciam invadit, fortiter tamen repellitur. 1597.

5. Sequenti die idem Mechemetes, pugnam reſtaurat, ſed vano conatu, ac cum clade ſuorum. 1597. Damiata Urbs Ægypti à Chriſtianis expugnatur, poſt octodecim menſium obſidionem, à Joanne de Brena Rege Hieroſolymitano. 1219. *Blundus. Caſerrius.*

6. Ingenioſo ſtratagemate per Ducem de Kroy, Exercitus Turcicus, ab invaſione Eſzekini, repellitur. 1690. Sinanes Supremus Vezirius, auditâ ſuorum ad Albam Regalem clade, nihil cunctatus, omiſſis rebus omnibus, Dravum ponte ex navibus antea contabulato trajicit, & Eſzekinum revertitur. 1593. *Iſtvanfius.*

7. Idem Sinanus Beglerbegum filium, cum quatuor millibus ex itinere remittit, ut Budam præ omnibus locis tuendam átque defendendam ſuſciperet. 1593. *Iſtvanfius.*

8. Chri-

8. Christophorus Tiffenbàchius, qui nomine Cæsaris, Cassoviæ, Pannoniæque Superiori præerat, cum Sigismundo Rakoczio, Simone Forgach, Stephano Bathorio, Francisco Dobo, & Stephano Homonnaio, consilium ineunt, & arma conjungunt ad expeditionem suscipiendam contra Turcas, partes illas importunè infestantes. 1593. *Istvanfius.*

9. Fulco Comes Andegavensis, designatus Hierosolymæ Rex, in venatione equo decidens, moritur. 1142. *Brietius.* Mehemus Satergis, per Legatos de pace cum Maximiliano Archiduce malo dolo agit, ac interim clam noctu Exercitum suum Pesthum reducit. 1597.

10. Clades luctuosissima Hungarorum à Turcis ad Varnam, qua in pugna perijt ipsemet etiam Rex Hungariæ Vladislaus fortissimè pugnans. 1444. *Bonfinius.*

11. Saraceni effusi ex Africa, Hispanias opprimunt & occupant, evocati à Juliano Comite Tangari sive Cantabriæ in Africa, ad vindictam sumendam de Rege Roderico, qui filiam ejusdem Floridam violaverat. 714. *Cafer.*

12. In cælos migrat Beatus Æmilianus Abbas, alter Hispaniarum post Sanctum Jacobum tutelaris, qui magno prodigio, visus est sæpiùs cœlo descendere, & Saracenos profligare. 574. *Bucelinus.*

13. Præsidium Turcicum Capusvár, per deditionem in potestatem Cæsaris Leopoldi venit. 1686.

14. Circa hos dies Tiffenbachius cum præmentionatis Ducibus, ad diem octavam Sabatka Castellum à Filekianis Turcis opportuno loco constructum, & nobis maximè infestum, cui impositi erant præsidio quadringenti Turcæ, omnium, qui in illis limitibus erant, promptissimi & ferocissimi, expugnat, & solò æquat. 1593. *Istvanfius.*

15. Gabriel Bethlehemus Transylvaniæ Princeps, qui sæpiùs Turcas & Tartaros contra Christianitatem evocaverat, & ob id etiam apud Primates Hungariæ infamiâ laborabat, ex hydrope vitam finit. 1629.

16. Expugnato Castello Sabatka & solo æquato, (quod erat receptaculum prædatariorum Turcarum) nostri sub eodem Duce Christophoro Tiffenbachio, ad expugnandum Filekum castra promovent. 1593.

17. Comes Nicolaus Palffi, quanquam Exercitum labore itinineris fatigatum, adeóque quietis indigentem haberet, utpotè quem paulò ante ex pugna cum turcis ad Albam Regalem inita, & victoriosè peracta, reduxisset, cum septem tamen millibus suorum, ad Tiffenbachium pervenit, omniúmque animos suo adventu exhilarat, & obsidionem Fileki promovendam adauget. 1593.

18. *Sancius* Aragoniæ Comes, Ramiri filius, cùm multa Mauris eripuisset, &

ſet, & regnâſſet annis viginti ſeptem, dum Oſcam Urbem obſidet, ſagittâ percuſſus occumbit. 1104. *Caferrius.* Prælio Alcoracenſi, ad quadraginta millia Maurorum ab Hiſpanis cæduntur. 1096. Noſtri graviſſimis cœli tempeſtatibus exagitati, Caniſæ obſidionem ſolvere coguntur. 1601. *Iſtvanfius.*

19. Expeditio Sacra in Concilio Claromontano, ſub Urbano II. Papa, cui interfuêre, quindecim Archiepiſcopi, ducenti quinque Epiſcopi, pro recuperatione Terræ Sanctæ, decernitur. 1095. *Caferrius. Baronius.*

20. Miſerabilis noſtrorum ex ſoluta obſidione Caniſana erat diſceſſus, pereuntibus ac deficientibus quàm plurimis, fame, frigoréque, non ſolùm militibus, ſed ipſis quóque jumentis 1601. *Iſtvanfius.*

21. Aly Begi copiæ, à noſtris propè Caniſam profligantur, ſingulari Comitis Battyáni induſtriâ. 1579. *Iſtvanfius.*

22. Filekinum à Chriſtophoro Tiffenbachio, & Comite Nicolao Palffi, Turcis, quod ante quadraginta annos aſtu & fraude occupaverant, eripitur. 1593.

23. Ducibus Stephano Bathorio, & altero Stephano Homonnaio, Turcarum auxiliares copiæ, Filekienſibus Turcis, ſuppetias ferre volentes, à noſtris profligantur. 1593.

24. Filekino amiſſo, & auxiliaribus prædictis copijs cæſis, tantus repentè Turcas terror invadit, ut nullâ factâ morâ, complures arces, comeatu rebúſque omnibus refertas, nec ſpernendæ munitionis, deſertas relinquerent, quibus in poteſtatem noſtrorum redactis, poſteà Tiffenbachius idonea præſidia & cuſtodias impoſuit. 1593. Iſabella Aragonia Joannis II. Caſtellæ & Legionis Regis filia, Ferdinandi Catholici Aragoniæ Regis conjux, moritur. 1500. Quæ zelo Catholicæ fidei, ſexcenta Judæorum millia, & ducenta millia Maurorum, ex ſuis Regnis abegit. *Caferrius.*

25. Poloni Tartaros in Podolia profligant. 1499. *Bucelinus.*

26. Incomparabilis Heros Comes Nicolaus Salmenſis, bello contra Turcas in Hungaria clariſſimus, moritur. 1530. *Bucelinus.*

27. Oſcenſis Urbs, à Petro Aragonum Rege capitur, cæſis eô bellô quatuor Maurorum Regibus, quorum capita dein pro inſigni accepta. 1096. *Bucelinus.*

28. Mehemetes Satarges, Turcici Exercitûs Archiſtategus, Exercitu in hyberna dimiſſo, ille quóque ſecundo flumine Belgradum recedit. 1597. *Iſtvanfius.*

29. Maximilianus Archidux, ſimiliter dimiſſis ad ſuas ſtationes copijs, Tyrnaviam, dein Poſonium, indéque Viennam redit. 1597.

30. Deſcen-

30. Discendente Maximiliano Archiduce, Comiti Palffi, reparandæ Vaciæ à nostris reoccupatæ, & præsidio firmandæ cura datur. Qui continuato dies & noctes labore, eam celeriter restaurare curavit, tormentísque, & vetere præsidio imposito, egregiè munivit. 1597. *Istvanfius.*

DECEMBER.

1. Rosburmius Cæsarei Exercitûs Ductor, Hatvano expugnato, & Pestho præsidio firmato, expeditionis hujus finem imponit, & Strigonium redit. 1603. *Istvanfius.*

2. Abulfadaylus Rex Saracenorum moritur. 1000.

3. Amorea à Saracenis occupatur. 837.

4. Nostri Siciliæ ab Hassane obsessæ, subsidium ferre volentes, injuriâ cœli exagitati, rebus infestis, ad hyberna & suas stationes redire coguntur, Anno Christi. 1592. *Istvanfius.*

5. Alphonsus Portugalliæ Rex optimus, victis aliquot vicibus Saracenis, extingvitur. 1185. *Bucelinus.*

6. Raymundus Comes Barcinonensis, Maurorum hostis, à Fratre impiè occiditur 1082.

7. Muslimus Saracenorum Princeps moritur. 739.

8. Otho II. Imperator, victus navali prælio, à Græcis & Saracenis simul junctis, mœrore animi, ob cladem acceptam, obit. 983. *Caferrius. Bucelinus. Brietius.* Licèt hi duo ponant id pro die præcedenti.

9. Selymus Turcarum Rex XIII. Orientis, Imperij V. hâc die crapulâ & libidine confectus, extingvitur. 1574. *Brietius. Caferrius*: esto *Bucelinus* ponat illius mortem, ad diem ultimam præcedentis mensis. Philippus Rex Hispaniarum, jubet residuos Mauros, intra triginta dies migrare, quorum nonaginta millia ex Regnis illius discessêre. 1609. *Schönleben. Vernulæus.*

10. Henricus Rex Castellæ moritur, cui succedit Isabella Soror, cum Ferdinando Aragoniæ, Maurorum in Hispania domitore. 1475. *Caferrius.* Quo eodem anno Usumcassanes Persa, Turcis complures adimit Provincias in Oriente, Persicóque adjicit Imperio. Eodem quóque anno, & Veneti reportant de Turcis victoriam ad Cocinum Lemni Insulæ oppidum.

11. Nicephorus Imperator Orientis, major Latinorum quàm Saracenorum hostis, in Arce Constantinopolitana, à Joanne Zimisca occiditur. 969. Quo eodem anno, Saraceni complures Urbes in Cilicia & Syria expugnant, & Joannem Patriarcham Hierosolymitanum vivum comburunt, quasi Græci Imperatoris fautorem. *Bucelinus. Brietius.*

 12. Hera-

12. Heraclius Imperator, cum Perſis congreditur ad fluvium Zaban, propè Ninivem, eóſque acerrimo prælio devincit. 626. *Brietius. Caferrius.*

13. Emmanuel Luſitaniæ Rex, magnus bellis in Africa & Aſia, tam glorioſè quàm religioſè geſtis, clariſſimus, moritur. 1521. *Brietius.*

14. Concilium Toletanum inchoatur, Deóque publicæ gratiæ actæ, ob tam illuſtrem Urbem Mauris ereptam, per Alphonſum Caſtellæ, & Legionis Regem 1080. poſtquàm ea annis trecentis ſexaginta octo, in poteſtate Maurorum fuiſſet.

15. Comes Nicolaus Palffi, cum ſuis copijs Szechinium, Dregelium edito in monte ſitum, ac Palancam, quæ ad Hippolim fluvium, amæno & opportuno loco, à Turcis conſtructa erat, perterritis ac diffugientibus defenſoribus, occupat. Anno 1593. *Iſtvanfius.*

16. Gregorius VII. Pontifex maximus, Belli ſacri contra Saracenos promotor, quem in finem Jejunium quinquennale per totam Eccleſiam indixerat, videlicet ut toto hoc tempore fideles, Feriâ ſextâ, quadrageſimale jajunium obirent, & Feriâ quartâ & Sabbatho, à carnibus abſtinerent. Statuerat inſuper ac decreverat, aſſentientibus Principibus Chriſtianis, ut per Septennium depoſitis omnibus prætenſionibus, pax inter eos intaminata ſervaretur, effuſâ maledictione DEI & Pontificiâ in eos, qui paranda in hoſtes arma, contra Fratres ſuos, intra hoc tempus converterent, hâc die extingvitur. 1189. *Brietius.*

17. Agria, nonaginta & uno annis cùm in poteſtate Turcarum fuiſſet, Auguſtiſſimi Cæſaris Leopoldi I. auſpicijs, deditione recipitur, extremâ fame præſidiarijs ad eam adactis. 1687.

18. Innocentius VI. Papa creatur. 1352. Quo anno *Calo Joannes*, & Cantaguzenus, de Imperio Orientali certant, átque mutuò ſe atterunt, ſicque Turcis Græcorum Monarchiam evertendi occaſionem præbent, ambo poſtmodùm à Turcis preſſi, ad Innocentium confugiunt, átque auxilia Latinorum contra Turcas expetunt. *Brietius. Ricciolus.*

19. Bajazethes I. Turcarum Imperator, cum Tamerlane Tartarorum Duce, acerrimo prælio, ad *Stellam* montem, (ubi olim Pompejus Mithridatem vicerat) eóque cruentiſſimo concurrit, ita, ut ex utráque parte trecenta millia hominum ceciderint, Turcis ad ultimum diffugientibus, ipſe Bajazethes capitur, & cùm reſponſione inſolentiore victoris animum exacerbâſſet, caveæ ferreæ includitur. 1399. *Caferrius. Brietius* tamen id ad annum 1402. refert, uti & *Ricciolus.*

20. Solymanus Turcarum Imperator, Rhodum expugnat, vel potiùs proditione capit. 1522. *Caferrius. Ricciolus.*

21. Macho-

21. Machometes III. Turcarum Imperator, Epidemiæ morbo extingvitur. 1603. cùm priùs uxorem aquis, primogenitum filium, laqueo sustulisset, & initio sui Imperij Octodecim Fratres suos, interemisset. *Caferrius. Brietius.*

22. Ferdinandus II. Castellæ Rex, post sedecim mensium oppugnationem, Hispalim deditione capit, & hâc die Urbem victor ingreditur, pulsis ex ea Maurorum centum millibus. 1248. *Caferrius.*

23. Jacobus, Jacobi II. Regis Aragoniæ primogenitus, in publico conventu *Taracone* Regnum abdicavit, assumpto militiæ Calatranensis ornatu, qui Ordo militaris fuerat fundatus ad debellandos Mauros, ex Regnis Hispaniarum. 1319. *Caferrius. Brietius.*

24. Bonifacius VIII. Pontifex creatur. 1294. Quo anno Cassanus Tartarorum Rex, miraculosè fit Christianus, & acerrimus hostis Machometanorum evadit. Tempore quóque ejusdem Pontificatûs, exordium sumpsit Monarchia Turcarum Ottomanorum.

25. Carolus Magnus Imperator Occidentis, Romæ coronatur à Leone III. Pontifice. 800. Qu primus Occidentis Imperium, quod in Augustalo Momilio anno Christi, 475. defecerat, restauravit, & per annos quadraginta sex feliciter tenuit, rebus maximis bello & pace gestis, ac hostibus Christianitatis debellatis ac devictis. *Caferrius. Brietius.*

26. Fridericus II. Imperator nascitur. 1193. multorum bellorum in Christianitate occasio, si non author, & Saracenorum insuper fautor. *Juxta multorum opinionem.*


27. *Alis* Princeps Saracenorum, in Ægypto & Syria, moritur, succedit eidem in Regnis Caffurus, olim famulus ejus parentis. 965.

28. Honorius II. Pontifex creatur. 1124. Quo eodem anno Christiani Syriæ, in magnas angustias redacti, capto Rege suo, & quadraginta millibus Turcarum in eos irrumpentibus, Ninivitarum more jejunârunt. Hoc freti præsidio, ter mille, obviam processerunt hosti, cum Cruce & Lancea Christi: victi hostes, cœlesti lumine territi, multa millia suorum perdiderunt, Christianorum perijt prorsus nemo, ne de victoria divinitùs parta dubitaretur. *Brietius.*

29. *Cagerius Billa*, Califa Bagdanensis obit. 1030. Innocentius IX. Papa extingvitur. 1591. Quo eodem anno, Turcæ ex Asia transferunt bellum in Hungariam.

30. Gregorius XI. succedit Urbano V. in Pontificatu. 1370. Qui statim Principes Christianos missis Legatis reconciliare, & arma in communem Christianitatis hostem convertere conatus est, sed ne id fieret, inimicitiæ Regum & Legatorum imprudentiâ, obsuerunt. *Brietius.*

31. Dordosam expugnat Raymundus Aragonum Princeps, & Mauros fortiter debellat. 1148. *Bucelinus.* EPHE-



PARAGRAPHUS NONUS.

EPHEMERIDES HUNGARICÆ,

SEU

Res memorablies per singulos dies Anni in Hungaria gestæ.

JANUARIUS.

I.

ALbertus II. in Regem Hungariæ coronatur, unà cum conjuge, Sigismundi Regis Hungariæ, & Imperatoris Romanorum Filia, Albæ Regali. Anno. 1438. *Bonfinius. Cuspinianus.* Comitia Regni à Matthia Archiduce, nomine Rudolphi II. Cæsaris Posonium indicuntur, in quibus is, à Regnicolis, in Gubernatorem Hungariæ eligitur. 1608. *Liber articulorum Regni Hungariæ.* Terræ motu concutiuntur Posonium, Tyrnavia, Zagrabia, aliáque loca Pannoniæ, A. D. 1590. *Istvanfius.* Conventus Generalis Regni, à Matthia Corvino Hungariæ Rege indicitur, in quo multæ sanctiones editæ, ac Regiâ & Statuum authoritate munitæ. 1486. *Bonfinius.* Gabriel Bethlehemus Transylvaniæ Princeps, pacem cum Ferdinando II. Cæsare & Hungariæ Rege, init, séque titulo Regis Hungariæ abdicat, & Coronam Cæsari restituit. 1622. *Anonimus.*

Sigismundus Imperator Romanorum, & Rex Hungariæ, à Ziska Hussitarum Duce, ferè opprimitur. 1422. *Bucelinus.* Sanctus Hermylus Diaconus, Martyrio afficitur in Hungaria, Singuduni, sive Szenderoviæ, circa annum Christi. 315. *Bollandus. P. Hevenessi.*

2. Carolus Robertus, sive Carobertus, Caroli Martelli Regis Neapolitani & Siciliæ, Filius, in Regem Hungariæ eligitur. Anno Christi. 1310. *Fuggerius. Schönleben.* Sancti: Maximianus, Acutio, Timotheus, Herisso, Artaxo, Vitus, Acutius, Tobia, & Eugenia, pro Christi fide Martyrium subeunt, Sirmij. *Bollandus. Martyrologium Sancti Hieronymi.*

3. Georgius Lippai, Archiepiscopus Strigoniensis, Collegij Generalis Cleri Regni Hungariæ, ac Juridici Studij Tyrnaviæ; & Threnchinij Collegij Societatis

cietatis JESU, & Domûs Probationis Fundator, piè in Domino obijt. 166?. Gainæ Tyranni, & invasoris Imperij occisi, ab Ulde Hunnorum Duce, caput defertur Constantinopolim Arcadio Cæsari. Anno. 401. *Brietius.* Chronicon tamen Alexandrinum ait, id contigisse 2. Januarij. *Ricciol.*

4. Comes Franciscus Nadasdius, laude bellicâ clarissimus, extremum diem claudit. 1604. ætatis 49. Apud Ovarinum inter Danubium, & Laytam fluvium, ingens ignis è terra erumpit, ita, ut terra trium pedum profunditate arderet, flammásque eructaret. 1595. *Istvanfius.*

5. Comes Stephanus Illyéshazius, à Bocskaio, è Polonia evocatus, qui se fugâ, (criminis læsæ Majestatis in Rudolphum Cæsarem insimulatus) receperat, usus occasione hâc reponendi se in pristinam apud Imperatorem gratiam, ad tractandam pacem, Boskaium inter & Rudolphum Cæsarem, Viennam ad Archiducem Matthiam venit. 1606.

6. Sanctus Anastasius Sirmij, inferioris Pannoniæ præclarâ quondam Civitate, Martyrio afficitur. *Bolandus.* Cassovia à Joannis Zapollya Inter-Regis militibus, ex insidijs capitur, & fœdè diripitur. 1535. *Istvanfius.*

7. Sigismundus Bathorius Transylvaniæ Princeps, ad Rudolphum Cæsarem Pragam venit, causâ resignandæ illi, ejusdem Provinciæ, utpote, quæ antiquitus ad Coronam Regni Hungariæ pertinuisset, ipsemet post hac privatam in tranquillitate, & pace vitam ducere cupiens. 1597. *Istvanfius.* Obit Sanctus Nicetas Episcopus Daciæ, seu Transylvaniæ. *Inchoffer, in Annalibus Ecclesiasticis Hungariæ, ad Annum* 393. *Baronius ad Annum* 397.

8. Sanctus Anastasius, Sanctus Jucundus, Ratile. Petrus, Florus, Tile. Florianus, Tatia, Sirmij in Pannonia, Martyrium subeunt. An autem hic Anastasius diversus sit ab eo, cujus sextâ Januarij facta est mentio, haud pronum est definire. *Bolandus.*

Sanctus Severinus Episcopus Noricorum, qui post fatum Attilæ multum pro fide, in Hungaria laboravit, in cœlos migrat. 482. *Bolandus. Aventinus.*

9 Tractatus pacis, inter Cæsarem Rudolphum, & Stephanum Boskaium Transylvaniæ Principem, Viennæ coram Archiduce inchoantur. 1606. *Istvanfius.*

Tota ferè superior Hungaria à fidelitate Cæsaris, aut metu, aut novarum rerum cupiditate, repentè ad Boskaium deficit, unde factus animosior Boskaius, Turcarum auxiliares copias, per literas, ad Mehemetem Vezirium, & purpuratum Budensem datas, sollicitat, ac etiam impetrat. 1605. *Istvanfius.*

10. Comitia Regni, Posonium à Rudolpho Cæsare indicuntur, quibus locò Cæsaris præfuit ejusdem Frater, Matthias Archidux. In quibus etiam articuli transactionis, & fœderis inter Cæsarem, & Sigismundum Bathoreum Transyl-

vaniæ Principem, communibus Regnicolarum votis, & suffragijs approbati, & confirmati sunt. 1595. *Istvansius.*

Sanctus David Rex Scotiæ, Margaritæ Reginæ Scotiæ, ex Hungara matre natæ Filius, ad percipiendam sanctè, piéque gestorum immarcescibilem in cœlo coronam, evocatur. 1135. *Lesleus. Bolandus.*

11. Ferdinandus I. Hungariæ Rex, in Regem Romanorum, coronatur. Aquisgrani. 1531. *Schönleben.*

Georgius Szelepchenyi, Archiepiscopus Strigoniensis, Vir exquisitæ prudentiæ, duorum Collegiorum Societatis JESU, Szakolczensis, & Leutschoviensis, in Hungaria Fundator, pijssimè obit. 1685.

12. Tartari, qui in hybernas stationes circa Quinque Ecclesias, Szigethinum, & Canisam, distributi fuerant, collectâ manu, & rigidâ hyeme, concretis glacie fluminibus, totum illum tractum Hungariæ, qui est circa Papam Oppidum, & oblongum montem Camenesum, crudeliter devastant. 1603. *Istvansius.*

13. Sanctus Hermyllus Diaconus, & Stratonicus, custos carceris Sancti Hermylli, Szenderoviæ, in Pannonia, Istro merguntur. 315. *Bolandus.* In Comitijs Polonicis, ad hunc diem Andreoviam (quod oppidi est nomen) indictis, Stephani Bathorij Transylvaniæ Principis, Electio in Regem Poloniæ, confirmatur. 1576. *Istvansius.*

14. Bela III. in Regem Hungariæ coronatur. 1174. *Bonfinius.* Arx Szadvar, in Superiori Hungaria, Georgij Bebecy, qui à Cæsaris, veluti Regis Hungariæ, ad Joannem Sigismundum Principem Transylvaniæ turpiter defecerat, à Lazaro Schvendio, exercitûs Cæsarei Ductore expugnatur. Anno Christi. 1567. *Istvansius.*

15. Rursus alia Comitia Regni, Posonium, à Rudolpho Cæsare indicuntur, quibus idem Matthias Archidux præfuit: in his verò potissimùm de subsidio, pro bello contra Turcam, actum est. 1569. *Istvansius.* Comes Franciscus Veseleny, in Palatinum Regni Hungariæ eligitur. Anno Christi. 1655. Celebritas est hâc die Festi Sancti Pauli primi Eremitæ, cujus corpus, Ludovico I. Regi Hungariæ, à Venetis donatum est, & propè Budam conditum fuit. 1351. *Bonfinius.*

16. Juridico studio in Academia Tyrnaviensi, initium datum. 1667. Beatus Carolus Csaki, Ordinis Prædicatorum, sanctè obit Jaurini. 1336.

17. Comes Thomas Erdődy, maximarum virtutum vir, magno cum luctu omnium bonorum, in sua Arce Krapina, vivere desijt. 1624. Munkaczinum, quod pertinaciter, & jam postquam omnia Fortalitia Superioris

Hungariæ, ad fidelitatem Cæſaris redijſſent, à Tökölianis detinebatur, tandem gratiæ Cæſareæ ſubmittere ſe cogitur. 1688.

18. Matthias Archidux, qui poſteà Rex Hungariæ, & Imperator Romanorum fuit, Brüxellæ Pro-Rex Belgij inauguratur. Anno Chriſti. 1574. *Vernulæus.*

19. Ferdinandus I. Rex Hungariæ, publico Diplomate proſcribit, Joannem Zapollyam, Comitem Scepuſienſem, Regni invaſorem. Anno Chriſti. 1527. *Iſtvanfius.* Theodoſius à Gratiano declaratur Imperator Orientis, Sirmij in Pannonia. 339.

20. Rudolphus Imperator, & Rex Hungariæ, hydrope extingvitur, Pragæ. 1612. Gabriel Bethlehemus, Tranſylvaniæ Princeps, ſepelitur. 1630. Inter Geyzam, & Ladislaum Fratres, cum Salomone Fratruele Rege Hungariæ, in conſpectu omnium Magnatum, pax, & fœdus initur, Jaurini. 1063. Beatus Euſebius, qui relicto Metropolitanæ Eccleſiæ Strigonienſis Canonicatu, Eremum Piliſienſem petijt, ac dein Eremitas in unum collegit, & ad vitam Cœnobitarum reduxit, inſtituendo Ordinem Sancti Pauli primi Eremitæ. 1250. Cui etiam primus Provincialis viginti annis præfuit, hâc die innocentem animam DEO reddidit. 1270, *Sigiſmundus Ferrarius. Andreas Eggerer. Gabriel Heveneſſi.*

21. In Comitijs Hungariæ, ad Peſthum, in campo Rakos celebratis, ad quæ Michaël Szilágyi, cum viginti millibus Equitum comparuerat, graviter de ſubrogando Rege in locum Ladislai Poſthumi Hungariæ Regis, ſine ullo hærede immaturâ morte mortui, inter Proceres diſceptatur; diſtractis Optimatum votis, ac Sententijs. 1458. *Bonfinius.* Sancta Anaſtaſia Martyrium ſubit Sirmij, in Pannonia. Cujus poſtmodum Reliquiæ Conſtantinopolim ſunt delatæ. *Bolandus.*

22. Prævalente factione Corvinianâ, Matthias Corvinus, Joannis Hunyadi invictiſſimi Herois, & olim Gubernatoris Hungariæ Filius, adhuc in Bohemia, in carcere, & poteſtate Georgij Podebrachij exiſtens, in Regem Hungariæ eligitur. 1458.

23. Matthias Corvinus Hungariæ Rex, Cornaburgi obſidionem urget. 1485. *Bonfinius.* Obit Sanctus Joannes Eleëmoſynarius Epiſcopus, cujus corpus jacet Poſonij, in Hungaria, incorruptum. 620.

24. Capto Cornaburgo, quod Viennæ propugnaculum eſſe videbatur, idem Rex, impoſitis utrinque ad Danubium præſidijs, caſtra ad obſidendam Viennam promovet. 1485. *Bonfinius. Abrahamus.*

25. Diætæ ultimæ, ſub Matthia Corvino Rege Hungariæ celebratæ Budæ, finis imponitur. 1486. *Liber Articulor. Regni Hungariæ.*

26. Eadem Comitia solvuntur, cum magno omnium Regnicolarum solatio, utpote, in quibus præscripta erat recta Justitiæ administratio, à multis contra potentiores expetita. Erat siquidem hic Rex summus cultor, & amator Justitiæ, ita, ut ad hanc úsque diem, proverbio sit Hungaris: *Mortuus est Rex Matthias, & perijt Justitia.*

27. Colitur hâc die Sanctus Joannes Chrysostómus, qui multos Istri accolas, ad fidem Christi convertit. *Inchoffer, in Annalibus Ecclesiasticis Hungariæ, ad Annum.* 407. Anna Vladislai II. Regis Hungariæ Filia, Ferdinandi I. Regis Hungariæ Conjux, partûs doloribus extingvitur. 1547. *Istvanfius. Bucelinus..* Serenissimus Rex Hungariæ Josephus, & Augustissima ejusdem Mater, Coronâ Imperiali ornantur. 1690.

28. Obit Carolus Magnus Imperator, qui plurimis annis in Hungaria pugnavit, & Hungaros ad fidem Christianam, & Catholicam adducere laboravit, ac DEIparæ Jaurini, & Budæ Templa erexit, 814. *Aventinus. Gabriel Hevenesi.* Beata Margarita Belæ IV. Regis Hungariæ Filia, Turoczij in Arce Znio nata, vitæ & sanctitate inclyta, quam pij Parentes, ex voto, si à Tartarorum Tyrannide eliberaretur Hungaria, DEO dicaverunt, sanctissimè obit, in Monasterio, in Insula propè Budam. Anno Christi. 1260. ætatis 18. *Bolandus. Ribadeneira. Rosveidus.* Alij tamen ejus obitum ad 18. referunt, fortassis stylo veteri. Sigismundus Bathorius Transylvaniæ Princeps, à Turca recedit, & contra illos fœdus cum Cæsare Rudolpho renovat. 1595. *Istvanfius.*

29. Sanctus Petrus Thomasius, Nuncius Apostolicus, in Hungariam, ad Ludovicum Regem missus, postquam inter Hungaros, & Venetos, inducias effecisset, illósque ad expugnationem Terræ Sanctæ inflammâsset, Legatione peractâ, post multa præclara pro Ecclesia gesta, beatis laboribus finem imponit. *Bolandus.* Recolitur hâc die memoria Sancti Adiodemi Martyris, cujus corpus religiosè asservatur, in Templo Societatis JESU, Tyrnaviæ, in Hungaria. Vladislaus II. Rex Hungariæ, cum Liberis; Anna, & Ludovico, ob grassantem in Hungaria luem, in Moraviam discedit, ac inde Wratislaviam proficiscitur. à Silesitis Juramentum fidelitatis accepturus. 1511. *Istvanfius.*

30. Ernestus Archidux, qui rebus, & Exercitibus, nomine Rudolphi Cæsaris, in Hungaria præerat, traditâ priùs Matthiæ Archiduci Pannonici belli præfecturâ, Pro-Rex Belgij, Bruxellis inauguratur. Anno Christi. 1594.

31. Tartari Insulam Murakóz devastant. 1603 *Istvanfius.*

FEBRUA-

FEBRUARIUS.

1. Vladislaus II. Hungariæ Rex, Comitia Regni Budam indicit. Anno Christi. 1491. Obit Ladislaus Belæ cœci Regis Hungariæ Filius, qui contra Stephanum III. legitimum Regem, Regnum invaserat. Anno Christi. 1172. *Bonfinius.*

2. Caroli Regis Hungariæ Decretum confirmatur. 1342. Maximilianus II. Imperator, & Hungariæ Rex, Comitia Posonium indicit, iisque Carolum Archiducem Fratrem præficit, in quibus tumultuum, & altercationum satis fuit, adeò, ut turbulentiora vix antea fuerint. Anno. 1566. *Istvanfius.*

3. Solennes Nuptiæ inter Georgium Rakoczium Principem Transylvaniæ, & Sophiam Bathori, Albæ Juliæ celebrantur. 1643. Colomanus Hungariæ Rex moritur. 1116.

4. Tokainum, à Lazaro Svendio Copiarum Cæsarearum, in Superiori Hungaria Duce, arctiori obsidione cingitur. 1565. *Istvanfius.*

5. Antonius Rinco, à Francisco I. Galliarum Rege, ad Joannem Zapolyanum Inter-Regem, Legatus mittitur, difficili sanè itinere, per Dalmatas, Ragusanos, ac Rhodopen, & Æmum montem, ac dein Belgradum, ad ineundum cum illo fœdus contra Ferdinandum I. Hungariæ RegemAnno Chr. 1527. *Istvanfius.*

6. Sanctus Geminianus, Sirmij in Hungaria, Martyrio afficitur *Bolandus.* Eâdem die passa est etiam Sancta Moderata, ibidem Sirmij. Recolitur hâc die, memoria Sanctorum Fratrum, nempe Sancti Melis Episcopi Ardachensis, qui obijt 488. Item Sancti Melasij similiter Episcopi Ardachensis, qui vixit anno 490. Filiorum Sanctæ Darercæ, quæ erat Soror Sancti Patricij, nati ex Sorore Sancti Martini Sabariensis. *Bolandus. P. Hevenessi.* Sigismundus Imperator, & Rex Hungariæ, Electoratum Saxoniæ Friderico Marchioni Misniæ confert. 1424. Carolus II. vulgò *Parvus*, Neapolis, & Hungariæ Rex Authore Nicolao Gara Palatino, à Blasio Forgach cæditur. 1386. *Brietius.*

7. Inter Cæsarem Ferdinandum II. Regem Hungariæ, & Gabrielem Bethlehemum Transylvaniæ Principem, Hamburgi de pace tractatur. Anno. 1621.

8. Idem Tractatus pacis continuatur, sed inani effectu, ut postea patuit, totáque hyems hac de re, consultationibus consumitur, prorsus inutiliter, fortè quia Conventui huic Gallici quóque Legati, ut Intermediatores, interfuêre, qui magis in votis habebant has discordias continuari, quàm easdem sedare. 1621.

9. Varia Fortalitia Superioris Hungariæ, à Lazaro Svendio, sub potestatem Cæsaris rediguntur. 1565. *Istvanfius.* Stephanus alter Belæ cœci filius, fratérque

fratérque Vladislai Regis defuncti, qui Stephanum III. antea legitimè coronatum Regem invaserat, Coronam arripit, & à nonnullis refractarijs eâdem decoratur, sed eâ non nisi quinque mensibus est potitus. Stephanus enim III. Rex, suscitato contra eundem bello, acre prælium cum illo committit, & victor evadit, cum ingenti Nobilium clade, qui illius partes sequebantur. 1173. *Bonfinius.*

10. Sanctus Paulus Hungarus, primus Ordinis Prædicatorum Provincialis in Hungaria, qui Cumanis Evangelium prædicavit, annis ferè septuaginta, cum nonaginta Socijs, à Tartaris Hungariam vastantibus, Martyrio afficitur. 1242. *Sigismundus Ferrarius.* Terræ motus ingens, per Hungariam, & Dalmatiam. 1349. *Bonfinius.*

11. Colitur hâc die Sanctus Desiderius Martyr, cujus corpus Tyrnaviæ in Hungaria, in Templo Patrum Societatis JESU, religiosè conservatur, in concessione Pauli V. & Gregorij XV. Summorum Pontificum. Oppugnatio Tokaini, à Lazaro Svendio Cæsarearum copiarum Duce, reintegratur, & præcipuum propugnaculum capitur, Némethio Arcis Præfecto, sclopeti glande trajecto. 1565. *Istvanfius.*

12. Tokainum se Svendio dedere cogitur, præsidiarijs mille excedere Arce permissis inventa fuêre in Arce, quatuor ferè millia doliorum vini, pecunia verò ad unius Myriadis summam, multáque alia rapinarum, ac prædæ suppellex. 1565. *Istvanfius.*

13. Finis Diætæ Posoniensis, anni 1550. imponitur. Bela II. cognomento Cœcus, Hungariæ Rex, vitâ excedit. 1141. Regni sui anno 19. & mense 11. sepultus est Albæ Regali honorificè, & ab universâ Hungaria deploratus. *Bonfinius.* Ladislaus Posthumus Hungariæ Rex, ex tutela Friderici Cæsaris emancipatus Budam primò ingreditur, & cum ingenti plausu, ac faustis acclamationibus excipitur. 1403. *Bonfinius.* Joannes Allemanus, Archiepiscopus Strigoniensis, sive ab Imperatore inductus, sive metu Matthiæ Regis, in cujus suspicionem inciderat, corrasâ supellectili, ac multo auri pondere in Austriam ad Imperatorem profugit, à quo dein Archiepiscopatu Salisburgensi donatus fuit. 1476. *Bonfinius, qui etiam ad hanc diem, cædem Caroli Parvi Regis Hungariæ, ponit.*

14. Lazarus Svendius, Szakmarinum ab hoste metu desertum, facili negotio occupat, & in ea Insula, quam ibi Samusius in duo divisus cornua efficit, novam Arcem fundat. 1565. *Istvanfius.*

15. Hungari à Boijs magnâ afficiuntur clade. 1042. Ita *Bucelinus.* Quod fortassis contigit, quando Henricus Imperator, & Dux Bavariæ, Petrum Regem ab Hungaris pulsum cum magno Exercitu reduxit, Ovone, seu Abâ Rege ejecto, & Petro in solium regium reposito. *Bonfinius.* 16. La-

16. Lazarus Svendius ad obſidendum Munkacſinum, quòd partes Joannis Sigiſmundi Zapoliani, Principis Tranſylvaniæ tunc ſequebatur, caſtra ſua promovet. 1616. *Iſtvanfius.*

17. Hodie verò Munkacſinum advenit, & haud procul ab Arce caſtra collocat. 1567. Comes Petrus Draskovicz vir ſummi conſilij extingvitur. S. Lumanus, Epiſcopus Hiberniæ, Nepos Sancti Patricij Filij Sororis Sancti Martini Sabarienſis in cœlum migrat. 460. *Bolandus.* Dux Mercurius Albæ Regalis expugnator, & rebus in in Hungaria præclarè geſtis clarus, dum in Gallias properat, Norimbergæ, acutâ febri correptus, è vivis diſcedit. 1602.

18. Lazarus Svendius protractis tormentis, factíſque ſcrobibus, & aggeribus, Arcem Munkachinum, duobus in locis acerrimè verberare mandat. 1567. *Iſtvanfius.* Obit Celſiſſimus Princeps Georgius Széchényi Archiepiſcopus Strigonienſis, ſex omnino Collegiorum Societatis JESU in Hungaria nempe: Jaurinenſis, Günzienſis, Budenſis, Strigonienſis, Agrienſis, & Quinque Eccleſienſis, totidemq; Seminariorum, & Convictuum pro Clericorum, & Sæcularium juvenum in ſtudijs, ac virtutibus educatione, multorum præterea aliorum Monaſteriorum, & piarum cauſarum Fundator, tam profusâ liberalitate, ut omnes ſuos in Archiepiſcopatu anteceſſores, longè ſuperaverit.

19. Fortiſſimæ Munkacſienſis Arcis Præfecti, Joannes Lugaſſius, & Demetrius Quarcepelius, bellicarum rerum rudes, ac imperiti, vix prægustatis obſidionis incommodis, intempeſtivè, præcipitíque metu perterrentur. Anno. 1567.

20. Miſſis igitur hâc die Legatis, arcis ad arbitrium victoris, deditionem faciunt. *Iſtvanfius.*

21. Svendius Munkacſino capto, Huſztum quóque, quod in Poloniæ, & Moldaviæ confinio editiſſimo in monte eſt, & unius diei duntaxat Munkacſino diſtat, expugnari ſtatuit: ſed Turcicis, & Tranſylvanicis ſubſidijs deterritus, expugnationis ejuſdem conſilium mutat. 1567. Sanctus Severus cum ſexaginta duobus Socijs in Hungaria Sirmij, Martyrio afficitur. *Bolandus.*

22. Ladislaus Poſthumus, Alberto Patre Rege Hungariæ, è vivis decedente, ex Eliſabetha Sigiſmundi Imperatoris, & Regis Hungariæ filia naſcitur. 1440. *Bonfinius.* Licèt alij ponant ad præcedentem diem.

23. Sanctus Sirenus Monachus, cum ſeptuaginta duobus Socijs, in Hungaria Martyrio afficitur. *Bolandus.* Item Sanctus Rutulus, Martyrium ſubit, Weſprimij in Hungaria. *Inchoffer.* Diætæ Tyrnavienſis Articuli, à Ferdinando I. confirmantur. 1548.

24. Ferdinandus I. Imperator, & Rex Hungariæ, coronatur in Regem Bohemiæ, Pragæ. 1527. *Schönleben.*

25. Ferdinandus II. Imperator Romanorum, & Rex Hungariæ, Electoratum Palatinalem, ad Domum Bavaricam transfert. 1623.

26. Co-

26. Comes Walſtainius exercitûs Cæſarei ſupremus Ductor,& per Hungariam quóque bello clarus interimitur. Valentinianus, Cibali in Pannonia ortus, nemine reclamante ab exercitu in Imperatorem eligitur. 364. *Brietius.*

27. Diætæ Poſonienſis, anni 1546. finis imponitur. Comes Petrus Erdôdi moritur. 1613.

28. Stella miranda, & nova comparet in cœlo, quæ duntaxat quindecim diebus duravit. 1033. Item anno biſſextili 29. Februarij, Comes Thomas Nadaſdius, vir militiâ, & rebus bellicis clarus, extingvitur. 1620.

MARTIUS.

1. Matthias Corvinus, jam in Regem Hungariæ electus, & hactenus in captivitate apud Georgium Podebrachium, Regem Behemiæ detentus, ductâ ejuſdem Filiâ in uxorem, fœdus arctiſſimum cum eo init. 1459. *Bonfinius.* Sigiſmundus Bathorius Tranſylvaniæ Princeps, à Georgio Baſta Cæſarei exercitûs Duce preſſus, inducias cum eo facit, donec res ſuas cum Cæſare componat, & Provinciam plenè eidem tradere queat. 1602. *Iſtvanfius.*

2. Sigiſmundus Rex Poloniæ, ſplendido, eóque Regio cum apparatu, invitatus in Regnum à Vladislao fratre Rege Hungariæ, Tyrnaviam venit, ibique à Georgio Brandeburgico, utriúſque Regis è ſorore Sophia nepote, ac Georgio Szakmary, Epiſcopo Quinque Eccleſienſi, ac Regio Cancellario, ſolenniter excipitur. 1515. *Iſtvanfius.*

3. Idem Rex Sigiſmundus, ab Ablegatis Vladislai Poſonium deducitur, & à Vladislao, filióque ejuſdem Ludovico, jam tunc annum ætatis nonum agente, utróque ei obviam procedente, amanter ſuſcipitur. 1515. Sancta Cunegundis Henrici Imperatoris conjux, quæ multùm in converſione Hungarorum ad fidem laboravit, ſanctè obit. 1040. *Bolandus.* Comes Alexander Leslæus Scotus, à Leleſiana Hungariæ Familia originem ducens, Legatione Conſtantinopolitana clarus, ac Varaſdinenſis Generalis, moritur Viennæ. Anno 1667. ætatis 65.

4. Stephanus III. Rex Hungariæ obit. 1126. poſtquam regnâſſet annis undecim, & menſibus novem, ac triumphâſſet de duobus invaſoribus, Ladislao ſcilicet, & Stephano Patruelibus, ſepultúſque eſt Strigonij. *Bonfinius.* Colitur hâc die in Scotia memoria Sancti Adriani Epiſcopi, Regiâ ſtirpe in Hungaria nati. 870. *Bolandus. P. Heveneſi.*

5. Naſcitur Ludovicus I. Hungariæ Rex, Caroli Roberti Hungariæ Regis Filius. 1326. *Bonfinius.* Duo Fratres Vladislaus ſcilicet Rex Hungariæ, & Sigiſmundus Rex Poloniæ, Poſonij convenientes, varia inter ſe, ſed præcipuè

pro ſuis,

pro ſuis, Regnorúmque ſuorum conſervatione, & ſecuritate conferunt conſilia. 1515. *Bonfinius.* Item Vladislaus II. anno inſequenti, 1516. obijt.

6. Beata Agnes Virgo, Conſtantiæ, Belæ III. Hungariæ Regis filiæ filia, ſanctiſſimè obit, Pragæ. *Bolandus. Wadingus, Ordinis Minorum Chronolog.* Beata Eliſabetha Virgo, Ordinis Sancti Dominici, Stephani V. Hungariæ Regis filia, poſt ſanctiſſimè exactam vitam, migrat in cœlum, circa Annum 1285. *Sigiſmundus Ferrarius.* Sigiſmundus Imperator, ac Hungariæ & Bohemiæ Rex, in Rebelles, Pragæ, ſupplicium capitis animadvertit. 1470.

7. Comitiorum Poſonienſium, Anni 1542. finis imponitur. Urſus Urſinus Legatus Pontificius, ab Alexandro Papa, ad Vladislaum mittitur, ut eum ad Sacram in Turcas Expeditionem, & Beatricis Viduæ Matthiæ Regis nuptias invitet, ac hortetur. 1518. *Bonfinius.*

8. Decretum majus Sigiſmundi Regis Hungariæ, editum. 1435.

9. Sanctus Cyrillus Epiſcopus, qui Hunnis Iſtri accolis Fidem Chriſti prædicavit, ad prœmia æterna evocatur. 988. *Inchoffer.*

10. Ferdinandus I. Imperator, dein Hungariæ Rex, in Hiſpania naſcitur. 1503. *Strada. Bucelinus. Schönleben.* Rex Vladislaus II. Leutſchoviam Conventum indicit, ad eúmque Albertum quóque cum Sigiſmundo, & Friderico Cardinale, Fratres minores natu, & Fridericum Marchionem Brandeburgenſem ſororis filium, evocat. 1493. *Iſtvanfius.*

12. Ludovicus II. Hungariæ Rex, in Regem Bohemiæ coronatur Pragæ. 1509. *Schönleben.*

12. Hungari, à Berengario in Italiam evocati, Urbem Papiam, aliàs Paviam, & olim Ticinum expugnant, atque inflammant. 924. Obijt Beatus Ægidius Strigonij in Hungaria, Ordinis Sancti Franciſci. *Bolandus.*

13. Sigiſmundus Imperator, ſolenniter Pragæ, Rex Bohemiæ coronatur. 1470. *Bucelinus.*

14. Beata Agnes, Ordinis Sancti Benedicti, Adleidæ Regis Hungariæ filiæ, ex Vladislao I. Bohemiæ Regis filio, neptis, obit pientiſſimè, Pragæ. *Balbinus.* Sigiſmundi Bathorij Tranſylvaniæ Principis, conditiones fœderis, cum Caſare, in publicis Regni Comitijs approbatæ, & acceptatæ, per Rudolphum Imperatorem ſubſcribuntur, & confirmantur. 1595.

15. Attila Hunnorum Dux, poſt multarum Regionum devaſtationes, primâ nuptiarum cum Neo-ſponſa nocte, fluxu ſangvinis ex naribus ſuffocatur. 454. Moritur Comes Stephanus Zichi, Vir magni conſilij, ac ſingularis prudentiæ. 1693. ætatis 72.

16. Joannes Sigiſmundus Tranſylvaniæ Princeps, Joannis Zapollya Inter-Regis filius obit, in eóque ſtirps Zapollyiana, per Hungariam potentiſ-

 ſima,

ſima, tota perit. 1571. ætatis 32. Nec hâc quidem mediocri ætate dignus, utpote peſſimè educatus; vino, & epulis immerſus, nec quidquam moribus ingenui Principis dignum præferens, ac ſuper hæc omnia, peſtiferâ lue Arianâ infectus, ad æternas inferorum pœnas haud dubio detruſus. *Iſtvanfius.*

17. Sanctus Patritius Major, Epiſcopus Hyberniæ, multitudine miraculorum prorſus admirabilis, filius ſororis Sancti Martini Sabarienſis, ex Hungaria, in cœlum migrat. 491. *Bolandus.* Eâdem die, ſed non anno, obit Sancta Tigrida, filia ſororis ejuſdem Sancti Martini Sabariæ, ex Hungaria oriundi. *Bolandus.* Item Beata Gertrudis Virgo, Sanctæ Hedvigis Materteræ Sanctæ Eliſabethæ Filia, Sanctimonialis. *Ribadeneyra.* Carolus V. Imperator, raro exemplo, abdicat ſe Imperio, illúdque Ferdinando I. Regi Hungariæ reſignat 1556.

18. Sigiſmundus Bathorius, quondam Tranſylvaniæ Princeps, Stephani Regis Poloniæ, ex fratre Chriſtophoro nepos, ſæpe depoſito, ſæpe reſumpto Principatu, ex incredibili animi levitate, tandem penitus eo relicto, donatus Arce Lobkovichiana in Bohemia, à Rudolpho Cæſare, in qua privatus úſque ad finem vitæ vixit, hâc die tactus apoplexiâ, extingvitur. 1611. ætatis 39. *Iſtvanfius. Angelus. Caſerrius.*

19. Petrus Pazmanus è Societate JESU, Sacræ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis, & Archiepiſcopus Strigonienſis, Fidei Catholicæ per Hungariam reſtaurator, Vir ſummi conſilij, maximæque prudentiæ, facunditatis, eruditionis, ac eloquentiæ, Collegij Poſonienſis, & Academiæ Tyrnavienſis Societatis JESU Fundator, Theologus inſignis, ac variorum Librorum doctiſſimus Scriptor, & Author, magno omnino bonorum dolore, ad meliorem vitam migrat. 1637.

20. Matthias Imperator, & Rex Hungariæ hujus nominis II. Maximiliani II. filius, & Rudolphi Cæſaris frater, Anno ætatis ſuæ 62. Viennæ Auſtriæ decedit. 1619. *Schönleben.* Colitur hâc die Sanctus Martinus Dumenſis Hungarus, Archiepiſcopus Bracarenſis. *Bolandus.* Beatus Mauritius Csáky, Ordinis Prædicatorum, amore in DEUM, & DEIparam, & miraculis clarus, obijt Jaurini. 1336. *Bolandus.* Albertus II. Hungariæ Rex, in Imperatorem Romanorum eligitur, Francofurti. 1438. *Schönleben.*

21. Sanctus Benedictus, Monachorum in Occidente Patriarcha, in cœlum evocatur. 545. Cujus Ordo mirè propagatus fuit per Hungariam, ita, ut ſupra quinquaginta locupletiſſima numeraret Monaſteria. Caniſa fulmine de cœlo tacta, pulvere ſulphureo, per illud inflammato, maximam ſtragem, tam mœniorum, quàm hominum ſubit. 1581. *Iſtvanfius.*

22. Ordo

22. Ordo Templariorum, qui per Hungariam ingentes habuit possessiones Bonorum, à Clemente V. Pontifice extingvitur. 1312.

23. Sanctus Lupus, Martyrium subit, Sirmij in Hungaria, patitur ibidem hoc ipso eodem die, & Sanctus Lupus Episcopus & Martyr. *Bolandus.*

24. Comes Nicolaus Zrinius Senior moritur, Czaktornæ. 1625. Celsissimus Princeps, Paulus Eszterházi, Regni Hungariæ Palatinus, in numerum Equitum Aurei Velleris assumitur. 1682. Flavius Claudius, natione Dalmata, deligitur à toto Exercitu, senatu universo approbante, in Imperatorem Romanorum. Anno Christi. 268.

25. Sanctus Irenæus Episcopus & Martyr, Martyrium subit Sirmij, in Hungaria. *Inchoffer.*

26. Sirmij in Hungaria, hâc die passi sunt Martyres sequentes: Sanctus Abephas, & Sanctus Allas, sub Gratiano Imperatore. Item Animais, & Sancta Anna ad Danubium. Anno Christi. 370. Item Sanctus Moico. Item Sanctus Montanus Presbyter, & alij complures, quos vide ad hanc diem apud *Bolandum.* Conradus Imperator, Primus Germaniæ Rex, hujus nominis II. qui bellum contra Sanctum Stephanum Hungariæ Regem duxit, sed miraculosè ab eo continuando impeditus est, à Joanne XX. in Basilica Sancti Petri, Imperiali Coronâ redimitur. 1024. *Caferrius. Brietius.*

27. Venetorum Legati, Budam ad Vladislaum II. Hungariæ Regem adveniunt, eúmque ad inferenda Turcis arma, certis conditionibus, nomine Senatûs hortantur, quos firmatâ, veteri cum Senatu amicitiâ, amplis muneribus donatos dimisit, postulatum tamen in Turcas sociale bellum, nec negare in præsens, néque polliceri visus est. 1492. *Istvanfius.* Sanctus Alexander Martyr in Hungaria, hac die pro Fide Christi patitur. *Philipp. Ferrarius, Bolandus.*

28. Vladislaus II. Rex Hungariæ Rempublicam Ragusanam, ad modum quô alij Reges Antecessores illius, in fidem, clientelámque suam suscipit. 1492. *Istvanfius.*

29. Fortissimus Heros Matthias Corvinus, Hungariæ Rex, Hungarici Regis Coronâ (quam Fridericus III. Imperator, viginti quatuor annis penes se retinuerat) solenniter coronatur, Anno Regni sui sexto. Anno Christi. 1464. Albæ Regali. *Bonfinius.*

30. Transactâ celebritate Coronationis, Matthias Rex, cum Pontificum, & Optimatum Ordinibus Budam redit, variáque equestria spectacula, & certamina quotidie edit. 1464.

31. Beata Elisabeth Ordinis Præmonstratensis, neptis Adleidæ, filiæ Regis Hungariæ, sanctissimè obit. 1170. *Balbinus.*

APRILIS.

1. Nicolaus Iſtvanſius, eximius rerum Hungaricarum Scriptor, plurimis, iiſque magnis Officijs, tam politicis, quàm militaribus perfunctus, ad Coronationem Matthiæ II. Regis Hungariæ, Poſonium profectus, cùm ad ripam Danubij animi causâ obequitat, ſubitâ appoplexiâ tactus, extingvitur. 1615. ætatis ſuæ 80. *Sambuchus.* Diocletianus Imperator gente Dalmata, Imperio ſe abdicat.

2. Ferdinandus III. Imperator, & Rex Hungariæ, pientiſſimè, uti vixerat, obit Viennæ. 1657. Alboinus X. in Pannonia Longobardorum Rex, in Italiam à Narſete Patricio invitatus, è Pannonia egreditur. 568. Ibidémque poſtmodum, in ea parte Italiæ, quæ nunc Lombardia dicitur, Sedem Regni ſui facit. *Caſerrius.* Cameracum obſeſſum ab Hungaris, ope DEIparæ, mirè ſervatur. 930. *Caſerrius.*

3. Carolus Magnus, Romæ Paſcha celebrat, poſtquam deleviſſet Regnum Longobardorum, quod ſibi poſt egreſſum è Pannonia, in Italia fundaverant. Anno Chriſti. 774. *Caſerrius.*

4. Obit hâc die Sanctus Ambroſius, XIII. Epiſcopus Mediolanenſis. Anno 397. qui ordinatus erat in Epiſcopum 7. Decembris, Anno 374. Quo anno etiam Sanctus Martinus Sabariâ ex Pannonia oriundus, Turonibus in Gallia datus eſt Epiſcopus. *Caſerrius.* Hoc eodem die migrat ad cœlum Beatus Adalbertus, Vladislai II. Bohemiæ Regis filius, Adleidæ Hungariæ Regis filiæ Abnepos, Archiepiſcopus Salisburgenſis. 1260. *Balbinus.*

5. Matthias Corvinus, glorioſiſſimus Rex Hungariæ moritur, Viennæ ex apoplexia, cujus mors prænunciata dicitur, Leonibus Budæ, eâ quâ die obijt emortuis pariter, & nullis corvis, quod erat gentilitium Signum Corvini, illâ die viſis Budæ. Albæ autem Regali, ubi eſt Regum ſepultura, ingenti multitudine. 1449. *Bonfinius. Iſtvanſius.* Sanctus Stephanus ab Hungaria, Ordinis Sancti Franciſci, ad montes Caſpios, à Schiſmaticis, in Ordine, & Fide Romana, occiditur. Anno. 1284. *Wadingus.*

6. Martyrium ſubijt hâc die Sirmij in Hungaria, Sancta Romana, Sanctus item Florentinus, Sanctus Saturius, Secundus, & Sancta Rufina. Vide *Bolandum* ad hanc diem. Urbs Raguſa Dalmatiæ, antiquo Jure ad Coronam Hungariæ ſpectans, ingenti terræ motu concutitur, ac penè evertitur. 1667.

7. Cliſſa munitiſſima Arx Dalmatiæ, à noſtris capitur. Anno 1596. *Iſtvanſius.* Fabius Chiſius Senenſis, in Pontificem Summum eligitur, Fundator Col-

legij Pœ-

legij Pœnitentiariorum in Urbe, pro omnibus nationibus, & ſingulariter etiam pro Natione Hungarica.

8. Colitur hâc die Sanctus Herma Sirmienſis, Epiſcopus Dalmatiæ. *Bolandus.* Obijt Claudia Fœlicitas, Ferdinandi Archiducis, Tyrolenſium Principis filia, Leopoldi I. Imperatoris, & Regis Hungariæ, ſecunda conjux. 1676.

9. Sanctus Sirmion, Martyrium patitur, in Agnomine ſibi Urbe Sirmio, in Hungaria. Sanctus item Demetrius Diaconus, ibidem circa annum. 303. Item Sanctus Deſignatus, Sanctus Fortunatus, Sanctus Hilarius, & Sanctus Conceſſus. Vide *Bolandum* ad hanc diem. *Romanum Martyrologium* ſic habet: Sirmij, Paſſio Sanctarum Septem Virginum, & Martyrum, quæ dato ſimul ſangvinis pretio, merentur vitam æternam. Stephanus Sirmienſis Epiſcopus, qui in abſentia Regis Vladislai II. pro Rege, Budæ Jus dicebat, exitiali morbo oppreſſus, ex hac vita decedit, cùm omnes ſuas facultates pauperibus Chriſtianis, Eccleſijſque legâſſet, úſque adeò, ut vix ſibi quantum ad funus parandum, familiámque dimittendam, ſatis eſſet, reliquiſſet. *Iſtvanfius.*

10. Sanctus Gajanus, Martyrium ſubit in Dacia. *Bolandus.* Gregorius XIII. Pontifex moritur, de omni Chriſtianitate bene meritus, & ſingulariter de Hungaria, erigendo in Urbe Collegium Hungarorum, & Germaniæ adjecto. Decretum Ferdinandi I. Cæſaris, & Regis Hungariæ, emanat, de reſtitutione Bonorum Eccleſiaſticorum, quovis titulo abalienatorum, vel vi occupatorum, per Hungariam, ut vel immediatè antiquis Poſſeſſoribus reſtituantur, vel ad erigendas Scholas, eorúmque Præceptorum ſuſtentationem convertantur 1560.

11. Sanctus Leo, Pontifex, ad prœmia vocatur æterna, qui Atilæ Italiam vaſtanti, & Romam evertere pergenti, cum Clero obviam proceſſit, eúmque adeò mitem reddidit, ut illinc in Pannoniam cum exercitu rediêrit, territus Sanctorum Petri, & Pauli minantium mortem illi, ſtrictis gladijs, niſi Pontificis Sancti verbis acquieſceret. 461. *Caferrius. Brietius.*

12. Circa hanc diem Vladislaus II. Rex Hungariæ, dimiſſis Leutſchoviâ Fratribus, Alberto, Sigiſmundo, ac Friderico Cardinale, ac Brandeburgiæ Electore, cum ampliſſimis donarijs, ipſemet Caſſoviam versùs movet, ac dein Varadinum, & Tranſylvaniæ partes perluſtrat. 1493. *Iſtvanfius.*

13. Stephanus II. Rex Hungariæ moritur, Tartari Turcis immixti, Croatiam fœdè depopulantur. 1603.

14. Ijdem Tartari, cùm Præſidiarios noſtros fortuitò obvios habuiſſent, qui adventûs eorum erant ignari, eoſdem cædunt & fugant, & reſiduas ac intactas heri partes, magnâ celeritate devaſtant. 1603. *Iſtvanfius.* Simon

 Bulga-

Bulgarorum Rex, invadens Croatiam, magnâ clade repellitur. 930. *Bucelinus.*

15. Acta Comitiorum, in campo Rakos celebratorum, sub Sigismundo Rege confirmantur. 1405.

16. Novus Codex Justiniani editur. 529. In quo etiam Jus Hungaricum magna ex parte fundatur. Municipale enim Jus, supponit commune Jus, & quod per Jus Municipale decidi nequit, ad commune recurrendum est.

17. Carolum I. Hungariæ Regem, in Visegradi suburbio, cum uxore, Liberisque mensæ accumbentem, quidam ex aulicis domesticis, Felicianus nomine, proditorio ense aggreditur, eúmque frustratus ictu leviter vulnerat. Mox in Reginam conversus, dextræ illius quatuor digitos abscidit, qui mox à cæteris aulicis confoditur, & membratim discinditur, universaque ejus familia, & cognati, postmodum extremo supplicio afficiuntur. 1326. *Bonfinius.* Stephanus Bocskay, Transylvaniæ Princeps, sibi adhærentibus Szerencsinum Comitia indicit, in quibus sub titulo tuendæ Religionis, novata multa contra Cæsarem, iniquè concluduntur. 1605. *Istvanfius.*

18. Serenissimus Carolus Dux Lotharingiæ, post multa præclarè in Hungaria pro Christianitate contra Turcas gesta, evocatus à Cæsare ex Tyroli, Viennam, in itinere Welsij, Superioris Austriæ oppido, magno cum omnium bonorum dolore, extingvitur. 1690.

19. Protestantium nomen primùm auditum. 1529. Quod etiam postmodum sub Evangelici status, seu Helveticæ, & Augustanæ Confessionis, in Hungariam transijt. Eâdem die Philippus Melanchthon, Scriptor Augustanæ confessionis, impiam efflat animam. 1560. Postquam aliæ tres confessiones Augustanæ sunt editæ, omnes inter se, & ab originali discrepantes. Sanctus Leo IX. Pontifex, obit. 1054. Pacis inter Principes Christianos summus amator, ita, ut & ipse in persona Româ venerit in Germaniam, ut pacem inter Andream Hungariæ Regem, & Henricum Imperatorem conciliaret.

20. Sanctus Theatinus, vel Theotianus Episcopus Scythiæ, Apostolus Hunnorum, in cœlum migrat. *Inchoffer.* in Annalibus Ecclesiasticis Hungariæ ad annum 402. Articuli Posonienses, anni 1602. à Rudolpho Cæsare, approbantur.

21. Ferdinandus I. Rex Hungariæ, scribit ad varios Magnates, ne credant Comiti Scepusiensi, (fuit is Joannes Zapollya) qui spargebat se cum Ferdinando convenisse. 1527. *Schönleben.*

22. Mira, ac inaudita, ac metuenda simul etiam in Hungaria fluviorum exundatio, magnam stragem ædificiorum, & hominum edit 1592. *Bucelin.*

23. Sanctus Adalbertus, Archiepiscopus Pragensis, & Hungarorum Apostolus, qui re etiam primus, in Catalogo Archiepiscoporum Strigoniensium ponitur,

ponitur, in Prussia, per Martyrij coronam, ad capessendam vitæ æternæ gloriam transit. *Inchoffer. Ransanus.*

24. Eximius Heros Nicolaus Palffi Strigonij, & Novæ Arcis Præfectus, post recuperationem Jaurini, plurimásque res bello præclarè gestas, ad consultandum Viennam, de belli progressu, déque ejus ad gubernandam Transylvaniam promotione evocatus, demum redux in Arce sua Vőröskő extingvitur, cùm nondum quinquaginta annos ætatis suæ egisset. incredibile sui desiderium, tam Cæsari, quàm Patriæ, ac omnibus relinquens. 1600. *Istvanfius.* Josephus Lucanus Hungarus, Quinque Ecclesijs oriundus, Francisci Nyari miles, in pugna Caroli V. contra Protestantes, Fridericum Electorem Saxoniæ vulnerat, & capit. 1547. *Istvanfius.* Georgius Rakoczius, hujus nominis II. Transylvaniæ Princeps, magna cum pompa Patakini sepelitur. 1661.

25. Inclytæ Urbis Venetiarum, à confugientibus ob Hungarorum irruptiones, illius maris accolis, in Insulam *Rivoaltus* dictam, jacta sunt fundamenta. 421. *Blondus. Cluverius.* Geyza Magnus Hungarorum Rex, moritur. 1077. *Bucelinus. Bonfinius.*

26. Sanctus Henricus, cujus opere Hungari conversi sunt ad Fidem Christianam, in Imperatorem Romanorum, à Benedicto VII. coronatur. 1014. *Bucelinus.* licèt id *Brietius* ad sexto Cal. Martij ponat.

27. Complures Proceres Hungariæ, cum magna Nobilitatis parte in Sigismundum Regem Hungariæ, ob rem ad Nicopolim ab eo malè gestam, conspirant. 1401. *Bonfinius. Bucelinus.*

28. Ex composito itáque hâc die ingens Procerum multitudo, sub Officij prætextu, pòst ubi apud Regem conventum est, malam administrationem Reipublicæ eidem objiciunt, & mox facto impetu, omnes, veluti inter eos priùs conventum fuerat, Regi manus injiciunt, & præter dignitatem, in vincula eundem conjiciunt, & captivum in Siklos Arcem abducunt, Ladislaúmque Regem Neapolitanum in Regem Hungariæ acclamant. 1401. *Bonfinius.* Eusebius Episcopus, & Martyr, Martyrium subit in Hungaria, Cibali, quæ fuit inter Dravum, & Savum, quam quidam existimant eam fuisse, quæ nunc est Walpo Civitas Sclavoniæ. *Bolandus.* Eàdem die, & eodem loco patitur & Sanctus Tiballus, & Sanctus Pollion, sub Diocletiano.

29. Decius Imperator, juratissimus Christianorum hostis, natione Pannon, oriundus ex Bubalia Pannonia, ubi nunc est tractus Sirmiensis Hungariæ, dum adversùs Gothos, Marsiam, & Thraciam infestantes dimicat, vincitur, dúmque equò salutem captat, in profundam paludem incidit, à qua absorptus, nunquam ampliùs est visus. Anno Christi. 251. *Bucelinus. Caferrius.*

30. Acta

30. Acta Diætæ Tyrnavienſis, anni 1545. à Ferdinando I. Hungariæ Rege approbantur. Ferdinandus III. Rex Hungariæ, & Imperator Romanorum, tertias nuptias celebrat, cum Eleonora Duciſſa Mantuæ, Neoſtadij, in Auſtria, 1651.

MAJUS.

1. Colitur hâc die Sanctus Benedictus Eremita, & Martyr, Andreæ Zoërardi in pari vitæ ſtudio Socius, prope Trenchinium ad Szkalkam ſpeluncam incolens, in Vagum merſus. *Inchoffer.* ad annum 1002. Bela III. Hungariæ Rex moritur. 1199. Cui ſucceſſit Filius Emericus. Filia autem una Conſtantia, nupſit Præmislao Bohemiæ Regi, altera verò Maria, Iſacio Angelo Imperatori Conſtantinopolitano. *Rictius.* Stephanus Bathori Tranſylvaniæ Princeps, Rex Poloniæ & Lithvaniæ, inſignitur Cracoviæ. 1576. *Iſtvánfius.* Stanislaus Turzo, Regni Hungariæ Palatinus moritur. 1625.

2. Colitur hâc die Beatus Marcus Hungarus, converſus, Ordinis Sancti Franciſci, apud Insubros occiſus. 372. *Bolandus.*

3. Machometes Imperator II. Turcarum, qui Hungariam primus aperto Marte, & formato bello invaſit, extingvitur. 1481. *Bonfinius. Brietius.*

4. Comes Nicolaus Salmenſis Heros inviɛtiſſimus, optimè bello Turcico de Hungaria meritus extingvitur. 1580. Beata Gizela Conjux Sancti Stephani Regis Hungariæ, dein Abbatiſſa, Paſſavij piè obit. *Philipp. Ferrarius.* Moritur & Comes Georgius Zrinius, Nicolai Zrinij, Szigethianâ obſidione clariſſimi, Filius. 1603.

5. Ferdinandus II. Imperator, & Rex Hungariæ, publicat Pragæ immunitatem omnium offenſarum, pro ijs, qui tumultuum Bohemicorum fuerant participes. 1022. *Schönleben.*

6. Beata Eliſabeth Helveta, Filia Andreæ III. Regis Hungariæ, in cœlum migrat. 1338. *Bolandus. P. Heveneſſi.*

7. Ladislaus III. 1208. & Bela IV. 1225. Reges Hungariæ obeunt. *Bucelinus. Bonfinius.* Solenne Armiluſtrium in campis Kiczenſibus aliàs Köpcſenienſibus, haud procul Poſonio, Cæſareæ militiæ inſtituitur, eique Sereniſſimus Carolus Dux Lotharingiæ, præficitur. 1683.

8. Ingens pruina vineas cunctas per Hungariam decoquit. 1557.

9. Ædes DEIparæ Nazarethanæ, per Angelos in Dalmatiam, per vicies centena millia paſſuum, transferuntur. *Bucelinus. Turſelinus.*

10. Quinque inuſitatæ magnitudinis lapides, de cœlo, ad oppidum Sixo in Hungaria Superiore decidunt. 1557. Joannes Aragonius S. R. E. Cardinalis,

dinalis, collatum sibi à Matthia Corvino Hungariæ Rege, Archiepiscopatum Strigoniensem capessit. 1486. *Bonfinius.*

11. Joannes Draskovics Croatiæ Banus moritur Posonij. 1613. Ignatius Mikulicz Episcopus Zagrabiensis, vir magni exempli, summo cum dolore Regnicolarum, in optima ætate, è vivis decedit. 1694.

12. Academia Tyrnaviensis, Societatis JESU, ab Eminentissimo Cardinale Petro Pazmano, fundatur. 1635. Comes Paulus Rakoczius, obit. 1636.

13. Beatus Antonius, Confessor, Hungarus, Tertij Ordinis Sancti Francisci, sanctè obijt. 1398. *Wadingus.* Ingens terræ motus per Hungariam. 1022.

14. Hungari à Berengario in Italiam evocati, eandem depopulantur, & Ticinum Urbem capiunt, incendunt, ac delent. 924. *Caferrius.*

15. Andreas I. Rex Hungariæ, Ptolemaidem, nobilem Urbem Æpypti obsidione cingit. 1218. *Bucelinus.* Sera admodùm nix, trium pedum altitudine decidit, etiam per Hungariam, nihilominus tamen fuit annus fœcundissimus. 1353.

16. Paulus V. Pontifex creatur. 1605. Quo anno, per Rebellionem Boskaianam, Hungaria perturbatur.

17. Sanctus Andronicus, primus Episcopus Hunnorum, in cœlum migrat. *Bolandus ad hanc diem, ubi ejus vita habetur.* Maria hæres, & Rex Hungariæ appellata, Sigismundi prima conjux moritur. Anno 1393. *Bucelinus.*

18. Sigismundus Rex Hungariæ, solenniter ab Eugenio IV. Pontifice, Romæ in Imperatorem aureâ Coronâ insignitur. 1432. *Ricciolus. Bucelinus. Caferrius, tamen id ponit, ad* 31. Maij. 1433.

19. Finis Diætæ Soproniensis, Anni 1553. imponitur.

20. Philippus II. Rex Hispaniæ, cum Pio V. Pontifice, & Venetis fœdus percutit, contra Selymum Tyrannum Orientis, toti Hungariæ inhiantem. 1571, *Schönleben.*

21. Concilium Constantiense longè celeberrimum, quod tribus annis & sex ferè mensibus tenuit, plurimùm per Sigismundum Hungariæ Regem promotum, cui ipsemet etiam interfuit, cum immortali nominis sui gloria, terminatur. 1418. *Bucelinus.*

22. Constantinus Magnus Imperator, die Pentecostes, Nicomediæ, de toto Orbe Christiano, ac etiam Pannonia optimè meritus, moritur. Anno Christi. 377. Imperij 32.

23. Bohemiæ Rebellioni initium datum, tribus Consiliarijs Cæsareis ex prææltis fenestris præcipitatis, & Patribus Societatis expulsis, quâ Rebellione postmodùm Hungaria quóque miserè involuta fuit. Anno Christi. 1618.

24. Eleonora Mantuana, Uxor Ferdinandi II. Imperatoris & Regis Hun-

gariæ, in Reginam Hungariæ, Sopronij coronatur. 1622. *Schönleben.*

25. Frigus inusitatum etiam per Hungariam. 1277.

26. Ferdinandus I. Nuptias celebrat cum Anna Vladislai II. Regis Hungariæ filia, & hærede Hungariæ. 1521. *Schönleben.*

27. Stephanus Bathorius Somlianus, publicis acclamationibus populi, & suffragijs Magnatum, Princeps Transylvaniæ salutatur, ejusdémque Electio, brevi post, ab utróque Cæsare confirmatur. 1571. *Istvanfius.* Lazarus Svendius, bello per Hungariam & Transylvaniam quóque celeberrimus, vitâ excedit. 1583. Joannes Calvinus Hæresiarcha, Genevæ pestilentem animam efflat, cujus virus, longè latéque postmodum diffusum fuit, etiam per Hungariam, multorúmque tumultuum extitit occasio & fundamentum. 1564. Beatus Pelbardus Tömösvâriensis, Ordinis Sancti Francisci, pientissimè obit, Budæ.

28. Abit ad superos Sanctus Gaudentius, in conversione Hungarorum Sancti Adalberti co-Apostolus.

29. Ferdinandus II. Imperator, & Hungariæ Rex, cum Electore Saxoniæ, pacem redintegrat. 1635.

30. Ferdinandus IV. Rex Hungariæ, in Regem Romanorum eligitur. 1653. *Bucelinus.*

31. Geyza II. Rex Hungariæ vitâ excedit, postquam regnâsset annis viginti tribus, & diebus quindecim, incolumi famâ, & integrâ Regni potestate. *Bonfinius.*

JUNIUS.

1. Sancta Elisabetha, Andreæ Regis Hungariæ Filia, Sanctorum Catalogo, à Gregorio IX. Pontifice, adscribitur. 1275. *Caferrius.* Vienna deditione à Matthia Corvino Rege Hungariæ obtinetur. 1485. *Bonfinius. Brietius.* Præsidiarij Galli Papenses, concitatâ seditione, contra Officiales Cæsareos rebellant, (eósque armis spoliant, & custodiæ tradunt. 1600. *Istvanfius.*

2. Comes Thomas Nadasdius, Regni Hungariæ Palatinus, anno ætatis sexagesimo quarto, è vivis excedit. Vir fuit pulchrâ canitie, & viridi senectâ conspicuus, ac utrâque fortunâ exercitatus, pacis & belli artibus pollens. 1561. *Istvanfius.* Beatus Sadocus, Ordinis Prædicatorum, Beati Pauli Hungari, in conversione Cumanorum in Hungaria co-Apostolus, Martyrium subit Sandomeriæ in Polonia, occisus in odium fidei. 628. *Sigismundus Ferrarius.*

3. Andreas II. coronatur in Regem Hungariæ. 1202. Is qui dein Christiani exercitûs, pro Terra sancta, Imperator constitutus fuit, ac exin dictus est: Andreas Hierosolymitanus. *Bonfinius.*

4. Beatus Joannes Laicus Ordinis Sancti Francisci, Provinciæ Salvatoris, à parentibus Hæreticis Transylvanis, in odium fidei, capite truncatur. 1603. *Martyrologium Franciscanorum.* Sanctus Quirinus, Episcopus Sciscianus, propè Sabariam, pro Christi fide, in flumen mergitur. 308. *Raderus.* Eâdem die, Sabariæ in Hungaria, Sanctus Rutulus, cum duobus socijs, Martyrio afficitur. 303. *Bolandus.* Enchiridion Juris Hungarici, in lucem datur. 1628.

5. Carolus *Parvus*, Rex Neapolis, tempore Mariæ Reginæ, in Hungariam, à nonullis Proceribus introductus, & in Regem coronatus, jussu ejusdem Reginæ, & matris illius, obtruncatur. *Bucelinus.* Alij tamen ad aliam ponunt diem. Terræ motus per Hungariam, Poloniam, & Austriam horribilis, pagos, & Oppida subruit. 1443. *Bucelinus.* Varadinum, post longissimam ploquatam, à nostris, per Excellentissimum Generalem Hajzler recipitur. 1692.

6. Sanctus Metraphanes, Episcopus Constantinopolitanus, de genere Probi Imperatoris, Pannonij Sirmiensis, in cœlum migrat. *Surius.* Natalis Alexandri Magni, qui Pannonias magnis Privilegijs condecoravit. Anno ante Christum. 354. *Bucelinus.*

7. Beata Hedvigis, Ordinis Præmonstratensium, in Monasterio Doxamensi, neptis Adleidæ, filiæ Andreæ Regis Hungariæ, in cœlum migrat. *Balbinus. P. Hevenesi.* Georgius Rakoczius II. hujus nominis Princeps Transylvaniæ, ex vulnere in conflictu cum Turcis accepto, Varadini moritur. 1660.

8. Circa hos dies, Rustici in Hungaria, qui erant pro bello sacro, Cruce signati, Duce Georgio Siculo, arma in Nobilitatem vertunt, crudelitérque in eam sæviunt. 1514. Martinus Czobor, Vladislai II. Regis, ad Turcarum Imperatorem Legatus, re infestâ revertitur, Turcarúmque apparatus bellicos eidem refert. 1492.

9. Nascitur Augustissimus Imperator Leopoldus. Primus hæreditarius Rex Hungariæ, filius Ferdinandi III. Imperatoris, & Regis Hungariæ, ex Maria, Philippi III. Regis Hispaniarum filia. 1640. Emmanuel Niger Societatis JESU Religiosus, in odium fidei, à tumultuantibus Hæreticis Claudiopoli in Transylvania, Martyrio afficitur. 1603.

10. In Thracia, & vicinijs Provincijs Regis Hungariæ, terræ motus fuit. 1041. Sancta Margarita Scotorum Regina, in Hungaria nata, tempore Salamonis Regis Hungariæ, & ex Hungara matre, nomine Agatha, Edverdo Anquiliæ Principi nupta, post acerrimos dolores mirâ constantiâ semestri toleratos, vitam sanctissimè transactam, animam Creatori reddit. 1153.

11. Rebelles rustici, eodem Georgio Duce, pari furore, uti in Nobilitatem, ac etiam majore, in Ecclesiasticos sæviunt, ac inter alios, Joannem Csá-

kium, Episcopum Csanadiensem, post multa verbera & cruciatus, indignô prorsus modô interficiunt. 1514. *Istvanfius.* Beatus Gerardus, Hungarus, Ordinis Prædicatorum, Confessarius Beatæ Margarithæ Virginis, obijt sanctè Budæ.

12. Idem Georgius Siculus, cum ijsdem rebellibus rusticis, Tõmõsvariensem tractum, vastat. 1514. Pax inter Cæsarem, & Bocskaium Principem Transylvaniæ concluditur. 1606. *Istvanfius.*

13. Excellentissimus tunc Comes, & nunc Celsissimus Princeps, Paulus Eszterházi, in Regni Hungariæ Palatinum, unanimi omnium Regnicolarum voto, Sopronij eligitur. 1681. Machometes Turcarum Princeps, Belgradum maximis copijs obsidet. 1456. *Bonfinius.*

14. Attila Hunnorum Rex, à Romanis, Francis, & Burgundis, Ætio Duce, in Campis Cathalaunicis superatur, cæsis utrinque, centum sexaginta duobus millibus. Anno Christi. 451. *Sigibertus. Caferrius. Brietius.*

15. Bela Hungariæ Rex, magno cum exercitu Bohemiam invadens, prodigiosâ ope Sanctorum Venceslai & Adalberti, à Bohemis superatur. 1260. *Bucelinus.* Hungari ad Lejtam fluvium, cum Friderico bellicoso Austriæ Duce, prælio congressi, vincuntur. Ipse tamen Fridericus in pugna occumbit. 1246. *Brietius.*

16. Ferdinandus IV. Ferdinandi III. filius major natu, in Regem Hungariæ coronatur, Posonij. 1647. *Schõnleben.*

17. Leo X. quadraginta & unum Articulos Martini Lutheri, tanquam hæreticos, aut scandalosos, aut falsos, ut damnatos, promulgari jubet. 1520. Quos tamen novitatis amatores, postmodum in Hungaria quóque cum plausu exceperunt, quisquilias pro margaritis æstimando. *Caferrius.*

18. Ferdinandus IV. Ferdinandi III. filius, & Hungariæ Rex, in Regem Romanorum coronatur, Augustæ. 1563. *Schõnleben.*

19. Sanctus Romualdus Camaldulensium Institutor, in cœlos migrat. Anno 1023. ætatis 120. qui causâ Martyrij, & Prædicationis Evangelij, in Hungariam sæpiùs venire intendebat, sed dum proficisceretur, morbo quo affigebatur aggravabatur, cùm recederet levabatur, adeóque redire cogebatur. *Breviarium Romanum.*

20. Sol adeò obscurabatur, ut in meridie stellæ apparerent. Anno Christi. 542. *Bucelinus.* Ferdinandus II. Imperator, & Rex Hungariæ, memorabili strage fundit Ducem Brunswicensem, & confœderatos. Anno 1622. *Schõnleben.* Obit Ludovicus Pius Imperator, Anno Christi. 840. qui Lindentem Sisciæ, ad Calapim longè dominantem, & contra se tumultuantem, armis compescuit, & in ordinem redegit, & Hungariam anno 822. etiam factâ divisione

visione Provinciarum inter filios sibi,regendam,úsque ad finē retinuit. *Inchoff.*

21. Nascitur Maria, Caroli V. Imperatoris, uxor deinde Maximiliani II. Imperatoris, & Regis Hungariæ, *Madriti.* 1528.

22. Rudolphus II. Imperator, & Rex Hungariæ, insignem victoriam reportat de Turcis, ad Siscecum Sclavoniæ. 1593. *Istvanfius.*

23. Anno 1328. Uvæ maturæ, jam hâc die legebantur, mox subsequente lue pestiferâ. *Bucelinus.*

24. Matthias II. Rex Hungariæ, inauguratur Rex Romanorum, Francofurti, in summo Templo. 1612.

25. Confessio Augustana, primùm Carolo V. Cæsari Augustæ exhibetur. Anno 1530. quanta hæc antiquitas hujus fidei, & quanto temporis intervallo distat à primitivæ Ecclesiæ Fide, & Apostolorum ac Evangelistarum! Ipsi tamen se Evangelicos gloriantur, sed prorsus propudiosè. Extat autem hæc Confessio in Originali, in Bibliotheca Aulica Viennensi, à qua longè recedunt ij, qui (in Hungaria præsertim) confessionis Augustanæ se esse hodie profitentur.

26. Puerorum egressio in Chamda Civitate Saxoniæ, hâc die dicitur contigisse, cùm à Mago quodam educti, liberi disparuerunt, nunquam ampliùs à parentibus visi. Opinantur autem hos pueros, & puellas ab eodem Mago, in Hungariam esse traductos, ac inde ortos esse Saxones, qui Hungariam certis incolunt locis. *Kircherus.*

27. Sanctus Ladislaus Hungariæ Rex IX. Sancti Stephani Regis Pronepos, in cœlum evolat. 1098. sepultus Varadini, in templo à se exstructo. *Ranzanus.* Augustissimus Imperator Leopoldus I. in Regem Hungariæ coronatur, Posonij. 1655. Flavius Jovinianus, Singidone, quæ nunc Szenderovia dicitur, natus in Pannonia, eligitur in Imperatorem, statim promulgans, se nolle præesse militibus Ethnicis, qui proinde omnes se esse Christianos proclamant, eúmque Augustum dicunt. *Brietius. Bucelinus.* sed id hic ad diem 27. Julij ponit. Ludovicus Hungariæ Rex, nascitur Budæ. 1508. Quatuor res mirandæ observandæ sunt in hoc Rege: quòd sine cute suprema, & certis oris linteamentis, utero matris exclusus sit, quòd citò adoleverit, quòd ante tempus barbam emiserit, ac demum quòd immaturâ quóque morte, miserè interiêrit. *Liber Decretorum Hungariæ.* Rudolphus Cæsar, per Legatos, Coronam Hungariæ, postliminiò quinquaginta octo annorum, Hungaris, & Matthiæ Archiduci fratri restituit. 1608. Comes Franciscus Nadasdius, fit Judex Curiæ regiæ. 1655.

28. Hamburgum Austriæ, à Matthia Corvino Rege Hungariæ obsidione cingitur. 1481. *Bonfinius.*

29. Solennis Legatio à Ludovico II. Rege Hungariæ, Romam expeditur. *Iſtvanfius.* Ferdinandus, Archidux Styriæ, ita volente Matthiâ Cæſare, in Regem Bohemiæ coronatur. 1617.

30. Andreas II. Rex Hungariæ, in expeditione contra Saracenos, caſtra ad Cairum Urbem collocat. Fridericus IV. Imperator, cum Ladislao Rege Hungariæ fratruele, Beatum Joannem Capiſtranum, velut Legatum Sedis Apoſtolicæ, honorificentiſſimè ſuſcipit, Neoſtadij Auſtriæ. 1451. *Lucas Wadingus.*

JULIUS.

1. Ferdinandus II. in Regem Hungariæ coronatur Poſonij. Anno Chriſti. 1618. In ijſdem Comitijs, Sigiſmundus Forgách, in Regni Hungariæ Palatinum eligitur.

2. Ferdinandus II. Imperator, nuptias celebrat cum Leopoldiana Archiduciſſa Tyrolienſi, cognata. 1648. Comes Gabriel Illyésházy, fidem Catholicam amplectitur. 1665. Marcus Aurelius Sirmij in Pannonia natus, acclamatur à militibus Imperator Romanorum. Anno Chriſti. 276. Hic primus vites in Pannonia habere permiſit, & juxta Sirmium Almum montem, militari labore, vitibus conſevit, ut ſe tanti beneficij authorem, populares agnoſcerent. Accidit id anno Chriſti. 279.

3. Diætæ, Anni 1557. finis Poſonij imponitur, actáque illius â Ferdinando I. confirmantur.

4. Sancta Eliſabetha, Portugalliæ Regina, à matre Hungara oriunda, ſanctè obit. 1600. Sanctus Innocentius, cum triginta ſocijs, Sirmij in Hungaria, Martyrio afficitur. *Roſveidus.* S. Laurianus, Hiſpalenſis Archiepiſcopus, qui ex nobilibus parentibus pannonicis, paganis tamen natus in Pannonia, Mediolanum appulſus, & ibidem ſuſcepto Baptiſmo educatus, ſacríſque literis imbutus, ac Diaconatu initiatus eſt. Poſtmodùm Hiſpalim in Hiſpaniam ſecedens, *Maximo* ejuſdem Urbis Epiſcopo ſucceſſit, ac tandem poſt multa præclarè pro Eccleſia, & præſertim contra Arianos geſta, juſſu Totilæ, Gotthorum Regis Ariani, pro fide Catholica obtruncatur. Anno 944. *Rybadeneira. Sigiſmundus Ferrarius.* Sancta Sabatia, Martyrium ſubit circa Sirmium in Hungaria. *Roſveydus.*

5. Henricus IV. Imperator, Hungaros, Ottoni, ſeu Ovoni Regi Hungariæ adhærentes, vincit, eiſdémque Petrum priorem Regem, ab ijs pulſum, reſtituit. 1044. *Bonfinius.*

6. Joannes Hunyades, hodie adverſam ſemel fortunam expertus, ſuorum

quatuor

quatuor millia perdit. 1490. *Bucelinus.* Ferdinandus III. Rex Hungariæ, Ratisbonam, armatâ manu occupat. 1634. *Schönleben.*

7. Sanctus Nicolaus Episcopus, Hungarus, Ordinis Prædicatorum, ob fidem Christi excoriatur vivus. 1230. *Sigismundus Ferrarius.* Comes Svarczenburgius, exercitûs Cæsarei generalis Ductor, Papam, contra præsidiarios Gallos rebelles, obsidione cingit. 1589. *Istvanfius.* Joannes Sigismundus, filius Joannis Zapolyani, Inter-Regis, nascitur. 1540. *Istvanfius.*

8. Joannes Hus, Hæresiarcha, in Concilio Constantiensi, cujus præcipuus author fuit Sigismundus Rex Hungariæ, vivus exuritur. 1415. *Bucelinus.* Comes Joannes Homonnay nascitur. 1633. Recolitur hodie memoria Sancti Aniceti, cujus corpus in Basilica Esterhaziana, Tyrnaviæ, Societatis JESU religiosè conservatur, ex concessione Pauli V, Pontificis.

9. Nascitur Ferdinandus III. Imperator, & Rex Hungariæ, filius Caroli Archiducis, Græcij. 1578.

10. Ferdinandus IV. Rex Romanorum, & Hungariæ, Ferdinandi III. Imperatoris, & Regis Hungariæ Filius, ex Maria Philippi IV. Regis Hispaniarum sorore, immaturâ morte extingvitur. 1654. Quo eodem etiam anno, obit Comes Paulus Palffi, Regni Hungariæ Palatinus. Generalis Bukvojus, in obsidione Ujvariensi occumbit. 1621. magno malo toti Christianitati, sed vel maximè Hungariæ. Joannes Calvinus Hæresiarcha, nascitur. 1509. *Caferrius.*

11. Occiso Bukvojo, Cæsareani de obsidione solvenda consultant, eandémque postmodùm rebus infectis solvunt, castráque Posonium úsque reducunt. 1621.

12. Varadinum, ab Aly Bassa, & Budensi Vezirio, ac Achatio Barczaio Principe Transylvaniæ, obsidione cingitur. 1660. Rectiùs tamen id ad sequentem diem ponitur.

13. Sanctus Henricus, Romanorum Imperator, qui Giselâ sorore sancto Regi Stephano in uxorem datâ, plurimùm ad conversionem Hungarorum adlaboravit, ad æterna prœmia migrat. 1024. *Caferrius.* Beata Margarita Ordinis Præmonstratensium, Adleidæ Regis Hungarorum filiæ abneptis, ad meliorem vitam transit. *Balbinus.*

14. Præmislaus Bohemiæ Rex, memorabilem de Hungaris victoriam refert. 1260. *Bucelinus.* Alphonsus Bojorum Dux, qui sæpè cum Hungaris bellum gessit, moritur. 932. Vladislaus II. in Regem Hungariæ coronatur Albæ Regali. 1490.

15. Decretum quintum Matthiæ Corvini Regis Hungariæ, editum Budæ. 1481. Sixtus IV. Papa moritur. 1484. qui Matthiam Corvinum Regem, contra hostes Christianitatis, pecuniarijs subsidijs adjuvabat.

16. Glo-

16. Gloriosissimus Rex Hungariæ, Carolus Robertus, obit, postquam cum magna laude annis triginta quatuor regnâsset. Anno Christi. 1342. *Bonfinius.*

17. Mathias Corvinus Hungariæ Rex, omnia oppida, quæ inter Neostadium & Viennam interjacent, in suam potestatem redegit. 1467. *Bonfinius.* Tres Reges: Sigismundus Poloniæ, Vladislaus Bohemiæ, & hujus filius Ludovicus Hungariæ, conveniunt Viennam ad Maximilianum I. Imperatorem. 1515. *Istvanfius. Schönleben.*

18. Augustissimus Imperator Leopoldus, Rex Hungariæ, eligitur in Imperatorem. 1658. Matthias Corvinus, Hungariæ Rex, Claustro-Neoburgum expugnat. 1467. *Bonfinius.*

19. Barnabas Pelaicus, Legatus Ludovici II. Regis Hungariæ, redit Constantinopoli, ad Regem Budam, cum octennalibus inducijs. 1519. *Istvanfius.* In Hungaria, à spicis secti frumenti prorupisse ignem, eóque multos perijsse memorant. 1590. *Bucelinus.* Colitur hâc die memoria Sanctæ Christinæ Virginis & Martyris, cujus corpus in templo Societatis JESU, Tyrnaviæ, religiosè conservatur.

20. Tres Reges: Sigismundus Poloniæ, Vladislaus Bohemiæ, & Ludovicus ejusdem filius, arctum fœdus inter se, & cum Maximiliano Cæsare ineunt. 1515. *Istvanfius.*

21. Joannes Zapolianus, olim Comes Scepusiensis, Vayvoda Transylvaniæ, ac tandem Inter-Rex, anno ætatis quinquagesimo tertio, è vivis decedit, in Száz-Sebes. Anno Christi. 1540. *Istvanfius.* Fuit is etiam cùm privatus viveret, potentissimus inter Hungariæ Magnates, & Regibus ac Ducibus affinitate conjunctus, vir aliàs placido liberalique ingenio, moribúsque inculpatis, nisi nimia ambitio eum, ab æquo, & justo rapuisset, quâ Regnum Hungariæ, Rémque publicam perdidit, ac prodidit. *Istvanfius.*

22. Maria, Philippi I Regis Hispaniæ filia, desponsatur Ludovico II. Regi Hungariæ, & Anna soror Ludovici Regis, Ferdinando I. dein Imperatori, ac Regi Hungariæ. 1515. *Bonfinius. Istvanfius.* Bela II. Rex Hungariæ, cognomine Cœcus, cum Boricho, Colomani Regis notho, prœlium acre init, eundémque, ac Polonos, Ruthenos, & Hungaros illi adhærentes fundit & fugat, proditionisque authores gravissimè punit. 1132. *Bonfinius.*

23. Beata Beatrix, Andreæ II. Regis Hungariæ uxor, ac post mortem mariti, Sanctimonialis, vitam sanctam, sancto fine terminat. 1239. *Bucelinus.*

24. Beata Cunegundis Virgo, Belæ II. Hungariæ Regis filia, Boleslai Poloniæ Regis conjux, (cum quo tamen per ipsos quadraginta connubij annos, immaculatum thorum tenuit, cui ob id etiamnum *Pudici* nomen adhæsit) post mortem mariti, Monialium sanctæ Claræ instituto se adjungens, vitæ

sanctæ

ſanctæ finem imponit. 1292. *Lucas Wadingus. Cromerus.* Sancta Salomea, Leſci Sandomiriæ Ducis filia, Colomanno, Andreæ Hungariæ Regis filio deſponſata, & cum eodem mutuo conſenſu, in matrimonio virginitatem colens, ac conjuge è vivis erepto, ſanctæ Claræ, facta monialis, in cœlos migrat. 1268. *Lucas Wadingus.*

25. Eliſabeth Regina Hungariæ, Ludovici I. conjux, à Joanne Horvatho capta, aquis mergitur. Maria ejuſdem filia, & Hungariæ Regina regnans in Croatiam captiva abducitur. Palatinus Gara, & Blaſius Forgach, qui erant authores necis Caroli Parvi, Regis Neapolitani & Hungariæ, in conſpectu Reginarum obtruncantur. 1385. *Bonfinius.* Ferdinandus I. Imperator, & Hungariæ, ex catharali tabe, obit Viennæ. 1564. *Schönleben.* Naſcitur Sereniſſimus Rex Hungariæ, Joſephus. vivat! 1678.

26. Eleonora Imperatrix, Ferdinandi II. uxor, coronatur in Reginam Hungariæ, Poſonij. 1622. *Schönleben.*

27. Sanctus Andreas Zoërardus, Eremita montis Zobor in Nitrienſi territorio, ac dein cavernæ rupis Szkalka, haud procul Trenchinio, ſupra rippam Vagi incola, ad meliorem migrat vitam. 1009. *Surius. Inchoffer.* Item Beatus Alexius Hungarus, ſanctitate in Sileſia claret. *P. Heveneſi S. J.* Finis Diætæ Poſonienſis, anni 1567. imponitur, & acta ejuſdem, à Maximiliano II. Cæſare, & Hungariæ Rege approbantur, & confirmantur.

28. Extraordinariæ magnitudinis Cometa apparet, & prodigioſa ſigna in aëre ſpectantur. 1032. *Bucelinus.*

29. Matthias Corvinus, Hungariæ Rex, profligat Victorinum Podebrachium, Ducem Münſterbergenſem, eúmque captivum in Hungariam abducit. 1469. *Bucelinus.* Feſtivitas Sancti Lupi, Trecis in Gallia, Epiſcopi & Confeſſoris, qui Urbem Trecas à furore Attilæ Galliam omnem devaſtantis, aſſiduâ oratione defendit. *Martyrologium Romanum.*

30. Ponunt ad hunc diem, obitum Sancti Ladislai Regis Hungariæ. *Bonfinius.* & *Bucelinus.* 1095. Ejus tamen feſtivitas, 27. Junij celebratur.

31. Beata Agnes, Conſtantiæ Belæ Regis Hungariæ filiæ, ex Ottocaro I. Bohemiæ Rege filia, in Monaſterio Doxanenſi, ſanctè obit. *Dubravius. Bucelinus.* Adolphus Svarczenburgius, Jaurini recuperator, in tumultu militari ad Papam, glande ictus, occumbit. 1600. *Iſtvanfius.*

AUGUSTUS.

1. Naſcitur Maximilianus II. Imperator, & Rex Hungariæ, Viennæ. 1527. *Schönleben.* Auguſtiſſimus Leopoldus I. inſigni victoriâ potitur contra Tur-

cas, ad Sanctum Gothardum. 1664. Comitis Sigefridi Kollonicz Hajdones, multa minora castella Turcica, ad lacum Balaton expilant, & magna cum præda redeunt. 1603. *Istvanfius.*

2. Hungari hâc die & sequenti Rhetiam vastant. 670. ipsi autem paulò pòst ulciscente numine, ob scelera in sacras personas patrata, ibidem profligantur. *Bucelinus.*

3. Beatus Augustinus Cazottus, natione Hungarus, ex Ordine Sancti Dominici, primò Zagrabiensis, annis septemdecim, & dein jussu Joannis XII. Pontificis, Lucerenus in Apulia Episcopus, annis tredecim, vir sanctitate & doctrinâ clarus, laborum suorum præmia percepturus, migrat in cœlum. 1332. *Sigismundus Ferrarius.*

4. Georgius Basta, Cæsarei exercitûs Ductor, junctis viribus, cum Michaële Vayvoda Transalpinæ, Sigismundi Bathorij, Transylvaniæ Principatum rursus repetentis, castra invadunt, eúmque fundunt ac fugant, cœsis ex illius copijs decem millibus, quadraginta quinque tormentis currulibus, & centum triginta vexillis, ac signis militaribus obtentis. 1600. Id tamen commodiùs ad præcedentem diem refertur.

5. Ferdinandus IV. Rex Hungariæ, in Regem Bohemiæ coronatur. 1647. & Augustissimus Leopoldus I. Hungariæ Rex, Coronâ Imperiali insignitur. 1658.

6. Inaudita per Hungariam fluviorum exundatio, quâ pagi subruti, & pecora ex campis impetu aquarum abrepta, multáque alia incommoda incolis illata sunt. 1662. Maria Christierna, filia Caroli Archiducis Styriæ, nubit Sigismundo Bathorio, Transylvaniæ Principi. 1595.

7. Obit Leopoldina Augusta, Ferdinandi III. Imperatoris, & Regis Hungariæ, secunda conjux, cùm pridie feliciter prolem Carolum Josephum enixa fuisset. 1649. *Schönleben.*

8. Georgius Basta, cum exercitu victore, Transylvaniam intrat, ubi veteres inter eum, & Michaëlem Transalpinæ Wayvodam simultates recrudescunt. 1600.

9. Joannes Vitézius, Archiepiscopus Strigoniensis, ex concepto animi dolore, quòd à Rege Matthia, Visegradi custodiæ traditus fuisset, ob conjurationem contra se initam, extremum diem claudit. 1472. *Bonfinius.* Recolitur hâc die memoria Sancti Juliani Martyris, cujus corpus religiosè asservatur in templo Societatis JESU, Tyrnaviæ, in Hungaria.

10. Hungari ingenti exercitu (centum, ut volunt nonnulli millium militum) in Bavariam irruunt, quibus Otho Imperator, propè Augustam, in campis

campis Lyci occurrit, & acerrimum prœlium cum illis, per totam diem committit, eósque ferè ad internecionem cædit. Anno Christi. 955. *Brietius.* Comes Nicolaus Eszterházi, Regni Hungariæ Palatinus, Hæreditarius Dominus Arcis Frakno, à Ferdinando II. instituitur. 1641. Galli Papenses obsidione à Nadasdio pressi, dum clam deserto præsidio, ad Turcas Alba-Regalenses profugere intendunt, ab Hungaris deprehensi, atrocissimè pro merito tanti sceleris cæduntur, & varijs supplicijs afficiuntur. 1600.

11. Cometa apparet, ex quo manus cum gladio prominere visa. Anno Christi. 1521. *Bucelinus.* Ludovicus III. Imperator, ab Hungaris Germaniam vastantibus, cùm ijsdem occurrere vellet, commisso trium dierum cum ijs prœlio, ab ijsdem maximâ clade superatur. Anno 907. *Caferrius.*

12. Beata Clara de Assisio, ad superos migrat. 1252. cujus Sanctimoniales, in Hungaria etiam nunc florent, & floruerunt multò magis prioribus sæculis. *Caferrius.*

13. Paulus Kinisius, Bohemicas cohortes, longo tempore, stipendia Hungarica merentes, sed postmodùm licentiâ, & avaritiâ insolentes, ac sacra profanis miscentes armatâ manu invadit, eásque in ordinem redigit. 1492. *Bonfinius.*

14. Comes Carolus Mansfeldius, etiam per Hungariam bello clarissimus, obit. 1595. *Bucelinus.*

15. Maximilianus II Cæsar, cum fratre Ferdinando Archiduce, ad castra in Hungariam descendunt. 1566. *Istvanfius.* Franciscus Rakoczius, Transylvaniæ Princeps, unà cum matre Sophia Bathori, fidem Catholicam profitentur, Patakini. 1661.

16. Comes Nicolaus Salmensis, bello in Hungaria famosissimus, moritur. 1550.

17. Matthias Corvinus, Hungariæ Rex, Neostadium Civitatem Austriæ, longâ obsidione fatigatam, deditione occupat. 1487. *Schönleben.*

18. Tökölianus Exercitus, propè Eperjesinum, ab Excellentissimo Generali Szulcz & Francisco Barkoczi, funditur & dissipatur. 1684.

19. Maximilianus Archidux Austriæ, & dein Imperator, Viennam, post obitum Matthiæ Corvini Regis Hungariæ, recuperat. 1490. & ipse in ædibus Episcopi divertit, donec castrum expugnaretur, in quod se Hungari receperant. *Bonfinius. Istvanfius. Schönleben.* Fridericus IV. Imperator, Lincij obit. 1493. cui longa bella fuerant cum Hungaris. Sanctus Ludovicus, Episcopus Toletanus, ex Maria, Stephani, hujus nominis quinti Hungariæ Regis filia, natus, ad prœmia æterna evolat. 1297. Quem sanctorum numero insertum, Carolus I. Hungariæ Rex, fratruelis, templo magnificâ operâ

operâ exſtructo, cœnobióque Ordinis Sancti Franciſci Religioſis, Lippæ fundato, veneratus eſt.

20. Sanctus Stephanus I. Rex Hungariæ, Regnum Hungariæ Beatiſſimæ Virgini donans, eandem quóque Regni ejuſdem Hæredem & Dominam, ac Patronam conſtituens, ex hac vita ad meliorem migrat. 1038. Sigiſmundus Bathorius, Tranſylvaniæ Princeps, ex Sileſia, ubi eidem Rudolphus Cæſar, certa Dominia aſſignaverat, per commutationem Tranſylvaniæ, ex improviſo, mutato conſilio, Claudiopolim redit. 1598. *Iſtvanfius.*

21. Idem Sigiſmundus Bathorius, authore Stephano Boskaio, Principatum Tranſylvaniæ, ultroneè priùs reſignatum Cæſari, iterum ſibi uſurpat. 1595.

22. Radula Wayvoda Tranſalpinæ, qui Michaëli per Baſtam ſublato in Principatu ſucceſſerat, ex inopinato Moyſis Siculi, recenter à factioſis, in Principem Tranſylvaniæ electi, caſtra invadit, fortitérque aggreditur,& cœſis 4000. diſſipat. quo in prœlio, ipſemet Moyſes Siculus occumbit, vexilla verò centum quinquagintaquinque capta, in ſignum fidelitatis ac victoriæ, Cæſari Rudolpho Pragam mittit. 1603. *Iſtvanfius.* Joannes Tarnovius, Ruſſiæ Palatinus, Petrum Moldaviæ Principem profligat. 1531. *Bucelinus.* Maximilianns I. Imperator, Hungaros in caſtro Viennenſi munitos, expugnat illúdque recipit. 1490.

23. Gregorius IX. Pontifex Maximus, vir de univerſa Chriſtianitate, adeóque & de Hungaria bene meritus moritur. 1241. Quo tamen eodem anno, Tartari Cumanis mixti, ex eo, quòd illorum Regem *Cutenem* Hungari interfeciſſent, in Hungariam irrumpunt, eámque mirum in modum devaſtant, ac ſpoliant, ac ex florentiſſimo tunc Regno, in deſertum ferè redigunt. *Bonfinius. Brietius.*

24. Maximilianus Archidux, Hatvanenſe fortalitium expugnat. 1590. Dominicâ infra feſtum S.Bartholomæi,celebratur Anniverſarius dies Translationis Sanctorum novem Martyrnm, quorum corpora habentur, in templo Societatis JESU, Tyrnaviæ in Hungaria.

25. Gabriel Bethlehemus, Tranſylvaniæ Princeps, à factioſis, in Regem Hungariæ acclamatur Neoſolij. 1620.

26. Multa nefaria in ijſdem Comitijs Neoſolienſibus concluduntur, quæ poſtmodùm omnino reprobata fuerunt. 1620.

27. Ferdinandus II. Rex Hungariæ, Duce Tillio, copias Regis Daniæ profligat. 1626. *Schönleben.* Varadinum per deditionem, ab Hungaris acatholicis, Turcis traditur. 1660.

28. Carolus Robertus, in Regem Hungariæ coronatur. 1310. Ferdinandus II.

dus II. Rex Hungariæ, in Regem Romanorum, Francofurti eligitur. 1619. Ludovicus Germaniæ Rex, cujus ditioni etiam Pannonia ſuberat, moritur, relictis tribus filijs, inter quos ita partitus eſt Regna ſua, & Provincias, ut Carolomanno obveniret etiam Pannonia. 876.

29. Ludovicus II. Hungariæ Rex XXXIII. in campo Mohács, cum præcipuis Proceribus Regni, & Epiſcopis, in pugna contra Turcam, miſerè occumbit. 1526.

30. Stephanus Bathorius, Poloniæ Rex, devicto Moſcho, univerſam Poloniam, ſui Juris facit. 1579. *Bucelinus.*

31. Maximilianus II. in Regem Hungariæ coronandus, venit Poſonium. 1563. *Iſtvanfius.*

SEPTEMBER.

1. Tres præcipui Tranſylvaniæ Proceres, nempe: Franciſcus Bebecus, qui jam à Solymano Gubernator Tranſylvaniæ erat conſtitutus, Moldavúſque, ac Tranſalpinus Princeps, eidem parere juſſi erant. Franciſcus item Kendi, & Antonius Kendi, juſſu Reginæ Joannis Zapollya viduæ, per Melchiorem Balaſſam, cæduntur, eorúmque bona, quæ ampliſſima fuerunt, fiſco addicuntur. 1559. *Iſtvanfius.*

2. Buda Metropolis Hungariæ, aſtu, à Solymano Turcarum Imperatore occupatur. 1541. & Gyula proditione à Turcis capitur. 1566. *Iſtvanfius. Bucelinus.* Eodem recurrente die, Buda feliciter ab Auguſtiſſimo Cæſare Leopoldo I. armatâ manu recuperatur. 1686.

3. Bartpha Civitas Regia, in ſuperiori Hungaria, totaliter, unà cum ſuburbijs, à Rebellibus exuritur. 1678.

4. Rudolphus Imperator, & Hungariæ Rex, cum Achmete Turcarum Tyranno, pro pace in Hungaria ſervanda, ad viginti annos paciſcitur. 1606. *Schönleben.*

5. Sanctus Emericus, Dux Hungariæ, puriſſimam animam cœlo reddit. 1031. Joanna regina Neapolis, Andream maritum, Ludovici Regis Hungariæ fratrem, ſtrangulare jubet. 1345. *Bucelinus.*

6. Sereniſſimus Ferdinandus III. jam tunc Hungariæ Rex, & poſteà Romanorum Imperator, acerrimum cum Svecis propè Nordlingam committit prœlium, quod totis decem horis duravit, & tandem illos devincit, cœſis eorum decem millibus, & quatuor millibus captis, cum octuaginta tormentis, & ſignis militaribus ducentis, átque omnibus impedimentis. 1634. *Caſerrius. Brietius.*

7. Pater Stephanus Pongracz Hungarus, cum ſocio ſuo Patre Melchiore Gro-

re Grodecio, è Societate JESU, & Marco Chryzino Strigoniensi Canonico, in odium Fidei, exquisitis cruciatibus, Cassoviæ, ab Hæreticis interimuntur. 1619. Beatus Otto, Frisingensis Episcopus, frater Sophiæ, Reginæ Hungariæ, sanctè obit. 1179. *Fuggerus.* Michaël Transalpinæ Wayvoda, jussu Georgij Basta, exercitûs Cæsarei in Transylvania Duce, è medio tollitur. 1600. *Istvanfius.* Hungari, cum viginti quatuor millibus armatorum, Duce Joanne Hunyadi, Neostadium, ad Fridericum Imperatorem accedunt, Regémque Ladislaum, hactenus sub ejusdem tutela constitutum, sibi ab eodem restitui exposcunt, eundémque etiam certis conditionibus recipiunt. 1452. *Schönleben.*

8. Recolitur memoria Sancti Adriani Martyris, Probi Pannonij Sirmiensis filij. *Surius.* Maximilianus II. in Regem Hungariæ coronatur Posonij. 1563. *Istvanfius.* Ferdinandus II. Rex Hungariæ, coronatur in Imperatorem Romanorum, Francofurti. 1619. Nascitur Ferdinandus IV. Rex Hungariæ, filius Ferdinandi III. 1633. *Schönleben.* Excellentissimus Comes Paulus Eszterházi, Regni Hungariæ Palatinus, fit Sacri Romani Imperij Princeps. 1687.

9. Maria uxor Maximiliani II. in Reginam Hungariæ coronatur Posonij. 1563.

10. Joannes Hunyades, Regni Hungariæ olim Gubernator, ac totius Christianitatis contra Turcam acerrimus defensor, cùm ex nimio labore & fatigijs, in solutione obsidionis Belgradensis susceptis, in febrim incidisset, magno Christiani orbis, & præsertim Hungariæ luctu, extingvitur. 1456. *Bonfinius.*

11. Sanctus Capistranus mortem Joannis Corvini, amaris deflet lacrymis, atque ex hoc dolore in langvorem corporis incidens, paucis post diebus, in Domino obdormivit. 1456. *Bonfinius.*

12. Incomparabilis Heros, Comes Nicolaus Esterházi, Regni Hungariæ Palatinus, consilio & manu potens, bellóque & pace inclytus, Academici Templi Societatis JESU Tyrnaviæ Fundator, cum dolore totius Regni moritur. 1645.

13. Ludovicus I. Hungariæ Rex gloriosissimus, qui plurima bella feliciter gessit, Regni terminos extendit, Gentem Cumanorum gentilem, ad fidem Christianam converti procuravit, ex Hungaria Judæos expulit, Regnum Hungariæ, ac Poloniæ simul sapienter gubernavit, cum utróque Regni luctu, è vivis decedit. 1382. ætatis 92. Regni 40. Obijt & Comes Franciscus Botthyáni. 1625.

14. Vladislaus II. eligitur in Regem Hungariæ. 1490. Leopoldus I. Hungariæ Rex, in Regem Bohemiæ coronatur. 1663. *Schönleben.*

15. Sanctu

15. Sanctus Nicetus Gothus, Martyrio afficitur in Transylvania, circa annum 401. *Aventinus.* Stephanus Moldaviæ Princeps, cum magno Coronæ Hungariæ præjudicio, se Regi Poloniæ subjicit. 1485.

16. Serenissimus Ferdinandus II. Hungariæ Rex, Ducibus Bavaro & Tillio, Hejdelbergam occupat. 1622.

17. Joannes Franciscus Aldobrandinus, copiarum Pontificis Romani Dux, in Hungaria moritur. 1601. Obit etiam Joannes Kutassy, Archiepiscopus Strigoniensis, Tyrnaviæ. 1601. Sanctus Mauritius ab Attilæ copijs interficitur. Diocletianus, origine Dalmata, Diocle vico, propè Salonas, fit Imperator Romanorum. Anno 284.

18. Alba Regalis, à militibus Maximiliani I. Imperatoris, post mortem Matthiæ Corvini expugnatur, & fœdè diripitur. 1490. Georgius Basta, junctis Transylvanicis copijs, Michaëlem Wayvodam Transalpinæ, qui devicto Sigismundo Bathorio, Transylvaniam sibi servare volebat, cædit, fugátque. 1599. Recolitur hâc die memoria Sanctæ Sinesiæ Virginis Martyris, cujus reliquiæ religiosè asservantur in templo Societatis JESU, Tyrnaviæ in Hungaria.

19. Mercurius Dux, pro Rudolpho II. Imperatore, & Rege Hungariæ, Albam Regalem obsidet. 1601.

20. Recolitur memoria Sancti Agapiti, Eustachij Daciæ, (quæ nunc Transylvania dicitur) Ducis filij. *Inchoffer.* ad annum Christi. 103. Item S. Thepistæ ejusdem Ducis conjugis, & Martyris. Item Sancti Lanceslai, ab Hungariæ Regia prosapia orti, qui in Ordine Sancti Francisci floruit, circa annum. 1445. *Wadingus.* Maximilianus II. Imperator, & Rex Hungariæ, coronatur in Regem Bohemiæ. 1562. *Schönleben.*

21. Vladislaus II. coronatur in Regem Hungariæ, Albæ Regali. 1491. Et Rudolphus II. Rex Hungariæ, in Regem Bohemiæ, Pragæ. Anno Christi. 1573. Accius, qui cum Attila sæpiùs conflixit, jussu Valentiniani Imperatoris, occiditur. 454.

22. Sanctus Emiramus, qui in Hungaria quóque Evangelium prædicavit, Martyrio afficitur in Bavaria. Anno Christi. 652. cujus honori, inter primas Ecclesias, dicata est Basilica Nitriensis.

23. Ujvarinum, ab Achmete supremo Turcarum Vezirio oppugnatur, & durante adhuc obsidione, totus ille tractus Hungariæ, úsque in Moraviam à Tartaris devastatur. 1663.

24. Sanctus Gerardus, Episcopus Csanadiensis, qui peculiariter Hungaros ad cultum Beatissimæ Virginis excoluit, ac erudijt, à Gentilibus propè Budam interimitur. 1047. Eâdem die, & Anno, ab ijsdem Gentilibus, Sanctus Bez-

ctus Beztertus Episcopus Nitriensis, pro Fde occiditur Pesthi. Item & Sanctus Buldus, Episcopus Agriensis. *Inchoffer.* Sigismundus Rex Hungariæ, Pragam solenni pompâ ingreditur. *Bonfinius.*

25. Ladislaus III. in Regem Hungariæ coronatur. 1200. sed vix menses aliquot supervivens, immaturâ morte abripitur. *Bonfinius.* Rudolphus II. in Regem Hungariæ coronatur. Posonij. Anno Christi. 1572. *Istvanfius.*

26. Leopoldus I. Imperator, & Hungariæ Rex, cum Turcarum Tyranno, inducias paciscitur. 1664.

27. Sancta Lupitha, filia sororis Sancti Martini Sabariensis, in cœlum migrat. 490. *Bolandus.* Societas JESU, à Paulo III. Pontifice Maximo, magno bono totius Christianitatis, ac singulariter Hungariæ, confirmatur. 1540.

28. Sigismundus Rex Hungariæ, ac postmodùm Imperator, magnâ clade afficitur à Turcis, in pugna ad Nicopolim. 1396. Constantinus, apud Mousam, quæ nunc Eszekinum dicitur, congressus cum Maxentio, de eodem triumphat, sed tantâ utrínque clade, ut hoc prœlium Romani Imperij vires attrivisse credatur. Anno Christi. 356. *Brietius.*

29. Jaurinum, fortuito repentinóque incendio, funditùs concrematur. 1566. *Istvanfius.*

30. Sanctus Hieronymus Ecclesiæ Doctor, natus Stridone, (qui locus vix diei itinere Sabariâ distat) ad æternam cœlestis gloriæ coronam evocatur. 420. *Inchoffer.* Hamburgum Austriæ, à Matthia Corvino Rege Hungariæ, expugnatur. 1482. Sanctus Franciscus Borgias Gandiæ Dux, Pro-Rex Catalauniæ, Societatis JESU Generalis III. Romæ sanctissimè obit. Anno Christi. 1572. ætatis 62. ortus creditur ex Hungarorum militantium reliquijs, à quibus etiam nomen, insigni correspondens retulit. *P. Hevenesi.*

OCTOBER.

1. Rudolphus II. Imperator, & Rex Hungariæ, Pragæ in templo Sancti Viti, solenni pompâ sepelitur. 1612. *Schönleben.*

2. Pax inter Ferdinandum III. tanquam Regem Hungariæ, & Georgium Rakoczium, Transylvaniæ Principem concluditur. Annô Christi. 1646. Barbara, Stephani Zapollya Comitis Scepusiensis filia, uxor Sigismundi Regis Poloniæ, moritur. 1515.

3. Henricus III. Imperator, qui Regem Petrum Hungariæ, & Regno armis restituit, extingvitur. *Caserrius.* Alij id tamen ad quintam diem hujus mensis ponunt.

4. Sanctus Franciscus Seraphicus, Assisij migrat in cœlum. 1266. cujus Filij,

Filij, & ejusdem Instituti imitatores, mirè propagati sunt cum magna Ecclesiæ utilitate, per Hungariam. Obit Andreas Bathorius, Judex curiæ Regiæ. 1566.

5. Nascitur Sanctus Casimirus, Casimiri III. ex Isabella Austriaca, Regis Poloniæ filius, qui à nonnullis Proceribus, contra Matthiam Corvinum, electus fuit in Regem Hungariæ. 1458. *Caferrius.*

6. Sanctus Bruno, Carthusiani Ordinis Institutor, in cœlum evolat, cujus Ordinis, complura per Hungariam olim extitêre sanctissima Asceteria, quæ dein occasione Turcicæ Tyrannidis sunt desolata.

7. Maximiliani I. Imperatoris auspicijs, Veneti ad Vincentiam ingenti prœlio vincuntur. 1513. Conspirantibus tunc in Venetos præcipuis Orbis Christiani Monarchis, scilicet: Pontifice, Cæsare, Hispano, & Gallo, sua, à Venetis erepta repetentibus, cui ligæ favebant & Hungari, sperantes se partes Dalmatiæ, olim Coronæ Hungariæ, hàc occasione à Venetis recepturos.

8. Nostri propè Sixo, in superiori Hungaria, Turcas profligant, 1588. quâ de re fusiùs actum, in Ephemeridibus præcedentibus.

9. Sanctus Guntherus Eremita, Sancti Stephani Regis Hungariæ cognatus, ex Eremo in Paradisum transit. 1045. *Surius. Inchoffer.* Henricus Comes Tampier, Heros incomparabilis, in expugnatione Posonij, occumbit. 1620.

10. Joannes Cazianer, à Turcis profligatur, cum exercitu Ferdinandi Regis Hungariæ. 1532. *Istvanfius.*

11. Augustissimus Cæsar Ferdinandus II. jubet Austriacos Hæterodoxos, aut Regionem mutare, aut Orthodoxam Fidem amplecti. 1625. quorum multi migrârunt in Hungariam, eámque hæresibus fœdàrunt. Eodem die, Anno 1531. Helveti Catholici, numero longè pauciores Zvinglianos Helvetos prœlio superant, cæso quoque ipso Zvinglio novæ hujus sectæ authore, ejúsque cadaver flammis addicunt. Cujus tamen nefandi hominis pestifera doctrina, postmodùm in Hungaria quóque propagata fuit. *Caferrius. Florimundus. Raymundus.*

12. Recolitur hâc die memoria Sanctæ Semidiæ Virginis & Martyris, cujus corpus Tyrnaviæ in Hungaria, in templo Societatis JESU asservatur. Maximilianus II. Imperator, & Rex Hungariæ, Ferdinandi I. & Annæ Hungaricæ filius, vitâ decedit. *Caferrius. Bucelinus.*

13. Sanctus Colomanus, Sanctæ Margaritæ Reginæ Scotiæ, Hungarâ matre natæ filius, redux ex peregrinatione Hierosolymitana, innocens suspenditur, cujus corpus incorruptum, regnante Petro in Hungariam fortè cognationis titulo delatum, & insigni cultu asservatum fuit, donec satagentibus

tibus quorum intererat, rurſus Monaſterio Mellicenſi, unde acceptum fuerat, reſtitueretur. *Raderus. Inchoffer.*

14. Bela IV. in Regem Hungariæ coronatur. 1235. ejus tempore, tota Hungaria per Tartaros crudeliter incendijs ferróque devaſtata fuit, ipſe quóque Rex pulſus, non niſi poſt Tartarorum in Hungaria triennium conſumentium, abitum, Regno eſt reſtitutus.

15. Sancta Hedvigis, Andreæ II. Hungariæ Regis, primæ conjugis ſoror, & Sanctæ Eliſabethæ Hungaræ matertera, finem ſanctæ vitæ imponit. 1243. *Raderus.*

16. Obit Cardinalis Forgach, Archiepiſcopus Strigonienſis. 1615.

17. Michaël Servetus, novi Arianiſmi author, Genevæ vivus exuritur. 1555. cujus tamen infernalis doctrina, primò in Tranſylvaniam, ac dein etiam in partes Quinque Eccleſienſes Hungariæ, miro aſtu ſubintraverat. *Caſerrius. Florimundus.*

18. Vitâ excedit Maria Archiduciſſa, Regina Hungariæ, vidua Ludovici II. Regis Hungariæ. 1558. *Schönleben. Bucelinus.*

19. Maximilianus I. Imperator, Albam Regalem oppugnat. Anno Chriſti. 1490. *Schönleben.*

20. Sanctus Cyriacus, Sanctam Urſulam, & ſocias ejuſdem ad fortiter ſubeundum Martyrium animat, quod ipſis à Gyula Hungarorum Duce inferendum proximâ diei luce, prædicit. 383.

21. Sancta Urſula, Dionoci Regis Cornubiæ filia, cum undecim mille Virginibus, ab Hungaris, tunc gentilibus, apud Coloniam Agrippinæ, pro virginitate ſervanda, & defenſione Fidei Chriſtianæ, crudeliter trucidatur. Anno Chriſti 383. *Caſerrius. Bucelinus.*

22. Cordula, quæ ſola ex undecim millibus ſociarum Sanctæ Urſulæ remanſerat, & illâ nocte ſub navis carina delituerat, poſterâ die prodiens, ne Martyrium detrectaret, à feriente Tyranno, lætalem ictum exigit, ab eodémque transfigitur. 383. *Bonfinius.*

23. Sanctus Joannes Capiſtranus, vir doctrinâ, & zelo religionis inſignis, Joannis Hunyadi in expeditionibus contra Turcas in Hungaria, comes individuus, in Hungaria, ad oppidum Ujlakium, ſanctiſſimè obit. Sirmij in æde Sancti Franciſci poſteà ſepultus. 1456. *Bonfinius.* Cujus corpus Sirmio per Turcas capto, in Zeloſiano Monaſterio conditum, Franciſcus Perenius, per ſummam impietatem confracto ſepulchro, & indignis modis profanato, in profundum puteum projici juſſit. *Iſtvanfius.* Recolitur hâc die memoria Sanctæ Priſcillæ Virginis & Martyris, cujus corpus aſſervatur religiosè, in templo Societatis JESU, Tyrnaviæ in Hungaria.

24. Stepha-

24. Stephanus Wayvoda Moldaviæ, insignem de exercitu Regis Poloniæ reportat victoriam. 1497. *Bucelinus.*

25. Catharina Regina Bosniæ, Thomæ Regis uxor, post occupatam Bosniam à Turcis, Romam ad Pontificem confugiens, ab eodémque pro dignitate sustentata, moritur. 1478.

26. Carolus V. Imperator, & Rex Hispaniarum, auspicatur regimen Ordinis Aurei velleris, ad quam dignitatem postmodum sunt assumpti complures ex Magnatibus Hungaris, ob singularia merita erga Augustissimam Domum Austriacam præstita. *Schönleben.* Colitur hâc die officio proprio per Hungariam, Sanctus Demetrius Martyr & miles, ob ejusdem reliquias Sirmij depositas. Albertus Hungariæ Rex extingvitur. 1439. Recolitur hâc die memoria Sancti Desiderij Martyris, cujus corpus religiosè asservatur in templo Societatis JESU, Tyrnaviæ in Hungaria.

27. Rudolphus II. Hungariæ Rex, eligitur Imperator. 1575. *Schönleben.* Gabriel Bathorius, electus Transylvaniæ Princeps, ex insidijs Varadini, crudeliter trucidatur. 1613.

28. Ferdinandus I. coronatur Rex Hungariæ, Albæ Regali. 1527. Beatus Gallus Confessor Ordinis Sancti Francisci, obit Strigonij, circa annum 1340. *Wadingus.*

29. Concilium Constantinopolitanum generale inchoatur, in quo hâc die Photius Schismaticus, qui primus apertam fecit secessionem à Matre Sancta Ecclesia, expulsus, & anathematizatus est. 369. cujus tamen Schismati adhæserunt multi etiam sub Corona Hungariæ, utì sunt Rutheni, Valachi, Moldavi, sed ex ijs jam complures, in Hungaria & Croatia existentes, operâ piorum virorum, & industriâ Eminentissimi Cardinalis à Kollonicz reducti sunt ad Unionem Catholicam. Matthias Archidux, inglorius redit ex Belgio, nuper à confœderatis evocatus. 1581. qui tamen ante & pòst, multa præclara bella gessit, in Hungaria.

30. Cæsar Baronius S. R. E. Cardinalis nascitur. 1598. qui suis doctissimis scriptis, Historiam Regni Hungariæ, præcipuè Ecclesiasticam, plurimùm illustravit.

31. Sanctus Wolffgangus, ante Episcopatum Sancti Piligrini, in conversione Hungarorum socius, ad æterna prœmia evolat. 904. *Raderus.*

NOVEMBER.

1. Recolitur hâc die memoria Sancti Monani Archidiaconi Hungari, quì cum Sancto Hadriano in Scotiam profectus, sanctissimam vitam ibidem duxit, ac finivit, circa annum Christi. 878. *Bolandus.* Rudolphus II. Hungariæ

Rex, coronatur in Imperatorem Ratisbonæ, à Daniele Electore Moguntino. 1575. *Schönleben.* Casimirus, Casimiri Regis Poloniæ filius, à nonnullis seditiosis Hungariæ Rebellibus, contra Matthiam Corvinum, ad Coronam evocatus, in Hungariam inducitur. 1471. *Bonfinius.*

2. Comes Nicolaus Esterházi, arctè à copijs Bethlehemianis pressus, ac vehementer sollicitatus, ut à fidelitate Cæsaris deficeret, dum deliberationis tempus simulat, interim à Cæsare auxilium impetrat, hostésque cædit, ac magnâ clade afficit. 1623. *Bucelinus.*

3. Sanctus Carolus Boromæus, S. R. E. Cardinalis, Archiepiscopus Mediolanensis, horâ noctis tertiâ sanctissimam efflat animam, 1584. cujus aurea, & zelo Apostolico plena epistola extat, ad Andream Bathorium Cardinalem scripta. Comes Nicolaus Esterházi, adhuc magis copias Bethlemicas atterit, ac profligat. 1632. *Bucelinus.*

4. Beatus Joannes Ordinis Prædicatorum, per Hungariam Provincialis, Episcopus Bosnensis, pientissimè obit, Budæ. 1253. *Sigismundus Ferrarius.*

5. Constantiense Concilium inchoatur, 1414. plurimùm adurgente Sigismundo Hungariæ Rege, cui etiam ipsemet interfuit. *Caferrius.* Sanctus Emericus Dux Hungariæ, sponsus, & virgo, ad cœlestia virginitatem colentibus promissa præmia migrat. 1032. *Bonfinius.*

6. Innocentius VIII. Papa moritur. 1406. quem Sigismundus Rex Hungariæ, strenuè adjuvit contra Benedictum Antipapam. *Ricciolus.*

7. Valentinianus senior Imperator, natione Pannon, quorundam Rebellium legationibus irâ commotus, dum eos ardentiùs objurgat, sangvine per os effuso, suffocatur. 376. *Caferrius.*

8. Joannes Rex Bohemiæ, & Casimirus Rex Poloniæ, pacis ac fœderis causâ, Vissegradi, ad Carolum I. Regem Hungariæ conveniunt. 1335. *Bonfinius.* Item contigit hâc die memorabilis illa Cæsareanorum in monte Albo, de Friderico Palatino Rheni victoria, qua in pugna fuêre decem millia Hungarorum, à Gabriele Bethlehemo submissorum, sed & hi fugati, ad propria rediêrunt. 1620. Benedictus Thuroczius Croatiæ Banus moritur. 1616.

9. Beata Helena Virgo, Ordinis Sancti Dominici, Hungara, Beatæ Margaritæ religiosa Magistra, multis in vita, & post mortem miraculis clara, ad beatam immortalitatem transit, ad Budam. 1270. *Sigismundus Ferrarius. Bzovius.*

10. Carolus Robertus Rex Hungariæ, Valachis bellum inferens, inter angustias montium, à *Bazarado* Valachiæ Wayvoda cæditur, toto ferè exercitu amisso, multis Proceribus captis, & immaniter occisis, ipse mutatis vestibus, vix necem evadens. 1332. *Bonfinius.*

11. Sanctus Martinus Episcopus Turonensis, natus Sabariæ, in Hungaria, sanctissimam efflat animam. 402. *Sulpitius. Surius.*

12. Sanctus Astricus, Archiepiscopus Colocensis, in Hungaria, Ordinis Sancti Benedicti, qui Sancto Stephano Regiam Coronam à Sylvestro Papa detulit, & Regis titulum impetravit, non minor septuagenario, ad percipiendam laborum suorum mercedem evocatur. 1034. *Bolandus.* Sanctus Christinus Monachus, qui Sancto Adalberto in conversione Hungarorum adjutor fuit, fit Martyr in Bohemia. 1000. *Inchoffer.* Eàdem die, ac anno, & ibidem, patitur Sanctus Joannes, & Sanctus Matthæus, pariter Monachi, & collaboratores in conversione Hungarorum, ejusdem Sancti Adalberti. *Dubravius.* Alexander Vitellius, Pauli Reipublicæ Florentinæ armorum Ducis filius, nascitur hâc die. 1500. qui in multis Regionibus, ac etiam Hungaria, & nominatim ad Vaciam, & Pesthum, egregiam militarem præstitit operam. *Caferrius.*

13. Justinianus Imperator, ex Illyrio oriundus, obit Constantinopoli. Anno Christi. 165. ætatis 87. Imperij 38. Legum lator, quibus innituntur leges quóque municipales Hungariæ. Contra quem anno 535. Hunni trasmisso Istro, ditiones Romanorum dirè vastârunt, & populati sunt úsque Bizantium, adeò, ut Justinianus coactus fuerit pacem ab eis redimere.

14. Matthias II. eligitur in Regem Hungariæ. 1608. átque in ijsdem Comitijs Posoniensibus, creatur in Palatinum Regni Hungariæ, Comes Stephanus Illyésházi, quæ dignitas ab obitu Thomæ Nadasdi, per annos 46. vacaverat.

15. Sanctus Leopoldus, pater Sophiæ, Reginæ Hungariæ sanctissimè obit. 1136. Hodie recolitur memoria Sanctæ Severinæ Virginis & Martyris, cujùs corpus religiosè conservatur, in templo Societatis JESU, Tyrnaviæ, in Hungaria.

16. Moritur Gabriel Bethlehemus, Transylvaniæ Princeps, infamis tot fœdifragijs, & Turcarum ac Tartarorum confœderationibus. 1629. Beatus Petrus Ordinis Sancti Francisci, obit Budæ. 1287. *Wadingus.*

17. Pax & fœdus arctissimum inter Carolum I. Regem Hungariæ, & Joannem Bohemiæ, ac Casimirum Poloniæ, Reges, percutitur Visegradi, & Reges hospites, rarissimis donarijs, à Carolo honorantur. 1335. *Bonfinius.* Recolitur memoria S. Aniani Episcopi Aurelianensis, qui Atilam ab eversione Urbis Aurelianensis avertit, & ad solvendam obsidionem, adegit.

18. Alexander Moldaviæ Princeps crudelissimus, ab Alberto de Lasco profligatur. 1561. *Bonfinius.*

19. Sancta Elisabetha, Andreæ II. Regis Hungariæ filia: Ducissa Thuringiæ, die mortis prævisâ, spiritum inter sanctissima suspiria, DEO reddit. 1231.

1231. *Surius. Raderus.* Matthias II. in Regem Hungariæ coronatur, Posonij. 1618. Petrus Pazmanus, è Societate JESU, Archiepiscopus Strigoniensis, ab Urbano VIII. creatur Cardinalis. 1629.

20. Recolitur hâc die memoria Sancti Eustachij cum socijs Martyribus, qui in Hungaria militavit contra Dacos, construxítque pontem ad Danubium, qui *Trajani* dicitur, cujus etiam nunc vestigia visuntur. *Inchoffer.* ad annum 163.

21. Ladislaus Posthumus, Alberti filius, Hungariæ, & Bohemiæ Rex, annorum octodecim adolescens, in ipso nuptiali apparatu, cum Magdalena, Caroli VII. Gallorum Regis filia, ex hac vita decedit. 1457. *Caserrius. Brietius. Bonfinius.*

22. Matthias Corvinus Hungariæ Rex, cum Friderico III. Cæsare paciscitur. 1487. *Schönleben.* Geyza II. Belæ II. filius primogenitus, in Regem Hungariæ coronatur. 1145. *Bonfinius.*

23. Turcarum exercitus, ad Siscium feliciter à nostris debellatur. 1593. qua de re fusiùs in sequentibus Ephemeridibus. *Istvanfius.*

24. Maximilianus II. Rex Hungariæ, eligitur in Imperatorem Francofurti. 1562. *Schönleben.*

25. Serenissimus Ferdinandus II. Rex Hungariæ, coronatur in Regem Bohemiæ. 1627. Comes Nicolaus Eszterházi, tunc Judex Curiæ Regiæ, & Novæ Arcis, átque Confiniorum antemontanorum Generalis, magnum numerum captivorum ex Moravia, à Tartaris, & Turcis, tempore belli Bethlehemici abductorum, eliberat, parváque manu, insigni strage hostes profligat. 1623.

26. Nicolaus Comes Salmensis, Heros laudatissimus, post multa in Hungaria gloriosè gesta, moritur. 1580. *Bucelinus.*

27. Comes Nicolaus Esterházi, eligitur in Palatinum Regni Hungariæ. 1625.

28. Georgius Castriotus, cognomento *Scanderbegus*, Avitum Principatum Epiri occupat, & Turcas profligat, mox cum Hungaris, & Venetis fœdus contra communem Christianitatis hostem init. 1443.

29. Arnulphus Imperator, qui Hungaros in Germaniam evocaverat, eosdémque hâc occasione, contra Imperij Provincias armaverat, moritur Ratisbonæ. 896. *Caferrius. Bucelinus.*

30. Maximilianus II. Rex Hungariæ coronatur in Imperatorem, Francofurti. 1562. Nascitur Andreas secundo-genitus Caroli Roberti, Regis Hungariæ filius. 1376. is, qui postmodùm Rex Neapolitanus fuit. *Bonfinius.*

DECEM-

DECEMBER.

1. Obijt Emericus Rex Hungariæ. 1200. *Bonfinius.* alij aliter. Ad hunc quoque diem ponitur transitus ex hac vita Sancti Albani M. qui fuerat in Hungariam missus, & à Rege in filium adoptatus. *P. Heveneſi.* Sanctus Geroldus Bojorum Prætor, & fidei Christianæ magnus zelator, in prœlio ab Hunnis cæditur.

2. Alexander Farnesius celeberrimus belli Dux, Atrebati, in Belgio extingvitur. 1592. In cujus locum & gubernationem Belgij, Ernestus Archidux, qui bello in Hungaria, adversùs Turcas præfuerat, à Philippo II. Hispaniarum Rege evocatur, & substituitur. 1594. *Iſtvanfius.*

3. Sanctus Agricola Martyrium subit in Pannonia, cujus mentionem facit ad hanc diem, Martyrologium Romanum. In Croatia immensa vis anserum, & anatum sylvestrium, sese in terram demittit, & acriter inter se prœliatur, tantâ postridie mortuarum repertâ multitudine, ut certatim accurrentes incolæ, multi 50. multi 200. & nonnulli 400. domum referrent. 1587. *Bucelinus. Iſtvanfius.*

4. Sacro Concilio Tridentino finis imponitur. 1563. Cui, qui ex Hungaris interfuêre in Patriam rediêrunt, excepto Joanne Csanadiensi Episcopo, qui ibidem gravi oppressus morbo, è vivis decessit. *Iſtvanfius.*

5. Carolus II. Rex Neapolis, cognomento *Parvus*, in Regem Hungariæ, Albæ Regali coronatur, quâ die inusitatus solis defectus apparuit, qui ad breve tempus regnaturum novum Regem protendit. 1385. Nuptiæ Augustissimi Imperatoris Leopoldi I. cum Margarita Hispana, summa cum pompa peraguntur Viennæ. 1666.

6. Lotharius II. Imperator, extremum diem claudit. 1138. vir egregiè cum omnibus gentibus, ipsisque Hungaris (cœteris Imperatoribus infestis) optimè conveniens. *Caferrius.*

7. Beatus Joannes Dominici, patriâ Florentinus, professione Sancti Dominici Religiosus, dignitate Ragusanæ Ecclesiæ Præsul, & S. R. E. Cardinalis, magnam vitæ partem in Hungaria, apud Regem Sigismundum, titulo Legati, & Nuncij Apostolici transigens, febri correptus, Budæ, inter Hungariæ Procerum adstantium lacrymas, communémque civium dolorem, quasi somno svavi consopitus, felicem spiritum DEO reddit. 1418. *Sigiſmundus Ferrarius.*

8. Beatus Buzadus Banfius, è nobilissima Bonfiorum familia, Ordinis Sancti Dominici Religiosus, à Tartaris in Ecclesia, ante aram procumbens,

interimi-

interimitur, & lanceis confoditur. 1243. *Sigismundus Ferrarius.* Ferdinandus II. coronatur in Regem Hungariæ. 1625. *Schönleben.* Excellentissimus Comes Paulus Esterhazi, Regni Hungariæ Palatinus, S.R. Imperij Princeps declaratur. 1687.

9. Sigismundus Imperator, & Rex Hungariæ Znoymæ obit. 1437. Serenissimus Josephus, in Regem Hungariæ Hæreditarium eligitur Posonij. 1687. Quo eodem die, anno 1683. Augustissima Imperatrix Eleonora Magdalena Theresia, in Reginam Hungariæ coronata fuit Sopronij.

10. Domus sacra DEIparæ, per Angelos è Dalmatia, prope Recanatum, ubi nunc est, & Lauretana nuncupatur, mirabiliter transfertur. 1294. *Turselinus. Caferrius.*

11. Diætæ sub Ludovico I. Rege, anni 1351. finis imponitur.

12. Beatus Bertholdus, Ordinis Sancti Francisci, eximius concionator, Hungariæ Apostolus, ad cœlestia prœmia evolat. 1272. *Raderus.*

13. Stephanus Bathorius, ex Principe Transylvaniæ, Poloniæ Rex, dum contra Rigenses parat bellum, extingvitur. 1589. ætatis 53. Regni 10. *Istvanfius.* Frater Georgius Monachus, Ordinis Sancti Pauli primi Eremitæ, Episcopus Varadiensis, S.R.E. Cardinalis, à Ferdinandi Regis ministris, interficitur. 1551. Stephanus Comes Scepusiensis, contra Albertum Polonum, Regni Hungariæ usurpatorem, à Rege Vladislao II. cum exercitu expeditur. 1490. *Bonfinius.* Nuptiæ Beatricis, cum Matthia Corvino, Rege Hungariæ, Budæ solenniter celebrantur. 1476. *Bonfinius.*

14. Leopoldus I. Augustus, tertias nuptias celebrat, cum Eleonora Magdalena Theresia, Palatina Neoburgica, Passavij. Anno Christi. 1676. Moritur Stephanus Boskaius, Transylvaniæ Princeps, absque ullo hærede. 1606. ætatis 56.

15. Obit Maria, Caroli Roberti Regis Hungariæ conjux, natione Polona. 1305.

16. Generalis Szulcz, prope Bartpham irruit in Tökölianos, eosdémque profligat, ac dissipat. 1684. Matthias Corvinus, Hungariæ Rex, Arcem Jayczam Bosniæ caput, deditione reoccupat. *Bonfinius.*

17. Stephano Bathorio succedit in Regno Poloniæ, Sigismundus III. Rex Sveciæ. 1587. *Fuggerus. Schönleben.*

18. Beatus Joannes Hungarus, Episcopus, Ordinis Prædicatorum, à subditis hæreticis excoriatur, circa annum 1230. vide Ephemerides Patrum Dominicanorum. Obit Comes Georgius Zrinius, Croatiæ Banus, annorum viginti octo, sed vel in hac ætate ipsa, singularis experientiæ, & militaris virtutis. 1676. Moritur & Comes Georgius Draskovics.

19. Sere-

19. Sereniſſimus Ferdinandus I. Rex Hungariæ, obligat ſe Mariæ ſorori ſuæ, Ludovici II. Regis Hungariæ viduæ, quòd ei portionem dotalem in Regno aſſignare, vel ſi in Regno non poſſet, alijs æquivalentibus medijs proſpicere velit. 1526. *Schönleben.*

20. Carolus Magnus, Imperator, primus Scholarum in Hungaria fundator, aut certè præcipuus reſtaurator, celebres Sbholas Oſnaburgi fundat. 805.

21. Veneti, Jaderam Dalmatiæ Metropolim, ad Hungariæ Coronam ſpectantem, poſt quatuor menſium obſidionem expugnant, pulſis inde Ludovici I. Hungariæ Regis præſidiarijs. 1346. *Caferrius.*

22. Ordo Sancti Dominici confirmatur, ab Honorio III. Anno Chriſti. 1216. cujus Filij poſtmodum ſtrenuam in Hungaria in converſione Hungarorum præſtiterunt operam, & complura Monaſteria in Regno Hungariæ habuerunt.

23. Sancta Victorina, è domo Anicia, in perſecutione Decij Imperatoris patitur, quâ ex domo ortæ familiæ; Frangepanorum, Carlovicziorum, poſt longa tempora, in partibus Dalmatiæ, & Croatiæ, ſub protectione Regni Hungariæ.

24. Moritur Georgius Turzo, Regni Hungariæ Palatinus. 1616.

25. Carolus Magnus, Occidentis Imperator ſalutatur. 800. qui Imperium hoc auxit, & Hungariam quóque ſibi ſubegit, multis annis contra Hungaros pugnando, & ad converſionem illorum colaborando. *Inchoffer.*

26. Sancti Stephani Proto-Martyris memoria. Qui uxori Geyzæ Ducis Hungariæ comparens, eandem de naſcituro filio admonuit, ſimúlque edocuit, ſuo eum patrocinio educandum, ſuúmque ei nomen imponi deberi, ipſúmque ſuæ gentis, Regium titulum, & Coronam primum habiturum.


27. Naſcitur Eleonora Magdalena Thereſia, Palatina Rheni Neoburgica, nunc Imperatrix Auguſta, & Hungariæ Regina. Anno Chriſti. 1654.

28. Honorius II. Pontifex creatur. 1124 quem & Hungari, pro legitimo Pontifice acceptàrunt, rejecto Theobaldo Præsbytero Cardinale Sanctæ Anaſtaſiæ, qui Cœleſtinum ſe appellaverat, plurimùm ad hanc rem cooperante Roberto Frangepano.

29. Gregorius IX, Pontifex eligitur. 1370. quo anno, Caſimiro Regi Poloniæ defuncto, ſucceſſit in Regno Poloniæ, Ludovicus, ſororis filius, Rex Hungariæ.

30. Beatus Sebaſtianus, primus poſt fundatum à Sancto Stephano Archiepiſcopatum Strigonienſem, ejus Eccleſiæ Archipræſul, ſanctiſſimè obit. *Inchoffer.* ad annum 1001. & 1002.

31. Ferdinandus III. coronatur Rex Romanorum Ratisbonæ. 1636. Alij aliter, propter mutationem & varietatem ſtyli, veteris & novi, quæ ſanè quàmplurimum faſtos turbat. Comes Nicolans Eſterházi, Regni Hungariæ Palatinus, aureo vellere inſignitur, Viennæ. 1628.



PARAGRAPHUS DECIMUS.

EPHEMERIDES AUSTRIACÆ,

SEU

Res memorablies Auguſtiſſimæ Domûs Auſtriacæ.

JANUARIUS.

I.

ALbertus II. Romanorum Imperator, Archidux Auſtriæ, coronatur Rex Hungariæ. 1438. Carolus V. auſpicatur Regimen Provinciarum Belgicarum. 1515. Naſcitur Sigiſmundus Rex Poloniæ, filius Caſimiri Regis, ex Eliſabetha Auſtriaca, filia Alberti II. Imperatoris. 1467. Maximilianus I. Archidux Auſtriæ, in Imperatorem Romanorum eligitur. 1486.

2. Joannes IV. Luſitaniæ Rex, Caroli V. Imperatoris, Archiducis Auſtriæ, ex ſorore nepos obit. 1554. Carolo-Robertus, Rudolphi I. Imperatoris Habſpurgici, ex filia Clementia nepos, coronatur in Regem Hungariæ. 1310.

3. Ferdinandus Rex Hiſpaniæ, Caroli V. avus maternus, pridiè ingreſſus, triumphat Granatæ de Mauris. 1492. Obit Marcus Vice-Comes Mediolanenſis, frater *Viridis*, Leopoldo Probo Archiduci Auſtriæ nuptæ. 1382.

4. Catharina Renea, filia Caroli Archiducis Auſtriæ, naſcitur Græcij. 1576. Maximilianus I. Imperator, Aldenardam Urbem Flandriæ, noctu, ex inſperato occupat. 1484.

5. Ferdinandus I. Archidux Auſtriæ, in Romanorum Imperatorem eligitur Coloniæ. 1531. Naſcitur Leopoldus Wilhelmus Archidux Auſtriæ, filius Ferdinandi II. Imperatoris. 1614. Obijt Gvilelmus Dux Cliviæ, & Juliaci, gener Ferdinandi I. Regis Romanorum, maritus Mariæ Auſtriacæ. 1592. Carolus Audax, Dux Burgundiæ, ſocer Maximiliani I. Imperatoris, Archiducis Auſtriæ, occumbit ad Nancæum. 1477.

6. Ru-

6. Rudolphus I. Aquiſgrani coronatur Rex Romanorum. 1273. Catharina Regina Angliæ, Caroli V. Imperatoris, Archiducis Auſtriæ matertera, obit. 1536. Carolus V. Imperator, in Comitijs Wormaciæ celebratis, Lutheri dogma proſcribit. 1521.

7. Helena filia Ferdinandi Imperatoris, Archiducis Auſtriæ, naſcitur Viennæ. 1543. Fridericus III. Archidux Auſtriæ, eligitur Rex Romanorum Francofordiæ. 1440.

8. Alexander Medicæus, Dux Florentiæ, Generalis Caroli V. Imperatoris, Archiducis Auſtriæ, transfoditur. 1537. Obit Beatrix, ſoror Iſabellæ Luſitanæ, conjugis Caroli V. Imperatoris. 1537.

9. Philippus Dux Burgundiæ, ſocer Maximiliani I. Imperatoris, Archiducis Auſtriæ, ordinem Aurei Velleris inſtituit, Brugis. Anno Chr. 1429.

10. Carolus V. Imperator, Archidux Auſtriæ, nuptias celebrat cum Iſabella Luſitaniæ Regina. 1526. Naſcitur Margarita Auſtriaca, filia Maximiliani I. Imperatoris. 1480.

11. Ferdinandus I. Archidux Auſtriæ, Imperator Romanorum coronatur. 1531.

12. Maximilianus I. Romanorum Imperator, Archidux Auſttriæ, obit Welſæ. Anno 1519.

13. Moritur Fridericus Pulcher, Romanorum Imperator, Archidux Auſtriæ. 1330. Naſcitur Maria Anna, filia Ferdinandi II. Imperatoris, Græcij. 1610.

14. Aloyſius Gonzaga, Princeps Mantuæ, Annæ Imperatricis Archiduciſſæ Auſtriæ atavus, obit. 1360, Naſcitur Catharina filia Philippi I. Auſtriaci, Regis Hiſpaniæ. 1507.

15. Obit Catharina filia Alberti I. Imperatoris, Archiducis Auſtriæ. 1320. Naſcitur Philippus Audax, Dux Burgundiæ, ſocer Leopoldi IV. Archiducis Auſtriæ. 1341.

16. Fridericus, Archidux Auſtriæ, filius Maximiliani II. Imperatoris Romanorum, obit. 1653. Obit Ferdinandus Catholicus, Caroli V. avus maternus. 1416.

17. Ludovicus Bavarus, Rudolphi I. Imperatoris, ex filia nepos, Romanorum Imperator Romæ coronatur. 1328. Carolus V. reſignat Philippo ſuo filio omnia Regna. 1556. Naſcitur Anna Catharina, filia Guilielmi Ducis Mantuæ, ex Eleonora Ferdinandi I. Imperatoris filia. 1566. Naſcitur Maria Anna, filia Philippi IV. Regis Hiſpaniæ. 1636. Ferdinandus II. Imperator, ſecunda ſponſalia celebrat Mantuæ, cum Eleonora Mantuana. 1622.

18. Matthias Archidux Auſtriæ Bruxelis, Belgij Gubernator inauguratur. 1578.

tur. 1578. Naſcitur Maria filia Henrici VIII. Regis Angliæ, poſteà Philippi II. Archiducis Auſtriæ, & Regis Hiſpaniæ uxor. 1517. Sereniſſima Maria Antonia Archiduciſſa Auſtriæ, Leopoldi I. Cæſaris filia, ac dein Electrix Bavariæ, naſcitur. 1669.

19. Iſabella, Archiduciſſa Auſtriæ, ſoror Caroli V. Imperatoris, obit Gandavi. 1525. Obit Anna Maria Auſtriaca, filia Philippi III. Regis Hiſpaniæ, uxor Ludovici XIII. Regis Franciæ. Anno Chriſti. 1665.

20. Rudolphus II. Archidux Auſtriæ, Romanorum Imperator, Pragæ fatis cedit. 1612.

21. Fridericus I. Archidux Auſtriæ, Viennam fortiſſimo præſidio munit, contra Matthiam I. Regem Hungariæ. 1484. Maria Auſtriaca Hiſpana, Ferdinandi III. Imperatoris uxor, coronatur Imperatrix. 1637.

22. Sebaſtianus, Rex Luſitaniæ, Caroli V. Imperatoris, Archiducis Auſtriæ, ex filia nepos, naſcitur. 1554. Obit Eliſabetha Auſtriaca, Regina Franciæ, Caroli IX. vidua. 1592.

23. Luchinus Vice-Comes Mediolani, uxoris Leopoldi Archiducis Auſtriæ propatruus, veneno tollitur. 1349.

24. Sigiſmundus I. Rex Poloniæ, filius Caſimiri Regis, ex Eliſabetha Auſtriaca, coronatur Rex Poloniæ, Cracoviæ. 1507. Philippus II. Auſtriacus, Rex Hiſpaniæ, ſponſalia celebrat Madriti, cum Anna Auſtriaca, Maximiliani II. Imperatoris filia. 1570. Obit Ferdinandus Archidux, Tyrolenſium Princeps, Ferdinandi I. Imperatoris filius, Oeniponti. 1595.

25. Maximilianus Archidux Auſtriæ, cum Polonis, ſiniſtro Marte confligit. 1588. Alij id ad præcedentem diem referunt. Naſcitur Margarita Auſtriaca, Maximiliani II. Cæſaris filia, Viennæ. 1567. Eâdem die poſt 17. annos, facta Sanctimonialis Madriti, nempe 1584.

26. Henricus VIII. Rex Angliæ, ſocer Philippi II. Regis Hiſpaniarum, Archiducis Auſtriæ, tremendo DEI judicio ſiſtitur. 1546. Auguſtiſſimus Leopoldus I. Imperator, auſpicatur Regimen Auſtriæ. 1655.

27. Anna Regina Hungariæ, uxor Ferdinandi I. Archiducis Auſtriæ, moritur, Pragæ. 1547. Obit Sereniſſimus Carolus Joſephus Archidux Auſtriæ, Ferdinandi III. Imperatoris, ex Leopoldina filius, Lincij, 1664.

28. Ferdinandus, Archidux Auſtriæ, Caroli filius, Clagenfurti, inauguratur Archidux Carinthiæ. 1596. Obit Eleonora Archiduciſſa, filia Caroli Archiducis Græcenſis, Halæ. 1620.

29. Eliſabetha, filia Caroli Archiducis Auſtriæ, moritur Græcij. 1586. Albertus I. Imperator, nuptias celebrat cum Eliſabetha filia Mejnarchi Tyrolenſis.

30. Joan-

30. Joannes de Auſtria, Confœderatos Belgij profligat. 1578. Item, Erneſtus Archidux Auſtriæ, inchoat Belgij gubernationem. Anno Chr. 1594.

31. Henricus Cardinalis, poſtmodùm XVII. Rex Portugalliæ, conſobrinus Caroli V. Imperatoris, Archiducis Auſtriæ, naſcitur. 1512. & eodem die recurrente, obit. 1580.

FEBRUARIUS.

1 Henricus I. Archidux Auſtriæ obit. 1174. moritur item, Ludovicus II. Elector Palatinus, Rudolphi I. Habſpurgij gener. 1294. Ferdinandus, Dux Bavariæ, nepos Ferdinandi Imperatoris, Archiducis Auſtriæ, è filia Anna, naſcitur. 1550. Philippo III. Regi Hiſpaniæ, Ordines Luſitaniæ, homagium præſtant. 1594. Albertus Archidux Auſtriæ, Maximiliani I. Imperatoris filius, Belgium gubernaturus, ſolenniter Bruxellas ingreditur. 1596.

2. Fridericus Landgravius Thuringiæ, maritus Mechtildis, Rudolphi I. Imperatoris, proneptis, moritur. 1349. Ferdinandus II. Imperator Auſtriacus, celebrat ſecundas nuptias cum Eleonora Mantuana, Oeniponti. 1622. Principes Germaniæ, cum Alberto Auſtriæ Duce, contra Adolphum Naſſovium, Imperij æmulum, fœdus ineunt. 1298.

3. Henricus Placidus, Dux Auſtriæ, Alberti I. Imperatoris filius, obit. 1323.

4. Sigiſmundi Archiducis Auſtriæ, nuptiæ cum Catharina Duciſſa Saxoniæ. 1480.

5. Eliſabetha, Rudolphi I. Archiducis Auſtriæ neptis, Joanni Regi Bohemiæ, nubit. 1311. Inter Carolum V. Imperatorem, & Franciſcum I. Gallorum Regem, induciæ quinquennales factæ. 1550. Catharina Auſtriaca, Philippi I. Regis Hiſpaniæ filia, nuptias cum Joanne Rege Luſitaniæ, celebrat. 1526.

6. Margarita, Archiduciſſa Auſtriæ, Friderici Saxoniæ Ducis uxor, obit. 1484. Vladislaus IV. matre Auſtriacâ, maritus Cœciliæ Renatæ Auſtriacæ, in Regem Poloniæ inauguratur. 1633.

7. Carolus V. Archidux Auſtriæ, Romanorum Imperator, Rex Hiſpaniæ, & Siciliæ, inauguratur. 1518. Obit Guilielmus Dux Bavariæ, Archiepiſcopus Colonienſis, ex Anna Auſtriaca natus. Anno. 1612.

8. Amſtelodamum, Auguſtiſſimæ Domûs Auſtriacæ Imperio ſe ſubducit. 1578. Alexander Medicæus, Princeps Florentiæ, gener Caroli V. Imperatoris, Archiducis Auſtriæ, natus. 1512. Ulricus, Dux Virtembergiæ, Cunegundis Archiduciſſæ Auſtriæ gener, natus. 1487.

9. Naſcitur Maria Anna, filia Auguſtiſſimi Imperatoris Leopoldi I. Imperatoris, Viennæ, quæ eodem menſe obijt. 1672. Naſcitur Maria Eleonora, filia Leopoldi Archiducis Tyrolenſium Principis. 1627. Obijt Romæ Carolus Fridericus, Dux Juliæ, & Cliviæ, filius Guilielmi, & Mariæ, Ferdinandi I. Imperatoris filiæ.

10. Eliſabetha, Archiduciſſa Auſtriæ, Alberti II. Imperatoris, uxor Caſimiri Regis Poloniæ, coronatur Regina Poloniæ. Anno Chriſti. 1454. Eliſabetha, filia Maximiliani II. Imperatoris, vidua Caroli IX. Regis Franciæ, ſepelitur Viennæ. 1592.

11. Albertus Archidux Auſtriæ, Maximiliani II. Imperatoris filius, fit Belgij Gubernator. 1596. Anna filia Caroli Archiducis Græcenſis, Regina Poloniæ, obit Varſaviæ. 1598.

12. Guilielmus III. Dux Saxoniæ, gener Alberti II. Imperatoris, Archiducis Auſtriæ, obit. 1483. Naſcitur Maria Burgunda, Maximiliani I. Imperatoris uxor. 1457.

13. Excedit è vivis Eliſabetha Pomeraniæ Duciſſa, uxor Caroli IV. Imperatoris, ſocrus, trium Auſtriæ Archiducum. 1393. Ferdinandus Archidux homagium, à ſtatibus Carnioliæ accipit. 1597.

14. Coſmus Medicæus, gener Caroli Archiducis, inauguratur Dux Hetruriæ. 1609. Philippus I. Auſtriacus, acclamatur Rex Caſtellæ. 1505.

15. Obit Ferdinandus II. Imperator Viennæ. 1637. Naſcitur Beatrix, filia Joannis III. Regis Luſitaniæ, ex Catharina Auſtriaca, filia Philippi I. Regis Hiſpaniæ. 1530.

16. Maximilianus I. Archidux Auſtriæ, Aquiſgrani coronatur Romanorum Imperator. 1486.

17. Margarita Archiduciſſa Auſtriæ, filia Ferdinandi I. nata, Oeniponti. 1536. Catharina, Ferdinandi I. Imperatoris filia, viduatur marito Franciſco Gonzagâ, Duce Mantuano. 1550.

18. Carolus Princeps Luſitaniæ, filius Emmanuelis Regis Portugalliæ, ex Eleonora Archiduciſſa Auſtriæ, natus Eboræ. 1520.

19. Maria II. filia Maximiliani II. Imperatoris, Archiducis Auſtriæ, nata Viennæ. 1564.

20. Erneſtus, Archidux Auſtriæ, frater Maximiliani Imperatoris, obit Bruxellis. 1595.

21. Ladislaus Poſthumus, Rex Hungariæ, & Bohemiæ, Archidux Auſtriæ, filius Alberti II. Imperatoris, natus. 1440.

22. Carolus V. Archid. Auſtriæ, Bononiæ coronatur Rex Lombardiæ. 1530.

23. Carolus V. Archidux Auſtriæ, reſignare Imperium ſtatuit. Anno Chriſti. 1558.

24. Fran-

24. Franciſcus I. Rex Galliæ, à Carolo V. Archiduce Auſtriæ, capitur. 1525. Carolus I. Marchio Badenſis, gener Erneſti, Archiducis Auſtriæ, obit. 1475. Carolus V. Archidux Auſtriæ, Rex Hiſpaniæ, Romanorum Imperator, Gandavi natus. 1500. Ferdinandus I. Imperator, coronatur Rex Bohemiæ, Pragæ. 1527.

25. Joannes de Auſtria, natus Ratisbonæ. 1547. Ferdinandus II. Imperator, transfert Electoratum Palatinum, in domum Bavaricam. Anno Chr. 1623.

26. Maria, Archiduciſſa Auſtriæ, filia Caroli V. Imperatoris, obit Madriti. 1603.

27. Henricus IV. Rex Galliæ, gener Joannæ Archiduciſſæ Auſtriæ, & Magnæ Duciſſæ Hetruriæ, coronatur. 1594.

28. Carolus, Dux Burgundiæ, ſocer Maximiliani I. Romanorum Imperatoris, Archiducis Auſtriæ, 500. Helvetios tumultuantes, ſuſpendi, & mergi curat. 1476.

29. Albertus Bavariæ Dux, gener Ferdinandi I. Archiducis Auſtriæ, natus. 1528. anno Biſſextili.

MARTIUS.

1. Ferdinandus Catholicus, Rex Hiſpaniæ, avus maternus Caroli V. Imperatoris, Archiducis Auſtriæ, Luſitanos prœlio vincit. 1476. Naſcitur Anna Ducis Cliviæ, Guilielmi, & Mariæ Auſtriacæ filia. 1552. Catharina filia Philippi II. Regis Hiſpaniarum Auſtriaci, nubit Carolo Emmanueli, Duci Sabaudiæ. Anno Chriſti. 1585.

2. Maria uxor Maximiliani I. Imperatoris, Archiducis Auſtriæ, moritur. 1482,

3. Ludovicus, infans Luſitaniæ, frater Iſabellæ, uxoris Caroli V. Imperatoris, Archiducis Auſtriæ, natus. 1506. Bruxelæ fame devictæ, dedunt ſe Duci Parmenſi, ſub Auſpicijs Philippi II. Regis Hiſpaniæ, Auſtriaci.

4. Albertus, Archidux Auſtriæ, filius Maximiliani II. Imperatoris, creatur Romæ Cardinalis. 1538. Sigiſmundus Archidux Auſtriæ, Comes Tyrolis, Oeniponti obit. 1496. Joannes Caſimirus Rex Poloniæ, ex Conſtantia Auſtriaca natus, nuptias celebrat cum fratris vidua, Aloyſia Maria Niverenſi. 1649. Alij referunt ad diem 6. Martij.

5. Eleonora Archiduciſſa Auſtriæ, Caroli V. Imperatoris, Archiducis Auſtriæ ſoror, uxor Franciſci Regis Galliæ, coronatur Regina Galliæ. 1531. Obit Helena, filia Ferdinandi I. Imperatoris Auſtriaci, Hallæ in Tyroli. 1574.

6. Ferdinandus II. Imperator, Archidnx Auſtriæ, reſtitutionem bonorum Eccleſia-

Ecclesiasticorum, datis literis fieri jubet, & promulgat. 1629. Elisabetha Sabaudiæ Princeps, Catharinæ Austriæ filia, nubit Francisco Duci Mutinensi. 1608. Odvardus Farnesius, frater Alexandri Ducis Parmæ, & Placentiæ, Pronepos Caroli V. Imperatoris, Archiducis Austriæ creatur Cardinalis. 1591.

7. Maria Josepha Coleta, Archiducissa Austriæ, Leopoldi I. Cæsaris filia nascitur. 1687. Maria Ferdinandi Regis Hispaniæ filia, uxor Emmanuelis Regis Lusitaniæ, soror Joannæ matris Caroli V. Imperatoris, obit. 1517. Albertus Archidux, Belgarum Princeps, Ambianum Picardiæ Metropolim, Gallis eripit. 1597.

8. Tillius, auspicijs Ferdinandi II. Imperatoris, Archiducis Austriæ, Svecos ad Bambergam profligat. 1632. Nascitur Joannes Princeps Daniæ, ex Isabella Austriaca, & Christierno Rege Daniæ, 1517. Obit Maria Anna, uxor Ferdinandi II. Græcij. 1616.

9. Venceslaus, Archidux Austriæ, filius Maximiliani II. Imperatoris, Archiducis Austriæ, natus. 1561. Antonius Princeps Portugalliæ, filius Joannis III. Regis, ex Catharina Austriaca, Philippi Regis Hispaniæ filia, natus. 1539.

10. Ferdinandus I. Imperator, Archidux Austriæ, nascitur. 1503.

11. Carolus V. Imperator, nuptias celebrat cum Isabel-la Lusitana, Hispali. 1526.

12. Moritur Vladislaus Rex Hungariæ, & Bohemiæ, socer Ferdinandi I. Imperatoris, Archiducis Austriæ, & filius Elisabethæ, Archiducissæ Austriæ. 1516. Nascitur Anna, Poloniæ Ducissa, ex Elisabetha Austriaca, Alberti II. filia.

13. Elisabetha Archiducissa Austriæ, filia Caroli Archiducis Austriæ, nata Græcij. 1577.

14. Fridericus Cardinalis, Archiepiscopus Gnesnensis, filius Casimiri IV. Regis Poloniæ, & Elisabethæ Archiducissæ Austriæ, obit. Anno Chr. 1503.

15. Fridericus IV. Imperator, Archidux Austriæ, coronatur Rex Longobardiæ. 1452.

16. Maximilianus I. Imperator, Archidux Austriæ, nuptias celebrat cum Blanca Maria, filia Galeacij, Ducis Mediolanensis. 1494. Fridericus IV. Romanorum Imperator, Romæ, cum Eleonora conjuge, à Nicolao Papa solenniter ungitur, & benedicitur. 1452. Nascitur Friderico IV. Imperatori filia Cunegundis, Neostadij Austriæ. 1465. Carolus V. abdicato Imperio, etiam Regna Hispaniæ, & Belgicas Provincias resignat, filio Philippo, Bruxellis. 1556.

17. Fride-

17. Fridericus IV. Archid. Austriæ, coronatur Romanorum Imperator. 1452.

18. Ferdinandus I. Archidux Austriæ, Rex Romanorum inauguratur. 1558.

19. Rudolphi II. auspicijs, Jaurinum recuperatur. 1598.

20. Albertus II. Archidux Austriæ, Rex Hungariæ, & Bohemiæ, Francofurti, Romanorum Imperator eligitur. 1438. Obijt Matthias Imperator Austriacus. 1619. Obit quóque Wolfgangus Wilhelmus, Palatinus Rheni, Neoburgicus, Avus Eleonoræ Magdalenæ, Imperatricis. 1653.

21. Ferdinandus Catholicus, Rex Hispaniarum, Avus maternus Caroli V. & Ferdinandi Imperatoris, Archidux Austriæ, nascitur. 1452.

22. Maximilianus I. Imperator, Archidux Austriæ, nascitur. 1459.

23. Sub auspicijs Philippi II. Regis Hispaniarum, Archiducis Austriæ, Valencenæ recuperantur. 1567. Obit Cœcilia Renata, filia Ferdinandi II. uxor Vladislai Regis Poloniæ. 1644.

24. Matthias Rex Hungariæ, & Bohemiæ, Archidux Austriæ, Pragam, à Regni ordinibus vocatus, magna cum pompa ingreditur. 1615. Carolus V. Imperator, Spiræ Cameram Imperialem reformat. 1531.

25. Maximilianus I. baptizatur. Nascitur Maria, filia Alberti Magnanimi, Ducis Bavariæ, ex Anna Austriaca, quæ dein nupsit Carolo Archiduci, suo avunculo. 1553. Anna Austriaca, uxor Matthiæ Imperatoris Austriaci, coronatur Regina Hungariæ Posonij. 1613.

26. Maria II. Archiducissa Austriæ, filia Maximiliani II. Imperatoris, obit Viennæ. 1564. Vladislaus filius Casimiri Regis Poloniæ, ex Elisabetha Austriaca, Alberti II. filia, eligitur Rex Bohemiæ. 1471. Elisabetha filia Maximiliani II. Imperatoris Austriaci, IX. Galliarum Regi nupta, in Reginam Franciæ coronatur. 1571. Nascitur Theresia Maria Josepha, filia Ferdinandi III. Imperatoris, ex Eleonora Mantuana. 1652. Nascitur Maria Magdalena Josepha, Archiducissa Austriæ, Leopoldi I. Imperatoris filia, 1689.

27. Moritur Pragæ Sigismundus Bathorius, Princeps Transylvaniæ, Gener Caroli Archiducis Austriæ. 1613. Obit Carolus IV. Imperator Lucemburgicus, socer duorum Archiducum Austriæ. Anno Christi. 1378.

28. Ferdinandus I. Archidux Austriæ, filius Maximiliani II. natus in Hispania. 1551.

29. Vitâ excedit Franciscus Dux Mantuæ, prosocer Eleonoræ Archiducissæ Austriæ, filiæ Ferdinandi I. Imperatoris. 1519.

30. Fridericus III. Archidux Austriæ, in Romanorum Imperatorem eligitur. 1440.

31. Philippus III. Hispaniarum Rex, Archidux Austriæ, vitâ excedit. 1621. Eleonora, filia Philippi I. Austriaci, Regis Hispaniæ, viduatur secundo marito, Francisco I. Rege Galliarum. 1547.

APRILIS.

1. Sigismundus I. Rex Poloniæ, filius Casimiri Regis, & Elisabethæ Archiducissæ Austriæ, obit. 1548. ætatis. 81.

2. Secundâ Aprilis manè Ferdinandus III. Imperator, Archidux Austriæ moritur. 1655. Margarita, filia Maximiliani I. nubit Joanni infanti Hispaniæ. 1497. Nascitur Philippus Emmanuel Dux Sabaudiæ, filius Caroli Emmanuelis, ex Catharina Austriaca. 1586.

3. Discedit ex hac vita Rudolphus I. Comes Habspurgicus, Episcopus Constantiensis. 1294. Philippus II. Rex Hispaniæ, paciscitur cum Henrico II. Rege Galliæ. 1559.

4. Hercules II. Dux Ferrariæ, socer Barbaræ Archiducissæ Austriæ, natus. Anno Christi. 1508.

5. Carolus V. Archidux Austriæ, cum triumpho Romam ingreditur. 1536.

6. Carolus IV. Rex Bohemiæ, prosocer Alberti II. Imperatoris, Archiducis Austriæ, Romanorum Imperator inauguratur. 1355. Nascitur Maria Leopoldina, filia Leopoldi Archiducis, Tyrolensium Principis, posteà Ferdinando III. nupta. 1632.

7. Philippus Burgundus, frater Caroli Audacis, Ducis Burgundiæ, socer Maximiliani I. Imperatoris, Archiducis Austriæ, extingvitur. 1497.

8. Laurentius Medicæus Florentiæ Princeps, literarum parens dictus, proavus Alexandri I. Ducis Florentiæ, Generi Caroli V. Imperatoris, Archiducis Austriæ, defungitur. 1492. Nascitur Philippus IV. Austriacus, Rex Hispaniarum. 1605. Obijt Claudia Felicitas, Ferdinandi Caroli Archiducis, Tyrolensium Principis filia, Leopoldi I. Imperatoris conjux. 1676.

9. Cunegundis Regina Poloniæ, uxor Rudolphi Electoris Saxoniæ, Rudolphi I. Imperatoris Habspurgi, ex filia neptis, extingvitur. 1333. Maximilianus I. filius Friderici IV. Austriaci, coronatur Imperator Aquisgrani. 1486.

10. Joannes Archidux Austriæ, filius Ferdinandi Imperatoris natus, Pragæ. 1538.

11. Nascitur Georgius Dux Stetini, & Pomeraniæ, filius Boguslai X. nepos Elisabethæ Austriacæ, Reginæ Poloniæ. 1498.

12. Obit Susanna filia Alberti IV. Ducis Burgundiæ, & Cunegundis Archiducissæ Austriæ. 1543. Obijt & Joanna, uxor Philippi I. Regis Hispaniæ Austriaci, 50. viduitatis suæ anno. 1555.

13. Ludovicus II. Elector Palatinus, gener Rudolphi I. Imperatoris Habspurgij, nascitur Hejdelbergæ. 1229.

14. Eleono

14. Eleonora, Archiduciſſa Auſtriæ, ſoror Caroli V. uxor Franciſci Regis Galliæ, ex hac vita migrat, Pariſijs. 1558. Naſcitur Philippus III. Rex Hiſpaniæ Auſtriacus, Madriti. 1578.

15. Carolus Princeps Luſitaniæ, filius Emmanuelis Regis, & Eleonoræ Archiduciſſæ Auſtriæ, naſcitur, & paulò poſt obit Uliſſiponæ. 1421.

16. Philippus II. Hiſpaniarum Rex, Archidux Auſtriæ, Portugalliæ coronâ inſignitur. 1581.

17. Ferdinandus I. Catholicus Rex Hiſpaniæ, avus Caroli V. Imperatoris, Archiducis Auſtriæ, vincit Gallos in Regno Neapolitano. 1500. Naſcitur Maximilianus Dux Bavariæ, poſteà maritus Mariæ Annæ Auſtriacæ, Ferdinandi III. Imperatoris ſororis. 1573. Naſcitur Philibertus Princeps Sabaudiæ, filius Caroli Emmanuelis, ex Catharina Auſtriaca. 1588.

18. Sibylla filia Alberti IV. Ducis Bavariæ, & Cunegundis Archiduciſſæ Auſtriæ, moritur. 1519. Philippus III. Rex Hiſpaniæ, Auſtriacus, nuptias celebrat, cum Margarita cognata, Caroli Archiducis filia & eâdem die Albertus Archidux, Maximiliani II. filius, nuptias celebrat, cum Iſabella Clara, Philippi III. ſorore. 1599. Valentiæ in Hiſpania.

19. Proteſtantium nomen primò auditum, Carolo V. Imperatore, Archiduce Auſtriæ, conatibus illorum multùm obſiſtente. 1529. Leopoldus, Archidux Auſtriæ, filius Caroli Archiducis Græcenſis, in uxorem ducit Claudiam, Ferdinandi Magni Ducis Hetruriæ filiam. 1625.

20. Alphonſus Cardinalis, frater Iſabellæ, uxoris Caroli V. Archiducis Auſtriæ, fatis ceſſit. 1540.

21. Jacobus I. Rex Scotiæ, ſocer Sigiſmundi Archiducis Auſtriæ, coronatur cum uxore. 1423. Eliſabetha Auſtriaca, filia Ferdinandi I. nuptias celebrat Cracoviæ, cum Sigiſmundo II. Rege Poloniæ. Anno Chriſti. 1545.

22. Rudolphus II. Rex Hungariæ, Archidux Auſtriæ, magnam de Turcis victoriam in Hungaria, Duce Palffio reportat. 1596. Naſcitur Alphonſus Cardinalis, frater Emmanuelis Regis Portugalliæ, frater Iſabellæ, uxoris Caroli V. Imperatoris, Archiducis Auſtriæ. 1509.

23. Albertus, Archidux Auſtriæ, Gubernator Belgij, Caletum, ad pacis conditiones recipiendas cogit. 1596. Henricus VII. Rex Angliæ, proſocer Philippi II. Regis Hiſpaniæ, Archiducis Auſtriæ, obit. Anno Chriſti. 1509.

24. Carolus V. Romanorum Imperator, Archidux Auſtriæ, Fridericum Electorem Saxoniæ, bello capit. 1547. Ferdinandus II. Archidux Auſtriæ, filius Caroli Archiducis, nuptias celebrat cum Maria Anna Bavara, Græcij. 1600.

25. Albertus I. Archidux Auſtriæ, Romanorum Imperator, à Joanne fratre, ne-

tre nefariè confossus, moritur. 1308. alij ponunt ad 1. Maij, vel 24. Aprilis. Casimirus Magnus, Rex Poloniæ, proavus maternus Elisabethæ uxoris Alberti II. Imperatoris, Archiducis Austriæ, coronatur. 1333. Philippi II. Austriaci, auspicijs, Galli ab Hispanis in Agro Juliacensi, cæduntur. 1588. & à Ferdinando II. Duce Fridlando, Mansfeldius profligatur. 1623.

26. Ferdinandus II. Romanorum Imperator, Archidux Austriæ, Duce Tillio, propè Dessaviam, de hostibus reportat victoriam. 1626. Nascitur Dionysius Princeps Lusitaniæ, filius Joannis III. Regis, ex Catharina Austriaca, Caroli V. Imperatoris, sorore. 1535.

27. Obit Rudolphus Habspurgius, Rudolphi I. Imperatoris filius, ac Bohemiæ Rex, Pragæ. 1289. Obit quóque Jacobus Marchio Badensis, nepos Caroli, ex Catharina Austriaca, filia Ernesti Ferrei, Archiducis Austriæ, Archiepiscopus Trevirensis. 1511. Ac demum, & Philippus Audax, Dux Burgundiæ, abavus maternus Mariæ, uxoris Maximiliani I. Imperatoris, Archiducis Austriæ. 1468.

28. Sigismundus Hungariæ Rex, socer Alberti II. Imperatoris, ab Hungaris incaptivatur. 1401. Isabella Principissa Lusitaniæ, filia Joannis III. Regis, & Catharinæ Archiducissæ Austriæ, sororis Caroli V. Imperatoris, nata. 1529. Item Carolus Fridericus Cliviæ Dux, filius Guilielmi Ducis, ex Maria Austriaca Ferdinandi I. Imperatoris filia. 1555. Itém, Margarita Princeps Sabaudiæ, ex Catharina Austriaca, dein Ducissa Mantuæ. 1589.

29. Casimirus Magnus, Rex Poloniæ, proavus Elisabethæ, uxoris Alberti II. Imperatoris, Archiducis Austriæ, nascitur. 1313.

30. Moritur Maria Bavara, uxor Caroli Archiducis Austriæ, Græcij. 1607. Nascitur Vladislaus Princeps Poloniæ, deinde Rex, filius Casimiri, ex Maria Austriaca, Ferdinandi I. Imperatoris filia. 1456. Ferdinandus II. Imperator, nuptias celebrat cum Eleonora Mantuana. 1651.

MAJUS.

1. Isabella uxor Caroli V. Imperatoris, Archiducis Austriæ obit, Toleti. 1539. Nascitur Rudolphus I. Imperator Habspurgius. 1218. Obit Barbara, uxor Sigismundi Imperatoris, socrus Alberti II. Imperatoris Austriaci. 1439.

2. Ferdinandus III. Hungariæ Rex, Archidux Austriæ, nuptias celebrat cum Maria, Regis Philipppi IV. sorore. 1631. Obit Ottho Comes Tyrolis, frater Elisabethæ, nuptæ Alberto I. Imperatori Habspurgico. 1310. In Escurali celebrantur magnâ pompâ Exequiæ Philippi II. Regis Hispaniæ. 1621.

3. Ferdi-

3. Ferdinandus, Magnus Dux Hetruriæ, ſocer Mariæ Magdalenæ, Archiduciſſæ Auſtriæ, nuptias celebrat cum Chriſtina Duciſſa Lotharingiæ. 1581. Obit Eliſabetha, filia Alberti II. Electoris Saxoniæ, ex Agnete Auſtriaca, filia Rudolphi I. Imperatoris. 1341.

4. Caroli V. Imperatoris exercitus, Laudem Pompejam vi expugnat. 1522. Maximilianus Archidux, Maximiliani II. Imperatoris filius, declaratur ſupremus Magiſter, Ordinis Teutonici. 1585. Anna Maria, Philippi III. Regis Hiſpaniæ filia, viduatur marito, Ludovico XIII. Rege Galliæ. 1643.

5. Carolus V. & Ferdinandus fratres, Archiduces Auſtriæ Witembergam aggrediuntur. 1547. Albertus Sapiens, & Ottho, Auſtriaci, Alberti I. Cæſaris filij, inveſtiuntur Ducatu Carinthiæ, à Ludovico Bavaro, Imperatore. 1335.

6. Roma, à Carolo V. Imperatore, Archiduce Auſtriæ, capta. 1527. Philippus II. Rex Hiſpaniæ, donat filiæ Iſabellæ Claræ Eugeniæ, Provincias Belgicas in dotem. 1598.

7. Ferdinandi II. Imperatoris Archiducis Auſtriæ exercitus, Duce Tillio, inſigni prœlio hoſtes vincit, apud Wipffenam. 1622. Albertus II. Romanorum Imperator, Archidux Auſtriæ, Pragæ, Rex Bohemiæ coronatur. 1438.

8. Leopoldus II. Archidux Auſtriæ, Tarviſio recepto, cum Venetis paciſcitur. 1381.

9. Imperante Rudolpho I. Archiduce Auſtriæ, Ædes DEIparæ Nazarethanæ, per Angelos in Dalmatiam translatæ. 1291. Henricus, filius Henrici II. Regis Galliæ, cui nupta Iſabella filia Philippi II. Regis Hiſpaniæ, eligitur in Regem Poloniæ. 1573.

10. Stephanus II. Dux Bavariæ, nepos Mechtildis Archiduciſſæ Auſtriæ, obit. 1375. Obit præterea, & Vladislaus Rex Poloniæ, maritus Cœciliæ Renatæ, Auſtriacæ. 1648.

11. Henricus II. Rex Caſtellæ, tritavus maternus Caroli V. Archiducis Auſtriæ, obit. 1379. Naſcitur Iſabella Princeps Sabaudiæ, ex Catharina Auſtriaca, Philippi II. Regis Hiſpaniarum filia.

12. Chriſtophorus, Dux Witembergiæ, nepos Cunegundis, Archiduciſſæ Auſtriæ, natus. 1515. Obit Thereſia Maria Joſepha, filia Ferdinandi III. Imperatoris, ex Eleonora conjuge. 1591.

13. Farneſius, armis Philippi II. Hiſpaniarum Regis, Archiducis Auſtriæ, Antverpiam expugnat. 1585. Obit Maria Imperatrix, filia Philippi III. Regis Hiſpaniæ. 1646. Naſcitur Eliſabetha ſecunda hujus nominis, filia Caſimiri Poloniæ Regis, ex Eliſabetha Auſtriaca, Alberti II. Cæſaris, filia. 1472.

14. Henricus IV. Rex Galliæ, gener Franciſci Ducis Hetruriæ, & Joannæ Archi-

Archiduciſſæ Auſtriæ, à Sicario trucidatur. 1610. Ferdinandus, Archidux, Tyrolenſium Princeps, Ferdinandi I. Imperatoris filius, nuptias celebrat cum Catharina Mantuana, Oeniponti. 1580. Carolus Joſephus, Archidux Auſtriæ, Ferdinandi III. ex Leopoldina Auguſta filius, renunciatur magnus Magiſter, Ordinis Teutonici. 1662.

15. *Interim*, illud interitum multis afferens Auguſtæ, à Carolo V. Imperatore, Archiduce Auſtriæ ſubſcriptum, promulgatur. 1548.

16. Maria, Archiduciſſa Auſtriæ, filia Ferdinandi I. Imperatoris, naſcitur, Pragæ. 1531.

17. Carolus, filius Caroli Archiducis Auſtriæ, Græcij obit. 1580. Naſcitur Ferdinandus Carolus, Tyrolenſium Princeps, filius I. Leopoldi Archiducis. 1628.

18. Fridericus Saxoniæ Elector, à Carolo V. Imperatore, Archiduce Auſtriæ, exauctoratur. 1547. Sigiſmundus Imperator, ſocer Alberti II. Imperatoris Auſtriaci, coronatur Romæ Imperator, ab Eugenio Papa IV. 1430.

19. Triumphat de Venetis, Maximilianus I. Imperator, Archidux Auſtriæ. 1509. Naſcitur Philippus Coſmus Medicæus, ex Joanna Auſtriaca. 1577.

20. Magdeburgum armis Ferdinandi II. Imperatoris, Archiducis Auſtriæ, Duce Tillio expugnatur. 1631. Philippus II. Auſtriacus, Rex Hiſpaniæ, cum Pio Papa V. & Venetis, fœdus percutit, contra Selymum Orientis Tyrannum. 1571.

21. Philippus II. Rex Hiſpaniarum, Archidux Auſtriæ, naſcitur. 1527. Anna Auſtriaca, Caroli Archiducis filia, coronatur Regina Poloniæ. 1593. Naſcitur Eleonora Maria filia Ferdinandi III. Imperatoris, ex Eleonora Mantuana, quæ poſtmodùm fuit Regina Poloniæ, ac dein Duciſſa Lotharingiæ. 1653.

22. Mauritius Saxoniæ Dux, Carolum V. Imperatorem, Archiducem Auſtriæ, armis in Tyroli invadit. 1552. Philippus I. Auſtriacus, inauguratur Rex Caſtellæ. 1502.

23. Mauritius Dux Saxoniæ, Oenipontum, actualem ſedem Caroli V. Imperatoris, Archiducis Auſtriæ occupat. 1552. Obijt Leopoldus Dux Auſtriæ, Erneſti Ferrei frater, Friderici III. Imperatoris patruus. 1412.

24. Bohemi contra Ferdinandum II. Imperatorem, Archiducem Auſtriæ arma ſumunt. 1618. Naſcitur Margarita Auſtriaca, filia Philippi III. Regis Hiſpaniæ. 1610. Matthias Archidux, coronatur Rex Bohemiæ. 1611.

25. Philippus Princeps Luſitaniæ, filius Joannis III. Regis Luſitaniæ, & Catharinæ Archiduciſſæ Auſtriæ, natus Eboræ. 1533.

26. Ferdinandus I. Romanorum Imperator, Archidux Auſtriæ, nuptias celebrat, cum Anna, Regina Hungariæ. 1527.

27. Joannes Intrepidus, Dux Burgundiæ, proavus Mariæ, uxoris Maximiliani I. Imperatoris, Archiducis Auſtriæ, naſcitur. 1371.

28. Joannes Guilielmus, Dux Juliacenſis ultimus, nepos Ferdinandi Imperatoris, Archiducis Auſtriæ, naſcitur. 1562.

29. Pax Pragenſis, inter Ferdinandum I. Imperatorem, Archiducem Auſtriæ, & Saxonem. 1653.

30. Naſcitur Claudia Felicitas, Archiduciſſa Auſtriæ, poſteà Imperatrix. 1653. Eliſabetha Auſtriaca, Maximiliani II. Imperaroris filia, viduatur marito, Carolo IX. Valeſiæ. 1574.

31. Maximilianus I. Archidux Auſtriæ, nuptias celebrat Bruxellis, cum Maria Duce Burgundiæ. 1475. Emmanuel Rex Portugalliæ, gener Philippi I. Archiducis Auſtriæ, Regis Hiſpaniæ, naſcitur. 1469. Anna Auſtriaca, filia Caroli Archiducis Græcenſis, nubit Sigiſmundo Regi Poloniæ. 1592.

JUNIUS.

1. Ludovicus V. nepos Rudolphi I. Imperatoris Habſpurgij, ex filia Mechtilde, coronatur Rex Lombardiæ. 1327

2. Venceslaus II. Rex Bohemiæ, cum uxore Juditha, filia Rudolphi Habſpurgij, Romanorum Imperatoris, coronatur, Pragæ. 1297.

3. Carolus Archidux, Ferdinandi Imperatoris filius, naſcitur. 1540. Joannes IV. Rex Luſitaniæ, nepos & gener Caroli V. Imperatoris, Archiducis Auſtriæ, pater Sebaſtiani Regis Portugalliæ, naſcitur Eboræ. 1537.

4. Ferdinandus III. Archidux Auſtriæ, obſidere cœpit Ratisbonam. 1634. Naſcitur Eliſabetha Auſtriaca, filia Maximiliani I. Imperatoris, poſteà Regina Galliæ. 1554.

5. Juditha filia Rudolphi Habſpurgij, Romanorum Imperatoris, uxor Venceslai Regis Bohemiæ, obit. 1597. Naſcitur Ferdinandus Portugalliæ Princeps, frater Iſabellæ, Carolo V. Imperatori nuptæ. Anno Chriſti. 1507.

6. Joannes III. Rex Luſitaniæ, frater Iſabellæ, uxoris Caroli V. Archiducis Auſtriæ, naſcitur. 1502.

7. Caſimirus IV. Rex Poloniæ, gener Alberti II. Archiducis Auſtriæ, Romanorum Imperatoris, obit. 1492.

8. Joanna Regina Navarræ, ſocrus Mariæ, filiæ Joannæ, Archiduciſſæ Auſtriæ, veneno è vivis tollitur. 1572.

9. Naſcitur Auguſtiſſimus Leopoldus I. Imperator. 1640. Maria Thereſia Auſtriaca, filia Philippi IV. Regis Hiſpaniæ, nubit Ludovico XIV. Regi Galliæ. 1660.

10. Ernestus Strenuus, Marchio Austriæ, in pugna contra Saxones vulneratus, moritur. 1055. Ferdinandus Carolus, Archidux, Tyrolensium Princeps, celebrat nuptias, cum Anna Medicæa. 1646.

11. Cosmas Medicæus, Magnus Dux Hetruriæ, socer Joannis Archiducis Austriæ, nascitur. 1519. Inter Philippum Regem Hispaniæ, & Henricum IV. Regem Galliæ, pax publicatur. 1598.

12. Franciscus Dux Lotharingiæ, gener Isabellæ, Reginæ Daniæ, Archiducissæ Austriæ, apoplexiâ tactus, obit. 1545. Obit etiam hâc die, Catharina Sabauda, uxor Leopoldi I. Austriaci. 1330. Isabella Clara Eugenia, Princeps Belgij Bredam, solenniter ingreditur, & profanata templa curat reconciliari. 1625.

13. Barbara, filia Casimiri IV. Regis Poloniæ, & Elisabeth Austriæ, nascitur. 1478. Matthias Archidux Austriæ, eligitur Imperator Francofurti. 1612.

14. Ferdinandus Archidux, Ferdinandi I. Imperatoris filius, posteà Tyrolensium Princeps, nascitur. 1554. Maria Anna, prior conjux Ferdinandi II. Imperatoris, sepelitur in Mausolæo Græcensi solenni pompâ. 1616. Nascitur Ferdinandus Archidux, Comes Tyrolis, filius Ferdinandi I. Imperatoris. 1529.

15. Nascitur Ernestus Archidux, Maximiliani II. Imperatoris filius, posteà Belgij Pro-Rex. 1553. Item Andreas Austriacus, Ferdinandi Archiducis Tyrolensis filius, posteà S. R. E. Cardinalis. 1558. Obit Elisabetha, filia Ferdinandi Imperatoris, Archiducis Austriæ, uxor Sigismundi Augusti, Regis Poloniæ.

16. Fridericus, Dux Austriæ, occumbit in prœlio contra Belam Regem Hungariæ. 1246. Obit Poppo, filius Leopoldi illustris Ducis Austriæ, Archiepiscopus Trevirensis, cum fama sanctitatis. 1047. Ferdinandus IV. Ferdinandi III. Imperatoris filius, coronatur Rex Hungariæ. 1647. Obit Ferdinandus Josephus Aloysius, filius Ferdinandi III. Imperatoris. 1658.

17. Carolus, Dux Burgundiæ, socer Maximiliani I. Imperatoris, Archidux Austriæ, cum Helvetis sinistro Marte confligit. 1476. Fridericus IV. Archidux Austriæ, coronatur Imperator, Aquisgrani. 1442.

18. Sveci, ab Exercitu Ferdinandi II. Archiducis Austriæ, grandi clade profligantur. 1631. Ferdinandus IV. filius Ferdinandi III. Imperatoris, coronatur Rex Romanorum, Augustæ. 1653.

19. Carolus V. Imperator, Archidux Austriæ, Philippum Hassiæ Landgravium, sibi supplicem, in custodia retinet. 1547.

20. Fridericus Archidux Austriæ, filius Maximiliani II. Imperatoris, nascitur Lincij. 1562. Sigismundus III. Rex Sveciæ, & Poloniæ, gener Caroli Archiducis Austriæ, nascitur. 1566.

21. Pax

21. Pax inter Carolum V. Imperatorem, Archiducem Austriæ, & Pontificem conficitur. 1529. Maximilianus I. Imperator, Eberhardum Virtenbergicum, ex Comite Ducem creat. 1495. Nascitur Maria, Caroli V. Imperatoris filia, uxor deinde Maximiliani I. Imperatoris. 1528.

22. Philippus II. Rex Hispaniæ, uxorem tertiam ducit, Elisabetham Valesiam. 1559. Ferdinandus Maria, Bavariæ Elector, filius Maximiliani, ex Maria Anna Austriaca, nuptias celebrat, cum Adelheide Sabauda. 1652.

23. Philippus I. Archidux Austriæ, Rex Hispaniarum, filius Maximiliani I. Imperatoris, nascitur. 1478. Albertus I. filius Rudolphi I. Imperatoris, eligitur Rex Romanorum. 1298.

24. Matthias, Archidux Austriæ, Francofurti, in Imperatorem Romanorum coronatur. 1612.

25. Confessio Augustana, primùm Carolo V. Imperatori, Archiduci Austriæ, exhibetur. 1530. Nascitur Joannes Princeps Portugalliæ, filius Joannis III. Regis, ex Catharina Austriaca, Philippi I. filia. 1537. Obit Sigismundus Franciscus, Archidux Tyrolensium. Anno Christi. 1661.

26. Obit Ferdinandus Archidux, Maximiliani II. Imperatoris filius. 1552. Anna uxor Matthiæ Imperatoris coronatur Imperatrix. 1612.

27. Matthias Archidux, Pragam invadit. 1608. Leopoldus I. Augustissimus Imperator, inauguratur Rex Hungariæ, Posonij. 1655. Obit Eleonora Mantuana, Ferdinandi II. Imperatoris vidua. 1655.

28. Carolus V. Archidux Austriæ, absens eligitur in Imperatorem. 1519. Obit Catharina Renea, Archidux, Caroli Græcensis filia, Ducis Parmensis sponsa, Græcij. 1595.

29. Trajectum, Duce Farnesio, ab exercitu Philippi II. Hispaniarum Regis, Archiducis Austriæ, occupatur. 1579. Albertus II. Imperator Austriacus, coronatur Rex Bohemiæ. 1438. Ferdinandus II. Imperator, coronatur Rex Bohemiæ. 1617.

30. Henricus II. Rex Galliæ, socer Elisabethæ, Archiducissæ Austriæ, filiæ Maximiliani II. Imperatoris, equestribus ludis lethaliter vulneratur. 1559.

JULIUS.

1. Nascitur Maria Badensis, Caroli Marchionis filia, ex Catharina Austriaca, Ernesti Ferrei filia. 1473. Carolus Posthumus, Caroli Archiducis Græcensis, eligitur Episcopus Wratislaviensis, in Silesia. 1608.

2. Christianus Halberstattensis, ab exercitu Ferdinandi II. Imperatoris,

Archiducis Austriæ, Duce Tillio profligatur. 1622. Albertus Imperator Austriacus, Adolphum Nassovium Anti-Cæsarem prœlio victum, occidit. 1298. Ferdinandus III. Imperator, nuptias celebrat cum Leopoldina, Archiducissa Tyrolensi, Lincij. 1640. Rudolphus II. Imperator, cum Matthia fratre, pacem integrat. 1610, Obit Carolus infans Hispaniæ, Philippi III. filius. 1632.

3. Sigismundus Auchidux Austriæ, Venetos ad Rogoredum profligat. 1487.

4. Maximiliano I. Imperatori, Archiduci Austriæ, despondetur Maria, filia Caroli, Ducis Burgundiæ. 1475. Anna Ferdinandi II. Imperatoris filia, nubit Alberto Magnanimo, Duci Bavariæ, Ratisbonæ. 1506. Obit Rudolphus, Dux Austriæ, filius Alberti I. Imperatoris, Rex Bohemiæ. 1308.

5. Sigismundus Augustus, Rex Poloniæ, nuptias celebrat cum Catharina Archiducissa Austriæ, filia Ferdinandi I. Imperatoris. 1553.

6. Edvardus VI. Rex Angliæ, frater Mariæ, uxoris Philippi II. Regis Hispaniarum, Archidux Austriæ, obit. 1553. Ferdinandus III. Ratisbonam armatâ manu occupat. 1634.

7. Exercitus Ferdinandi II. Archiducis Austriæ, grave detrimentum ad Hameliam, à fœderatis accipit. 1633. Nascitur Anna Archidux Austriæ, filia Ferdinandi I. Imperatoris, uxor dein Alberti V. Ducis Bavariæ. 1528. Sigismundus Augustus, Rex Poloniæ, maritus duarum ordine sororum Austriacarum, Elisabethæ, & Catharinæ, filiarum Ferdinandi I. Imperatoris, moritur. 1572.

8. Ejusdem Ferdinandi II. exercitus, Svecos ad Targenmundum cædit. 1636. Nascitur Carolus Archidux, & infans Hispaniæ, Philippi II. filius. 1545. Item Sigismundus, Caroli IV. Imperatoris filius, posteà Imperator, Alberti II. Imperatoris socer. 1368.

9. Leopoldus Archidux, cum Helvetis pugnans, propè Sempaccum, occumbit. 1386. Nascitur Catharina, filia Ferdinandi I. Imperatoris, Lincij, posteà Regina Poloniæ. 1526. Nascitur Ferdinandus II. Imperator, filius Caroli Archiducis, Græcij. 1578.

10. Belli Danici, contra Ferdinandum II. Imperatorem, Archiducem Austriæ, initium. 1624. Obit Carolus Archidux, Ferdinandi II. Parens, Græcij Styriæ 1590. Item Constantia, filia Caroli Archiducis, uxor Sigismundi III. Poloniæ Regis, Varsaviæ. 1631. Item, Ferdinandus IV. Rex Romanorum, filius Ferdinandi III. Imperatoris, Viennæ. 1654.

11. Carolus IV. Rudolphi IV. Archiducis Austriæ socer, in Imperatorem Romanorum eligitur. Francofurti. 1346. Nascitur Margarita Austriaca, filia Philippi IV. Regis Hispaniæ, posteà Imperatrix. 1651.

12 Leopol-

12. Leopoldi Marchionis Auſtriæ virtute, Ptolomais, à Chriſtianis, vi expugnata. 1191. Gandavenſes rebellant Maximiliano I. Imperatori. 1485. Obit Maria Luſitana, Philippi II. Regis Hiſpaniæ, Archiducis Auſtriæ, uxor. 1654.

13. Exercitus Ferdinandi II. Imperatoris, Archiducis Auſtriæ, Magdeburgum ad deditionem cogit. 1636. Naſcitur Ferdinandus III. Imperator, filius Ferdinandi II. Græcij. 1608.

14. Fridericus Comes Ciliæ, frater Barbaræ, uxoris Sigiſmundi Imperatoris, quæ erat ſocrus Alberti II. Imperatoris, Archiducis Auſtriæ, obit. 1454. Status Imperij homagium præſtat Maximiliano I. Wormatiæ. 1519. Sigiſmundus III. Rex Poloniæ, gener Caroli Archiducis Auſtriæ, occupatâ Smolensko urbe, victor Vilnam ingreditur. 1611. Obit Maria Princeps Sabaudiæ, filia Caroli Emmanuelis, ex Catharina Auſtriaca. 1656.

15. Rudolphus I. Romanorum Imperator, obit. 1291. Obit Philippus Bonus, Dux Burgundiæ, Avus Mariæ, Maximiliano I. Imperatori nuptæ. 1467. Maria Anna, filia Ferdinandi II. Imperatoris, nuptias celebrat Viennæ, cum Maximiliano Duce Bavariæ, Electore. 1635.

16. Duinkerka, armis Philippi II. Regis Hiſpaniæ, Archiducis Auſtriæ, capitur. 1583. Naſcitur Cœcilia Renata, filia Ferdinandi II. Imperatoris, Græcij, quæ poſteà Regina Poloniæ fuit. 1611.

17. Carolus II. Archidux Auſtriæ, filius Caroli, Archiducis Auſtriæ, Ducis Styriæ, natus. 1579. Tres Reges Sigiſmundus Poloniæ, Vladislaus Bohemiæ, & Ludovicus Hungariæ, conveniunt Viennæ, ad Maximilianum I. Imperatorem. 1515.

18. Rudolphus II. Archidux Auſtriæ, Romanorum Imperator, naſcitur. 1552. Naſcitur Iſabella, ſeu Eliſabetha, filia Philippi I. Auſtriaci, Regis Hiſpaniæ, Bruxellis, quæ poſteà fuit Regina Daniæ. 1501. Leopoldus I. Rex Hungariæ, & Bohemiæ, eligitur Imperator. 1658.

19. Mechlinia, fame domita, Philippi II. Regis Hiſpaniæ, Archiducis Auſtriæ, exercitui ſe dedit. 1585. Maria, filia Henrici VIII. Regis Angliæ, poſt uxor Philippi II. Regis Hiſpaniæ, Archiducis Auſtriæ, renunciatur Regina Angliæ. 1553.

20. Albertus Sapiens, Dux Auſtriæ, filius Alberti I. Imperatoris, primus Fundator Academiæ Viennenſis, inter vivos eſſe deſijt. Anno Chriſti. 1358.

21. Carolus V. Imperator, Archidux Auſtriæ, *Tunetum Africæ*, vi expugnat. 1535.

22. Exercitus Ferdinandi I. Imperatoris, Regis Hungariæ, Archiducis Auſtriæ, Turcas profligat propè Szegedinum. 1556. Obit Mejnardus, Comes

Tyrolis, & Goritiæ, avus paternus Elisabethæ nuptæ Alberto I. imperatori Habspurgico. 1258.

23. Pax calamitosa, inter Carolum V. Imperatorem, Archiducem Austriæ, & Protestantes. 1522. Nascitur Anna, filia Vladislai II. Poloniæ, & Hungariæ Regis, uxor dein Ferdinandi I. Imperatoris. Anno Christi.

24. Carolus, Philippi II. Regis Hispaniæ, primogenitus, obit. 1568.

25. Moritur Ferdinandus I. Imperator, Archidux Austriæ, 1564. Nascitur Serenissimus Rex Josephus, filius Leopoldi I. Augustissimi Imperatoris, Viennæ. 1678.

26. Pugnâ navali, Philippus II. Rex Hispaniæ, Antonium Principem Lusitaniæ, profligat. 1587. Nascitur Anna, filia Cosmi, Magni Ducis Hetruriæ, posteà uxor Ferdinandi Caroli, Archiducis Austriæ. 1616.

27. Augustissimus Leopoldus I. Imperator, insigni de Gallis victoriâ potitur, cæso Turienio. 1675. Obit Carolus Emmanuel, Dux Sabaudiæ, gener Philippi II. Regis Hispaniæ. 1630.

28. Ferdinandus III. Romanorum Imperator, Archidux Austriæ, Ratisbonam deditione occupat. 1634. Obit Victor Papa II. ex Comitibus Caluvensibus, nepos Wiltrudis Habspurgicæ. 1054.

29. Albertus, Archidux Austriæ, frater Maximiliani Imperatoris, dignitati Cardinalitiæ, Romæ, per Procuratores renunciat. 1548.

30. Albertus Marchio Ferrariæ, atavus Alphonsi II. Ducis Ferrariæ, gener Ferdinandi Imperatoris, Archiducis Austriæ, fato fungitur. 1393.

31. Ferdinandus Archidux, filius primogenitus, Caroli, Archiducis Austriæ, Ducis Styriæ, obit. 1572.

AUGUSTUS.

1. Maximilianus II. Romanorum Imperator, Archidux Austriæ, nascitur, 1527. Sigismundus Augustus Rex Poloniæ, gener Ferdinandi Imperatoris, Archiducis Austriæ, natus. Anno. 1520.

2. Infausta pro parte Catholicorum, transactio Passaviensis, à Carolo V. Imperatore, Archiduce Austriæ, subscribitur. 1552. Obit Emmanuel Philibertus Sabaudiæ Dux, cujus filius Carolus Emmanuel duxit Catharinam Austriacam, Philippi II. Regis Hispaniæ filiam.

3. Quinque legiones, ex exercitu Ferdinandi III. Imperatoris, Duce Joanne de Werdt, universum exercitum Weinmarij fugant. 1637. Nascitur Ernestus Bavariæ Princeps, Alberti Ducis, ex Cunegunde Austriaca, filius, deinde Archiepiscopus Salisburgensis. 1500. Carolus V. memorabili clade cæ-

dit Gal-

dit Gallos in ditione Senensi. 1554. Obit Anna Mantuana, Ferdinandi Archiducis Tyrolensis, secunda uxor. 1621. Jacobus II. Scotiæ Rex, cujus soror fuit uxor Sigismundi Tyrolensis, Archiducis Austriæ, bombardæ ruptæ ictu perit. 1460.

4. Ferdinandi II. miles, Duce eodem de Werdt, Parisios usque excurrit. 1635. Sebastianus Rex Portugalliæ, Caroli V. Imperatoris, Archiducis Austriæ, ex filia nepos, in Mauritania prœlians occumbit. 1578.

5. Pax inter Carolum V. Romanorum Imperatorem, Archiducem Austriæ, & Franciscum I. Regem Galliæ. 1548. Nascitur Alexander, Rex Poloniæ, ex Elisabetha Austriaca, Alberti II. Imperatoris filia. 1461. Obit Eleonora, filia Ferdinandi I. Imperatoris, Ducissa Mantuæ. 1594. Nascitur Albertus Sigismundus, Princeps Bavariæ, Alberti III. ex Anna Austriaca, Ferdinandi I. Imperatoris filia, pronepos. 1623. Ferdinandus IV. filius Ferdinandi III. Imperatoris, coronatur Rex Bohemiæ. 1647. Et Leopoldus I. Augustus modernus, coronatur Imperator. 1658.

6. Trajectum, ab exercitu Philippi II. Regis Hispaniæ, Archiducis Austriæ, expugnatur. 1580. Maria Christiana, filia Caroli Archiducis Græcensis, nubit Sigismundo Bathori, Principi Transylvaniæ. 1595. Nascitur Carolus Josephus, filius Ferdinandi III. ex Leopoldina. 1649.

7. Carolus Posthumus, Philippi Caroli, Archiducis Austriæ, Ducis Styriæ, Episcopus Wratislaviensis, nascitur Græcij. 1590. Obit ex partu Leopoldina Augusta, Ferdinandi III. Imperatoris, secunda conjux. 1649.

8. Classis Philippi II. Regis Hispaniæ, contra Anglos, tempestate mergitur. 1588. Cœcilia Renata, filia Ferdinandi II. Imperatoris, desponsatur Vladislao Regi Poloniæ. 1637.

9. Pugnat exercitus Ferdinandi III. Imperatoris, Archiducis Austriæ, ad Wittenwejer Alsatiæ, cum Gallis, cœsis utrinque 6000. A. Chr. Isabella, filia Philippi I. Regis Hispaniæ, nubit Christiano II. Regi Daniæ. 1517.

10. Galli, ad Fanum S. Quintini, ab exercitu Philippi II Regis profligantur. 1557.

12. Turcæ contra Ferdinandum I. Regem Hungariæ, Archiducem Austriæ, Strigonio potiuntur. 1573.

12. Isabella Clara Eugenia, filia Philippi I. Regis Hispaniæ, uxor Alberti, Archiducis Austriæ, Pro-Regis Belgij, nata. 1566. Nascitur Clara Isabella, filia Leopoldi, Archiducis Tyrolensis, posteà Ducissa Mantuæ. 1629.

13. Ludovicus Elector Palatinus, socer Alberti VI. Archiducis Austriæ, moritur. 1449. Carolus V. occupat Mexicum cum Rege, Duce Ferdinando Cortesio. 1521.

14. Magdalena, Archiduciſſa Auſtriæ, filia Ferdinandi Imperatoris, Archiducis Auſtriæ, nata. 1532. Eleonora Magdalena, ejuſdem Ferdinandi I. Imperatoris, filia altera, Duciſſa Mantuæ, viduatur marito Guilielmo. 1587.

15. Ab Exercitu Philippi II. Regis Hiſpaniarum, Archiducis Auſtriæ, 420. Luſitani, ope DEIparæ, de 10000. hoſtium mirè triumphant. 1588.

16. Carolus Princeps Luſitaniæ, filius Emmanuelis Regis, & Eleonoræ Archiduciſſæ Auſtriæ, obit Uliſſiponæ. 1521. Naſcitur Anna filia, Caroli Archiducis Græcenſis. 1573. facta dein Regina Poloniæ.

17. Albertus V. Marchio Brandeburgicus, Dux I. Boruſſiæ, nepos Eliſabethæ Auſtriacæ, Reginæ Poloniæ, fundat Academiam Regiomontanam. 1544. Item, Albertus Cum-trica, Archidux Auſtriæ, poſt venationem, nimio æſtu, ventre ſoluto, moritur. 1395.

18. Maximilianus I. Imperator, nuptias celebrat cum Maria Burgunda, Gandavi in Flandria. 1477. Naſcitur Maria, filia Philippi III. Regis Hiſpaniarum. 1606. quæ dein fuit uxor Ferdinandi III. Imperatoris.

19. Fridericus IV. Imperator, Archid. Auſtriæ, obit Lincij. 1493. Obit quq; Alexander Rex Poloniæ, Caſimiri Regis, ex Eliſabetha Auſtriaca, filius. 1506.

20. Borſius Eſtenſis, I. Dux Ferrariæ, frater Herculis, qui fuit proavus Alphonſi II. generi Ferdinandi Imperatoris, Archiducis Auſtriæ, moritur. 1471. Albertus Archidux, Belgarum Princeps, Hulſtum expugnat. 1596.

21. Vladislaus, filius Caſimiri Regis Poloniæ, & Eliſabethæ Archiducis Auſtriæ, inauguratur Rex Bohemiæ. 1471.

22. Eliſabetha Borbonia], filia Henrici IV. Regis Galliæ, deſponſatur, Philippo IV. Regi Hiſpaniæ. 1612. Maximilianus, filius Maximiliani II. Imperatoris, eligitur Rex Poloniæ. 1587.

23. Rudolphus Lotharingiæ Dux, filius Eliſabethæ Auſtriacæ, nepos Alberti I. Cæſaris, occumbit ad Cruſtracum. 1346.

24. Albertus Auſtriacus, Cæſar coronatur, Aquiſgrani. 1298.

25. Gabriel Bethlehem, coronam Regni Hungariæ, contra Ferdinandum II. Archiducem Auſtriæ, ſibi uſurpat. 1620. Rudolphus Habſpurgius I. Imperator, Ottocarum, Regem Bohemiæ vincit, & interficit in prœlio. 1278. Obit Albertus IV. Archidux, cognomento *Mirabilia mundi*, in obſidione Znojmæ. 1494.

26. Rudolphus I. Imperator, victo Ottocaro, Auſtriam recuperat. 1278. Carolus Archidux Græcenſis, filius Ferdinandi I. Imperatoris, nuptias celebrat, cum Maria, filia Alberti Ducis Bavariæ, Viennæ Auſtriæ. 1571.

27. Prœlio ad Loteram, Dani ab exercitu Auſtriaco, Duce Tillio profligantur. 1626. Joannes Albertus, Caſimiri Regis Poloniæ, ex Eliſabetha Auſtriaca filius, eligitur Rex Poloniæ. 1492.

28. Fer-

28. Ferdinandus II. Archidux Auſtriæ, eligitur Romanorum Imperator. 1639. Naſcitur Fridericus, Dux Saxoniæ, filius Friderici Placidi, ex Margarita Auſtriaca, Erneſti Ferrei filia. 1439.

29. Ludovicus II. Rex Hungariæ, frater Annæ uxoris Ferdinandi I. Archiducis Auſtriæ, in bello contra Turcam, interit. 1526. Albertus III. Auſtriacus, cognomento Cumtrica, Fundator Academiæ Viennenſis, ſepelitur Viennæ, apud Sanctum Stephanum. 1395.

30. Solymanus, Turcarum Imperator, contra Ferdinandum I. Imperatorem, Archiducem Auſtriæ, Budam, Regni Hungariæ, ſedem, aſtu occupat. 1519. Obit Eliſabetha Archiduciſſa Auſtriæ, filia Alberti II. Romanorum Imperatoris, uxor Caſimiri Regis Poloniæ. 1505.

31. Henricus VII. Rex Angliæ, pro-ſocer Philippi II. Regis Hiſpaniæ, Archiducis Auſtriæ, coronatur in Regem. 1485. Naſcitur Carolus IV. Dux Mantuæ, filius Caroli III. ex Iſabella Clara, Auſtriaca, filia Leopoldi Archiducis, Tyrolenſium Principis. 1652.

SEPTEMBER.

1. Maximilianus I. Imperator, victor, Trajectum ingreditur. 1483. Hedvigis, filia Sigiſmundi Regis Poloniæ, neptis Eliſabethæ Auſtriacæ, nubit Joachimo II. Electori Brandeburgico. 1535.

2. Moritur Eleonora, Archiduciſſa Auſtriæ, ſoror Caroli V. uxor Franciſci Regis Galliæ. 1558. Naſcitur Franciſcus, filius Maximiliani I. Imperatoris. 1481. Obit Iſabella, Emmânuelis Luſitaniæ Regis uxor, Joannæ, Philippo Auſtriaco nuptæ, ſoror. 1498.

3. Eleonora, filia Edvardi Regis Luſitaniæ, uxor Friderici IV. Imperatoris, Archiducis Auſtriæ, obit. 1467.

4. Philippus I. Archidux, cedente ſocero, adit regimen Regnorum Hiſpaniæ, & cum Joanna conjuge, ſolenni ritu, Rex inauguratur. 1506.

5. Helena Duciſſa Brunſwicenſis, uxor Alberti I. Electoris Saxoniæ, ſocrus Agnetis filiæ Rudolphi I. Hubſpurgij, Romanorum Imperatoris, obit. 1273. Albertus, & Iſabella Clara, Belgarum Princeps, primò Bruxellas adveniunt. 1599. Naſcitur Ludovicus XIV. Rex Franciæ, ex matre Anna Auſtriaca, Philippi III. Regis Hiſpaniarum, filia. 1638.

6. Ferdinandus III. Hungariæ Rex, Archidux Auſtriæ, glorioſè triumphat de Svecis, propè Nordlingam. 1634. Catharina, filia Philippi Audacis, Burgundiæ Ducis, deſponſatur Leopoldo Auſtriæ Archiduci, cognomento Craſſo. 1387.

7. Exer-

7. Exercitus Ferdinandi II. Imperatoris, Svecorum 7000. delet, ad Altenbergam. 1633. Naſcitur Edvardus, Princeps Portugalliæ, frater Iſabellæ, Carolo V. nuptæ. 1515.

8. Naſcitur Ferdinandus IV. Hungariæ, Bohemiæ, & Romanorum Rex, Archidux Auſtriæ. 1633. Eleonora, filia Edvardi Regis Portugalliæ, uxor Friderici IV. Imperatoris, Archiducis Auſtriæ, nata. 1437. Ferdinandus II. coronatur Imperator, Francofurti. 1619.

9. Maria, filia Caroli V. Imperatoris, Archiducis Auſtriæ, uxor Maximiliani II. Imperatoris, coronatur Regina Hungariæ. 1563. Otho Dux Bavariæ, gener Rudolphi I. Romanorum Imperatoris, obit. 1312. Item, Edvardus, Rex Luſitaniæ, ſocer Friderici IV. Imperatoris, Archiducis Auſtriæ. 1438.

10. Chriſtina, Chriſtiani Regis Daniæ filia & Iſabellæ Archiduciſſæ Auſtriæ, ſororis Caroli V. Imperatoris, obit. 1519. Margarita, filia Maximiliani I. Imperatoris, viduatur marito, Emmanuele Pulchro, Duce Sabaudiæ. 1504.

11. Oſtenda, Auſpicijs Alberti Archiducis, Belgarum Principis, poſt trium annorum, & trium ferè menſium obſidionem, capitur. 1604.

12. Franciſcus I. Rex Galliæ, gener Philippi I. Archiducis Auſtriæ, Regis Hiſpaniæ, natus. 1494. Obit Albertus, Dux Saxoniæ, nepos Margaritæ Auſtriacæ, Erneſti I. Ferrei, filiæ, à Pontifice *Dextra manus Imperij*, appellatus. 1500.

13. Philippus II. Hiſpaniæ Rex, Archidux Auſtriæ, moritur. 1598. Andreas Auſtriacus, Ferdinandi Archiducis, Tyrolenſium Principis filius, creatur Cardinalis. 1576. Obit Leopoldus Archidux, Tyrolenſium Princeps, frater Ferdinandi II. Imperatoris, Oeniponti. 1632.

14. *Sylva-Ducis*, ab Hollandis, Imperio, Philippi II. Hiſpaniæ Regis, Archiducis Auſtriæ, ſubducitur. 1629. Leopoldus I. Auguſtus, coronatur Rex Bohemiæ. 1663. Alberto Archiduci, filio Maximiliani II. Imperatoris, Ordines Belgij homagium præſtant. 1598.

15. Carolus V. Imperator, Archidux Auſtriæ, valedicens Germaniæ, in Hiſpaniam abit. 1556. Naſcitur Carolus, filius Philippi III. Madriti. 1607. pridie ponunt aliqui.

16. Ferdinandus I. Imperator, Archidux Auſtriæ, coronatur in Regem Hungariæ. 1526.

17. Henricus Marchio, primus Dux Auſtriæ, creatur. 1156. Franciſcus Archidux, Maximiliani I. Imperatoris filius, natus. 1481. Obit Philippus IV. Rex Hiſpaniæ. 1655.

18. Hatvanum Turcis, Rudolpho II. Imperante, Rege Hungariæ eripitur. 1604.

tur. 1604. Naſcitur Ludovicus, Dux Bavariæ, Alberti Sapientis filius, ex Cunegunde Auſtriaca. 1495.

19. Strigonium, à Turcis novâ obſidione, contra eundem Cæſarem, cingitur. 1604. Joanna, hæres Hiſpaniarum, ſponſa Philippi I. Archiducis, appellit primò in Belgium. 1469.

20. Maximilianus II. Imperator, Archidux Auſtriæ, in Regem Bohemiæ coronatur. Pragæ. 1562. Naſcitur Maria Thereſia, filia IV. Regis Hiſpaniæ, uxor Ludovici XIV. Regis Galliæ. 1638.

21. Rudolphus II. Archidux Auſtriæ, Imperator Romanorum, Pragæ Rex Bohemiæ coronatur. 1545. Carolus V. Archidux Auſtriæ, Imperatorum Maximus, in Hiſpanijs, in Cœnobio Sancti Juſti, moritur. 1558. Obit Octavius Farneſius, Dux, Margaritæ Auſtriacæ maritus. 1587. Maria uxor Maximiliani II. Imperatoris, filia Caroli V. Imperatoris, coronatur Regina Bohemiæ, Anno Chriſti. 1562.

22. Naſcitur Anna Maria Mauritia, filia Philippi III. Regis Hiſpaniæ, poſteà uxor Ludovici XIII. Regis Galliæ. 1601.

23. Zutphania, miro aſtu, à milite Philippi III. Regis Hiſpaniæ, Archiducis Auſtriæ, capitur. 1583. Naſcitur Fridericus IV. Imperator, Erneſti Ferrei, Archiducis Auſtriæ filius. 1415. Joannes Albertus, filius Caſimiri Regis Poloniæ, ex Eliſabetha Auſtriaca, filia Alberti II. coronatur Rex Poloniæ. 1492.

24. Miſſa à Turcis 40000. Tartarorum, contra Ferdinandum II. Imperatorem, Regem Hungariæ, à Polonis internecione delentur. 1626. Albertus Brandeburgicus, Archiepiſcopus Moguntinus, & Cardinalis, Annæ Auſtriacæ; Alberti II. Imperatoris filiæ nepos, obit. 1545.

25. Philippus Auſtriacus, Hiſpaniæ Rex, Caroli V. & Ferdinandi I. parens, moritur. 1506. Naſcitur Catharina, filia Ferdinandi I. Imperatoris, quæ fuit deinde Duciſſa Mantuæ, ac demum Regina Poloniæ. 1533.

26. Solymanus Turcarum Imperator, Viennam Auſtriæ, ingenti exercitu obſidet. 1529. Naſcitur Carolus, filius Maximiliani II. Imperatoris, Viennæ. 1565.

27. Ludovicus Bavarus, Imperator, Fridericum Archiducem Auſtriæ, prœlio vincit. 1327. Venceslaus, filius Ottocari Regis Bohemiæ, gener Rudolphi I. Habſpurgij Imperatoris, natus. 1270. Item, naſcitur Ludovicus XIII. Rex Franciæ, maritus deinde Annæ Auſtriacæ Hiſpanæ. 1601.

28. Conradus, filius Leopoldi Pij, Marchionis Auſtriæ, Epiſcopus Paſſavienſis, fatis ceſſit. 1168. Obit Maria Anna, filia Ferdinandi II. Imperatoris uxor Maximiliani Ducis Bavariæ Electoris. 1665. Naſcitur Ferdinandus Venceslaus Joſephus, filius Auguſtiſſimi Leopoldi I. Imperatoris, Viennæ. 1667.

29. Rudolphus Habſpurgius, abſens, imperator eligitur. 1273. Naſcitur Wilhelmus junior, Dux Bavariæ, filius Alberti Magnanimi, ex Anna Auſtriaca, Ferdinandi I. Imperatoris, filia. 1548.

30. Margarita, filia Amadei, Ducis Sabaudiæ, ſocrus Alberti VI. Archiducis Auſtriæ, moritur. 1470.

OCTOBER.

1. Maria, Angliæ Regina, pôſt uxor Philippi II. Regis Hiſpaniæ, Archiducis Auſtriæ, coronatur Londini. 1553. Rudolphus II. Imperator, ſepelitur Pragæ, in templo S Viti, ſolenni pompâ. 1612.

2. Joannes de Auſtria, famoſiſſimus belli Dux, moritur. 1553. Naſcitur Philippus Ludovicus, Palatinus Rheni, proavus Eleonoræ Magdalenæ, Imperatricis. 1547.

3. Margarita, Archiduciſſa Auſtriæ, uxor Philippi II. Hiſpaniarum Regis, obit. 1611. Naſcitur Sanctus Caſimirus, Princeps Poloniæ, filius Caſimiri, ex Eliſabetha Auſtriaca, Alberti II. Imperatoris filia. 1458. Obit Eliſabetha Valeſia, uxor tertia Philippi II. Regis Hiſpaniarum. 1568. Maria Chriſtierna, filia Caroli Archiducis Græcenſis, ſoluto matrimonio cum Sigiſmundo Batorio, Principe Tranſylvaniæ, ingreditur Halæ Monaſterium Monialium: & eâdem die, Eleonora, ſoror Mariæ Chriſtiernæ Domum Virginum ibidem Halæ Tyrolis. 1607.

4. Bannerius Svecus, cum exercitu Ferdinandi II. Imperatoris, Archiducis Auſtriæ, cæſis utrinque 8000. Anno 1636. Rudolphus Comes Habſpurgenſis, in caſtris ante *Baſileam*, ſalutatur Rex Romanorum. 1273. Naſcitur Iſabella, filia Emmanuelis, Regis Luſitaniæ, uxor Caroli V. Imperatoris. 1503.

5. Maria, filia Magni Ducis Hetruriæ, & Joannæ Archiduciſſæ Auſtriæ, deſponſatur Henrico IV. Regi Galliæ. 1600. Obit Ludovicus IV. Imperator, filius Ludovici ſoceri, Ducis Bavariæ, ex Mechtilde Habſpurgica, Rudolphi I. Imperatoris filia. 1347.

6. Fridericus, Landgravius Thuringiæ, proſocer Annæ, Archiduciſſæ Auſtriæ, filiæ Alberti II. Imperatoris, natus. 1330.

7. Joannes de Auſtria. memorabilem victoriam de Turcis reportat. 1571. Maria Burgunda, deſponſatur Maximiliano Archiduci, poſteà Imperatori. 1473. Naſcitur Maria Magdalena, filia Archiducis Græcenſis, poſteà Duciſſa Hetruriæ. 1587. Obit Victor Amadæus, Dux Sabaudiæ, Catharinæ Auſtriacæ filius. 1637. Philippus IV. Rex Hiſpaniæ, nuptias celebrat cum

Maria Anna, Ferdinandi III. Imperatoris filia, Navalcarnerij in Hispania. 1649.

8. Ludovicus XIII. nuptias celebrat cum Anna Maria Mauritia, Philippi III. Regis Hispaniæ filia.

9. Hassum profligat Gozius, Generalis exercitûs Ferdinandi Imperatoris, Archiducis Austriæ. 1636. Nascitur Leopoldus, Archidux, Tyrolensium Princeps, Græcij Styrorum. 1586. Obit Ludovicus, Landgravius Hassiæ, pronepos Elisabethæ Austriacæ, Reginæ Poloniæ. 1604. Obit etiam Franciscus, Magnus Dux Hetruriæ, maritus Joannæ Austriacæ. 1587.

10. Ferdinandi I. Regis Hungariæ, Archiducis Austriæ, exercitus prope Eszekum, profligatur. 1553. Nascitur Madriti, Catharina Austriaca, filia Philippi II. Regis Hispaniæ. 1567. quæ fuit posteà Ducissa Sabaudiæ. Nascitur quóque Anna, filia Ferdinandi, Archiducis Tyrolensis, uxor Matthiæ Imperatoris. 1585.

11. Ferdinandus II. Imperator, Archidux Austriæ, jubet Austriacos mutare, vel Religionem, vel Regionem. 1625. Obit Carolus Balthasar Dominicus Lucas Philippus Victor, infans Hispaniæ, Philippi IV. Regis filius. 16‥6.

12. Maximilianus II. Imperator, Archidux Austriæ, obit Ratisbonæ Anno Christi. 1576.

13. Potiuntur Agriâ Turcæ, Maximiliani Archiducis succursum prævenientes. 1596. Obit Franciscus, Dux Mantuæ, Nivernensis, patruus Eleonoræ Augustæ, viduæ Ferdinandi II. Imperatoris. 1622.

14. Maria, Archiducissa Austriæ, soror Ferdinandi Imperatoris, uxor Ludovici Regis Hungariæ, Gubernatoris Belgij, moritur. 1558. Ferdinandus II. Imperator, pacem cum Gallis, & Svecis, concludit. 1648.

15. Solymanus Turcarum Imperator, Viennæ Austriæ, obsidionem solvit. Anno Christi. 1529.

16. Susanna, Ducissa Bavariæ, filia Alberti IV. & Cunegundis, Archiducis Austriæ, desponsatur Otthoni Henrico, Electori, Palatino Rheni. 1529. Obit Elisabetha Borbonia, uxor Philippi IV. Regis Hispaniæ. 1644.

17. Augustissimus Leopoldus I. Imperator Romanorum, nuptias celebrat, cum Claudia Felicitate. 1673. Nascitur Carolus Balthasar Dominicus, filius Philippi IV. Regis Hispaniæ. 1629.

18. Fridericus III. Pulcher, Archidux Austriæ, Francofurti eligitur Romanorum Imperator. 1314. Philippus IV. Rex Hispaniæ, nuptias celebrat, cum Elisabetha Borbonia. 1621.

19. Cosmus II. Magnus Dux Hetruriæ, nuptias celebrat, cum Maria Magdalena, Archiducissa Austriæ, Caroli filia. 1608.

20. Prœlium Smalcadense, feliciter à Carolo V. Archiduce Austriæ conficitur. 1648.

 21. Marga-

21. Margarita, Archiducissa Austriæ, filia Maximiliani I. Imperatoris, Gubernatrix Belgij, nata. 1482. Nascitur Ferdinandus Maria, Dux Bavariæ, Elector, filius Maximiliani, ex Maria Anna Austriaca. 1636.

22. Ottho, Austriæ Marchio, Frisinensis Episcopus, scriptor insignis moritur. 1152. Carolus V. Imperator, Archidux Austriæ, Metensem solvit obsidionem. 1552. Obit Thomas Carolus, infans Hispaniæ, Philippi IV. filius. 1659.

23. Carolus V. Imperator, Archidux Austriæ, Aquisgrani coronatur. 1520. Carolus V. Imperator, expeditionem in Africam suscipit. 1541.

24. 3000. Militum Ferdinandi II. Imperatoris, Archiducis Austriæ, Duce Joanne de Werdt, integra Castra Gallica, invadunt, & dissipant. 1635. Margarita filia Maximiliani Imperatoris, nubit Philiberto, Duci Sabaudiæ. 1501.

25. Anna Archiducissa Austriæ, filia Maximiliani II. Imperatoris, uxor Philippi II. Regis Hispaniæ, obit. 1580.

26. Maximilianus Archidux, propè Agriam, cum Machomete confligit. 1596.

27. Albertus II. Archidux Austriæ, Rex Bohemiæ, & Hungariæ, Romanorum Imperator, moritur in Hungaria. 1439. Rudolphus II. Austriacus, eligitur Imperator, Ratisbonæ. 1575.

28. Ladislaus Posthumus, Archidux Austriæ, filius Alberti II. coronatur Rex Bohemiæ. 1453.

29. Hartmannus Habspurgo Laffenbergicus, in arce Dunensi, per Sicarios trucidatur. 1332. Nascitur Albertus V. Dux Bavariæ, nepos Cunegundis Austriacæ, & maritus Annæ Austriacæ, Ferdinandi I. Imperatoris filiæ. 1579.

30. Supremum Spirensis Cameræ Judicium, à Maximiliano I. Romanorum Imperatore, Archiduce Austriæ, instituitur. 1495.

31. Leodium, à Carolo Duce Burgundiæ, socero Maximiliani I. Romanorum Imperatoris, Archiducis Austriæ, direptum. 1468.

NOVEMBER.

1. Rudolphus I. Archidux Austriæ, Ratisbonæ, Romanorum Imperator coronatur. 1575. Nascitur Emmanuel, filius Joannis III. Regis Lusitaniæ, ex Catharina Austriaca, Philippi I. Regis filia. 1531.

2. Anna Archiducissa Austriæ, filia Maximiliani II. Imperatoris, uxor quarta, Philippi Regis Hispaniæ, nata. 1549. Nascitur Eleonora, filia Ferdinandi I. Imperatoris, posteà Ducissa Mantuæ. 1534.

3. Ferdinandus Imperator, Archidux Austriæ, ejúsque uxor Anna, coronatur Rex, & Regina Hungariæ. 1527.

4. Exer-

4. Exercitus Ferdinandi II. Archiducis Auſtriæ, Duce Tillio, Danos ſuperat. 1625. Eliſabetha, filia Maximiliani II. deſponſatur Spiræ, Carolo Valeſio, Regi Franciæ. 1570.

5. Caſimirus Magnus, Rex Poloniæ, proavus Eliſabethæ, uxoris Alberti II. Archiducis Auſtriæ, obit. 1370.

6. Ulricus, Dux Virtembergicus, gener Alberti Ducis Bavariæ, & Cunegundis Archiduciſſæ Auſtriæ, obit. 1550. Naſcitur Carolus II. Rex Hiſpaniæ, filius Philippi IV. ex Maria Anna, filia Ferdinandi III. Imperatoris. 1661.

7. Philippus II. Auſtriacus, Caſtellæ Rex, cum uxore Joanna, in Hiſpanias ex Belgio proficiſcitur, reliquorum quóque Regnorum Hiſpaniarum adminiſtrationem aditurus. 1501.

8. Exercitus Ferdinandi II. Archiducis Auſtriæ, ad Pragam, in monte Albo, Svecos vincit. 1620.

9. Nicolaus III. Eſtenſis, Marchio Ferrariæ, Abavus Alphonſi II. Ducis Ferrariæ, generi Ferdinandi II. Archiducis Auſtriæ, natus. 1382. Barbara, filia Ferdinandi I. Imperatoris, nubit Alphonſo II. Duci Ferrariæ. 1565.

10. Pappenhajmius, armis Ferdinandi II. Rebelles ſuperioris Auſtriæ, domat. 1626. Naſcitur Maria Chriſtierna, Caroli Græcenſis, Archiducis Auſtriæ filia, poſteà Tranſylvaniæ Princeps. 1574.

11. Carolus Audax, Dux Burgundiæ, ſocer Maximiliani I. Imperatoris Romanorum, natus. 1433. Wolfgangus Wilhelmus, Comes Palatinus Neoburgicus, Annæ Duciſſæ Juliacenſis, Ferdinandi Imperatoris neptis, filius, nuptias celebrat Monachij, cum Margarita Guilielmi Bavariæ Ducis filia. 1613.

12. Andreas Auſtriacus, Cardinalis, frater Ferdinandi, Archiducis Auſtriæ, obit Romæ. 1600. Philippus II. Rex Hiſpaniæ, nuptias celebrat cum Anna Maximiliani II. Imperatoris, filia. 1570.

13. Naſcitur Albertus, Archidux Auſtriæ, poſteà Gubernator Belgij. 1559. Naſcitur Wilhelmus Dux Bavariæ, Alberti Sapientis, ex Cunegunde Auſtriaca, filius. 1493.

14. Iterum memorabili prœlio, funduntur Rebelles ſuperioris Auſtriæ. 1626.

15. Sanctus Leopoldus, Auſtriæ Marchio, in cœlos evolat. 1136. Margarita Auſtriaca, filia Caroli Archiducis Auſtriæ, Ducis Styriæ, deſponſatur Philippo III. Regi Hiſpaniæ, Ferrariæ. 1598.

16. Memorabili prœlio Sveci ad Luzam, ab exercitu Ferdinandi II. Imperatoris, Archiducis Auſtriæ, victi, ipſo Guſtavo Rege Sveciæ cœſo. 1632.

17. Maximilianus Erneſtus, Archidux Auſtriæ, filius Caroli, natus Græcij. 1583.

18. Barnabas, Vice-Comes, Princeps Mediolani, ſocer Leopoldi Archiducis Auſtriæ, obit. 1385. Naſcitur Eleonora Mantuana, uxor tertia Ferdinandi III. Imperatoris. 1629.

19. Matthias Archidux, in Regem Hungariæ coronatur, Poſonij. 1608.

20. Profligantur tandem ultimò Rebelles ſuperioris Auſtriæ, ejuſdem Ferdinandi II. Imperatoris, Archiducis Auſtriæ, armis. 1626. Obit Eleonora filia Jacobi II. Scotorum Regis, uxor Sigiſmundi Archiducis Tyrolenſis. 1480. Obit etiam Leopoldus Wilhelmus Archidux, Belgij Pro-Rex, Viennæ. 1662.

21. Jacobus Princeps Hiſpaniæ, Archidux Auſtriæ, filius Philippi II. Regis Hiſpaniæ, obit. 1582. Eleonora, Ferdinandi II. Imperatoris, uxor ſecunda, coronatur Regina Bohemiæ. 1627.

22. Henricus Gonzaga, Cardinalis, pro-patruus Annæ Catharinæ, uxoris Ferdinandi, Archiducis Auſtriæ, natus. 1505. Naſcitur Eliſabetha Borbonia, uxor prima Philippi IV. Regis Hiſpaniæ. 1602.

23. Ladislaus Poſthumus, Archidux Auſtriæ, Rex Hungariæ, & Bohemiæ, obit. 1458.

24. Maximilianus II. Archidux Auſtriæ, Francofurti, Romanorum Imperator inauguratur. 1562. Naſcitur Philippus Wilhelmus, Comes Palatinus Rheni, Neoburgicus, parens Auguſtæ Imperatricis, Eleonoræ Magdalenæ. 1615.

25. Ferdinandus III. Archidux Auſtriæ, Rex Bohemiæ coronatur. 1627. Carolus IV. Rex Bohemiæ, ſocer Guilielmi, Alberti & Rudolphi, coronatur Bonnæ, Rex Romanorum. 1346.

26. Nuptiæ Caroli IX. & Eliſabethæ Auſtriacæ, Maximiliani II. filiæ. 1570. Moritur Iſabella, ſocrus Philippi I. Regis Hiſpaniarum, & Carolum V. Imperatorem nepotem, facit hæredem. 1504.

27. Sophia, filia Chriſtophori Ducis Wirtembergici, proneptis Cunegundis, Archiduciſſæ Auſtriæ, nata. 1563.

28. Ottho, Elector Palatinus, ſocer Mechtildis, filiæ Rudolphi I. Habſurgij Imperatoris, obit. 1253. Naſcitur Sigiſmundus Franciſcus, Archidux Auſtriæ, filius Leopoldi, Tyrolenſium Principis. 1630.

29. Fridericus Palatinus, contra Ferdinandum II. Imperatorem, Archiducem Auſtriæ, electus Rex Bohemiæ, moritur. 1632. Obit Iſabella Clara Eugenia, Belgarum Princeps, vidua Alberti Archiducis. 1637.

30. Tornacum, armis Philippi II. Regis Hiſpaniæ, Archiducis Auſtriæ, Duce Farneſio, expugnatur. 1581. Maximilianus II. coronatur imperator, Francofurti. 1561.

DECEM-

DECEMBER.

1. Moritur Margarita, filia Maximiliani I. Imperatoris, Archiducis Auſtriæ, Belgij Gubernatrix. 1530.

2. Diſceſſit è vivis Albertus VI. Archidux Auſtriæ, frater Friderici IV. Imperatoris. 1463.

3. Ad finem devolvitur Concilium Tridentinum, Auguſtiſſimæ Domûs Auſtriacæ, potiſſimùm operâ promotum. 1563. Obit Hyppolitus, Cardinalis Eſtenſis, frater Herculis, Ducis Ferrariæ, cujus filio Alphonſo II. nupta fuit, Barbara Auſtriaca, filia Ferdinandi I. Imperatoris. Anno Chriſti. 1572.

4. Matthias Archidux Auſtriæ, Imperator Romanorum, nuptias celebrat Viennæ, cum Anna Archiduciſſa Auſtriæ, & Tyrolis. 1611. Naſcitur Ferdinandus, filius Philippi II. Regis Hiſpaniarum. 1571.

5. Obit Franciſcus II. Valeſius, Rex Franciæ, cujus ſoror Iſabella Valeſia, Philippo II. Regi Hiſpaniæ, nupta fuit 1560.

6. Rudolphus, Elector Saxoniæ, nepos Agnetis, filia Rudolphi I. Habſpurgij, obit. 1370. Eliſabetha, filia Alberti II. Imperatoris, deſponſatur Caſimiro, Regi Poloniæ, Vratislaviæ. 1453.

7. Albertus VI. Archidux, Ferdinandi IV. Imperatoris frater, ſepelitur Viennæ. 1463. Naſcitur Maria infans Hiſpaniæ, filia Philippi IV. Regis, ex Maria Anna Auſtriaca. 1655.

8. Sigiſmundus I. filius Caſimiri Regis Poloniæ, & Eliſabethæ Archiduciſſæ Auſtriæ, eligitur Rex Poloniæ 1506. Rudolphus, filius Alberti I. Imperatoris, ſponſalia celebrat cum Blanca, Philippi Pulchri, Galliæ Regis filia. 1299. Fridericus II. Pulcher, Auſtriacus, coronatur Imperator. 1314. Naſcitur Maria Anna, filia Guilielmi Ducis Bavariæ, poſteà Ferdinandi II. Imperatoris uxor. 1574.

9. Sigiſmundus Imperator, Rex Hungariæ, ſocer Alberti II. Imperatoris, Archiducis Auſtriæ, obit. 1482. Philippus III. Rex Hiſpaniæ, Archidux Auſtriæ, jubet Mauros ex Hiſpania, intra 30. dies migrare. 1609.

10. Henricus II. Elector Palatinus, gener Chriſtiani Regis Daniæ, & Iſabellæ Archiduciſſæ Auſtriæ, natus. 1482.

11. Conſtantia, Archiduciſſa Auſtriæ, filia Caroli Archiducis Auſtriæ, Ducis Styriæ, uxor Sigiſmundi II. Regis Poloniæ, nata Græcij. 1588. & recurrente eâdem die, celebrat nuptias, cum Sigiſmundo III. Rege Poloniæ. 1605. Obit Catharina, filia Erneſti Ferrei Archiducis, Marchioniſſa Badenſis. 1490. Obit & Alexander Farneſius, filius Margaritæ Auſtriacæ, 1592.

12. Buquo-

12. Buquojus, armis Ferdinandi II. Archiducis Austriæ, Moraviam recipit. 1620. Leopoldus I. Augustus Imperator, nuptias celebrat, cum Margarita Hispana. 1666.

13. Nascitur Elisabetha, filia Friderici Archiducis, Principis Tyrolensium, ex cujus partu obit Elisabetha, uxor ejusdem Friderici. Anna, filia Friderici III. Pulchri, Archiducis Austriæ, Romanorum Imperatoris, cum 26. Virginibus nobilibus, Viennæ, Monasterium Sanctæ Claræ est ingressa. 1344.

14. Emmanuel, Rex Lusitaniæ, gener Philippi I. Archiducis Austriæ, Regis Hispaniæ, obit. 1521. Obit Anna, uxor Matthiæ Imperatoris. 1618. Leopoldus I. Imperator Augustustissimus, tertias nuptias celebrat, cum Eleonora Magdalena Theresia, Palatina Neoburgica, Passavij. 1676.

15. Alphonsus V. Rex Aragoniæ, avus Eleonoræ, uxoris Friderici IV. Archiducis Austriæ, natus. 1393. Philippus II. Rex Hispaniæ, conjugi suæ Mariæ Anglæ, Bruxellis parentat. 1558.

16. Henricus, Princeps Lusitaniæ, frater Isabellæ, uxoris Caroli V. Imperatoris, Archiducis Austriæ, Cardinalis creatur. 1595.

17. Ernestus, Dux Bavariæ, Elector Coloniensis filius, Alberti V. & Annæ Archiducissæ Austriæ, natus. 1558. Sigismundus III. Rex Sveciæ, maritus Constantiæ Austriacæ, fit Rex Poloniæ.

18. Philippus Dux Bavariæ, filius Guilielmi Ducis, nepos Archiducis Austriæ, Episcopus Ratisbonensis, creatur Cardinalis. 1596. Nascitur Maximilianus Thomas, filius Ferdinandi III. Cæsaris, Viennæ. 1638.

19. Guilielmus, Marchio Misniæ, filius Friderici & Mechtildis Proneptis Rudolphi I. Imperatoris Habspurgij, natus. 1343.

20. Hartmannus, Alberti I. Imperatoris Austriæ frater, propè Scaphusium, Rheno mergitur. 1288. alij ponunt, 1281.

21. Leopoldus, Dux Austriæ, Richardum Angliæ Regem, Viennæ, ignoto habitu capit. 1194. Nascitur Franciscus Thomas, Dux Sabaudiæ, filius Caroli Emmanuelis, ex Catharina Austriaca. 1596.

22. Ferdinandus III. Archidux Austriæ, Imperator Romanorum, Ratisbonæ eligitur. 1536. Nascitur Maria Anna, filia Ferdinandi III. Imperatoris, Neostadij. 1634. Sebastianus Rex Lusitaniæ, filius Joannis IV. Regis, & Joannæ, Archiducissæ Austriæ, filiæ Caroli V. Imperatoris, natus, 1553.

23. Mechtildis, filia Rudolphi Habspurgij Imperatoris, obit. 1304.

24. Moritur Fridericus II. Elector Saxoniæ, gener Ferrei, Archiducis Austriæ. 1464.

25. Margarita, Archiducissa Austriæ, filia Caroli Archiducis, uxor Philippi III. Hispaniæ Regis nata. 1584. Obit Claudia, Archiducis Leopoldi, Tyrolen-

Tyrolensium Principis, vidua, Oeniponti. 1648. Naſcitur Margarita Auſtriaca, filia Caroli Archiducis, Græcij, poſteà Regina Hiſpaniarum. 1584.

26. Galeacius Maria Stortia, Dux Mediolani, ſocer Maximiliani I. Imperatoris, Archiducis Auſtriæ, occiſus in templo. 1577.

27. Rudolphus Imperator, creat Albertum filium, Ducem Auſtriæ, & alterum filium Rudolphum, Ducem Sveviæ. 1282. Naſcitur ex Eliſabetha Auſtriaca, Alberti II. filia, Caſimiro Regi Poloniæ, filius Joannes Albertus. 1459.

28. Margarita Auſtriaca, filia Caroli V. Imperatoris, Archiducis Auſtriæ, nata, poſteà uxor Octavij Imperatoris. 1522.

29. Naſcitur Caſimirus, Rex Poloniæ, Alberti II. Imperatoris Auſtriaci gener. 1427. Maximilianus I. Imperator, Stortiam Ducem Mediolanenſem, à Gallis pulſum, urbi, & dignitati reſtituit. 1512.

30. Ferdinandus Rex Catholicus, Caroli V. Imperatoris, Archiducis Auſtriæ, avus maternus, Granatam ad deditionem cogit. 1492. Maria Anna Joſepha, filia Ferdinandi III. Imperatoris, Ratisbonæ nata. 1654. Obit Ferdinandus Carolus, Archidux, Tyrolenſium Princeps. 1662.

31. Metenſis obſidio, à Carolo VI. Archiduce Auſtriæ, ſolvitur. 1552. Naſcitur Beatrix Princeps Portugalliæ, Emmanuelis Regis filia, ſoror Iſabellæ, Carolo V. Imperatori nuptæ. 1504. Obit Blanca Maria, Vice-Comes Mediolanenſis, uxor Maximiliani I. Imperatoris, Oeniponti. 1511. Ferdinandus III. coronatur Rex Romanorum, Ratisbonæ. 1636.



VARIÆ CURIOSÆ
OBSERVATIONES.
CENTURIA I.
SEU
Variæ circa Plantas obſervationes, & experientiæ.

I.



Imus, creta, & animalium ſangvis, ſi tempeſtivè arborum radicibus applicentur, præcoces eorum fructus reddent. Ratio eſt: quia probum, & efficax alimentum, iiſdem ſuppeditant.

2. *Herbarum tamen, & florum radicibus, prædicta admoveri non debent, niſi terrâ vel aquâ admixtâ.* Quia ſi calor eorum non attemperetur, teneritudini illarum, nocumento potiùs erunt.

3. *Modica foſſio terræ, circa arborum radices, maximi eſt ad incrementi earum felicitatem, conferendámque præcocitatem, momenti.* Laxantur námque ſic arborum radices, & ſuccum alimentitium ſugunt faciliùs.

4. *Sic etiam circa radices florum, & herbarum renovanda, aut ſaltèm invertenda eſt terra.* Emendatur enim hâc ratione, plantarum alimentum, ſeu ſuccus alimentitius, quo nutriuntur.

5. *Induſtrioſa retardatio, germinationis, & maturationis florum, ac fructuum gratiſſima ſolet eſſe, ob ſingularem raritatem.* Hujus autem varij ſunt modi: *Primus eſt; ſi vertex floris abſcindatur immediatè, poſtquàm germinaverit.* ſic roſa, ex. gr. caſtigata, circa Novembrem, redintegrante flore vernabit.

6. *Alter modus, ſi gemmas Roſæ, vel alterius floris decerpſeris, ubi in primos tumuerint nodos.* Ratio eſt utriúſque: quia ſuccus, futurum alioquin floris alimentum, propter reſectionem, & avulſionem ſeſe retrahit, & novum iterum germen, in alia parte plantæ, protrudere conatur, ad quod utique majus tempus requiritur.

7. *Tertius est, radices nudare circa finem Decembris.* Quia sic aliquamdiù prohibetur ſucci aſcenſus, ubi autem poſtmodùm radix terrâ injectâ contegitur, ſuccedit alter aſcenſus ſucci, ſed tardior.

8. *Quartus est: eximere fruticem è terra, ad aliquot menſes, antequam protrudat gemmas, & rurſus terræ imponere.* Ratio eſt: quia poſt exemptionem, tempus requiritur, priuſquàm terræ redditus, ſuccum attrahat, quod dum labitur, naſcituros retardat flores.

9. *Plantare frutices in locis umbram jacientibus, aut ad ſepem.* Nam ſic excluduntur ſolis radij, qui juvant plantas ad celeriorem attractionem ſucci, ac conſequenter, & admaturationem.

10. *Uſu probatum eſt, quòd ſi ſilices, lapidéſve, ad radices arboris ſylveſtris congerantur, dum primò plantantur, duplò citiùs creſcant.* Quia adventitium ſupernè humorem è radicibus arcent, & internum ad incidentem ſolis calorem, exhalare non permittunt.

11. *Arbor recens plantata, concuti non debet, donec ſolidatis inſiſtat radicibus; unde nonnulli, duobus furcillis arbores circa fundum concludunt, ut erectæ creſcant, ſed poſtquam annus firmaverit radices, prodeſt iiſdem concuſſio.* Quia hæc terram laxat, & ſuccum in arbore, per illam agitationem commovet, quorum utrúmque ad incrementum plantam juvant.

12. *Ut arbores in altum creſcant, germina, ſtolonéſque è radice intermedióque ſtipitis corpore pullulantes, tolli debent, ut verò in latum ſeſe effundant, in faſtigio detonderi.* Sic enim ſuccus alimentitius, qui diffunderetur ad partes illas inutiles, totus convertitur in ſubſtantiam, & truncum ipſius arboris.

13. *Arbores infœcundæ, perforatâ medullâ, ſterilitatem deponunt.* Cauſa fortè eſt, quòd arbor ſic liberatur ab obſtructionibus, quæ fœcunditatem impediebant.

14. *Pari ratione fœcunditas perdita redit arboribus, ſi radicibus diffiſſis, calculi lapidum inſerantur, ne fiſſura coire poſſit.* Sic enim hiante fiſſurâ, ſuccum neceſſarium, ad fœcunditatem faciliùs attrahit.

15. *Arbores radijs ſolis indigæ calidioris, plantandæ ſunt, ac conſtituendæ in aggere, meridiem versùs.* Cujus generis ſunt: armeniaca malus, perſicus, prunus, ficus vitis, & ſimiles. Ob duplicem ſitûs commoditatem, quarum altera eſt ex parte aggeris, per reflexionem, altera ex ſecluſione umbræ, & meliori ad ſolis radios oppoſitione.

16. *Emortuæ arboris reſuſcitatur vitalitas, circumfoſſis radicibus, quibus recens fimus applicatur.* In omnibus etenim rebus, nutrimentum, ſolitò meliùs juvat renovationem.

17. *Ubi radix aliqua fuerit impoſita terræ, validiùs terra circa radicem comprimenda*

 primenda

primenda est. Ratio est: quia sic humor prohibitus, ne plantæ intima pervaderet, longiùs in radice hæret, eamque dilatat.

18. *Si panicum in fimo radicis parti admoveatur, magnoperè eam excrescere facit.* Quia cùm substantiæ sit spongiosæ, exsugit copiosiorem terræ humorem, radicis alimentum, radicique cui appositum est, subministrat.

19. *Cribratio terræ, circa radices plantarum, & plantam, & fructum emundat.* Cum hac tamen cautela, ut cribrata terra, & radicibus imposita, sit melior illâ, cui stipes inhæret, adjuvatur enim sic planta, recentiori, ac vegetiori nutrimento.

20. *Incisio corticis in arboribus, tam ad perpendiculum, quàm transversum commodior est, quàm si sit continua.* Sic enim arbor, & in latum meliùs dilatatur, & in altum feliciùs promovetur.

21. *Fructum hinc inde, ubi justam ferè impleverit consistentiam, & maturitatem, dispersis notare punctiunculis, anticipatæ maturitatis quidam est stimulus.*

22. *Avulsio florum crebra, in arbore fructifera, arborem venustiorem reddit.* Quia multis floribus alendis, succus, & simul augmento ipsius arboris, minùs sufficit.

23. *Ab inoculatione plerúmque sunt fructus meliores.* Quia surculus inoculatus, trahit succum immediatè ex caudice, qui proinde nutrimentum magìs præparatum fructibus præbet, quàm qui ex cruda terra attrahitur.

24. *Aliquæ tamen arbores, feliciùs ex nucleo, quàm ex insitione subnascuntur.* Quæ scilicet requirunt humidiùs nutrimentum, utpotè quorum fructus naturâ suâ est frigidissimus. Nam licèt succus, ex caudice à surculo attractus, tenuitate & concretione præcellat, tamen humiditate & copiâ, cum alimento immediatè ex terra attracto certare nequit.

25. *Experimento constat, flores transplantatos fieri grandiores.* Quia per laxiorem terram, eámque renovatam, faciliùs & majus succedit incrementum.

26. *Resectus fici frondescentis vertex, facit ad fructus emendationem.* Quia sic in fructus copiosior succus affluit.

27. *Fæces vini radicibus arborum appositæ, & arbores grandiores, & fructus majores efficiunt.* Quia per eas restauratur vigor spiritûs in radicibus, unde majus capiunt augmentum.

28. *Cardui altiles terenescunt, & deponunt quidquid habent asperitatis, si capita seminum hebetet, & abradat silex.*

29. *Herbis teneritudinem & venustatem dabis.* Si ex areolis quamprimùm *enatas, in ollas meliori terrâ repletas transtuleris.* Est eadem ratio, quæ militat pro translatione florum.

30. *Aliquo-*

30. *Aliquorum sententia est, brassicas lætiùs crescere*, & sapore esse gratiores, *irrigatas quandóque salsâ aquâ, cui nitrum admixtum sit.* Sic enim spiritus salis aliàs urentes, mixtione nitri attemperantur.

31. *Ajunt nonnulli, magis teneros, delicatioréſque fore cucumeres, quorum semina paululùm in lacte fuerint macerata.* Rationem putat Baconus, quòd semen lacte emollitum, non ita crassos, sed tenuiores terræ succos attrahit.

32. *Transire hoc experimentum posset, ad carduos altiles, aliáque semina.* Par enim est illorum ratio.

33. *Si cucumeri enato, apponas ollam aquâ repletam, & quatuor, vel quinque pollicum intervallo remotam, intra breve tempus, mirum in modum extendet se germinatio.* Promovendo se planta versùs illud, unde adjumentum percipiat.

34. *Perforatio, seu terebratio arborum, non solùm fecundiorem arborem facit, sed & saniores, melioréſque fructus efficit.* Quia solùm illud succi dimanare patitur, quod digestioni sufficit, rejecto per sudorem viliore, ac inutili.

35. *Aliquæ herbæ odore, & sapore fiunt suaviores, relicto suo surculo, & reliquis post germinationem amputatis.* Ob longiorem succi in radice moram, & sic concretionem magìs elaboratam.

36. *Mixtura furfuris & fimi porcini, præsertim si priùs putrescat, insigne nutrimentum & adjumentum dant arbori fructiferæ.*

37. *Tradunt nonnulli cæpas nasci grandiores, si terrâ eximantur, & per aliquot dies, solis radijs exponantur, atque rursùs plantentur, quin etiamsi extremæ cuticulæ ambitu exuantur.*

38. *In solo arenoso profundiùs in terram immissis radicibus, plantandæ sunt arbores, in solo autem humidiore, minùs altè adactis.*

39. *In transferendis arboribus, ratio habenda est sitûs, ut ita dispositæ, septemtrioni & meridiei obvertantur, sicut easdem partes ante spectârunt.*

40. *Rosam ex allij vicinio, gratiosiorem reddi, multorum est opinio.* Potest id etiam ex eo provenire, quòd succus magìs fœtidus, attrahatur ab allio, fragrantior verò à rosa.

41. *Aliqui flores ad splendorem solis expandunt frondes, foliáque, ad absentiam autem ejusdem claudunt.* Non ex aliqua sympathia, cùm nihil sit eorum clausio, quàm frondium & foliorum prægravatio, & tumor circa partes infimas, ex aëris humido, qui radijs solis exsiccatos easdem extendit.

42. *Herba, quæ vocatur Ros solis, cùm sol medio orbe calidissimus, & altissimus est, plurimum roris frondibus inspersi gerit.* Roris matutini reliquiæ hæ sunt, quæ úsque ad meridiem perseverant, ubi in alijs herbis ros exhalando consum-

consumptus evanuit. Levibus siquidem & crassis folijs constat, quibus non ita facilè ros extergitur, ut in alijs herbis magìs porosis & spongiosis.

43. *Habere in una arbore fructus varios, non erit difficile, si in ramos, qui ex uno prodeunt stipite, inseras surculos variæ indolis, in solo opimo, & succi abundantioris.* Modò tamen talium fructuum sint surculi, quos non aversatur natura stipitis.

44. *Albi flores odore plerúmque longè sunt infra alios, ejusdem speciei alio colore conspicuos.* Ratio est: quia substantia floris est ex eo, quod in planta tenuissimum purissimúmque est, jam si illud parùm eliquescit, langvebit, inefficáxque odor erit, hujus autem indicium est, color albus, qui infimum locum inter colores tenet.

45. *Hinc cariophila, uti & violæ coloratæ, si negligantur, néque irrigentur, néque transplantentur, ita degenerant, ut albescant.*

46. *Excipiuntur tamen ab hac regula flores plantarum valde succulentarum.* In quibus scilicet potiùs nutrimenti alimentitij diminutio, quàm augmentum ad fragrantiam exquisitam odoris requiritur.

47. *Ex semine cariophyli, unius speciei, varij coloris cariophyla prodeunt.* Ex diversitate succi, quem ejusdem licèt areolæ, terra suppeditat.

48. *Crebra translatio in terram novam, florem reddit duplicem,* contrà, *negligentia transplantandi, ex duplici simplicem facit.*

49. *Germen, aut surculus leviter emedullatus, fructus profert, aut non omninò, aut parùm osseos.*

50. *Tradunt & malum citreum, si inseratur arbori cotoniæ, aut parùm seminis, aut nihil habiturum.*

51. *Ex vulgi etiam traditione habetur, arbores, quæ continuè aquâ calidâ irrigantur, fructum edituras cum exili, aut prorsus nullo ossiculo.*

52. *Semina admodùm vetusta, nondum tamen omnino destituta vigore, plantam degenerare specie faciunt.*

53. *Consenescentes arbores, plùs musci proferunt, quàm juvenes.* Quia illarum succus, ita vegetus non est, ut totus abeat in ramos, sed in via, velut delassatus subsistit, muscóque gignendo impenditur.

54. *In terra argillacea, facile arbores fructiferas muscus obsidet.* Ex ejusdem lentore, & viscositate succum comprimente, & ascensus ejusdem, ac dissolutionem proportionatam impediente.

55. *Vulgari experientiâ habetur, quòd in ambulacris, denso sabulo constratis, terra primo anno, nudum gramen ostendat, posteà verò gramen spicatum.* Causa est, durities glareæ, aut calculi primùm projecti, quæ gramen assur-

gere non

gere non patiuntur, sed detorquent ad partem, ut quâ datâ viâ exeat, postmodùm verò relaxatâ terræ superficie, commune gramen emergit.

56. *Ex relatu habetur, terram Indicam, aliarúmque Regionum Americarum, in Europam translatam, ac dein soli, ac imbribus expositam, herbas peregrinas, ac exoticas, Europeis incognitas produxisse.* Diversæ quidem partes terræ, habent diversam quóque sibi innatam vim seminalem.

57. *Fructuum aliqui geminantur, ut videre est in pomis, avellanis, cerasis. &c.* Sunt hi ex eorum genere, qui nutriuntur pleniùs, majorémque succi copiam facilè attrahunt.

58. *Quædam plantæ, seu herbæ, unico tantùm anno durant, átque hoc temporis circuitu prorsus, cum suis radicibus, emoriuntur, ut lactuca, cucumeres, melones, átque omne frumenti genus.* Ratio est, seminis teneritudo, átque debilitas, ac consequenter vitalitatis brevitas.

59. *Aliæ verò in complures annos integræ perstant, ut hysopus, levendula, fœniculum. &c.* Ob contrariam scilicet rationem.

60. *Arbores glandiferæ, ut quercus, fagus, juglans, amigdalus, pinus, durabiliores sunt arboribus pomiferis.* Quia magìs pingvi, & oleinoso constant succo, qui consumptioni magìs resistit, quàm aqueus.

61. *Similiter arbores, quæ seriùs frondescunt, & tardiùs defrondescunt, longævitate illas excedunt, quibus frondes citiùs enascuntur decidúntque.* Tardior námque productio, fixum humorem arguit, cita verò magìs laxum, adeóque magìs resolubilem.

62. *Ex eadem ferè ratione, agrestes arbores, longiori ævo durant, quàm hortenses, & ex his diutiùs, quæ acidos, quàm quæ dulces fructus ferunt.*

63. *Nihil est, quòd æquè conducat prolongandæ arborum vitæ, quàm frequens putatio.* Hæc enim quoties repetitur, succum plantæ renovat, átque simul coërcet, ne tam latè effusa luxuriet, ne tam langvidè adolescat, quàm si amputatione caruisset.

64. *Arbores & herbæ in ramis producendis, non habent figuram, nec ordinem sequuntur.* Causa est: quia succus in cortice repressus, destinatus pro ramis, non simul prorumpit, sed fortuitò se exerit viâ, quæ datur in cortice.

65. *Quædam nihilominus dispersos magìs exeunt in ramos, ut ilex, pirus hiberna, malus cotonia, mespilus, citrea.* Causa, cur ita dispergant ramos, est festina succi proruptio, unde justâ proceritate corpus non efferunt, sed oberrantibus circa terram ramis.

66. *Quædam autem exactiori pyramide fastigiantur, ut pyrus, malus, durantia, abies, tilia, &c.* Causa est: succi repressio longè antequam ramos emittat, ejúsque æquali gradu, consumptio simul, ac illi prodeunt.

67. *Quædam*

67. *Quædam verò magis in vertice expansæ sunt, ut fagus, &c,* Ex succo copioso sursum delato, sine consumptione, ac dein simultaneâ festinatione prorumpente.

68. *Arbores ut plurimùm priùs frondescunt, quàm florescant.* Nam frondes non requirunt tam accuratè percolatum, & tam probè excoctum succum, veluti flores.

69. *Paucæ tamen illarum florent, antequam frondescant, ut amigdalus, malus persica, cornus, spina nigra, &c.* Ob oppositam rationem, in his siquidem succus facilè percolatur, & sic facilè quóque erumpit in flores.

70. *Quasdam plantas totâ hyeme viror non deserit, veluti: Ilex, hedera, buxus, abies, taxus, cypressus, juniperus, laurus, rosmarinus.* Causa viriditatis integræ est, arctior firmiórque foliorum, & pediculorum, quibus ramis adhærent substantia, átque hujus iterùm causa est, tenax & viscosus plantæ succus, aut vigor ac calor.

71. *Ficus indica, ramos suos intra unum annum, adeò incurvatos demittit, ut spontè novas agant radices, quibus denuò ex se invicem multipliciter auctis, una arbor speciem nemoris exhibet.* Causa est, copia succi, caudicísque mollities, quæ ramos si nimiùm onerantur, nec validè sustentantur, deprimit.

72. *Sunt & plantæ, quæ vestiendo inserviunt homini, ut sunt: canabis, linum, gossypium. &c.* Quorum scilicet caudex suppeditat materiam filaceam, aliquando verò sola lanugo, plantæ innasci solita.

73. *Plantarum plerarúmque semina, prævalent odore, & sapore, frondibus, aut radicibus,* Quia, quotquot plantas asper & acer spiritus non vegetat, earum virtus concretione, & maturatione augescit, hæc verò semper magis conspicua sunt in semine, quàm in frondibus aut radicibus.

74. *Hinc plantæ, quas acer fovet spiritus, in radice efficaciores sunt, quàm in semine, ut patet in cæpis, & in allio.*

75. *Sunt & plantæ radicibus calidissimis átque aromaticis, seminibus autem insipidis, ut zinziber.* Calor siquidem hujus plantæ, admodum dissipabilis est, qui sub terra cohibitus invalescit, ad aëris autem sensum exhalat evanidus.

76. *Complures arbores, præcipuè ex glandiferarum genere, semel tantùm biennio frutescunt.* Causa proculdubio est, succi consumptio.

77. *Nulla datur arbor, quæ tot spurias fructuum soboles alat, quot quercus. Nam præter glandes, producit gallas, poma quandóque & nuces, quæ inflammari possunt, baccas quóque parit firmiter arbori inhærentes, sine caudice, viscum item, fungorum insuper duplex genus, quorum unum in radicibus, quercûs invenitur, & Romanus bolus nuncupatur: alterum summitates quercuum occupant, & agaricum vocatur.* Causa in tot effectus sufficiens potest refundi, in

di, in compactum ligni corpus, & in soliditatem medullæ quercûs, quæ varios succos, variè exerit.

78. *Arborum aliquæ, & ut plurimùm melioribus & copiosioribus fructibus, inferiores ramos ditant.* Quia hæ umbram superiorem ramorum, magìs in adjumento habent, quàm ut eadem illis obesse possit.

79. *Econtra, aliæ in superioribus partibus arboris, meliores & copiosiores fructus habent.* Quia hæ ad fructuum suorum maturitatem, fortiores radios solis requirunt.

80. *Interim universaliter loquendo, optimi sunt fructuum infimi.* Hi enim ex succo optimo, miniméque effæto, qui brevissimam peragit viam, generantur.

81. *Nonnullas arbores, ipsa senectus & annositas facit fertiliores, cujusmodi sunt amygdalus, pyrus, & omne genus glandiferarum.* Quia glandiferæ arbores, fructus alunt oleosos, tenellis autem arboribus, inest succus magìs aqueus, minúsque concretus.

82. *Fructus quidam ante maturitatem dulcescunt.* Quia copioso, subtilique spiritu pollent, qui utíque dulcoris causa est, & parens.

83. *Quibusdam autem nunquam maturitas dulcorem conciliat.* Quia hi frigidum & acidum continent succum, quem calor solis, ut dulcescat, percoquere nequit.

84. *Aliquarum plantarum frondes, & folia crispantur.* Ex magna scilicet humoris copia, qui tam continuè prorumpens pergit, ut ad æqualitatem distribui nequeat, per omnes partes plantæ, sed necessè est, ut alibi neglectus subsistat.

8 . *Nonnullarum arborum radices, profundè immerguntur terræ.* Quæ nimirùm potiùs frigore gaudent, quàm radijs solis. Uti sunt, quercus, abies, pinus, &c.

86. *Aliæ verò radices suas, circa terræ superficiem effundunt.* Uti sunt cypressus, oliva, &c. Utpotè quæ liberaliùs sole admisso, gaudent.

87. *Alijs arboribus lignum puriùs, alijs nodosius est.* Experimentum prioris est, si ab uno extremo loquenti sermo, ad aliud extremum captetur, nodosa enim difficilem voci transitum præbent.

88. *Tepidæ néque gelu hyemes constrictæ, enecant subinde arbores.* Fatiscit siquidem telluris, nimium consumptus humor.

89. *Econtra & rigidæ ac siccæ hyemes, quandóque emori faciunt arbores.* Ob contrarium excessum frigoris, omnem succum arboris exsiccantis.

90. *Nix, si diutiùs sparsa, terram tegat, fœcunditatis index eo anno censetur.* Nam & soli vigorem dilabi non patitur, & humectandi partes, pluviâ

 potiores

ootiores habet, tum quòd terra ſenſim & interpollatim, velut uber exſugat, tum quia nix tenuiſſimo humore conſtat.

91. *Imbres, ſi paulò antevertant maturitatem, ſucculentis humidíſque fructibus læti cadunt.* Ita tamen, ut plus faciant ad copiam, quàm fructuum dignitatem.

92. *Modici autem imbres, frumento quóque proficui ſunt.* Nam attemperant ſolis æſtum, ne nimiùm ſegetes torreat.

93. *Cæteris paribus, imbres nocturni, utiliores ſunt, quàm diurni.* Quia adurens ſolis calor non ita propè eos ſubſequitur.

94. *Hinc & irrigatio per æſtatem uſurpata, melior eſt veſpertina, quàm diurna, vel matutina.*

95. *Terra, quæ poſt pluvias ſe vix ſubigi aratro patitur, plerúmque fœcunda eſt.* Utpotè tenax & ſucci plena.

96. *Terra, quæ effoſſa, aut arata ſuavem odorem edit, cenſetur optima.* Ob præſtantiam ſucci, quem paratum vegetabilibus favet.

97. *Sic & quæ hauſtis imbribus facillimè molleſcit, commendari ſolet.* Si tamen dura admodùm & ſicca, ante imbres extitit.

98. *Lolium, quàm inimicum ſit frugibus, nemo eſt, qui ignoret, in quod ſæpè frumentum ipſum degenerat.* Naſcitur hoc ex conſiti frumenti debilitate, quod vel vetuſtiùs, vel mucidum ſi fuerit, lolium profert, aliquando hujus rei cauſa eſt, ſatietas terræ continuans frumenti generis ejuſdem proventum, unde non ſolùm interquieſcere terram convenit, ſed & ſemen commutari.

99. *Nimia quóque luxuries frumenti, eidem nociva eſt.* Hoc tamen incommodum facilè tollitur, aut ſuperfluitatem illius demetendo, aut immiſſis ovibus depaſcendo.

100. *Addunt tamen aliqui frumentum, ſi ſic demetatur, grana quidem fore longiora, ſed magis caſſa, plúſque habitura ſiliquæ.*



CENTU-

CENTURIA II.

Experientiarum & obſervationum Miſcellanearum, cum naturali ratione uniuſcujúſque.

I.

Puteus effoſſus paulò ſupra, quàm extremus maris fluxus excurrit, eâ profunditate, quæ reſpondeat ultimo refluxûs maris decremento, ab æſtuante ſalſiſſimo mari, repletur aquâ dulci, potuíque accomodâ. Ratio: quia aqua maris ſubingreſſa arenas percolatur, átque hâc percolatione, ſalſedinem ſuam deponit.

2. *Liquor, ſi per laneum ſaccum percolatur, pingvedinem deponit, ſi per arenam, deponit ſalſedinem.* Ratione diverſæ raritatis, & denſitatis mediorum, per quæ percolatur.

3. *Gummi arborum apparet pellucidum & clarum.* Nam non eſt aliud, quàm tenuis, ſubtilis, ac depurata percolatio ſucci arboris, per lignum & corticem.

4. *Plumæ avium vividi, majoris caloris ſunt, quàm pili animantium & beſtiarum.* Quia humor excrementitius animantium, qui æquè conſtituit plumas in avibus, ac pilos in beſtijs, plumæ enim tranſeunt pennas, pili verò cutem.

5. *Adamantes & carbunculi, è rupibus collecti, mirum in modum ſplendent.* Nam hi ſubtiles tantùm lapidis exſudationes ſunt.

6. *Cùm aliquod corpus glutinoſum, liquoribus immixtum, cum iiſdem agitatur, clarificantur liquores.* Præſtat ſiquidem hic motus, ut craſſiores partes adhæreant glutinoſo corpori, átque hoc modo tenuiores liquoris partes craſſioribus exolvantur.

7. *Sic Pharmacopolæ clarificant ſyrupos albumine ovorum, permixto & agitato in ſuccis clarificandis.* Nam albumen omnes fœces, & craſſiores partes colligit, & poſtquam ſyrupus impoſitus eſt, albumina ovorum indureſcunt, & eximantur.

8. *Aqua decurrens cryſtallina, ac pellucida fit, projectis ac impoſitis ad caput ſcaturiginis calculis.* Per eos enim decurrendo percolatur, ac conſequenter etiam depuratur.

9. *Si per vitrum aquâ repletum, digitus madefactus circumferatur, ad vitri*

marginem, duriusculè illud premens, post modicum temporis spatium, aqua crispatur, & in tenues subsilit rores. Nam pressio digiti madefactione facilitata, post aliquod spatium, omnes vitri particulas ad operationem ciet, ut aquam acriter feriant, quæ percussio gignit aquarum subsultum.

10. *Si percutias corpus solidum & fragile, cujusmodi est ex. gr. vitrum, non solùm frangitur eâ parte, quâ vis proximè expressa est, sed disrumpitur circumcirca, in segmenta & ramenta.* Motus enim ex tali pressura ortus, explorat omnes vias, ac disrumpit eas partes corporis, quas maximè imbeciles reperit.

11. *Pulvis pyrius, in tormento accensus, aliquando tormentum disrumpit, aliquando illud retro cedere facit, sed communiùs globum explodit.* Nam pulvis pyrius (ubi dilatatus fuerit in tantam flammam, quæ compressionem non patiatur) circulariter movetur, átque eam in partem impetum facit, per quam facillimam liberationem reperit.

12. *Pulsatum tintinabulum sonos edit, qui impositâ eidem manu protinus cessant, sic & sonus cimbali, simul ac oram tunicæ injectam sentit, desinit.* Quia hi soni producuntur à subtili percussione minimarum partium tintinabuli, aut fidium, aëri impressa, cujus dein propagatio impeditur, per manus impositionem, vel vestis injectionem.

13. *Herbæ medicinales, per longam moram liquoribus immersæ, non addunt iisdem vim medendi, quin potiùs eandem enervant, quod sanè mirum cuipiam videri poterit.* Sed ratio est: quia longa mora terrestres, simul partes herbarum medicinalium prolicit, tenuioresque corrumpit.

14. *Hinc in corporibus, quæ spiritibus constant tenuioribus, ut qualitates suas liquoribus validiùs imprimant, servanda est hæc regula, ut longior mora illis non concedatur, sed repetatur potiùs corporis infusio.* Sic, si recentes violæ justo pugillo, duabus pintis aceti injiciantur, átque per tres quadrantes horæ jacere permittantur, rursúsque eximantur, átque sæpius eâdem quantitate, aliarum semper, & aliarum violarum injectio, similiter reintegretur, efficiunt acetum mirum in modum fragrans odore florum.

15. *Hinc etiam folia borraginis, esto excellenti spiritu valeant ad discutiendos melancholiæ vapores, nihilominus tamen, si diutiùs infusa maneant, crudam tantùm præbent substantiam, omnis virtutis expertem.* Atque eadem est ratio, de aliis plantis, ac herbis medicinalibus.

16. *Quotidianæ quidem & vulgaris experientiæ est, cadentem vehementi impetu pluviam, in bullas, ad formam hemisphærij, hujus tamen causam vulgus ignorat, adeóque admiratur.* Causa autem hujus est: quòd per percussionem illam impetuosam cadentis pluviæ, partes aëris vicini celeriter ascendant

átque

atque à ſupervenientibus alijs guttis pluviæ concludantur. Nihil igitur aliud eſt bulla, quàm aër concluſus ab aqua. Cauſa vero rotunditatis in bulla eadem eſt, & quò ad membranulam aquæ, & quò ad aërem incluſum, nempe innatus appetitus continuationis, aër enim æquè ac aqua ſeparationem fugit, ideóque ſe in rotundam figuram convolvit, hæc enim figura maximè diſcontinuationem corporis prohibet.

17. *Datur ſimile quid in bullis, quas pueri ex ſufflatione in aquam ſapone mixtam conficiunt, & hæ diutiùs etiam durant, quàm bullæ pluviales.* Utpotè quæ nullum tenacitatis gradum, ex ſapone acquirunt.

18. *Cepæ ſuſpenſæ ſpontè germinant, uti & pulegium, ſed vel maximè major ſemper viva, quæ frondes gerit per duos tréſve annos, præſertim ſi radix illius linteo oleato involvatur.* Cauſa eſt: validus, denſus, & ſucculentus in iſtis plantis humor, qui non facilè exhalat, adeòque & ſi ex terra nihil ſubſidij accipiat, germinationi tamen ſufficit, quæ extremo vere, aut primâ æſtate fit, temporibus germinationi accommodis.

19. *Mercurius, (licèt maxime crudum & aquoſum corpus ſit) calefactus tamen, arctéque concluſus, eâdem cum pulvere pyrio vi pollet.* Ob nitri ſcilicet copiam, quàm in ſe continet. Nitrum enim abundans crudo & flatuoſo ſpiritu, ignis calore ſe dilatat, & ubi dilatatum fuerit, foras flatu propellit flammam, velut internus follis.

20. *Maſſa metalli crudi, quæ in fundo funiculi moveri & provolvi poteſt operâ duorum virorum, translata in terræ ſuperficiem, junctas ſex virorum ad minimum vires requirit, ut loco dimoveatur ſuo.* Probabile enim admodùm eſt motum gravitatis tardiùs operari in magna diſtantia, à terra, quàm terra interiori.

21. *Vas repletum cineribus, recipit eandem aquæ quantitatem, quàm ſi vacuum eſſet.* Id quidem pro certo habebatur ab aliquibus, ſed planè falſum eſt, quintam enim partem vix imbibit. Cujus ratio deſumitur, ex differentia in laxius arctiúſque locatis cineribus, cum aëre enim cineres laxius ſpatium occupant, cum aqua multò arctius.

22. *Si acinorum multitudo apponatur vitis radicibus, maturius illa feliciúſve fructificat.* Grana enim acinorum, proliciunt è terra ſuccum nutriendæ vitis aptum, utpotè, quæ naturâ ſuâ, in vites formari appetunt, ſed quia radices vitium majori virtute pollent, omne nutrimentum ab acinis attractum, ad ſe attrahunt, illúdque conſumunt.

23. *Vehemens motus, ventrem ſolvit.* Quia calore intus ad cor refugo, inteſtina, aliæque partes laxantur. Ex eadem cauſa, repentinus metus etiam tremorem in nervis excitat.

24. *Nitrosa aqua, lineas vestes facilè depurgat, abstersísque sordibus nitidas reddit.* Nam vi suâ maximè viscosos, & tenaces humores fluidos reddit.

25. *Alimenta, meliùs in somno, quàm in vigilia digeruntur.* Tum quia somnus alimenti distributionem in partes meliùs promovet, tum quia spiritus vitales & animales in somno, meliùs alimentum consumant.

26. *Hinc somnus pomeridianus immoderatus nocivus esse censetur.* Ob præproperam scilicet alimenti digestionem.

27. *Varios morbos chronicos (quales sunt quartanæ) sæpiùs excessus & ingluvies curat.* Quia tales excessus excitant, & irritant naturam, quæ sic vehementiùs in morbum insurgit.

28. *Videmus in lusu puerorum, qui tentant, an unâ manu pectus fricare, & alterâ frontem percutere possint, à continuo, aliquando ambabus fricare & percutere manibus.* Provenit id ex magno harum partium corporis consensu, qui sanè ingens est in humano corpore, varias inter partes ejusdem.

29. *Ferrum, aut lapis cervici applicatus, sangvinem sistit è naribus.* Quia frigiditate suâ, spiritum & sangvinem ad interiora retrahit, aut certè condensat, & sic fluiditatem sangvinis coërcet.

30. *Nautæ in mari, per noctem vellera suspendunt ad latera navium, lanâ aquæ obversa, & manè dulcem aquam exprimunt ad suos usus.* Humidis scilicet aëris partibus aquæ vicinis, in aquam conversis, vel tenuioribus partibus aquæ ad se attractis.

31. *Hinc sæpè agrestes in emptorum fraudem, sub lana recens detonsâ, situlas aquæ plenas constituunt, ut lana pondere augescat.* Nempe humore aquæ ad se attracto, aut ex simili partium humidarum aëris in guttas aquæ conversis.

32. *Relatum est à fide dignis, quòd in India Orientali, labrum aquâ repletum, & sine operculo constitutum, ubi cariophyla servantur, spatio viginti quatuor horarum exinanitum reperiatur.* Quod aliter fieri nequit, quàm per partium aquæ à calore cariophylorum attractionem.

33. *Sic videmus spongiam, lanam, saccharum, aut lineam vestem, alterâ parte vini, aut aquæ vasi superpositam, altiùs humorem imbibere.* Ex eadem ratione.

34. *Ad oculum quóque patet, lignum, fides, testudines, & alia his similia, cœlo humido intumescere.* Ex prædictis jam duabus rationibus.

35. *Sic etiam conspicimus marmora, alióśque lapides, & opera tabulata, ante jam humida, cœli temperie, copiosè exsudare.* Qui humor nihil est aliud, quàm humidus condensatúsque in duro corpore aër.

36. *Hinc videmus lignum oleoso colore illitum, citiùs colligere guttas per*

noctem

noctem vaporosam, quàm lignum per se. Quod fit ex levigatione & densitâte, quæ nullum admittit vaporem, repulsúmque condensat in rorem.

37. *Pari ratione cernimus, quòd exhalatio in vitrum, aut corpus levigatum cadens, efficiat rorem, & per matutinum gelu, comperimus guttulas roris interiori fenestræ parti adhærescere.*

38. *Imò ipsum gelu, in terra seu pruina, nihil est aliud, quàm versio, aut condensatio, quâ humidiores noctis vapores, in aqueam substantiam abeunt, & à frigore superveniente condensantur, ac congelantur. Similiter ros est solùm concursus vaporum humidorum, & condensatorum.*

39. *Induratio substantiarum molliorum, tribus efficitur rationibus. Primò, frigore, cujus proprietas est condensare, ac constipare. Secundò, calore, qui idem præstat, non quidem per se, sed per consequentiam. Calor enim attenuat, attenuando propellit spiritus, humidiorésque corporis partes: inde crassiores, tangibilésque partes se contrahunt, ne detur vacuum, átque ita se muniunt adversùs vehementiam ignis, quam sustinuerunt. Tertiò, assimilatione, quando corpus durum assimilat molle sibi contiguum.*

40. *Hinc datur ratio, quomodo in summa etiam æstate, frigus deductum, admixto nitro & sale, salem in glaciem convertat, idque brevissimo temporis spatio.*

41. *Item qualiter lignum, vel argilla, si quis metallicis, quæ potentiali frigore præditæ sunt, imponatur, justo spatio temporis, indurescant.*

42. *Item, qualiter certi quidam naturales fontes, lignum in lapidem convertant, verisimile enim est, aquas similium fontium metallicam quandam obtinere mixturam.*

43. *Item, unde metalla vaporata, ex calefactione, & extinctione in frigido, magis indurescant.*

44. *Porro induratio per calorem fit, ob exhalationem partium humidarum, átque sic indurantur lateres ac tegulæ per vehementem ignem, qui tamen si sit vehementior, ipsas duriores partes liquefacit, ut videre est in vulgari artificio vitri, ac in vitrificatione terræ, & in vitrificatione laterum, ac metallorum.*

45. *Exempla verò indurationis, per assimilationem præbent lapides in terra argillosa, proximè superficiem terræ, ubi calculi sunt, in quibus manifestè conspicere datur, varios calculos congregatos, & crustam cœmenti aut lapidis interpositam, pari cum calculis duritiâ.*

46. *Similiter videmus, in ruinis vetustissimorum murorum, præcipuè in fundo, cœmentum tam evadere durum, ac later est.*

47. *Ex hac ipsa eadem ratione, lignum ad latera vasorum vinariorum,*

crustam tartari colligit, quæ lignum duritie superat, sic dentibus quoque nascuntur crustæ.

48. *Cathari præcipuè in somno generantur.* Quia in somno concurrente introrsum ad præcordia calore, multa fit effumatio, cerebrum autem frigidiùs evadit, ac illos fumos constringit.

49. *Quidam dormientes loquuntur.* In his vel non integrè, vel non omnes sensus ligantur.

50. *Quidam sibi videntur dormientes suffocari.* Ij nempe qui sunt crudo stomacho, & insuper jacent supini.

51. *Febricitantes distorta habent somnia.* Quia vapores inordinatè ascendentes, turbant eorum imaginationem.

52. *Qui profundissime dormiunt, nihil somniant.* Quia nimis alligatur sensus interior illorum.

53. *Ij, quos lunaticos vocant, noctu deambulant dormientes.* Hoc fit per phantasma vehemens, quòd impulsus potentiæ loco motivo sequuntur.

54. *Quin etiam ijdem ardua conscendunt, dormientes.* Id evenit, quia sangvis in ijsdem ardet seu fervet, sicque eosdem leves facit, ut faciliter quovis dato sibi impulsu, se in altum tollant.

55. *Aliqui infirmi diutiùs vivunt, quàm aliqui sani.* Quia aliqui infirmi plus humidi radicalis caloris habent, quàm multi sani.

56. *Quosdam præ gaudio nimio, & inopinato, mortuos esse scimus.* Quia gaudium insolitum ac profusum, spiritum, calorémque naturalem tam vehementer à corde in humanum corpus effundit, ut cor beneficio caloris penitùs destituatur. Item, idem accidit quandóque ex vehementi ira.

57. *Quidam verò ex nimia tristitia, ac metu, mortem obeunt.* Ob contrariam scilicet rationem, in metu siquidem, & tristitia nimia, totus calor vitalis evolat ad cor, illúdque interdum suffocat.

58. *Aliquando morituri se sentiunt melùs habere.* Quia tunc natura, juxta omnes vires operatur, eásque colligit.

59. *Pueri valde ingeniosi, citò moriuntur.* In his enim cerebrum est justo siccius, unde processu temporis, hoc magis exsiccatur, & sic vel moriuntur, vel stulti fiunt.

60. *Moribundorum signum est- si in furorem æger agatur.* Tunc enim jam bilis, suo loco naturali movetur, & cerebrum occupat.

61. *Item si circa se res colligere videantur.* Hoc enim procedit ex cordis angustiatione.

62. *Animalium mortuorum corpora sunt graviora, quàm viventium.* Quia deest in illis calor, qui corpus attenuat, & facit levius.

63. *Valde obesi sunt obnoxij subitaneæ morti.* Quia tantum est in illis humidi, ut à calore superari non possit, itáque manet aqueum, quod tandem calorem suffocat.

46. *In aliquibus Regionibus, homines vivunt diutiùs, quàm in alijs.* Adscribendum est bonitati aëris, & victûs rationi.

65. *Macilenti ut plurimùm moriuntur, calore peracuto.* Quia minùs habent humidi, quàm quod possit calori sufficere, ideo radicale humidum accenditur, & consumitur, ac mors sequitur.

66. *Martius mensis censetur hominibus periculosus.* Quia ut docet Hipocrates libr. 3. Aphorismo 1. mutationes temporum potissimùm pariunt morbos, & in ipsis temporibus, magnæ mutationes frigoris & caloris, cæterarúmque qualitatum ad proportionem his correspondentium. Hæ autem mutationes vel maximè fiunt in Martio. Ergo. Quòd autem periculosæ sint magìs senibus, quàm juvenibus, ratio est: quia in senibus sunt minores ac debiliores vires, ad mutationi, & perturbationi temperamenti corporis, resistendum.

67. *Apud senes plùs est consilij, quàm apud juvenes.* Quia consilium pertinet ad prudentiam, prudentia verò indiget tempore, & experientiâ, quæ major est in senibus, quàm juvenibus.

68. *Amentes, plerúmque viribus pollent.* Quia calore illo interno, quô ardent, nervi indurescunt, habent præterea spiritus copiosos, dum in illis sangvis bullit.

69. *Quidam dementes, in una tantùm materia delirant, in alijs non.* Quia in talibus non tota imaginatio turbatur, sod solùm pars.

70. *Alij, alijs, circa easdem res, subtiliùs discurrunt.* Procedit id ex subtilitate phantasmatum, quæ intellectus sequitur.

71. *Nimia melancholia mentem turbat.* Nam melancholicus humor inficit cerebrum, reddítque spiritus crassos, qui mentem offendunt.

72. *Cholerici & sangvinei, non inhærent diù cogitatione eidem objecto.* Nam ob copiam materiæ, plurimos habent vitales, & animales, eósque lucidos spiritus, qui dum frequenter hinc inde erumpunt, jam hoc, jam illud phantasma illustrant, quod illustratũ modò hanc, modò illam excitat cogitationem.

73. *Bestiæ iratæ spumant.* Quia calor ex ira in pulmone calefactus, cum impetu fertur ad fauces, & sic salivam in spumam inflat.

74. *Vehementer irati incalescunt.* Quia in illis præter solitum, ob concursum spirituum, cor incalescit, & sangvis illi vicinus ebullit, & sic corpus quóque incalescit.

75. *Aliquando tamen irati, pallent.* Quod fit, cùm totum sangvinem cor ad se reducit.

76. *Hydropici, licèt aquâ ſint pleni, potenter tamen ſitiunt.* Quia hydropicorum aqua ſalſa eſt, idcirco magìs urit, quàm refrigerat.

77. *Citiùs extingvit ſitim aqua vino mixta, quàm ſola aqua, vel vinum.* Nam vinum ex ſe calefacit, non refrigerat, cùm verò vinum ſit ſubtile, corpus citò pervadit, aqua autem eſt frigida, & refrigerat, ſed non ita corpus ſubintrat, ac proinde non poteſt ubique calorem mitigare, ſed cùm vinum eidem admiſcetur, jam membra facilè permeat.

78. *Medicina ſine neceſſitate ſumpta, nocet.* Nam ſi medicinæ non inveniant malos humores, quos extrahant, requiſitos ad ſanitatem humores perturbant, imò carnem ipſam & ſangvinem ſolvunt, ac dejiciunt.

79. *Quædam medicinæ ſolùm olfactæ, movent.* Nam per odoratum ſubtiliores illarum partes excipiuntur, & per guttur ad ſtomachum deſcendunt, ſicque naturam commovent.

80. *Nimius cibus & potus ſanitati nocet.* Quia natura tantam copiam cibi & potûs non perfectè concoquit, quæ proindè in humores noxios vertitur.

81. *Aliqui multùm edunt, néque tamen pingveſcunt.* Quia vel multùm calent, vel cibos indigeſtos remittunt, vel exiguâ virtute tractivâ præditi à natura ſunt, quæ proinde modicum in membra deducit.

82. *Ebrij, non eodem modo inſaniunt.* Provenit id, ex diverſitate complexionum. Nam potus in ventriculo calefactus, ut in aheno, reſolvitur in vaporem calidum, qui dum petit caput, cerebrum accendit, & quandam ſpeciem inſaniæ excitat, ac phantaſmata diverſa in diverſis proportionata ſingulorum naturis & complexionibus commovet, ad quæ diverſitas etiam inſaniæ conſequitur.

83. *Hinc aliqui in ebrietate in furiam aguntur, & rixas ac contentiones excitant.* Tales ſunt bilioſi, in quibus per exceſſivum calorem vini, cum vapore fumi bilioſi ad caput aſcendunt, & phantaſmata commovent ſibi conformia, id eſt ad iram moventia.

84. *Alij verò exceſſivè hilareſcunt.* Tales ſunt melancholici, in quibus vapor vini atram bilem frigentem diſſipat, & ſic in lætitiam diſſolvuntur. Tales ſunt & ſangvinei, in quibus ebrietas ſangvinem calefacit, & ſic hilaritatem inducit.

85. *Alij triſtantur.* Hoc quóque melancholicis contingit, quando ſcilicet vapor vini, in ijſdem atram bilem non penitus diſſipat, ſed ſolùmmodò commovet.

86. *Alij etiam in lacrymas ſolvuntur.* Tales ſunt phlegmatici, in quibus ebrietas humores, quibus abundant, ſolvit.

87. *Timor ingens, inducit sitim.* Quia per metum, calor ad interna regreditur, hic autem regressus caloris, guttur exsiccat, & ita sitis oritur.

88. *Hyeme, minus sitimus.* Sitis quidem nihil aliud est, quàm appetitus frigidi & humidi, hyems verò refrigerat, ideò jam ex parte siti satis fit.

89. *Fatigati solitò magìs sitiunt.* Labor enim calorem auget, & sic humidum exsiccat, quod cùm natura instaurare intendit, sitim accendit & excitat.

90. *Post longam famem, appetitus edendi cessat.* Quia per longam famem calor naturalis hebescit, & ventriculus humore crudo impletur, vel etiam hoc consumpto, contrahitur.

91. *Insectâ hyeme vivunt sine cibo.* Quia modicum habent calidi, quod ipsum tamen abundè pascitur phlegmate, ac succo crasso, quô ista plena sunt.

92. *In eo, qui est morsus à venenato animali, venenum ad cor ipsum penetrat.* Nam per talem morsum, sangvis continuò veneno inficitur, & sic per venas ad cor per circulationem pervenit.

93. *Nimis frigidus potus nocet.* Quia calor internus, quô fovemur per valde frigidum potum debilitatur, imò quandóque succumbit.

94. *Cerevisia, dum infunditur spumat.* Cerevisia enim habet glutinositatem, quâ dum ex alto funditur involvit aërem, & ex aëre incluso fit spuma.

95. *Caseus, priùs alia digerit, quàm ipse digeratur.* Hinc illud vulgare: *Caseus est nequam, consumit omnia, se quàm.* Digerit alia, quia ventriculi orificium claudit, ideóque post alios cibos sumitur, clauso autem sic orificio ventriculi, calor ejusdem internus operatur intrinsecus, & sic alios cibos consumit. Ipse autem caseus, ob terrenam substantiam, in alimentum non facilè cedit, & sic priùs alia digerit, quàm ipse digeratur.

96. *Tabacum per nares sumptum, elicit pituitam.* In nares siquidem procedunt duæ portiones cerebri, (quas processus mamillares medici appellant) per quas se, veluti per spongiam purgat cerebrum; ex his verò pulvis tabaci, easdem vellicans, humorem elicit.

97. *Flante Boreâ, rerum odoriferarum odor minùs sentitur:* Quia Boreas stringit corpora odorata. Quæ proinde qualitates odoriferas, multùm exhalare non possunt.

98. *E madido odorifero, odor modicè percipitur.* Quia poros illi vis aquæ occludit, ne qualitates odoriferas exhalare possit.

99. *Eodem modo odorifera frigida, minorem odorem exhalant, quàm modicè calida.* Nam frigus corporis odoriferi poros stringit, ècontra calor aperit, cum calore verò magis odor effunditur.

100. *A.q; ex eadem causa, flores magìs olent de die, quàm de nocte, & æstate magìs, quàm hyeme.*

CENTURIA III.

Curiosarum observationum circa exoticos, & prorsus admirandos naturæ effectus.

I.

LYchnus, ex sulphure liquefacto, lampadi oleo repletæ impositus, & priùs in oleo Salis Armoniaci, & nitri maceratus, ubi accenditur, apex illius flammæ, tantæ dicitur efficaciæ, ut omne metallum dissolvat, aquam, aut vinum in cochleari, in momento quasi exhauriat, corium tamen aut lignum, nihil penitùs lædit.

2. Quidam, quoties videbat cultrum in cute acui, toties sibi gingivas cruentari, & sangvinem ex illis fluere sensit.

3. Butyrum, vel oleum, ferventi, & spumanti sacharo injectum, quamvìs modicum sit, omnem tamen ejus spumam & fervorem illicò tollit.

4. Aqua butyro, vel adipi ferventi ingesta, quæ in alijs rebus flammam extingvit, in his eandem excitat.

5. Morsi à cane rabido, fiunt melancholici, furunt, latrant, mordent, spumant, & aquam horrent, sicut ipsi canes, quin & è vulneribus, eorum morsu inflictis, vermiculi nascuntur, cum caninis capitibus.

6. Multi solo rabidi canis halitu, rabiem contraxerunt, utì persona quædam, chlamydis modicum à cane laceratæ, filamenta dentibus extrahens, tertiâ die acta est in rabiem.

7. Gladius, quò rabidus canis, multos ante annos confossus fuerat, & si rubiginosus, vulnere levi, quendam eum mundare volentem, in rabiem egit.

8. Caupo quidam in Ducatu Wittenbergensi, ut refert *Surius in comment. rerum in orbe gestarum.* carnes porci, à rabido cane demorsi, hospitibus proposuerat; qui rei hujus ignari, postquàm de illo comederunt, in rabiem versi, mutuis sese morsibus laceraverunt.

9. Puella quædam Wratislaviensis, cùm ex præscripto medicorum, contra Epilepsiam, sangvinem felinum potâsset, quo exhausto, felis naturam & mores induit, voce, saltu, alijs gestibus feles imitabatur. Similes effectus experti sunt alij, qui felis cerebro vescebantur.

10. Quidam

10. Quidam à gallo galinaceo demorſus, rabiem incurrit, & gallum pugnantem oculis imitatus, tertiâ die interijt.

11. A ſerpentibus morſi, ſerpentum motus, & gyrationes exprimunt.

12. Icti à tarantulis, earundem ſaltus imitantur, nec alio modo curantur, quàm per muſicam, eâ námque auditâ, quamvìs ſemimortuis ſimiliores, excitantur, ſurgunt, ſaltant, & ſaltando ſudant, pérque ſudorem copioſiorem ſanantur, debet tamen hæc muſica eſſe ejuſdem toni, quo tarantula illa delectatur, à qua ſunt vulnerati.

13. Illud etiam mirum, quòd qui â viridi tarantula ſunt læſi, viridia appetant, qui à rubra, rebus rubeis delectentur.

14. Dens humanus, uti & equinus, non eſt venenatus, & tamen ſi aliquem irâ incitante homo, vel equus mordeat, vulnus venenatum infligunt.

15. Cauda ſcorpionis irati, eſt læthifera, viventi tamen, & ex improvisò amputata, vulnus innoxium facit.

16. Vulnera quorundam patientum aggravantur, ſolâ illorum præſentiâ, vel introitu, qui aliquando à cane, vel ſcorpione læſi fuerant, ac demorſi.

17. Qui veſtibus, ex lana ſcabioſorum animalium, licèt tincta, & præparata utuntur, ſcabioſi evadunt.

18. Funes cadaveribus peſte mortuorum adhibiti, ſupra triginta annos, intra terram deliteſcentes, in lucem extracti, peſtis contagium leguntur reſuſcitâſſe.

19. Senex quidam Terentinus, poſt centum vitæ annos, de ſene in juvenem tranſijt, pilis, cute, ungvibus, & toto habitu corporis mutato, qui ad quinquaginta annos adhuc ſupervixit.

20. Alter Indus, teſte *Petro Maffæo*, juxta trecentos & quadraginta ætatis annos, juventutis florem, ter ad ſenium deduxit, & toties eandem reſumpſit.

21. Naſturtium minutim conciſum, & terræ commiſſum propagatur.

22. Sic pulvis polypodij, trunco quercino injectus, polypodij producit ſpeciem.

23. Sic fænum etiam aridiſſimum, & exuccum, frequentibus imbribus maceratum, & putrefactum, in uberem variarum herbarum ſegetem adoleſcit.

24. Sic ex fimo animalium, naſcuntur plurimæ plantæ, & ſeminarium herbarum devoratarum.

25. Sic & aliæ capillares herbæ, ut ſcolopendrium, in minimas conciſum partes, ſicut & mille fungorum genera renaſcuntur.

26. Quin & aliquæ arborum, ut ſalix, ulmus, populus, fraxinus, ſine viſibili ſemine naſcuntur & propagantur.

27. Legimus etiam aliquando hederam, in cornu cervino enatam.

28. Conchilia contrita, & in arenoſa loca ſeminata, cùm fuerint aliquo tempore aquis irrigata, nova producunt conchilia.

29. Si ſal oſtreorum, arenæ maris immittatur, ingentem novorum oſtreorum ſobolem producit.

30. Angvillarum particulæ ſiccatæ, ſi in paluſtrem locum injiciantur, in angvillas abeunt.

31. Serpens mortuus, eſt ſeminarium novis ſerpentibus.

32. Similiter cancrorum fluvialium cinis, in vaſe terreo, cum modica aqua, in loco humido], intra tres vel quatuor hebdomadas detentus, innumeros attomos animatos exhibet, quæ ſi ſangvine bovino irrorentur, in cancros paulatim convertuntur.

33. Ex mortuis ciconijs, generantur ſerpentes, è gallinis, araneæ, ex muſcarum excrementitijs infeſti vermes.

34. Apes naſcuntur ex fimo bovino, veſpæ ex fimo aſinino.

35. Nullum putridum ulcus, nulla ſcabies caret vermibus.

36. In peſte, ac febribus malignis, totus ſangvis eſt verminoſus.

37. In illorum cerebro, qui calidis febribus intereunt, vermes poſt mortem deprehenduntur.

38. Gangrenæ cauſam, aliqui in ſolos referunt vermiculos, carnem rodendo corrumpentes.

39. In omni caſeo, lacte, aceto, & carnibus quibuſcúnque lunæ per noctem expoſitis, vermes per microſcopium deprehenduntur,

40. Salvia, per microſcopium inſpecta, exhibet innumeras aranearum telas, unà cum ovis, & vivis araneolis, ob quam cauſam ſalviæ folia, non niſi priùs lota, uſibus humanis ſunt adhibenda.

41. Subinde naſcuntur, in hominum inteſtinis ranæ, quin & ſerpentes.

42. Sic in ovis gallinarum ſæpè vermes, & minuti ſerpentuli ſunt deprehenſi.

43. In littore Anconiaco, ſaxá è mari extrahuntur, quæ ubi malleis confracta fuerint, reperiuntur in medio illorum piſciculi delicatiſſimi.

44. Contigit aliquando Latomis, ut in medio marmore, aut alio lapide, bufonem vivum, vel ſerpentem invenerint.

45. Experientiâ habetur, pilos ex caudis equorum, in aquam pluvialem ſcrobibus exceptam, impoſitos animari, & in longos átque graciles vermes, paulatim converti.

46. Ocimum tritum, & in ſole poſitum, generat ſcorpiones.

47. Ex equino cadavere, naſcuntur crabrones & veſpæ.

48. Formicæ, ex pane melle mixto procreantur.

49. Angvilla, ex mortuo equo, ſtagnis injecto, vel etiam ex limi putrefactione.

50. Ita & plures alij piſces, ut ſunt lampretæ Hungaricæ, & omnis generis oſtrea, gignuntur ex putredine.

51. Multi mirantur, quomodo lapides, in diverſis corporis partibus excreſcant.

52. Cruciabatur quidam, diuturno & aſſiduo capitis dolore, quem dolorem ex mori eſu ſe contraxiſſe aſſerebat, & in capite defuncti, repertus eſt lapis, figuram & magnitudinem mori, ad amuſſim repræſentans.

53. Sic & in aliorum animalium, non ſolùm in renibus & ſtomacho, ſed etiam capitibus, progeniti lapides, non rarò deprehenduntur.

54. Mirabiliorem vim habent aquæ lapidificæ, quæ omnia ſibi injecta convertunt in lapides.

55. Inventum eſt aliquando, ex hujuſce modi aquæ potu frequenti, cerebrum bovis petrefactum.

56. In Comitatibus Hungariæ, Scepuſienſi & Lyptovienſi, per integra ſpatia terræ, concreſcunt ſimilis aquæ fluenta in lapides, qui eruti, aptiſſimi ſunt pro ædificijs, & fornicibus, hinc dicuntur horum incolæ, ex aqua ſibi domos conſtruere.

57. Eſula, ebulus, ſambuci extremitates, aſſari folia ſurſum extracta, & decerpta, per vomitum, deorſum verò decerpta, per ſedem purgant.

58. Pomum quóque Miſniacum, ſi decorticetur florem versùs, alvum laxat; ſi ſtylum versùs, conſtringit.

59. Pellis plumoſa vulturis, modicum elaborata, & ventriculo appoſita, illum dicitur mirè confortare, & ſi extremæ plumarum cuſpides, ſitu naturali, deorſum verſæ teneantur, alvi fluxum ſiſtere, ſi verò ſurſum, vomitum compeſcere.

60. Surculi arborum, truncis inſerendi, ſurſum versùs abripi debent ex arboribus, ſi enim deorſum abſtrahantur, arbores non in longum, ſed magìs in latum creſcunt.

61. Plumbum liquatum ſcutellæ ligneæ, capiti impoſitæ, & aquâ ſemiplenæ injectum, dolores capitis acutiſſimos ſedat.

62. Peſtem apprehenſione ſolâ contrahi, plurimis comprobatur exemplis.

63. Qui fulmen timent, citiùs tanguntur à fulmine, hinc dormientes dicuntur eſſe ſecuriores, quia timoris ſunt expertes.

64. Materna

64. Materna imaginatio, fœtui rem imaginatam modo quodam mirabili imprimit.

65. Sic pecudes diſcolores produxit Jacob, virgis populeis, & amigdalinis, decorticatione variegatis, circa canales, è quibus greges bibebant, diſpoſitis, in quarum aſpectu oves concipiebant.

66. Sic equi varij coloris naſcuntur, ſi equilia, ubi equi conſervantur, tapetibus varijs, & multicoloribus contegantur.

67. Sic pavones, aliæque aves, albam dant ſobolem, ſi cubicula, in quibus ova fovent, albis linteis undique velentur.

68. Sic columbaria, nonnulli pannis rubris veſtiunt, ut columbæ pictæ naſcantur.

69. Pyrrhus Rex, lienoſos, ſolo pedis dextri pollice contactos, ſanabat; qui etiam pollex in rogo comburi non potuit, néque etiam poſteà ſucceſſu temporis contabuit.

70. Multi fortiſſimis etiam medicamentis, nihil omninò purgantur.

71. Vinum radicibus mandragoræ conditum, uti & pulvis ſeminum ſtramoniæ, in vino propinatus, dementiam bibentibus inducit.

72. Eodem pulvere cibis modicè inſperſo, qui eos comederit, ſatis jucundè per diem unam alterámve inſanit.

73. Paſtinacæa marina, puncturâ ſui aculei, nervorum diſſenſionem inducit.

74. Serpentes veneno ſemel adempto, ſi terram ſemel ſinantur, vel modicè caudâ contingere, illud recuperant.

75. Demorſi à viperis, nullo etiam alio modo juvante, illarum eſû curantur.

76. Sic & ſcorpius, vel araneus, vulneri à ſe inflicto appoſitus, omne venenum attrahit.

77. Cancer coctus, in vitrum aquæ, aut vini ſuſpenſus, ita, ut caudæ extremitas liquorem tangat, totum ex vitro exhaurit, & effluere facit.

78. In ſemicongelata aquæ cujuslibet ſuperficie, varia ſpectantur lineamenta, ſtriæ, arbores, domus, campi, ſine ulla lege, quæ non apparent, ſi gelu aquam profundiùs penetret.

79. In feneſtrarum orbiculis, ex vaporibus ibidem congelatis, flexuras arborum, frondes, certâ lege, átque figurâ elegantiſſimè delineatas, eſt non rarò videre.

80. Cinis cancrorum maceratus, exhibere dicitur imagines cancrorum.

81. Uti & ranarum effigies, aquâ ex ſpermate ranarum diſtillata, & ſali earundem permixtâ.

82. Ex ſale

82. Ex ſale petræ, adjectis quibuſdam cineribus confecti pulveres, ſuperſperſi agris & vineis, miram fœcunditatem illis tribuunt.

83. Quin & decocta ex iiſdem fiunt, quibus impregnata frumentorum grana, mirificè poſt ſationem multiplicantur.

84. Lixivium ex urticarum cineribus confectum, & congelatum, figuras urticarum pulcherrimas, in ſuperficie repræſentat.

85. In *Cuba* inſula, omnes ſilices figuram ſphæricam repræſentant, ut etiam videatur ope circini nihil fieri poſſe rotundius.

86. Figuræ ſalium, nix Hexagona, grando, uniformiter modo mirando figurantur.

87. Flos Granatillæ, in folijs ſuis, Dominicæ Paſſionis inſtrumenta, ad amuſſim repræſentat.

88. In ſalicis radice, certâ lege ſectâ, apparet Aquila Imperialis.

89. Eadem figura in angulo teſtæ cancrinæ exhibetur.

90, Inventa eſt etiam aliquando figura illius exactiſſima, in polypodio.

91. Dantur quædam orchidum ſpecies, in quarum floribus mirabiliter natura ludit, alij enim figuræ humanæ formam exhibent, alij avem, ſimiam, noctuam, apem, muſcam, papilionem, culicem, locuſtam, leonem, & alia his ſimilia repræſentant.

92. Radices raparum, bryoniæ, & mandragoræ, ab ipſa natura, hominum figuras ſæpius æmulantur.

93. In cujuſdam corde, poſt mortem, repertum eſt oſſiculum amygdali formâ, & expreſſiſſimam demortui hominis effigiem oſtendens.

94. Saxa quædam Ruſſiæ, hominum, camelorum, & aliorum animalium effigies repræſentant.

95. Vites in Hungaria, quandóque aurea grana, cum immixtis filamentis cogerminant.

96. Nullum ferè eſt animal in terra, vel aëre, quod mare ob ſalis ingeniti fœcunditatem, in piſcibus non exprimat.

97. Æſtivis temporibus, ex terreo pulvere pluviâ conſperſo, ranæ ſæpiùs repentè gignuntur.

98. Serpentes ex mulierum capillis, & ex ſpinali hominis medulla, in cadaveribus progenerantur.

99. Quodam tempore, noſtrâ ætate, poſt repentinam pluviam, ingens multitudo ſalamandrarum, aliarúmve viperarum illicò comparuit.

100. Horrenda vis eſt auri fulminantis, cujus unicus ſcrupulus potentiùs operatur, quàm media libra pulveris tormentarij; granum unum, candelæ, cultro mediante ſuppoſitum, ingentem edit ſtrepitum; aliquot ſcrupuli, laminam æream ſat craſſam, perforant.

CENTURIA IV.

Centum Obſervationes admirabilium effectuum Simpathiæ, Antipathiæ, & Virtutis Magneticæ.

I.

VInum in cellarijs turbatur florentibus vineis, ſimiliter turbatur cereviſia in cadis florente hordeo.

2. Piſa difficulter coquuntur, florentibus piſis in agro.

3. Grana tritici, aduſtas producunt ſpicas, ſi ponantur ad ſaccos, è quibus farina pro pinſendis panibus fuit deprompta, quotquot enim granis tritici pulvis farinæ in ſacco reſiduus adhæſerit, illa omnia uredine afficiuntur.

4. Cœpæ ſiccæ in granario germinant denuò, dum aliæ in horto ſatæ, ex terra prodeunt.

5. Mantile, vel ſtrophiolum colore mori, ceraſi, aut rubri vini maculatum, facilè maculam dimittit, ſi lavatur, dum illæ arbores, aut vites florent, alio quovis tempore, & operam & lixivium, in eluendis ejuſmodi maculis perdes.

6. Si panis è furno extractus cultro dividatur, panes reliqui in furno læduntur, cortéxque à medulla recedit.

7. Carnes cervorum, & damarum, quàmvis optimè conditæ, fœtent, quando ejuſmodi ſpeciei animalia luxuriantur.

8. Gallinâ ovis incubante, ſi in ijſdem ædibus ovum igne aſſetur, intereunt pulli excluſioni vicini.

9. Si felem maſculum quis occidat, fæmellâ, quæ ex ipſo concepit, prægnante, mox illa abortum patitur, & catelli mortui educuntur. Idem contingit in ovibus, vaccis & ſuibus.

10. Pellis vitulo marino detractæ pili, accedente maris æſtu, eriguntur, & rigeſcunt, recedente flacceſcunt.

11. Teſtacea, ferè omnia extra mare quamdiù vivunt, accedente maris æſtu hiant, eodem abſcedente clauduntur.

12. Adeps urſinus in pixide ſervatus, augetur hyeme, dum urſi in ſuis latibulis pingveſcunt.

13. Terra ex fluvio Nilo deſumpta, & exſiccata, & diligenter aſſervata, toto anni

toto anni tempore, nihil in pondere mutatur, úsque ad 17. Junij, tum solitò fit gravior, quò tempore Nilus exundat.

14. Notatum est, aquam in vasis æneis aut vitreis asservatam, notabili incremento attolli, dum nubes in pluviam colliguntur.

15. Humores, in omnibus sublunaribus, exceptis cœpis & allijs, lunâ crescente augentur, decrescente deficiunt. Maris etiam æstus, lunæ incrementis & decrementis regulantur.

16. Semelites lapis, lunæ mutationes, átque imaginationes sequitur.

17. Datur quóque Helites stella solaris, auream habens maculam, quæ juxta solis motum, singulis diebus, oriens & occidens circumagitur.

18. Sunt, quibus ad stridorem cultri, limationem ferri, & sericearum vestium sibilos, dentes doleant.

19. Quidquid edulij abhorret mater tempore gestaminis, aut conceptionis, illud idem fœtus abhorret, toto vitæ tempore.

20. Quidam stricto gladio matris fronti minabatur, & infans in utero latens, vulnus in fronte accepit, átque ex nimio sangvinis fluxu, interijt.

21. Alia quædam mulier Antuerpiæ, anno 1592. videns militem mendicantem, cui pila ferrea dextrum brachium abstulerat, quod adhuc cruentum circumferebat, mox abinde filiam peperit orbam brachio, & quidem dextro.

22. Uxor cujusdam mercatoris Antuerpiæ, viso spectaculo, in quo rei decapitabantur, illico peperit infantem maturum cruento collo, cujus caput nusquam apparuit.

23. Matrona quædam Lipsiæ, tres filios in matrimonio enixa est, cum quibus singulis dens ipsi unus accrevit, morientibus illis, singuli dentes eidem exciderunt.

24. Morsi à phalangys, ac tarantulis, etiam post curationem morsûs, per singulos annos, donec araneus ille à quo læsi sunt, moriatur, aliquam patiuntur recidivam, & quidem appropinquante hyeme bene habent, dum animalia illa frigore torpescunt, redeunte autem æstate, dum venenum in illis animalibus incipit refervescere, eodem iterum corripiuntur malo.

25. Multi morbo gallico, aliisque contagiosis morbis correpti sunt, qui jacuerunt in mundis ab omni contagione pulvinaribus, si post illorum discessum, in eadem adhuc calentia se alius posuit, contagioso aliquo morbo correptus.

26. Emplastra, vel potiùs vulnerum seu ulceris purulentæ telæ, si putrescant, parti affectæ malum, & corruptionem inferunt.

27. Sangvis per venæ sectionem emissus, in fluvium projici non immeritò

ſolet, ſi enim putredine corrumpatur, vel ab aliquo animali abſorbeatur, minuto, ſeu ſangvinem emittenti, ingens malum creari poſſet.

28. Vulgò notum eſt, quòd aceti aut vini portiuncula, in fimum effuſa, reliquum in vaſe acetum, aut vinum faciat corrumpi.

29. Lilia, roſis adplantata meliùs creſcunt, & redolent fragrantiùs, ſimiliter roſæ allij radicibus adplantatæ.

30. Corallia, ſinapi ſeminibus obruta, pulchriora fiunt & rubicundiora.

31. Camphora piper diligit, in auras alioquin avolatura, niſi grana piperis eidem apponantur.

32. Faciunt pilos creſcere citò, ea, quæ in genere animalium citò naſcuntur, ut muſcæ & apes, quorum pulvis & cinis ungventis immixtus, barbæ & capilitij germen promovet.

33. Cerebrum perdicis & gallinæ frequenter comeſtum, caput roborat, memoriam & ingenium exacuit.

34. Mira, & vulgò nota eſt virtus magnetis, in ferro trahendo. Ferreus annulus, ad contactum rudis hujus, & malè politi lapidis, ſurſum attrahitur, hic alium juxta ſe poſitum, ſecum elevat, ille tertium, tertius quartum, ita, ut liceat quandóque videre catenam ábſque nexibus, per ſolam hujus lapidis virtutem, in omnes annulos, inviſibiliter manentem.

35. Sicut magnes ferrum ad ſe attrahit, ita ipſe viciſſim à polo terreſtri trahitur, & certis ſuis partibus, certas mundi regiones exactè reſpicit, ſi libera ipſi concedatur libratio.

36. Quin etiam unus magnes, è minera effoſſus, alium ad ſe magnetem attrahit, ſecundùm certam tamen partem. Auſtralis enim pars unius lapidis, attrahit ad ſe Borealem alterius, repellit Auſtralem, Borealis attrahit Auſtralem, repellit Borealem.

37. Vim ad polum converſivam etiam attrahit lingula, ſeu acus magnetica, ſemel perfricata, quam etiam per plurimos annos retinet.

38. Hoc mirum, quòd pars magnetis, quæ eſt Auſtralis, ſi ferrum tetigerit, illud non ad Auſtrum, ſed ad Aquilonem concordet, Borealis quóque partem attactam non ad Septemtrionem, ſed ad Auſtrum inclinet.

39. Cultellus quóque, ſi tantùm ſemel magnetem ſuâ cuſpide attigerit, claviculos & acus, ad ſe dicitur attrahere.

40. Flores heliotropij, ſive ſolſequij, ſolem perpetuò ſequi dicuntur, quæ res & alijs etiam floribus attribuitur.

41. Mirabile quoddam heliotropium reperitur in Inſula *Quitola* & *Mindam*, quod non modò diurnum, ſed etiam annuum ſolis motum ſequitur, & tam Auſtrales quàm Boreales paralellos, cum ſole in Auſtralibus, vel Borealibus ſignis exiſtente, ad amuſſim deſcribit.

42. Datur herba quædam in Insulis *Bengala*, & *Zeiram*, quæ ligna violentissimè ad se trahit, ut illa ex manibus hominum extrahere videatur.

43. Si globus exactè rotundus, demergatur in aquam, supernatat illâ parte, quâ dum esset in arbore cœlum aspexit.

44. Datur in Ægypto piscis, qui *Phisa*, seu *Orbis* dicitur, qui semper dum vivit, faciem ad eam partem cæli divertit, de qua ventus spirat, átque eandem proprietatem retinere dicitur, etiam exsiccatus, & in domo suspensus.

45. Idem tribuitur *Hirundini marinæ*, quæ non solùm viva, sed etiam siccata, & in cubiculo licèt clauso suspensa, constantissimè semper ad flantem pro tempore ventum, vel regionem, unde ventus imminet, rostrum suum convertit.

46. Alnus aquam attrahit, & vicissim ab aqua attrahítur, unde virgula, vel tabella ex alno, prodit aquam sub terra latentem.

47. *Nimphæa*, in loco arido plantata, inclinatur in vas aquâ plenum, juxta se positum.

48. Exposuit quidam aëri vitriolum, qui aliam vitrioli quantitatem decuplò majorem, ab aëre attraxit.

49. Eodem privilegio sal petræ durissimæ gaudet, unde fodinæ salis evacuatæ, novo iterum sale per decursum temporis implentur.

50. Tartarus item calcinatus dicitur, plùs novies aëris ad se attrahere, quàm ipse ponderet, & si una illius libra exponitur aëri, decem olei libras suppeditare.

51. Ex sex libris Mercurij, tres vel quatuor unciæ, aquæ puræ possunt elici, ídque toties, quotiés Mercurius exponitur.

52. Ut Mercurius in alembicum sublimetur, qui aliàs facillimè evolat, particulam ejus cucurbitæ capitelli illine, & totus in alembicum congregabitur.

53. Valde admirabilis est vis attractiva Mercurij in auro, nam si Mercurium in vasculum aliquod vitreum immittes, eúmque manûs unius digito attinges, advertes annulum aureum, si quem in altera manu habes, albo Mercurij colore obductum, & si nullo modo manum unam alteri admoveas.

54. Jam quod mirabiliùs est; lamellam auream, vel ducatum, ore clauso comprime, posteà digitum saltèm pedis in Mercurium immerge, ibíque modicùm retine, reperies aurum in ore, eodem Mercurij colore obductum.

55. Insuper, si virga ex solido auro erecta tangit imâ sui parte, contentum in subjecto vase Mercurium, ascendit úsque ad virgæ summitatem Mercurius, nec solùm extrinsecus eam tingit, sed etiam intrinsecus pervadit, átque inficit.

56. Si in loco quopiam clauso exponatur vas aureum, & Mercurius igne

suppositó, evolare in auras permittatur, pauló post Mercurius vasi aureo inspicitur inhærere.

57. Non silendum hîc est, quòd Mercurius à magnete aliquoties abstractus, vi ejus impregnetur, ut sicut hic ferrum, ita ille aurum trahat, & auri pondus in mensa positum, motu locali, ad se transire cogat.

58. Admirandum genus bruti est, quod novus Orbis alit, cui nomen *Sagittatoris*, datum est ab effectu, hoc siquidem spinas, quibus est obsitum, jaculatur in canes se persequentes, quas illi nullo conatu, vel industriâ possunt excutere, donec ea sensim, magìs magísque corpus subingrediantur, & viscera confodiant.

59. Si corio quantumcúnque crasso, spicula illa admoveatur, unius noctis spatio, corium totum instar aciculæ manu hominis adactæ, perforat.

60. Dantur serpentes in America, hominis crassitiem exæquantes, sed duplò longiores, hi cervos ad se attrahunt, & alias feras, átque animantes, quibus deinde vescuntur.

61. Plinius narrat, de quodam frutice, qui equos quantumlibet invitos, ad se trahat, & adducat.

62. Galenus, hemoptoicos, & sangvinis fluxum undecúnque patientes, prohibet sangvinem, aut rubicundas res aspicere, sed ad nigra potiùs & cœrulea, jubet oculos convertere, eò, quòd rerum rubrarum intuitus commoveat sangvinem.

63. Econtra præcipit in variolis rubicunda intueri, ut hoc modo foras proliciantur.

64. *Aureolus* avis, flavedinem isterici morbi extrahit, mediante solo aspectu.

65. Aquæ rosarum & arantiorum, nullum, vel modicum odorem emittunt, dum rosæ & arantia florent.

66. Corpus hominis submersi, in aquis delitescens, proditur pane in aquam conjecto, qui super corpus consistit.

67. Panis siligineus adhuc calidus, in aëre de contagione suspecto, suspensus, omnem ejus malignitatem ad se attrahit, quam ejus muciditas prodit.

68. Lapis Ætites, fœtum humanum ad se prolicit, unde ad fœtum in utero continendum, & contra abortum adhiberi solet, collo, vel brachio applicatus.

69. Tempore pestis, aranei in domibus & cubiculis retificantes, ex industria relinquuntur, ut venenum attrahant.

70. Bufones in sole exsiccati, & in cubiculo suspensi, aëris malignitatem ad se

ad ſe trahunt, iidem carbunculis venenatis impoſiti, omne venenum extrahunt, quod etiam præſtat lapis Bufonites.

71. Lapis ſerpentinus, appoſitus vulneri, à quocúnque animali venenoſo inflicto, protinus inſtar ſangviſugæ adhæret, donec omni veneno exacto, ſpontè decidat, quod lacti impoſitus, revomit, albúmque illius colorem in flavoviridem commutat.

72. Metalla in terræ viſceribus abſcondita, biſurcam coryli virgam movent.

73. Demorſi à viperis, nullo etiam alio medio juvante, illarum eſu curantur.

74. Scorpius & araneus, vulneri à ſe inflicto appoſitus, omne venenum attrahit.

75. Niger digitorum color, ex decorticatione juglandium contractus, citò extrahitur, ſi digiti peliculâ nuclei, vel ipſo etiam nucleo, probè confricentur.

76. Halcces & alia ſalſa, ſi in aqua marina macerentur, citò perdunt ſalſedinem.

77. Lapis Bononienſis, certâ ratione præparatus, & lumini ſolari expoſitus, illud adeò attrahit, átque imbibit, ut in ipſis quóque tenebris, clarè luceat.

78. Dantur tam ſubtilia & potentia venena, ut ſtapedibus etiam minimâ portione illitâ, ocream, ſoleas, & carnem pedum, ad cor úſque inſenſibiliter penetrent, & brevi temporis ſpatio vitam tollant.

79. Tempore Domitiani, & Commodi Imperatorum, fuerunt nonnulli, qui acubus certi generis veneno oblitis, quos libitum erat, pungebant, & læſorum plerique ſine ullo doloris ſenſu, exſpirârunt.

80. In Arabia felici, herba quædam invenitur, cui incubantes, ſvaviſſimo ſomno deliniti, intereunt.

81. *Torpedo* piſcis, hamo captus, & contrectatus, manum piſcatoris torpefacit, imò eandem vim etiam per rete, & quemcúnque baculum ipſum tangentem, tranſmutat.

82. Eſt etiam quoddam conchilij genus, à natura elegantiſſimo quodam artificio elaboratum, quod ſolo ſui attactu, ſtuporem membris quibuſcúnqe inducit.

83. Datur etiam piſcis quidam, in *Zeilam* Inſula, qui ſolâ attrectatione, febrim accendit.

84. Vinum radicibus mandragoræ conditum, dementiam bibenti infert.

85. Illud etiam mirum, quòd cor hominis veneno infecti, & enecti, igne non conſumatur.

86. Non

86. Non minùs admirabilis eſt lapis *Galacia*, qui medijs in flammis non incaleſcit.

87. Sunt, qui araneos innoxiè comedunt, & ſerpentes illæſi tractant.

88. Æthiopes, Hydaſpis fluvij accolæ, impunè veſcuntur ſcorpionibus, & ſerpentibus, ſicut & Marſi populi, carnibus angvium.

89. Homo quidam demorſus ab animalibus quibuſcúnque venenatis, nihil ab ipſis patiebatur, quinimò ea ipſa occidebat, ita, ut ſtatim ab illato morſu extingverentur.

90. Nati octavo Kalendas Februarij, in feſto Converſionis Sancti Pauli, non horrent ſerpentes, & ſolo ſputo morſibus illorum medentur.

91. Habent quidam in Flandria donum febres curandi, qui ſcilicet nati ſunt in die Paraſceves.

92. Sunt aliqui in Hiſpania, quos vocant ſalvatores, qui ſolo attactu, ſalivâ, vel halitu, ſanant non ſolùm homines, ſed & pecudes.

93. Dantur venena unam tantùm ſpeciem animalium perimentia, non alteram.

94. Sic *Sabina* & *Rhododaphne*, quodcúnque animal enecant, homine excepto.

95. Nux vomica, perimit omne animal, quod ſine viſu naſcitur, cæteris non exitialis.

96. Chameleon, canibus, & alijs multis animalibus, eſt venenum, hominibus verò alexipharmacum.

97. Cicuta ècontra virus eſt homini, non ſturnis aut capris. *Napellus* hominibus exitioſus, animalibus quibuſdam propitius eſt.


98. Sic peſtile venenum, aliquando tantùm in homines, aliquando in oves, & alia jumenta graſſatur.

99. Lignum colubrinum, morſibus eorum medetur. Fraxinus nihil venenati ſub ſua umbra patitur.

100. Quercus, & olea, juxta ſe poſita areſcunt, & quercus juglandi vicina emoritur. Putamina fabarum, arbores quarum radicibus applicatæ fuerint, faciunt ſterileſcere. Quorum omnium Rationes petendæ ſunt ex principijs Naturalis Philoſophiæ.



CENTU-



CENTURIA V.

Centum Obſervationes Oeconomico-Monarchicæ.

I.

SUmmis Principibus ac Monarchis, nonnulli vitio vertunt, ac indecorum eſſe cenſent, tractare aut exercere œconomiam, quod quidem fortè verum eſt, de rurali, vel allodiali, aut etiam mercatoria & negociatoria œconomia, non item de induſtriali, & quæ ad augendos Principis proventus, minuendáſque expenſas, ſalvâ ſtatûs ſui dignitate, conducit.

2. Potiſſima autem hujus œconomiæ pars conſiſtit, in debito modo imponendi, populis ſibi ſubjectis, tributa. Hoc enim peculiare Principum ac Monarcharum eſt peculium, hoc unicum publicæ neceſſitatis ſubſidium.

3. Et quidem à juſtis & rationabilibus tributis, ac pro bono communi vel augendo, vel conſervando neceſſarijs, nemo ſubditorum, aut commembrorum Reipublicæ, ſe ſubtrahere prudenter poteſt, ſine his enim nulla Provincia, nullum Regnum, nulla Reſpublica aut communitas, rectè adminiſtrari poterit.

4. Porrò Princeps in tributis imponendis ſit, ſicut Paſtor ovium, qui lacte & lanâ gregis ſui fruitur quidem, eâ tamen moderatione, ut néque ſangvinem omnem extrahat, néque pellem ſic deglubat, ut à frigore & calore ſe tueri nequeat. *Saavedra Symbolo* 67.

5. Aut ſicut Agricola, qui tametſi lignis ad uſus domeſticos opus habeat; non tamen arbores omnes radicitùs exſcindit, ſed ſi futurorum providus ſit, ramos potiùs duntaxat amputat, nec totos illos quidem, ſed ita, ut germinare poſſint denuò, & novis veſtiti folijs in annum quóque ſequentem, fructus alios proferre. *Idem ibidem.*

6. Expendat proinde Princeps æquitatem cauſæ imponendi tributa, quantitatem item eorum, præcisè juxta neceſſitatis exigentiam, opportunitatem temporis, proportionem quóque tam perſonarum quæ ea conferre debent, quàm fortunarum earundem. *Idem ibidem.*

7. Tributorum námque iniqua exactio & DEO eſt inviſa, & Reipublicæ noxia, per hæc ſiquidem, & ſubditi in Principes provocantur, & defectiones ac ſeditiones excitantur. *Beyerlinck Titulo Tribut.*

8. Ut autem sit licita vectigalium, tributorúmque exactio, quatuor hæc requiruntur: 1. Ut imponantur ab habente authoritatem ea imponendi. 2. Ut sit justa causa ob quam exiguntur, qualis est sustentatio dignitatis Principis, & necessitas, vel certè magna utilitas boni publici. 3. Ut convenienti proportione distribuantur. 4. Ut impendantur in eum usum, in quem sunt imposita, nec prorogentur ultra hanc necessitatatem. *Idem ibidem.*

9. Quando enim Princeps cum ista moderatione tributa imposuerit, justum ac æquum est subditos quóque ea pendere, néque ea sine rebellionis aut infidelitatis nota denegari ab ijs poterunt. *Saavedra Symbolo 67.*

10. Concilium Toletanum XIII. ait optimam gubernationem fore, si nec incauta exactio populos gravet, nec indiscreta remissio statum gentis faciat deperire.

11. Néque bona ratio Statûs est, tributis exhaurire, & ad incitas redigere subditos. Nunquam magìs obsequens erit Regnum, quàm si opibus, & rebus omnibus affluat. *Saavedra Symbolo 67.*

12. Econtra verò nihil velle pro bono communi contribuere, & in hoc libertatem suam statuere, insania est. Néque enim quies gentium sine armis, nec arma sine stipendijs, néque stipendia sine tributis haberi queunt, nec ulli progressus sine pecunijs (nervo belli) quas útique Princeps ex nihilo creare non potest, igitur subditi quóque ad eas comparandas concurrere debent. *Saavedra ibidem.*

13. Ad illud autem Princeps ante omnia attendat, ut tributa quæ exiguntur bene impendantur, nihil enim graviùs fert populus, quàm si nullum fructum operis sui videat, & fortunas suas in usûs inutiles insumi intelligat. *Idem ibidem.*

14. Tum illud etiam odit populus, si tributa quæ svasit necessitas, eâ cessante continuentur, posteà enim hæc pendere metuunt & detrectant subditi, tametsi exigua sint, existimantes nimirum illa fore perpetua. *Idem ibid.*

15. Grandia tributa antè imponi non debent, quàm universum Regnum de necessitatibus edoctum fuerit? Nam ubi de ea, & justitia causæ constiterit, facilè in onus aliquod extraordinarium consentit populus; è contra si nimis gravia illa sint, nec subditi necessitatem agnoscant, cur imponi debuerint, facilè contra suum Principem contumaciter insurgunt. *Idem ibidem.*

16. Nec sine magna causa & necessitate imponi debent tributa ijs rebus, quæ ad vitam duntaxat sustentandam sunt necessariæ, sed ijs potiùs quæ delicijs tantùm inserviunt aut curiositati, aut ostentationi, aut pompæ. Sic enim Princeps & proventus suos sine oppressione subditorum augebit, &

luxum

luxum immoderatum corriget. *Instauratæ siquidem disciplinæ pars est, deliciarum augere pretium. Idem ibidem.*

17. Hinc Romani maxima exigebant tributa pro aromatibus raris, unionibus & gemmis quæ ex Arabia deferebantur.

18. Ad imitationem horum in nostris Provincijs, utiliter augerentur vectigalia pro mercibus externis, quæ ex sola curiositate & æmulatione à Nobilioribus, maximis expensis comparantur, átque hâc viâ ingens summa pecuniæ è Provincijs evehitur.

19. Tiberius Cæsar cùm ingentem illum luxum Matronarum Romanarum, in unionibus gemmísque cerneret, quæstus est, quòd lapidum causâ, pecuniæ Romanorum ad externas, aut etiam hostiles gentes transferantur. In his igitur poni posset modus, certáque limitatio. *Saavedra ibidem.*

20. Ephesij pecuniâ indigentes, legem tulerunt, ut mulieres aurum non gestarent, & ut aurum quod habebant pro mundo muliebri, civitati commodarent. Quâ industriâ requisitam pecuniam obtinuêre. *Aristoteles lib. 2. Politicorum.*

21. Augustus Imperator ærarium instituit militare, ad quod replendum vigesimam hæreditatis & Legatorum inferri jussit. Imò voluit, ut statim Tabulæ Testamentorum aperirentur, ne vectigali necessario ulla mora fieret. *Beyerlinck loco citato.*

22. Caligula Imperator pro litibus átque judicijs ubicúnque conceptis, quadragesimam summæ de qua litigabatur exegit, quod utinam hoc tempore duplicarent Principes, non tot dissidijs circumsonarent ubivis locorum fora, & Rabularum forensium commercia magìs frigerent. *Idem ibidem.*

23. Nulla verò tributa minùs noxia sunt, quàm quæ aliunde advectis mercibus ac rebus imponuntur in portubus & telonijs; ea enim magna ex parte pendunt exteri. *Saavedra.*

24. Maximum autem tributorum, & vectigalium regiorum incommodum est in Quæstoribus & Exactoribus, qui interdum violentiâ & importunitate plùs damni populo inferunt, quàm tributa ipsa, & sanè meritò graviter fert populus exactiones, si persolutis illis quæ debentur Principi, tantundem, & sæpe plus Exactoribus pendendum sit. *Idem.*

25. Hinc tempore Joannis II. Castellæ Regis, Regnum spontè ingens subsidium pecuniarum Regi obtulit, eâ tamen conditione, ut penes ipsum essent acceptorum & expensarum Libri, ex quibus constaret quid in communes usus collatum, & quomodo impensum fuisset, nec ministrorum permitteretur arbitrio earum dispensatio, & in usus privatos convertendi occasio. *Idem.*

26. Eadem de causa Regnum Franciæ, Henrico II. proposuit, ut tributorum Exactores tanquam pecuniarum harpyas amoveret, pollicentibus subditis, persoluturos se ubicúnque ipse vellet, quod in sumptus Regios sufficeret. *Idem ibidem.*

27. Consulere studeat Princeps securitati commerciorum & mercaturæ, per hæc siquidem Regnum & incolis, & divitijs augetur, ac in Principem maximi proventus redundant. Sic Genua, sic Venetiæ, sic Hollandica Respublica ad tantam excrevêre potentiam. *Saavedra Symbolo 67.*

28. Faciat insuper Princeps Provincias suas omni genere opificum & artificum abundare. Ita Gallia artificiosis suis inventis, divitias ingentes, ex alijs Regionibus congerit. *Idem ibidem.*

29. Galliæ, Hollandiæ & Angliæ, alienæ Provinciæ subministrant sericum, lanam, chalybem, ferrum, aliásque diversas materias, quæ diversimodè dein ab artificibus elaboratæ, rursus inde ad easdem revehuntur, & ingenti precio reemuntur. Quod utique non fieret, si ejusmodi Provinciæ similibus abundarent artificibus. *Idem ibidem.*

30. Nulla autem impositio majoris est importantiæ, quàm ea, quæ à singulis personis seu capitibus penditur; sed néque illâ subditi multùm premuntur, utpotè quæ omnes subditos æquè tangit, & non unam partem illorum tantùm. In hac verò distributione vel maximè servanda esset debita personarum & Facultatum uniuscujúsque proportio. *Idem ibidem.*

31. Hæc Exactio svavior & amplior redderetur, si absolutè quidem statueretur, ut singuli ac nullo prorsus excepto, aliquid pro bono communi tribuere teneantur, nullus tamen quantum conferre deberet, taxaretur, sed unusquísque daret tantùm, quantum amat suum Principem, bonúmque commune; Erubesceret enim quísque ingenuus, se in hac causâ sordidum, & omnium infimum videri.

32. Porrò Contributio hæc benevola ab infimis esset inchoanda, & posteà per omnes úsque ad potentissimos continuanda. Hâc ratione Mausolus Cariæ Dynasta pecuniæ certam summam quâ indigebat corradere volens, inferioris sortis homines subornavit, qui quantùm singuli Principi pro hac indigentia conferre vellent indicarent. Tum potentiores partim pudore, partim metu, multò majorem pecuniæ summam, quàm illi, polliciti sunt, eamque re ipsâ etiam persolverunt. *Aristoteles lib. 2. Politicorum.*

33. Lacedemonij, cùm Samij, quos in auxilium evocaverant finito bello nollent in patriam redire, nisi stipendia sibi integrè exsolverentur, & Cives pecuniâ carerent; ut illos contentarent decreto sanxerunt, ut unâ die liberi

& servi,

& servi, homines ac jumenta, à cibo abstinerent, ac tantum pecuniæ, quantum unusquísque expendere soleret in cibum unius diei, Samijs conferret, sícque Samijs pecuniam exolverunt; & tamen Cives nihil incommodi passi sunt, præterquam, quòd unicâ die jejunaverint pro commodo boni communis. *Idem ibidem.*

34. Hoc rigore non esset opus in his Provincijs: abstinerent duntaxat Magnates nostri, alií ve inferioris sortis uno aut altero anno à superfluis convivijs, & id quod aliàs per annum in illa consumere solent, Principi pro bono communi conferrent, ingens pecuniæ summa congregaretur.

35. Quidam Princeps annonâ pro Exercitu indigens, edixit, ut unusquísque subditorum tantum panis pro milite conferret, quantum unâ die consumeret, átque illâ die si vellet, ab esu panis abstineret, & hâc ratione non contemnendam panis copiam pro militibus cumulavit.

36. Galliæ Scriptores constanter asserunt Regni illius proventus ascendere ad 100. Milliones Gallicos, hoc est 50. nostrates, cùm tamen Gallia nec aurifodinas, nec argentifodinas, habeat. Adscribendi igitur sunt hi tanti proventus industriæ & œconomiæ Regiæ. Nam olim idem Regnum sub Carolo simplici, in proventibus regijs non numerabat supra quatuor Milliones Gallicos. *Saavedra.*

37. Ijdem Scriptores ingentem illam in suum Regnum pecuniæ affluentiam adscribunt quadruplici Magneti Gallico, qui infinitam externi auri copiam ad se pellicit. Hic autem Magnes consistit in frumento, vino, sale, & canabe seu telis. Per frumentum enim ex Hispania, per vinum ex Hollandia & Anglia, per salem ex vicinis sale carentibus Provincijs, per telas ex tota ferè Europa extrahunt Galli pecuniam. Hæc omnia in nostris Provincijs sunt in majori copia, si telas excipias, quamvis nec harum æquè tanta abundantia deesset, si accederet industria, quæ solâ accedente, Magnes Austriacus, longè superaret Gallicum hunc Magnetem. *Galliæ Historiographi.*

38. Ex Santenensibus Salinis in eodem Regno, decem Myriades & sexcenta millia Francorum inferuntur singulis annis in Gazam Regiam. Verùm & superioris Austriæ Salinæ, ingentes proventus adferunt Principibus Austriacis, & multò majores adferrent, si eæ liberarentur à capitalibus summis, quibus oneratæ sunt.

39. Has utrásque longè superant Salisfodinæ in Hungaria quoad abundantiam & præstantiam salis, fieri itáque posset par, imò major proventus ex illis per bonam œconomiam. Sed & Tyrolenses Salisfodinæ, ad ingentes excrescere possent proventus.

40. In tota Europa ditiores Argentifodinæ, & Aurifodinæ, non inveniuntur, quàm in Hungaria, & ex his potissimi sunt defacto annui regij reditus, sed & hi longè adhuc magìs augeri possent, in meliorem ordinem redactâ œconomiâ.

41. His jam si accederet diligens cultura Aurifodinarum in Nagy Bánya, quæ à compluribus annis neglectim hàctenus colebantur, quanta esset Regiorum redituum accessio!

42. Officiorum sive Militarium, sive Togatorum venditio, etsi multum conferat œconomiæ, obesse tamen videtur bonæ Politiæ. Ad hæc enim non nisi aptissimi & meritissimi sunt deligendi, solâ habitâ ratione talentorum ac meritorum. Certè apud Sinenses nullâ habitâ ratione Prosapiarum, vel Majorum, aut Familiarum, non nisi illi ad publica munia administranda adhibentur, qui prævio, eóque rigido ac iterato examine ad ea aptissimi reperiuntur. Nihilominus Turcæ omnia officia vendunt, indéque Turcarum Imperator immanem percipit pecuniam.

43. Sed & Veneti quodam tempore cùm sumptibus pro bello gerendo deficerent, omnia Officia venalia proposuerunt, ita ut modò non planè inepti, deposito statuto pro singulis pretio, ea consequi valerent, & sic præsenti necessitati apprimè provisum fuit; transeunte autem hâc necessitate, demortuísque qui hæc Officia coëmerant, rursus Respublica non nisi aptissimis ea conferre cœpit.

44. Quod sanè tolerabiliùs est, quàm si Officia per munera & donaria ministris Principum oblata comparentur; sic enim & subjecta inepta ad ea promoventur, & pecunia non ad Principis, sed privatorum cassam devenit.

45. Quia autem Princeps semper abundare debet bonis, quibus bene meritos remunerari valeat, non incongruum fore videtur, si bona Cameralia, non in perpetuum, & per hæreditatem, sed ad certos duntaxat annos vel ad finem vitæ bene meritis tribuerentur, ita ut ea demortuo donatariô iterum ad Fiscum redirent, quæ Princeps rursus alteri bene merito conferre posset. Non secus ac bona Ecclesiastica, quæ sunt perpetua occasio benefaciendi fidelibus personis Ecclesiasticis. Qui modus distribuendi bona in benemeritos, etiam defactò viget in Polonia.

46. Sed néque contra dignitatem Principis esset ea œconomia, si certa bona pro culina & aula Regia deputarentur, ex quibus sufficiens in carnibus, vino, lignis, pabulóque equorum provisio pro tota aula fieret.

47. Sic nec dedeceret Principem plurima intertenere equilia, ex quibus equi & pro Aula & pro castris subministrarentur abundanter. Certè Regum sapientissimus Salamon non ad pompam solam, sed & ad utilitatem quóque

constanter

onſtanter aluit 40. equorum millia, & Turcarum Imperatores ex ſuis equi-ibus, quæ copioſiſſima habent, ſuppeditant ſuis equitibus equos, quoties ex-peditionem hoſtilem moliuntur.

48. Illud etiam rationi conſentaneum eſſe videtur, ſi omnia, quæ pro Prin-ipe terræ coëmuntur, ſubditi minori aliquo precio da.e tenerentur; hoc nim ſinguli Magnates in Dynaſtijs ſuis à proprijs ſubditis exigunt. Aſt huic bſervationi contrarium omnino fit in Aulis, nam hoc ipſo quòd aliqua pro Principe, ſive in victualibus, ſive in alijs rebus emantur, altiùs æſtimantur, vel ſaltèm à parùm fidelibus Officialibus, rationibus Principis majori pretio nſcribuntur.

49. Sic & ſtipendium penſionum, ſolutionúmque modica, aliqua diminu-io lucroſa eſſet Principi, ſed neque reſpectu prætendentium eſſet minimè dioſa, ſi ea recompenſaretur certâ ac infallibili pro ſtatuto tempore ac ter-nino depoſitione.

50. Et quidem hujuſmodi defalcationes, & truncationes, ac decerptiones defacto fiunt in ſtipendijs, exolutionibúſque debitorum ac reſtantiarum bel-icarum, Aulicarum, & Cameralium, ídque in notabili quantitate, ut ſæpè prætendentes & creditores ſextâ vel tertiâ parte contenti eſſe debeant, ce-dendo reliquum miniſtris & Officialibus reſtantias tales exolventibus. Et hoc ſine ullo emolumento Principis, ad hujus enim rationes tales trunca-tæ expenſæ adſcribuntur integrè. Quando potiùs iſta cederent inſtantes, ſuo Principi, ſi omnino ijs cedendum, quàm alijs.

51. Imò omnes illæ rapinæ, quæ in militia proſperitatum, in Cameris ac alijs tribunalibus induſtriarum honeſtis nominibus intitulantur, ſi practicari debent, ita inſtituendæ eſſent, ut tota utilitas ex illis proveniens, in ipſum duntaxat Principem redundaret, & cæteri ſtipendijs ſuis manerent contenti.

52. Hinc prædæ militares ex occupationibus Locorum, in pecunia, pe-coribus, frumento, ſi hæc in magna ſumma & quantitate ſint, pro commu-ni neceſſitate & uſu totius militiæ eſſent conſervandæ, nec in privatorum lucrum converti permittendæ.

53. Papyrus quamvis naturâ ſit res viliſſima, non contemnendos tamen poteſt adferre proventus. Nam apud Hollandos & in Gallia, nulli contra-ctus aut inſtrumenta ſive publica, ſive privata in judicium producta, vim aut effectum conſequuntur, quæ non fuerint deſcripta in papyro certi generis, ad hunc uſum deſtinata, & determinato precio æſtimata, quod licèt perexi-guum videatur, tamen quia frequentiſſimè eſt illius uſus, paucorum dena-riorum congeries repetita, in cumulum aliquem excreſcit. *Beyerlinck.*

54. Alibi chartis, quas Luſorias appellamus, cenſus injungitur, dum non niſi una

nisi una aut altera species, certo signo, quo dignoscitur insignita, divenditur, alijs quibusvis proscriptis & eliminatis. Imò his horiperdis certa taxa esset imponenda pro ipso lusu v.g. ut quivis ex suo lucro det tertiam partem in bonum commune.

55. Mutatio quóque Monetæ magnum facit pecuniarum incrementum. Sic Hypias Atheniensis, cùm pecunijs indigeret, nummum, qui tunc Athenis erat in usu, amovit, átque expendi prohibuit, ac ad se adferri jussit, statutô parvô preciô, quô debebat emi. Cùm autem novum genus pecuniæ esset excudendum, idem argentum excudi jussit, ac deinde aucto valore expendi, & sic argentum, quod parvo precio emerat, expendit multò majori. *Aristoteles 2. Politicorum.*

56. Per auctionem valoris alicujus monetæ, si in thesauro priùs paratam habeat magnam illius copiam, Princeps, ingenti incremento augere potest suæ pecuniæ summam. Habeat enim is millionem unum in imperialibus & aureis, & dum hos expendere vult, augeat precium imperialis floreno medio, aurei floreno uno, & sic quartâ parte augebit dictam summam.

57. Mutui titulo etiam apud Veteres moris fuit corradere pecuniam; Hanc autem pro necessitatibus publicis conveniret dare Principi, sine ullo interesse, cum certa tamen assecuratione restitutionis faciendæ. Nam si ad censum elocetur quæ summa Principi, potiùs Princeps præstat gratiam subdito, quàm ille Principi. *Saavedra.*

58. Monopolia quóque à Principibus sibi usurpata in maximum augmentum sunt hujus œconomiæ Monarchicæ. Sic Monopolium salis & cerevisiæ albæ, Ducibus Bavariæ, Halecum piscatio Hollandis, Aromatum Indicorum, Regibus Lusitaniæ ingentes creat proventus.

59. Sic Rex Congo in Indijs, piscationem Concharum marinarum in Insula Loande dicta, soli sibi usurpat, & inde non exiguum emolumentum percipit. Sic Rex Japoniæ ex sola oriza, quæ colligitur ex possessionibus agrorum, quos sibi reservavit, annuatim duos milliones colligit.

60. Teloniorum impositio & exactio ad solum Principem debet spectare, hæc tamen ipsa sint moderata, majora tamen pro illis rebus, quæ ab exteris invehuntur, aut evehuntur.

61. Unde si quæ Telonia haberet Princeps oppignorata, ante omnia deberent hæc redimi per defalcationem proventuum, quos locatarius supra censum accepit: sunt enim hæc sæpè talia, ut is successivè per plures annos & capitale, & censum recipiat: quo in casu tutâ conscientiâ, hæc etiam sine pecunia à Principe possent recuperari.

62. Eodem

62. Eodem modo bona Fiſcalia in pignus data,examinari deberent, quantum Hypothecarius ſupra cenſum percepit, & hic exceſſus ex Capitali ſumma eſſet defalcandus.

63. Proventus ex vacantibus beneficijs Eccleſiaſticis, etiamſi bellicis applicentur ſumptibus maledictionem potiùs ſecum trahere ſolent, quàm emolumenta: præterquam,quòd ruinam plurimarum animarum adferant, utì experientia in vacantia Archi-Epiſcopatûs Strigonienſis per 40. annos,docuit

64. Multò minùs proficua eſt: Bonorum Eccleſiaſticorum occupatio, & venditio: ſic Henricus VII. Rex Angliæ poſt occupationem omnium Bonorum Eccleſiaſticorum: multò magis eguit, quàm antea. *Florimundus Raimundus.*

65. Sed néque expédit à Provincijs ſummatim tributa accipere, ſic enim evenit, ut qui præſunt Provincijs,ſubditis eam taxam imponant, ex qua multò major ſnmma conflatur, & quod ſupereſt ſummæ promiſſæ Principi,id in manibus privatorum remaneat.

66. Ad id quóque accuratiſſimè attendendum eſt Principi, ne exactores contributionum, pro neceſſitatibus publicis indictarum, plus exigant à populo, quàm ſtatutum fuerit. Nam ſi id permittatur,vel diſſimuletur, neceſſe erit,ut Provinciæ in tantum exhauriantur, ut & ipſi Principi poſtmodum nîl pendere valeant.

67. Ab Anno 1684. úſque ad præſentem 1695. impoſitæ fuerunt in annos ſingulos minimùm 80. millia portionum militarium in Hungaria. Certum autem eſt ab Officialibus bellicis longè plures numero,ac in quantitate majores, exactas eſſe, ſed nec habuiſſe completo numero perſonas in ſuis regiminibus,pro quibus portiones exigebantur. Cum his itaq; rationes ineundæ eſſent, ac id, quod ſupra ordinatam, & determinatam rem acceptum eſt, aut injuriatis reſtituendum, aut in partem futurarum ſolutionum defalcandum.

68. Hyberna igitur ſic inſtituantur, ut ſint moderata, & annis pluribus continuari poſſint, quod utique fieret, ſi diſciplina militaris ſervaretur, & Officialium exceſſus punirentur. *Saavedra*

69. Extat Bulla Pontificia per Hiſpaniam, cujus virtute quicúnque habent aliqua dubiæ, aut incertæ fidei bona,tuti eſſe jubentur in conſcientia, depoſitâ certâ portione, pro ſubſidio pecuniario in bellum contra Mauros. Sed & Bulla Cruciata ingentes adfert Regibus Hiſpaniæ in bellum adversùs Saracenos,proventus. Hoc quóque,aut ſimile medium acquirendi expenſas in continuationem moderni belli Turcici redigi poſſet ad praxim.

70. Porrò modus augendi ærarij,ſit honeſtus (improba enim,& fraudulenta praxis theſaurizandi dedecet Principem) honeſtus autem erit: ſit non ſit

ſubditis nimiùm oneroſus : ſi acceptorum, & expſitorum habeatur accurata ratio : ſi ſit etiam ipſis ſubditis utilis, ac proficuus.

71. Inter honeſta genera ditandi ærarium, id primum amplectendum eſt, quod publicè, & privatim conducit, ut eâdem operâ Princeps, & ſubditi diteſcant. *Idem.*

72. Secundò, amplectendus eſt modus, qui prodeſt Reipublicæ, & nulli privato obeſt, qualis eſt de rationibus exigendis.

73. Ultimò denique, veniendum ad hoc, ut etiam ſubditi graventur, ne reſpublica patiatur : ita tamen, ut omnes cognoſcant publico commodo exactas pecunias impendi.

74. Jus monetæ cudendæ olim in Romano Imperio ſolus Senatus ſibi uſurpabat. Nunc propè omnes Principes, & Liberæ Civitates hoc jure utuntur, quod ſanè non videtur expediens Monarchiæ.

75. Cùm opus eſt tributo novo, parvis potiùs ſummis dividatur, ita enim nec grave eſt, & minor eſt cauſa, & anſa ſagacibus ad furta miniſtris. *Contzen.*

76. Vectigal pro ratione cenſûs, facultatúmque cujúſque exigatur, alioquin neceſſe eſt pauperes deglubi, non tonderi : & ſi ſecùs fiat, non aliud eſt, quàm radices exſcindere, ne creſcant olera. *Idem.*

77. Cùm bellum grave ingruit, potiùs opera, & commeatus, quàm nummi exigantur: faciliùs enim hæc tolerant ſubditi, quàm pecuniæ collationem.

78. Cavendum, ne furta miniſtrorum in percipiendis, & exponendis proventibus interveniant : nuſquam enim graviùs, quàm hac in parte delinquitur. Quantus verò error in his rebus committatur, docent oculi: miniſtri enim plerique, qui dum rei pecuniariæ admoventur, quamvis inſtar ſicciſſimarum ſpongiarum tenues ſint, inſtar boum, quas vidit Pharao deformes, ac macie confectas, brevi tamen impingvantur, quamvis ad incitas Princeps redigatur. *Idem.*

79. Anno 1662. In Regis Hiſpaniarum cujuſdam Miniſtri domo, reperti ſunt decem milliones aureorum, cum ſcripturis quibus adnotabantur alij quinque milliones aureorum mutuo dati. Sed & Fochetus præfectus Ærarij Gallici, & theſauri Regis, eodem anno convictus perhibetur uſurpatorum 40. millionum librarum de reditibus regijs. Quid igitur mirum, ſi etiam poſt multiplicatas exactiones, & contributiones, Regum theſauri non augeantur cùm ſimiles harpyiæ inſatiabiles, populorum ſudores, & ſangvineos labores univerſos exſugant, & ad ſe attrahant? & quid ſi plures tales harpyiæ eſſent in una Aula ? certè pro illis nulla excogitabilia tributa, & onera ſufficere poſſent.

80. Sapienter monet Bodinus lib. de Republica cap. 2, dum ſic ait : Vectigal Deo gra-

Deo gra-

Deo gratiſſimum, Regi honeſtiſſimum, ſubditis utiliſſimum, quod ijs rebus imponitur, quæ ad mores corrumpendos faciunt.

81. Hinc Adamus Contzen lib. 8. Politic. cap. 7. Gravi tributo eos, qui ſaccharum, aromata non neceſſaria, illecebroſas delitiarum condituras vendunt, premere, è re Civitatis, & Reipublicæ eſſe judicat.

82. Idem Author non minùs dulciarios, cupediarios, vini peregrini caupones, cùm moribus obſint plurimùm, exactionibus tenuare juſtum eſſe cenſet.

83. Quin & purpuræ, panno bombycino, ſericis ſegmentis, attalicis periſtromatis, auratis vaſis, nunquam iniquum facilè Vectigal imponi à Republica aſſerit, Rationem ſimul omnium horum addens; Quòd meliùs pecunia impenditur ad juvandam ſalutem publicam, quàm ad depravandos luxu mores.

84. Cùm autem tributa, per eorum exactores crebrò augeantur, & hi labores populi, ſudorésque in ſua prœmia vertant, hócque modo in Principem odia, & execrationes concitent, cura adhibenda eſt, ut querelas ſuorum Princeps cognoſcat, & rationem à Procuratoribus exigat, minutatímque deſcribi curet, quid à ſingulis impenſum ſit. Quòd ſi aliquis plus exegiſſe inventus ſit, tanquam proditor Principis puniatur. *Idem.*

85. Ejuſdem conſilium eſt, ut ad certos delectos à populo viros integræ fidei, deferantur omnia, quæ à ſubditis pro Principe, vel Rege conferuntur, illíque præſente Magiſtratu, Regi, aut Principi tradant.

86. Laudatur veterum Romanorum in providendis temporum difficultatibus ſapientia. Triplex illi ærarium habuerunt. Primum, quod ſacrum dixerunt: & in quod viceſimæ conferebantur, erátque ad extrema Reipublicæ tempora reſervatum. Alterum erat tantùm Gallo bellico deſtinatum. Tertium fuit opulentiſſimum, in quo civium, ſociorum tributa, vectigalia, prædæ, & cenſus populi inferebantur.

87. Cæterùm hiſce modis proventus publicos augendi, nec omnibus, & ſingulis ſimul, nec indiſcriminatim quibuſvis, Principi eſt utendum; ſed his, vel illis, juxta neceſſitatis, & circumſtantiarum exigentiam.

88. Quin quantùm fieri poteſt, tributorum impoſitiones, omnino caveat Princeps, aut imperata quóque relaxare ſtudeat. Etenim Regni firmandi optimum auſpicium eſt, tributorum relaxatio.

89. Unde ſapiens fuit illud Tiberij Cæſaris decretum. Ne Provinciæ novis oneribus turbentur, atq; vetera, ſinè avaritia, aut crudelitate Magiſtratuum, exigantur.

90. Nunquam enim majus periculum eſt, quàm cùm propter tributa tumultuatur ignobile vulgus.

91. Verùm quantacunq; ſit tributorum, & Proventuum Principis amplitudo,

tudo, si horum fidelis administratio desit, Princeps ditabitur nunquam; unde danda esset opera, ut per fidelissimos, & per quàm paucissimos, administrarentur.

92. Pecunia enim oleaceæ naturæ est, quæ, quò per plures manus transit, singulis aliqua ex parte adhærendo, eò magìs deficit, ac minuitur.

93. Eadem cautela adhibenda esset in expendendis pecunijs, hæ enim à singulis per quorum manus transeunt, decerpuntur. Rem declaro exemplo. Quota enim pars pecuniæ, quæ à subditis exigitur pro exsolvendo milite, pervenit ad manus militum gregariorum? Majori ex parte dispergitur, & remanet apud eos, per quorum manus transit, donec veniat ad cassam bellicam, & ex hac, ad militum gregariorum manus.

94. Ad Principis quóque œconomiam spectat, habere honorificos titulos. Hi enim Principi nihil constant, & tamen loco remunerationis, & pecuniæ, bene merentibus conferri possunt, cum magna eorum contentatione.

95. Sic in Hispania, creantur *Grandes* : in Francia, *Pares* : in Augustissima Domo Austriaca, *Aurei Velleris Equites.* apud diversos Reges, varij Equestres Ordines, tales etiam sunt tituli Nobilium, Baronum, Comitum, Marchionum, Principum.

96. Imò hi tituli, non essent ullo modo concedendi, nisi in remunerationem magnorum meritorum. Minùs verò meritis deberent pecuniâ vendi, & non gratìs conferri.

97. Sic Turcarum Imperator ex solis hujusmodi datijs, & diplomatibus, ac Privilegijs 100. millia ducatorum annuatim percipit.

98. Veneti quóque, Nobiles, ac Patritios Venetos, necessitate urgente, pro pecunia creant, magnósque inde proventus percipiunt. Sed & in Romana Dataria taxæ sigillorum, expeditionum, confirmationum, aut concessionum, privilegiorum, ad ingentem summam quotannis assurgunt.

99. Similiter & Privilegia ejusmodi, quæ authoritati Principis non obsunt, personis bene meritis, Civitatibus, communitatibus, ac Provincijs, in recompensam fidelitatis, ac meritorum, locò pecuniæ distribui possent.

100. Multis novis exactionibus non esset opus, si qui administrant proventus Principum ordinarios, munus suum obirent fideliter. Demum, & in hac œconomia Monarchica, servit illud Axioma, quod in alia omni œconomia. *Magnum Vectigal est, parsimonia.*



CENTU-

CENTURIA VI.

Centum Obſervationes, circa rectum modum intelligendi, & interpretandi Scripturam Sacram.

I.

Obſervandum eſt 1. Falſum, & prorſus ſtolidum eſſe dogma modernorum heterodoxorum, aſſerentium Scripturam Sacram adeò eſſe claram, ut ejuſdem ſenſum quivis vulgaris homo, & ferè idiota, vel rudiſſimus in literis opifex, aut quævis etiam vetula, primô quaſi intuitu, legendo, vel audiendo, percipere, eandémque intelligere, interpretari, ac explicare, ſinè ullo alio dubiorum Judice, queat, ac valeat. Quam ſtolidam præſumptionem, jam olìm vehementer reprehendit Sanctus Hieronymus in epiſtola ad Paulinum, ſic ſcribens: *Agricolæ, cæmentarij, fabri, metallorum, lignorúmque cæſores, lanarij quóque, & fullones, & cæteri, qui variam ſupellectilem, & vilia opuſcula fabricant, ábſque Doctore (& inſtructore) non poſſunt eſſe, quod cupiunt. Sola Scripturarum ars eſt, quam ſibi omnes paſſim vendicant. Hanc, garrula anus, hanc delirus ſenex, hanc ſophiſta verboſus, hanc univerſi (interpretari) præſumunt, (& perperam interpretando) lacerant,* hanc quiſque pro ſuo libitu invertit, pervertit, & ad ſuam opinionem detorquet, ac pertrahit.

Obſervandum eſt 2. juxta veram, & Catholicam doctrinam: Scripturam Sacram in multis quidem claram, & facilem eſſe, ſed in multis etiam obſcuram, & intellectu difficilem. Id quod ſequentibus evincitur rationibus. 1. Quia in certis libris Scripturæ Sacræ, (utì ſunt Prophetarum) tanta myſteria continentur, ut illa ſinè ſpeciali Spiritûs Sancti gratia, & illuſtratione, à viris etiam doctiſſimis, intelligi vix poſſint, & magnâ propterea lectoris indigeant diligentiâ. Unde etiam Salvator noſter, loquens de abominatione deſolationis, quæ dicta eſt à Daniele Propheta cap. IX. ſtante in loco ſancto, nos admonuit: *Qui legit intelligat.* in ſingulari loquendo, cùm paulò antè dixiſſet in plurali: *Cùm videritis abominationem.* ut oſtenderet, plures eſſe, qui legant hanc Prophetiam (& eadem ratio eſt, & de cæteris) & pauciores, qui intelligant. Matt. 24. v. 15. Oſeas quóque in coronide ſuæ prophetiæ, ut ejus indicaret obſcuritatem, interrogat: *Quis ſapiens, & intelliget iſta? intelligens, & ſciet*

& sciet hæc? Quod non pro impossibili, sed pro difficili esse accipiendum, docet Sanctus Hieronymus in Prooemio Commentarij in Oseam, Tomo VI. Quæ eadem veritas in novo quóque Testamento (licèt hujus volumina, ad illa veteris collata, breviora, & apertiora sint) pro comperto habetur. Nam Judæi, & ex his Pharisæi etiam, Scribæ, & Legisperiti, Christum Dominum sæpius loquentem audiverunt, nec tamen mysteria, sub verbis ab illo prolatis contenta intellexerunt: imò interdum nec ipsi Apostoli eorum sensum statim perceperunt: Exemplo sit illud, Joannis 2. v. 19. *Solvite Templum hoc, & in tribus diebus ædificabo illud.* Quod Judæi in calumniam rapuerunt, & de illo quasi de blasphemia eum accusârunt, ac reum mortis esse judicârunt. Discipuli autem, non nisi post Resurrectionem ejus, sensum verborum illorum penetrârunt. Deinde Nicodemus audivit verba illa Christi: *Nisi quis renatus fuerit denuo, non potest videre Regnum Dei.* Joannis 3. v. 3. nec tamen statim sensum illorum intellexit, unde à Christo etiam corripi meruit.: *Tu es Magister in Israël, & hæc ignoras?* Joannis 3. v. 10. Similiter mulier Samaritana, verba illa Christi: *Si scires donum Dei, & quis est, qui dicit tibi, da mihi bibere, tu forsitan petijsses ab eo, & dedisset tibi aquam vivam.* Joannis 4. v. 1. Et dein v. 12. & 13. *Omnis, qui bibit ex hac aqua, sitiet iterum. Qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum. Sed aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam*; audivit, & diligenter ad ea attendit, nec tamen illa intellexit, & multò minùs alijs explicare valuit. Sicut nec Discipuli id, quod ibidem v. 30. subjunxerat Christus: *Ego cibum habeo manducare, quem vos non scitis.*

Capharnaitæ audito sermone illo Christi: *Amen, amen dico vobis, nisi manducaveritis carnem Filij hominis, & biberitis ejus sangvinem, non habebitis vitam in vobis.* Joannis 6. v. 54. & 56. *Caro mea verè est cibus, & sangvis meus, verè est potus.* Mirabantur solùm, unde & scandalizabantur in eo, & aliqui etiam ex discipulis dixerunt: *Durus est hic sermo, & quis poterit eum audire?* & (quod majus est) *quis eum poterit capere, & intelligere?* Insuper parabolas multas, quas Christus adducebat, audiebant plurimi, & tamen etiam ipsi Apostoli sensum earum non semper percipiebant, & dicere cogebantur: *Domine, edissere nobis hanc parabolam.* Matthæi 13. Lucæ 18. Quemadmodum & verba de cruce, ac morte ejus, omni tropo, & schemate carentia, non apprehendebant. *Et erat* (inquit) *verbum istud absconditum ab eis, & non intelligebant, quæ dicebantur.* Matthæi 16. Et cùm dixisset: *Cavete à fermento Pharisæorum, & fermento Herodis.* Marci 8. quale esset illud fermentum, inquirebant, & ad sensibile fermentum referebant. Demum Apostoli, jam proximi morti Christi, illud, *Modicùm, & non videbitis me; & iterum modicùm, & videbitis*

debitis me. Joannis 16. Quid significet vehementer dubitabant, & inter se exquirebant.

Nec minoribus mysterijs refertæ sunt Sancti Pauli epistolæ, & aliorum Apostolorum. Unde Sanctus Petrus, de epistolis Sancti Pauli scriptum reliquit: 2. Petr. cap. ultimo: *Sicut & charissimus frater noster Paulus, secundùm datam sibi sapientiam scripsit vobis, sicut & in omnibus epistolis, loquens in eis de his, in quibus sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti, & instabiles depravant, sicut & alias Scripturas, ad suam ipsorum perditionem.*

2. Judæi quotidie ferè legunt Scripta Prophetarum, de Messia promisso, & tamen non intelligunt. Ideo Sanctus Paulus 2. ad Corinth. 3. dicit: *Quòd usque ad hodiernam diem, cùm legitur Moyses, velamen positum est super cor eorum.* Sed & Apostoli legerunt eadem, & legi audiverunt, & tamen non intellexerunt, nisi post Christi resurrectionem, cùm aperuit eis sensum, ut intelligerent Scripturas. Sic & duobus Discipulis euntibus in Emaus, incipiens à Moyse, & omnibus Prophetis, interpretabatur in omnibus illis, quæ de ipso erant. Lucæ 24.

3. Eunuchus Candacis Reginæ Æthiopum, legit attentissimè Isaiam Prophetam sedens in curru, nec tamen id, quod in illo legit, intellexit. Unde interrogatus à Philippo: *Putásne, quòd, quæ legis intelligis?* Ingenuè respondit: *Et quomodo possum (intelligere) si non aliquis ostenderit (id est: interpretatus fuerit) mihi?* Actor. 8.

4. Sanctus Paulus 1. ad Corinth. 12. testatur: Membrorum Christi in Ecclesia dona esse diversa, subdens: *Nunquid omnes Apostoli? nunquid omnes Prophetæ? nunquid omnes Doctores? nunquid omnes gratiam habent curationum? nunquid omnes, lingvis (varijs) loquuntur? nunquid omnes interpretantur?* Sicut ergo non omnes possunt dicere se esse Apostolos, se esse in Ecclesia Doctores, se habere gratiam miraculosarum curationum, ita non omnes habent gratiam interpretationis Scripturarum.

5. Sunt in Sacris Literis plurima, quæ primâ facie etiam à doctissimis vix posse intelligi videntur. Nam, ut Salmeron ait: Quis in Psalmorum Davidis explicatione aliquando non cœcutiat? Quis in libro Job rerum, & verborum difficiles nodos non agnoscat? Isaias, & Hieremias pleni sunt ænigmatis, & involucris. Singularem illam, & primam visionem Ezechielis, quis unquam penetravit? Visiones Danielis Prophetæ, & signatè de Septuaginta Hebdomadis, prædictionem, quis satis explicuit? Apocalypsis tot habet Sacramenta, quot verba, teste Sancto Hieronymo. Quis igitur, nisi desipiens, apertas, & cuique intellectu faciles, & obvias, Scripturas Sacras audeat asserere, quæ tot Sanctissimorum, & doctissimorum Patrum testimonio, agnitæ sunt obscuræ, & intellectu valde difficiles.

6. Si

6. Si plana sunt unicuique legenti, Prophetica, & Apostolica, ac Evangelica volumina, cur inter ipsos Acatholicos tanta est unius, ejusdémque textûs interpretationum diversitas? cur unus alterum acerrimè reprehendit, atq; insectatur, ob minùs apprehensum sensum ejusdem textûs? cur si claræ Sacræ Scripturæ sunt, tot in eas scholia edunt? cur tot paraphrases condunt? tot de idiotismis, & Phrasibus Scripturæ Sacræ volumina edunt? Certè clarus sensus, similibus non indiget, nec explicatur, sed potiùs obscuratur.

Observandum 3. Scripturæ Sacræ difficultates, & obscuritates, ex sequentibus oriri rationibus. *Prima* est: Mysteriorum, quæ omnem superant intellectum magnitudo, & multitudo, cujusmodi sunt: Mysterium Sanctissimæ Trinitatis, Prædestinationis, & Reprobationis reconditissimæ, Incarnationis Verbi Divini, Eucharistiæ, & reliquorum Sacramentorum, Immortalitatis animarum, & nostræ ex mortuis resurrectionis, quæ in ijsdem continentur. *Secunda*, sensuum ejusdem etiam verbi, seu dictionis varietas, & multiplicitas. *Tertia*, Futurorum prædictiones, quæ Prophetis familiares sunt, quæq; operâ Spiritûs Sancti valde perplexæ sunt, átque admodum involutæ. *Quarta*, desumitur ex apparentibus contradictionibus, & Antilogijs Scripturæ Sacræ, quas ad invicem combinare, non est uniuscujúsque legentis Scripturam Sacram, ut per se patet. *Quinta*, deducitur ex Idiotismis, Proverbijs, Parabolis, ænigmatibus proprijs illarum lingvarum, quibus Scripturæ Sacræ originaliter fuêre exaratæ, Figuratis item locutionibus, allegorijs, quibus interdum multæ veritates involvuntur, ita, ut acutus, ac diligens etiam lector eas percipere nequeat, nisi doctiorum operâ, & magno suo labore, ac studio adjuvetur.

Observandum 4. Cur Sapientia Divina, Scripturæ Sacræ tantam obscuritatem indiderit, causas esse posse: *Prima*; ut cognoscamus DEUM, qui nobis per Scripturas Sacras loquitur, sapientissimum esse, & nostram scientiam longissimè vincere. *Secunda*; ut sic deprimeretur nostra superbia, & nimia de proprijs viribus fiducia. *Tertia*; ut ad DEUM recurramus, humiliando nos, ab eóque petendo veram Scripturarum intelligentiam, & cum Davide dicamus: *Da mihi intellectum, & scrutabor Legem tuam, & custodiam illam in toto corde meo.* Item: *Revela oculos meos, & considerabo mirabilia de Lege tua.*

Observandum 5. Statuendum esse necessariò certum aliquod, ac infallibile fundamentum, ex quo liceat nobis cognoscere, quinam indubitatè Scripturæ Sacræ Libri sint Canonici, seu pro authentico, & vero verbo DEI habendi, qui verò Apogryphi, hoc est, de quorum authoritate non est certum, [illegible] sint, aut omnino constet, quod non sint, verum verbum DEI. Ratio est;

Quia

Quia nisi tale aliquod fundamentum ponatur, unusquísque pro suo arbitrio, quem voluerit librum Scripturæ Sacræ pro Canonico recipere, recipiet; & quem voluerit rejicere, rejiciet. Sic fecerunt omnes, hactenus hæretici. Sic Simoniani, Basilidiani, Marcionitæ, libros Veteris Testamenti omnes, respuebant. Nicolaitæ, & Gnostici, Psalmos Davidis repudiabant. Alij librum Job, alij Cantica Canticorum, rejiciebant. Et ex Novo Testamento etiam, aliqui tres Evangelistas recipiebant, & Evangelium Joannis repudiabant. Ebonitæ autem solùm Matthæi Evangelium probabant. Marcionitæ, solùm Lucam in pretio habebant; alij verò unicum Evangelium Sancti Joannis agnoscebant. Alij librum Actorum Apostolorum, è numero divinorum librorum detrahebant, quales erant Cerinthus, & Manichæus: Ebonitæ verò omnia Scripta Sancti Pauli reprobabant. Marcionitæ, Epistolam ad Timotheum, & Titum. Lutherus Epistolam Sancti Jacobi, alij alios libros Scripturæ Sacræ eliminabant. Nam ut habet Sanctus Augustinus, libro de Bono Perseverantiæ: Hæretici *Scripturas sic recipiunt, ut suo quidem privilegio, imò sacrilegio, quod volunt sumant, quod volunt rejiciant.*

Observandum est 6. Non posse hujus rei aliud fundamentum assignari, quàm Ecclesiæ authoritatem, adeóque servandam esse hanc infallibilem Regulam; Illi soli & omnes Bibliorum libri, pro Canonicis, seu pro vera ac legitima Scriptura Sacra sunt habendi, qui sunt ab Ecclesia, per Concilia Oecumenica, ut tales, approbati & declarati, & quicúnque sunt ab Ecclesia rejecti, aut non reprobati, ij sunt pro Apocryphis censendi. Ratio hujus Regulæ est: Quia nisi hæc Regula servetur, de nullo ferè Scripturæ Sacræ libro certitudinem habebimus, an inter libros Canonicos debeat numerari. Unde enim scimus, quòd quatuor Evangelia: Matthæi, Marci, Lucæ, & Joannis, sint veri Scripturæ Sacræ libri, & Canonici, & non Evangelia Nicodemi, Bartholomæi, & multa alia quæ sub aliorum Apostolorum nomine circumferebantur? Nisi quia Ecclesia illa approbavit, hæc reprobavit, illa Canonica, hæc Apocrypha esse declaravit. Unde Sanctus Augustinus, in Epistola contra Faustum scribens, ait: *Ego Evangelio non credidissem, nisi me Ecclesiæ Catholicæ authoritas commoneret.* Quod idem ait de libro Actorum Apostolorum (quem Marcionitæ negabant esse librum Sacræ Scrip[illegible]æ Canonicum. lib. 28. cap. 2. contra Faustum) cur scilicet illum esse veram Sacram Scripturam, seu librum Canonicum credat, hanc rationem assignat: *Quia Catholica ab initio Ecclesia sic censuit, & per successiones custodivit.* Alioquin enim nullus foret finis altercandi & vacillandi, nisi DEUS, hanc potestatem Ecclesiæ dedisset.

Observandum 7. Juxta hanc infallibilem Regulam, clarum esse, quòd non

ſoli proto-canonici Scripturæ Sacræ libri, ideſt: qui ſemper Sacri, & divini in Eccleſia habiti ſunt, uti: Pentateuchus Moyſis, liber Joſuæ, Judicum, Ruth, libri quatuor Regum, Paralipomenon duo, Eſdræ, & Nehemiæ duo, Job, Pſalterium centum quinquaginta Pſalmorum, Proverbia, Eccleſiaſtes, Cantica, Prophetæ majores quatuor, Prophetæ minores duodecim, Evangeliorum libri quatuor, Acta Apoſtolorum, Epiſtolæ Pauli tredecim, omiſsâ videlicet ſolâ Epiſtolâ ad Hebræos, Epiſtolæ Canonicæ duæ, Petri una, Joannis altera, ſed etiam Deutero-canonici, id eſt, de quorum authoritate divina, non ita certum, ac exploratum fuit, uti ſunt: Baruch, Eſtheris pars ultima, uti & Danielis, Tobiæ, Judith, Sapientiæ, Eccleſiaſticus, Machabæorum librorum ſecundus, & tertius. Et ex Nova Lege, Epiſtola ad Hebræos, Epiſtola Jacobi ſecunda, Petri, & Joannis ſecunda, & tertia, deníque Judæ Epiſtola, & Apocalypſis, poſt declarationem, & definitionem Eccleſiæ, pro veris Scripturæ Sacræ libris Canonicis, ac ſupremam, & divinam authoritatem habentibus, ſunt tenendi. Quia pro his eadem ſtat ratio formalis, hoc eſt: Eccleſiæ authoritas, approbatio, receptio, & declaratio. Hos enim omnes Concilium Oecumenicum Tridentinum, ſeſſ. 4. recepit, ac pro talibus acceptavit, ac tales eſſe declaravit. Atque hic Canon librorum Sacræ Scripturæ, à Concilio Tridentino de libris Sacris editus, jam inde ab Apoſtolica primitiva Eccleſia poſitus fuit. Cùm (ut ait lib. 3. contra Celſum Origenes) initio Eccleſiæ, de illorum delectu inter fideles non conveniret. Rogatu item Carthaginenſis Concilij, cui interfuit Sanctus Auguſtinus, Anno 419. à Bonifacio Papa probatus eſt, ut habet Baronius, ad citatum annum. Præterea, à Sancto Innocentio primo Papa, Epiſtola 3. ad Exuperium, cap. 7. Anno Chriſti: 405. Et à Gelaſio in Concilio Romano; ab Eugenio, in Concilo Florentino, receptus fuit. Soli igitur illi libri Apocryphi cenſendi ſunt, quos Eccleſia ab hoc Canone excluſit, & ut tales declaravit, cujuſmodi ſunt: Machabæorum primus, & quartus, Eſdræ tertius, & quartus.

Obſervandum 8. Sacram Scripturam originaliter tribus lingvis fuiſſe conſcriptam, nempè: Hebraicâ, Chaldaicâ, & Græcâ: & quidem Tobias, Judith, & magna ex parte, Daniel & Eſdras, ut teſtatur Sanctus Hieronymus, in lingva Chaldaica ſunt conſcripti, uti & liber Job. Licèt hunc Syriſmis & Arabiſmis perſperſum notet idem Hieronymus. Liber verò Sapientiæ Salomonis, & Eccleſiaſticus, ac libri duo Machabæorum, in lingva Græca ſolùm extabant. Quamvis & librum Eccleſiaſtici Hebræo idiomate à primo authore fuiſſe conſcriptum aliqui aſſerant. Reliqui verò libri veteris Teſtamenti, ſunt lingvâ Hebræâ exarati. Deinde totum novum Teſtamentum conſcriptum eſt Græcè, excepto Evangelio Sancti Matthæi, quod conſcriptum eſt

Hebraicè, uti & Epiſtola Sancti Pauli ad Hebræos, vel potiùs Syro-Hebraicè, quæ lingva tunc materna, & popularis apud Judæos erat.

Obſervandum eſt 9. Totum vetus Teſtamentum ante adventum Chriſti, annis ferè 300. à Septuaginta duobus doctiſſimis, átque utriúſque lingvæ (Hebraicæ ſcilicet, & Græcæ, peritiſſimis, poſtulante id Ptolomæo Philadelpho Ægypti Rege, & Eleazaro Pontifice ejus votis annuente. In Græcam lingvam translatum fuiſſe, tam unanimi conſenſu,ut licèt inter ſe disjuncti & ſeparati eſſent, non ſine divini ſpiritûs afflatu in eadem verba, ſententiáſque concurrerent, tantáque fidelitate, ut ab omni Judæorum Senatu comprobata hæc verſio fuerit, & relicto Hebræo in Synagogis publicè legi cœpta ſit.

Obſervandum eſt 10. Non multò ante adventum Chriſti, totum vetus Teſtamentum, quod in Canone Hebræorum, per Onchelos & Jonatham Uzielis filium, in lingvam Chaldaicam (quæ eſt Hebrææ affinior) translatum fuiſſe, & hæc verſio dicitur Chaldaica Paraphraſis, quia non eſt facta de verbo ad verbum, ſed de ſenſu ad ſenſum.

Obſervandum 11. Jam poſt Chriſti adventum fuiſſe quoſdam Judaizantes, & ab Eccleſia ad Judaiſmum deficientes, qui ut odium verſioni Septuaginta duorum Interpretum conflarent, (quòd nimirum per eam Chriſtianæ fidei myſteria apertè comprobarentur) iterum ex Hebræo textu in Græcam lingvam vetus Teſtamentum converterunt, quos inter primus fuit *Aquila Ponticus*, alter *Symmachus Samarita*, tertius *Theodotion*, omnes à fide Chriſtiana Apoſtatæ.

Obſervandum 12. Præter enumeratas verſiones veteris Teſtamenti, ex Hebræo in Græcam lingvam, fuiſſe etiam alias verſiones, uti erant: *Prima* Hiericuntina dicta, *Secunda* Nicopolitana, *Tertia* Origenis, *Quarta* Lucianea, à Lucio Præsbytero Martyre, *Quinta* Heſichiana. Verùm hæ tres, erant potiùs correctiones, & reſtitutiones, corruptæ verſionis 72. Interpretum, quàm integræ verſiones.

Obſervandum 13. Ex libris Scripturæ Sacræ, ſolum novum Teſtamentum nunc extare lingvâ Syriaca, incerto authore, licèt aliqui Marco Evangeliſtæ verſionem illam tribuant, habetúrque in Regijs Biblijs cum interpretatione Latina Gvidonis Fabricij.

Obſervandum 14. Ante Sanctum Hieronymum Latinas verſiones fuiſſe ferè innumeras, ex Græca verſione veteris Teſtamenti 72. Interpretum, & ex Græco novi Teſtamenti, prout quiſque ſe ſatis Græcè, ac Latinè putabat nôſſe, ut teſtatur ipſemet Hieronymus in Præfatione ad Joſue, & Sanctus Auguſtinus de Doctrina Chriſtiana, cap. 11. Ex his autem præcipua

erat *Itala* dicta, quâ potissimùm utebatur Ecclesia Romana, úsque ad Editionem Sancti Hieronymi. Erat siquidem verborum tenacior, cum perspicuitate sententiæ, ut ait Sanctus Augustinus, lib. 2. de Doctrina Christiana, cap. 25. Et hæc vocabatur etiam vetus, & vulgaris editio.

Observandum 15. Post hanc Veterem editionem, à Sancto Hieronymo bis fuisse translatum vetus Testamentum in Latinum. Primò, ex Græco, id est, ex versione 72. Interpretum, alterâ verò vice ex Hebræo textu. Novum verò Testamentum non vertit Sanctus Hieronymus in Latinum, sed solùm emendavit à multis erroribus, qui vitio librariorum irrepserant. Editio igitur Sancti Hieronymi, seu Biblia illa, quibus à mille & ampliùs annis utitur Ecclesia, & vulgatæ editionis dicuntur. Novum Testamentum habent editionis vulgatæ ex antiqua versione, à Sancto tamen Hieronymo emendatæ. Psalterium similiter illud, quod erat in veteri illa editione, & ex 72. Interpretum Græca versione, translatum in Latinum sermonem, quod tamen similiter idem Sanctus Hieronymus emendavit, ut habetur ex Præfatione ejus in Psalterium. Librum Sapientiæ, Ecclesiasticum, Machabæorum libros, Baruch, & Epistolam Jeremiæ, ex antiqua illa pariter editione. Quia Sanctus Hieronymus nusquàm affirmat se hos libros transtulisse, néque ullæ extant Præfationes ejus in hos libros, cùm tamen in Epistola 89. ad Sanctum Augustinum, quæ est 47. inter Epistolas Augustini, dicat se singulis libris, quos convertit, Præfaciunculas præfixisse. Reliquos verò libros Sacros ex Hieronymi versione, uti ipsemet scribit Sanctus Hieronymus, libro de Scriptoribus Ecclesiasticis: *Novum* inquit, *Testamentum Græcæ fidei reddidi, Vetus juxta Hebræum transtuli.*

Observandum est 16. Post hanc versionem, & editionem Sancti Hieronymi, plurimas editiones alias Latinas utriúsque Testamenti hôc & priori sæculo prodiisse, præsertim ab hæreticis, (quarum una alterâ est deterior) & nonnullas etiam à Catholicis, ac rursus ex his in varias, & vulgares diversarum Nationum lingvas Sacram Scripturam fuisse conversam. His observationibus præmissis, restat, ut alterum adhuc fundamentum rectæ intelligentiæ & explicationis Scripturæ Sacræ statuatur. Nempe: quænam ex his omnibus exemplaribus, seu originalibus, seu versionibus, habenda sit pro authentico & genuino textu, alioquin enim in cassum laborabimus circa omnes quæstiones fidei. Unde

Observandum 17. Circa Textum Hebræum, notanda esse sequentia: *Primò*, characterem literarum, quô nunc extant Biblia Sacra, non esse eundem, quô libri Moysis, & alij veteris Testamenti ab initio conscripti erant, sed eum, quem Esdras adinvenit, & post Captivitatem Babylonicam denuo deperditam

perditam Scripturam Sacram conſcripſit. Ita *Hieronymus in 9. caput Ezechielis, & in Prologo Galeato.* Erant igitur libri Sacri Bibliorum conſcripti ab initio charactere Samaritano, cui hodierni Hebraici Characteres multùm ſunt diſſimiles, ut patet ex antiquis ſiclis Judæorum. Mutationis autem hujus Eſdras cauſam habere potuit, ut veri Iſraëlitæ ſecernerentur à Samaritanis Hæreticis. *Secundo*, Non eſſe veriſimile id, quod aliqui opinantur Scripturam Sacram univerſam perijſſe tempore Captivitatis Babylonicæ, quando Civitas Hieroſolymitana everſa, & Templum incenſum fuit, ac ab Eſdra poſtmodum totam Scripturam, memoriter Scribis dictatam, ac dein populo propoſitam. Erat ergo Eſdras librorum Sacrorum quidem reſtaurator, non omnia iterum memoriter dictando, ſed colligendo & ordinando Scripturas in unum corpus, quarum partes varijs in locis invenerat, ac etiam emendando, ſi quæ in ijs depravata erant negligentiâ Scribarum, ac veteri characteri, novum à ſe inventum ſubſtituendo. Nam ut bene notat Bellarminus lib. 2. Controverſiarum, cap. 1. Quòd etiamſi Scriptura Sacra, quæ publicè legebatur, fuiſſet incenſa, & perijſſet, tamen incredibile eſſe, non fuiſſe aliqua exemplaria, vel certè partes eorum, apud privatos homines, & præſertim apud Ezechielem, Danielem, Hieremiam, Agæum, Zachariam, Mardochæum, (ac ipſum etiam Eſdram) qui tunc vivebant, & quibus ſine dubio cordi fuit Lex Domini. *Tertiò*, Hebraicum textum Bibliorum, purum, & incorruptum, tanquam originalem, & fontem aliarum verſionum, primæ, & ſummæ authoritatis eſſe; Tum, quia DEUS illâ lingvâ locutus eſt Prophetis, unde etiam lingvâ Sacrâ nuncupatur; tum quia verſiones ex textu Hebræo, eò majoris ſunt authoritatis, & magis authenticæ, quæ ſunt Textui Hebraico conformiores.

Obſervandum eſt 18. Circa puritatem, & integritatem Textûs Hebraici, tenendum eſſe. *Primò*, Ante Chriſtum, Textum Hebraicum non fuiſſe malignè depravatum à Rabbinis, alioquin à Chriſto, & Apoſtolis, de hoc, ut de re maximi momenti, utpotè à qua dependeret Sacrorum librorum veritas, fuiſſent reprehenſi. *Secundò*, poſt Chriſtum, primis quingentis annis, & úſque ad tempora Sancti Hieronymi, in textu Hebraico nihil depravatum, & mutatum fuiſſe. Teſtatur id ipſemet Hieronymus, ſcientiſſimus illius lingvæ, & Textûs Hebraici interpres. *Tertiò*, In nonnullis exemplaribus Hebraicis, ſi non in omnibus, inveniri aliquos errores à librarijs commiſſos. Erroris verò cauſa eſſe potuit partim magna ſimilitudo literarum Hebraicarum inter ſe, quarum multæ tantam convenientiam habent, ut vix quò ad figuram videantur ab invicem differre, unde facilè accidere potuit mutatio unius in alteram, pariter tanta varietas punctorum, ex quorum diverſa ſubſtitutione,

stitutione, diversus quóque sensus, & pronunciatio sequitur. Partim etiam librariorum negligentiâ, & imperitiâ. *Quartò*, Post editionem Sancti Hieronymi, in aliquibus locis (saltèm in plerisque exemplaribus) ex quibus adventus Messiæ, ac Christi probabatur, à Judæis Textum Hebraicum corruptum esse, ut fusè deducit Salmeron Prologomeno tertio in Evangelia. *Quintò*, Corruptionem hanc accidisse post inventionem punctorum, quæ excogitata sunt à Rabbinis Masorethis, in Tiberiade Palæstinæ, circa Annum Christi quingentesimum. *Sextò*, Hàc tamen depravatione non obstante, Textus Hebraicus etiam quô nunc utimur, suam habet authoritatem, & in reliquis integer esse censetur moraliter, esto non Mathematicè. Quia & vitiata continet paucula majoris momenti, nam Salmeron citatus, qui summoperè adstruit corruptionem Textûs Hebraici, non nisi undecim Textus adducit, qui & ipsi commodè explicari possunt in favorem fidei Christianæ, in cujus odium corruptio hæc facta fuisset, & multi alij Textus, qui longè plus favent Doctrinæ Christianæ, numerantur adhuc integri, sed nec minutiores alij errores, qui in Textum Hebraicum, ex negligentia vel inadvertentia librariorum irrepserunt, aut etiam ignorantiâ illorum Rabbinorum, qui puncta addiderunt, officiunt ejusdem integritati: puncta enim hæc sunt extrinsecè addita, nec ideò Textum mutant, qui legi poterit rejectis eorum punctis, (sine quibus etiam hodie in Synagogis leguntur libri Legis) & reperiuntur adhuc aliqua exemplaria sana, & deníque in mente Doctorum residet adhuc vera Textuum lectio.

Observandum 19. Circa editionem Septuaginta duorum Interpretum tenenda esse sequentia: Inter omnes versiones Græcas, hanc fuisse optimam, & primum sibi vendicâsse locum, ac authoritatem. *Primò*, Quia orbi universo semper venerabilis extitit. *Secundò*, Quia Interpretes ij videntur fuisse divino Charismate instructi, quòd Interpretationem sermonum Apostolus nominat, ob admirabilem inter se consensum. *Tertiò*, Quia Septuaginta illi duo Interpretes lingvæ utriúsque erant peritissimi, utpotè ex omnibus tribubus Israëlis, seni, & seni, exquisitè ad hoc opus selecti. *Quartò*, Quia est antiquissima, utpotè 300. ferè annis ante Adventum Christi facta. *Quintò*, Quia ab omnibus gentibus, & à tota Christianitate fuit acceptata, imò ab universa Synagoga Judæorum, ita ut Sacerdotes, & Seniores Judæorum, festum hujus versionis instituerint, ac publicis maledictionibus eum devoverint, qui in ea quidpiam mutaret, deleret, aut eidem aliquid adderet. Tenendum autem est *Secundò*, Ducentis ferè annis post Christi adventum à Judæis videntibus Christianæ doctrinæ eam apertè favere, multis in locis fuisse depravatam, & corruptam, præsertim post versionem *Aquilæ Pontici*,

Symmachi,

Symmachi, & *Theodotionis*, apoſtatis à fide, & ad ejuſdem abolitionem totis viribus, incumbentibus. Probatur id *Primò*, authoritate Sanctorum Patrum, qui hac de re plurimùm conqueruntur. *Secundò*, Quia Græca illa verſio ſicuti defactò exiſtit, pluribus in locis diſſidet ab Hebraico contextu. *Tertiò*, Quia modernæ hujus verſionis exemplaria multa habet admixta ex verſione *Theodotionis*, qui eandem deformavit aſteriſmis quidem præfixis, ubi à vetere illa differebat, ſed poſtmodum aſteriſmi illi exciderunt, & per librarios omiſſi ſunt, inde autem neceſſariò orta eſt confuſio, ut jam nemo judicare poſſit quid in Græcis veteris Teſtamenti Biblijs, ſit Septuaginta duorum Interpretum, quid verò *Theodotionis*. Tenendum eſt *Tertiò*, Verſionem illam 72. Interpretum, puram, & integram non haberi, nihilominus & hæc, quàm defactò habemus, omnibus alijs Græcis editionibus præferendam eſſe, utpotè cæteris puriorem, ac meliorem.

Obſervandum eſt 20. Circa Paraphraſim, ſeu verſionem Chaldaicam notandum eſſe: *Primò*, Chaldaicam lingvam eſſe quaſi prolem Hebrææ lingvæ. Differunt tamen inter ſe characteribus, verborum conjugationibus, affixis, punctis, & eorum mutationibus, ſono vocalium, idiotiſmis, & multis etiam proprijs dictionibus. *Secundò*, Paraphraſim Chaldaicam apud Judæos magnæ fuiſſe ſemper authoritatis, & Chriſtianis maximè eſſe utilem, ad Judæos in multis ex ea convincendos. *Tertiò*, Alioquin ab Eccleſia non úſque adeò magni fieri, neq; ex ea argumentum ſolidum, & firmum poſſe adduci (niſi argumentando ad hominem, hoc eſt contra Judæos, qui illam magnifaciunt) utpotè, quæ (exceptâ illâ, quæ eſt in Pentateuchum) Judaicis fabulis, & Thalmudiſtarum nugis conſperſa eſt. *Quartò*, non fuiſſe eam de verbo ad verbum, ſed de ſenſu ad ſenſum translatam, unde etiam non verſionis, ſed Paraphraſis nomen habet. *Quintò*, Authórem illius fuiſſe *Onchelum*, qui Pentateuchum & Jonatham Uſielis filium, qui Prophetas, & Joſephum cœcum, qui Pſalmos, Job, Ruth, Eſter, & Salomonis opera, tranſtulit.

Obſervandum eſt 21. Quid notandum ſit circa Syriacam verſionem? *Primò*, Certum eſſe vix ullum librum veteris Teſtamenti, Syriacâ lingvâ fuiſſe conſcriptum, niſi fortaſſis librum primum Machabæorum, & Eccleſiaſticum; ſed veriſimilius eſt hos quóque Chaldaicâ lingvâ fuiſſe conſcriptos. *Secundò*, Evangelium Matthæi, (uti & Epiſtolam Sancti Pauli ad Hebræos) non fuiſſe conſcriptum purè Syriacè, nec purè Hebraicè, ſed Syro-Hebraicè, quæ tempore Chriſti, & Apoſtolorum fuit popularis lingva Judæorum, qui in Captivitate Babylonica, multum ex ſua lingva obliti fuerunt, & Chaldaicam, ſeu Babylonicam perfectè non didicerunt, adeóque tertiam mixtam lingvam ex Syriaca, & Hebræa ſibi efformârunt. *Tertiò*, Hodie ſolùm No-

vum

vum Teſtamentum Syriacâ lingvâ, & Syriaco-Hebræâ exſtare, âtque de hujus verſionis Authore incertum protinus eſſe. *Quartò*, Non eſſe tantam hujus verſionis authoritatem, quanta eſt Græcæ, & Latinæ, haberéque eam nonnullos notabiles errores.

Obſervandum eſt 22. Teſtamentum Novum Græcum, quô utimur, non fuiſſe planè ſecundùm omnia Exemplaria intaminatum, in quibus negligentiâ librariorum, & malitia Hæreticorum, præſertim Marcionis, & Arianorum, partim additione, partim mutatione, partim detractione inveniuntur aliqui nævi. Dixi: *Secundùm aliqua Exemplaria.* Nam originale incorruptum, eſt infallibilis, ac divinæ authoritatis.

Obſervandum 23. Circa verſionem Latinam, ex omnibus verſionibus Latinis primæ authoritatis eſſe verſionem S. Hieronymi, quæ nunc vulgata editio dicitur. *Primò*, Quia fideliſſimum, & lingvæ Græcæ, ac Hebraicæ peritiſſimum Interpretem habuit, nempe Sanctum Hieronymum, qui potiores libros Scripturæ Sacræ, ex Hebraico fonte necdum corrupto, & ex Græco adhuc integro, magno cum labore tranſtulit, ac Novum Teſtamentum jam priùs editum emendavit, & ab erroribus, qui in illud irrepſerant, repurgavit. *Secundò*, Quia hæc verſio ab omnibus veteribus magno applauſu & approbatione acceptata fuit. Unde Sanctus Auguſtinus lib. 2. de Doctrina Chriſtiana, cap. 15. Judicavit omnibus alijs Editionibus eſſe præferendam. *Tertiò*, Quia puritate, & claritate omnes alias editiones, & verſiones Latinas ſuperat. *Quartò*, Quia hâc verſione Univerſa Eccleſia Latina uſa eſt, à mille, & ſuprà annis: omnes concionatores per tot ſæcula hanc explicaverunt, & populo propoſuerunt: Concilia ex hac, teſtimonia ad confirmanda fidei dogmata protulerunt, Interpretes, & Commentatores Scripturæ Sacræ, hanc pro norma, & fundamento ſuæ interpretationis acceperunt. Et, ut Hugo à Sancto Victore teſtatur, Eccleſiam, per univerſam Latinitatem, ſolam hanc legendam unanimi authoritate habendam conſtituiſſe, hoc eſt, in uſu habuiſſe. *Sextò* demum, Quia Concilium Tridentinum decrevit, ut hæc verſio authentica habeatur, ut nemo illam rejicere quovis prætextu audeat, aut præſumat.

Obſervandum tamen eſt 24. Concilium quando loquitur de hac vulgata editione, intelligendum eſſe de editione emendatiſſima, hoc eſt: ab omnibus nævis, qui librariorum incuriâ irrepſerant, expurgata. Unde

Obſervandum 25. In aliquibus Exemplaribus vulgatæ editionis Latinæ, librariorum, ſeu Typographorum aliquos errores inveniri, qui ad mentem interpretis, & conformiter ad Græcos, & Hebræos fontes ſunt corrigendi, ut illud: Effuſa eſt *contentio* ſuper Principes, Pſalm. 106. legendum eſt: effuſa eſt

contemptio

contemptio ſuper Principes. Item Pſalmo 104. *Et dedit* terra eorum ranas, legendum *edidit* terra. Ad hæc ubi habetur in Pſalmis: Sitivit anima mea ad DEUM *fontem vivum.* legendum eſt, ad DEUM *fortem vivum.* Et Pſal. 88. *Avertiſti* Teſtamentum ſervi tui, legendum eſt: *Evertiſti.* Item Pſal. 34. Induantur confuſione, & reverentiâ, qui *maligna* loquuntur ſuper me, abundat ſyllabâ *li*, & legendum eſt, qui *magna* loquuntur ſuper me. Item Pſal. 136. Beatus qui tenebit, & allidet parvulos *ſuos* ad petram: legendum eſt, parvulos tuos, ut habent Græca, & Hebraica exemplaria. Item Iſaiæ, 32. Quid dicam, aut quid reſpondebit mihi cùm ipſe fecerim; legendum eſt, cùm ipſe *fecerit.* Item Pſal. 26. quod dicitur, ut videam *voluntatem* tuam, legendum eſt *voluptatem* tuam. Item Pſal. 104. Dixit, & venit *Cynomyia* & Ciniphes, legendum eſt *Cænomyia*, hoc eſt non canina, ſed communis muſca. Item Pſal. 75. Ibi, confregit potentias, *arcum*, ſcutum, gladium, & bellum, legendum eſt in plurali, *arcuum.* Item Eccleſiaſt. 29. Repromiſſio nequiſſima, multos perdidit *diligentes*, legendum eſt, *dirigentes.* Qui errores non ſunt ipſius vulgatæ editionis, ſed librariorum, unam literam, vel ſyllabam commutando in alteram, aut addendo, vel demendo ex inconſideratione, ac incuria.

Obſervandum 26. Etiam in Scriptura Novi Teſtamenti, nonnullos tales errores librariorum reperiri, per unius literæ aut ſyllabæ mutationem, additionem, vel omiſſionem. Ut eſt illud, Lucæ 10. *Suſpiciens* autem JESUS, pro *ſuſcipiens.* Et apud Joan. 19. *Lycoſtratos*, pro *Lythoſtratos.* Et Lucæ 15. De muliere, quæ perdidit Drachmam, dicitur: quòd acendit lucernam, & *evertit* totam domum, legendum, & everrit totam domum. Item 1. ad Corinth. 15. Quotidie morior, *propter veſtram gloriam*, fratres, legendum eſt, *per gloriam veſtram.* Et in 2. Petri 1. *Non enim indoctas* fabulas ſecuti, legendum eſt: *non enim doctas* fabulas ſecuti. Et ibidem: Notam facimus vobis Domini JESU Chriſti *præſcientiam*, legendum eſt: *præſentiam.* Et Actorum 16. de Timotheo dicitur, quòd eſſet filius *mulieris viduæ*, legendum eſt: *mulieris Judææ.* Item Lucæ 23. Et turba *expectans*, legendum eſt: & turba *ſpectans.*

Obſervandum 27. In Latinis Biblijs, (imò, & in vulgares lingvas verſis) vel conſilio Spiritûs Sancti, vel propter ſanctioris antiquitatis authoritatem, vel quòd commodè in alienam lingvam minimè poterant verti, niſi paraphraſticè, & per circumſcriptionem quaſdam voces Hebræas retentas eſſe. Talis vox eſt Emmanuel, Raca, Corbona, Manna, Sabbathum, Paſcha, Golgotha, Alleluja, Cherubin, Seraphin, Amen, Hoſanna, &c.

Obſervandum 28. Ex Græca lingva longè adhuc plures voces derivatas eſſe ad nos, quas tamen jam uſus Scripturarum, & conſvetudo Latinorum

permollivit. Quales sunt: Biblia, Genesis, Exodus, Deutoronomium, Paralipomenon, Prophetæ, Psalmus, Paraclytus, Presbyter, Mysterium, Diaconus, Episcopus, Character, Pentecoste, Parasceve, Gazophilacium, Eunuchus, Monachus, Eucharistia, Abyssus, Grabatum, Catechysmus, Drachma, Didrachma, Alabastrum, Chronographia, Hæresis, Thalamus, Lecythus, & nonnulla alia his similia.

Observandum 29. Nec propterea Hebraicis, Græcisque fontibus puris à Concilio prælatam esse vulgarem Latinam Editionem, tantùm enim meminit aliarum in lingvam Latinam versionum, & quidem nostris temporibus factarum, dum ait: Illas quæ circumferuntur defactò, omnes omninò superare, ac cunctis præferendam esse. Undè bene notat *Bellarminus* lib. 2. de verbo DEI, cap. 11. Falsum esse id, quod comminiscuntur hæretici, per hanc approbationem vulgatæ editionis à Concilio Tridentino, nobis prohibitum esse ad fontes Hebraicorum, & Græcorum Codicum recurrere, id enim nobis omninò licitum est, occurrente rationabili causâ. *Primò*, Si adsint Codices Hebraici, & Græci puri, & non corrupti. *Secundò*, Quando in vulgata Editione, videtur aliquis librariorum, seu Typographorum error, ut ex. gr. Eccl. 45. Dedit illi coràm Præcepta, cùm antè pravè legeretur cor ad præcepta. Et illud Psal. 77. ad DEUM fontem vivum, pro ad DEUM fortem, vivum; nam in Hebræo, & Græco Textu, expresse est fortem, & non fontem. *Tertiò*, Quando Latini Codices variant, ita, ut non possit certò statui, quæ sit vera vulgata lectio. Sic Josue 5. quidam Codices habent: Quibus juravit, ut ostenderet eis terram fluentem lacte, & melle; quidam verò habent, ut non ostenderet; vera videtur esse lectio posterior, nam in Hebræo constanter additur *Non*. *Quartò*, Cùm verbum aliquod vel sententia est in Latino anceps, sic id quod legimus Genes. 3. Maledicta terra in opere tuo: ambiguum est, an intelligi debeat de opere futuro, id est, dum coles eam, vel de præterito, id est, de peccato tuo, propter quod terra est maledicta. At in Hebræo non est ambiguum, in quo, illud, in opere tuo, ponitur, propter te, id est, propter peccata tua. *Quintò*, Ad intelligendam energiam vocabulorum, quæ in Græco, & Hebraico Textu, utpotè originali magìs emphaticè exprimuntur.

Observandum 30. Non esse ullo modo culpandam versionem, sive Græcam: sive Latinam, ex eo, quòd propria nomina rerum, vel personarum non pronunciet sono, & more Judæorum, sed ad suæ lingvæ formam inflectant. v. g. nomina Hebraica; *Jessa-hiachu, Jermijachu, Jejudach, Somroa* pronunciando leniùs Ezechias, Jeremias, Judæa, Samaria. Nam, & Septuaginta duo Interpretes, qui 300. annis ante Christum verterunt Biblia, ex Hebraico

Textu

Textu in Græcum, ea more Græcorum pronunciant. Et Sanctus Hieronymus (in Latina versione more Latinorum, ac omnes veteres Sancti Patres easdem retinuerunt terminationes, quin & ipsi Apostoli, & Evangelistæ ijs usi fuerunt. Unde, & Josephus Judæus lib. 1. Antiquitat. cap. 2. ait; debere Hebræa nomina, dum vertuntur Græcè (vel Latinè) leniri, quà molliùs, & blandiùs sonent. Et certè ridiculum esset, si quis Germanicum, vel Hungaricum librum in Latinum sermonem vertendo, nomina propria rerum, vel personarum, Germanicè, vel Hungaricè, quoad pronunciationem, vel terminationem in Latino poneret.

Observandum est 31. Catholicorum authorum versiones Latinas Bibliorum; ut sunt Xantis Pagnini, & Francisci Vatabli, ac aliorum, utiles quidem esse quoad varias Scripturarum explicationes, & ad sensus diversos, tam literales, quàm mysticos formandos, & eruendos valdè accomodas, ad authoritatem tamen vulgatæ editionis non accedere. Hæc siquidem omnibus alijs versionibus, à Concilio Tridentino Sess. 9. est prælata, & à veteribus Patribus, ac Authoribus, universâque Ecclesia tot sæculorum usu approbata.

Observandum est 32. Bibliorum versiones Latinas, & (à fortiori) in vulgares lingvas ab Acatholicis hujus, & prioris sæculi factas, esse mirum in modum deformatas, ac proinde nullius penitus authoritatis, imò summè perniciosas. *Primò*, quia inter se plurimùm discrepant, ita, ut unum, eundémque Scripturæ Textum, aliter Lutherus, aliter Pellicanus, aliter Münsterus, aliter Tigurina Biblia, aliter Oecolampadius, aliter Tremelius, aliter Beza, aliter Erasmus, aliter Jacobus Fabri, aliter Karolius in Biblijs Hungaricis, vertant, & pervertant. *Secundò*, Quia plerique hi Bibliorum novi translatores, fuêre à Fide, ac Religione Apostatæ, & vitæ profligatissimæ. *Tertiò*, Quia multa in illorum versionibus pro beneplacito uniuscujúsque translatoris sunt addita, aliqua subtracta, vel immutata. *Quartò*, Quia de nulla versione sua inter se convenire possunt Acatholici, quænam sit illarum vera, quam enim una pars approbat, altera reprobat, & erroribus ac mendacijs plenam esse arguit. *Quintò*, Quòd hæ translationes factæ sint non ex affectu, & studio veritatis indagandæ, sed ex passione contra Ecclesiam Catholicam, & affectu conformandi Scripturas suis opinionibus, non suum judicium ipsi Scripturæ. Quantò feliciores sunt etiam in hac parte Catholici, qui unam eandémque versionem Latinam, pro authentica, & indubitata omnes unanimiter agnoscunt, à tot sæculis retentam, à Sanctissimo, & fidelissimo, pretiosissimóque interprete translatam, ab omnibus veteribus dilaudatam, & judicio totius Ecclesiæ approbatam, ac ab ipsis Hæreticis multis,

novis istis versionibus meritò prælatam. Ubi etiam nota, falsò imponi ab Heterodoxis Ecclesiæ Catholicæ, quasi ea universim, simpliciter, & absolutè Laicis prohibeat lectionem Scripturæ Sacræ, vetat enim duntaxat, ne sine delectu, & sine suorum Episcoporum facultate, quasvis versiones legant, & talibus personis, de quibus est periculum scandali, vel gravis erroris, ex inconsiderata Scripturarum lectione, & talium præsertim versionum, malaq; illorum intelligentia.

Observandum 33. Quid sentiendum sit de libris Scripturæ, qui ampliùs non extant, quos tamen extitisse Scriptura Sacra testatur. Cujusmodi sunt: *Liber Bellorum Domini*. Numer. 21. *Liber Justorum*, de quo Josue 10. & 11. Regum 1. *Liber verborum dierum Salomonis*, de quo 3. Regum 11. *Liber Regum Israël, & Juda*, contradistinctus ab ijs, qui nunc in Scriptura extant, de quo 3. Regum 14. fit mentio. Libri Nathan Prophetæ, & volumen Gad videntis, seu Prophetæ, de quibus 1. Paralipomenon 29. Historia Jehu, de qua 2. Paral. 20 & alijs his similibus, quorum hodie vestigia nulla extant? Respondeo: omnes hos fuisse Apocryphos, si enim fuissent libri Canonici, nec Synagoga, nec Ecclesia eos interire permisisset. Deinde Esdras, cùm restauràsset libros Sacros, eósque in unum corpus redegisset, prædictos libros non retulit in Codicem librorum Scripturæ Sacræ. Ergo censuit illos esse Apocryphos, in latiori significatione hoc nomine sumpto, hoc est, non quòd omnia, quæ in ijs continebantur, fuerint falsa, sed quòd minùs authenticæ fidei fuerint.

Observandum 34. Ad rectè intelligendam Scripturam Sacram, necessariò admittendum esse duplicem Scripturæ Sacræ sensum, unum *Literalem*, seu historicum; alterum *Spiritualem*, seu mysticum; *Literalis* est, qui propriè, seu immediatè significatur per ipsa verba, sive ea sint verba propria, sive Metaphorica. Mysticus verò, qui non significatur proximè per ipsa verba, sed per rem significatam ipsis verbis. Et Mysticus iterum subdivitur in Allegoricum, Anagogicum, & Moralem, seu Tropologicum, *Allegoricus* est: quando verba Scripturæ, præter sensum literalem, quem habent, significant aliquid pertinere ad fidem, vel Ecclesiam militantem. *Anagogicus* est: quando verba Scripturæ, præter sensum literalem, significant aliquid pertinens ad vitam æternam, seu Ecclesiam triumphantem. *Moralis* est: quando verba Scripturæ, præter sensum literalem, significant aliquid pertinens ad instructionem morum. Exemplo sit, Textus ille Sancti Pauli ad Gal. 4. *Scriptum est, quòd Abraham duos filios habuit, unum de ancilla, alterum de libera.* Sensus literalis est, quòd Abraham genuerit Isaac ex uxore, & Esau de Agar ancilla, Allegoricè autem significat juxta eundem Paulum, duo Testamenta. *Anagogicè*, duplicem statum Ecclesiæ, militantis, & triumphantis, *Moraliter* duplicem statum

ſtatum in Eccleſia militante, perverſorum ſcilicet, & rectè viventium. Sic etiam ad literam. *Hieroſolyma*, eſt illa terrena Civitas Palæſtinæ : juxta Allegoriam, Eccleſia: juxta Tropologiam, Anima: juxta Anagogiam, Patria cœleſtis.

Obſervandum eſt 35. Ad veram germanámque Scripturarum Sacrarum intelligentiam, plurimùm referre conſiderationem conſenſionis earundem inter ſe, ídque externè, vel internè. Externè quidem, quoad tempus, locum, perſonas, & finem, ſeu rem, de qua in illis agitur. Internè verò, quoad diverſorum locorum Scripturæ, mutuò ſe illuſtrantium, & elucidantium combinationem. Ut Ex. gr. Matt. 5. legimus : *Quicúnque dimiſerit uxorem, niſi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur.* Suboriri poſſit dubium, an ergo is non mœchatur, qui ob fornicationem dimittit uxorem, & aliam ducit? Verùm hunc locum Matthæi univerſaliter intelligendum eſſe, adeóque & talem mœchari, qui dimiſsâ uxore, etiam ob fornicationem, aliam ducit. Sic ex alijs Evangeliſtis illuſtratur hic locus. Nam Marcus, & Lucas univerſaliter ponunt: Omnis qui dimiſerit uxorem ſuam, & duxerit alteram, mœchatur.

Obſervandum 36. Habendam quóque eſſe rationem, uniuſcujúſque ſententiæ cum antecedentibus, & conſequentibus optimè cohærentiæ. De qua Sanctus Hieronymus in Epiſt. ad Galat. cap. 5. ſic nos admonet : *Prudentem ſemper lectorem admoneo, ut conſideret priora, media, & conſequentia, & nectat ſibi univerſa, quæ ſcripta ſunt.*

Obſervandum 37. Attendendum eſt, quando Scripturæ loquuntur de generibus ſingulorum, & quando de ſingulis ſub genere contentis, aliàs enim, ſi unum pro altero accipiatur, ingens ſequitur confuſio. Non enim licet affirmare de ſingulis generum, quæ dicuntur de generibus ſingulorum, nec vice versâ.

Obſervandum 38. Scripturas aliquando loqui eodem contextu de Chriſto, & ejus corpore myſtico, nempe Eccleſia, quæ duo unam perſonam conficiunt, ſed diverſo reſpectu, capitis videlicet, & corporis. Sic de Chriſto dictum eſt: quòd ſit ſemen Abrahæ. Et tamen Sanctus Paulus ad Galat. 3. de Chriſtianis dicit: quòd ſint ſemen Abrahæ.

Obſervandum 39. Sacras Scripturas loqui ſubinde de Corpore Chriſti myſtico, bipartito, ſeu permixto ex bonis, & malis: ſive de Eccleſia, prout in ea ſunt boni, & mali.

Obſervandum 40. Eos, qui Græcè, & Latinè Scripturam Sacram ex lingva Hebraica verterunt, ſervâſſe in multis ipſius lingvæ Hebraicæ Idiotiſmos, ſeu ejuſdem proprios modos loquendi, fidelitate religiosâ Textui inhærentes,

hærentes. Sic, quia Hebræi unum duntaxat quoad inflexionem casum habent. Sanctus Paulus 2. ad Corinth. casum pro casu ponit, sive pro Tito, sive *Fratres nostri*, dicendum enim esset, *Fratribus nostris*.

Observendum 41. Ad Idiotismos quóque Hebraicos spectare, dum aliquando pro indicativo, vel imperfecto, præteritum, aut participium ponitur. Ut Psalmo 115. Credidi propter quod locutus sum, ideſt loquebar. Et 1. ad Corinth. 12. Ad simulacra euntes, pro ibatis.

Observandum 42. Quòd cùm Hebræi comparativo, & superlativo careant, positivo pro ijs utantur, & in hoc fuisse eos imitatos etiam in Latinæ, & Græcæ lingvæ, Scripturarum versores. Ut est illud: Bonum est confidere in Domino, quàm in homine, hoc est: *meliùs* est.

Observandum 43. Quòd Hebræi in comparatione illud quod præferunt, affirmant, quod postponunt, negant. Ut, Misericordiam volo, non Sacrificium, id est: magìs, quàm Sacrificium.

Observandum 44. Quia sunt tantùm 1020. radices Hebræorum, inde fieri, ut vox una multa significet, atque hinc oriri varias ejusdem vocis Hebraicæ versiones, & explicationes.

Observandum 45. Præpositiones in Hebræo textu accipi sæpè conjunctivè, ut Eccl. 4. Erubescere à Patre; id est, coram Patre. Conjunctionem item *Et*, aliquando pro disjunctiva, aliquando pro copulativa sumi, imò & causali, ac adversativa: Præpositiones item *In*, & *Secundùm*, omnium aliarum præpositionum vicem, & significationem tenere.

Observandum 46. Particulam *Quia*, & *Propter quod*, sæpè non causam, sed eventum, aut consecutionem significare. Particulas item, *eò quod*, *quoniam*, quandoque pro *etsi*, & *quamvis*, poni. Ut, Confitebor tibi Domine, quoniam iratus es mihi, ideſt, quàmvis. Isai. 12. Demùm particulam *si*, esse particulam modò admirantis, modò jurantis.

Observandum 47. Cùm Hebræi pauca nomina specifica habeant, sed tantùm generica plantarum, gemmarum, & animalium; hinc fieri, ut idem nomen diversè vertatur, siquidem Græci, & Latini non habent generica nomina illis correspondentia. Sic *Tanim* Hebraicum, est quidquid animalium monstrosæ est magnitudinis. Genes. 1. Cetum, seu Balenam, alibi Draconem, & alibi Faunum, Sirenem, & ironicè passerem vertunt Interpretes.

Observandum 48. Eandem ob causam retentas esse aliquas voces Hebræas, in Græca, & Latina versione; nam Græci, & Latini, cùm rebus significativis carerent, carebant etiam nominibus, ut sunt: *Setim*, *Hin*, *Gomer*, Ephi, & varia mensurarum nomina.

Observandum 49. Sæpè apud Hebræos Abstracta pro Concretis poni: Ut, Circumcisio, Præputium, pro circumcisis, & præputiatis. *Obser-*

Observandum 50. Nomina Orientis, Occidentis, Septemtrionis, Meridiei, aſſignari in Scripturis, reſpectu Jeruſalem, & Terræ Sanctæ.

Observandum 51. Verba addita ejuſdem vocis participio, ſignificare Emphaſim, ut faciens faciam, id eſt: expeditè, & certo ſucceſſu. Caſtigans caſtigavit me Dominus, ideſt vehementer.

Observandum 52. Sæpè in Scripturis verba non actum, ſed agendi debitum, & officium notare. Ut illud: Ipſi enim pervigilant, ideſt: pervigilare debent. Et illud Matthæi 21. Verebuntur filium meum, ita enim eſſe debuerat, licèt aliter evenerit.

Observandum 53. Veram intelligentiam Scripturarum haberi non poſſe, ſine Apoſtolicis, & Eccleſiaſticis traditionibus. Probatur id ex illis verbis 2. ad Theſſalonicenſes 2. State, & tenete traditiones, quas didiciſtis, ſive per ſermonem ſive per Epiſtolam noſtram. Quas proinde Sanctus Dionyſius cap. 1. Cœleſtis Hierarchiæ, meritò, Scripturarum ſubſtantiam appellat. Quam obſervationem ſic explico: Quando eſt aliquod dubium circa ſenſum alicujus Textûs Scripturæ, recurrendum eſſe ad Sanctos Patres primitivæ Eccleſiæ, in quo ſenſu illi eundem Textum intellexerunt. Et niſi hanc Regulam admittant Lutherani, & Calviniſtæ, contra Arianos ſolidè argumentari non poſſunt.

Observandum 54. Non eſſe à propria vocum & verborum ſignificatione, ex qua rectus ſenſus formari poteſt, recedendum, niſi manifeſta & valida ratio ad figuratum aliquem modum loquendi, nos cogat. Aliàs enim totus ſenſus literalis Sacræ Scripturæ periret.

Observandum 55. In ſenſu literali Sacrarum Scripturarum, non tantùm Scripturam Sacram divinam authoritatem habere, ſed ea omnia, quæ ex illis neceſſariâ, & evidenti conſequentiâ deducuntur. A quo id quod per talem deductionem infertur, ſi formaliter contineatur in divina revelatione erit de fide divina; ſi verò duntaxat virtualiter, erit certum ſolùm per conſenſum & actum purè Theologicum. Hinc ipſe Salvator noſter, in Evangelio, Matt. 22. Saducæos de immortalitate animæ dubitantes, illis verbis, quæ habentur in lege, Exodi 3. *Ego ſum DEUS Abraham, &c.* confutavit: *Non eſt DEUS mortuorum, ſed viventium*, tacitè ſubinferendo. Ergo datur immortalitas animæ. Et Sanctus Gregorius Nazianzenus, ex illis verbis 44. & 48. Ego ſum primus, & poſt hæc, & ante me non eſt ullus alius DEUS, & poſt me non erit. Deducit infallibili conſequentiâ DEUM eſſe ingenitum, & immortalem, licèt in Scriptura ſub his terminis id non explicetur.

Observandum 56. Plerúmque nomina Hebræa juxta conſvetudinem Græcæ, & Latinæ lingvæ inflecti, ut dicamus, Adamum, Abrahamum, Davidem. Cu-

dem. Cujus inflexionis eſt hæc utilitas, quia per eam tollitur ambiguitas vocis, quo in caſu ſine circuitionibus accipi debeat. Hebræi ſiquidem caſus non habent, ſed articulos nominibus præfigunt, manente voce indeclinabili, quod ſi fieret apud Græcos, vel Latinos, magna redderetur circa ſenſum alicujus Textûs Scripturæ confuſio.

Obſervandum 57. Libros Scripturæ Sacræ olim non fuiſſe diviſos, in Capita, & Verſus, præter Pſalmos, (quibus numeros additos fuiſſe, à Septuaginta duobus Interpretibus, teſtis eſt Hilarius) Partitio ergo divinorum voluminum eſt poſtmodùm inventa, commodioris doctrinæ, & diſciplinæ gratiâ.

Obſervandum 58. Collectiones illas, ſive ſummas, quæ ſingulis Capitibus initiò Scripturæ Sacræ præfiguntur, à diverſis authoribus inventas, & excogitatas, cùm non ſint de Textu, nullam authoritatem habere, imò quandóque etiam eſſe pernicioſas, & periculoſas, quia interdùm ſunt ab indoctis hominibus, imò etiam ab Hæreticis inventæ, ad imponendum Catholicis, ut ſua illis dogmata perſvadeant. Sed néque Eccleſia approbando Textum vulgatæ Editionis, collectiones has, & ſummulas eo ipſo approbavit.

Obſervandum 59. In Teſtimoniis Prophetarum, in Evangelio, vel ſcriptis Apoſtolorum allatis, non ſemper citari verba, ſed interdùm ſolum ſenſum verborum, nec ſemper omnia verba alicujus Textûs, ut ſuô locô ſunt illa poſita, adduci, ſed vel initium, vel finem illius, prout præſentis cauſæ requirebat aſſertio: & aliquando ex varijs Prophetis, unum Teſtimonium confici.

Obſervandum 60. Ex Sancto Auguſtino, libro uno, de Unitate Eccleſiæ. Ut ſi aliquis locus Scripturæ Sacræ explanandus ſit, præcedentia quóque ejuſdem loci, & ſequentia conferantur. Quod ſanè in omnium Authorum explicatione ſervandum eſt.

Obſervandum 61. Etiam literas, ſyllabas, & apices Scripturarum eſſe expendendas Theologis, ut monet Sanctus Baſilius, in Prooemio libri de Spiritu Sancto, Tom. 1. Hom. 7. & cauſam hujus addit: Quia inflexu, vel interpoſitione unius literulæ, totam turbari ſententiam neceſſè eſt. Et in Hexameron: ſic ait: Intoleranda prorſus, & gravis blaſphemia fuerit, vel verbum in Scriptura inveniri otioſum.

Obſervandum 62. Ad reconciliandos Scripturæ Textus, qui ſibi contrariari, vel contradicere videntur, diſtingvenda eſſe tempora, *in quibus*, perpendendas quóque cauſas, *ob quas*, conſiderandus locus, *in quo*, vel perſonæ, *à quibus* ſunt illi prolati, explicandas quoque eſſe voces ambiguas. Juxta illud elegans dictum: Diſtingve tempora, & concordabis Scripturas.

Obſer-

Observandum 63. Optimam Scripturæ interpretationem censeri, in qua vetus Testamentum, cum novo consentire ostenditur.

Observandum 64. Diligenter inspiciendum esse, quomodo oratio sit distingvenda, vel pronuncianda. Distinctio enim, quæ sensum regulis Fidei, & Charitatis repugnantem generat; vel præcedentibus, & subsequentibus adversatur, vitanda est, & respuenda; quæ verò est conformis, amplectenda. Sic Augustinus locum illum, ad Rom. 8. *DEUS, qui justificat, quis est, qui condemnet?* per interrogationem pronunciandum docet. Ut etiam illud: Frater non redimit, redimet homo? quasi dicat, minimè. Unde Concilium Aquisgranense, cap. 3. Multa (inquit) in Scriptura sunt, quæ nisi proprio modo pronuncientur, in contrariam recedent sententiam; id est, si affirmativè legantur, quæ interroganter legenda erant; vel è contrario: vel si simpliciter legantur, quæ ironicè intelligenda sunt.

Observandum 65. Quæstionem, vel interrogationem Sacræ Scripturæ, vel precationem, ex ipsa responsione, vel ex auditione interpretandam esse; hæc ipsa siquidem resolvit, in quo sensu quæstio, vel interrogatio, & quæ intentio orationis fuerit.

Observandum 66. Circa historicam narrationem Scripturarum, hanc poni à Sancto Hieronymo regulam; in caput Hieremiæ 28. *Multa* (inquit) *in Scripturis Sanctis dicuntur, juxta opinionem illius temporis, quæ gesta referuntur, & non juxta quod rei veritas continebat.* Sic Joseph in Evangelio, Pater Domini vocatur, opinione scilicet communi hominum, non rei veritate.

Observandum 67. In enarratione Genealogiarum, vel rerum gestarum, Scripturam non semper generationis, vel vocationis ordinem, sed dignitatis etiam, consvevisse servare. Sic in libro 1. Paralip. 2. Judas prior est nominatus, cùm esset ordine generationis quartus; dignitatis scilicet ordine, utpote, à quo Judææ genti nomen datum est. Et in epist. ad Hebræos, Sanctus Paulus præponit Jacob, & Esau postponit, licèt hic natu major fuerit.

Observandum 68. Quoniam Scripturæ sacræ traditæ sunt nobis potissimùm triplici Idiomate: Hebræo, Græco, & Latino. Nominum Hebræorum ethymologiam solùm à lingva Hebræa petendam esse, Græcorum à Græca, Latinorum à Latina.

Observandum 69. Consvetum esse Scripturis Sacris, Hebræis nominibus interpretationem adjungere. Ut Exodi 12. Est enim *Phase*, (idest transitus) Domini. Et Joannis 1. Invenimus *Messiam* (quod interpretatur Christus) Et cap. 9. ejusdem: Natatoria *Siloë*, (quod interpretatur, Missus) Et Actor. 1. *Haceldama*, (hoc est, ager sangvinis)

Observandum 70. Moris esse Sacris Scriptoribus unum, eundémque homi-

nem varijs nominibus appellare. Et è contrà, propria nomina, quæ ab initio erant, unius hominis, pluribus applicare. Sic *Raguel*, socer Moysis, etiam *Jethro* nuncupatur. *Salamon*, ideſt; Pacificus, dictus eſt etiam *Jezida*, ideſt; dilectus Domini: & *Coheleth*, ideſt: Eccleſiaſtes. Jacobus Alphæi, dictus eſt Jacobus juſtus, & Jacobus minor. Petrus, & Simon, & Cephas. Econtrà Reges Ægypti dicuntur Pharaones, licèt hoc nomen erat unius perſonæ proprium. Similiter Reges Babylonis, Nabuchodonoſores; & ſic de cœteris. Sicut apud nos omnes Imperatores dicuntur Cæſares, & Auguſti, licèt hæc nomina fuerunt initio propria certorum Imperatorum. Unde, niſi ad hanc obſervationem attendatur diligenter, facilè ſequitur magna in Scripturis rectè intelligendis perturbatio.

Obſervandum 71. Scripturam Sacram à fabuloſis quibuſdam nominibus, & jam uſu receptis, non abhorrere, eò quòd videantur ſignificantiora. Sic recenſet Scriptura: *Hyadas*, *Arcturum*, *Onocentauros*, *Orionem*, *Plejades*, *Titanes*. Et cœtera his ſimilia vocabula, Gentilium fabularum cauſas, & originem habentia.

Oſervandum 72. A Prophetis, & Apoſtolis earum Gentium, ad quas ſcribunt, vel contra quas prophetârunt, multa vocabula, ac phraſes frequenter adhiberi, ad majorem dictorum intelligentiam.

Obſervandum 73. Cùm Divina Hiſtoria narrat opera DEI, eam enarrare interdum, non tam illa, quæ fecit, quàm quæ facere poteſt DEUS. Ut Pſalmo 103. Qui reſpicit terram, & facit eam tremere, ideſt: potuit eam facere tremere. Et apud Job: Qui præcipit ſoli, & non oritur, ideſt: poteſt præcipere, & efficere, ut non oriatur.

Obſervandum 74. Quæ fieri præcipiuntur, ea non tam perficientibus, quàm jubentibus adſcribi, in Sacra Scripcura. Joannis 4. JESUS dicitur baptizare, non manu propriâ, ſed per Apoſtolos. &, filijs Zebedæi petentibus, per matrem ſubornatam, reſpondet Chriſtus: Neſcitis quid petatis. Et 2. Regum 12. reprehenditur David à Nathan Propheta: *Uriam* (inquit) *Hethæum percuſſiſti gladio*, cùm tamen non ipſe, ſed miniſtri ejus id fecerint.

Obſervandum 75. Uſitatum eſſe in Scripturis, ut bona, quæ facimus adſcribantur DEO. Sic Paulus ad Hebræos 5. ait de Chriſto, didicit ex ijs, quæ paſſus eſt, obedientiam, id eſt: diſcere alios fecit (ut interpretatur Sanctus Ambroſius.) Et 2. ad Corinth. 2. DEO gratias, qui ſemper triumphat nos in Chriſto JESU, ideſt: triumphare facit.

Obſervandum 76. Tunc ſæpe aliquid fieri in Scriptura dici, cùm id alijs detegitur. Sic illud: *Sanctificetur nomen tuum*, explicat Sanctus Auguſtinus, ideſt: ut Sanctum eſſe innoteſcat, non quaſi aliquando Sanctum non ſit.

Obſer-

Observandum 77. Quando in Scripturis, DEUS dicitur aliquid ſcire, ſive cognoſcere; neſcire, vel non noſcere; ſi præſertim ſermo ſit de perſonis, & non rebus, vel certè de rebus, ſed ut perſonis conjunctis, non tam pro nudo *ſcire*, vel *neſcire* accipi, quàm pro approbare, & diligere; vel reprobare, aut indignum DEI ſcientiâ eſſe. Sic illud Lucæ 13. Diſcedite à me operarij iniquitatis, neſcio vos. Et illud Matthæi 25. Quod fatuis virginibus dicitur: Neſcio vos. Et illud Hieremiæ. Priuſquam te formarem in utero, novi te, id eſt: *dilexi*. Et Pſalmo 1. Novit Dominus viam juſtorum, ideſt: approbat, & complacet ſibi in illa.

Observandum 78. Attendendum eſſe in Scripturis, quis, & quibus, & quid præcipiant. Nam quædam omnibus præcipiuntur, ut Decalogus; quædam Hebræis ſolis, pro ſtatu veteris Teſtamenti, quæ nos minimè obligant; quædam verò fidelibus, pro ſtatu novi Teſtamenti. Et inter hæc, quædam peculiaribus ſtatibus, ut illud Chriſti: Matth. 19. *Vade, & vende omnia, & da pauperibus, & veni, & ſequere me.* Non ſe extendit ad omnes Chriſtianos. Sic Chriſtus alloquitur aliquando Apoſtolos, & in eis omnes, qui Chriſtum profitentur, ut cùm dixit: *Niſi abundaverit juſtitia veſtra, plus quàm Scribarum, & Phariſæorum, non intrabitis in Regnum Cœlorum.* Aliquando, ut erant Sacerdotes, & Rectores animarum. Ut cùm dixit: *Hoc facite in mei commemorationem*; &, *quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis.*

Observandum 78. Licèt ſenſus literalis Scripturæ ſervandus ſit, quamdiu valida aliqua ratio non obſtat, quotieſcúnque tamen aliquid in Scriptura invenitur, quod, ſi propriè ſumeretur, ſequeretur inde aliquod ſpeciale abſurdum; aut bonis moribus, & genuinæ Charitati, DEI ſcilicet, & proximi, contrarium; aut aliquid impoſſibile: non eſſe, dubium, figuratam eſſe locutionem. Sic Chriſtus, Matthæi 18. loquens ad turbas, & Apoſtolos, non hortabatur eos, ad membra ſana præſcindenda, aut ad ſe ipſum caſtrandum, aut ad Parentes odio habendos in ſenſu, quem propriè illa verba ſignificant; unde figuratè illa verba intelligenda eſſe ratio ipſa dictat. Hinc Sanctus Auguſtinus, libro de Doctrina Chriſtiana monet: *In principio cavendum eſt, ne figuratam locutionem, ad literam accipias: Ad hoc enim pertinet, quod ait Apoſtolus: Litera occidit, ſpiritus autem vivificat.*

Observandum 80. Pſalmos omnes, qui in Davidis perſonam non poſſunt convenire, juxta regulam Apoſtolicam, de Chriſto eſſe intelligendos, ac in perſona Chriſti fuiſſe decantatos: quin & illos, qui perſonæ Davidis aptari poſſunt, non tamen aliquo Meſſiæ carent myſterio. Similiter Prophetas, multa non in ſua, ſed in perſona Chriſti fuiſſe locutos, ac denique, totum vetus Teſtamentum, fuiſſe umbram, & figuram novi Teſtamenti, & ipſius Chriſti.

Obſervandum 81. Prophetijs ſacris hoc eſſe proprium, ut multa frequenter in ijs, dicantur de alijs, & impleantur in alijs. Notavit hanc regulam S. Chryſoſtomus homil. 8. in Matthæum: quæ confirmari poteſt etiam exemplis. Nam Geneſ. 49. dicitur de Simeone, & Levi: *Dividam eos in Jacob, & diſpergam eos in Iſraël.* Hoc enim non ipſis, ſed poſteris eorum factum eſt, qui de illorum ſtirpe proceſſerunt. Nam tribus *Levi*, propriam hæreditatem non accepit, ſed in omnibus tribubus paucas urbes ad habitandum. Et de tribu *Simeonis* dicitur Joſue 19. Quòd proprium funiculum (ideſt diviſionis partem ex terra ſancta) non ſit conſecutus, ſed de tribu Juda partem aliquam accepit. Adfert idem Sanctus Pater & illud: quod dictum eſt à Jacob: *Eſto Dominus fratrum tuorum, & adorent te filij Patris tui.* Quod non eſt completum in Jacob, cùm ipſe timeret Eſau, & genua coram illo flecteret, ſed in poſteris ejus, quando Idumei ſerviêrunt Judæis, ut habetur 2. Regum 3.

Obſervandum 82. Ante omnia, quando locum Scripturæ aliquem rectè intelligere volumus, tria eſſe diligenter conſideranda: nempe: *quando* ſcriptum eſt, quod dicitur; *perſona*, quæ dicit, vel *per quam*, aut *de qua* aliquid dicitur: & res, *propter quam* ea ſcribitur. Sic enim ábſque errore, ſenſum poterimus verum inveſtigare. Ut monet Sanctus Cyrillus. Hinc

Obſervandum 83. In Scripturis quidem omnibus, ſed præſertim in Pſalmis, & Canticis, & in Prophetis, frequenter eſſe mutationem, & variationem perſonarum, & in ipſis perſonis variationem affectuum; hæc autem maximè Scripturis tenebras adferre ſolent, niſi accuratè ad eam attendatur.

Obſervandum 84. Imperativum modum in Scripturis non ſemper habere formam præcepti, nam modus imperandi adhærens nominibus divinis habet vim deprecandi: Interdum Imperativo utitur DEUS in conſilijs dandis, vel admonitione, ſive exhortatione. Eſt etiam Imperativum, quo peculiarem poteſtatem Dominus conferre ſolet. Servit interdum ad exprimendas comminationes; Eſt etiam uſus futuri Imperativi modi, in tertia perſona, loco optativi, more Hebræo: Solent etiam Prophetæ Imperativo modo, mala adverſarijs imprecari, non quidem ea mala ijs optando, ſed potiùs prædicendo.

Obſervandum 85. Quæ de Chriſto in Scripturis pronunciantur, diligenter inſpicienda eſſe, ne quæ œconomicè de Filio DEI dicuntur, hoc eſt: juxta humanitatis diſpenſationem, accipiantur Theologicè, hoc eſt: juxta proprietatem divinæ naturæ, & è contrà.

Obſervandum 86. Quoties in ſacris Literis DEUS dicitur unus, aut ſolus DEUS, & alius præter eum nemo, id accipiendum eſſe, non ad excludendas Perſonas Divinas, Filium, & Spiritum Sanctum, ſed ad excludendos falſos Gentilium deos. Idem dicendum eſt de Spiritu Sancto, cùm aliquid

affir-

affirmativè, de DEO Patre, & Filio, tanquam DEO, dicitur. Sicut illud: *Ut agnoſcant ſolum te, DEUM verum, & quem miſiſti JESUM Chriſtum.* Joannis 17. Ubi, cùm non excludatur Spiritus Sanctus, neceſſariò etiam agnoſcendus ut DEUS.

Obſervandum 87. Familiarem eſſe in Scripturis interrogationis uſum, eúmque multiplicem. Interdum enim interrogationis finis occultus, ut reſpondens ad interrogata, contra ſe ferat ſententiam. Ut Nathan fecit cum David. Interdum, ut ea, quæ ſunt certa, affirmentur. Ut Geneſ. 13. Nónne ecce omnis terra coram te eſt? Interdum interrogatio, non dubitationis, ſed admirationis eſt nota. Ut illud Geneſ. 17. Putáſne centenario naſcetur filius? & Sara nonagenaria pariet? Interdum denotat rem, non quidem impoſſibilem, ſed difficilem. Ut illud Matthæi 24. Quis putas eſt fidelis ſervus, & prudens? Quandóque etiam ſignificat prorſus rem impoſſibilem. Ut illud Iſaiæ 13. *Generationem illius, quis enarrabit?* Interdum vim habet optativi. Ut illud: Quis oſtendet nobis bona? Pſalmo 4. Quis dabit ex Sion ſalutare Iſraël? Quis dabit capiti meo aquam? Pſal. 13. Interdum interrogatio adhibetur, ad aliquid extenuandum Ut illud 2. Regum 7. *Quis ego ſum, Domine DEUS, & quæ domus mea, quia adduxiſti me hucúſque?* Aliquando interrogatio fit de re non ſolùm comperta, ſed dubia, ut illud Joannis 9. *Rabbi, quis peccavit, hic, an parentes ejus, ut cæcus naſceretur?*

Obſervandum 88. Quædam circa negationem eſſe notatu digna. Et *Primò*, conſiderandum eſt, an ea ſit in textu, ut illud Geneſ. 8. Corvus, *egrediebatur, & non revertebatur:* quod ſinè negatione in Hebræo habetur. *Secundò*, an ea quoad ſenſum ſit tranſponenda, & ſolùm ad duritiam orationis evitandam, anteponatur textui, ut in illo Joannis 6. *Non Moyſes vobis dedit panem de cœlo*, pro eo: quòd Moyſes non dedit vobis panem de cœlo. *Tertiò*, an non ſit ſupplenda, & repetenda ex proximè præcedente clauſula. Ut in illo Iſaiæ 53. *Vidimus eum, & non erat aſpectus, & deſideravimus eum.* hoc eſt: & non deſideravimus eum. *Quartò*, Quandóque negationes non omnino infinitantur, ſed aliquid ultrà addunt, quod ſtatim affirmetur. Ut illud Apoſtoli ad Epheſ. 6. *Non eſt nobis colluctatio adversùs carnem, & ſanguinem.* Subintelligendum eſt: tantùm; ſed etiam adversùs principes, & poteſtates, adversùs mundi rectores tenebrarum harum. *Quintò*, Interdum negationes negant id, quod alicui imperatum, vel præceptum non erat, non tamen ſic, ut illi ſupererogatoriè, ſupra præceptum non licuerit id facere. Quale eſt illud Pauli 1. ad Corinth. 1. *Non enim miſit me Chriſtus baptizare, ſed Evangelizare*: potuit tamen ſupererogatoriè id facere.

Obſervandum 89. Generales, & Univerſales propoſitiones, etſi communiter ac-

ter accipiendæ ſint, quales ſunt, ſæpe tamen numero accipi pro indefinitis & incertis. Ita Apoſtolus ait: 1. ad Corinth. 9. *Omnis, qui in agone contendit, ab omnibus ſe abſtinet.* Id eſt: à multis abſtinet cibis. Et illud Matthæi 24. *Eritis odio omnibus gentibus propter nomen meum.* id eſt: plurimis. Et rurſus: *Beati eſtis, cùm maledixerint vobis homines, & dixerint omne malum adverſùm vos.* ideſt: multa verba contumelioſa.

Obſervandum 90. Viciſſim indefinitas propoſitiones ſæpe accipi, etiam pro univerſalibus; uti & per *multos*, intelligi *omnes*. Ut eſt illud Marci ultimo: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit.* ideſt: *Omnis* qui crediderit. Et illud: Filius hominis venit dare animam ſuam in redemptionem pro multis, ideſt: pro omnibus.

Obſervandum 91. Scripturam Sacram ex ratione numerandi habere proprietates, & peculiares uſus. Ex. gr. ut minorem numerum præponat majori in ipſa numeratione. Sic illud, quod nos dicimus Geneſ. 25. Abraham vixit annis centum, ſeptuaginta quinque, more Hebræo hoc modo numeratur: Abraham vixit quinque, & ſeptuaginta, ac centum annis. Præterea, nomina numeralia, ab uno, úſque ad quinque, ſolent in Scriptura accipi impropriè, ad ſignificandam paucitatem, vel diminutionem. Ut 3. Regum 17. En colligo duo ligna, ideſt pauca. E contrà verò à numero, quinque, & ſuprà, úſque ad decem, multitudinem inſinuat. Ut Proverb. 24. *Septies in die cadit Juſtus, & reſurgit.* ideſt: ſæpius. Et Job. 19. En decies confunditis me, ideſt: pluries.

Obſervandum 92. Moris eſſe inſuper apud Hebræos uti nominibus cardinalibus, pro ordinalibus. Sic Geneſ. 1. *Factum eſt veſperè, & manè dies unus.* ideſt: primus. Et in Evangelio Joannis 20. *Unâ Sabbathorum*, ideſt: primâ die Solennitatis Azymorum.

Obſervandum 93. Id, quod de ſumma numeri perfectionis parum excreſcit, & infrà eſt, ſæpe à Scriptura non computari. Sic in libro Judicum dicitur: Hieroboal interfeciſſe fratres ſuos, ſeptuaginta viros, ſupra unum lapidem, quamvis minùs duobus occiſi fuerint, videlicet ipſe, qui occidit, & Jonathas Junior, qui latuit.

Obſervandum 94. Hoc Scripturæ Sacræ Idioma eſſe (ut docet Euthymius, in cap. 18. Joannis) DEI permiſſionem, quaſi opus DEI appellari. Sic, excœcavit, & induravit: ſignificat excœcari, & indurari permiſit. Et ſimiliter dicitur illud Pſalmo 43. & 107. *Declinare feciſti ſemitas noſtras, à via tua, & errare feciſti nos Domine à via tua*, ideſt: permiſiſti.

Obſervandum 95. Omnia, quæ ſimpliciter dicunt Scripturæ, vel nobis licere, vel facienda, aut ſuſtinenda eſſe, vel impetranda, non extendi ad mala, & pec-

& peccata; sed ad bona tantùm. Ut, *Omnia mihi licent*, excepto scilicet peccato. *Omnia tempus habent.* Peccatum enim tempus non habet, cùm à DEO sit prohibitum. *Omnia, quæcúnque vultis, ut faciant vobis homines. Omnia*, id est: legi, & rationi consona. *Omnia, quæ dixerint vobis, servate.* Omnia scilicet, quæ à lege præscribuntur, aut illi sunt consentanea.

Observandum 96. Vocem *non omnis*, vel *omnes non*, licèt apud Dialecticos, significet idem, quod aliquis; In sacris tamen literis, usurpari pro eo quod est nullus. Ut Lucæ 1. *Non erit impossibile apud DEUM omne verbum*, idest: *nullum. Omnis sermo malus, ex ore vestro non procedat.* idest: nullus. Ephes. 4. *Omnis, qui peccat, non vidit eum.* Joan. 3. id est: nullus, qui peccat. Et *Omne, quod dedit mihi Pater, non perdam ex eo.* id est: Nihil.

Observandum 97. Vocem *omnis* etiam in Scriptura sæpe accipi pro parte maxima. Exempla hujus rei sunt: *Omnes avaritiæ student,* Joan. 6. *Omnes, quæ sua sunt quærunt.* ad Philip. 2. *Si dimittimus hunc, omnes credent in eum.* Joan. 11. idest: major pars Judæorum. Et Paulus dicit 2. ad Timoth. 4. *Omnes me dereliquerunt.* hoc est: plurimi.

Observandum 98. Notitiam significationum vocum Hebraicarum, & Græcarum in Scriptura, plurimùm conferre ad varios mysticos sensus, è Scriptura eruendos. Quod Sanctus Hieronymus, & ipse facere consvevit, & facienda esse docuit. Et Sanctus Augustinus peculiariter in libris de Doctrina Christiana. cap. 16. Tomo 3. facienda esse tradit.

Observandum 99. Nec libros Prophetarum, nec Psalmos, néque Epistolas Sancti Pauli, esse ordine temporis, quo scriptæ sunt, in Biblijs collectas. Nam duodecim minores Prophetæ, si tempora consideres, multo inter se tempore distant, quàm in ipsa serie librorum, ac ordine, inter se sunt collocati. Psalmi quóque non ordine temporis, quo compositi sunt à Davide, sed ordine, quo sunt reperti, & collecti ab Esdra, sunt dispositi. Sancti Pauli quóque Epistolæ aliquæ, quæ in serie postponuntur, priores sunt ijs, quæ præponuntur. Ad intelligendas autem Scripturas, & præsertim combinationem illarum, plurimùm interest nôsse tempus, quo quæ scriptæ fuerint: quem in finem sequentem tabellam hìc subjicimus.

ORDO TEMPORIS DUODECIM MINORUM PROPHETARUM.

1. Jonas prophet cœp. A. ant. Chr. 880.	7. Nahum, Anno ante Christum. 720.
2. Oseas, Anno ante Christum. 808.	8. Habacuc, Anno ante Christum. 708.
3. Joël, Anno ante Christum. 797.	9. Sophonias, Anno ante Christ. 604.
4. Amos, Anno ante Christum. 785.	10. Baruch, Anno ante Christ. 605.
5. Abdias, Anno ante Christum. 778.	11. Aggæus, Anno ante Christ. 521.
6. Micheas, Anno ante Christum. 746.	12. Zacharias, Anno ante Christ. 521.

Psal-

Psalmos verò non esse ordine temporis, quo compositi sunt à Davide Rege, in serie collocatos, testantur omnes Scripturæ Sacræ Interpretes, & ex contextu clarè apparet. Ordine igitur, quo inventi sunt, conscripti sunt. Nec dubium esse videtur, quòd sicut ex parabolis Salamonis, non omnes, quas locutus fuerat Salamon, sed selectæ tantùm, sunt Scripturæ Sacræ insertæ, ita quoq; & Psalmos ex longè majore numero solùm ad 150. esse restrictos.

Demum Epistolarum Apostolicarum hic Ordo scriptionis fuit.

1. Prima fuit S. Petri prior Epistola, scripta Romæ, An. à Christi morte 13.
2. S. Pauli prior ad Thessalonicenses, data Corintho, Anno à mort. Chr. 20.
3. S. Pauli posterior ad eosdem Thessalonicenses, data ex eadem Urbe Corintho, Anno à morte Christi 21.
4. S. Pauli prior ad Corinthios, missa Epheso, Anno à morte Christi 25.
5. S. Pauli prior ad Timoth. scripta è Macedonia, A. à mor. Chr. eodem 25.
6. S. Pauli posterior ad Corinth. data Nicopoli, Anno à morte Christi 26.
7. S. Pauli ad Galatas Nicopoli missa, Anno à morte Christi eodem 26.
8. S. Pauli ad Titum Nicopoli missa, eodem anno 26.
9. S. Pauli ad Romanos scripta Cenchris, Anno à morte Christi 26.
10. S. Pauli ad Ephes. scripta ex carcere Roman. An. à morte Christi 27.
11. S. Pauli ad Philippenses, ex eodem carcere Romano, & eodem anno.
12. S. Pauli ad Colossens. ex eodem carcere, Anno à morte Christi 28.
13. Ad Philemonem. 29. 14. Ad Hebræos. eodem.
15. S. Jacobi, Anno à morte Christi 30.
16. S. Judæ. A. C. 30. 17. S. Pauli posterior ad Timotheum. 35.
18. S. Petri posterior, data à morte Christi Anno 35. Ultimæ sunt, prima, secunda, & tertia S. Joannis. 29. *Ita Baronius.*

Observandum est 100. DEUM in Scripturis corporalium rerum modo loqui, ut ad excellentiam divinarum rerum per corporalia homines attollat, & vicissim Scripturæ de DEO humano modo loquendi disserere, ob inopiam verborum, ad tantam Majestatem exprimendam, & pro captu humani intellectûs. Neque enim DEUS habet oculos, manus, cor, & alia his similia, nec animæ affectiones, ut sunt: ira, amor, odium, dolor; nec mutationibus subest, quales sunt: desinere, aut incipere, irasci, vel pœnitere, & tamen his, & alijs id genus terminis utitur Scriptura.

Observandum ultimò. Ex Cornelio à Lapide. Verba apud Hebræos sumi jam in actu perfecto, jam in continuato, jam in inchoato. Sic Hebræi aliquando dicuntur egressi ex Ægypto vespere, ut Deut. 16. v. 6. Et aliquando nocte, ut Exod. 12. v. 42. Alibi manè, ut Num. 33. v. 3. Quia scilicet vespere immolârunt Agnum, qui fuit causa, & initium egressûs, noctu verò exire cœperunt, manè autem ipso facto planè egressi sunt.

CEN-

CENTURIA VII.

Centum Observationes, circa selectiores Antilogias Evangelicas, seu apparentes contrarietates, & contradictiones quatuor Evangelistarum, vel inter se, vel cum reliqua Scriptura Sacra.

MEritò Sanctus Augustinus scribit libro 1. de Consensu Evangelistarum, cap. 1. in principio: *Inter omnes* (inquit) *Divinas authoritates, quæ Sanctis Literis continentur,* Evangelium meritò excellit. Quod enim Lex, & Prophetæ, futurum esse prænunciaverunt, hoc redditum, átque compertum, in Evangelio demonstratur. Unde omnem falsitatem, omnem errorem, omnem contrarietatem, vel contradictionem, (quæ reverâ talis sit) sive inter ipsos Evangelistas, sive cum alijs Sacræ Scripturæ libris, abesse ab Evangelio necesse est. Inveniuntur tamen in Evangelio complures Antilogiæ, hoc est apparentes contradictiones, inter ipsos Evangelistas, vel cum reliqua Scriptura Sacra, quæ tamen reverâ, non sunt, & facilè combinantur, juxta præcedentes datas observationes, & aliorum Interpretum explanationes, & maximè Patris Jacobi Tirini, P. Stephani Menochij, & P. Cornelij à Lapide, quos hìc potissimùm sequimur.

Prima. Matthæi 1. v. 8. In enumeratione Genealogiæ Christi Domini habetur: quòd *Joram genuerit Osiam*, cùm tamen 4. Regum habetur, quòd Joram genuerit Ochosiam. cap. 8. v. 24. & Ochosias genuerit Joam. cap. 14. v. 2. & Joas genuerit Amasiam. cap. 12. v. ult. Et Amasias genuerit Osiam. cap. 14. v. 21. *Resp.* Sanctum Evangelistam hoc locô fuisse usum compendio, omittendo tres generationes, & statim descendendo à Joram ad Osiam, qui erat non filius, sed abnepos Joram Regis. Filius enim Joram, erat Ochosias; filius verò Ochosiæ Joas; filius Joasi, Amasias; ac denique Amasiæ filius fuit Osias. Causa autem, cur has tres generationes omiserit Sanctus Matthæus, erat: Quòd hæ tres generationes fuerint ex *Athalia* filia impijssimorum parentum, *Achabi*, & *Jezabelis*, quorum stirpem penitus excidendam prædixerat DEUS. Unde Matthæus, saltèm memoriam eorum, quasi nunquam vixissent, abolitam esse voluit.

2. Ibidem v. 11. Quòd *Josias genuerit Jechoniam in transmigratione Babylonis,*

lonis, At 4. Regum cap. 23. v. 24. dicitur, quòd Josias genuerit Joakim. Et cap. 24. v. 6. Joakim genuerit Joachim, seu Jechoniam, multis annis ante transmigrationem Babylonis, ut ex eodem cap. 24. v. 8. constat. *Resp.* Duos fuisse Jechonias, unum, qui erat filius Josiæ, & vocabatur etiam Eliakim, & postea à Pharaone dictus est Joakim. Ut habetur 4. Regum cap. 4. v. 34. Alter verò Jechonias, fuit filius Joakimi, qui dicebatur etiam Joachim, nepos Josiæ. Sensus igitur versiculi hic est: Josias genuit Jechoniam, alio nomine dictum Joakim, Joakim autem genuit in transmigratione Babylonis, (hoc est: sub tempus transmigrationis, seu abductionis Judæorum in Babylonem, quæ contigit anno tertio Regni ejusdem Joakimi) genuit Joachim, alio nomine jam dictum Jechoniam: qui post transmigrationem, ideft: postquam migrâsset in Babylonem, genuit Salathiel.

3. Matthæi 2. v. 22. Audiens quòd Archelaus regnaret in Judæa, pro patre suo Herode. Archelaus autem nunquam fuit Rex Judææ. *Resp.* Archelaum quidem non successisse patri suo Herodi in toto Regno Judææ, successisse tamen in parte ditionis, ideo dicebatur solùm Tetrarcha, partes autem Galilææ non subjacebant Archelao, sed fratri ejusdem, Herodi Antippæ, mitioris ingenij viro, qua ex causa successit Josephus in partes Galilææ.

4. Matth. 3. v. 4. *Esca autem ejus* (nempe Joannis) *erat locustæ, & mel sylvestre.* Et Matth. 11. v. 18. dicitur: Venit Joannes, néque manducans, néque bibens. *Resp.* Hoc dictum fuisse de Joanne, quia cibus ille vilissimus ex locustis (quæ vel crudæ comedebantur, vel elixæ, vel tostæ, vel fumo, & sale duratæ, à pauperioribus) & mel sylvestre, quod ab apibus sylvestribus conficiebatur, ac proinde insipidum, ac potus solius aquæ, pro nullo ferè cibo, & potu computabatur.

5. Matthæi 3. v. 11. *Ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto, & igne*, & tamen etiam Baptismus Christi fuit solùm in aqua, sicut baptismus Joannis? *Resp.* Non esse hîc sermonem de igne naturali, sed de igne metaphorico, ideft: de gratia, & donis Spiritûs Sancti, quem effectum non præstabat baptismus Joannis, qui non conferebat remissionem peccatorum per gratiam sanctificantem (uti Baptismus Christi) sed tantùm erat externa cæremonia, in signum voluntatis seriæ pœnitentiæ in illis, qui eum suscipiebant.

6. Matthæi 4. v. 18. *Ambulans IESUS juxta mare Galilææ*, quod tamen Lucæ 5. v. 1. vocatur *stagnum Genazareth*, & Joannis 6. v. 1. *mare Tiberiadis. Resp.* Has tres denominationes uni, eidémque convenire mari, quod dicitur mare Galilæum à Galilæa regione: quam alluit, mare Tiberiadis, ab Urbe Tiberiade, quæ eidem insedit, & stagnum Genazareth, à Genazara op-

pido,

pido, revera enim potiùs est stagnum, quàm mare, in quod influit Jordanus, longum octodecim mille passibus, à Septemtrione in Meridiem, & latum ter mille passibus, ab ortu in occasum.

7. Matthæi 5. v. 3. *Pauperes spiritu, beati vocantur.* Cùm tamen Salomon, Proverbior. 30. v. 3. æquè deprecatur à DEO mendicitatem, & divitias, dicendo: *Mendicitatem, & divitias ne dederis mihi.* Si igitur in divitijs non consistit beatitudo, quomodo consistet in paupertate? *Resp.* Christum loqui, non de quibuscúnque pauperibus, vi, vel miserabili conditione, bonis omnibus fortunæ destitutis, sed de *pauperibus spiritu*, & hos dicit esse beatos. Sunt autem pauperes spiritu, qui ultroneâ, & laudabili voluntate à Spiritu Sancto inspiratâ, & propter DEUM, vel susceptâ, vel toleratâ, sunt pauperes: Salomon autem deprecatur à DEO mendicitatem coactam, & invitam; unde addit & hujus deprecationis causam: *Ne fortè egestate compulsus furer, & perjurem nomen DEI mei.*

8. Matthæi 5. v. 14. Christus ait ad Apostolos: *Vos estis lux mundi.* Et apud Joannem Evangelistam cap. 1. v. 8. dicitur de Joanne Baptista: *Non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine.* Et tamen Christus dicit de illo, quòd inter natos mulierum non surrexerit major Joanne. *Resp.* Apostolos verè fuisse lumen mundi, hoc est: constitutos à Christo, ut suâ doctrinâ, & exemplo illuminent hunc mundum; De Joanne autem Baptista, negat solùm, eum fuisse illam lucem, de qua ibi sermo est, quæ lux est Messias, illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum, hujus enim lucis tantùm testis fuerat Joannes Baptista.

9. Matthæi 5. v. 17. & 18. dicit Christus: *Non veni solvere Legem, aut Prophetas, sed adimplere. Jota unum, aut unus apex non præteribit à Lege.* At ad Galat. 3. v. 13. ait Paulus: *Christus redemit nos, de maledicto Legis.* & Lucæ 16. v. 16. ipse Christus dicit: *Lex, & Prophetæ, úsque ad Joannem.* *Resp.* Christus utique non venit Legem solvere, hoc est: eandem reprobare, & destruere, quoad præcepta naturalia, & moralia, qualia continentur in Decalogo; sed néque solvere Prophetas, qui ejusdem adventum prædixerunt; verùm adimplere, horum quidem Prophetias re ipsâ complendo, præcepta autem illa, non tantùm perfectè adimplendo, sed magìs elucidando, ad perfectiorem statum elevando. Cœremonialia autem præcepta abrogavit, quoad literam, eisdem substituendo præcepta, & Sacramenta novæ Legis, per quæ hæc figurabantur. Unde Lex cœremonialis, & Prophetæ, qui adventum Christi prædicabant, durârunt úsque ad Joannem, qui non prædixit ampliùs Christum, sed demonstravit; juxta illum Ecclesiæ Hymnum: *Cæteri tantùm cecinêre vatum, corde præsago jubar affuturum, Tu quidem mundi scelus auferentem, Indice prodis.*

10. Matthæi 5. v. 34. *Ego autem dico vobis non jurare omnino.* Jurat tamen Paulus, ad Roman. 7. v. 1. *Veritatem dico in Christo, non mentior, testimonium mihi perhibente conscientiâ meâ in Spiritu Sancto.* Et 1. ad Corint. 15. v. 31. *Per vestram gloriam (subintellige juro) in Græcis enim præponitur particula νὴ quæ juramento servit.* Et 2. ad Corinth. 12. v. 19. Coram DEO in Christo loquimur, ideſt: teſte DEO. *Reſp.* Chriſtum hoc præcepto voluiſſe duos errores Scribarum tollere, qui docebant primò: ſolum perjurium prohiberi: ſecundò jurare per creaturas non eſſe peccatum. Quem utrúmque errorem explodit Chriſtus Dominus, voculâ *omnino*; quâ debet non ſolùm vetari omne perjurium, ſive falſum juramentum, ſed & verum, ídque ſive per DEUM fiat, ſive per creaturas, ſi id fiat temerè, & nullâ cogente neceſſitate. Nam aliquando jurare licitum eſſe, nempe, quando adſunt hæc tria: Veritas, Juſtitia, & Judicium. Et Jeremiæ 4, v. 2. patet, & exemplo ipſiuſmet DEI, toties jurantis, ac Apoſtolorum, tótque aliorum Sanctorum, & perpetuo uſu Eccleſiæ confirmatur.

11. Matthæi 6. v. 1. *Ne juſtitiam veſtram faciatis coram hominibus, ut videamini ab illis.* Et cap. 5. v. 16. *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant bona opera veſtra.* *Reſp.* Hos Textus ſibi non contrariari, quia non prohibetur idem per unum, & per aliud præcipitur; ſed ſola intentio, ſeu finis in primo prohibetur, per illas particulas: *Ut videamini ab hominibus.* In alio præcipitur per illa verba: *Ut videant opera veſtra bona, & glorificent, Patrem veſtrum, qui in cœlis eſt.*

12. Matthæi 6. v. 6. *Clausô oſtiô, ora in abſcondito.* Aſt Actor. 1. v. 14. & cap. 6. v. 6. & cap. 13. v. 13. In publico orabant fideles, & Apoſtoli, quin etiam pſallebant. 2. ad Corinth. 14. v. 26. *Reſp.* Publicam orationem ſemper tam in veteri, quàm in novo Teſtamento laudabilem fuiſſe, quæ proinde citato loco non prohibetur, nec improbatur. Loquitur ergo Chriſtus Dominus ibi comparativè, ita, ut illorum verborum ſit hic ſenſus; potiùs, quàm captes vanam gloriolam ex publica oratione, præſtat, ut orationem tuam perficias ſinè teſtibus, & in privato.

13. Ibidem v. 7. *Orantes, nolite multùm loqui.* Et tamen apud Lucam 18. v. 1. dicit: *Quòd oporteat nos ſemper orare, & non deficere.* *Reſp.* Non damnari hîc longas orationes, cùm ipſemet Salvator noſter ſæpius in oratione DEI pernoctaverit; ſed inanem, & ſuperfluam verboſitatem. Addit: *ſicut Ethnici,* qui putabant, quòd in multiloquio exaudiantur. Hoc eſt: longo lenocinio verborum, velut Rhetorum, vel Poëtarum verboſitate flectuntur hominum animi. Illud autem: *Oportet ſemper orare*, idem ſignificat, ac perſeveranter orare, non obſtante tædio, metu, vel tentatione; ſive, frequenter ad

ad orationem recurrere, & *non deficere*. id est: non animum despondere, si statim non exaudiamur.

14. Matthæi 6. v. 7. *Panem nostrum supersubstantialem da nobis hodie*. Cùm Lucas cap. 11. v. 3. habeat: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Resp.* Supersubstantialem panem, & quotidianum idem omnino esse. Per quotidianum siquidem panem intelligitur, cibarius, frugalis, & vulgaris panis; per supersubstantialem autem talis, qui ad substantiam, seu naturam nostram fovendam requiritur, sufficit, & necessarius est.

15. Ibidem v. 23. *Si lumen quod in te est, tenebræ sunt.* Quomodo possunt esse simul lumen, & tenebræ, cùm privativè sibi opponantur? *Resp.* Pro lumine hîc intelligi intellectum, cujus officij est, cœteris potentijs, & affectibus prælucere, eásque dirigere, & sensum citati textûs esse hunc: Si intellectus tuus obscuratus est, vel malis principijs, & opinionibus imbutus; quanta erit caligo reliquarum affectionum, operúmque inde procedentium tenebrositas, quæ nîl luminis, nisi ab intellectu habent.

16. Ibidem v. 25. 28. 31. 35. *Monet nos Christus, ut non simus solliciti in crastinum, circa cibum, potum, & vestitum.* Ast Sanctus Paulus ad Rom. 12. v. 8. jubet eos, qui præsunt, in sollicitudine esse; sed, & reliquos sollicitudine non pigros. Et 1. ad Corinth. 12. v. 25. subjicit: *ad invicem, sollicita sint membra.* Hoc est: Fideles sint solliciti ad invicem tanquam fratres, & partialia membra, in uno, eodémque corpore mystico Christi, quod est Ecclesia. *Resp,* A Christo non prohiberi omnem omnino sollicitudinem, sed solùm illam, quæ est circa momentaneam, seu rem pecuniariam comparandam, & augendam; & nec hanc tam absolutè, sed solùm eam, quæ nimis anxia, & disordinata est, magnámque inquietudinem inducunt.

17. Matthæi 8. v. 4. *Vide, nemini dixeris, sed ostende te Sacerdoti.* At Sanctus Marcus 1. v. 43. & 44. *Et comminatus est ei, statímque ejecit illum.* (seu dimisit à se, ne ab adstantibus miraculum adverteretur.) *At ille cœpit diffamare sermonem*, quomodo hæc conveniant? *Nemini dixeris, & ostende te Sacerdoti?* vel ut alius Evangelista habet, *Ostende te Principi Sacerdotum?* & illa: comminatus est ei (ne miraculum illud nempe liberationis suæ à lepra ulli diceret) cum illo: *Ipse autem cœpit diffamare sermonem? Resp.* Per hanc prohibitionem, voluisse Christum discipulis ostendere, qualiter debeant fugere vanam gloriam; per ostensionem verò Sacerdoti faciendam, Legis observantiam, & ut is hâc ratione esset liber ab irregularitate legali; vel ut inde agnosceret Princeps Sacerdotum, quòd ille sit Messias. Comminatio autem illa Christi, ne id cuipiam diceret, non fuit obligans sub peccato, unde

leproſus non peccavit, miraculum illud evulgando, & apud omnes diffamando, hoc eſt famam rei ſpargendo, cum magna Chriſti laude.

18. Matthæi 8. v. 5. *Acceſſit ad eum Centurio rogans eum.* Cùm Lucas habeat cap. 7. v. 3. *Miſit ad eum Seniores Judæorum.* Et v. 6. *Miſit amicos?* *Reſp.* Centurionem hunc acceſſiſſe ad JESUM, primò per Judæos Seniores, ſecundò per amicos, tertiò per ſe, cùm jam eſſet vicinior Chriſtus.

19. Matthæi 8. v. 22. Chriſtus ad quendam de Diſcipulis petentem, ut priùs poſſit ſepelire patrem ſuum, antequam eum ſequeretur, dixit: *Sequere me, & dimitte mortuos ſepelire mortuos ſuos.* Et tamen Eccleſ. 38. v. 16. mandatur: *Contege corpus mortui, & ne deſpexeris ſepulchrum illius.* *Reſp.* Mortuos quidem ſepelire, & præſertim parentes ſuos, eſt opus magnæ miſericordiæ, quando non ſubeſt potioris boni amittendi periculum, quale in hoc diſcipulo ſuberat: quia majus bonum non eſt relinquendum pro minore bono. Majus autem bonum fuit ſequi Chriſtum, quàm parentem ſepelire, (præſertim cùm hoc opus potuerint alij quóque cognati præſtare.) & illius boni majoris amittendi periculum erat magnum, cujuſmodi eſſe poterat, ſi in eum derivatum fuiſſet onus Teſtamentarij, & tutelæ, hæreditatis, item controverſiæ, & his ſimilia alia, remoræ à divino ſervitio detrahentes: præſtabat proinde pro his circumſtantijs, hanc curam ſepeliendi parentem, alijs relinquere.

20. Matthæi 8. v. 28. *Duo habentes dæmonia, de monumentis exeuntes, dicuntur Chriſto in regione Gerazenorum occurriſſe.* Cùm tamen Marcus Evangeliſta cap. 5. v. 1. & Lucas 8. v. 28. unius tantùm dæmoniaci faciant mentionem? *Reſp.* In his duobus dæmoniacis unum opportuit notabiliter excelluiſſe, nempe illum, in quo una legio, (numerabat autem una legio 6666.) hoſpitabatur, átque hujus tantùm fieri apud Marcum, & Lucam mentionem.

21. Matthæi 9. v. 9. *Et cùm tranſiret inde JESUS, vidit hominem ſedentem in telonio, Matthæum nomine.* Cùm Lucas 5. v. 27. habeat, *Vidit publicanum, nomine Levi ſedentem ad telonium*; ac demum Sanctus Marcus 2. v. 14. *Vidit Levi Alphæi ſedentem ad telonium.* *Reſp.* Matthæum alio nomine vocatum fuiſſe etiam *Levi*, & fuiſſe filium *Alphæi*; officio verò *publicanum* ſeu exactorem telonij. Unum ergo hæc nomina, eundémque hominem ſignificant. Erant enim Judæi communiter binomij, ſeu plura nomina habentes. Sic ſtatim ſequenti cap. 10. v. 4. *Simon* Apoſtolus à Matthæo Evangeliſta vocatur *Simon Cananæus*, à Luca verò cap. 8. v. 4. *Simon Zelotes.* *Cananæus* enim dicebatur, à Cana vico Galilææ, *Zelotes* verò, propter inſignem ejus zelum, & fervorem, Canan enim apud Hebræos zelum ſignificat.

22.at M-

22. Matthæi 9. v. 18. Archiſynagogus Sairus dicit ad Chriſtum: *Domine filia mea modò defuncta eſt, ſed veni, impone manum tuam ſuper eam, & vivet.* Et tamen Marcus 5. v. 23. dicit, *Solùm in extremis fuiſſe.* Et Lucas 8. v. 43. *Et hæc moriebatur? Reſp.* Dum Sairus diſceſſit domo ſuâ accedere volens JESUM, filia ejus erat in extremis, ſive moriebatur, ut habent Marcus, & Lucas, ideò primâ vice deprecabatur eum, ut veniret, & imponeret manum ſuper eam, ut ſalva ſit, & vivat. Deinde verò adhuc Archi-Synagogo loquente, venerunt quidam ad eum dicentes: Quia filia tua mortua eſt, quid ultra vexas Magiſtrum, Marci 5. v. 35. Et tunc iterum idem Archi-Synagogus rogavit JESUM, ut veniret, & vitæ illam redderet. Ut habet Sanctus Matthæus.

23. Matthæi 10. v. 5. Mittens Chriſtus diſcipulos ad prædicandum, præcepit eis; *In viam gentium ne abieritis, & in civitates Samaritanorum, ne intraveritis.* At Matthæi ultimo. v. 19. ait iiſdem: *Euntes docete omnes gentes.* Actor. 1. v. 8. *Eritis mihi teſtes in Hieruſalem, & in omni Judæa, & Samaria, & úſque ad ultimum terræ. Reſp.* Quia id priùs faciendum erat, ut Judæis prædicaretur adventus Meſſiæ, quibus Meſſias promiſſus, & ex *quibus* naſciturus erat. Unde ibidem v. 6. Chriſtus ait: *Sed potiùs ite ad oves, quæ perierant domûs Iſraël.* Verùm, quia Judæi repugnabant veritati, hanc gratiam ſalutis conferre voluit DEUS gentibus, uti Apoſtoli Paulus, & Barnabas teſtati ſunt, ad Judæos dicentes: *Vobis opportebat primùm loqui verbum DEI, ſed quoniam illud repellitis, & indignos vos judicatis æternæ vitæ, ecce convertimur ad gentes, ſic enim præcepit nobis Dominus.* Actor. 13. v. 46. & 47.

24. Matthæi 10. v. 9. & 10. Dicit diſcipulis: *Nolite poſſidere aurum, néque argentum, néque pecuniam in zonis veſtris, non peram in via, néque duas tunicas, néque calceamenta, néque virgam.* At Marci 6. v. 8. dicitur eiſdem præcepiſſe, *Ne quid tollant in via, niſi virgam tantùm, non panem, néqve in zona æs.* Joannis verò 12. v. 6. dicitur Judas, qui Chriſtum cum cœteris Apoſtolis comitabatur, *loculos habuiſſe, & ea quæ mittebantur,* (hoc eſt: quæ Domino eleëmoſynæ titulo dabantur, ex ipſius Chriſti commiſſione) *portâſſe.* Demum ex cap. 19. v. 33. ejuſdem Joannis indicatur, Chriſtum Dominum plures veſtes habuiſſe. *Reſp.* Chriſtum Dominum prohibuiſſe Diſcipulis, dum eoſdem ad evangelizandum miſit, portare ſecum omnem omnino pecuniam, uti & peram, ad cibaria (quæ nomine *panis* apud Marcum exprimitur) & alia cuncta, ad itineris proviſionem neceſſaria, duas item tunicas, ideſt: veſtimenta mutatoria, quorum uno, in itinere, altero in locis ubi morarentur, uterentur. Calceamenta item, quæ non infernè tantùm, ut *ſandalia*, ſed & ſuper-

ſupernè pedes communiant, & tegant, ut calcei noſtrates, quia hi præter vulgarem uſum apud Orientales erant. Denique & *virgam* defenſoriam ſcilicet, vel vindicatoriam, quæ Hebraicè *ſcheveth* vocatur, & nomine cujus ſynecdochicè omne genus armorum intelligitur:concedit autem, virgam ſeu baculum viatorium, dictum Hebraicè *miſchan.* Unde non ſibi contrariantur Evangeliſtæ, quando Matthæus dicit, prohibita fuiſſe Apoſtolis *calceamenta*, & *virgam*, ſcilicet defenſoriam, & vindicatoriam. Et alter Marcus, ijs permiſſa fuiſſe à Chriſto *ſandalia*, & *virgam*, nempe viatoriam. Et hoc quidem præceptum fuit, quoad ſenſum literarium, pro illa ſola vice, ut patet ex illo Lucæ 22. v. 35. *Quando miſi vos ſinè ſacculo, & pera, & calceamentis, nunquid aliquid defuit vobis?* pro alijs autem vicibus tantùm prohibet id, quod per hoc ſignificabatur, putà curam minùs neceſſariam corporis, præſertim, quæ alijs offendiculo eſſet, ipſiſmet impedimento. Unde, & ipſe Salvator eleemoſynas piorum admittebat, quæ Judæ committebat (licèt is poſtmodum ijs abuſus fuerit, quia fur erat) & duas tunicas geſtabat, unam inconſutilem, quæ in paſſione illius ſciſſa non fuit; alteram conſutilem, quam milites in quatuor partes ſciſſam, inter ſe diviſerunt. Joan. 19. v. 21.

25. Matthæi 10. v. 34. Ait Chriſtus; *Non veni pacem mittere, ſed gladium,* At Joannis 20. v. 19. 21. & 26. tertiò repetit: *Pax vobis.* & cap. 14. v. 27. *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis. Reſp.* Chriſtum Dominum per ſuam doctrinam, per ſe intendiſſe in nobis pacem, eámque triplicem: nempe cum DEO, cum proximo, & cum propria conſcientia, licèt ex ea prævi-derit per accidens ob perverſitatem humanam, ſecutura bella, & varios tumultus, ac diſſenſiones animorum. Unde v. 21. ait: *Tradet autem frater fratrem ad mortem, & pater filium, & inſurgent filij adversùs parentes, & morte eos afficient, propter nomen meum.* Vel *non veni pacem mittere*, ſcilicet, qualem improbi optant, ut poſſint liberè pravis ſuis cupiditatibus indulgere; ſed gladium, ideſt: pugnam, & bellum cum mundo, diabolo, & carne, ac illius concupiſcentijs.

26. Matthæi 12. v. 36. *Qui non eſt mecum, contra me eſt.* Idem habetur Lucæ 11. v. 23. Marci verò 9. v. 39. *Qui non eſt adversùm vos, pro vobis eſt. Reſp.* Qui non eſt cum Chriſto, contra Chriſtum eſt, quia ſequitur partes dæmonis Chriſti adverſarij, cujus cura maxima eſt, ut non ſequamur Chriſtum, & ejuſdem doctrinam: vel in ſenſu literali; dæmones, ſive Belzebub, in cujus nomine me dicitis ejicere dæmonia, non tantùm non eſt mecum, ſed contra me eſt. Quando autem dicit. *Qui non eſt adverſum vos, pro vobis eſt.* Loquitur ex opinione Diſcipulorum ſuorum, qui non putabant pro ſe eſſe, niſi qui Dominum, non tantùm doctrina, ſed etiam pedibus ſectaretur.

retur, dicebant enim: *Vidimus quemdam ejicientem dæmonia, & prohibuimus eum, quia non sequitur nobiscum.* Quibus Christus: *Nolite* (inquit) *prohibere, qui enim non est contra vos*, id est: qui eadem docet, & facit, quæ ego vos docui, estò non sit in vestra comitiva, pro vobis est, quia doctrinam vestram, & facta confirmat.

27. Ibidem v. 31. *Spiritus blasphemiæ, non remittetur, néque in hoc sæculo, néque in futuro.* Contrà tamen Sanctus Paulus scribit 1. ad Timoth. 1. v. 13. *Blasphemus fui, & persecutor, & contumeliosus, & tamen misericordiam consecutus.* *Resp.* Duplicem esse blasphemiam, unam vulgarem, quæ oritur ex ignorantia personæ, contra quam ea committitur, qualis fuit illa Pharisæorum de Christo; *Ecce potator vini, & amicus publicanorum*; qui putabant Christum esse purum hominem, & talis fuit blasphemia Sancti Pauli ante conversionem, uti ipsemet addit loco citato, post illa verba; *Misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate.* Altera est *blasphemia Spiritûs*, seu contra Spiritum Sanctum, quâ, quis sciens, & volens calumniatur opera divina, & miraculosa, & tribuit ea dæmonibus, & hoc non remittitur, (id est: difficulter dimittitur) néque in hoc sæculo, néque in futuro, id est, nunquam dimittitur.

28. Matthæi 12. v. 10. Dicentibus Scribis, & Pharisæis: *Magister volumus à te signum videre.* Respondit Christus: *Generatio mala, & adultera signum quærit, & signum non dabitur ei, nisi signum Jonæ Prophetæ.* Et tamen Joannis 12. v. 37. habetur: *Et cùm tanta signa fecisset coram eis, non credebant in eum.* *Resp.* Certum esse, signa quàm plurima à Christo fuisse data Judæis, Scribis, & Pharisæis, seu multa, & stupenda miracula coram ijs à Christo fuisse patrata, quibus probabat, se verum Messiam esse. Quando igitur Christus apud Matthæum dicit: *Et signum non dabitur eis.* Subintelligendum est: quòd non dabitur illis, scilicet *petentibus*, & tale, quale ipsi desiderabant; petebant siquidem illi signum de cœlo. Ut habetur Matthæi 16. v. 1. *Et accesserunt ad eum Pharisæi, & Saducæi, & rogaverunt eum, ut signum de cœlo ostenderet eis.* Noluit igitur signum dare illis rogantibus, quia petebant hoc signum, tentantes eum, adeóque malâ intentione. Secundò, noluit dare de cœlo, sed de terra, nempe signum Jonæ Prophetæ. Nam sicut fuit Jonas in ventre Ceti tribus diebus, & tribus noctibus, sic fuit filius hominis, (hoc est: Christus,) in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus.

29. Matthæi 12. v. 46. *Mater ejus, & fratres venerant quærentes ei loqui.* Cùm tamen Christus esset unicus Matris Sanctissimæ Filius. *Resp.* Per fratres Christi intelligi ejusdem cognatos, & consobrinos, cujusmodi erant: filij Cleophæ, fratres Joseph, Christi Nutritij. Nam apud Judæos moris fuit,

& nunc apud multas nationes est, ut omnes cognati vocent se mutuò fratres.

30. Matthæi 15. v. 9. Christus dicit de Scribis, & Pharisæis: *Sinè causâ colunt me, docentes doctrinas, & mandata hominum.* Et tamen apud eundem Evangelistam cap. 23. v. 3. Christus mandavit de ijsdem sequenti se populo: *Quæcúnque dixerint vobis, servate, & facite. Resp.* Mandata hominum fuisse duplicia apud Scribas, & Pharisæos. Alia scilicet præter, vel contra Legem DEI, uti erant tot lotiones superfluæ, ita, ut non lotis manibus manducare, docerent esse peccatum. Alia, quæ erant conformia Divinæ Legi. Et illa condemnari à Christo, hæc verò approbari.

31. Ibidem v. 22. Mulier illa, quam à fluxu sangvinis sanavit Christus, dicitur fuisse Cananea. Apud Marcum autem Syrophœnissa. *Resp.* Quia erat patriâ talis, ex ea scilicet parte Regionis Phœniciæ, quæ fuit contermina Syriæ.

32. Idem v. 24. dicit Christus: *Non sum missus, nisi ad oves, quæ perierant domûs Israël.* Et tamen Isaiæ 46. v. 6. de Christo prædicitur: *Parum est, ut sis mihi servus ad fæces Israël convertendas: Ecce dedi te lumen gentium, ut sis mihi salus mea úsque ad extremum terræ.* Et Zachariæ 2. v. 8. idem dicitur. *Resp.* Primariò, & ex promissione fuisse Christum missum ad prædicandum Judæis, eósque convertendos. Secundariò verò, & quasi per accidens, & per misericordiam DEI, ad conversionem gentium.

33. Ibidem v. 39. *Venit JESUS ad fines Magedan.* Et Marci 8. v. 10. dicitur venisse ad partes *Dalmanutha. Resp.* Magedan fuisse oppidum, ultra mare Galilææ, non procul à Dalmanutha. Et sic utérque Evangelista veritatem expressit.

34. Matthæi 16. v. 20. *Præcepit discipulis suis, ut nemini dicerent, quia ipse esset Christus.* Et cap. 10. v. 7. dixerat: *Prædicate dicentes: Quia appropinquavit Regnum DEI.* Et v. 32. & 33. *Omnis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui in cœlis est. Qui autem negaverit me, coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo, qui in cœlis est. Resp.* Hoc præceptum datum Discipulis, ut nemini dicerent illum esse Christum, fuisse solùm pro illo loco, & tempore, & ne inde, ex confessione Sancti Petri, quòd ipse esset Christus, Filius DEI viventis, videretur captare gloriam. Præterea, aliud esse prædicare; *Appropinquare Regnum DEI*, aliud clarè, & expressè prædicare, illum esse Messiam. Aliud item confiteri Christum, vel negare, aliud eundem prædicare, vel non prædicare.

35. Matthæi 17. v. 1. & 3. *Post dies sex, apparuerunt ei Moyses, & Elias, loquentes cum eo.* Lucæ autem 9. v. 28. *Ferè post dies octo.* Legitur autem utérque Evangelista, de tempore Transfigurationis Christi Domini, & in numero

mero dierum videntur diſconvenire. *Reſp.* Matthæum Evangeliſtam (& idem tempus ponit etiam Marcus) numeráſſe ſex integros, & ſolidos dies, qui interceſſerunt inter ſuperiora geſta, & transfigurationem, prætermittendo reſiduam partem illius diei, quo res illæ geſtæ fuerant, & partem illius diei, quâ facta eſt Transfiguratio. A Sancto Luca autem utrámque dictam reſiduitatem computatam fuiſſe. Sicut Chriſtus dicitur tribus diebus jacuiſſe in ſepulchro, non integris, ſed accipiendo partes duarum dierum, quâ ſepultus eſt, & quâ reſurrexit. Præterea fortaſſis Lucas non præcisè, ſed confusè tempus notavit, ideóque dixit: *ferè.*

36. Matthæi 18. v. 7. dicit Chriſtus: *Neceſſe eſt enim, ut veniant ſcandala.* Cur ergo: *Væ homini illi, per quem ſcandalum venit?* *Reſp.* Neceſſe quidem eſſe, ut veniant ſcandala ſuppoſitâ fragilitate, & perverſitate hominum, ex qua arguitur certò datum iri ſcandalum ab aliquibus in confuſo, remanente interim uniuſcujúſque determinati individui plenâ ſuâ libertate, ſed non eſſe neceſſe, ut ab hoc, vel illo determinato individuo ſcandalum detur. Unde, ſi quis ſuâ libertate perversè utatur, & ſcandalum det, meritò pœnas luet.

37. Matthæi 19. v. 29. *Omnis, qui reliquerit domum, fratres, vel ſorores, patrem, vel matrem, propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit.* Marcus autem cap. 10. v. 29. addit: *Propter me, & propter Evangelium.* Et v. 30. *Accipiet centies tantum, nunc in tempore hoc, domos, & fratres, & ſorores, & matres, & filios, & agros cum perſecutionibus, & in ſæculo futuro vitam æternam.* *Reſp.* Id moris eſſe apud Evangeliſtas, ut quod unus ex dictis, & factis Chriſti enarrare prætermiſit, alter ſuppleat, ut hìc fuit Marcus, addendo ea, quæ Matthæus prætermiſerat. Illud autem *Propter nomen meum*, idem eſt, ac propter me, propter fidem, propter Evangelium, & ſtudium perfectionis Evangelicæ.

38. Matthæi 20. v. 10. *Singuli operarij in vinea accipiunt ſingulos denarios, adeóque æqualem mercedem, pro inæquali labore,* Alij quidem primò manè venerunt ad vineam, alij horâ tertiâ, alij horâ ſextâ, alij horâ undecimâ. Et tamen 1. ad Corinth. 15. v. 41. dicitur; *Sicut ſtella differt à ſtella, ſic erit reſurrectio mortuorum;* & certum eſt pro inæqualitate meritorum, fore etiam inæqualem diſtributionem prœmiorum. *Reſp.* Ex hac parabola, non poſſe deduci æqualitatem prœmiorum, reſpectu inæqualium operum, per hoc enim, quòd aliqui citiùs, aliqui tardiùs ex operarijs vocati, & miſſi fuerint ad vineam, & conſequenter alij majori, alij minori tempore laboraverint, hoc tantùm innuitur, quòd DEUS alios citiùs, nempe ſtatim à juventute, & quaſi *mane*; alios *horâ tertiâ*, hoc eſt, in adoleſcentia; alios *horâ ſextâ*, hoc

est: in virili ætate, alios *horâ undecimâ*, hoc est: in senio, vocet, & trahat ad suum obsequium: interim tamen fieri potest, ac etiam solet, ut qui tardiùs accesserunt, majore fervore, gratiâ divinâ cooperante, tantum boni faciant, quantum illi, qui priùs vocati fuerant. Finis ergo parabolæ est, ostendere mercedem vitæ æternæ, non tempori, quô quis laboravit, sed labori, & operi, quod fecit, correspondere. Juxta illud Sapient. 4. v. 13. *Consummatus in brevi, explevit tempora multa.* Id est: Cùm brevi tempore justus vixerit, vel in servitio DEI fuerit, tantum fecit boni, quantum, qui longo tempore vixerunt, & multos annos computant suæ conversionis.

34. Matthæi 21. v. 37. & 38. *Novissimè autem misit ad eos filium suum, dicens: Verebuntur filium meum, illi autem videntes filium, dixerunt intra se: Hic est hæres, venite occidamus eum.* At 1. ad Corinth. 2. v. 8. *Si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent. Resp.* Ex citatis verbis apparere Judæorum Principes, aut agnovisse Christum esse Filium DEI, aut saltèm cognoscere potuisse. S. verò Paulus excusat solùm eos, qui id, vel simpliciter ignorârunt, (cujusmodi erant plebei) vel qui id affectatâ, & vincibili ignorantiâ, invidiâ, & odio excœcati, clarè, & manifestè non cognoverunt. Cujusmodi erant Principes Judæorum, saltèm aliqui.

40. Matthæi 23. v. 8. *Nolite vocari Rabbi, unus enim Magister, nec vocemini Magistri, quia Magister vester unus est Christus.* Et tamen Sanctus Paulus 1. ad Timoth. 2. v. 17. *Vocat se Doctorem gentium.* Et 1. ad Corinth. 12. v. 28. dicit: *Quòd DEUS quosdam in Ecclesia posuerit Doctores. Resp.* Prohiberi hìc à Christo solam affectationem, & arrogantiam honoris hujus, & tituli Rabbi, idest Magister meùs: docet item unum esse Magistrum nostrum, nempe Christum, cui hoc nomen debetur principaliter, & per excellentiam, non autem ne cœteri quóque vocentur Rabbi, & Magistri secundariò. Id, quod patet ex sequenti versu: *Et nolite vocare Patrem super terram, unus enim est Pater vester, qui in cœlis est.* Scilicet, cui conveniat tota paternitatis perfectio, & *ex quo omnis paternitas nominatur in cœlis, & in terra,* Ad Ephes. 3. v. 15. Nam & ipse Christus utitur etiam de alijs hoc titulò. Ut Joannis 8. v. 16. *Abraham pater vester.* Et Matthæi 19. *Qui reliquerit Patrem. &c.*

41. Ibidem v. 32. *Et vos implete mensuram Patrum vestrorum, nempe in Propheticidijs.* Et Eccles. 15. v. 25. *DEUS nemini mandavit impiè agere. Resp.* Non esse in illis verbis: *Implete mensuram patrum vestrorum*, vocem imperantis, sed prædicentis, quod nimirum sint Judæi secum, ac suis Discipulis, idem facturi, quod fecerunt Patres eorum, cum Prophetis, occidendo illos.

42. Matthæi 24. v. 36. *De die illa* (scilicet extremi Judicij) *nemo scit, nisi solus*

solus Pater. Et Marcus addit cap. 13. v. 32. *néque Filius.* Cùm tamen Christus dicat Joannis 10. v. 3. *Ego, & Pater unum sumus?* *Resp.* De die illa neminem scire nisi Patrem, & qui cum Patre sunt ejusdem, ut essentiæ, ita & scientiæ, Filius, & Spiritus Sanctus. Nam quod in Marco Evangelista, id etiam Filio denegatur, exponendum est de Christo, uti præcisè homine, & ut Legato à Patre ad nos misso, non quòd diem illam etiam secundùm naturam humanam, ut conjunctam, & unitam Divinæ, ignoraverit, sed ut eam nobis, & Discipulis suis manifestaret, & communicaret.

43. Matthæi 26. v. 29. *Hic est Sangvis meus, novi Testamenti, qui pro multis effundetur.* Et Lucæ 22. v. 20. *Hic est Calix, novum Testamentum, in sangvine meo, qui pro multis effundetur.* Et 1. ad Corinth. 11. v. 25. *Hic Calix novum Testamentum est, in meo Sangvine*, qui textus non videntur inter se convenire? *Resp.* Horum omnium textuum esse unum eundémque sensum. Nempe: id, quod hoc, *Calice* continetur, *est Sangvis meus*, per quem novum Testamentum sancitur, & confirmatur.

44. Ibidem v. 29. *Non bibam amodo de genimine vitis hujus.* Et v. 28. dixerat esse *suum Sangvinem*, quomodo ergo genimen vitis? *Resp.* Sangvinem fuisse, quoad substantiam, genimen verò vitis, quoad speciem vini, quæ revera natum erat ex vite. Vel illud, genimine vitis, potest referri ad vinum illud prophanum, quod supererat in mensa, & hydrijs.

45. Ibidem Christus dicit: *Amodo non bibam de hoc genimine vitis.* Et Lucæ 22. v. 16. *Ex hoc non manducabo illud, donec impleatur in Regno DEI.* At Actor. 10. v. 4. Petrus ait: *Manducavimus, & bibimus cum illo, postquam resurrexit à mortuis?* *Resp.* Christum quidem manducâsse, & bibisse post suam resurrectionem, cum suis Discipulis, sed non consveto, & ordinario modo, scilicet ad serviendum necessitati naturæ, vel nutritioni. Quô solô modò negat hîc se deinceps, comesturum, & bibiturum.

46. Ibidem v. 34. *Antequam gallus cantet, ter me negabis.* Et Marci 14. v. 30. *Hodie in nocte hac, priusquam gallus vocem bis dederit, ter me es negaturus.* Et ex v. 68. constat, *ante primum galli cantum, non nisi semel Petrum negâsse Christum.* *Resp.* Illud: antequam gallus cantet, accipiendum esse, pro antequam gallus cantum suum compleat, bis cantando, ter me negabis.

47. Matthæi 26. v. 49. & 50. *Osculatus est eum*, (scilicet Judas Iscariotes) *tunc manus injecerunt in JESUM.* Ex Joannis autem cap. 18. v. 4. constat, priùs omnes resupinos humi collapsos fuisse, nec ad signum *osculi*, sed ad ultroneum Christi consensum, manus in eum injecisse. *Resp.* Non statim omnino à Judæ osculo, Judæos manus in JESUM injecisse, sed hoc fuisse initium, & signum, paulò pôst secuturæ in eum injectionis.

 48. Mat-

48. Matthæi 26. v. 64. *Amodo videbitis filium hominis, sedentem à dextris virtutis DEI, & venientem in nubibus cæli.* Ubi, & quando hæc prædictio fuerit verificata, respectu Judæorum? aut verificabitur? *Resp.* Vocem *amodo*, hîc non significare statim post illud tempus, quo loquebatur, eos visuros Filium hominis, sedentem à dextris virtutis DEI, loquebatur enim de extremo Judicio, longo post tempore futuro. Sensus igitur illorum verborum Christi, hic est: Ab hoc tempore, seu à morte mea, non videbitis me, donec videatis me sedentem in dextra DEI, & venientem in nubibus cœli, in extremo die Judicij.

49. Ibidem v. 74. *Cœpit detestari, & jurare, quia non novisset hominem.* Et Lucæ 22. v. 32. *Rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua.* *Resp.* Graviter quidem Petrum peccâsse, & si non animo, sed ore duntaxat Christum negaret, sed licèt Charitatem, & gratiam amiserit negando Christum, & contra præceptum Fidei peccaverit, fidem tamen hâc negatione non amisit.

50. Matthæi 27. v. 9. *Tunc impletum est, quod dictum est, per Jeremiam Prophetam dicentem: Et acceperunt triginta argenteos, pretium appretiati, quem appretiaverunt à filijs Israël.* Quæ verba non habentur in libro prophetiæ Jeremiæ, sed inveniuntur apud Zachariam Prophetam, qui cap. 11. v. 13. similia habet. *Resp.* Multi censent incuriâ Librariorum nomen Jeremiæ hîc irrepsisse, vel per additionem: Nam Matthæus non solet exprimere nomina Prophetarum, quos citat, vel per commutationem, Jeremiam ponendo locò Zachariæ, uti habet textus Syriacus, & nonnulli codices Latini, olim habebant. Ut testatur Sanctus Augustinus. Nisi fortè dicamus à Matthæo Evangelista fuisse citatum, aliquem etiam librum Jeremiæ Apocryphum, qui nunc non extat.

51. Matthæi 27. v. 34. *Dederunt ei vinum bibere cum felle mistum.* Et Marci 15. v. 23. *Dabant ei bibere myrrhatum vinum.* *Resp.* Per fel, hîc intelligi myrrham, de qua Marcus, amaram instar fellis, & vinum aliunde acetosum. Et Græcus, ac Syrus textus acetum vocat, conformiter ad illud Psalmi 68. v. 22. Dederunt in escam meam fel, & in siti mea potaverunt me aceto.

52. Matthæi 27. v. 40. *Et latrones, qui crucifixi erant cum eo, improperabant ei.* At Lucæ 23. v. 29. *Unus blasphemat eum., alter verò blasphemantem increpat.* *Resp.* Fortasse utérque primùm conviciatus est, postea alter visis miraculis, quæ Christo patiente fiebant, & ejus notatâ mansvetudine, ac patientiâ, resipuit. Vel certè *latrones* per syllepsiam dicitur pro *latro.*

53. Matthæi 27. v. 56. *Inter mulieres, quæ secutæ erant IESUM, à Galilæa, ministrantes ei, dicitur fuisse etiam Maria Jacobi, & Joseph Mater.* Et Joannis 19.

nis 19. v. 25. vocatur *Maria Cleophe, & soror matris ejus*, scilicet Beatissimæ Virginis *Mariæ*, & apud eundem Joannem vocatur *mater filiorum Zebedæi.* Et Marci 15. v. 40. vocatur *Maria Salome. Resp.* Hæc omnia nomina uni eidemque convenire personæ. Erat enim hæc Maria, mater Jacobi minoris, & Josephi, & uxor Cleophæ, sive Alphæi, & soror Beatissimæ Virginis, quia erat soror Josephi sponsi DEIparæ, & mater filiorum Zebedæi, quia alterum maritum habebat Zebedæum, ex quo genuit Jacob majorem, & Joannem Evangelistam. Vocabatur autem etiam *Salome*, sive Maria Salome.

54. Matthæi 28. v. 1. *Vespere Sabbathi, quæ lucescit in prima Sabbathi, venit Maria Magdalene, & altera Maria, videre sepulchrum.* Et Marci 16. v. 1. *Cùm transîsset Sabbathum, Maria Magdalene, & Maria Jacobi, & Salome, emerunt aromata, & valde manè una Sabbathorum, veniunt ad monumentum, orto jam sole.* Qui textus videntur multùm inter se disconvenire. *Resp.* Vespere Sabbathi hìc accipi, pro tempore vespertino, & obscuro totius noctis Sabbathum subsequentis, quæ vespera, vel nox lucescit in prima Sabbathi, hoc est: desinit adveniente luce diei Dominicæ, qui dies phrasi Scripturæ, dicitur prima Sabbathi, sicut dies Lunæ, secunda Sabbathi, & sic deinceps, id est prima, aut secunda dies Hebdomadæ, quod clariùs exprimit Marcus dicendo, cùm transîsset Sabbathum. Ementes igitur aromata hæ mulieres egressæ ex urbe valde manè. Et, ut habet Joannes 20. v. 1. Dum adhuc tenebræ erant, albescente tamen cœlo, ut loquitur Sanctus Augustinus, sed ad monumentum non pervenerunt, nisi orto jam sole.

55. Marci 1. v. 2. *Et sicut scriptum est in Isaia Propheta: Ecce ego mitto Angelum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te. Vox clamantis in deserto: Parate viam Domini, rectas facite semitas ejus.* Quæ omnia verba, non habentur in Isaia? *Resp.* Testimonium quod hìc affertur, esse ex duobus Prophetis descriptum: Malachiæ 3. v. 1. & Isaiæ 40. v. 3. Sed Marcus tantùm Isaiam citat, quia in verbis illis Isaiæ, *Vox clamantis in deserto*, tota rei probatio consistebat.

56. Marci 1. v. 26. *Discerpens eum spiritus, exijt ab eo.* At Lucæ 4. v. 35. *Exijt ab eo, nihilque illi nocuit. Resp.* Discerpebat illum spiritus, non discindendo, aut mutilando, sed torquendo, convellendo, & collidendo ejus membra, sed quia nihil illum læsit, ideo Sanctus Lucas dicit, nihil illi nocuisse.

57. Marci 15. v. 25. *Erat hora tertia, & crucifixerunt eum.* Joannis 19. v. 14. *Erat quasi hora sexta, antequam duceretur ad crucem. Resp.* Apud Judæos totam fuisse diem, divisam in quatuor præcipuas horas, primam, tertiam, sextam, & nonam, quarum singulæ, continebant tres horas, & sic tota dies continebat duodecim horas, Juxta illud Christi: *Nónne duodecim sunt*

horæ diei. Finis itáque horæ tertiæ, & initium sextæ se contingebant. Marcus Evangelistà, ponit ultimam partem horæ tertiæ, Joannes verò initium horæ sextæ.

58. Marci 16. v. 5. *Introeuntes monumentum, viderunt juvenem sedentem à dextris, coopertum stolâ candidâ.* Lucæ verò cap. 24. v. 4. dicuntur duo illis astitisse: *Ecce duo viri secus illas steterunt, in veste fulgenti.* Et Matthæi 28. v. 2. dicitur tertius sedisse super lapidem. *Angelus enim Domini descendit de cœlo, & accedens revolvit lapidem, & sedebat super eum. Resp.* Viros illos duos, seu Angelos in forma virili, quos Lucas scribit apparuisse mulieribus, fuisse diversos, ab illo, quem Matthæus dixerat iisdem apparuisse, illi enim erant intus in sepulchro; hic verò in dextra lateris sepulchri super lapidem, quem ab ostio monumenti revolverat.

59. Marci 16. v. 8. dicitur de iisdem mulieribus redeuntibus ex sepulchro, *& nemini quidquam dixerunt.* At Lucæ 28. v. 9. *Nunciaverunt hæc omnia illis undecim. Resp.* Illud, *nemini quidquam dixerunt*, intelligendum esse, de occurrentibus illis per viam in reditu.

60. Marci 16. v. 14. *Novissimè apparuit recumbentibus illis undecim*, & tamen aberat Thomas. Joannis 20. v. 24 Et præter Apostolos aderant quidam alij ex discipulis. Lucæ 24. v. 33. & postea sæpius apparuit. Joannis 21. v. 1. & 1. ad Corinth. 16. v. 6. Actorum 1. v. 3. *Resp.* Novissimè hîc non accipi pro ultima vice, sed, vel pro deinde, vel postea, vel pro novissima, seu ultima parte diei, id est: vesperi recumbentibus, seu mensæ accumbentibus jam discipulis. Additur autem *illis undecim*, à potiori parte sumendo denominationem, quia collegium Apostolorum tunc temporis, constabat totidem capitibus, & si Thomas unus de undecim abesset, & præter Apostolos, quidam alij adessent.

61. Lucæ 1. v. 32. *Dabit ei Dominus DEUS sedem David Patris sui, & regnabit in domo Jacob in æternum.* Cùm tamen ipse Christus dicat, Joannis 18. v. 36. *Regnum meum non est de hoc mundo.* Et Matthæi 21. v. 43. *Auferetur à vobis Regnum DEI, & dabitur alteri genti. Resp.* Verba illa, dicta ab Angelo, Lucæ 1. v. 32. intelligenda esse, non de sede David, & regno temporali, sed spirituali. Neque enim Christus super solium Davidis temporale unquam sedit. Itáque per sedem David, & domum Jacob hoc loco intelligenda est Ecclesia, in qua sedet, & imperat, ac regnat, æternúmque regnabit, ac imperabit Christus. Porrò Ecclesia dicitur sedes David, quia thronus Davidis fuit typus, & figura throni Ecclesiæ: sicut etiam imago Ecclesiæ, fuit domus Jacob, in qua olim erat Ecclesia. Ita Menochius. Illud autem apud Matthæum citato loco: *Auferetur à vobis regnum DEI*, sic est interpretandum.

Desi-

definetis esse vera Ecclesia, & populus DEI, & dabitur alteri genti, putà gentili populo, qui acceptaturus est meam de Regno DEI doctrinam, quam vos superbè rejicitis.

62. Lucæ 2. v. 34. *Ecce positus est hic in ruinam, & in resurrectionem multorum in Israël.* Quomodo in ruinam multorum, si fuit *salutare* DEI, *quod DEVS paravit ante faciem omnium populorum,* & Lumen *ad revelationem gentium, & gloriam plebis Israël?* Lucæ 2. v. 31. & 32. ℟. Christus, seu missus Messias, positus est in ruinam multorum, & ut Isaias loquitur Cap. 18. v. 13. 14. & 18. *In lapidem offensionis, & in petram scandali, & in ruinam.* Nempe in majorem cæcitatem, & obdurationem malorum Judæorum, non formaliter, ac per se, sed occasionaliter, & per accidens, licèt inculpatè. Per se autem, & ex intentione DEI, positus est in Resurrectionem etiam multorum à peccatis suis. Et juxta Isaiam: in *Sanctificationem* scilicet piorum, & fidelium. Ita Theophylactus, Origenes, & Beda, apud Tirinum.

63. Ibidem v. 52. *Proficiebat JESVS sapientiâ, & gratiâ apud* DEUM, *& homines.* Et v. 40. dicitur *fuisse plenus sapientiâ.* ℟. Proficiebat JESUS sapientiâ, & gratiâ, non infusâ & habituali (quibus à primo conceptionis suæ instanti plenus fuit, ut insinuatur v. 40.) sed experimentali, seu usu acquisitâ sapientiâ, & actuali exercitio actuum sapientiæ, & gratiæ, quos perfectiores patrabat in dies, ita ut in dies sapientior hominibus appareret, & magìs gratus esset, & non solùm apud homines sic proficiebat, sed apud DEUM, id est: tam DEI, quàm hominum judicio. Ita Hieronymus. Damascenus, & passim Theologi.

64. Lucæ 7. v. 50. *Fides tua te salvam fecit,* & v. 47. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Uno enim loco fidei, altero charitati, seu dilectioni, adscribitur remissio peccatorum? ℟. Fidem hîc accipiendam esse, non nudam, & sterilem, sed charitati, & contritioni conjunctam.

65. Lucæ 10. v. 23. *Beati oculi, qui vident, quæ vos videtis.* At Joannis 20. v. 29. *Beati, qui non viderunt, & crediderunt?* ℟. Beatos fuisse Apostolos, qui viderunt Salvatorem, & audierunt ejus doctrinam, sed non minùs Beatos esse illos, qui ad Evangelij prædicationem, in eum crediderunt, quem non vident, quin ex parte Beatiores, quia plùs accesserunt ad naturam fidei, quæ est argumentum non apparentium. Ad Hebræos 11. v. 1.

66. Lucæ 14. v. 26. *Qui non odit Patrem suum, & Matrem suam, & uxorem, & filios, & fratres, & sorores, ad huc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus.* At ad Epheseos 5. v. 25. *Viri diligite uxores vestras,* & Deuteron. 5. v. 16. *Honora Patrem tuum, & Matrem tuam.* ℟. Uxores sine dubio diligendas esse à viris suis, & parentes honorandos à filijs. Illud igitur, qui non odit Patrem suum, &c. cum limitatione, & comparativè accipiendum est, quatenus scilicet DEI obsequio contrarij sunt. Unde Matthæus habet: Qui amat patrem plùs quàm me, non est me dignus.

67. Lucæ 15. v. 7. *Majus gaudium erit in cœlo, super uno peccatore pœnitentiam agente, quàm super nonaginta novem justis.* At Matthæi 13. v. 43. *Justi fulgebunt sicut Sol in Regno Patris eorum.* ℟. Christum Dominum in citato loco enarratâ parabolâ, loqui more humano, & accomodato nostro ingenio, qui ex insperato bono, majus gaudium solemus percipere, quàm ex alio antiquo, quô multo tempore continuò fruebamur, licèt revera, hoc in se majus sit. Sic mater plùs gaudet, quòd filius ex desperata infirmitate convaluerit, quàm de constanti aliorum valetudine.

68. Lucæ 17. v. 10. *Cùm feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite servi inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus.* At Matthæi 25. v. 21. Ait Dominus servo bono: *Euge serve bone, & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam?* ℟. Verbis illis apud Sanctum Lucam utitur Christus, ut demissè de nobis sentiamus, & nos pro servis inutilibus æstimemus, & reputemus, quia scilicet nostris operibus, nihil utilitatis DEO (qui nullo indiget) afferimus. Verbis autem illis apud Matthæum animat nos, ut nutui divino obsequamur, ejúsque gloriam promovere studeamus, ac propagemus, mercedem ac præmium pro nostris obsequijs, estò aliàs debitis, pro certo accepturi.

69. Lucæ 23. v. 3. *Intravit Sathanas in Judam, & abijt, ut traderet JESUM Judæis.* Et Joannis 13. v. 27. *Post buccellam introivit in eum Sathanas.* At jam pridem, Ioannis 6. v. 71. dixerat JESUS ad Apostolos: *Non ne ex vobis unus diabolus est?* ℟. Quando dicitur intrâsse Satanas in Judam, non significari eum abreptitium factum, sed dæmonem pravis illum suggestionibus sollicitâsse, & Judam ijsdem consensum præbuisse. Post bucellam autem panis interea acceptam, & comestam, planè animum ad scelus proditionis patrandum, obfirmavit. Demùm Joannis 6. v. 71. Vocatur diabolus, hoc est: pessimus, satanicus, & diabolicus homo.

70. Lucæ 23. v. 34. JESUS orans pro suis crucifixoribus dixit: *Pater, dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt.* At Joannis 15. v. 22. dixit: *Si non venissem, & locutus fuissem eis, peccatũ non haberent, nunc autem excusationem non habent de peccato suo.* ℟. Aliquos quidem ex crucifixoribus ignorantiâ peccatum minuente laborâsse, cujusmodi fuêre gentiles, & aliqui etiam ex Judæorum plebe. Scribarum verò, & Pharisæorum ignorantia crassa erat, & supina, quin & affectata, quæ non minuit, sed aggravat peccata, ignorantia tamen fuit. Ut testatur Petrus Actor. 3. v. 17. Et Paulus 1. ad Corinth. 2. v. 8.

71. Lucæ 23. v. 43. Dicit Christus ad Latronem: *Hodie mecum eris in Paradiso:* Et tamen neuter illorum illâ die venit ad Paradisum, sed ad Lymbum descendit. ℟. Per Paradysum hîc non intelligi, Paradisum terrestrem Adami, nec etiam Cœlestem, vel Cœlum Empyreum, sed generaliter locum quietis, & securitatis de salute æterna, & statu æternæ fælicitatis, ac beatitudinis.

72. Joannis 1. v. 8. *Non erat ille lux, scilicet*, Sanctus Joannes Baptista, & tamen

tamen de eodem cap. 5. v. 35. dicitur: *Ille erat lucerna ardens & lucens, & voluistis exultare in luce ejus?* ℞. Joannes Baptista, non erat illa lux, de qua Joannis 1. fit sermo. Lux videlicet increata & primaria, quæ appellatur ibidem *Lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*. Erat tamen lucerna ardens, (lucem mutuatam à prima & immensa illa luce habens) & lucens: *ardens*, per internam charitatem, & *lucens* per externam doctrinam, & virtutum exempla.

73. Ibidem v. 9. de Christo dicitur: *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, id est: omnes homines, qui nascuntur, seu per nativitatem veniunt in mundum. Et mox v. 10. additur. *Et mundus* (id est: homines, nobilissima pars mundi) *eum non cognovit*. ℞. Lucem hanc ex natura sua, & quantùm est ex se, illuminare omnem hominem, licèt aliqui, imò multi hoc lumen non recipiant, & sic mundus (id est homines mundani) eum suâ culpâ, & malitiâ non cognovit.

74. Ibidem v. 15. De Christo Sanctus Joannes Baptista dicit: *Qui post me venturus est*, & mox addit: *ante me factus est, quia prior me erat*. ℞. Hunc esse verborum illorum sensum: *Qui post me venturus est*. Qui proximè, & brevi mihi successurus est in officio prædicandi, & ante quem ego missus sum, & cujus ego præcursor sum, is, *ante me factus est*, id est: honore, & dignitate mihi ante positus est. Quia prior me erat, id est: præstantior, potior, præcellentior naturâ, dignitate, & officio, utpote: Messias, & Filius DEI.

75. Ibidem v. 31. Dicit idem Sanctus Joannes Baptista, de Christo Domino: *Et ego nesciebam eum*. Et tamen præsente Matre Christi, adhuc infans, exultavit ad præsentiam illius, in utero matris suæ. Lucæ 1. v. 41. ℞. Joannes quidem antequam mitteretur ad baptizandum, sciebat Christum esse in mundo, & esse Filium DEI, & se fore ejus præcursorem, sed oculis corporeis eum non viderat, nec determinatè sciebat, hunc esse, vel illum.

76. Joannis 3. v. 18. *Qui credit in eum* (Christum scilicet) *non judicatur, qui autem non credit, jam judicatus est*. At Judæ. v. 15. *Veniet DEUS in Sanctis millibus suis, facere judicium contra omnes*. Et 2. ad Thessalon. 2. v. 11. *Ut judicentur omnes, qui non crediderunt veritati*. ℞. Qui credit in Christum, & ut Fides docet, eum amat, & servit, non judicatur, id est: non condemnatur. Qui verò non credit, jam judicatus est, id est: jam condemnatus est, subintellige in DEI præscientia, & reprobationis decreto, per quod tamen Judicium extremum, vel etiam particulare, quod omnes subeunt statim post mortem, non excluduntur.

77. Joannis 5. v. 3. *Si ego testimonium perhibeo de meipso, testimonium meum non est verum*. At cap. 8. v. 14. *Et si ego testimonium perhibeo de me ipso, verum est testimonium meum*. ℞. Hunc esse sensum duorum istorum textuum. Si ego testimonium perhibeo de meipso, id est solus, meâ solius assertione, Testimonium meum non est verum; id est fidele, & firmum, vestro scilicet judicio; quasi dice-

ret, concedo, ut mihi soli fidem non habeatis. Et si ego testimonium perhibeo de meipso, verum est testimonium meum, quia non solus illud perhibeo, ut vos calumniamini, quia solus non sum; sed ego, & Pater, duæ personæ Divinæ; adeóque duo testes, omni exceptione majores. In lege autem vestra scriptum est: *In ore duorum, vel trium testium, stat omne verbum*: Deutoron. cap, 19. v. 15.

78. Joannis 5. v. 34. ait Christus: *Ego ab homine testimonium non accipi.* At v. 33. *Joannes perhibuit testimonium veritati.* Et cap. 1. v. 34. dicit Joannes Baptista: *Ego testimonium perhibui, quia hic est Filius DEI.* Ac demùm Joannis 5. v. 46. *Moyses de me scripsit.* ℞. Sensus illorum verborum Christi est: Ego ab homine testimonium non accipio, quasi illo indigens, ad hoc ut ostendam me esse Christum, non tamen illud rejicio, sed hæc dico, ut vos salvi sitis, quasi diceret: vestri causâ testimonium Joannis de me protuli, quem vobismet testem delegistis.

79. Joannis. 7. v. 8. *Ego non ascendo ad diem festum istum*, & v. 10. *Tunc, & ipse ascendit ad diem Festum, sed quasi in occulto.* ℞. Verba illa Christi, ego non ascendo ad diem festum istum, sic explicari. Ego non ascendo ad diem festum istum, scilicet primum, seu primarium diem festi hujus, (hoc enim festum erat, festum Scenopegiæ, quod octo diebus celebratur) solùm enim decrevi eò ascendere, post abitum vestrum, ut istic adsim, idque non publicè ascendendo, sed quasi in occulto.

80. Joannis 6. v. 50. *Hic est panis de cœlo descendens, ut si quis ex ipso manducaverit non moriatur.* Et cap. 8. v. 51. *Si quis sermonem meum servaverit, mortem non videbit in æternum.* At Hebr. 9. v. 27. *Statutum est hominibus semel mori, antiqua.* ℞. Verba illa Christi, *non morietur: mortem non videbit in æternum.* Esse accipienda de morte, & vitâ spirituali. *Non morietur.* Id est: *non manebit in morte*, sed resuscitabitur, ad vitam æternam, & immortalem. *Mortem non videbit in æternum.* Id est: non incurret mortem æternam.

81. Joannis 7. v. 16. *Mea doctrina, non est mea.* Quæritur: *Si mea? quomodo non mea?* ℞. Mea doctrina, quam ego trado vobis, non est mea, seu à meipso, ut mero, & puro homine excogitata, sicuti vos putatis, sed à Patre meo cœlesti est accepta.

82. Jonnnis 7. v. 34. *Ubi ego sum, vos non potestis venire.* Et Cap. 17. v. 20. *Volo ut ubi ego sum, & illi sint mecum.* Et Cap 12. v. 26. *Ubi ego sum, illic & minister meus erit.* ℞. Verba priora dicta fuisse à Christo Domino Judæis, & sensus illorum est: Ubi ego sum, id est in cœlo, ubi ut DEUS semper sum, & ut homo brevi ero, vos non potestis venire. Nam propter peccata vestra, excludemini à Regno cœlorum. Posteriora verò dixit ad discipulos, quibus maximâ desiderat, & exoptat, ut & ipsi, ubi ille est, & erit, nempe in cœlesti gloria, sint cum illo, imò eos, qui eidem ministrant, hoc est: eundem imitantur, hac de re etiam assecurat.

83. Joannis 8. v. 15. *Ego non judico quenquam*, & Cap. 5. v. 22. *Neque enim Pater*

Pater judicat quenquam, sed omne judicium dedit Filio. ℞. Sensum illorum verborum: *Ego non judico quenquam.* Dependere ab antecedentibus verbis, quæ dixit ad Judæos: *Vos secundùm carnem judicatis.* Sensus igitur illorum est hic: *Ego non judico quenquam, suple, secundùm carnem*, ut vos, id est: Secundùm solos sensus externos, seu secundùm ea sola, quæ exteriùs apparent. Per illa verò verba: *Néque enim Pater judicat quenquam*, intelligitur: quòd Pater non judicat quenquam seorsim à Filio, id est: non judicat solus, *sed omne judicium dedit Filio*, id est: sed omne judicium exequitur per Filium.

84. Joannis 8. v. 56. *Abraham Pater vester exultavit, ut videret diem meum, vidit, & gavisus est.* Et Lucæ 8. v. 24. *Multi Prophetæ, & Reges voluerunt videre, quæ vos videtis, & non viderunt?* ℞. Hunc sensum illius Textûs esse: Abraham cum reliquis Patriarchis, desiderio optavit videre tempus adventûs mei in carne, existimavitque se felicem futurum, si illud videre posset, & vidit non tantùm spiritu Prophetico, & fide, sed DEI revelatione in Lymbo, & gavisus est, ob salutem generis humani, & spem proximæ inde suæ eductionis. Multi autem Prophetæ, desiderârunt Christum videre in carne, & non viderunt, sicut viderunt Apostoli.

85. Ibidem Christus dicit Judæis: *Abraham Pater vester.* Et superiùs v. 44. dixerat ijsdem: *Vos ex Patre diabolo estis, & desideria Patris vestri vultis facere.* Ac rursus. v. 37. dicit: *Quia filij Abrahæ estis.* ℞. Judæos fuisse filios Abrahæ, secundùm carnem, sed non secundùm spiritum, & virtutem; secundùm verò spiritum erant ex diabolo, tanquam Patre spirituali, cujus desideria occidendo Christum, & doctrinam illius non acceptando, perficiebant.

86. Joannis 12. v. 8. *Pauperes enim semper habetis vobiscum, me autem non semper habebitis, id est: habere poteritis.* At Matthæi ultimo, v. ultimo, dicit Christus ad discipulos: *Ecce ego vobiscum sum úsque ad consumationem sæculi.* ℞. Priorem textum esse intelligendum, de reali & corporali ejusdem præsentia, ubique & semper; posteriorem verò, de favore, & assistentia ejusdem, ac etiam de reali præsentia illius, in Eucharistia.

87. Joannis 10. v, 8. *Omnes quotquot venerunt, fures sunt, & latrones.* Et Matthæi 23. v. 2. *Super cathedram Moysis sederunt scribæ, & Pharisæi.* Si in Cathedra Moysis sederunt, quomodo omnes quotquot venerunt fures sunt, & latrones? ℞. Christum hic loqui de omnibus quotquot ante eum venerant, non ingressi per ostium, & legitimam authoritatem, seu missionem, cujusmodi fuerunt Pseudo prophetæ, non verò de veris Prophetis; quia hi, non tam venerunt, quàm missi sunt. Et tales fures, & latrones etiam erant Pharisæi, & Seniores illi, qui multas traditiones merè humanas induxerunt, veræ DEI doctrinæ repugnantes.

88. Joannis 10. v. 22. *Facta sunt Encænia, & hyems erat.* Qualiter id tali tempore

pore contingere potuit ? Nam dedicatio Salomonis facta est non in hyeme, sed in æquinoctio Autumnali. 3. Regum 8. v. 7. Zorobabelis autem in vere, paulò ante Pascha. 1. Esder. 6. v. 15. & 19. ℟. Hæc Encænia quorum hîc fit mentio non fuisse facta in memoriam dedicationis templi factæ per Salomonem, nec factæ per Zorobabel, sed per Judam Machabæum, qui profanatum ab Antiocho Epiphane Templum, & altare, triennio pòst expurgavit, iterúmque dedicavit, quæ dedicatio contigit mense Casleu, qui partim Novembri nostro correspondet, partim Decembri.

89. Joannis 11. v. 4. *Audiens JESUS de infirmitate Lazari, dixit: infirmitas hæc non est ad mortem.* Et v. 14. subdit: *Lazarus mortuus est.* ℟. Infirmitatem illam Lazari non fuisse ad mortem, eâ ratione, ut vitam eriperet, & mortuus maneret; sed ut gloria Filij DEI per ejusdem resurrectionem ostenderetur.

90. Joannis 12. v. 44. *Qui credit in me, non credit in me, sed in Patrem*, si *in me*, quomodò *non in me*. ℟. Sensum illius textûs esse: Qui credit in me, non tantùm credit in me, sed etiam in Patrem meum, à quo missus sum.

91. Joannis 12. v. 45. *Qui videt me, videt eum, qui misit me.* Ast videbat Philippus Christum, & tamen rogat Cap. 14. v. 8. *Domine ostende nobis Patrem.* Et huic iterùm Christus ait: v. 9. *Philippe, qui videt me, videt & Patrem meum.* ℟. Sermonem hîc non esse de visione oculari, sed de ea, quæ fit per fidem. Et est sensus illius textûs iste; Qui cognoscit me per fidem, cognoscit & Patrem, seu eum, qui misit me, quia is est ejusdem Essentiæ mecum.

92. Joannis 12. v. 39. Docet scriptura de Judæis: *Non poterant credere, quia dixit Isaias: Excœcavit oculos eorum, & induravit cor eorum.* Et tamen Sap. 2. v. 21. dicitur: *Excœcavit illos malitia eorum.* ℟. Illud, *non poterant credere*, non accipi sic: quasi non potuissent, si voluissent, is enim dicitur etiam non posse, qui quidem potest, absolutè loquendo, si velit, sed tamen ut velit, magnis difficultatibus impeditur, quas superare non vult. Deinde illud: quòd credere non poterant, *quia* de illis prædixerat Isaias: *Excœcavit occulos eorum, & induravit cor eorum.* Ly *quia* non est causalis particula inferrens necessitatem non credendi antecedentem, sed consequentem, id est: quia Isaias prævidebat eos intellectu excœcatos, & voluntate induratos adhuc futuros, ideo prædixerat eos non credituros: unde tota causa non credendi refunditur in excœcationem, & indurationem, quæ proveniebat ex eorum malitia.

93. Joannis 13. v. 34. *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem.* An novum, quod fuit ab initio mundi, & est legis naturæ? ℟. Appellari hoc mandatum à Christo novum, non quò ad *Substantiam*, sic enim vetus est; Sed quò ad modum, nempè: *Sicut ego dilexi vos.* Et sicut ego docui diligendum proximum, scilicet etiam immeritum, etiam inimicum, etiam tibi nocentem, & te persequentem, & diligendum sic, etsi aliæ causæ desint, propter DEUM.

94. Joannis 14. v. 4. *Quò ego vado, scitis; & viam scitis.* Et tamen Thomas Apo-

Apostolus statim subjungit v. 5. *Domine, nescimus, quò vadis: & quomodo possumus viam scire?* Sensum illorum verborum: *Quò ego vado, scitis; & viam scitis*, esse: Quò ego vado, intelligitis, sicut & viam intelligitis, vel saltèm ex meis dictis intelligere, & scire potestis, & deberetis, sed mœror ob imminentem passionem ejus, & oblivio, faciebant, ut non meminissent; ideò Thomas subdit: Domine, nescimus quò vadis, & quomodo possumus viam scire?

95 Joannis 17. v. 9. *Non pro mundo rogo, sed pro his, quos dedisti mihi.* Et v. 20. *Non pro eis autem rogo tantùm, sed & pro eis, qui credituri sunt, per verbum eorum, in me?* ℞. Christum quidem oràsse æternum Patrem, pro omnibus in eum credituris. v. 20. Sed peculiariter pro Apostolis, v. 4. Pro his enim specialiter oravit æternum Patrem, ut eos conservet in fide, in gratia, in mutua Charitate.

96. Joannis 17. v. 11. Christus ait: *Jam non sum in mundo, & hi in mundo sunt.* Et mox v. 13. *Hæc loquor in mundo:* ℞. Jam non sum in mundo, id est: jam excessurus sum mundo, & non ero in mundo visibili carnis præsentiâ. Unde subjungit: *Ideò serva eos in nomine tuo*, id est: per te ipsum, per tuam bonitatem, potentiam, & misericordiam. Et hæc loquor in mundo, id est: postulo adhuc visibiliter existens in mundo, & præsens illis, *ut habeant gaudium in semetipsis*, id est: ut gaudium quod habebant hactenus ex mea præsentia, impleatur etiam post meum discessum in ipsis.

97. Joannis 18. v. 20. *In occulto locutus sum nihil.* At Matthæi 10. v. 17. *Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine, & quod in aure auditis, prædicate super tecta.* ℞. *In occulto locutus sum nihil*, hoc est: quòd scilicet vetuerim proferri in publicum, vel quod ipse postea, vel publicè docuerim, & publicè per meos docere non jusserim.

98. Joannis 18. v. 24. *Et misit eum Annas ligatum ad Caipham Pontificem.* Et tamen jam à versu 15. & 19. dixit idem Evangelista: JESUM adfuisse Pontifici. ℞. Illud *Et misit.* v. 24. Accipi per Enallages figuram, pro *miserunt* autem, éstque hîc Idiotismus Hebraicus. Hîc enim supplet Evangelista, quod omiserat dicere, v. 14. Et ex alijs Evangelistis apertè constat, & Petri negationem, & inflictionem alapæ Christo, in domo Caiphæ contigisse.

99. Joannis 20. v. 17. Dicit JESUS ad Mariam Magdalenam; *Noli me tangere.* At Matthæi 28. v. 9. *dicitur de Maria Magdalena, & altera Maria, quòd accesserint, & tenuerint pedes ejus, & adoraverint eum?* ℞. Illud: *Noli me tangere*, idem esse, noli tactu pedum meorum diutiùs immorari, non dum enim *ascendi*, pro *ascendo* ad Patrem meum, supererunt adhuc proinde aliquot dies, ac consequenter tempus non deerit istius affectûs explendi, uti non defuit pestmodum, ut meminit loco citato Sanctus Matthæus.

100. Joannis 20. v. 29. *Quia vidisti me Thoma, credidisti.* Cùm tamen fides sit *argumentum non apparentium.* Ut docet Sanctus Paulus ad Hebræos 11. v. 1.

℞.

℟. Respondet Tirinus cum Scholasticis Doctoribus. Hôc locô particulam *Quia*, non designare causam formalem assensûs fidei (causa enim formalis fidei est sola attestatio, & revelatio divina,) sed tantùm occasionem, & causam disponentem ad assensum. Ex revelatione igitur divina Sanctus Thomas credidit, id quod vidit, quod enim naturali scientiâ novi, vel visu, aut alio sensu percipio, potest mihi id etiam ex revelatione divina, & attestatione innotescere, ac proinde possum illud simul etiam credere: quia credere nihil aliud est, quàm assentiri alicui veritati, quam, & quia DEUS revelavit, etsi ea aliâ etiam viâ mihi innotuerit. Ita ille. Respondet Sanctus Gregorius Papa: Sanctum Thomam aliud in Christo vidisse, aliud credidisse. A mortali quippe homine divinitas videri non potest, Hominem ergo vidit, & DEUM confessus est dicens: Dominus meus, & DEUS meus.

CENTURIA VIII.

Centum Selectiores Observationes, circa Antologias Apostolicas, hoc est: quæ Actis & Scriptis Apostolorum sunt selectæ.

1. ACtorum 1. v. 12. Possedit *Judas* agrum de mercede iniquitatis. Quomodò *possedit*? qui suspensus crepuit, & triginta illos argenteos retulit principibus Sacerdotibus, & hi primò post mortem *Judæ*, emerunt pro illis agrum illum figuli, in peregrinorum sepulturam. Ibidem. ℟. Verba illa: *possedit Judas agrum*, accipi hîc per catachresim, quod fit, quando nomen à primo suo significato, ad rem proprio nomine carentem transfertur; & sic in Jure, illud quod alicujus ære est emptum, ipsius esse censetur, ac is dicitur id possidere, etiam post suam mortem per successores.

2. Actorum 2. v. 38. *Baptizetur unusquisque vestrûm, in nomine* JESU *Christi*. Ast Matthæi ultimô v. 19. *Baptismi formula hæc præscribitur: Baptizantes eos, in nomine Patris, & Filij, & Spiritûs Sancti*. ℟. Verborum illorum: *Baptizetur unusquisque vestrûm in nomine* JESU *Christi*: esse hunc sensum: Baptizetur unusquisque vestrûm in fide, professione, & virtute JESU Christi, sive: suscipiat unusquisque vestrûm Baptismum à Christo institutum, in quo fit omnium trium personarum expressio.

3. Ibidem v. 44. *Omnes qui credebant, erant pariter, & habebant omnia communia*. Quomodò ergo Sanctus Paulus ad Hebræos, ultimô v. 1. 2. & 16. hortatur fideles, *ne charitatis, beneficentiæ, hospitalitatis, & communionis obliviscantur*.

tur Utique aliquid ex suo alijs indigentibus tribuendo? ℞. Primò, illo Textu esse solùm sermonem, de illis primis Christianis, qui erant Hierosolymis, non verò de omnibus, qui postmodum sunt conversi ad Fidem ex Gentilibus, per Paulum, & alios Apostolos. Nisi fortè excipias primos Christianos Alexandrinos.

4. Actorum Cap. 3. v. 21. *Oportet cœlum suscipere Christum, úsque in tempora restitutionis omnium,* hoc est: úsque ad diem Judicij. cùm Cap. 9. v. 5. habeatur: Quòd Christus apparuerit in terra Saulo, dicens: *Saule, Saule, cur me persequeris?* Et Matthæi ultimo, v. ultimo. Christus dicat discipulis, & consequenter omnibus fidelibus: *Ego vobiscum sum úsque ad consummationem sæculi?* ℞. Christum inhabitaturum cœlum, úsque ad extremum diem judicij, nec inde venturum, tanquam judicem, nisi in extremo judicio; vel ita, ut relinquat locum in cœlo. Non verò quòd non sit descensurus per replicationem, uti factum est, cùm apparuit Saulo, vel magìs miraculosè, existendo in sacrosancta Eucharistia.

5. Actorum 5. v. 4. Dicit Petrus ad Ananiam, *non ne manens tibi manebat & venundatum, erat in tua potestate.* Cùm Cap. 2. v. 44. dictum sit: *Omnes qui credebant, habebant omnia communia*, quomodò ergo manens manebat venundatum, in potestate Ananiæ, siquidè & ille erat è numero credentium, & ex eo morte subitaneâ punitus sit, quòd partem venundati sibi servavit? ℞. Ananiæ fuisse liberum offerre, vel non offerre pretium agri Apostolis, si scilicet voto religionis, & promissi, proprietate se non abdicâsset, ad instar cæterorum discipulorum Christi, qui omnia tunc communia habebant.

6. Ibidem v. 19. Dicitur: *quòd Judæi consenserint Gamalieli suadenti, & dicenti:* v. 38. *Discedite ab hominibus istis,* (nempe Apostolis) *& sinite illos.* Sed quomodò consenserunt, qui non nisi cæsos dimiserunt? Ut habetur v. 40. ℞. Concilium Judæorum consensisse in hoc Gamalieli, ne occiderent Apostolos, uti intendebant. Nam sic habetur v. 33. Cogitabant illos interficere, sed non consenserunt in eo, quòd censerent abstinendum prorsus ab omni pœnâ infligenda.

7. Actorum 7. v. 2. Sanctus Stephanus Protomartyr, dicit: *DEUS gloriæ apparuit Patri nostro Abrahæ, cùm esset in Mesopotamia, priusquam moraretur in Charan.* Hujus autem apparitionis nulla fit mentio, Genes. 12. v. 1. Sed neque ex Mesopotamia, verùm ex Ur Chaldæorum dicitur Abraham eductus esse in Charan? ℞. Accipi ibi à Sancto Stephano latiori significatione nomen Mesopotamiæ, nempè pro tota illa regione, quæ est trans Ephratem, & complectitur etiam vicinam Chaldæam, ex qua constat evocatum esse Abraham. Genesis 12. v. 1. & Capite 10. v. 32. Et sic etiam Plinius dilatat nomen Mesopotamiæ. Et hanc fuisse mentem Sancti Stephani patet, ex v. 4. ubi dicit Abraham exijsse ex terra Chaldeorum.

8. Ibidem v. 5. *Non dedit illi* (DEUS, scilicet Abrahamo) *in terra illa hæreditatem,*

tatem nec passum pedis. Cùm tamen Genesis 23. v. 17. dicatur de Abraham: *quòd emerit, & possederit agrum quendam Ephronis, in quo erat spelunca duplex, quadraginta siclis argenti coëmptum.* ℞. DEUM, non dedisse Abrahæ hæreditatem in terra illa, nec passum pedis, quam ipse per se possideret, instar prædij, vel agri frugiferi. Nam quòd possederit in ea speluncam duplicem, Genesis 23. v. 9. Ea solùm pro sepulchro fecit, quod non censetur esse hæreditas vivorum, sed carcer mortuorum.

9. Ibidem, v. 16. *Sepulchrum emit Abraham, pretio argenti, à Filiis Hemor, Filijs Sichem.* Cùm tamen Genes. 23. v. 16. dicatur: Abraham emisse sepulchralem illum agrum, ab Ephron, Filio Seor, à Filijs autem Sichem emit Jacob alium agrum. Genes. 23. v. 19. ℞. Unum eundémque fuisse Hemor, & Seor, & hujus Filium primogenitum fuisse Ephron, qui tam nomine suo, quàm reliquorum Fratrum, vendidit Abraham illam speluncam duplicem. Porrò Hemor ille fuit Filius Sichem, non illius, à cujus Filijs Jacob emit agrum, sed longè antiquioris. Frequens enim apud Hebræos nos fuit, plures ejusdem familiæ eodem nomine compellandi, & uni, eidémque, plura nomina imponendi. Ut patet ex observationibus suprà datis, de recta ratione scripturam sacram interpretandi.

10. Actorum 7. v. 48. *Excelsus* (Hoc est. DEUS) *non habitat in manifactis templis.* Item habetur: Actorum 17. v. 24. Et tamen 1. Paralip. 29. v. 1. Dicitur de Templo Hierosolymitano, *opus grande est, néque enim homini præparatur habitatio, sed DEO,* Et 2. Paralip. 6. v. 8. *Ergone credibile est, ut habitet DEVS cum hominibus, super terram?* ℞. DEUM excelsum, imò & immensum, non habitare ita in manu-factis templis, quasi in locis, in quibus solis degat, & è quibus solis potentiam suam exerat, nam sic implet cœlum & terram. Habitat igitur DEUS in templis, per specialem assistentiam, & exauditionem orationum in locis sanctis.

11. Actorum 9. v. 7. habetur. Quòd comites itineris Sauli: *stabant stupefacti, audientes quidem vocem, neminem autem videntes.* Et tamen ipse Paulus infrà, Cap. 22. v. 9. dicit: *Qui mecum erant, lumen quidem viderunt, vocem autem non audierunt?* ℞. Comites itineris Sauli, audivisse Christi loquentis vocem, sed confusam, & quasi inarticulatam, instar tonitru. Et hoc habetur Actorum 9. v. 7. Non audivisse verò articulatam, & disjunctam. Ut habetur Actor. 22. v. 9.

12. Actorum 11. v. 19. Dicitur de Apostolis: *Nemini loquentes, nisi Judæis.* Et mox v. 20. habetur: *Quidam loquebantur, & ad Græcos, sive gentiles?* ℞. Nemini locutos fuisse Apostolos, verbum Evangelij, nisi solis Judæis, nempe quoúsque per Petrum non fuit reserata etiam gentilibus janua ad Ecclesiam, Cæsareæ apud Centurionem Cornelium. Ex tunc autem loquebantur passim, & promiscuè etiam ad Græcos, id est Gentiles, præsertim Antiochiæ.

13. Actorum 12. v. 8. Dicit Angelus ad Petrum in carcere: *Præcingere, calcea te caligas tuas.* Quæritur, quomodò dici possit, ut quis calceet se, caligas suas?

suas? ℞. Vocem: *Caliga* olim apud Latinos significâsse *calceum*. Nam ut eruditè Alphonsus Salmeron observat: Caliga à ligando calce, id est: imo pedis dicitur, quasi calciliga. Et cùm calx à calcando dicatur, & calceus à calce, liquet caligas non esse tibialia, sed soleas, aut genus calceorum, quòd plantas, aut calces muniret. Quod patet etiam ex Genes. 14. v. 23. Ubi ait Abraham Regi Sodomæ: *A filo subtegminis, úsque ad corrigiam caligæ.* (id est calcei, hic enim habet corrigiam non tibiale) *non accipiam ex omnibus, quæ tua sunt.* Sensus ergo illorum verborum hîc est: *Præcingere*, id est: cinge te cingulo, & vestes tuas attrahe, (Judæi enim longas vestes portabant, quas ituri vel operaturi cingebant, & si vestibus non depositis essent dormituri, cingulo detracto laxabant) *calcea te caligas*, id est: attrahe Sandalia (uti est in Græco) sive soleas pedum tuorum, illásque alliga. *circumda tibi vestementum tuum*, id est: superiorem vestem, vel pallium, & sequere me.

14. Actorum 12. v. 20. Dicit Petrus liberatus per Angelum ex carcere: *Nunciтate Jacobo, & Fratribus hæc.* Et v. 2. ejusdem capitis, ante incaptivationem Petri, dicitur Jacobus occisus gladio. ℞. Jacobum, cui Petrus jussit nunciare hæc, fuisse Jacobum Alphæi, Episcopum Hierosolymitanum, seu Jacobum Minorem. Illum autem Jacobum, qui v. 2. dicitur occisus gladio, fuisse Jacobum Majorem Filium Zebedæi, Joannis Evangelistæ, & Apostoli, Fratrem.

15. Actorum 13 v. 20. Dicit Sanctus Paulus: *Quasi post Quadringentos, & quinquaginta annos, distribuisse DEUM sorte, & divisisse Terram promissionis populo Israëlitico.* Cùm tamen Genesis 15. v. 13. fiat mentio, tantùm quadringentorum annorum? ℞. Sanctum Paulum, computâsse hîc annos à nativitate Isaac, in quo facta est Abrahæ promissio, úsque ad divisionem terræ promissionis. Nam inde ad egressum Hæbreorum ex Ægypto, transierunt quadringenti quínque anni, quibus additi quadraginta anni peregrinationis in deserto, & circiter quìnque Bellorum Josue, post quæ bella contigit divisio terræ promissionis, extant quadringenti, quinquaginta anni. Genesis verò 15. v. 13. fit tantùm mentio quadringentorum annorum, quibus nimirum erant mansuri Israëlitæ in servitute Ægyptiaca.

16. Actorum 13. v. 33. Illud Psalmistæ: *Ego hodie genui te.* Sanctus Paulus exponit de Resurrectione Christi. Et alibi, nempe ad Hebræos 1. v. 3. exponit de æterna Filij DEI generatione. Ac tandem ad Hebræos Capite 5. v. 5. De ejusdem Incarnatione, & hæc quidem omnia in sensu literali, qui videtur debere esse unicus? ℞. Textum illum: *Ego hodie genui te.* optimè accomodari, & generationi verbi, ab æterno ex Patre: & generationi Christi in corpore: & resurrectioni Christi, sive illius resuscitationi ad vitam immortalem, sine regressu in corruptionem. Unde etiam Christus dicitur: Primogenitus mortuorum. Ad rationem dubitandi dico: Posse unum eundémque sensum scripturæ sacræ, habere

bere plures sensus, etiam literales, ut fusè, ac doctè more solito ostendit Salmeron, prolegomeno 8. in Evangelia, & Acta Apostolorum.

17. Ibidem v. 48. *Crediderunt* (prædicationi Pauli) *quotquot erant præordinati ad vitam æternam* Quomodò itáque, eodem Capite, v. 47. Repræhenduntur Judæi: Quòd indignos se judicaverint vitæ æternæ, si ad illam non fuerint præordinati? ℞. Præordinationem hîc non accipi, pro illa speciali completa, & solis prædestinatis propria electione, sed & summùm pro dispositione, & conditione, sive inchoata electione, quæ fit per Fidem, & gratiam justificantem. Patet id, primò, ex Textu Græco, nam id quod Latinus vertit præordínati, exprimitur exprimitur per vocem τεταγμένοι quæ significat idem, ac ordinati & dispositi. Secundò ex eo, quòd Sanctus Lucas agat hîc solùm *de fide*, id est: Initio salutis, néque enim intendebat dicere, hos omnes, & solos, perseverâsse in fide & gratia, esséque salvatos, cùm constet multos alios posteà credidisse, & salvatos esse: Néque verisimile est, omnes salvatos esse, sicut nec certum omnes in fide perseverâsse, qui tunc crediderunt. Sensus igitur illorum verborum est: Crediderunt in Christum, quotquot jam ordinati, & dispositi erant ad vitam æternam, quotquot scilicet habebant verum vitæ æternæ desiderium, & studebant suæ saluti, & sincerè veritatis indagandæ studio, & affectu, attenderunt prædicationi Sancti Pauli. Quæ dispositio quia non inveniebatur in Judæis, ideò meritò objurgantur à Sancto Paulo, quòd (repellendo Evangelium) indignos se judicaverunt, hoc est: manifestum fecerunt, se esse vitæ æternæ indignos.

18. Actorum 15. v. 28. & 29. *Visum est nobis, & Spiritui Sancto, nihil ultra vobis oneris imponere, quàm hæc necessaria, ut abstineatis vos, ab immolatis simulacrorum, & sanguine, & suffocato, & fornicatione.* Et quomodo nunc licitè Christiani vescuntur sanguine, & suffocato? An ergo non obligat nos, etiam totus Decalogus? ℞. Per illud *nihil ultra oneris imponere vobis*, excludi tantùm Legem Mosaycam, non verò Decalogum, vel legem naturalem: obligamur enim legem naturalem, hoc est: dictamen rectæ rationis sequi, & decalogum observare. Numerantur autem ibi tria illa præcepta: ut scilicet fideles abstineant: Primò, ab immolatis simulacrorum; Secundò, à suffocato, & sanguine; Tertiò, à fornicatione; non tanquam omnia semper, & absolutè necessaria ad salutem, sed duo illa priora ad tempus tantùm, ut Gentilium cum Judæis major esset familiaritas, & minor vitæ morúmque dissensio. Nam gentiles putabant fornicationem non esse peccatum, Judæi autem propter antiquam consuetudinem, abominabantur sanguinem, (cujus usus olim Genesis 9. v. 4. illis prohibitus fuit) & suffocato, hoc est esum animalium suffocatorum, quorum sanguis per jugulationem effusus non est. Comestio verò eorum, quæ simulacris oblata fuerunt, poterat Judæis præbere occasionem suspicandi, quòd ex gentilibus conversi, si talia comederent, vellent redire ad Idololatriam. Postquam autem gentiles, & Judæi conversi

versi ad fidem Christianam, in unum coaluerunt, non fuit ampliùs opus illis duobus præceptis. Unde subsequentibus sæculis, usu contrario abolita sunt.

19. Actorum 15. v. 3 Paulus circumcidit Timothæum. Cùm tamen Cap. 15. v. 28. Apostoli pleno consilio definiverunt, id non esse necessarium, & improbârunt eorum opinionem, qui dicebant: *quia oportet circumcidi eos, qui ex gentibus accedunt ad Christi Legem.* Ibidem v. 5. ℞. A Paulo Apostolo circumcisum fuisse Timothæum propter Judæos, ne illi facesserent aliquod ei negotium, ac impedimentum ponerent, ex eo, quòd assumpsisset Timothæum gentilem incircumcisum in socium prædicationis Evangelij. Licèt enim legalia post Passionem, & Resurrectionem Christi fuerint, jam mortua, & abolita, nondum tamen erant mortifera, sicut jam sunt post promulgationem Evangelij, adeóque citra peccatum, potuit Paulus circumcidere Timothæum.

20. Actorum 15. v. 10. *Quòd jugum* (nempe Legis Mosaycæ) *néque Patres nostri, néque nos portare potuimus.* Cùm Dutoronomij 30. v. 11. Dicatur: *Mandatum, quod præcipio tibi, non supra te est.* Et v. 14. *juxta te est valde, in ore tuo, & in corde tuo* &c. hoc est: non est supra tuas vires, nec observatu impossibile? ℞. Id quod valde difficile est, solet sæpe impossibile vocari, alioquin certum est, DEUM non imperare impossibilia, & constat multos jugum Legis Mosaycæ portâsse. Ut de Josue, Daniele, Josia, Elisabeth, & Zacharia testatur Sacra Scriptura. Sensus ergo illorum verborum: *Quid tentatis DEUM, imponere jugum supra cervices discipulorum, quod Patres nostri, néque nos portare potuimus,* est iste: Quid tentare vultis DEUM, contra nutum ejusdem, imponendo discipulis Christi, jugum Legis antiquæ, penè importabile. Nam Rabbi Moyses numerat præcepta Legis Mosaicæ positiva 218. Quot scilicet sunt membra in corpore humano, negativa autem 365. quot nempè dies sunt in anno solari.

21. Actorum 16. v. 6. *Vetati sunt à Spiritu Sancto loqui verbum DEI, in Asia.* Cùm Capite 19. v. 1. & 10. Dicantur Apostoli totâ Asiâ promulgâsse verbum DEI? ℞. Quia tunc illæ partes Asiæ in quibus voluit Paulus prædicare Evangelium, nec dum erant ita dispositæ, ad recipiendum Evangelium, sicut erat Macedonia, quò DEUS per visionem vocabat Paulum Evangelizare, ut habetur v. 10. Postmodum verò, sublatis illis impedimentis, prædicavit Paulus in Asia per biennium, Petrus item, & Joannes, ac alij, eandem vineam strenuè excoluerunt. Ita *Tirinus.*

22. Actorum 21. v. 8. Sanctus Paulus cùm venisset Cæsaream, dicitur intrâsse domum Philippi Evangelistæ Quæritur, quis fuit iste Philippus quintus Evangelista. ℞. Philippum hunc vocari Evangelistam, non quòd scripserit, sed prædicaverit Evangelium, erátque unus ex septem Diaconis.

23. Ad Romanos 1. v. 17. *Justus ex fide vivit.* Et Jacobi 2. v. 24. *Ex operibus justificatur homo, & non ex fide tantùm.* ℞. Sensum prioris textûs hunc esse: *Justus ex fide vivit.* id est: veram Justitiam, quæ est vita animæ, quasi à radice trahit

trahit ex fide, eandémque etiam ex fide conservat, roborat, auget, & perficit, non quidem sola, sed prout spei, charitati, cæterísque virtutibus (quas docet, & imperat fides) conjungitur. Sicut enim in vita corporali, cor est radix vitæ, & primùm vivens ac ultimùm moriens, per hoc tamen non exclauduntur, cerebrum, pulmo, jecur, &c. quia ex ijs quóque animal vivit, & sine his emoritur, ita licèt fides sit initium, radix, & quasi cor vitæ spiritualis, per hoc tamen non excluditur spes, & charitas, aliæque virtutes, quia ex ijs quóque vivit justus. Jam sine his, fides mortua est teste Sancto Jacobo. Id autem, quod mortuum est, non potest vitam dare, eandémque augere, & conservare.

24. Ad Romanos 1. v. 19. & 20. Sanctus Paulus dicit: de gentilibus præsertim Philosophis. *Quod notum est DEI manifestum est illis sempiterna quóque illius virtus, & Divinitas: ita, ut sint inexcusabiles.* At Isaias. Cap. 45. v. 15. dicit: *Verè tu es DEVS absconditus, DEVS Israël, Salvator.* ℞. Id quod notum est DEI, & ut Græcè est: γνοςὸν τȣ̃θεȣ̃ id est: quod de DEO naturaliter est cognoscibile, manifestum fuisse, aut saltèm potuisse esse gentilibus Philosophis, & sapientibus, utpotè lumine naturæ præditis, cujus ductu, per discursum à creatura mundi, seu à cognitione creaturarum, & intellectis ijs, quæ facta sunt, poterant pervenire, aut etiam pervenerunt ad notitiam DEI, ac sempiternæ quóque ejus virtutis, & Divinitatis, hoc est: attributorum, & perfectionum illius, ut sunt: sapientia, bonitas, justitia, potentia, & majestas: verbo ad cognoscendam hanc veritatem, quòd detur DEUS, seu ens primum, & perfectissimum, existens à se, & habens omnem perfectionem, ita, ut sint inexcusabiles, quasi ad veritatem hanc agnoscendam pervenire non potuerint. At verò, quando Isaias Propheta dicit: *DEVM esse absconditum*, id intelligendum est: quo ad illa divina mysteria, quæ excedunt naturalem captum arctati intellectûs, & non nisi ab intellectu, per lumen supernale adjuto cognosci queunt. Ut est, v. g. Mysterium Sanctissimæ Trinitatis, Prædestinationis, & Incarnationis, imò de hoc potissimùm intelligi potest illud Isaiæ: Verè tu es DEUS absconditus. Verbum scilicet absconditum, in carne humana, seu DEUS incarnatus, hoc est. Christus.

25. Ad Romanos 3. v. 20. *Ex operibus Legis, non justificabitur omnis caro, coram Domino.* Et Capite 4. v. 2. *Si Abraham, ex operibus justificatus est, habet gloriam sed non apud DEVM.* Ac Cap. 11 v. 6. *Si autem gratiâ, jam non ex operibus. alioquin gratia, jam non est gratia.* At Jacob. 2. v. 2. *Araham nónne ex operibus justificatus est?* & v. 24. *Quoniam ex operibus justificatur homo.* Ac demùm ipse Paulus ad Romanos 8. v. 4. *Ut justificatio Legis impleatur in nobis?* In quibus textibus prioribus quidem, videtur justificatio nullomodò, in alijs posterioribus, tota tribui operibus? ℞. Prænotandum hìc esse Sancti Pauli Apostoli, intentum primis Capitibus, hujus Epistolæ ad Romanos fuisse, ut reprimeret

fastum.

fastum, tum Judæorum, tum Gentilium, docerétque tam hos legem naturæ, quàm illos Legem Mosaycam violâsse, ide[illegible]que omnes sub peccato esse, & consequenter egere Salvatore Christo, quódqu[illegible] fide, & gratia Christi, non verò ex operibus Legis Mosaycæ, vel naturæ pete[illegible]t justitia. Hoc prænotato, sensus citatorum Textuum priorum est iste. *Ex* [illegible]*bus Legis, non justificabitur omnis caro coram Domino*, id est, ex operibus legis [illegible]e Mosaycæ, sive legis naturalis, acquiri quidem justitiam externam, politicam, & civilem, sed non internam spiritualem, & coram DEO justificantem, quæ sit remissiva, & expiativa peccati, seclusâ fide, & gratiâ Christi. Unde si Abraham habuit tantùm eam justitiam, quæ est ex operibus Legis Mosaycæ, vel Naturæ, seclusâ fide, habuit etiam tantùm gloriæ, & justitiæ laudem, quæ est apud homines, qui opera externa vident, & mirantur; non autem eam, quæ est apud DEUM, qui interna respicit, & requirit præter opera legis, etiam Fidem, Spem, ac Charitatem. Hinc Capite 11. v. 6. Idem inculcat, quòd gratuita electio ad justificationem, & salutem fiat non ex operibus, seu merito, ex efficatia operum Legis, sive Mosaycæ sive Naturæ, ut ipsi arbitrantur, sed ex virtute Christi, quæ nobis per fidem applicatur. Alioquin enim gratia, non esset gratia, hoc est: non haberet rationem gratiæ, sed mercedis. Hinc patet qui sensus sit posteriorum allatorum Textuum. Nam illud Jacob 2. v. 21. Abraham nónne ex operibus justificatus est, (hoc est: augmentum justificationis accepit, priùs siquidem jam fuit justificatus) ex operibus scilicet fundatis in fide, eáque supernaturali. Et sic accipiendum est, & illud v. 24. Ex operibus justificatur homo, nempe, quæ fiunt post fidem, & per fidem. Ac tandem, illud ad Romanos 8. v. 4. *Ut justificatio legis impleatur in nobis*, sic explicandum est: ut justificatio legis, seu remissio peccatorum, justitia, & sanctitas, quam Lex Mosayca præscribebat, & exigebat, nec tamen præstabat, per legem, & gratiam Christi compleretur, & perficeretur in nobis.

26. Ad Romanos 4. v. 25. Dicit Sanctus Paulus: *Christum resurrexisse propter justificationem nostram.* Et Cap. 5. v. 4. *Nos justificatos esse in sanguine, hoc est in Passione, & morte ipsius?* ℞. Causam, propter quam, seu meritoriam, & formalem extrinsecam, (nam formalis intrinseca, per quam justificamur, est gratia habitualis, quæ ex Christi meritis nobis datur) nostræ justificationis, esse sanguinem, seu Passionem Christi, in qua pro nobis sanguinem suum fudit. Resurrectionem autem ipsius esse, solùm per denominativam justificationis nostræ causam, quatenus scilicet resurrectio fuit, ultimus terminus mortis, & omnium passionum Christi, & cum illis quasi unum, idémque opus morale Redemptionis generis humani constituens; Per se siquidem & præcisè, Resurrectio Christi sumpta, non potuit esse causa meritoria justificationis nostræ, quia sic non erat opus viatoris: ad rationem autem meriti, status viatoris necessariò requiritur.

27. Ad Romanos 6. v. 23. *Vita æterna dicitur gratia DEI.* Et 2. Timoth. 4. v. 8. *Vocatur corona justitiæ*, & alibi in scriptura, *merces.* Gratia autem non est

mer-

merces, nec è contrà : & quod datur ex justitia, non est gratia. ℞. Vitæ æternæ hæc omnia convenire, nempe, & *q[illegible]d sit gratia, & quòd sit corona justitiæ, & quòd sit merces.* Estò enim vita ætern[illegible] merces, & corona justitiæ, quia est debita, & condigna, pijs justorum [illegible]us : Quia tamen pia justorum opera, id non habent ex se, sive ex natur[illegible], & præcisè ratione suæ entitatis, ut ipsis debeatur vita æterna, sed ex gratu[illegible]creto, & promissione DEI, & quia hæc ipsa justorum opera fiunt ex auxilio gratiæ divinæ tam prævenientis, quàm auxiliantis, seu cooperantis, & hæc gratia nobis gratìs datur, hinc optimo jure vita æterna omni ex parte vocatur, & est gratia, & gratuitum donum. Unde Sanctus Augustinus Episcopus, Epist 105. vitam æternam vocat gratiam pro gratia. Nam cùm DEUS coronat nostra merita, non aliud coronat, quàm sua dona.

28. Ad Romanos 7. v. 15. *Non quod volo bonum hoc ago, sed quod odi, malum illud facio.* Cùm tamen Genesis 4. v. 7. dicatur : *Sub te erit appetitus ejus* (peccati) *& tu dominaberis illius ?* ℞. Hujus posterioris textûs hunc esse sensum ; sub tuo libero arbitrio erit, ut non consentias in peccatum, ad quod te trahit appetitus tuus, & concupiscentia, & tu poteris illi dominari, tanquam mancipio rebelli, resistendo eidem : Nam invitare, aut incitare te possunt, passiones & appetitus tui ad culpam, sed non possunt ad illam cogere Hinc jam patet, quid velit dicere Sanctus Paulus, dum ait : *Non quod volo bonum, hoc ago : sed quod odi, malum, illud facio* ; hoc est : Vellem multa bona, præclara & magna facere, idque alacriter, & promptè, ac expeditè, sed invalescente concupiscentiâ, & ob repugnantiam passionum, sæpiùs non ita perficio, nec possum perficere, uti desiderarem. Cùm è contrà malum, quod mente odi, nempe primos motus concupiscentiæ, faciam, vel potiùs patiar, motus scilicet concupiscentiæ ; quasi diceret S. Paulus: vellem, non habere hos motus, & tamen sæpiùs habeo, estò citra rationis assensum.

29. Ad Romanos 8. v. 16. *Ipse Spiritus reddit testimonium Spiritui nostro, quod sumus Filij DEI*, utique per gratiam habitualem. Et Eccl. 9. v. 1. dicitur, *nescit homo, utrùm amore, aut odio sit dignus*, hoc est ; utrùm sit gratiam habitualem, & sanctificantem habens, vel in mortali peccato, nec dum remisso. ℞. Non esse illorum verborum Sancti Pauli hunc sensum : Quòd omnes justi, sciant infallibiliter se esse justos. Quia licèt testimonium Spiritûs Sancti sit certissimum & infallibile, in se, & quatenus procedit à Spiritu Sancto, quatenus tamen illud nobis exhibetur, non est certum, nisi certitudine conjecturali, & ut summum morali. Non enim certi sumus an illud testimonium procedat à Spiritu Sancto, vel à maligno Spiritu, transformante se in Angelum lucis. Unde monet Sanctus Joannes 1. Cap. 4. v. 1. *Probate Spiritus, utrùm ex DEO sint.* Et ipse Sanctus Paulus, 1. ad Corint. 4. v. 4. de seipso ait : *Nihil mihi conscius sum, sed in hoc justificatus non sum*, hoc est: fieri enim poterit, ut DEUS in me videat aliquam culpam, quam ego non agnosco. Et in hoc sensu dicit, Eccl. 9. v. 1. Non scit homo, (certò, & infalli-

bili-

biliter) utrùm amore, vel odio sit dignus, quando sibi non videtur conscius esse peccati mortalis.

30. Ad Romanos 8. v, 38. *Certus sum,* [illegible]*eque mors, néque vita, poterit me separare à Charitate DEI.* At 1. Corint. 9. v. [illegible]*stigo corpus meum, &c. ne fortè, cùm alijs prædicaverim, ipse reprobus effici*[illegible]. Voculam illam, *certus sum*, non designare omnimodam, & absolutam cer[illegible]dinem, sed solùm ex parte DEI, divinæque Providentiæ: ex nostra verò pa[illegible], non nisi conditionatam, si DEO cooperari, nec ab eo nos divellere velimus. Et hoc vult vox Græca πέπεισμαι quæ tum hî[illegible]um alibi, ex mente Sancti Pauli: idem est, quod persuasum habeo, spero, confido, ut sic legit Sanctus Ambrosius, Hieronymus, Syrus, & multi alij, etiam Heterodoxi. Quod & Sanctus Augustinus expressè docet, libro de moribus Ecclesiæ, cap. 21. & sequentibus, dum inquit: Ita hîc astruitur potentia, & efficacia Divini erga nos affectûs, ut tamen metus relinquatur propriæ malitiæ, socordiæ, & negligentiæ. Unde hi duo Textus, sibi non contrariantur.

31. Ad Romanos 9. v. 16. *Non volentis, nec currentis, sed miserentis est DEI.* At Eccl. 15. v. 14. *DEUS reliquit hominem, in manu consilij sui: adjecit mandata sua. Si volueris mandata servare, servabunt te.* Unde in primo Textu, videtur tribui soli DEO miseratio; in altero, libero arbitrio, salus uniuscujúsque: ℟. Utrúmque hunc Textum optimè combinari, solâ utriúsque explicatione: *Igitur non est volentis, néque currentis, sed miserentis DEI.* Hoc est: Electio alicujus non provenit ex volitione, cursu, & prævijs, seu antecedentibus meritis illius, sed ex solo nutu, & beneplacito DEI miserentis; *DEUS tamen reliquit hominem in manu consilij sui*, hoc est: dedit ei liberum arbitrium, & adjecit ei mandata sua, ut si voluerit servare illa, cum gratia DEI (pariter gratis data) servare valeat.

32. Ad Romanos 9. v. 18. *DEUS cui vult miseretur, & quem vult indurat. Cùm tamen DEUS non sit acceptator personarum.* Ad Romanos 2. v. 11. ℟. *DEUS cui vult miseretur*, hoc est: dat ei gratiam efficacem, ad seriam pœnitentiam agendam, sive talem, cum qua prævidet illum infallibiliter operaturum. *Et quem vult indurat*, Non directè, & propriè; sed impropriè, & indirectè, non dando, sive subtrahendo illi gratiam efficacem, licèt det ei gratiam sufficientem, cui posset quidem cooperari, si vellet, re ipsâ tamen nunquam eidem cooperabitur, ex sua malitia, & perversitate. *Addit Tirinus*: Quòd subindè DEUS, (verùm alijs justis de causis) etiam eidem objiciat aliquas occasiones, ex quibus is magìs induretur, sed similiter suâ culpâ. *Non est autem acceptatio personarum apud DEUM, id est*: non respicit DEUS, an Judæus quis sit, an Græcus, dives, vel pauper, doctus, vel idiota, sed utrumlibet peccantem æquè punit, utrumlibet benè operantem, æquo præmio donat, nullo habito respectu, nisi ad meritum causæ.

33. 1. Ad Corinth. 1. v. 17. scribit Sanctus Paulus. *Non misit me Christus baptizare, sed evangelizare.* Cùm tam[illegible]n Christus Matthæi ult. v. 19. commiserit omnibus Apostolis, non unum [illegible] quàm alterum. *Docentes omnes gentes, baptizantes eos, &c.* ℞. Sanc[illegible]um non fuisse missum à Christo, ut baptizaret, subintellige *primariò* & *p*[illegible]*ter*, nam principale munus illius legationis fuit *Evangelizare.*

34. 1. Ad Corinth. 2. v. [illegible] *Spiritualis homo, judicat omnia, & ipse à nemine judicatur.* At Matthæi 7. v. 1. dicitur: *Nolite judicare, & non judicabimini.* ℞. *Spiritualis homo*, hoc est: illustratus lumine fidei à Spiritu Sancto sibi infuso, *judicat omnia*, hoc est: expendit, & ponderat cuncta, reducendo ea ad fundamentum fidei, & examinando illa secundùm dictamen rectæ rationis, & principia supernaturalia, ut de mysterio aliquo sibi proposito solidè judicet & statuat. *Ipse autem à nemine* qui non etiam homo spiritualis sit, (nullus enim de doctrina fidei, quam alter sequitur, dijudicare potest; nisi pariter lumine fidei sit, præditus) *judicatur*, in hoc redargui, vel condemnari potest. Per illud autem Matthæi 7. v. 1. *Nolite judicare, & non judicabimini*, prohibetur privatum judicium temerarium, & omnis, severior censura morum, verborum, vel factorum proximi, & non judicabimini à supremo Judice DEO, qui similiter, vel vobis indulgeat, vel dissimulet, vel impunitum relinquat. Fit quóque non raró, ut ejusmodi critici experiantur etiam homines, suæ vitæ censores, tales, quales ipsi fuerunt alienæ. Ita *Tirinus.*

35. 1. Ad Corinth. 7. v. 1. *Bonum est homini mulierem non tangere.* Et v. 26. *Bonum est homini sic esse*, hoc est in statu continentiæ permanere. & cap. 4. v. 40. *Beatiùs erit, si sic permanserit*, hoc est si in cœlibatu manserit. At Genes. 2. v. 18. dicitur: *Non est bonum esse homini solum.* Et Sanctus Paulus ibidem, nempe 1. ad Corinth. 7. v. 2. dicit: *Unusquisque uxorem suam habeat, & unaquæque virum suum*, & v. 9. *meliùs est nubere, quàm uri.*

36. Ibidem v. 7. ait Sanctus Paulus: *Volo omnes vos esse sicut me ipsum*, id est non illigatũ matrimonio. Et iterum v. 10. *Dico non nuptis, & viduis, bonum esse illis, si sic permanserint sicut ego.* Ac è contra ibidem: *Unusquisque habet proprium donum ex DEO. Unus quidem sic, alius sic.* & Cap. 9. v. 5. *Nunquid non habemus potestatem, mulierem sororem circumducendi?* ℞. Has duas Antilogias, facilè solvi ex ipso Sancto Paulo, & intentione illius, quâ hanc partem Epistolæ scripserat. Intentio igitur Sancti Pauli fuit hoc Capite respondere Corinthijs, ad quæstionem illam sibi ab eis propositam: An Christiano, utpotè jam renato, & sanctificato, castitatis, & pietatis studioso, prorsus sit abstinendum à re uxoria, ut quidam Pseudo-Apostoli docebant, unde illud inchoat his verbis: *De quibus autem scripsistis mihi*, quasi dicat: Quod attinet ad quæstiones, quas proposuistis mihi, de Matrimonij, & Cœlibatûs jure, usu, fructu, sic respondeo: *Bonum est homini mulierem non tangere*, hoc est: *Res ex se præclara, & laudabilis est, mulie-*

rem

rem non cognoscere. Dein v. 26. *Bonum est hominem sic esse*; hoc est: in Virginitate perpetua permanere (de virginibus enim est ibi sermo) Dein v. 40. *Beatior autem erit, si* (vidua) *sic permanserit*, hoc est: si alteri viro non nupserit. E contra v. 2. ait: *unusquisque suam uxorem habeat, & unaquaeque virum suum habeat*, hoc est: *unusquisque vestrum*, uxorem suam, quam duxit, habeat, & illâ utatur, & vicissim unaqúæque virum suum, cui nupsit, retineat, & illo solo contenta sit. Loquitur enim eô locô, solis conjugatis, ut patet ex sequentibus, nam v. 18. Incipit agere de non nuptis. Quando verò in v. 9 dicit: *Meliùs est nubere, quàm uri.* Illud, *Uri*, non est accipiendum pro nativo calore, vel sentire calorem libidinis, (cùm sic etiam ipse Sanctus Paulus urebatur, ut scribit 1. ad Corinth. 12. v. 2.) sed pro ardere libidine, vel ardore libidinis flagrare, & ab eo vinci succumbendo, & lædi consentiendo. Porrò illud. Genesis 2. v. 18. *Non est bonum homini esse solum*, dictum fuit de Adamo, cui omninò non fuisset bonum esse sine uxore, utpote; per quam debebat propagari omne humanum genus. Jam verò ex dictis patet explicatio, primorum duorum textuum trigesimæ sextæ Antilogiæ. Illud verò: *unusquísque proprium donum habet ex DEO, unus quidem sic, alius sic*, idem est, ac: Alius habet donum castitatis virginalis, alius continentiæ vidualis, alius conjugalis, quorum quísque satisfaciet DEO, si dono suo, quod ab illo accepit, bene usus fuerit. Postremò illius Textûs Capite 9. v. 4. *Nunquid non habemus potestatem, mulierem sororem circumducendi*, hic est sensus: Nunquid non habemus circumducendi matronam aliquam Christianam, quæ nobis ex suis facultatibus necessaria ministrat? Et revera in Textu Græco, vox γυναῖκα quæ hoc loco ponitur, in genere mulierem significat, quam proindè male heterodoxi, in Latinam vocem *uxorem* vertunt.

37. 1. Ad Corinthios 15. v. 44. *Seminatur corpus animale, surget spirituale, si corpus*, quomodo *spirituale?* Deinde Lucæ 24. v. 39. *Spiritus carnem, & ossa non habet*, corpus autem nostrum etiam post Resurrectionem carnem, & ossa habebit? ℟. Sensum citati Textûs esse: *Seminatur corpus animale*, hoc est: quod vixit animâ vegetativâ, & sensitivâ, indigens cibo, & potu, durum, crassum, impenetrabile, *surget spirituale*, id est: simile, & consimile, & conforme spiritui, putà instar spiritus, non egens cibo, & potu, subtile, leve, penetrabile. Atque ex his verbis colligunt Sancti Patres, quatuor dotes Corporis gloriosi, videlicet: Impassibilitatem, claritatem, agilitatem, & subtilitatem. Deinde illud, quod habetur Lucæ 24. v. 39. Spiritus carnem, & ossa non habet, verissimum est, & ipsius æternæ veritatis testimonium. Corpora verò gloriosa habebunt carnem, & ossa, sed sensûs tactûs liberum usum habebunt, ita, ut si velint sentiri, & palpari possint, si nolint, non possint.

38. 1. Ad Corinth. 15. v. 51. *Omnes resurgemus, sed non omnes immutabimur.* An ergo corpora impiorum non mutabuntur, in immortalia? ℟. Omnes quidem

dem resurgemus, tam justi, quàm reprobi, & quidem in integritate omnium membrorum, sed justi immutabuntur in gloriam, seu assument corpus gloriosum, quatuor prædictis dotibus exornatum; reprobi verò non sic immutabuntur, manebunt tamen incorrupti, sed ad sustinendos dolores pœnarum.

39. 2. Ad Corinthios 3. v. 17. *Ubi Spiritus Domini, ibi libertas*, At ad Romanos 6. v. 18. *Liberati à peccato, servi facti estis Justitiæ.* Quomodo libertas Spiritûs stat, cum servitio Justitiæ? ℞. Libertatem Christianam, non abolere, leges humanas aut divinas, adeóque neque observationem Justitiæ, sed ad eas implendas, præbere auxilia, ut sponte, ac liberè eas impleamus, non formidine pœnæ, ut servi, & mancipia solent, sed amore virtutis, ac DEI, quod Filiorum est, ac Liberorum.

40. 2. Ad Corinth. 12. v. 7. *Datus est mihi (à DEO) stimulus carnis meæ, Angelus Satanæ.* Et Jacobi I. v. 13. *DEUS neminem tentat.* ℞. A DEO quidem neminem tentari, nempè tentatione suggestionis, & seductionis, DEUS enim intentator malorum est, seu neminem excitat ad malè agendum: bene tamen tentatione probationis, & ad majus meritum, & majorem coronam. Idque solùm permissivè, tunc, quando suggestiones sunt ex genere suo malæ, quales fuerunt illæ, quas hîc Apostolus vocat: *stimulum carnis*, quæ erant motus concupiscentiæ, & in materia, ac specie libidinis. Datus ergo est Paulo hic stimulus, à DEO. (dùm diabolo illum tentare parato, id permisit) ut inde humilior evaderet, & ne propter revelationes, & reliqua Dona DEI, in superbiam incideret.

41. Ibidem v. 12. *Placeo mihi in infirmitatibus meis*, (scribit de se Sanctus Paulus) cùm enim infirmor, tunc potens sum. Et Capite 13. v. 5. *Infirmi sumus in Christo.* At Capite 11. v. 21. dixerat: *Quasi nos infirmi fuerimus in hac parte, in quo quis audet, audeo & ego?* ℞. In alia significatione, accipi vocem infirmitatis. Capite 11. v. 21. Et in alia, in priùs citatis textibus. Unde cùm ait Apostolus: *Placeo mihi in infirmitatibus meis*, per infirmitates intelligit contumelias, necessitates, persecutiones pro Christo, imò & illas ipsas tentationes, & stimulos carnis, quibus oppugnabatur ab Angelo Sathanæ. Cujus rei, & causam addit: *Ut inhabitet in me virtus*, id est: potentia, *Christi*, quâ nimirum potens sum ad superandas omnes adversitates, & tentationes. Similiter, cùm dicit: Infirmi sumus in Christo, hoc est: patimur, affligimur cum illo, vel in ipso, tanquam exemplari, cui conformamur. At verò Capite 11. v. 21. per infirmitatem intelligit pusillanimitatem. Unde illorum verborum: *Quasi nos infirmi fuerimus*, in hac parte sensus est: Quasi ego Paulus fuerim timidus, pusillanimis, sive non sat fortis, generosus, audax. *In hac parte*, hoc est: ad corripiendos vos, & ad imperiosiùs agendum vobiscum. *In quo, si quis audet*, scilicet gloriari, *audeo & ego*, scilicet gloriari.

42. Ad Galatas 1. v. 1. & 12. Dicit Paulus Apostolus, *se neque ab hominibus, neque per homines accepisse Evangelium, sed per JESUM Christum, & DEUM Patrem.*

trem. Et Capite 2. v. 6. ait: *Nihil sibi à cæteris Apostolis collatum esse.* scilicet de Evangelio. Et tamen eodem Capite 2. v. 2. ait: *Secundùm revelationem ascendi Hierosolymam* (ad Apostolos) *& contuli cum illis Evangelium, quod prædico, ne fortè in vacuum currerem, vel cucurrissem?* ℞. Sanctum Paulum omnino fuisse vocatum ad Apostolatum, & ad prædicandum Evangelium, ab ipsomet Christo, ac consequenter Evangelium quod prædicavit, non accepisse ab alijs Apostolis, aut ab hominibus, & per homines. Undè quando Capite 2. v. 2. dicit se ascendisse Hierosolymam ex revelatione divina, hoc est: DEI instinctu, & contulisse Evangelium, quod prædicabat gentibus, id non fecit, quasi dubius de suo Evangelio, & non satis in fide instructus, sed ut fidelibus constaret, doctrinam suam, & Evangelium conforme esse, Evangelio, & doctrinæ Sancti Petri, & reliquorum Apostolorum. Quare addit: *ne fortè in vacuum currerem, vel cucurrissem*, hoc est: ne frustra laborarem, si fideles putarent, meam doctrinam non esse conformem, doctrinæ Vicarij Christi, & reliquorum Apostolorum.

43. Ad Galatas 2. v. 5. *Creditum est mihi Evangelium præputij, sicut Petro Circumcisionis.* Constat autem Actorum 10. v. 2. *Petrum etiam Gentilibus.* & Capite 13. *Paulum etiam Judæis Evangelizâsse?* ℞. Utrique Apostolo, imò & reliquis omnibus Apostolis, datam fuisse potestatem à Christo, prædicandi Evangelium, tam Judæis, quàm Gentibus. Sed postmodùm Apostolos partitos fuisse suas operas, ut nempe Paulus, qui exosus erat Judæis, prædicaret Gentilibus, Petrus verò Judæis, quibus charior fuit.

44. Ad Galatas 4. v. 25. Sanctus Paulus ait: *Sina enim mons est in Arabia; qui conjunctus est ei, quæ nunc est Hierusalem.* Cum tamen Mons Sina, & Hierusalem toto cœlo ab invicem distent. Quomodo ergo ille huic conjunctus est? ℞. Sanctum Paulum in illo Capite loqui allegoricè, ut ipsemet v. 4. ait: *Quæ sunt per Allegoriam dicta.* Hoc verò versu vocem *conjunctus*, accipit in mystica significatione, & in Græco textu ponitur vox συστοιχεῖ quæ propriè significat idem, quòd cognationem, & similitudinem habens, quasi diceret: Mons *Sina* similis conditionis est, cum nostri temporis Hierusalem. Sicut enim ibi tradita est populo Israëlitico Lex, merè cæremonialis, carnalis, & servilis, ita & in nostri temporis Hierosolyma, solùm talis Lex traditur, & utrobique generantur filij, non liberi, sed servi, non spirituales, sed carnales. Nam in monte Sina, datum est vetus Testamentum, & terrena hæc Hierusalem, est sedes populi Judaici, id est filiorum veteris Testamenti.

45. Ad Ephesios 5. v. 27. *Ut exhiberet ipse* (Christus) *sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujusmodi: sed ut sit sancta & immaculata.* Et tamen Ecclesia est congregatio fidelium, inter quos sunt etiam aliqui injusti, & boni, & mali? ℞. Textum illum Sancti Pauli, completè accipiendum esse, de Ecclesia Triumphante, de qua id absolutè verificatur. De Ecclesia

sia autem militante, solùm inchoatè, & cum restrictione, si doctrinam, Sacramenta, legem, spectes, & nobiliora etiam eus membra. Sic aliquæ Urbes divites, & opulentæ vocantur, non quòd omnes, sed quòd plurimi in ijs, sint divites.

46. Ad Philippenses 2. v. 12. *Cum metu, & tremore vestram salutem operemini.* At 1. Joannis 4. v. 18. *Timor non est in Charitate: sed perfecta Charitas, foras mittit timorem.* Jam si timor non est in Charitate, & perfecta Charitas foras mittit timorem, & salus æterna acquiritur per Charitatem, quomodo cum metu, & tremore operari debeamus nostram salutem? ℞. Duplicem esse timorem: filialem scilicet, qui fundatur in solo amore, & Charitate DEI; & servilem, qui procedit ex solo horrore pœnarum peccatis debitarum, sive temporalium, sive, & vel maximè æternarum. Et hunc præcisè secundùm se sumptum, foras mittit Charitas, & nec est in Charitate, non item filialem. Interim utérque nos juvat ad salutem, ut qui amore DEI non retrahuntur à peccato, saltèm timore pœnarū ab eo retrahantur.

47. Ibidem mox v. sequenti, dicit Sanctus Paulus: *DEVS est, qui operatur in vobis, & velle, & perficere, pro bona voluntate.* Et tamen idem Apostolus ad Romanos 7. v. 18. dixit: *Velle adjacet mihi, perficere autem non invenio.* ℞. DEUM omnino esse, qui operatur in nobis, & *velle*, dando gratias prævenientes, ac illustrantes, & *Perficere*, dando gratias concomitantes, & cooperantes, *idque pro bona voluntate sua*, id est: sine ullis nostris præcedentibus meritis. Unde sæpe nobis *velle* ad bonum adjacet, *perficere* autem non valemus, nostris scilicet proprijs viribus, nisi adsit etiam gratia cooperans, quæ tamen nunquam denegatur à DEO, *facienti quod in se est.*

38. Ad Colossenses 1. v. 24. *Adimpleo ea, quæ desunt Passionum Christi:* sed quid deest Passionibus Christi? Cùm dicat Christus. Lucæ 23. v. 37. *Ea, quæ sunt de me, finem habent.* Et Joannis 17. v. 4. *Opus consummavi, quod dedisti mihi, ut faciam.* Et Capite 19. v. 30. *Consumatum est.* ℞. Passionem quidem Christi, & Redemptionem fuisse sufficientissimam, toti mundo liberando, tamen ut illa singulis Christi membris mysticis, hoc est, fidelibus actu applicetur, seu ut in singulis, illius fructus effectuetur, requiritur ab illis cooperatio. Juxta ipsius Apostoli effa-tum: si compatimur (scilicet Christo) etiam cum illo conglorificabimur. Sicut ergo Christus passus est, in proprio corpore suo naturali, ita æquum est, divinâ sic providentiâ disponente, ut etiam in corpore suo mystico, id est: Ecclesiâ, & in singulis membris illius, id est: fidelibus patiatur, ut sic scilicet membra capiti conformentur. Et sicut illum opportuit pati, ut intraret in gloriam suam, ita oportet & nos pati, ut intremus in ejusdem gloriam. Unde in Græco est ἀνταναπληρῶ id est vicissim seu vicem reddens adimpleo.

49. Ad Colossenses. 2. v. 8. *Ne quis vos decipiat, per Philosophiam, & inanem fallaciam.* At Proverbiorum 19. v. 2. *Vbi non est scientia animæ, non est bonum.* An igitur Philosophia obest fidei, & sacræ scripturæ intelligentiæ? ℞. Sanctum Paulum hîc non loqui de omni Philosophia, sed de ea, quam primò ad Timot.

cap.

cap. ult. v. 20. *Vocat falſi nominis ſcientiam*, nihil ſolidi habentem, præter profanas vocum novitates, & oppoſitiones, hoc eſt: Objectiones inutiles ac fallaces, non in principijs fidei fundatas, ſed in traditione, & in vaniſſimorum hominum inventione, *ſecundùm Elementa mundi*, id eſt: rudimenta, axiomata, & prima principia, mundanæ doctrinæ, illationes ſuas deducentem.

50. Sanctus Paulus 1. ad Theſſalonicenſes 4. v. 14. & 16. deſcribens diem Judicij, dicit: *quòd ij, qui vivent circa diem Judicij, non ſint præventuri, in accipienda immortalitate, & corporis gloriâ, illos qui jam pridem computruerunt, ſed tunc viventes, rapiendos ſimul, cum redivivis obviam Chriſto.* An igitur, qui tunc vivent, ſine morte, fient immortales. Hoc verò contrarium eſt alteri dicto ejusdem Sancti Pauli, ad Hebræos, Cap. 9. v. 22. *Statutum eſt hominibus* (omnibus) *ſemel mori, poſt hoc autem Judicium.* ℞. Omnes omnino illos, qui tunc vivent, priùs morituros, quàm rapiantur cum vivis, obviam Chriſto. Quia tamen, qui ſub idem tempus, vivi reperientur, breviſſimo tempore mortui manebunt, hinc meritò vocantur viventes, & ſic Chriſtus dicitur judicaturus vivos, & mortuos.

51. Ad Theſſalonicenſes 2. v. 8. dicit Sanctus Paulus, de Anti-Chriſto, *quem Dominus JESUS interficiet ſpiritu oris ſui.* At Apocalypſis 19. v. 20. *Vivus dicitur mittendus in ſtagnum ignis.* ℞. Anti-Chriſtum Dominus JESUS interficiet, Græce ἀναλώσει hoc eſt: perdet, & abſumet ſolo ſpiritu oris ſui, hoc eſt: ſolo juſſu, & nutu ſuo, per Michaëlem Archangelum, præcipitando illum, à ſublimi aëre deorſum, unde terrâ dehiſcente, vivus corpore, & animâ, in tartara à dœmonibus abripietur.

52. 1. Ad Timotheum 1. v. 17. *Soli DEO Honor, & Gloria.* At ad Romanos 2. v. 10. *Gloria & Honor omni operanti bonum.* ℞. *Soli DEO*, id eſt: qui ſolus eſt DEUS, eſt dandus honor, & gloria, ab omni creatura, in omnem æternitatem, tanquam authori, & fonti omnis boni. Viciſſim verò omni operanti bonum, DEUS retribuet vitam æternam, & cum ea gloriam, & honorem ſempiternum.

53. 1. Ad Timotheum 2. v. 1. *Obſecro, orationes fieri pro omnibus hominibus.* At 1. Joannis 5. v. 16. *Eſt peccatum ad mortem: non pro illo dico, ut roget quis.* ℞. Orandum quidem eſſe pro omnibus hominibus, ſeu pro omni genere hominum, ut Paulus monet. Cui, ut concordet textus citatus Sancti Joannis, legendus eſt totus, qui ſic habet: *Qui ſcit fratrem ſuum peccare, peccatum non ad mortem, petat, & dabitur ei vita, peccanti non ad mortem, eſt peccatum ad mortem: non pro illo dico: ut roget quis.* Et ſenſus illius hic eſt. Dixi (nempe v. 14.) Eum qui credit in Chriſtum, omnia impetrare, excipio peccatum proximi ad mortem, pro quo expiando, ſi quis oraverit, non audeo ei impetrandi ſpem facere. Porro hîc per peccatum ad mortem, non intelligitur peccatum mortale, commiſſum ex fragilitate humana, ſed illud, quod ob ſui enormitatem, obſtinationem, & malitiam,

tiam, juxta legem communem, per gratiam, quam DEUS ordinariè dare solet, est quasi immedicabile, incorrigibile, insanabile.

54. 1. Ad Timotheum 2. v. 4. *DEVS omnes homines vult salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Cur ergo non omnes salvantur? non omnes ad agnitionem veritatis veniunt? *Nam voluntati ejus, quis resistet?* id est: num resistere potest? ℞. DEVS vult omnes homines salvari, & ad agnitionem veritatis venire, seriâ quidem, ac sincerâ voluntate, átque etiam efficaci ex parte sua, (dando sufficientia ad id omnibus hominibus media) non tamen voluntate absolutâ, (nam tunc omnes ad unum salvarentur) sed conditionatâ ex parte hominum, si scilicet & ipsi velint ad salutem suam cooperari. Nam, ut ait Sanctus Augustinus: Lib. de Spiritu & Litera Cap. 33. DEUS, qui te creavit sine te, non vult te salvare sine te. Hoc est: nisi & tu seriò, ac efficaciter velis, & DEO te salvare volenti, coopereris.

55. 1. Ad Timoth. 2. v. 5. *Unus mediator DEI, & hominum, homo Christus JESVS.* At Deuteronomij 5. v. 5. Et ad Galatas 3. v. 19. *Etiam Moyses vocatur Mediator DEI, & hominum.* ℞. Unum esse mediatorem DEI, & hominum, *Christum JESVM*, Mediatorem intellige primarium, & principalem, qui inter DEUM, & homines; Creditorem & Debitores; offensum & offendentes, cum authoritate medium sese interposuit, solvendo ex proprijs bonis omne pretium, ac Lytrum, quod persolvere debueramus, non tamen poteramus, dando semetipsum in mortem pro nobis omnibus. Moyses autem in locis citatis, uti & Sancti regnantes in cœlo, cum Christo, non dicuntur tales Mediatores, sed solùm secundarij, & ministeriales.

56. 1. Ad Timotheum 2. v. 12. *Docere autem mulieri non permitto.* Et tamen ad Titum 2. v. 3. & 4. scribit: *Ut anus sint bene docentes, & ut prudentiam doceant adolescentulas.* ℞. Utriúsque Textûs hunc esse sensum: Docere in Ecclesia, vel cœtu publico, non permitto mulieri; ut verò privatim domi suæ doceant, puellas, vel ancillas suas, non tantùm permitto, sed & suadeo.

57. Ad Timotheum 3. v. 2. *Oportet Episcopum unius uxoris virum esse*, & v. 4. *Filios habentem subditos, cum omni castitate.* Et v. 12. *Diaconi sint unius uxoris viri.* Et tamen ipsemet Paulus permansit cœlebs? ℞. 1. ad Corinthios 7. v. 7. Et Cap. 9. v. 5. ℞. Non præcipere hîc Sanctum Paulum, ut qui Episcopus, vel Presbyter, vel Diaconus eligendus est, sit actu tunc conjugatus (nam néque Paulus, néque Timotheus, néque Titus, ad quos de hac materia scribit, conjugati fuerunt) sed solùm, ut si talis eligeretur, qui si adhuc sit conjugatus, sit talis, qui secundas non inijt nuptias, sive plures etiam successivè non habuit uxores. In primitiva enim Ecclesia, eò quòd Cœlibes, qui apti essent muneri Episcopali, vel Pastorali, admodùm pauci reperiebantur, ordinari solebant etiam conjugati, sed non nisi Monogami: & hi etiam post susceptos ordines, usu priùs ductæ conjugis abstinebant. Unde etiam illud: v. 4. & 12. Filios habeant subditos, & qui Filijs suis

bene

bene præsint. Intelligendum est de filijs, quos susceperunt ante acceptos Sacros Ordines.

58. Ad Timotheum 4. v. 3. Dicit Sanctus Paulus: *Abstinere à cibis, quos DEVS creavit, doctrina est dæmoniorum.* At Actorum 15. v. 29. *Visum est Apostolis, & Spiritui Sancto: ut fideles abstineant ab immolatis simulacrorum, & sanguine, & suffocato.* Et Marci 1. v. 6. *Venit Joannes Baptista, non manducans nisi locustas, & mel Sylvestre.* ℞. Apostolum hîc loqui contra *Simonianos, Saturninos, Ebionitas, & Manichæos,* qui dicebant: nuptias, carnes, vinum, non esse à DEO bono, sed malo, scilicet à Dœmone creata, ac proinde hæc esse naturâ suâ mala, & cavenda, eorúmque usu homines infici, & maculari. Atque hæc doctrina est dœmoniorum. Nihil ergo hîc est contra jejunium Ecclesiasticum, quô subinde carnium esus prohibetur, non tanquam in se malæ sint, sed ad exercendam obedientiam, ad pænitentiam, & studium orationis excitandum, exemplo Sancti Joannis Baptistæ, & ipsius Christi, ac infinitorum Sanctorum primitivæ Ecclesiæ.

59. 1. Ad Timotheum 5. v. 14. *Volo juniores nubere, filios procreare.* Et 1. ad Corinthios 7. v. 8. *Dico autem non nuptis, & viduis, bonum est illis, si sic permanserint, sicut & ego,* qui vitam cœlibem duco. ℞. Sanctum Paulum in illo Capite loqui, de viduis junioribus, in quibus est periculum incontinentiæ. Non igitur (ut ait Sanctus Augustinus de viduitate, Capite 8.) Apostolus legem hîc figit, sed remedium ostendit, néque vetat viduas esse, sed adulteras. Quia ut inquit Sanctus Hieronymus, Epistola 11. ad Ageruchiam: Meliùs est bigamum esse, (hoc est: duas uxores virum; & fœminam duos viros successivè habere) quàm scortum. Alioquin, si periculum incontinentiæ absit, & bene probârint continentiam suam, etiam juniores, mavult illas Paulus nuptijs abstinere, quàm nubere. Ut habetur 1. ad Corinthios 7. v. 7.

60. 1. Ad Titum 1. v. 15. *Omnia munda mundis: coinquinatis autem, & infidelibus, nihil est mundum.* Et v. 16. cùm sint abominati, ad omne opus reprobi. An igitur nullum peccatum à justis committitur? Et hoc non. Nam 1. Joannis 1. v. 8. *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, veritas in nobis non est.* Certum quóque est, non omnia impiorum acta, esse peccata. Nam Actorum 28. v. 1. *Barbari præstabant, non modicam humanitatem nobis,* scilicet Apostolis. Quæ humanitas Apostolis præstita, fuit utique laudabilis. ℞. Sancti Pauli in hac Epistola scripta ad Titum, intentionem fuisse, præcavere, ne Cretenses in Judaismum relaberentur, occasione comercij cum nocibilibus Judæis, quorum plurimi in Creta Insula morabantur; aut in Simonis Magi erroneam doctrinam deflecterent, præsertim circa delectum ciborum. Ait igitur: Mundis, hoc est Christianis, Sanguine Christi mundatis in Baptismo, omnia munda esse, hoc est: nullum cibum ex se, aut ex lege Christi, esse immundum. Coinquinatis autem, id est: infidelibus, & conscientiâ erroneâ imbutis, quà ta-

libus, nihil est mundum, hoc est: sive abstineant à talibus cibis, sive comedant, semper peccant. Nam si abstineant, peccant peccato superstitionis, quia putant certos cibos immundos esse, sive illicitos, qui tamen tales non sunt. Si comedant, peccant ex erronea conscientia, quia judicant sibi fas non esse illis vesci, & tamen vescuntur. Non est ergo sensus illorum verborum: Mundis omnia sunt munda, quasi justorum omnes omnino actiones, essent immunes à peccato. Néque quòd reproborum, aut injustorum, omnes omnino actiones sint peccaminosæ. Nam & hi subinde exercent, vel saltèm exercere possunt, quædam opera, saltèm moraliter, bona.

61. Ad Hebræos 2. v. 14. Dicitur: *Diabolus habuisse mortis imperium.* At Christus sibi illud arrogat. Apocalips. 1. v. 18. *Ego habeo claves mortis, & inferni.* ℟. Diabolum ante mortem Christi, habuisse mortis imperium, id est: propter peccatum humani generis, habuit potestatem infligendi hominibus mortem, & corporis, & animæ, sive præsentem, & æternam. Sed hoc ejus imperium destruxit Christus, post mortem suam, & accepit plenum Dominium Mortis, & inferni, quos vult, ab ijs præservat, vel illis jam traditos, resuscitat.

62. Ad Hebræos 6. v. 4. & 6. *Impossibile est eos, qui semel sunt illuminati, & prolapsi, rursus revocari ad pœnitentiam.* At Ezechielis 18. v. 27. *Cùm impius averterit se ab impietate sua, animam suam vivificabit.* Et v. 32. Nolo mortem peccatoris. ℟. Vocem *impossibile* hîc à Sancto Paulo non sumi pro impossibilitate absoluta, & Physica, sed pro impossibilitate morali tantùm, hoc est: quòd difficillimè sit, & ordinariè non fiat talium conversio, vel reversio ad pœnitentiam, hoc est: per pœnitentiam, & resipiscentiam. Ita S. Anselmus, Lyranus, Hugo, Ribera, Vasquez Tirinus.

63. Ad Hebræos 3. v. 3. *Melchisedec, sine Patre, sine matre, sine genealogia, néque initium dierum, néque finem habens vitæ, manet Sacerdos in perpetuum.* Cùm tamen scriptura alibi contestetur: quòd omnes moriamur. 2. Reg. 14. v. 14. Et Psalmo 88. v. 44. *Quis est homo, qui vivit, & non videbit mortem?* Et Job 14. v. 1. *Homo natus de muliere, brevi vivens tempore,* &c. ℟. Illud: sine patre, sine matre, sine genealogia, non sic intelligendum esse, quasi ijs caruerit, sed quia ejus pater, mater, & genealogia, non describitur in scripturis. *Néque initium dierum, néque finem habens,* scilicet in scriptura, quæ non narrat quando natus, quando mortuus sit Melchisedec, ut adumbraret Christum: qui verè, nec habet initium, nec finem dierum, cùm sit æternus. Ita Monochius, & alij.

64. Ad Hebræos 7. v. 27. *Non habet* (Christus) *necessitatem quotidie hostias offerre,* (etiam pro delictis populi) *hoc enim fecit semel, se ipsum offerrendo.* At Lucæ 22. v. 13. *Pro omni tempore hanc hostiam jubet offerre. Hoc facite in meam commemorationem.* ℟. Sanctum Paulum hîc loqui de Hostia, seu sacrificio Christi cruento, hoc enim est unicum, quod Christus pro delictis populi fecit, & perfecit semel, nempe in Cruce se ipsum offerendo, non verò de sacrificio incruento,

quod

quod est Sacrificium Missæ, quod facimus & peragimus in commemorationem Christi, seu Sacrificij illius cruenti.

65. Ad Hebræos 10. v. 26. *Voluntariè peccantibus nobis, post acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccato Hostia.* At 1. Joannis v. 2. *Ipse est propitiatio pro peccatis totius mundi.* ℞. Sermonem hîc esse, non de quocúnque peccato voluntario, etiam mortali, sed de peccato Apostasiæ, & voluntaria secessione ab agnita semel veritate, seu à Christo, & ejus Ecclesia, & pro tali peccato non relinquitur, id est ægrè, & vix relinquitur hostia, quâ peccatum illud expietur. Tum quia tales Apostatæ, planè indigni sunt veniâ, tum quia certâ suâ malitiâ, & infidelitate, claudunt fontes divinæ misericordiæ, ad dandas eisdem efficaces gratias. Ita SS. interpretes supra n. 62. citati.

66. Ad Hebræos 11. v. 6. *Sine fide autem impossibile est placere DEO. Credere enim oportet accedentem ad DEVM. Quia est*, hoc est: Quòd DEUS existat, *Et inquirentibus se remunerator sit*, hoc est: quòd DEUS cultoribus retribuat promissa æterna bona. Quasi hæc duo solùm credenda essent fide salvificâ. Cùm Joannis 13. v. 7. *Hæc est vita æterna, ut cognoscamus te solum DEVM verum, & quem misisti JESVM Christum.* Et præterea certum est credendam Sanctissimam Trinitatem, Christum Mediatorem, & alia, quæ Symbolo Apostolico continentur? ℞. A Sancto Paulo enumerari illa duo, non quasi illa sola sufficiat credidisse, sed quia sunt prima, & faciliora objecta, maximéque necessaria, ad spem excitandam, quâ virtutum labores sustineamus.

67. Jacob 1. v. 2. *Omne gaudium existimate cùm in tentationes varias incideritis.* At Matthæi 6. v. 9. & 13. Sic orabitis: *Et ne nos inducas in tendationem.* Et Matthæi 26. v. 4. Vigilate, & orate, *ut non intretis in tentationem?* ℞. Tentationem dupliciter spectari posse; primò, quatenus sollicitat ad peccatum, & sic eam fugere, & deprecari debemus. Secundò, quantùm est materia patientiæ, luctæ, ac victoriæ, augendæque virtutis meritorum, ac gloriæ, & sic tentationes appetere, optare, & de ijs gaudere possumus. Præterea nomine Tentationum, intelliguntur etiam afflictiones, & tribulationes, cetéræque adversitates, & ærumnæ, ac persecutiones, quæ sicuti sunt magna materia merendi, ita sunt etiam nobis magna materia gaudendi.

68. Jacob 1. v. 13. *DEVS neminem tentat.* At Genesis. 22. v. *Tentavit DEVS Abraham.* Et Deuteronomij 13. v. 3. *Tentat vos Dominus DEVS vester?* ℞. Juxta superiùs dicta: DEUS, neminem tentat, tentatione *seductionis*, vel *inductionis* ad peccatum, bene tamen tentatione *probationis*, & sic tentavit Abrahamum, & populum Israëliticum.

69. Jacob 2. v. 10. *Quicúnque totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus.* Jam verò ibidem Sanctus Jacobus Capite 3. v. 2. *In multis offendimus omnes.* An ergo inde liceat inferre: *Ergo omnes sumus omnium rei?* ℞. Notandum hîc esse: Fuisse errorem Pharisæorum, qui docebant salvandum

fore eum, qui majorem partem legis servaret, esi non totam: eò, quòd majorem habeat acervum bonorum operum, quàm malorum. Contra quem errorem ait Sanctus Jacobus, eum, qui, violat unam etiam legem, violare omnes, fierique omnium reum, ac proinde esse injustum, & gehennæ reum. Ita *Beda*, *& sanctus Augustinus.* Jam verò sensus illorum verborum: Quicúnque totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus, est iste: Perinde damnabitur is, qui violat unam legem, (subintellige, graviter & mortaliter peccando) ac si omnia præcepta legis violâsset, licèt non pari pœnâ plectendus. Quando autem idem Sanctus Jacobus, ait Capite 3. v, 2. In multis offendimus omnes. loquitur de peccatis levibus, ac venialibus, quorum dispar est ratio.

70. Jacob 5. v. 16. *Confitemini ergo alterutrum peccata vestra.* Cùm tamen non nisi Apostolis, & Apostolorum successoribus, dictum sit. Joannis 20. v. 23. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis?* ℟. Sancti Jacobi citata verba, sic esse explicanda: *Confitemini ergo*: Non soli DEO, (ut fortè aliqui opinantur) *sed & alterutrum peccata vestra.* Nempe: homines, hominibus vestri similibus, putà illis, quibus tanquam proprijs ministris, cura, & potestas absolvendi à peccatis demandata est à Christo. Juxta illud 1. Petri 4. *Vnusquisque sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes.*

71. 1. Petri 5. v. 13. *Salutat vos Ecclesia, quæ est in Babylone collecta*, & tamen Romæ scripsit hanc Epistolam sanctus Petrus? ℟. Nomine Babylonis, hîc vocari à Sancto Petro Romam. Certum quidem est, hanc Epistolam à Sancto Petro non fuisse scriptam in vera Babylone. Duplex enim erat Babylon, una Chaldaici, sive Babylonici Imperij Metropolis, altera verò Ægypti, sed hæc circa tempora Sancti Petri non erat, nisi Castellum obscurum, ut testatur *Strabo*, & alij Cosmographi; in illa autem, edicto Caij Cæsaris, tunc nullis Judæis (qualis erat & Sanctus Petrus) imò in tota Chaldæa licuit degere; uti scribit Josephus Antiquitatum lib. 18. Capite ultimo. Et sic sentiunt unanimiter Patres, & Doctores orthodoxi, & nominatim Papius, Discipulus Sancti Joannis, apud Eusebium, Libro 2. Historiarum, Capite 14. & 15. Sanctus Hieronymus, in Isaiæ Caput 24. Et Sanctus Augustinus, Lib. 8. de Civitate DEI. Cap. 2. Babylonem, vocat primam Romam; & Romam secundam Babyloniam. Quin etiam & ipsi Heterodoxi, Apocalypsis 17. & 18. per Babylonem, Urbem Romam intelligunt. Quod si licuit Sancto Joanni sic illam appellare, cur non idem licuit & Sancto Petro, coætaneo Sancti Joannis? Porrò hîc Sanctus Petrus Romam nomine Babylonis insignivit, & vocavit, propter similitudinem, magnificentiæ, frequentiæ, & amplitudinis Imperij, ac etiam peccatorum, & vitiorum, (ac Idololatriæ præsertim) quæ tunc vigebant Romæ, tempore infidelitatis, & gentilitatis, alludendo simul ad nomen *Babel* (unde Babylon) quod significat confusionem, non tantùm vitiorum, sed vel maximè Idolorum. Illud etiam ad rem hanc facit, quod addidit Sanctus Petrus; *Salutat vos Ecclesia collecta*, hoc est: simul vobiscum *electa*, seu consors vestræ

vestræ electionis, ad fidem, grati m, & salutem. Clarum autem est, nec in una, nec in altera vera Babylone fuisse tunc congregatam Christi Ecclesiam.

72. 2 Petri 1.v.15. *Dabo operam & frequenter habere vos post obitum meum, ut horum memoriam faciatis.* At Ecclesiastici 9.v.5. dicitur: *Mortui nihil ampliùs noverunt.* ℞. Illud mortui nihil noverunt ampliùs, idem significare, ac mortui ampliùs non noverunt, sive non sciunt se juvare, in ordine ad salutem suam, si eam in hac vita procurare neglexerunt. Vel mortui ampliùs non sunt solliciti de rebus, & negotijs hujus mundi. Vel si de Beatis sermo sit, (nam citatus Textus, generaliter de omnibus mortuis videtur loqui) mortui nihil ampliùs noverunt de necessitatibus nostris, notitiâ naturali, ex quo tamen non sequitur, quòd non noverint per revelationem divinam. Illud verò Sancti Petri, sic esse interpretandum: Dabo autem operam frequenter, (imò continuò) etiam post obitum meum, vos in mente, & memoria mea habere apud DEUM, orando pro vobis, ut horum monitorum meorum, vicissim memoriam, & praxim, vos habere faciat. Ita inter alios Sanctus Chrysostomus.

73. 2. Petri 3. v. 8. *Unus dies apud Dominum, sicut mille anni.* Et ibidem: *Mille anni, sicut una dies.* ℞. Hac ratione voluisse Sanctum Petrum, satisfacere objectioni illorum, qui dicebant: Si Christus venturus est ad judicium, cur tamdiù tardat, cur tamdiu scelera tolerat, cur tamdiu suos ab impijs affligi sinit? & respondet. Non tardare Dominum promissionem suam, sicut quidam existimant. Quia omne hoc tempus, licèt nobis longum videatur, breve est. Nam unus dies, apud Dominum in Cœlesti gloria, & Patria, est sicut mille anni voluptatum hujus exilij: & mille anni, quibus, differtur judicium, non plures apud Sanctos æstimantur, præ voluptatum magnitudine, quàm unus dies.

74. 1. Joannis 2. v. 19. *Ex nobis prodierunt.* Et mox subjungitur: *sed non erant ex nobis.* ℞. Illud sic esse accipiendum: *Ex nobis prodierunt*, id est: ex Ecclesia Christi, prodierunt, sive emerserunt Hæretici, sicut vomitus ex stomacho. *Sed non erant ex nobis*, hoc est: non erant ex solidis constantibus Christianis. Unde statim addit Sanctus Joannes ibidem: Nam si fuisset ex nobis, permansissent utique nobiscum.

75. 1. Joannis, Capite 4. v. 3. Joannes Apostolus describit Anti-Christum, & dicit jam tunc in mundo fuisse, longè alium ab illo Anti-Christo, qui à Sancto Paulo, 2. ad Thessalonicen. 2. v. 3. describitur, & non nisi olim venturus dicitur. Quæritur an hi duo Apostoli, sint sibi contrarij hac in materia? ℞. Sanctum Paulum loqui de Anti-Christo accepto in persona sua. Sanctum Joannem verò, de Anti-Christo accepto, non in persona, sed in præcursoribus. Ac proinde, hi duo Sancti Apostoli, non contrariantur sibi. Sicut Christus Dominus, de Sancto Joanne Baptista asseruit, quod ille sit Elias, scilicet in spiritu, & Sanctus Joannes Baptista, dicebat se non esse Eliam, nempè in persona, quæ propositio utraque, est verissima. Et sic Sanctus Joannes ait: Quòd omnis qui *solvit* JESUM, scilicet

negans Christum, vel DEUM, vel hominem esse, sit *Anti-Christus*, quia contrarius est Christo, & præcursor veri Anti-Christi, ac de tali addit: *& nunc in mundo est*, non in persona, sed in suis præcursoribus. Sanctus verò Paulus definit verum Anti-Christum in persona, & qui ante extremum diem venturus est.

76. 1. Joannis 3. v. 6. *Omnis, qui in eo* (Christo scilicet) *manet, non peccat*, & v. 9. *Omnis, qui natus est ex DEO, peccatum non facit, & non potest peccare*. At Capite 1. v. 8. dixerat: *Si dixerimus: quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus*. Et Sanctus Jacobus 3. v. 2. scribit: *In multis offendimus omnes*. ℞. Sensum priorum verborum Sancti Joannis, esse hunc: *Omnis, qui in eo manet, non peccat*, quamdiu scilicet in Christo, & ejus gratia manet, illiúsque ductum sequitur, non peccat. Unde subjungit: *Qui verò peccat, non vidit eum, nec cognovit*, practicè nempe, & vivâ fide considerando, illius erga nos immensum amorem, & magnitudinem beneficiorum, quæ si homines seriò recogitarent, & perpenderent, utique non peccarent. Similiter intelligenda sunt verba illa. v. 9. Omnis, qui natus est ex DEO, peccatum non facit, id est: quamdiu DEI Filius adoptivus est, per gratiam, non peccat graviter, & mortaliter, putà, in sensu formali, *nec peccare potest*, quantùm est ex vi illius statûs, sicut status innocentiæ reddebat Adamum immortalem, sed sicut Adamus potuit libertate sui arbitrij peccare, & peccando deserere statum innocentiæ, & sic mori, ita & justus potest deserere gratiam DEI, & sic peccando, statu justitiæ excidere. Ita Sanctus Augustinus, lib. de Gratia Christi. Cap. 21. Capite verò 1. v. 8. Loquitur Sanctus Joannes, uti & Sanctus Jacobus, de peccatis venialibus, præsertim quæ subreptitiè committuntur etiam à justis, quæ justitiam, & filiationem DEI adoptivam non tollunt, ídque contra Gnosticos, & alios Hæreticos, qui existimabant, quòd eo ipso, quòd quis in Christum credat, immunis est ab omni omnino peccato, etiam veniali.

77. 1. Joannis 3. v. 14. *Non scimus, quia translati sumus de morte ad vitam*. Et Eccl. 9. v. 1. *Nescit homo* (& si justus) *utrùm odio, an amore dignus sit, sed omnia in futurum, servantur incerta*. ℞. Scientiam, de qua hîc loquitur Sanctus Joannes, esse tantùm moralem, quæ scientia moralis colligitur ex eo, quoniam diligimus fratres, id est proximos. Ecclesiastici autem Textus intelligendus est, de scientia infallibili, qualem nemo habet, nisi id ei speciali revelatione à DEO revelatum fuerit, utrùm sit in gratia, an non sit, sive utrùm odio dignus sit, an amore.

78. 2. Joannis v. 10. De nonnullis dicitur, & mandatur: *Nolite recipere eum in domum, nec Ave* (hoc est: salutem) *ei dixeritis*. Cùm tamen Matthæi 5. v. 44. dicatur: *Diligite inimicos vestros, & benefacite his, qui oderunt vos*. ℞. Verbis illis præcipi à Joanne, ne ullum commercium habeamus cum Hæreticis, hæresim suam spargentibus, & qui venit ad nos, hujus rei causâ, ne eundem recipiamus, aut etiam salutemus. Sic enim cum excommunicatis ab Ecclesia communicaremus. Quod patet ex versu immediatè præcedenti: Omnis, qui recedit à doctri-

ctrina Christi, (id est, qui apostatat à fide) Et hunc jubet cavendum omnibus modis Cœteri autem inimici, à quibus perversionis periculum tale non imminet, juxta præceptum Christi, sunt diligendi, & beneficijs etiam cumulandi.

79. 2. Joannis v. 13. Scribit hanc Epistolam Sanctus Joannes, ad Electam Dominam, & tamen in fine addit: *Salutant te filij sororis tuæ Electæ?* ℞. Duas fuisse Matronas, hoc nomine insignitas, una erat, cui hanc Epistolam scribit, Sanctus Joannes, altera verò fuit, quæ morabatur Ephesi, unde eandem Epistolam scripsit Sanctus Joannes, ita ut sensus sit illius versiculi: *Salutant te filij sororis tuæ Electæ*: Salutant te ô Electa, filij sororis tuæ, Ephesi degentis, quæ & ipsa est Electa, sive jam hoc nomen Electa, fuerit nomen proprium earum, sive, quod verisimiliùs est, alicujus dignitatis, & officij in Ecclesia, cujusmodi tunc erant in Ecclesia Diaconissæ, quarum officium erat, mulierum conventui invigilare, imperitas instruere, baptizandas juvare, &c.

80. Judæ v. 9. *Cùm Michaël Archangelus cum diabolo disputans altercaretur de Moysi corpore, non est ausus judicium inferre blasphemiæ, sed dixit: Imperet tibi Dominus.* Et tamen hæc altercatio Michaëlis Archangeli cum Dœmone, in scripturis nusquam legitur. ℞. Sanctum Judam Apostolum, hanc relationem altercationis illius, vel majorum traditione, vel ex Apogrypho Libro *Henoch*, accepisse, ut vult Origenes & Hyeronimus. Vide infrà numerum sequentem.

81. Judæ 14. Prophetavit autem & de his, septimus, ab Adam, Henoch, dicens: Ecce venit DEUS in Sanctis millibus suis. Et tamen Prophetia Henoch nullibi exstat? ℞. Prophetiam quidem Henoch scriptam authenticam non extare, extitisse tamen vocalem, ac verbalem, quæ postea verosimiliter, seu ab ipsomet, seu ab ipsius Abnepote Noë, fuit in sctipta relata, sed quia posterioribus sæculis, multæ illi adjunctæ fabulæ fuerunt, rejecta fuit, tam à Judæis, quàm à Christianis, tanquam Apogrypha. Nec obstat, quòd hanc Prophetiam, sicut & priorem relationem, de altercatione Michaëlis Archangeli cum Dœmone, citet Sanctus Judas Apostolus, ex libro Henoch Apogrypho. Nam ut alibi notavimus, non ex eo aliquis liber dicitur, & censetur esse Apogryphus, quòd omnia quæ in eo continentur, sint falsa, sed satìs est, si aliqua falsa veris admixta habent. Sic etjam Sanctus Paulus subindè versus Gentilium Poëtarum citat, non quòd omnia ab ipsis dicta probet, sed illa duntaxat, quæ citat.

82. Apocalypsis 2. v. 7. *Vincenti dabo edere de ligno vitæ.* An ergo adhuc extat lignum vitæ? quod describitur Genesis 2. v. 9. & Cap. 5. v. 24. ℞. Non intelligi hîc per lignum vitæ, lignum illud Paradysiacum corporale, cujus fructibus vires corporis restaurari poterant, & homo reddi immortalis, sed ejus Antitypum, spiritualem scilicet arborem vivificantem, nempe gratiam divinam in præsenti, & gloriam cœlestem, & fruitionem DEI, in futuro sæculo, quam consequitur immortalitas.

83. Apocalypsis 2. v. 9. *Scio paupertatem tuam, sed dives es.* Item, *dicunt se Judæos*

Judæos eſſe, & non ſunt. Si pauper, quomodò dives? Ex tribu Juda prognati, quomodò non Judæi? ℞. Hunc ſenſum eſſe dictorum verborum: Scio paupertatem tuam, ad quam ex ſpoliatione facultatum tuarum redactus es, propter Chriſtum, ſed his non obſtantibus, dives nihilominus es gratiâ, & favore DEI, ac bonis ſpiritualibus; *Item dicunt ſe Judæos, & ſunt* quò ad carnem, *ſed non ſunt*, quò ad ſpiritum viri Judæi, quia non credunt in Chriſtum, quem prædicaverunt eorum majores, Prophetæ, & Patriarchæ.

84. Apocalypſis 3. v. 11. *Tene quod habes, & nemo accipiat Coronam tuam.* Cùm Joannis 6. v. 39. dicat Chriſtus: *Omme, quod dedit mihi Pater, non perdam ex eo.* Et Capite 10. v. 28. *Non peribunt in æternum, & non rapiet eas quisquam de manu mea.* ℞. Admoneri hîc Angelum, ſeu Epiſcopum Philadelphiæ, per illa verba: *Tene, quod habes.* Ut retineat conſtanter, id quod habet, nempe: Fidem, Charitatem, Zelum, patientiam, cœteráſque virtutes hactenus obtentas. *Ut nemo accipiat tibi Coronam tuam.* Id eſt nemo adimat tibi mercedem, virtuti tuæ (ſi perſeveraveris) promiſſam, ac præparatam. Sive: fac retineas, nec tibi illam ab alio v. g. à Tyrannis, à ſeductoribus, à dœmonibus eripi ſinas. In illo autem, Joannis 6. v. 39. *Omne, quod dedit mihi Pater, non perdam ex eo.* Phraſis eſt Hebraica, & ſignificat idem, ac nequidquam eorum, quæ dedit mihi Pater, perdam, perderetur autem omnino quis, ſi eum non reciperem, ſed foras eijcerem. Et ideo Chriſtus dixerat paulò ſuprà, v. 37. *Et eum qui venit ad me, non ejiciam foras.* Demùm illud Joannis 10. v. 28. Dictum eſt à Chriſto, de ovibus, quæ vocem ejus audiunt. *Hæ enim non peribunt in æternum*, id eſt morte æternâ, & non rapiet eas quisquam de manu mea; id eſt, nulla vis poteſt eas perdere, quamdiù audierint vocem meam, ſeu retinuerint, & ſecutæ fuerint doctrinam meam.

85. Apocalypſis 3. v. 12. *Qui vicerit, faciam illum columnam in Templo DEI mei, &c. Civitatis novæ Hieruſalem* Et Cap. 11. v. 19. *Apertum eſt Templum DEI in Cœlo.* At verò idem Sanctus Joannes Cap. 31. v. 22. dicit de ſe: *In ea Civitate non vidi Templum.* ℞. In primo Textu citato, nomine Templi DEI intelligendum eſſe, DEI Eccleſiam militantem, & triumphantem, ita ut ſenſus ſit: Qui firmus in virtute perſtiterit, viceritque omnes tentationes, faciam illum magnum, & glorioſum, tam in Eccleſia hîc in terris, quàm in cœlo. In ſecundo autem per illud: Et apertum eſt Templum DEI in cœlo, ſignificat Sanctus Joannes, ſibi oſtenſam eſſe beatitudinem Sanctorum, utitúrque Templi ſimilitudine, in cujus penetralibus Arca fœderis ſervabatur. In tertio demùm, ait ſe in Civitate illa Cœleſti, non vidiſſe Templum, quod ſcilicet victimis, & ſacrificijs deſerviat, Beati enim his ampliùs in cœlo non egent. Ad DEUM verò laudandum, benedicendum, adorandum, glorificandum, (quod etiam in templo fieri ſolet) ſuper abundanter ſufficit illis DEUS, divináque eſſentia, cum ſuis perfectionibus. Unde hau-

de hauriunt omnes laudes, benedictiones, & gratiarum actiones, per totam æternitatem.

86. Apocalypsis 5. v. 12. Dicitur de Christo Domino: *Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere divinitatem.* Cùm tamen eam Christus ab initio habuerit? ℞. Christum quidem ab initio habuisse re ipsâ divinitatem, verùm post suam mortem, accepisse agnitionem illius, & accipere promeruisse ejus confessionem, ab omni creatura.

87. Apocalypsis Capite 6. v. 9. Sanctus Joannes de se dicit: Vidi *subtus altare animas interfectorum propter verbum DEI.* Et Capite 14. v. 4. dicit de ijsdem; *Sequuntur Agnum, quocúnque ierit.* Et Cap. 7. v. 15. *sunt ante Thronum DEI, & serviunt illi, die, ac nocte.* Quæ sibi ad invicem non videntur concordare: ℞. Per hæc omnia idem omnino exprimi, nempè: Beatarum animarum, gloriæ, & fælicitatis statum. Nam cùm in Ecclesia semper fuerit usus, Corpora & Reliquias Sanctorum, sub altaribus poni. Hinc Apostolus Metaphoram sumens, dicit: animas interfectorum sub altari quiescere, id est: in sibi specialiter deputato loco, in cœlesti gloria, ubi summa est quies, Capite 14. v. 4. dicitur: *Sequuntur Agnum quocúnque ierit,* & indicatur mirus amor Christi, seu Agni mystici, pro nobis occisi, erga animas, quæ Virginitatem, in corpore existentes, illius amore intaminatam servârunt, ut eas ex affectuosissimo amore, à latere suo nunquam velit discedere. Demùm Capite 7. v. 15. Verbis illis: *Sunt ante Thronum DEI, & serviunt ei, die, ac nocte.* Significatur Sanctarum animarum beatitudinis perpetuitas, & continua DEI clara visio, & fruitio. Ita Menochius: verùm Bellarminus Lib. de Ecclesia triumphante citatum textum sic exponit: ut per Altare intelligatur Christus Princeps Martyrum, qui non solùm esse altare, sed & ipsa hostia, agnus occisus & sacrificium: per animas autem interfectorum, Sancti Martyres; quod sint subtus altare, hoc est, inferiore dignitate Christo JESU Rege Martyrum. Quæ explicatio etiam optimè concordatur cum reliquis textibus, hoc numero adductis.

88. Apocalypsis 6. v. 13. *Stellæ de cœlo ceciderunt super terram, sicut ficus emittit grossos suos, cùm à vento magno movetur.* Quomodò capiet stellas terrâ, quæ multò majores sunt terrâ? ℞. Per stellas hoc loco intelligi cometas, fulgura, ignes cadentes, aliaque meteora ignea, instar stellarum, novæ ac prodigiosæ magnitudinis, formæ, motûs, & lapsûs, ad incutiendum terrorem hominibus. Ita *Tirinus, Cornelius à Lapide,* & alij interpretes scripturæ sacræ, in hunc locum.

89. Apocalypsis 11. v. 2. dicitur: *Anti-Christus cum suis confœderatis regnaturus quadraginta duobus mensibus,* & mox v. 3. additur: *Duos fideles testes.* (Eliam, scilicet, & Henoch) *contra eum Prophetaturos, diebus mille, ducentis, & sexaginta.* Qui duo numeri non videntur convenire, nam quadraginta menses solares, faciunt dies mille, ducentos, septuaginta octo. ℞. Si accipiantur menses lunares, tunc coincidunt,

hi duo numeri, nam quadraginta duo menses, singulis dando triginta dies, faciunt justè, mille, ducentos, sexaginta dies. Si verò accipiantur menses solares, tunc octodecim diebus supervivet Anti-Christus, Henocho, & Eliæ, ut integrè regnet tribus annis solaribus, cum dimidio, sicut eum prædixit regnaturum Daniel Propheta, Cap. 7. v. 25.

90. Apocalypsis 13. v. 8. *Et adoraverunt eam* (scilicet bestiam, quæ est Anti-Christus) omnes, *qui inhabitant terram: quorum non sunt scripta nomina, in libro vitæ Agni,* [hoc est: Christo] *qui occisus est ab origine mundi.* Cùm tamen Agnus hic [hoc est, Christus] natus sit post quatuor millia annorum ab origine mundi? ℟. Hunc textum à S. Ambrosio, & alijs non paucis, sic legi: *Et adoraverant eam omnes,* quorum nomina non sunt scripta ab origine mundi, in libro vitæ Agni, qui occisus est. Si verò maneat prior constructio illius versûs, tunc verba illa: *Qui occisus est ab origine mundi*, habebunt hunc sensum: Qui destinatus, & decretus est occidi ab origine mundi, ex cujus meritis eorum nomina scripta sunt in libro vitæ ejusdem, qui sunt à DEO electi, & prædestinati ad vitam æternam.

91. Apocalypsis 16. v. 21. *Et grando magna sicut talentum descendit de cælo in homines.* Quantæ igitur molis fuit hæc grando? ℟. Per hunc modum loquendi tantùm exprimi, quòd fuerit grando inusitatæ magnitudinis, ac instar unjus talenti. Vel si verè erat ponderis unjus talenti, tunc ponderabat centum viginti quinque libras, si intelligas talentum Hebræorum: porrò si Atticum, tunc hujus dimidium, nempe libras sexaginta duas & mediam.

92. Apocalypsis 19. v. 8. *Beati, qui ad coronam nuptiarum Agni vocati sunt.* Et Matthæi 22. v. 8. *Hi autem qui invitati, hoc est, vocati erant ad nuptias Filij,* [cœlestis Regis] *non erant digni.* ℟. In priori textu sermonem esse, de vocatis, & perductis in cœlum, seu de electis; secundò verò, de vocatis tantùm: multi enim vocati sunt, sed pauci electi, ut habetur ibidem v. 14.

93. Apocalypsis 19. v. 10. *Cecidi ad pedes Angeli, ut adorarem eum, & dixit mihi: vide, ne feceris, conservus enim tuus sum.* At S. Joannes, capite 22. v. 9. iterum idem fecit? ℟. Sanctum Joannem cecidisse ad pedes Angeli, ut adoraret eum, hoc est: ut veneraretur eum, nempè cultu *Duliæ* ipsi debito, sed Angelum insigni modestiâ hunc cultum, seu hanc venerationem recusâsse, propter excellentem dignitatem, & prærogativam Sancti Joannis. Idem verò iterum fecit Sanctus Joannes eidem Angelo, capite 22. v. 9. Quia judicabat & sciebat, non id illicitum esse, sed debitum Angelicæ excellentiæ, licèt Angelus pro sua modestia, nollet à tali viro, talem honorem exhiberi sibi.

94. Apocalypsis 19. v. 12. *Habet* [scilicet JESUS] *nomen scriptum, quod nemo novit, nisi ipse.* At ibidem v. 16. dicitur: *Et habet in vestimento, & in femore suo scriptum: Rex Regum, & Dominus Dominantium.* Quod utique nomen omnibus erat conspicuum? ℟. Quodnam fuerit hoc nomen ineffabile, & incognoscibile,

mox

mox ipſe Joannes ſequenti verſiculo explicat, dicens: *Et vocatur nomen ejus: verbum DEI*, quod utique nemo novit, niſi ipſe. Nam nulla creatura plenè, & integrè cognoſcere, & comprehendere poteſt, divinam verbi generationem. *In veſtimento autem, & femore*, hoc eſt: in veſtimento femorali, habuit ſcriptum: *Rex Regum, & Dominus Dominantium*. Quod ſymbolicè ſignificat Chriſti humanam naturam. Cui hic titulus convenit eô ipsô, quod ſit perſonalitati divini verbi unita.

95. Apocalypſis 20. v. 1. & ſequentibus: *Angelus habens clavem abyſſi, ligavit ſatanam per annos mille, & clauſit in abyſſo, ut non ſeducat ampliùs gentes.* At 1. Petri 5. v. 8. dicitur: *Adverſarius veſter diabolus, tanquam Leo rugiens, circuit quærens quem devoret?* ℟. Per annos mille, hic intelligi longum tempus (ponitur, enim numerus definitus, pro indefinitio) nempe per univerſum tempus Regni Chriſti in hâc vitâ, puta in Eccleſia militante, úſque ad Anti-Chriſtum. Ita *Tirinus* ex Sancto Auguſtino, Ambroſio, Gregorio. Circuit nihilominus etiam defactò diabolus, quærens quem devoret, & ſeducat, ſed non cum tanta potentia: undè neminem lædit, niſi volentem, & ſi quis illi reſiſtat, fugit. Juxta illud Apoſtoli: Reſiſtite diabolo, & fugiet à vobis.

96. Ibidem v. 5. & 6. fit mentio, *Reſurrectionis primæ, fit etiam mentio mortis ſecundæ.* Quæritur quænam ſit prima, & ſecunda reſurrectio? & quæ prima, & ſecunda mors? ℟. Primam Reſurrectionem eſſe illorum, quæ fit, quò ad ſolam animam, ſtatim à morte cœleſti gloriâ donatam, quâ quaſi ad novam vitam reſurgunt, & tranſmigrant. Secunda verò Reſurrectio eſt, plena beatitudo etiam ſecundùm corpus, quando totus homo in fine mundi, corpore ſimul, & animâ, glorioſus ad vitam æternam reſurget. E contra, mors prima reproborum eſt, damnatio animæ ſolius Mors ſecunda: Damnatio ſimul corporis, & animæ, quæ infligetur in die judicij univerſalis. Ita Tirinus, & multi alij, apud eundem.

97. Apocalypſis 20. v. 11. *Fugit terra, & cœlum, & locus non eſt inventus eis.* Et capite 21. v. 1. *Et vidi cœlum novum, & terram novam. Primum cœlum, & terra in mare abijt.* Cùm tamen Eccl. 1. v. 4. dicatur: *Terra autem in æternum ſtat.* Et Iſaiæ 66. v. 1. *Cœlum ſedes mea, terra autem ſcabellum pedum meorum?* ℟. Cœlum poſt extremum diem Judicij fore novum, & terram novam, non quò ad ſubſtantiam, ſed quò ad accidentia, qualitatem, & ornatum. Et ſic fugiet cælum, & terra, id eſt priſtina facies, & ſtatus cœli, & terræ, unde locus ampliùs non invenietur eis. *Et erit cœlum novum, & terra, & primum cœlum, & prima terra abibunt, & mare non erit*, in illo ſcilicet ſtatu, in quo nunc ſunt, ſed in longè perfectiori, & excellentiori. Quò ad ſubſtantiam autem, terra in æternum ſtabit, & etiam tunc erit ſedes DEI cœlum, & terra ſcabellum pedum illius.

98. Apocalypſis 2. v. 6. *Sicienti dabo de fonte aquæ vivæ gratìs*, hoc eſt: dabo vitam æternam, in qua torrente voluptatis potabuntur Beati. Pſal. 35. v. 9. nullo pro

ea pretio accepto. Et tamen mox v. 7. additur: *Qui vicerit, possidebit hæc.* Quomodò ergo gratis? Si non nisi fortiter, ac strenuè contra hostes dimicanti? ℟. Vitam æternam dari nobis *gratis*, licèt eam justi bonis operibus mercentur. Tum primò: Quia prima gratia, quæ est origo omnium bonorum, & meritoriorum vitæ æternæ operum, datur ijsdem omnibus gratis. Tum secundò: Quia DEUS gratis tanta præmia, tantillis bonorum operum laboribus proponit. Néque enim condignæ sunt passiones hujus temporis ad futuram gloriam, néque habent hanc vim meritoriam ex natura sua, sed ex gratuita DEI misericordia, talibus operibus, tale præmium decernente, ac promittente.

99. Apocalypsis 21. v. 11. Sanctus Joannes, describens Hierusalem cœlestem, dicit, *habere eam lumen simile lapidi pretioso, tanquam lapidi Jaspidis, sicut Crystallum.* Cùm tamen Crystallus non sit variegati coloris, sicut nec Jaspis. Idem, ibidem, v. 18. dicitur eadem civitas, esse aurum mundum, simile vitro mundo, cùm tamen aurum sit opacum, vitrum verò perlucidum? ℟. Jaspidem quidem lapidem esse variegati coloris, non item Crystallum, hîc tamen describi Jaspidem, qui simul servatâ verietate colorum, sit pellucidus, & splendens instar Crystalli. Unde in Græco est *simile lapidi prætioso, tanq am Jaspidi Crystallizanti.* Pari ratione dicitur esse aurum mundum, simile vitro mundo, quod scilicet non sit opacum, sicuti est nostrum aurum, sed perlucidum, & diaphanum.

100. Apocalypsis 21. v. 16. Sanctus Joannes, describens illam cœlestem civitatem ait: *Et civitas in quadro posita est.* Quæritur, an ex hoc loco deducatur cœlum Empyreum, seu sedem Beatorum, quadratæ esse figuræ, & non rotundæ, seu sphæricæ? ℟. Non deesse complures Authores, & scripturæ sacræ interpretes, qui ex hoc textu, id conentur omninò deducere. Verùm non satis solidè. Nam ista Quadratura solùm est symbolum, significans primò, omni ex parte civitatem æque magnam: secundò esse formâ, ut commodissimâ, ita & pulcherrimâ. Tertiò esse munitissimam, ac fortissimam, regularem, & perfectæ structuræ. Quæ omnia conveniunt longè meliùs figuræ rotundæ. Hæc enim multò est capacior figurâ quadratâ. Cœterùm licèt elegantissimè, & sublimissimè Sanctus Joannes describat Cœlestem hanc Civitatem, reipsâ tamen longè major est illius pulchritudo. Quia nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascend t, quanta DEUS præparaverit, diligentibus se.



CEN-

CENTURIA IX.

Centum Obſervationes circa Hæreſes, quarũm omnes exortæ ſunt ex non intelligentiâ, vel mala, ac falſa interpretatione Sacrarum Scripturarum.

APpoſitè hanc in rem loquuntur Sancti Patres, & nominatim veritatem propoſitionis iſtius, apertis teſtimonijs confirmant, ac approbant. Ex quibus Irenæus Lib. 5. Cap. 25. hæc habet: *Mendacium dæmon abſcondit per ſcripturam, quod faciunt etiam Hæretici.* Et Lib. 2. Cap. 34. aſſerit, *Hæreticis in more eſſe, luteam ſuam doctrinam, pulcherrimo ſcripturæ ſacræ auro illinire, ac decorare.* Et Tertullianus, de Reſurrectione Carnis. Cap. 40. *Nihil mirum, ſi ex DEI inſtrumento captantur argumenta, cùm Hæreſes eſſe non poſſent, ſi non & perperam ſcripturæ intelligi poſſent*; *Ac de præſcriptione*, Cap. 15. *Et errantes de ſcripturis agunt, de ſcripturis ſuadent, aliunde enim loqui non poſſunt, de rebus Fidei, niſi ex literis Fidei.* Sanctus item Athanaſius, Oratione 1. contra Arianos: *Cùm unaquæque Hæreſis, ſui commenti parentem habeat diabolum, ac pudore tam exoſi nominis teneatur, pulcherrimum nomen Salvatoris profitetur, ſcripturarúmque ſacrarum dictionibus amicitur.* Et paulò infrà: *Quotquot ſunt Hæreſes, nihil habent in ſuis figmentis conſtituendis, quod commune ſit cum Sacra Scriptura: ſed tamen ad dolum ſimpliciorum, velut diabolus ipſorum Pater, transformant vultum: verba ſcripturæ proferunt, ut rectum ſenſum habere videantur.* Ac demùm (ut reliquos omittam) Lirinus, contra profanas Novitates, Cap. 35. *Utuntur planè Hæretici divinæ ſcripturæ teſtimonijs, & vehementer quidem. Nam videas illos volare, per ſingula quæq; Sanctæ Legis volumina, ſive enim apud ſuos, ſive alienos, ſive privatim, ſive publicè, ſive in ſermonibus, ſive in libris, ſive in convivijs, ſive in plateis, nihil unquam fermè de ſuo proferunt, quod non etiam ſcripturæ verbis adumbrare conentur.* Et infrà Cap. 37. *Quid diabolus faciet miſellis hominibus, qui ipſum Dominum majeſtatis ſcripturarum teſtimonijs appetijt. Mitte te deorſum, ſcriptum eſt enim. Magnopere doctrina hujus loci retinenda eſt, ut tantô Evangelicæ authoritatis exemplô, quando aliquos Apoſtolica ſeu Prophetica verba contra Catholicam fidem proferre viderimus, diabolum per eos loqui minimè dubitemus.* Nam

Nam sicut tunc caput capiti, ita nunc membra membris loquuntur, membra scilicet diaboli, membris Christi. Quid tandem dicunt? Mitte te deorsum, id est: ex istius te sublimis Ecclesiæ, quæ Templum DEI est, doctrina, ac traditione demitte. Et si interroges Hæreticum: Unde probas, quòd Ecclesiæ Catholicæ universalem, & antiquam Fidem dimittere debeam? Statim ille: scriptum est enim. Et continuò mille testimonia, mille exempla, mille authoritates parat, de Lege, Psalmis, Apostolis, Prophetis. Quibus NOVO, & MALO more interpretatis, ex arce Catholica, in Hæreseos barathrum infelix anima præcipitetur. Sed quid opus est in re tam clara multis Testimonijs, cùm res ipsa id loquatur, & manifestè nos doceat experientia, ut ex dicendis patebit.

1. *Veteres Ariani.* Primò itaque, Veterum Arianorum error erat: Patrem æternum esse summum DEUM simpliciter, habentem summum Dominium, & Imperium in omnes, etiam in ipsum Christum; Filium verò esse summum DEUM post Patrem habentem Dominium in omnes, excepto Patre, adeóque DEUM Filium esse minorem Patre. Et adducebant pro confirmando hoc errore, illud Joannis 14. Ubi Christus ait: *Pater major me est.* Et illud Joan. 6. ubi Christus de se dicit: *Descendi de cœlo, non ut facerem voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me.* Et 1. ad Corinth. cap. 15. Ubi Paulus ait: *Christum subjectum esse Patri, Christo autem omnia, solo Patre excepto, qui subjecit illi omnia.* Malè interpretantes hos textus de Christo, ut DEUS est: nam intelligi debebant de Christo, *ut homo est.*

2. *Alij Ariani.* Alij Ariani, (erant enim in plures Sectas inter se divisi) docuerunt solum Patrem esse verum DEUM, & assumebant pro se illud Joannis 17. Ubi Christus sic alloquitur Patrem: *Ut cognoscant te solum verum DEUM.* Et illud Sancti Pauli ad Corinth. 8. *Nobis autem unus est DEUS Pater.* Et 1. Timoth. 2. *Unus DEUS, unus & mediator DEI, & hominum.* Sed perversè: Nam omittebant continuationem illius textûs Joannis 17. *Ut cognoscant te solum verum DEUM, & quem misisti JESUM Christum.* Quorum verborum hic est ordo: Ut cognoscant te, & quem misisti JESUM Christum, solum verum DEUM. Vel certè per *Ly solum* in illo textu excludi tantùm creaturas, non verò Filium, & Spiritum Sanctum, quæ sunt personæ ejusdem essentiæ cum Patre. Similiter detruncabant & alium textum Sancti Pauli. 1. ad Corinth. 8. v. 6. qui sic habet: *Nobis tamen unus DEUS Pater, ex quo omnia, & nos in illum. Et unus Dominus JESUS Christus, per quem omnia, & nos per ipsum.* In quo similiter, Ly unus DEUS Pater, excludit solùm falsos DEOS, non Filium. Sicut dum ibidem dicitur: JESUS Christus est unus Dominus, Ly unus excludit falsos Dominos, & non Patrem. In tertio autem opposito textu, per unum DEUM intelligitur, unus DEUS in essentia, sed trinus in personis, seu tota sanctissima Trinitas, à qua distinguitur Christus, ut mediator, id est: ut homo.

Ideo

Ideo enim Paulus post illa verba: Unus Mediator, DEI, & hominum, addidit: *Homo JESUS Christus.*

3. *Gnostici, & Manichæi.* Gnostici, & Manichæi, duos DEOs admittebant, unum bonum, alterum malum; & à bono creata esse omnia, quæ bona sunt; à malo, omnia quæ mala sunt; ducti fortasse illo testimonio scripturæ sacræ: *DEUS nihil eorum, quæ fecit odit.* Sapientiæ 11. v. 15. *Odit autem DEVS omnes, qui operantur iniquitatem.* Psalm. 5. v. 7. Et Proverb. 6. v. 16. & Sequentibus, sex commemorantur, quæ DEUS odit, nempè: *Oculos sublimes, linguam mendacem, manus effundentes innoxium sanguinem, cor machinans cogitationes pessimas, Pedes veloces ad currendũ in malum, proferentem mendacia, testem fallacem, & eum qui seminat inter fratres discordias.* Et Roman. 1. v. 30 DEO odibiles dicuntur: *Detractores, contumeliosi, superbi, elati, incentores malorum, Parentibus inobedientes.* Igitur hæc bonus DEUS non fecit, aut creavit, adeòque malus DEUS. Et eadem est ratio etiam de alijs malis: sed contrà est. Quia Deutoronomij 6. dicitur? *Audi Israël, Dominus DEVS tuus unus est.* Et Psalm. 17. *Quis DEVS præter Dominum, aut quis DEUS, præter DEUM?* Et iterum Psalmo 85. *Tu es DEUS solus.* Et 2. ad Cor. 8. *Scimus, quòd nullus est DEUS, nisi unus.* Ad rationem autem dubitandi Gnosticorum, & Manichæorum, dicendum est: Duplex esse malum, unum Physicum, alterum Morale. Mala Physica, uti & mala pœnæ, à DEO summè bono sunt, quæ revera non sunt in se mala, sed talia duntaxat dicuntur, & esse videntur. Malum autem Morale, cujusmodi est peccatum, committitur à solo peccante, & hujus DEUS propriè, & per se causa esse non potest, éstque DEO odibile, & ratione illius etiam ipse peccans, *ut talis*, & non secundùm se.

4. *Vadiani, qui etiam Anthropomorphitæ sunt dicti.* Vadiani Hæretici, qui etiam Anthropomorphitæ sunt vocati, dixerunt; DEUM esse corporeum, & habere membra, ut homines habent: moti ex eo, quòd sæpenumerò in sacris libris, & potissimùm in veteri Testamento, DEO membra tribuantur, & Adam factus esse dicitur ad imaginem, & similitudinem DEI. Unde colligebant DEUM habere membra, quemadmodùm Adam. Sed rudiver nimiùm. Nam si DEUS corporeus esset, opporteret, ut esset finitus, & certis limitibus deberet concludi. At DEUS est infinitus, nec ullo termino concludi potest. *Excelsior est enim Cælo.* Job. 22. *Et magnitudinis ejus non est finis.* Psal. 144. Ergo. Quando itàque Sacra Scriptura DEO membra tribuit, accomodat se humano modo loquendi, ac pro captu nostro. Adam autem factus est ad imaginem, & similitudinem DEI, non secundùm corpus, sed secundùm animam, quæ est Spiritus, sicut & DEUS. *Nam Spiritus est DEVS*, ut ipsa veritas testatur Joannis 4.

5. *Armeni.* Armenorum quorundam Hæresis, [Teste Guidone] fuit, quæ tenuit DEUM non esse essentialiter veracem, & hanc impiam suam opinionem probare

nite-

nitebantur ex ſcriptura ipſa,quæ teſtatur DEUM dixiſſe deCain, quòd à nullo homine occideretur, & tamen (ut ipſi ajunt) Cain occidit ſe ipſum, & ita concludunt DEUM dixiſſe falſum, cùm Cain ab homine fuerit occiſus. Sed impiè, & blaſphemè. Hieremias enim Propheta Capite 10. ait: *Dominus DEUS verus eſt.* Et Chriſtus de ſeipſo dicit, Joannis 10. *Ego ſum via, veritas, & vita.* Quæ ergo de Cain adferunt, non reperiuntur in Sacris Literis; Scriptura enim Sacra non dicit, Cain ſeipſum occidiſſe, imò nec ullam fecit mortis illius mentionem. Nec DEUS unquam dixerat, quòd Cain non eſſet occidendus ab aliquo hominum, ſed dixit: Omnis, qui occiderit Cain, ſeptuplum punietur. Quibus verbis ſolùm prohibuit omni homini occiſionem Cain, non tamen negavit futuram. Unde quamvìs (ut nonnulli putant) vir ille, quem occidit Lamech, credens eſſe feram, fuiſſet Cain, aut ſeipſum Cain præcipitâſſet, non ideo arguendus eſt mendacij DEUS.

6. *Priſcillianiſtæ.* Priſcillianiſtæ Hæretici, ut & Ariani, negabant pluralitatem perſonarum in divinis. Quia Scriptura Sacra clarè docet: Unum DEUM eſſe tantùm; ſi autem eſſent tres perſonæ divinæ, realiter inter ſe diſtinctæ, & ſingulis conveniret, quòd ſit DEUS, eſſent tres DEI. Ergo. Sed imperitè. Nam eſtò ſingulis perſonis conveniat, quòd ſit DEUS: Hæ tamen tres perſonæ ſunt una eſſentia. Juxta illud Joannis: *Tres ſunt, qui Teſtimonium perhibent in Cælo; Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, & hi tres unum ſunt.* 1. Joannis 5.

7. *Arius.* Arius, & illius ſequaces, admittebant quidem in DEO pluralitatem perſonarum,eas tamen dicebant eſſe inæquales; ita, ut Filius ſit minorPatre,& Spiritus Sanctus minor Patre, & Filio; & probare id conabantur ex ſcriptura. Quia Scriptura Sacra teſtatur, Filium eſſe miſſum in hunc mundum à Patre; & rurſus, à Filio miſſum eſſe Spiritum Sanctum, ut habetur Joannis 15. *Cùm venerit Spiritus Veritatis, quem ego mittam vobis à Patre.* Et ſic arguebant: Is qui mittitur, minor eſt illo, à quo mittitur. Sed Filius miſſus es à Patre; & Spiritus Sanctus à Patre & Filio. Igitur Filius eſt minor Patre, & hôc utróque minor eſt Spiritus Sanctus. Sed ad id reſpondet Sanctus Auguſtinus: Miſſionem quidem per modum Imperij, ſignificare Excellentiam mittentis, non tamen quamlibet miſſionem. Porrò Filium, & Spiritum Sanctum, non mitti per modum Imperij, ſed ſolùm in hoc ſenſu: Quòd Filius à Patre procedat, & Spiritus Sanctus, à Patre & Filio; & quòd tam Filius, quàm Spiritus Sanctus, cœpit novo modo, ac viſibili eſſe in tempore, ille in carne, hic verò in columbæ ſpecie, & iterum in igneis linguis.

8. *Ignoitæ.* Ignoitæ ſentiebant Filium DEI ignorare ultimum diem, ad quod aſſerendum moti ſunt. Propterea, quòd Chriſtus Dominus apud Matthæum Cap. 24. dixit: *de die illa, & horâ, nemo ſcit, neque Angeli Cælorum, niſi ſolus Pater.* Et apud Marcum Cap. 13. clariùs: *De die autem illo, vel hora, nemo ſcit, neque Angelum Cælo, neque Filius, niſi Pater.* Sed nimis ignoranter. Nam Sanctus Paulus, lo-

quens

quens de Filio DEI. ad Colossen. 2. ait: *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ absconditi.* Deinde ipsemet Filius DEI, ad Patrem loquens, dicit: *Omnia mea tua sunt, & tua, mea.* Joan. 17. Et Lucæ 10. *Omnia tradita mihi sunt à Patre meo.* Si ergo omnes Thesauri sapientiæ, & scientiæ in eo sunt, igitur etiam notitia ultimæ diei. Et si omnia quæ Patris sunt, sunt etiam Filij; Ergo sicut Pater novit ultimum diem, ita & Filius. Et si omnia tradidit ei Pater, ergo & notitiam ultimæ diei. Ad citatum autem textum ab Hæreticis, dicendum est. Christum Dominum hoc Discipulis suis dixisse, non quòd ipse, simpliciter id non sciat, sed quia, & si sciat, non tamen ita sciat, ut illis revelare debeat. Quod manifestè ostendit illa alia responsio Christi Domini, Actorum 1. ad similem quæstionem à discipulis suis sibi propositam: *Non est vestrum scire tempora, vel momenta, quæ Pater posuit, in sua potestate.*

9. *Eunomiani.* Nonnulli Ariani, & signanter Eunomiani, tenebant verbum, seu Filium DEI, fuisse quidem ab æterno, sed esse puram creaturam, & citabant pro se illud, ex Proverbior. 8. *Dominus creavit me ab initio viarum suarum.* Et Eccles. 24. *Tunc dixit mihi Creator omnium, & qui creavit me, requievit in tabernaculo meo.* Et Joannis 1.. *Qui post me venturus est, ante me factus est.* Quos textus esse de Christo, negabit nemo. Item ad Colossen. 1. *Christus vocatur primogenitus omnis creaturæ.* Non observantes id, quod refert Sanctus Athanasius, ex Dionysio Romano: quòd vox κτίσε, quâ utuntur septuaginta duo interpretes, non significat hoc loci facere, vel creare, sed præficere, ut sensus sit: Dominus ub initio præfecit me omnibus operibus creandis. Vel quod notavit idem S. Athanasius, sermone 3. contra Arianos: In Scriptura Sacra promiscuè accipi, & usurpari vocabulum creandi, & gignendi. Sic Deuteronomij 32. dicitur: *Dominum, qui genuit te, dereliquisti.* Cùm tamen Genes. 1. & 2. legatur: Fecit DEUS hominem: itáque loco citato, per vocem creavit, intelligi *genuit*, & ab initio, hoc est: ante omne initium, sive ab æterno, ut sensus illius textûs sit: ab æterno genuit me. Sicut & illud Eccles. 24. *Creavit*, accipiendum est, pro produxit, productio enim Filij DEI nunc vocatur Generatio, nunc Creatio, nullo siquidem vocabulo perfectè explicari potest. Nam sicut hanc generationem nemo enarrare valet, ita nec ullum vocabulum ejusdem quiditatem adæquatè exprimere. Illis verò verbis: Ante me factus est. Joannis 1. Non significat Christum productum, sed Joanni *prælatum, & antepositum.* Ac si Joannes dixisset: qui post me venit, major me est. Ita Sanctus Ambrosius, Lib. 4. de Fide, Cap. 5. & omnes interpretes. Demùm ad Coloss. 1. *Primogenitus* Christus vocatur, *ut homo est*, sicut dicitur *Unigenitus*, ut *DEUS* est. Ita Sanctus Cyrillus, Lib. 11. Thesauri, Cap. 4. vel ut Sanctus Ambrosius, & Sanctus Chrysostomus explicat: Primogenitus omnis creaturæ, dicitur Filius, quia est genitus, antequàm ulla creatura fieret.

Novi Ariani. 10. Novi Ariani videntes præcedentem errorem non posse defendi, scilicet: Verbum esse ab æterno, & tamen esse creaturam tantùm, confinxerunt aliud effugium, dicentes: Christum non extitisse ullo modo ab æterno, ac propterea, non esse DEUM. Quia (inquiunt) alius Christus non fuit, quàm qui natus est ex Virgine, passus, & mortuus est, ac resurrexit. Natus autem est, passus, mortuus, ac resurrexit in tempore. Ergo. Atque falsam hanc opinionem inde probare nituntur. Quia Evangelistæ, ut Matthæus, Lucas, & Marcus, incipiunt suum Evangelium à Nativitate Christi, nec aliquas res ante carnem Christi enarrant. Et præterea Actorum 2. *Certissimè sciat ergo (ait Petrus) omnis domus Israël, quia & Dominum eum, & Christum fecit DEUS, hunc JESUM, quem vos crucifixistis.* Respondeo: Néque nos agnoscere alium Christum, quàm qui natus, mortuus, & passus est pro nobis, ac resurrexit; credimus tamen eundem Christum secundùm divinam naturam, genitum esse ab æterno, & natum secundùm humanam naturam in carne, in tempore. Quòd autem tres illi Evangelistæ, non meminerint illius, quòd Christus fuit ante Incarnationem, ratio est: quia scopus illorum fuit, solùm adventum Christi in carne, ac res ejus gestas describere, & enarrare. Ne tamen putemus verbum ante Incarnationem nullo modo extitisse, id nobis clarissimè indicat Joannes Evangelista, initiô sui Evangelij: *In principio erat Verbum, & DEUS erat Verbum. Et Verbum Caro factum est.* Et 1. Epistola: *Quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ contrectaverunt, de verbo vitæ,* Ac Apocalypsis Cap. 1. *Qui est, qui erat, & qui venturus est.*

11. *Valentiniani.* Valentinus Hæresiarcha, qui viguit sæculo secundo, Æræ Christi, docuit Christum non fuisse hominem ejusdem naturæ nobiscum, sed cœleste corpus secum à Patre traxisse; néque carnem ex Virgine assumpsisse. Et firmabat hunc suum erroreme ex illo 1. Corinth. 15. Ubi Paulus ait: *Primus homo de terra, terrenus; secundus homo, ex Cœlo cœlestis.* Non intelligens loqui ibi Sanctum Paulum, de Christo, ut DEUS est; & non ut homo est. Itáque Apostolus Christo dat ibi nomen à principaliori naturâ, quando vocat eum hominem Cœlestem, Adam verò vocat à minùs principali hominem terrestrem; ex terra siquidem formatus erat. Cœterùm, quòd Christus fuerit verus homo, ejusdem naturæ cum nostra, exceptô peccatô, patet clarè ex scriptura. Nam Christus erat verè *Semen Abrahæ*, Genesis 22. & ad Galat. 3. Erat item *Semen David.* Ad Roman. 1. *& quidem secundùm carnem.* Si ergo Christus est Semen Abrahæ, & Semen David, & quidem secundùm carnem. Ergo Christus veram carnem traxit ex Virgine.

12. *Manichæi.* Manichæus tenebat Christum non fuisse verum hominem, nec ex utero Virginis prodijsse, sed assumpsisse solùm corpus phantasticum. Et probabat hanc suam stultitiam ex eo, quòd Paulus de Christo loquens, ad Galat. 4. ait: *In similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo.* Si ergo Christus

stus in similitudinem hominum factus est: Ergo non fuit verus homo. Sed inani prorsus argumentatione, & ex falsa imaginatione procedente, quasi verò unus homo alteri non esset similis etiam secundùm substantiam, quod est falsissimum, & à modô scripturæ loquendi planè alienum. Nam Eccl. 12. ait sapiens: *Omne animal diligit sibi simile.* Et expressiùs dicit de homine DEUS. Genes. 2. *Faciamus adjutorium simile sibi*, de Eva loquens, quæ est similis Adæ, quò ad naturam humanam. Juxta hunc ergo modum loquendi, Christus cùm sit verus homo, dicitur in similitudinem hominum factus, quia humanam naturam suscepit, quæ ejusdem speciei est, cum nostra.

13. *Eutychiani.* Eutychiani, cum suo authore Eutychete, unam tantùm dicebant esse naturam in Christo, ex divinitate, & carne, per conversionem divinitatis in carnem, & unam quóque personam. Et fundabant se in illo, Joannis 1. *Verbum caro factum est.* Atqui unum fieri alterum, est versio in illud, sicut aqua, facta est vinum, Canæ Galileæ. Ergo. Sed non rectè. Nam Verbum Caro factum est, non per conversionem verbi in carnem, sed per unionem cum carne, in una Hypostasi.

14. *Nestoriani.* Nestoriani è contrariò asserebant duas in Christo personalitates, adeóque duos Christos, & Beatissimam Virginem peperisse purum hominem, qui non solùm naturam, sed etiam personam unam humanam haberet, ac proinde Beatam Virginem, non fuisse DEI Genitricem, sed Christi-Genitricem, & huic Filio hominis, postea unitum Filium DEI, non quidem substantialiter, sed accidentaliter secundùm inhabitationem, quia verbum æternum habitabat in homine Christo, ut in suo Templo. Juxta illud Joannis 2. *Solvite Templum hoc, & in tribus diebus ædificabo illud.* Et propterea dicebant: Isaiæ Cap. 7. scriptum fuisse: *Vocabitur nomen ejus Emanuel, id est: Non vocabitur DEUS.* Sed nobiscum DEUS, seu habitans in nobis. Juxta illud Joannis 1. *Et habitavit in nobis.* Verùm Sophisticè. Nam dum Dominus ait: solvite Templum hoc, potiùs probat duas in Christo esse naturas, quàm duas esse personas. Sic enim & anima nostra habitat in corpore, tanquam in tabernaculo. Ut ait Sanctus Petrus 2. Cap. 1. *Velox est depositio tabernaculi mei.* Diversa siquidem est natura animæ, & corporis, & tamen est una persona, quæ ex anima, & corpore constat. Similiter ex eo Joannis. *Et habitavit in nobis.* Sanctus Chrysostomus Homil. 10. in Joannem, rectè colligit esse duas naturas in Christo. Nam Job. 4. dicuntur homines inhabitare domos luteas, hoc est corpus hoc luteum, & terreum, inhabitat anima. Et 2. ad Corinth. 5. Apostolus dicit: *Si terrestris domus hujus nostræ habitationis.* Et ibidem: *Qui sumus in hoc tabernaculo, ingemiscimus gravati.* Sicut ergo anima inhabitat inhæsivè corpus, ita natura humana quæ componitur ex anima, & corpore, per unionem adhæsivè subsistit in personalitate divina, quæ est realiter idem, cum natura divina. Et sic interpretandum est etiam illud *Emanuel*, id est: nobiscum DEUS, quia verbum, quod est DEUS, carnem humanam assumens,

mansit nobiscum, seu cum hominibus. Clarum autem est, quòd Beatissima Virgo fuerit DEI, & non solùm hominis Christi genetrix. Nam Matthæi 16. Sanctus Petrus, ipsum Filium hominis, seu Beatissimæ Virginis, confitetur esse Filium DEI viventis, cùm ad illam interrogationem Christi: *Quem dicunt homines esse Filium hominis?* & mox, *Vos autem quem me esse dicitis?* Respondit: *Tu es Christus, Filius DEI viventis.* Ubi aperte Sanctus Petrus confitetur, ipsum Filium hominis, esse Filium DEI viventis.

15. *Sabelliani.* Sabelliani tenebant, Filium non distingui à Patre, usi illo scripturæ textu: *Ego, & Pater unum sumus.* Sed malè. Pater enim, & Filius, sunt quidem Unum, sed essentiâ, non personalitate.

16. *Cerynthus.* Cerynthus Hæresiarcha, negabat Christum surrexisse à mortuis, non alio modo, quàm textum illum scripturæ. *Surrexit, non est hic, ecce locus ubi posuerunt eum*, sic pervertendo: Surrexit? Non. Est hîc, ecce locus, ubi posuerunt eum. Sed falsitas hujus Hæresis, non indiget oppugnatione. Nam Matthæus ultimo sui Evangelij Capite. Et Marcus etiam ultimo, & Lucas ultimo, & Joannes penultimo, omnes unanimiter testantur Christum resurrexisse.

17. *Novi, & veteres Ariani.* Novi, & veteres Ariani probant, Spiritum Sanctum, non esse DEUM, allegántque pro se scripturam, qua Amos 4. dicitur: *Ego formans tonitru, & creans Spiritum.* Unde inferunt: Ergo, Spiritus Sanctus non est DEUS, sed Creatura: sed ineptè. Nam loco citato, per Spiritum, intelligitur ventus, quemadmodum & in Psalmo 148. dicitur: *Spiritus procellarum.* In alijs autem locis testatur Sacra Scriptura, Spiritum Sanctum DEUM, ut Actor. 5. *Anania, cur tentavit sathanas cor tuum, mentiri Spiritui Sancto. Non es mentitus hominibus, sed DEO,* Et 1. Corinth. 6. *Membra vestra, Templum sunt Spiritûs Sancti.* Et paulò infrà: *Glorificate ergo, & portare DEUM in corpore vestro.*

18. Teste Philastro, antiquis temporibus, fuit quorundam Hæresis asserentium, primos Parentes, Adam, & Evam, fuisse cœcos ante peccatum, ac tunc primò eos videre cœpisse, cùm de ligno vitæ comederunt. Ad quod asserendum ex eo movebantur: Quòd post illorum peccatum Sacra Scriptura referat, oculos illorum fuisse apertos, & sic suam consideràsse nuditatem. Non observantes paulò præcedentem ejusdem scripturæ textum: *Vidit igitur muliër, quòd bonum esset lignum ad vescendum, & pulchrum occulis, aspectúque delectabile, & tulit de fructu illius, & comedit.* Si cœca fuisset, utique lignum illud, & fructum non vidisset. Ex ignorantia igitur intelligentiæ illius textûs, hæc Hæresis ortum habuit. Quem Sanctus Augustinus, Lib. 14. Cap. 16. de Civitate DEI sic explicat: *Aperti sunt inquit oculi amborum, non ad videndum, nam & antea videbant, sed ad discernendum, inter bonum, quod amiserant; & malum, in quod inciderant.*

19. Sanctus Augustinus in Libro de Hæresibus refert, quorundam errorem docentium, animas sceleratorum hominum, post mortem converti in dœmones, & in quæcúnque animalia bruta, suis meritis congrua. Ad quod opinandum for-

tassis movebantur, illo Joannis 8. Ubi Dominus Judæis pessimis loquens, ait:
Vos ex patre diabolo estis. Et ex illo Matthæi 3. Ubi Joannes Baptista ait: *Pro-*
genies Viperarum, quis monstravit vos fugere à ventura ira? Sed ex levissimo
prorsus fundamento. Nam illud Joanis 8. Vos ex patre diabolo estis, sic accipi-
endum est: ut non juxta naturam esse diaboli filios intelligatur, sed juxta mores,
in quibus filij parentes imitabantur. Dictum verò Sancti Joannis intelligen-
dum Metaphoricè. Sic enim homines aliquando etiam vocantur jumenta, pro-
pter eorum mores, quos similes jumentis habent: & in præsenti loco Pharisæi ap-
pellantur progenies viperarum, id est: malorum parentum pessimi Filij, qui opti-
mos quósque calumniosis morsibus perdere studetis. Falsitas autem hujus erro-
ris facilè deprehenditur. Nam Matthæi 25. damnandis dicitur: *Ite maledicti in*
ignem æternum, qui paratus est diabolo, & angelis ejus. Ubi ostenditur discri-
men, inter animas sceleratorum, vel damnandorum hominum, à dæmonibus.
Item in Libro Sapientiæ 11. dicitur: DEUS animas hominum velle permanere
eásque conservare, quod non fieret, si eas converteret in dæmones, vel bruta a-
nimantia, sed neque essent animæ immortales; quod enim in aliud convertitur,
desinit esse, perit, ac corrumpitur.

20. *Priscillianistæ.* Priscillianus, ejúsque sequaces, ex *Origene* tenebant, a-
nimas ante infusionem in corpus, peccâsse, & in pœnam peccati, in corpora, tan-
quam in carcerem fuisse inclusas. Haud dubiè, ex eo, quòd Sanctus Paulus de se
suspirans. Ad Roman. 7. v. 24. dicat: *Quis me liberabit de corpore mortis hujus,*
& David Psalmo 141. v. 8. *Educ de custodia animam meam.* Sed contra est. Nam
anima Christi nunquam peccavit. Juxta illud 1. Petri 2. *Peccatum non fecit, nec*
inventus est dolus in ore ejus. Ergo, non fuit propter peccatum in corpus, velut in
carcerem detrusa. Et tamen consequenter sic deberet dici, si vera esset Priscillia-
nistarum opinio. Sanctus verò Paulus, & David Rex, petunt à miserijs, pugnis,
& luctis, átque multiplicibus impedimentis, ac molestijs spiritualibus, mortalis
hujus vitæ, liberari: quod fieri non potest, nisi per mortem, seu, animæ à corpo-
re separationem.

21 *Cataphryges.* Cataphryges Hæretici, & Marcionistæ, mortuos etiam bapti-
zabant, & dementissimæ hujus consuetudinis insimulati, dicebant id Sanctum
Paulum Apostolum præcepisse, cujus illud dictum, 1. ad Corinth. 15. produce-
bant: *Alioquin quid facient, qui baptizantur pro mortuis, si mortui non resurgunt;*
quorum tamen verborum sensus est: Quid proderit hominibus baptismus, quem
suscipiunt, resurrectionis gratiâ, sive sub spe, & expectatione resurrectionis ad
vitam æternam, si mortui non resurgant. Nam baptizari pro jam mortuis, inuti-
le ex eo esse deducitur. Quia post mortem non est ampliùs tempus bene, vel malè
operandi, sive merendi, & demerendi; & qui in peccato mortali (cujusmodi est
etiam originale) moritur, à cœlesti gloria æternùm excluditur; & teste scriptu-
râ, qui non baptizabitur, condemnabitur. Si ergo condemnabitur, nihil eidem

 pro-

proderit, si alter pro eodem baptizabitur. Ex inferno siquidem nulla est redemptio. Denique clara est Christi Domini sententia: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest intrare Regnum Cœlorum.*

22. *Anabaptistæ.* Henriciani, Petro Broziani, & Anabaptistæ asserebant, parvulis usu rationis carentibus, nihil prodesse baptismum, ac proinde hos non esse baptizandos, sed solos adultos. Quia (ut inquiunt illi) Christus Apostolos suos docens, de his, quæ post suam in cœlos ascensionem, illi acturi erant, dixit: Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit; qui verò non crediderit, condemnabitur. Marci 16. Cùm ergo parvuli non credant, utpote usum rationis non habentes, baptizari non debent, quia fides debet præcedere baptismum. Et hoc argumentum iterum confirmant, Testimonio Sancti Pauli dicentis: *sine fide impossibile est placere DEO.* Non animadvertentes ibi sermonem esse de adultis, non verò de infantibus; ut ex ipso contextu apparet, fidem enim debet præcedere prædicatio Evangelij, uti Christus ibidem dicit: Euntes prædicate Evangelium, quod utique prædicari prudenter non potest infantibus, sed adultis; adeóque, & fides actualis debet præcedere Baptismum in adultis, non in infantibus. Sic & Sanctus Petrus Actor. 2. v. 35. de Baptismo loquens dixit: *Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrûm.* Quæ itáque verba ad infantulos extendi non possunt, qui ad pœnitentiam agendam obligari non queunt, utpote usu rationis carentes, & peccatum personale non habentes. NB.

23. Sanctus Augustinus, in libro de Hæresibus refert, quandam hæresim docentem: Aquam non esse creatam à DEO, sed esse coæternam illi. Ex eo, quòd in Lib. Geneseos, in quo de creatione mundi agit Moyses, nusquam creationis Aquæ meminit, sed solùm dixit, quòd Spiritus Domini ferebatur super aquas. Ast contrà est: Nam Psalmo 88. dicitur: *Tui sunt Cœli, & tua est terra, orbem terræ, & plenitudinem ejus, tu fundâsti, Aquilonem, & mare tu creâsti.* Et Psalmo 134. *Omnia quæcúnque voluit Dominus fecit, in cœlo, & in terra, in mari, & in omnibus abyssis.* Si ergo creavit DEUS mare, creavit & aquas, quoniam mare est congregatio aquarum. Juxta illud Ecclesiastici 1. *Omnia flumina intrant in mare.* Porrò illud, quod hi Hæretici allegabant pro se, falsum est, & ex falsa scripturæ intelligentia per eosdem; Nam cùm dixit Moyses: In principio DEUS creavit Cœlum, & Terram, ibi nomine terræ, omnia corpora quæ sub cœlo sunt significantur. Igitur & aqua.

24. *Seleuci, Hermiani.* Seleuci, & Hermiani Hæretici, à suis authoribus sic dicti, occasionem sumentes ex illo textu, Matthæi 3. v. 11. Ubi Sanctus Joannes Baptista de Christo ait: *Ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto, & igne*, in baptizandis inurebant stigma ferro candenti, teste Sancto Augustino, libro de Hæresibus, Cap. 58. & Philastro. Textûs verò illius hæc est interpretatio: Ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto, & igne, hoc est: Donis spiritûs Sancti, per Baptismum collatis, animas interiùs emundabit à peccatis; & spiritualibus, ac cœlestibus do-
nis

nis replebit, illis quasi igne vos purificans, illuminans, inflammans, & ad cœlestia rapiens. Ita *Tirinus*. Quamvis Nicolaus Lyranus putet ideo dictum: *In Spiritu Sancto, & igne*, quia in primitiva Ecclesia, Spiritus Sanctus descendebat in figura ignis super baptizatos. Cœterùm apertissimum est, ex sacris literis Baptisma in aqua debere fieri, & non igne. Nam in ipsa institutione Baptismi Dominus ait: *Euntes in universum mundum, prædicate Evangelium omni creaturæ, Baptizantes eos, in Nomine Pâtris, & Filij, & Spiritûs Sancti.* Baptizare autem Græcè, idem est; quod immergere latinè, & Baptismus idem, quod immersio, aut lotio. Nullus autem lavat igne, sed adurit. Aquâ autem lavamus. Præterea Sanctus Paulus, de Baptismo mentionem faciens: Lavacro aquæ, Christum nos mundâsse ait, non adustione ignis. Ad Ephes. cap. 3. NB. Pro Baptismo autem parvulorum, stat usus in Ecclesia perpetuò observatus. Nam (ut constat ex varijs Sanctorum Patrum scriptis) ab ipso tempore Apostolorum, ad hanc diem úsque, observatum est, ut saltèm necessitate cogente, infantes etsi rationis expertes baptizentur. Quod enim tempore Apostolorum ita fuerint factum, constat ex Dionysio Areopagita, Cap. ultimo Ecclesiasticæ Hierarchiæ. Et illud post annos ducentos fuisse postea servatum, constat ex Cypriano, Epistola 8. Lib. 13. Idem servatum fuisse, tempore Sancti Augustini constat, ex Epistola illius 34. quæ est de Baptismo parvulorum. Hoc spectat ad Num. 22.

25. *Flagellantes.* Hæretici Flagellantes dicti, dicebant, aquæ Baptismum jam cessâsse, mutatúmque esse in Baptismum Sanguinis. Id verò ex quadam, inepta Allegoria scripturæ comprobabant. Dicebant enim, quòd quando Christus in Cana Galilææ, circa finem nuptialis convivij, aquam in vinum rubrum (ut illi ajebant) mutavit, designavit, quòd circa finem mundi, Baptismus aquæ, in Baptismum sanguinis mutari deberet. Hinc circumibant varias partes Provinciarum, perpetuò se flagellantes, átque prædicantes: Neminem salvum posse fieri, nisi proprio sanguine, flagello ex corpore suo excusso, baptizetur. Sed ludicrè. Nam hæc est Allegorica duntaxat Scripturæ Sacræ, ejúsq; erronea, interpretatio. Allegoricus autem sensus, etiam qui non est erroneus, nullo modo est efficax, ad aliquod dogma fidei stabiliendum. Præterea Lex Evangelij de facto etiam durat, & durabit úsque ad consumationem mundi. Ergo falsum est, jam Baptismum a-quæ, à Christo institutum cessâsse. Insuper Christus, qui dixit: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit, qui verò non crediderit, & baptizatus non fuerit, condemnabitur.* Non dixit: Qui se flagellaverit, salvus erit, qui verò non se flagellaverit, condemnabitur.

26. *Armeni.* Armeni asserebant, Beatos non videre essentiam DEI, sed claritatem quandam, illius essentiæ, átque in hujus claritatis visione, consistere Beatitudinem. Idem tenebant, & Arnaldistæ. Sed & Almaricus quidam docuit, DEUM à Beatis non videri ullo pacto in se, sed in suis creaturis tantùm. Ansam autem hujus erroris sumpserunt, ex scriptura, in qua dicitur: DEUM non videri ab ali-

ab aliquo. Nam Exodi 34. dicitur: *Non videbit me homo, & vivet.* Et Job de sapientia divina loquens, ait: *Abſcondita eſt ab oculis omnium viventium, volucres quóque cœli latet.* Et Paulus in prima ad Timotheum Epiſtola c. 6. v. 6. ait: *Qui lucem habitat inaceſſibilem, quem nullus hominum vidit, nec videre poteſt.* Et Beatus Joannes in 1. ſua Canonica Epiſtola, dicit: *DEUM nemo vidit unquam.* Verùm hi textus omnes intelligendi ſunt, quòd DEUS non videatur, imò nec videri poſſit, ab ullo homine vivente, vitâ hâc corruptibili, ſeu in vita hac mortali. Nam quòd clara viſio DEI, ſeu eſſentiæ divinæ, conveniat Beatis in altera vita, clarè patet ex ſcriptura. Sic 1. ad Corinth. 13. ait Sanctus Paulus: *Videmus nunc (DEUM) per ſpeculum, & in ænigmate, tunc autem.* id eſt in altera vita, videbimus) *facie ad faciem.* Et Apocalypſis 22. de cœleſti patria loquens Sanctus Joannes, ſub figura, & nomine novæ Hieruſalem, ita ait: *Et omne maledictum non erit ampliùs, ſed ſedes DEI, & Agni in illa erunt, & ſervi ejus ſervient illi, & videbunt faciem ejus.* Rurſus Chriſtus apud Matthæum, cap 18. *Videte, ne contemnatis unum ex his puſillis: Dico enim vobis, quia Angeli eorum in cœlis, ſemper vident faciem Patris mei, qui in cœlis eſt.* Ne autem putemus hîc ſermonem eſſe de ſolis Angelis. Additur Matthæi 22. de reliquis etiam Beatis: *Erunt ſicut Angeli DEI in cœlo.*

27. *Manichæi.* Pernicioſus error Manichæorum fuit, dicentium, nullo pacto licitum eſſe bellum gerere. Idque ex eo, quòd Matthæi Cap. 5. dicat Chriſtus: *Ego autem dico vobis, non reſiſtite malo, ſed ſi quis percuſſerit te in dextram maxillam, præbe illi & alteram.* Cui objectioni reſpondet Sanctus Auguſtinus, illud non eſſe operis præceptum, ſed affectûs: ut videlicet animus noſter, ita patienter toleret unius maxillæ percuſſionem, ut paratus ſit, ſi in alia item percuteretur parte, etiam ſufferre. Præterquam, quòd nonnulli dicunt, illam ſententiam non pertinere ad præceptorum numerum, ſed eſſe inter conſilia connumerandam. Porrò non omne bellum eſſe illicitum, probatur exemplo Moyſis, Joſue, David, Machabeorum. Deinde Sanctus Lucas Cap. 3. enarrat: Sanctum Joannem Baptiſtam, interrogantibus ſe militibus, quid faciemus & nos? Reſpondiſſe: *Neminem concutiatis, néque calumniari faciatis, ſed contenti eſtote ſtipendijs veſtris:* Quòd ſi verò omne bellum illicitum eſſet, reſpondere illis debuiſſet: Arma abjicite, militiam deſerite iſtam. Chriſtus quóque Matthæi 8. Centurionis milites ſub ſua poteſtate habentis, fidem laudavit, militiæ autem deſertionem non imperavit.

28. Meminit Sanctus Auguſtinus, & *Philaſter*, fuiſſe quandam Hæreſim, quæ docebat: Homini Chriſtiano non licere calceamenta portare, eò, quòd id Chriſtus prohibuerit, apud Matthæum Cap. 10. Sed perperàm. Etenim illa verba dirigebantur ad Apoſtolos ſolos, ídque tantùm pro certo tempore. Nam ibidem dictum eſt ijsdem Apoſtolis: *In viam Gentium ne abieritis.* Et tamen poſtmodùm mandatum eſt illis: *Euntes in univerſum mundum, prædicate Evangelium omni*

omni creaturæ. Multò ergo minùs ea verba pertinent ad omnes omnino Christianos. Aliunde autem nulla est facta de calceamentis gestandis prohibitio.

29. *VViglephistæ.* Wiglephus, & ejus sequaces volebant, omnem cantum sublatum esse ex Ecclesia. Ex eo, quòd sic orantes reprehendantur, sicut reprehensi sunt Pseudo-Prophetæ Baal, à vero Propheta Elia, dicente: *Clamate voce majore: DEVS enim vester, forsitan cum alio loquitur, aut in diversorio est, aut in itinere, aut certè dormit, ut excitetur.* Sed ineptè. Nam Elias reprehendit, aut potiùs derisit Prophetas Baäl, non ex hac ratione, quòd orantes clamabant, sed quòd credebant DEUM egere majoribus clamoribus, & altioribus vocibus, ut audire possit; Et vel maximè, quòd clamando invocaverint DEUM falsum, qui auditum non habet, néque intelligentiam, aut scientiam, ut audire, vel intelligere, aut scire, illorum preces possit, utpotè in rerum natura non existens. Quòd autem precum altâ, & clarâ voce prolatarum, ac ipsorum etiam cantuum, sit DEO res accepta, patet ex Psal. 9. Ubi Propheta ait: *Ad Dominum cùm tribularer, clamavi: & exaudivit me.* Christus etiam ipse, cùm Lazarum suscitaret, elevatis sursum oculis, clarâ voce oravit, dicens: *Pater, gratias ago tibi, quoniam audisti me.* Et in cruce voce magnâ clamavit: *Heli, Heli, Lammazabathani,* hoc est: *DEVS meus, DEVS meus, ut quid dereliquisti me.* Matthæi 27. Unde de ipso loquens Sanctus Paulus, ad Hebr. 5. sic ait: *Quia in diebus carnis suæ, preces supplicationésque ad illum, qui posset eum salvum facere à morte, cum clamore valido, ac lacrymis offerens, & exauditus est pro reverentia sua.* Duo quóque Seraphim, alter ad alterum clamabant: *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus DEVS Sabaoth.* Esaiæ 6. Et Psalmo 32. ait Regius Propheta: *Cantate ei canticum novum, bene Psallite ei in vociferatione.* Præterea Christô natô, facta est cum Angelo multitudo militiæ cœlestis, laudantium DEUM, & dicentium: *Gloria in excelsis DEO, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Demum, ut cantus magis comprobaretur, ipse Dominus, cum discipulis suis, cantare dignatus est. Nam instante morte suâ, *Hymnô dictô cum discipulis suis, exjit in montem oliveti.* Matthæi 26. Marci 14. Hymnus autem Græca vox est, & significat canticum, laudes DEI continens.

30. *Armeni, & Græci.* Armenorum, ac Græcorum error est, Sacramentum Eucharistiæ, non posse confici in Azymo pane, sed præcisè tantùm in fermentato: quem, hoc defendunt fundamento. Quia eô pane conficiendum est à nobis hoc Sacramentum, quô Christus ipse cùm illud Sacramentum instituit, confecit. Sed Sanctus Joannes Cap. 13. testatur: Christum in fermentato pane, hoc Sacramentum confecisse, dicens: eum, ante diem festum Paschæ cœnâsse cum discipulis, in qua cœna hoc Sacramentum instituit, nobísque illud conficiendi potestatem tribuit. Nam ante Pascha fermentato pane utebantur Judæi, non azymo. Ergo. Verùm hoc argumentum futile est, cùm néque verum assumat, neque benè id, quod probare intendit, inferat. Nam hoc argumentum potiùs proba-

ret: Sacramentum Eucharistæ debere confici in azymo pane tantùm, nec posse confici in fermentato. Quia Christum in azymo pane illud confecisse, ex trium Evangelistarum Testimonio, clarissimè constat, quibus minimè Joannem repugnare ostendemus. Matthæus enim Cap. 26. testatur. Primâ die Azymorum celebrâsse Pascha, & illo vespere instituisse hoc Sacramentum, ac confecisse. Marcus similiter Cap. 14. narrat: Primo die Azymorum, quando Pascha immolabatur, vespere facto, JESUM accepisse panem, benedixisse, fregisse, & dedisse discipulis, dicendo: *Hoc est Corpus meum.* Idem refert & Sanctus Lucas Cap. 22. *Venit* (inquit) *dies Azymorum, in qua necesse erat occidi Pascha.* Atque in illius diei cœna, Christum accepto pane, gratias egisse; & fregisse, ac discipulis suis dedisse, dicendo; *Hoc est Corpus meum, quod pro vobis datur, hoc facite in mei commemorationem.* Quod autem Joannes ait: Ante diem festum Paschæ, hæc acta esse, *illud ante diem festum Pascha*, id est: vespere illius diei, quæ præcedit Pascha. Quo vesperi jam utebantur Judæi pane azymo, (neque enim licebat eis vesci diebus Paschæ pane fermentato) Judæorum autem festivitates à vespere in vesperum computabantur. Et de festivitate Agni Paschalis, specialiter dicit scriptura. Levitici Cap. 23. *Immulabitque eum universa multitudo Israël ad vesperum.* Igitur Assumptum, Armenorum, & Græcorum, quòd scilicet Christus Sacramentum Eucharistiæ instituit in pane fermentato, non est verum. Quòd autem nec illatio eorum sit bona, patet. Quia in Evangelio legimus solùm, Christum accepisse panem, & ex illo Corpus suum confecisse, & quamvìs certum sit azyma fuisse, illud tamen Evangelistæ subticuerunt. Ergo liberum nobis manet, sive in azymo, sive in fermentato pane Eucharistiæ Sacramentum conficere. Azymus enim, & fermentatus panis, non differunt substantialiter.

31. *Priscillianistæ.* Eodem modo, jam prænominati Priscillianistæ Hæretici, nasci unumquémque hominem sub constitutionibus stellarum putabant, & hanc constitutionem, fatum esse dicebant, eidémque totum vitæ cursum hominis, ac actionum ejusdem seriem alligabant. Atque in adjutorium sui erroris assumebant. Quòd nova stella exjit, cùm Dominus apparuit, cujus fuisse *fatum*, eandem quæ apparuit, stellam, asserebant. Verùm hujus doctrinæ falsitas facilè deprehenditur. Quoniam apertè tollit hominis liberum arbitrium, ut nullam prorsus in eligendo habeat libertatem. Nam si homo liber est in eligendo, ita, ut res suas aliter agere possit, quàm agit, consequens est, ut homo non sit fatalibus astris alligatus.

32. *Abailardus.* Abailardus docebat, (quo in errore etiam de facto sunt non pauci) nihil esse credendum, quod excederet vires nostri intellectûs. Et pro hac re asserebat illud sapientis: *Qui citò credit, levis est corde.* Eccles. 19. Credere autem citò (dicebat ille) est adhibere fidem, ante rationem. Ergo. Verùm hunc errorem Sanctus Paulus apertè rejicit, dicens: *Fides est substantia rerum sperandarum, argumentum non apparentium.* Ad Hebræos 11. Quid autem sit argumen-

mentum non apparentium, explicat Sanctus Chrysostomus, dicendo: *Quòd sit convictio earum rerum, quæ non videntur.* Quasi fides sit, quæ cogat nos credere, etiam ea, quæ non videmus, nec ratione investigare possemus. Unde Sanctus Gregorius ait: *Fides non habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum.* Et Beatus Augustinus, Homil. 33. *Arcana, & secreta DEI, priùs quærunt credentes, quàm faciant intelligentes.* Et Sanctus Basilius, in expositione Psalmi 115. *Fides supra omnem rationem, scientiarum, disciplinarúmque, animam sublimem trahit.*

33. *Pelagius.* Pelagij Hæresiarchæ error fuit, ut diceret: Absque gratia Christi, sive absque gratia supernaturali, quæ datur nobis ex meritis Christi, hominem posse omnia præcepta DEI implere, & proprijs suis meritis vitam æternam consequi. Abusus ad hoc confirmandum, & probandum ijs scripturæ locis- quæ concedunt, & declarant inesse hominibus liberum arbitrium, ad bonum, vel malum eligendum, ac faciendum, hôc modô Sophisticè arguendo. 1. Nullus peccat in eo, quod vitare non potest. Si ergo non est homini liberum præcepta DEI omnia adimplere, & peccata omnia cavere, cùm non vitat, non peccat, quia hoc ipsum vitare non poterat. Secundò: si DEUS omne bonum, quod est in nobis, operatur: Nullum ergo erit nostrum meritum, nulla nostra merces. Tertiò: si potest nostrum liberum arbitrium, de bono in malum corruere, quare non poterit etiam de malo in bonum assurgere. Sed ad primum respondetur: In hoc existere liberi nostri arbitrij potestatem, ut DEO monenti liberè consentiat, & DEO cooperanti cooperetur. DEUS autem facienti quod ex se est, nunquam denegat gratiam. Nam ut Paulus ait 1. ad Corinth. 10. *Fidelis est DEUS, qui non patietur nos tentari, supra id, quod possumus.* In hoc ergo homo culpatur, non quia bonum solus non facit, cùm hoc sit impossibile, ita, ut illud opus sit salutare; sed quia DEUM monentem non audit, nec ejus inspirationi correspondet. Nam de hac re queritur Dominus de peccatoribus: *Vocavi, & renuistis: & extendi manum meam, & non fuit qui aspiceret. Despexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis, ego quóque in interitu vestro ridebo, & subsannabo; cùm vobis id, quod timebatis, advenerit.* Ad secundum similiter respondetur: DEUM quidem omne bonum in nobis operari, sed nobis cooperantibus, & ratione hujus cooperationis, habemus apud DEUM meritum, & accipimus mercedem. Cœterùm, quia DEUS est primus Autor omnis boni operis, illi soli debetur gloria. Juxta illud Psalmistæ: *Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo, da gloriam.* Psal. 113. Et iterum *Gloriabuntur in te omnes, qui diligunt nomen tuum.* Psal. 5. Ac illud Sancti Pauli, 1. ad Corinth. 7. *Qui gloriatur,* (inquit) *in Domino glorietur.* Ad tertium, negatur consequentia. Plùs enim requiritur ad bonum, quàm ad malum faciendum, in hac præsertim corruptione naturæ, & ad malum pronissimæ. Non enim tam facilè quis potest exire ex fovea, quàm facilè in eam potest labi. Catholica igitur doctrina est: sine gratia DEI supernaturali, nos nec

posse omnia præcepta DEI servare, nec aliquod bonum salutare operari. Ideo, námque quotidie oramus: *Adveniat Regnum tuum. Et ne nos inducas in tentationem, sed libera nos à malo.* Sic & Sanctus Paulus nos docet, 1. ad Corinth. 3. *Non quod sufficientes simus, cogitare aliquid (prout oportet, seu ad salutem æternam conducens) ex nobis, tanquam ex nobis, sed sufficientia nostra ex DEO est.* Ergo, si non sumus sufficientes (sicut oportet sine gratia DEI) *cogitare*, multò minùs *velle*: & si velle bonum non possumus, multò minùs id *operari* valebimus.

34. *Jovinianus.* Jovinianus Hæresiarcha docebat, Gratiam in Baptismo semel receptam, nunquam posse amitti, & eos qui plenâ fide per Baptismum sunt renati, ampliùs peccare non posse: Et Pelagius tenebat, semel justum ampliùs peccare non posse, ac consequenter nec semel acquisitam gratiam justificantem amittere. Adducentes pro se, illud ex 1. Joannis 3. *Omnis qui ex DEO est, peccatum non facit.* Item illud Salvatoris apud Matthæum: *Non potest bona arbor, malos fructus facere.* Item illud Sancti Pauli 1. ad Corinth. 13. *Charitas nusquam excidit.* Sed perperàm. Nam illud 1. Joannis 3. *Omnis qui natus est ex DEO, peccatum non facit*, aliter accipiendum esse, quàm illi explicant, declarat mox adjunctâ causâ à Sancto Joanne: *Quoniam* (inquit) *semen ejus in eo manet.* Ubi per semen DEI, intelligit gratiam, aut Charitatem, per quam Filij DEI efficimur. Causa ergo, cur qui natus est ex DEO, non peccet, est, quia semen DEI, id est: gratia, in eo manet. Non enim possibile est, ut quis in gratia existat, & peccet mortaliter, in sensu composito, ut loquuntur Theologi, non autem in sensu diviso, seu successivè: ut is, qui semel gratiam accipit, imposterùm peccare, & gratiam amittere non possit. Aliàs frustra Sanctus Joannes scripsisset, in eadem Epistola: *Filioli hoc scribo vobis, ut non peccetis.* Similiter intelligendus est, & alter textus, quem Sanctus Hieronymus, Lib. 2. contra Jovinianum, sic explicat: *Tamdiù ergo nec arbor bona, malos fructus facit, nec mala bonos, quamdiu vel in bonitate sua, vel in malitia sua perseverat.* Sanctus Paulus demùm non negat Charitatem semel habitam amitti posse in hoc sæculo, sed docet, charitatem, quam in hoc sæculo habuerimus, in futuro sæculo non excidere. Quemadmodùm de fide docet, quam in alia vita, succedente clarâ visione, amittemus. Quòd verò gratia semel habita amitti possit, clara sunt hac de re Scripturæ Sacræ Testimonia. Nam Angeli creati sunt in gratia, & tamen illam amiserunt per peccatum. *Videbam*, inquit Christus: *Satanam, sicut fulgur de cœlo cadentem.* Lucæ 10. Similiter, primi nostri parentes, erant creati in gratia DEI, & tamen per peccatum illam perdiderunt. David erat in gratia DEI, & tamen adulterium, & homicidium commisit. Ergo qui semel acquisivit gratiam sanctificantem, poterit peccare, & per peccatum eandem deperdere.

36. *VValdenses.* Jovinianus, & Waldenses credebant, jejunium nullius esse meriti apud DEUM, adferentes in sui erroris confirmationem illud Pauli, malè à se intellectum: *Corporalis exercitatio ad modicum utilis est.* Ubi tamen Sanctus Paulus per exercitationem corporalem, nullatenùs intelligit jejunium, sed com-

commotionem corporis, v.g. luctam Palæstricam, vel gymnasticam (ut est in Græco) quam dicit ad modicum esse utilem, putà ad corporalem sanitatem, vel ad bravium, seu prœmium temporale. Et sanè mirum est, tam levi, & tam futili fundamento nixos fuisse præmentionatos Hæreticos, ut docerent jejunium nullius esse meriti apud DEUM. Cùm è contrà, tam luculenta encomia jejunij legerint in scripturis. Sic jejunium commendatur in Moyse, in tribus pueris missis in fornacem, in Daniele, & alijs. Sic Anna Prophetissa, filia Phanuelis laudatur apud Lucam Cap.2. *Quæ non discedebat de Templo, jejunijs, & observationibus serviens die, ac nocte.* Et Matthæi 17. Christus dixit. Certum genus dœmoniorum, non ejici, nisi in oratione, & jejunio. Rursùs idem Salvator Matth. 6. modum docet, juxta quem jejunare debeamus, & pro tali jejunio promittit à Patre DEO, dandum prœmium. Igitur jejunio inest, aliqua ratio meriti. Sed in tam clara re, non est opus pluribus testimonijs.

37. *Almaricus.* Almaricus Hæresiarcha docuit, nullum esse infernum, post hanc vitam: sed qui habet peccatum mortale, illum dicit habere in se infernum. Albanenses quóque Hæretici credebant, non esse alias pœnas, quàm illas, quas in hac vita experimur. Et quidem Almaricus fundabat se in eo, quòd juxta scripturas, maxima pœna dicatur: *Vermis conscientiæ.* Talem autem vermem conscientiæ omnis habet, dum est in peccato mortali. Ergo. Verùm estò, magna sit pœna, & una ex gravioribus; quæ sunt in inferno, remorsus conscientiæ; non tamen æquè in hoc sæculo cruciat, ut post hanc vitam cruciabit: quoniam sicut tunc apertiùs, & clariùs quisque suum peccatum agnoscet, ita hæc peccati conscientia eum magis affliget. Deinde etsi acerbissima pœna sit peccati conscientia, sunt tamen aliæ adhuc pœnæ æquè graves, quas in hoc sæculo non experiuntur peccatores. Isaias enim dicit ultimo Capite: *Vermis eorum non moritur.* Et mox addit: *Et ignis eorum non extinguetur.* Et Sapiens, Ecclesiast. 7. *Vindicta carnis impij, ignis, & vermis.* Et Judit 16. v.2. *Dabit ignem, & vermes in carnes eorum, ut urantur, & sentiant úsque in sempiternum.* Neque ullæ pœnæ in hac vita pro peccatis inflictæ sunt comparandæ, cum pœnis, in altera vita infligendis.

38. *Origenistis.* Non defuêre Hæretici Origenistis, qui dicebant, pœnas inferni non fore æternas. Quam Hæresim recenset Sanctus Augustinus inter alias, sine tamen nomine Authoris. Cujus fortè opinionis ansa fuit. Quòd scripturæ extollant DEI misericordiam, super omnia reliqua opera DEI, & etiam supra ipsam DEI Justitiam. Utpotè: *cujus proprium est misereri, & parcere.* Putabant proinde sic utrique satisfieri, si peccatores punirentur à DEO gravissimis inferni pœnis, non tamen in perpetuum. Insuper, quòd scripturæ videantur testari, ignem infernalem quidem fore æternum, non item pœnas damnatorum. At pœnam inferni æternum fore sacræ literæ clarissimè docent. Ut Matthæi 25. Marci 9. Lucæ 16.

39. *Bernardus de Lutczenburgo.* Bernardus de Lusczenburgo, apud Alphonsum de Castro refert, extitisse quandam Hæresim, quæ ita delirabat, ut tene-

ret Joannem Baptistam Præcursorem Domini damnatum fuisse, eò, quòd non crediderit in Christum. Nam cùm jam esset in vinculis, misit duos discipulos suos ad Christum, ut interrogarent illum: *Tu es, qui venturus es, an alium expectamus?* Sed gravissimè hac in suppositione errat. Non enim interrogabat Joannes, (inquit Theophilactus) quasi ignorans Christum. Nam quô pactô ignoraret, cùm testatus sit: Ecce Agnus DEI? Verùm quia discipuli ejus, invidebant Christo, ut pluribus argumentis certiores eos redderet, propter hoc misit eos, ut vel visis miraculis credant Christum Joanne majorem esse, & idcircò fingit se interrogare: Tu es, qui venturus es? hoc est: Messias expectatus in scripturis; in carne venturus. Deinde amplissima sunt ipsius Christi de Joanne Baptista testimonia, utpote: quem laudat à fortitudine, & mentis constantia, à temperantia, & dicit eum esse Prophetam, & plùs quàm Prophetam. Vocat illum Angelum, denique pro coronide encomiorum addit: *Inter natos mulierum non surrexit major Joanne Baptistâ* Et hæc omnia dicta sunt à Christo, Salvatore nostro, de illo, eô temporis articulo, quo præmentionata Hæresis asserit Joannem peccâsse.

40. *Cajani.* Absurdiorem adhuc Hæresim, Sanctus Augustinus, Libro de Hæresibus, commemorat, dum scribit: Cajanos Hæreticos sensisse Judam Iscariotem fuisse virum divinum, & scelus illius proditionis, beneficium existimâsse. Dicebant enim Judam præscîsse, quantum generi humano Christi passio esset profutura, & ideò Christum Judæis tradidisse, ut per illius mortem, genus humanum proficeret. Verùm ad hunc errorem evertendum, vel illud testimonium est sufficiens, cùm Christus Dominus discipulorum pedes lavare volens, dixit: *Vos mundi estis, sed non omnes; sciebat enim* (ait Evangelista) *quis nam esset, qui traderet eum, propterea dixit: Non estis mundi omnes.* Et Lucæ 22. *Et Filius quidem hominis secundùm quod definitum est, vadit: Verùm væ homini illi, per quem tradetur.*

41. *VValdenses.* Rursus Waldensium error fuit: Nullum Judicem posse damnare aliquem hominem, aut, ad aliquam pœnam condemnare. Quia scilicet Matth. 7. scriptum est: *Nolite judicare, & non judicabimini.* Sed hôc locô prohibetur, solùm Judicium temerarium proximi, ex levibus suspicionibus ortum, non autem Judicium, quod vi officij, & ex potestate profertur, ex re priùs bene perspecta, & probè cognita. Hoc siquidem Salvator noster approbat, dum dicit: *Nolite judicare secundùm faciem, sed justum judicate judicium.*

42 *VValdenses, & Catharestæ.* Iidem Waldenses, & Catharestæ asserebant, Christianis esse absolutè prohibitum omne omnino juramentum, sic, ut nunquam, & in ullo casu jurare liceat. Sic, & Wiclephus sensit. Cujus propositio illa: Juramenta illicita sunt, quæ fiunt, ad roborandos humanos contractus, & commercia civilia, damnata fuit in Concilio Constantiensi, sessione octavâ. Et addebant pro se. Quia Dominus apud Matthæum Cap. 5. prohibuit omne juramentum, di-

cens:

cens: *Ego autem dico vobis, non jurate omnino.* Et mox infrà: *Sit autem sermo vester, est, est; non, non: quod autem abundantius his est, à malo est.* Et Beatus Jacobus Cap. 5. *Ante omnia fratres mei nolite jurare, néque per cœlum, néque per terram, néque aliud quodcúnque juramentum. Sit autem sermo vester: est, est; non, non: ut non sub judicio decidatis.* Respondeo: His locis scripturæ sacræ, solùm vetari perjurium, in omni omnino casu: deinde etiam simplex juramentum, si id fiat leviter, aut temerè, & nullâ cogente causâ, non verò quando adsunt: Veritas, Justitia, & Judicium. Nam in Deuteronomio id permittitur Cap. 6. *Dominum DEVM adorabis, & illi soli servies, ac per nomen illius jurabis.* Sanctus Paulus quóque non semel juravit. Ut ad Romanos 1. *Testis est mihi DEVS*, & 2. ad Corinth. 1. *Ego autem Testem DEVM invoco in animam meam.* Et ipsemet DEUS. Genesis 22. v. 16. Psalmo 104. v. 9. & Psalmo 109. v. 4.

43. *Priscillianistæ.* Priscillianistæ è contrà docebant, non solùm juramentum, sed & perjurium esse licitum, ad servandum doctrinæ suæ secretum. Ducti fortassis illo principio: Inter duo mala, minus est eligendum; minus autem malum judicabant esse perjurium, quàm suæ doctrinæ proditionem. Undè inferebant in tali casu, licitum esse non solùm juramentum, sed & perjurium. Sed contrà est. Quia Levitici 19. habetur: *Qui enim perjurat, nomen DEI polluit, quia DEUM adfert testem mandacij.* Ad illud autem eorum fundamentum, opponitur aliud: Quia non licet facere malum, ut eveniat etiam verum bonum, taceo bonum erroneum, & putativum.

44. *Ebionitæ.* Ebionitæ, Samsei, & Elcesei, affirmabant veterem Legem, juxta omnia præcepta esse servandam, cum nova Lege. Ex eo fortè fundamento. Quòd Levitici 16. DEUS præcipiens modum hostiæ, quæ debebat offerri pro peccato, dixerit: *Eritque vobis legitimum, sempiternum, ut oretis pro filijs Israël, & pro cunctis eorum, semel in anno.* Ergo, si in sempiternum, etiam pro nunc erit servandum. Sed & Sacrificium novæ Legis, reliquáque præcepta ejus sunt observanda. Ergo, servanda erit utráque Lex. Verùm, inconsequenter. Nam in citato textu, non ideo vocatur legitimum, sempiternum, quia esset semper duraturum, sed quia ad vitam quodammodò disponebat æternam; vel quia significabat res æternas; vel quia erat figura testamenti æterni, cujusmodi est testamentum novum, à Christo nobis datum: per institutionem autem novæ Legis, sublatam esse veterem Legem, clarè habetur, ex Actis Apostolorum, Cap. 15. Ubi sic refert Apostolica historia: *Surrexerunt quidam de Heresi Pharisæorum, qui crediderunt, & dicebant, quia oporteret circumcidi, & servare reliqua omnia, quæ Moyses in Lege præceperat.* Ob quam doctrinam, facta est non modica seditio, resistentibus huic assertioni, Paulo, & Barnabæ. Propter quod Apostoli, & Seniores, convenerunt Hierosolymam, ut de hac re definirent. Habitâque maturâ, prout decebat, rei examinatione, protulerunt sententiam: *Visum est Spiritui Sancto, & nobis, nihil ultrà oneris (de Lege veteri) fidelibus imponere.* Hoc Concilium

liuum Apostolorum. Huc accedit illud Sancti Pauli, ad Galat. 5. *Ecce ego Paulus dico vobis, quoniam si circumcidamini, Christus vobis non proderit.*

45. *Florinus, & Blastus.* Florinus, & Blastus Hæresiarchæ dixerunt, *malum* esse à DEO, & DEUM facere mala: idque nitebantur probare, quòd Sanctus Paulus ad Roman. 9. asserat: DEUM aliqua vasa ex eadem massa fecisse in honorem, aliqua verò in contumeliam. Ergo (inferebant) juxta Sanctum Paulum, mala sunt à DEO, non minùs, quàm bona. Deinde, DEUS Exodi 4. dicitur induràsse cor Pharaonis. Et Ezechielis 14. Falsos Prophetas decepisse. Sed ex mala horum textuum, & aliorum his similium intelligentia: solenne est enim in scripturis, permissionem DEI, actionem illius vocare. DEUS ergo dicitur facere vasa in ignominiam, non quòd ipse fecerit ea ignominiosa, sed postquàm DEUS fecit vasa, id est, homines, quantùm ad eorum substantiam, illi, permittente DEO, lapsi sunt in ignominiam. Pari ratione, dicitur induràsse cor Pharaonis, tolerando illum, & non statim puniendo, sed expectando illius pœnitentiam, propter ejus benignitatem, & patientiam, ille redditus est pejor: Non secùs, ac alicujus Domini nimia benignitas, servum improbum facit deteriorem, non quòd Dominus illum malitiâ imbuit, sed quòd servus abusus sit Domini benignitate, ad augendam suam malitiam. Sic etiam dicitur decepisse Pseudo-Prophetas, non quòd notitiam fallacem, vel mandacium in ore eorum causet, sed quia permittit eos fallere, & mentiri, idque propter peccatum interrogantis. Unde ipse Dominus statim subjungit, dicens: *Juxta iniquitatem interrogantis, iniquitas Prophetæ erit.* Porrò hunc errorem apertissimè ipsa veritas damnat Matthæi 2. dicens: *Non potest arbor bona, malos fructus facere.* DEUS autem est bonus, & quidem summè bonus. Ergo mala facere non potest. Unde ipsemet per Oseam Prophetam ait, Cap. 3. *Perditio tua ex te Israël, tantummodò in me auxilium tuum.*

46. *Coluthiani.* Coluthiani Hæretici, è contra tenuerunt, nulla mala, r equidem Physica, ut sunt: afflictiones corporis, vel animæ, DEUM facere. Eo quod DEUS summè bonus sit, uti ratio dictat, & Sacræ Literæ testantur: Sed sciendum est, duplicia esse mala, scilicet: Moralia, ut sunt vitia, & peccata, & hæc sola sunt in se mala; alia Physica, quæ putantur tantùm esse mala, licèt in se sint bona, ut putà, ad salutem æternam, si eadem patienter sustineamus, & voluntatem nostram, divinæ voluntati conformemus, conducentia. Et de his dicitur apud Amos Prophetam Cap. 3. *Non est malum in Civitate, quod DEUS non fecerit.*

47. *Elvidius.* Elvidius Hæresiarcha, impiè ausus est dicere: Beatam DEI genitricem, post partum Christi Salvatoris, non permansisse Virginem, sed plures postmodum filios habuisse. Quam blasphemiam suam desumebat ex eo, quòd apud Matthæum dicatur: *Antequam convenirent, inventa est in utero habens.* Et iterum: *Non cognovit eam Joseph, donec peperit Filium suum primogenitum.* Item ex illis verbis Judæorum ad Christum. *Ecce Mater tua, & Fratres tui foris stant, quærentes te.* Sed & alibi in scriptura fit mentio fratrum Christi Domini. Verùm

Elvi-

Elvidius ex ſcriptura perperàm intellecta, lapſus eſt in hunc errorem. Ex eo enim quòd Matthæus dicat: *Antequàm convenirent,* non ſequitur, quòd poſtea convenerint; ſed ſcriptura, quod factum non ſit, oſtendit: ut ait Sanctus Hieronymus. A quo modo loquendi non abhorrent ſcripturæ. Nam apud Iſaiam Prophetam ait DEUS. Cap. 65, *Antequam clament, ego exaudiam.* Ex quo non ſequitur, quòd quis poſtea clamet, poſtquàm exauditus eſt. Similiter in altero textu, illud *donec,* malè intellexit Elvidius, & pejùs ex illa voce intulit: Non cognovit eam Joſeph, donec peperit. Ergo poſtea cognovit. Nam illa adverbia: *Donec, Usque,* & ſimilia, ſolùm ſignificant continuationem actûs deſignati, per verba cui adduntur, nullo habito reſpectu ad futura, ſive poſtea actus ille ſuccedat, ſive nón. Sic DEUS apud Iſaiam loquitur, Cap. 45. *Usque ad ſenectam portabo eos,* & tamen poſtquàm ſenuerimus æquè portabit nos. Et in Pſalmo 122. *Oculi noſtri ad Dominum DEUM noſtrum, donec miſertus fuerit noſtri.* Nunquid poſtquàm DEUS miſertus fuerit noſtri, non levabimus oculos noſtros ad DEUM! Et 1. ad Corinth. 15 Paulus de Chriſto loquens, ait: *Oportet eum regnare, donec ponat inimicos ſuos, ſcabellum pedum ſuorum.* Nunquid poſtquàm Chriſtus poſuerit inimicos ſuos, ſub pedibus ſuis, ampliùs non regnabit? Abſit. Regni enim illius (ait Angelus) non erit finis. Quòd verò Chriſtus dicatur primogenitus, ex eo non ſequitur, quòd Beatiſſima Virgo poſtea genuerit plures filios; nam etiam unigeniti, vocantur primogeniti, ut videre eſt Numer. 18. Demum quòd in Evangelio dicatur, Chriſtum habuiſſe plures fratres, parùm movet. Nam apud Hæbreos moris erat appellari fratres, etiam eos, qui aliquâ cognatione, vel conſanguinitate juncti ſunt, quæ conſuetudo etiamnum apud certas nationes, & ſignatè apud Hungaros, ſervatur.

48. *Neſtoriani.* Neſtoriani dicebant: Beatiſſimam Virginem, eſſe quidem Matrem Chriſti, & Chriſtum quidem fuiſſe DEUM hominem non tamen dicendam DEI Genitricem. Verùm hic error ortus eſt ex alio Neſtoris errore, qui dicebat, in Chriſto fuiſſe duas perſonas, unam divinam, & alteram humanam; & illam dici DEUM, hanc verò hominem ſolùm: ac hujus Beatiſſimam Virginem fuiſſe Matrem, & ita negavit Beatam Virginem eſſe Matrem DEI, ſive DEIparam. Verùm Catholica veritas eſt: Chriſtum fuiſſe verum DEUM, & hominem, & perſonam verbi divini, ſeu Filij DEI, aſſumpſiſſe in utero Beatiſſimæ Virginis naturam humanam per unionem Hypoſtaticam, adeóque fuiſſe Filij DEI Matrem, ac conſequenter DEIparam. Patet & ex verbis Angeli ſalutantis Beatiſſimam Virginem Lucæ. 1. *Spiritus Sanctus ſupervenit in te, & virtus altiſſimi obumbrabit tibi, ideóque & quod naſcetur ex te, vocabitur Filius DEI.* Ex quibus verbis conſtat Filium Virginis eundem eſſe, qui & Filius DEI eſt, adeóque eam meritò dici Matrem DEI, ſive DEIparam. Secundò, ex verbis Sanctæ Eliſabeth apud eundem Evangeliſtam: *Unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me.* Nam quis alius Dominus hîc intelligi poteſt, quàm DEUS? Tertiò,

Ex ipsius Christi verbis, Joannis 3. *Nemo ascendit in Cœlum, nisi qui descendit de Cœlo, Filius hominis, qui est in Cœlo.* Quibus verbis utrámque naturam in una persona expressit. Plura Scripturæ Sacræ Testimonia consultò omitto

49. *Elesbaitæ.* Elesbaitæ Hæretici dicebant, non esse peccatum negare Christum, persecutionis tempore. Et quòd is, qui fixus est in corde suo, etiamsi ore negaverit Christum, ex necessitate, corde tamen in fide manet, ac proinde non peccat, cùm DEUS magìs respiciat cor, quàm linguam. Sed è contra est. Quia Sapiens Cap. 1. ait: *Os, quod mentitur, occidit animam.* At qui ore negat id, quod corde fatetur, in re gravissima, mentitur. Ergo occidit animam suam. Deinde Christus Matthæi 10. dicit: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere, sed potiùs illum timete, qui potest corpus & animam mittere in gehennam.* Et paucis interjectis: *Omnis ergo qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui in cœlis est: qui autem negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo, qui in Cœlis est.* Dein Sanctus Paulus ad Romanos 1. dicit: *Si confitearis in ore tuo Dominum JESUM, & in corde tuo credideris, quòd DEUS illum excitavit à mortuis, salvus eris. Corde enim creditur ad justitiam, ore autem fit confessio ad salutem.*

50. *Petiliani.* Altera Hæresis in hac materia fuit, cujus author erat quidam *Petilianus* nomine, qui docuit eos, qui se pro peccato interemerint, debere Martyres nuncupari. Ex eo, quòd talis id faciat, ex dolore & pœnitudine peccati commissi. Ad pœnitentiam autem agendam enormes peccatores Scriptura Sacra hortatur. Qui tamen error facilè refutatur, Exemplo Judæ Iscariotis. Nam & hic pœnitentiâ ductus, quòd Christum tradidisset, & quòd peccâsset tradens sanguinem justum, & dolens de hoc peccato, quod commiserat, seipsum suspendit, & damnatus est.

51. *Circumcelliones.* Hac adhuc atrocior fuit Hæresis Circumcellionum, qui asserebant, omnes qui mortem ultroneè patiuntur, esse Martyres, sive ab aliis talem mortem inflictam patiantur, sive eam sibi ipsi infligant. Unde per varias mortes, maximè præcipitiorum in aquarũ, & ignium, varagines seipsos necare consueverunt. Sed & horum error apertissimè convincitur, per id, quod dicit scriptura. *Non occides*, per quod præceptum quælibet occisio hominis prohibetur, præter illam, quæ ex mandato Judicis, in vindictam malefactorum fit, aut in defensionem sui, & suarum rerum, ac justo bello. Si ergo non licet occidere alium, multominùs se ipsum, nemo enim est vitæ suæ Dominus, sicut non est Dominus vitæ alienæ.

52. *Waldenses.* Rursus Waldenses Hæretici, uti testatur Guido Carmelita, Cap. 15. de Hæresibus, asserebant: Nulla vera miracula fieri in Ecclesia: sed ut advertit Alphonsus de Castro, hic illorum error procedebat, non tam ex pervicaita, quàm ex ignorantia. Cùm enim fuerint homines idiotæ, ac rudes, verisimile est eos nescivisse, quid sit miraculum. Igitur miraculum est, res insolita, supra naturæ potentiam operata,

ita; ut aliquid non censeatur esse miraculum, nisi sit super naturæ potentiam, & simul sit quid insolitum. Hujusmodi autem miraculis plenum est tam vetus, quàm novum testamentum. Et ut de veteri taceamus, in novo invenies, cœcis visum restitutum, claudis gressum, paralyticis sanitatem, leprosis munditiem, mortuis vitam: quæ nemo, nisi insanus, dicat, non fuisse miracula. Historia quóque Apostolica, non pauca recenset per Apostolos patrata fuissè miracula. Historiæ Ecclesiæ pariter recensent, per Sanctos, & facta fuisse, & etiam nunc fieri talia opera, & effectus, ac res tales, quæ & insolitæ prorsus sunt, & supra naturæ potentiam, ideóque sunt vera miracula. Et quid mirum, siquidem ipsemet Christus Joannis 14. dicit: *Amen, amen dico vobis, qui credit in me, opera*, (miraculosa intellige) *quæ ego facio, & ipse faciet, & majora horum*, (id est: magìs stupenda) *faciet*. Ut v. g. Umbrâ suâ curabunt quosvis ægros, ut evenit Petro. Actor. 5. v. 15, linguis omnium loquentur, ut evenit omnibus Apostolis &c.

53. *Pepusiani*. Pepusiani Hæretici, [ut refert Sanctus Augustinus Libro de Hæresibus, Cap. 27.] dicebant Fœminas quóque justè posse ad Sacerdotium promoveri. Nullo quidem pro se adducto textu scripturæ nisi fortè quòd id, non prohibeatur clarè in sacris literis. Verùm hi quóque ignorabant, quid nam sit munus, & officium Sacerdotis, ratione cujus, à non Sacerdote discernitur. Munus igitur, & potestas Sacerdotibus propriè conveniens est. Primò Eucharistiam, seu Corpus Christi, ex pane conficere. Secundò peccata in confessione audire, & peccatorem ab illis absolvere. Tertiò, ex officio populum docere. Atqui nullum horum potest fœminis convenire. Ergo. Minor propositio probatur: nam potestas conficiendi corpus ex pane, collata est solis viris in ultima cœna, cùm Christus Apostolis dixit: *Hoc facite in meam commemorationem*. Similiter potestas absolvendi à peccatis, solis viris data est à Christo, post resurrectionem, verbis illis: *Quorúmcunque remiseritis peccata, remissa erunt illis, & quorum retinueritis, retinebuntur*, in utróque enim casu, nulla mulier adfuit. Tertium quóque munus Sacerdotis illis convenire non potest. Expresè siquidem Paulus, 1 ad Timoth. 2. id prohibet, dicens: *Mulier in silentio discat, cum omni subjectione. Docere autem mulieri non permitto, néque dominari in virum, sed esse in silentio.*

54. *Seleuciani, & Hermiani*. Seleuciani, & Hermiani Hæretici dicebant, materiam elementorum, ex qua factus est mundus non esse factam à DEO, sed esse DEO coævam, sive coæternam. Et hanc quidem falsam suam opinionem, hauserunt ex schola Aristotelis non ex scriptura sacra, quam tamen præseferebant se fidelissimè servare, ac tenere. Cùm tamen scripturæ testimonia probent contrarium omnino. Nam quod factum est in tempore, non fuit ab æterno. Scriptura autem sacra: Totum hunc mundum secundùm omnes suas partes, testatur fuisse factum in tempore, juxta illud Joannis 1. *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil.* Ergo.

Præterea, id quod creatur, est ex nihilo sui, & nihilo subjecti. Sed totus hic mundus, & quidquid complectitur in se, [uti sunt ipsa etiam elementa, & materia elementorum] creatus est à principio temporis, à DEO. Genesis 1. Ergo & ipsa materia elementorum. Ergo hæc non ut coæterna DEO.

55. *Albanenses.* Albanenses Hæretici docebant, nunquam finiendum hunc mundum, sed semper hoc in statu permansurum. Quem errorem similiter hauserunt, uti priores, ex Aristotele. Sed graviter errârunt, si hanc propositionem ita intellexerunt, ut nunquam desinant generationes hominum in eo habitantium. Nam Albanenses, cùm pro Christianis se tenuerint, admiserunt utique futurum ultimum diem Judicij generalis, hoc autem nunquam fieret, si mundus non finieretur, in dicto sensu; id enim quod infinitum est, nunquam poterit in unum comprehendi.

56. *Encratitæ, & Marcionitæ.* Encratitæ Hæretici, & Marcionitæ, damnabant omnes nuptias, tanquam illicitas, omnésque illos peccare dicebant, qui inter se contrahunt nuptias. Errorem hunc tuentes, dicendo: Quòd si Adam non peccâsset, nullæ futuræ fuissent nuptiæ, adeóque Adamum in statu innocentiæ constitutum imitari volentes, fugiebant nuptias: sed hic error falsô nititur supposito. Nam estò protoparentes nostri non peccâssent, genus tamen humanum per illos propagatum fuisset, & quidem cum majori felicitate: Omnes siquidem eorum posteri nati fuissent absque macula peccati originalis, ac in statu innocentiæ.

57. *Priscillianistæ.* Priscillianistæ, [præter enumeratos jam errores] ut refert Sanctus Augustinus, in Libro de Hæresibus, conjugia passim separabant, & quibus hoc persuadere non poterant, fœminas à nolentibus viris, & viros à nolentibus fœminis disjungebant. Quo autem ad hoc movebantur fundamento; An quia nuptias omnino damnaverint, an quia putârint nuptiarum fœdera semel juncta, posse ad alterius conjugis arbitrium rescindi, S. Augustinus id non expressit. Atque hi omnes prohibentes & improbantes nuptias, tanquam illicitas, juxta Sancti Pauli censuram 1. ad Timoth. 4. *Dicendi sunt mendaces, attendentes spiritibus erroris, & doctrinæ dæmoniorum.* Et verò si nuptiæ essent illicitæ, Christus non decorâsset eas suâ præsentiâ Canæ Galilææ, nec dixisset de conjugatis. *Quod ergo DEUS conjunxit, homo non separet.* Demum Sanctus Paulus, 1. ad Corinth 7. sic scribit: *His autem qui matrimonio juncti sunt, præciopio, non ego, sed Dominus, uxorem à viro non discedere.*

58. *Cataphryges.* Cataphryges, & Novatiani Hæretici, primas quidem nuptias admittebant, secundas tamen damnabant; sed neque hujus Hæresis fundamentum, ab ullo refertur. Nisi fortassis pro illius probatione assumpsissent, illud Pauli 1. ad Corinth. 7. *Solutus ab uxore, noli quærere uxorem.* Verum Sanctus Paulus illô dictô, consilium dat, non præceptum, sicut & Virginibus suadet, ut non nubant non tamen præcipit. Oppositum autem huic Hæresi tenuisse eundem Apostolum, ex eadem citata

citata Epistola, clarissimè constat, ubi sic habet: *Mulier alligata est legi, quanto tempore vir ejus vivit. Quod si dormierit vir ejus, liberata est à lege. Cui autem vult, nubat, tantùm in Domino.* Ergo secundas nuptias Apostolus non damnat.

59. *Montanus.* Montani Hæresiarchæ error fuit: Quòd fœdus, & vinculum nuptiarum possit pro conjugum arbitrio solvi. Sed contrà est. Nam Salvator noster, Marci 10. dicit: *Quicúnque dimiserit uxorem suam, & aliam duxerit, adulterium committit super eam: Et si dimiserit mulier virum suum, & alij nupserit, mœchatur.* Et apud Lucam 16. *Omnis, qui dimiserit uxorem suam, & alteram duxerit, mœchatur, & qui dimissam à viro ducit, mœchatur.*

60. *Waldenses.* Inter alios Waldensium errores, fuit etiam hic unus, quo docebant, nullum hominem posse occidi justè, etiamsi id fiat ex Judicis sententia. Nam inquiunt præceptum DEI est hoc: *Non occides.* Verùm per hoc præceptum non prohibetur omnis occisio, sed illa solùm, quæ à persona privata fit, non autem illa, quæ à Judice ex justa causa decernitur infligenda. Nam illud præceptum fuit etiam in Lege veteri, & tamen cum illo fuerunt multæ aliæ leges, quibus præcipiebatur hominis occisio propter peccata aliqua; ut patet de punitione blasphemi, & de punitione furis nocturni. Et in nova lege ipsemet Christus, confirmâsse videtur legem de occisione hominis, qui alium occiderit, cùm dixit: *Omnis qui occiderit gladio, gladio peribit.* Matthæi 26.

61. *Bugarius.* Bugarius de Monte falcone docebat, nullum opus esse bonum, nisi fiat ex puro, & syncero amore, quacúnque ex causa fiat, etiam spe mercedis æternæ. Ad hunc ferè modum, quô Lutherani tenent, solum fidei actum esse meritorium coram DEO, reliquarum verò virtutum actus nullius meriti esse apud DEUM. Ductus sine dubio ad id asserendum ex eo, quod scriptura sacra, summoperè recommendet charitatem, seu Amorem DEI. Ut Matthæi 22. *Diliges Dominum DEUM tuum, ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua. Hoc est maximum & primum mandatum.* Et Sanctus Paulus, 1. ad Corinth. 13. præferat omnibus virtutibus charitatem, dum ait: *Quòd etiamsi haberet omnes virtutes, in gradu planè excellentissimo, si tamen charitatem non haberet, nihil se habere judicaret.* Verùm Catholica fides docet, omninò dilectionem DEI, seu amorem, primum locum habere, inter omnia alia opera meritoria, non tamen ita, ut actus procedentes ex alijs quóque motivis supernaturalibus, sint prorsus immeritorij. Nam imprimis Propheta Regius ait: *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas in æternum, propter retributionem.* Et Dominus persuadens Eleemosynam, ait: *Facite vobis amicos, ex mamonna iniquitatis, ut cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Et Sanctus Paulus sæpe suos, per spem prœmij, ad virtutis opera hortatur. Et ad Hæ-

bræos 11. *Laudat Abraham à fide, & obedientiâ, quam habuit propter spem vitæ æternæ.*

62. *Begardus.* Alterius erroris in hac materia fuerunt authores, Begardi, & Beguinæ, qui dicebant, hominis imperfecti esse, exercere se in bonis, & virtuosis operibus. Et rationem, pro hac falsa sua opinione adducebant. Quia (inquiebant illi) Actus virtuosi sunt dispositiones, & medium, ad consequendam perfectionem. Ergo, qui jam attigerunt perfectionem, non debent se exercere in actibus virtuosis. Sed non se reflexerunt supra illud scripturæ: *Qui perseveraverit* (scilicet in exercitio actuum virtuosorum) *hic salvus erit*, Matth. 24. 13. Nec ad illud: *Qui justus est, justificetur adhuc*, Apocalyſ. 22. v. 21. Deinde Sanctus Joannes Baptista, ad tantam perfectionem pervenerat, ut de illo Christus diceret: *Non surrexit major Joanne Baptistâ*, Matth. 11. v. 11. & tamen hic ipse se exercuit, in actibus virtuosis, v. g. temperantiæ, fortitudinis, alijsque similibus. Ergo, similiter Sanctus Paulus, attigerat eum statum perfectionis, ut mereretur rapi, úsque ad tertium cœlum, & tamen dicebat de se ipso: *Castigo corpus meum, & in servitutem redigo, ne forte cùm alijs prædicaverim, ipse reprobus efficiar*, 2. ad Corinth. 12.

63. *Messaliani.* Nonnulli ex Messalianis Hæreticis dicebant, solam orationem sufficere ad salutem, etiamsi reliqua omnia deessent, etiam ipse Baptismus. Sed contra est. Quia licèt scriptura sacra, magnam vim tribuat orationi, multa tamen præter illam adhuc requirit, pro æterna salute consequenda, ut v. g. Baptismum. *Nam nisi quis renatus fuerit in aqua, & Spiritu Sancto, non intrabit in Regnum Cœlorum* Joan. 3. v. 5. Humilitatem, *Nam nisi efficiamini sicuti parvuli, non intrabitis in Regnum Cœlorum*, Matth. 18. v. 3. Justitiam, *Qua nisi superabundaverit Justitia vestra, plùs quàm Scribarum, & Pharisæorum, non intrabitis Regnum Cœlorum*, Matth. 5. v. 20.

64. *Massaliani.* Iidem Messaliani, & Psalliani dicebant, necesse est semper orare, néque unquam cessandum ab oratione. Quapropter appellati sunt Euchitæ, id est: Orantes. Adducentes pro se illud Christi, Lucæ 18. *Oportet semper orare, & non deficere.* Et illud Sancti Palui, 1. ad Timoth. 5. *Sine intermissione orate.* Sed ex mala intelligentia; verba enim illa non ita sunt accipienda, ut illi putabant, *oportet* igitur *semper orare*, id est perseveranter, non obstante tædio, aut tentatione, & non deficere, Græcè μὴ ἐκκακεῖν, id est: non lassari, non animum despondere, si statim non exaudiamur. Itaque illud *semper*, & *sine intermissione*, non significat hîc temporis continuationem, quia sic est impossibile orare: sed constantiam, & perseverantiam in orando, donec exaudiamur. Unde & ipse Christus Dominus alibi nos monet: *Cùm oratis, nolite multùm loqui.* Deinde

de ille quóque sempèr, & sinè intermissione orat, qui om nia, quæ facit, ad gloriam DEI facit. Juxta illud Pauli 1. ad Corinth. 10. *Sive ergo manducetis, sive bibatis, sive aliud quid faciatis, omnia ad gloriam DEI facite.* Porrò hi Euchitæ sic orabant continuò, ut omnes ferè labores fugerent, & aliarum virtutum actus orationi præponerent.

65. *Wiclephus, & Joannes Huss.* Wiclephi, & Joannis Huss Hæresis, cum præcedentibus duabus, è diametro pugnabat, docebant enim orationem esse prorsus inutilem, nulliúsque virtutis esse. Fundamentum hujus erroris habebant: Quia credebant omnia necessitate absolutâ fieri, néque posse aliter fieri, quàm fiunt. Unde inferebant superfluas, & inanes esse orationes, quæ ad DEUM mittuntur. Quia si omnia necessitate absolutâ fiunt, quæ futura erant, etiamsi non oremus, evenient; & quæ non erant futura, etiamsi oremus, nunquam evenient. Sed absurdè. Nam ipse Salvator noster nos orare docuit, & ipse quóque oravit. Beatus quóque Jacobus Cap. 5. in sua Epistola Canonica plures virtutes orationis enumerat, ac demum addit: *Orate pro invicem, ut salvemini, multùm enim valet oratio justi assidua.* Falso autem innititur fundamento hæc opinio: DEUS enim non gubernat hunc mundum, absolutè, & antecedenter omnia decernendo, ut fiant, vel non fiant, sed conditionatè prævidendo, ut si hæc conditio, v. g. oratio posita fuerit, eveniet taliter res; si non fuerit posita, non eveniet.

66. *Apostolici.* Fuêre Hæretici, qui se Apostolicos vocabant, sicuti nunc Lutherani vocant se Evangelicos. Horum error erat, quô docebant, neminem ad vitam æternam pervenire posse, nisi taliter fuerit pauper, ut nihil proprij habeat, & velit habere. Et hi quidem adducebant pro se, primò, exemplum Apostolorum, qui nihil proprij habebant. Dein verba illa Christi, Lucæ 14. *Nisi quis renunciaverit omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* Sed non rectè. Quia non observârunt (quod tamen observare debuissent) discrimen, inter præceptum, & consilium. Item, quòd aliud sit affectu bona hæc temporalia relinquere, aliud ipso effectu. Item, quòd præceptum sit de necesse, consilium autem solùm de meliori esse. Item, quòd Christus aliqua dixerit Apostolis, quæ ad illos particulariter pertinent, aliqua quæ omnes fideles concernunt. Nullibi autem datum est præceptum omnibus fidelibus, ut omnibus renuncient, ita ut nihil proprij haberent, quò ad effectum, sed tantùm quò ad affectum, hoc est: ut quis paratus sit, omnia quæ possidet perdere, antequam propter illa DEUM offendat. Præterea juveni illi, apud Matthæum 19. interroganti: Quid facere debeat, ut vitam æternam habere queat? respondit Christus: *Si vis ad vitem ingredi, serva mandata*, & in ordine ad hanc consequendam, nihil de abdicenda rerum proprietate addidit. Verùm post modùm exprimere volens

lens majoris perfectionis statum, dixit: *Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & sequere me.* Hoc igitur est majoris perfectionis opus, non necessitatis. Ergo, actualis abdicatio proprietatis bonorum temporalium, non est simpliciter necessaria, ad vitam æternam consequendam.

67. *Pelagius.* Pelagius Hæresiarcha, negabat dari ullum peccatum originale. Ex eo fortè: Quia scriptura testatur: Quòd filius non portet iniquitatem Patris; sed contrà est: Nam 3. Regum 8. dicitur: *Non est homo, qui non peccet*, hoc est: peccatis non sit obnoxius. Sed parvuli non possunt esse obnoxij peccato actuali: Ergo obnoxij sunt saltèm peccato originali. Et Psalm. 50. v. 7. dicit de se Regius vates: *In peccatis conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.* Et Paulus ad Ephes. 2. v. 3. *Eramus & nos Filij iræ*, Et ad Romanos 5. *Sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, ita in omnes homines mors pertransijt, in quo omnes peccaverunt.* Filius autem non portabit iniquitatem Patris, quô ad illa peccata in ordine, ad quæ fiilij voluntas non est transfusa in voluntatem Patris, sicut voluntates omnium posterorum fuerunt transfusæ in voluntatem Adami primi omnium parentis.

68. *Armeni.* Armeni suprà jam præmentionati docebant, dari aliqua peccata irremissibilia, quæ à nullo unquam Sacerdote remitti possunt. Citando illa Matthæi 12. Salvatoris verba: *Omne peccatum, & blasphemia remittitur hominibus, spiritus autem blasphemiæ non remittetur. Et quicúnque dixerit verbum contra filium hominis, remittitur ei, qui autem dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittitur ei, néque in hoc sæculo, néque in futuro.* Verùm nullum tale peccatum irremissibile esse convincitur, ex verbis Christi, Matthæi 20. Ubi dat potestatem Apostolis remittendi peccata, dicens: *Quæcúnque solveritis super terram, erunt soluta & in Cœlo.* Et iterum: *Quorùm remiseritis peccata, remissa erunt.* Peccatum autem contra Spiritum Sanctum, seu spiritus blasphemiæ, dicitur tale peccatum, quod nec in hoc sæculo, néque in futuro remittitur; non quasi impossibile esset illud remitti, sed quia hoc peccato peccantes, difficulter ad pœnitentiam revocantur; nam nec instructionem recipiunt, nec de pœnitentia cogitant, imò directè oppugnant id, sine quo pœnitere nequeunt, rejicientes omnem divinam inspirationem, illiúsque gratiam.

69. *Jovinianus.* Jovinianus Hæresiarcha asserebat, omnia peccata mortalia esse paria, assumendo pro se illud Jacobi 2. v. 10. *Qui in uno offendit, factus est omnium reus.* Sed malè interpretando citatum textum, ex quo planè contrarium deducitur. Nam Apostolus in eo supponit totam legem, quô ad aliqua precepta posse servari, & tantùm in uno offendi. Est ergo sensus illius tex-

textûs: Quòd qui contra unum præceptum peccet mortaliter, mereatur pœnam æternam, quô ad extenſionem; non autem quô ad eam intenſionem, ſi violaret omnia præcepta. Nam quòd peccatum mortale unum ſit, gravius re ipſa, adeóque mereatur pœnam intenſiorem, quàm aliud; Clarè patet ex ipſis ſcripturis ſacris. Chriſtus enim ipſe ait, Joannis 19. v. 11. *Qui me tradidit tibi, majus peccatum habet.* Et Sapientiæ 6. v. 7. *Potentes, potenter tormenta patientur.* Et rurſus Chriſtus Dominus apud Matthæum cap. 5. ait: *Ego dico vobis, quia omnis, qui iraſcitur fratri ſuo, reus eſt judicio: qui autem dixerit fratri ſuo Racha, reus erit conſilio, qui autem dixerit Fatue, reus erit gehennæ ignis.* Quibus verbis oſtenditur, peccatorum differentia, ex differentia reatûs.

70. *Wiclephus.* Joannes Wiclephus, inter alios errores, etiam hunc docuerat. Quòd omnia peccata prædeſtinatorum quantumvìs enormia, ſint tantùm venialia peccata; & reproborum, quantumvis minima, ſint peccata mortalia. Quia inquiebat: mortalia peccata ſunt illa, quæ puniuntur pœnâ æternâ; & venialia, quæ non puniuntur pœnâ æternâ. Atqui prædeſtinati propter nulla peccata puniuntur pœnâ æternâ, reprobi autem propter ſua peccata, puniuntur pœnâ æternâ. Ergo: Sed hæc aſſertio convincitur erroris manifeſtè. Quia peccatum Adami fuit mortale. Nam poſt prohibitum eſum ligni, ſcientiæ boni, & mali, dixit illi DEUS: *In quacúnque die comederis, morte morieris,* quæ verba potiùs de morte animæ, quàm corporis ſunt intelligenda, quia morte corporeâ non ſunt mortui eâ die protoparentes noſtri, quà hoc præceptum violârunt. Unde Sanctus Gregorius, in quadam Epiſtola ad Narſi Comitem ſic arguit: *Si anima Adæ ſtatim poſt peccatum fuit mortua. Ergo peccatum illud, quod hujus mortis fuit cauſa, fuit verè mortale.* Pari ratione, David erat prædeſtinatus. Peccatum autem adulterij, & homicidij quod commiſit, fuit mortale; ſicut & Sancti Petri, cùm trinâ negatione abnegaret Chriſtum. Viciſſim verò non eſt rationabile dicere, quòd officioſum mendacium, vel otioſum verbum, ſit in reprobis tantum peccatum, ſicuti eſt in prædeſtinatis perjurium, & blaſphemia. Probatur hoc idem, ex illo Ezechielis Cap. 18. *Si iniquus egerit pœnitentiam, ab omnibus peccatis ſuis, quæ operatus eſt, vitâ vivet, & non morietur.* Ergo, ſi reprobi etiam, de aliquo peccato egerint pœnitentiam, illud remittetur illis, ergo propter illud non patienter pœnam æternam, ſed propter alia, quæ poſt hac commiſſuri ſunt. Ergo hoc grave peccatum, in ſententia Wiclephi, eſſet tantùm peccatum veniale, quod dici non poteſt.

71. *Novatus, & Montanus.* Novatus, & Montanus Hæreſiarchæ, aſſerebant: Eos, qui ſemel lapſi ſunt in grave peccatum, nunquam ampliùs conſequi remiſſionem illius, quantumlibet poſtea pœniteant. Quò autem fundamento tuebantur hunc ſuum errorem, non invenio. Niſi fortè allegarent, pro ſuâ

erronea opinione, supra citatos textus §. 7. Num. 63. & 65. nempe ad Hæb. 6. v. 4. 5. & 6. & ad Hebr. 10. v. 26. Quæ tamen est contra clarissima scripturæ sacræ Testimonia. Nam Job. 41. dicit: *Tu quidem gressus meos dinumerâsti, sed parce peccatis meis.* Et David Psal. 50. *Miserere mei DEUS, secundùm magnam misericordiam tuam.* Et Matthæi 8. Rex ille Evangelicus, cui se Dominus per parabolam similavit, *omne debitum dimisit servo suo.* Et Psal. 102. dicitur de DEO: *Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas.* Et Lucæ 15. *Filius prodigus, receptus est in gratiam sui parentis,* Ac Lucæ 10. dicit Salvator noster: *Quòd majus sit gaudium in cœlo, super uno peccatore, pœnitentiam agente, quàm super nonaginta novem justis.* Sed, & David Regi, agnoscenti peccatum suum, & de illo pœnitenti, dictum est, à Nathan Propheta: *Dominus quóque transtulit peccatum tuum,* hoc est: remisit.

72. *Waldenses, & Wiclephistæ.* Waldenses, & Wiclephistæ credebant, omnem potestatem sæcularem amitti per peccatum mortale, ac proinde tali Judici, vel Magistratui, qui reus est alicujus peccati mortalis, non esse parendum. Sic argumentantes: Omnis potestas à DEO est, teste scripturâ. DEUS autem dona sua non præstat peccatoribus & sceleratis. Ergo homo peccati reus, nullam habet potestatem. Sed hæc argumentatio falsitatis arguitur, ex ipsa scriptura. Nam Hieremiæ 27. dicit Dominus: *Et nunc itáque ego dedi omnes terras istas, in manu Nabuchodonosor Regis Babylonis: & servient ei omnes gentes, & filio ejus, & filio filij ejus. Et servient ei gentes multæ, & Reges magni.* Ergo DEUS dat Regna etiam peccatoribus. Et, ut habetur Job 14. *Regnare facit DEUS hominem hypocritam, propter peccata populi,* & tamen hypocrisis est peccatum. Et Sanctus Petrus in sua prima Epistola Canonica, ait: *Servi subditi sint in omni timore Dominis, non solùm bonis, & modestis, sed & dyscolis.* Ad fundamentum autem Waldensium, & Wiclephitarum, respondeo: DEUM peccatoribus non præstare bona ea spiritualia, quæ præstat non peccatoribus, cujusmodi est gratia sanctificans, & alia cœlestia dona cum hac connexa; imò hanc post peccatum, ab ijs statim aufert. Alia autem dona, cujusmodi sunt: divitiæ, dignitates, potestates, etiam impijs dat æquè, ac justis; imò frequentiùs illis, quàm istis; his tamen reservat æternam remunerationem, omnibus hujus mundi bonis incomparabiliter majorem.

73. *Hussitæ.* Sigibertus in suis Chronicis refert, sub Honorio Imperatore, & Zozimo Papâ, fuisse exortam Hæresim, quæ docebat, ijs, qui prædestinati sunt ad vitam æternam, nihil obesse quæcúnque scelera; & illis qui præordinati sunt, ad mortem æternam, nihil prodesse, quæcúnque pia opera. Quam pestilentissimam Hæresim, post mille annos resuscitavit Joannes Huss, & eam amplexus est etiam Calvinus. Cujus fundamentum est: Quia DEUS in sua præscien-

ſcientia, non poteſt falli, nec voluntas illius immutari. Ergo, ſi quem præſcivit, vel prædeſtinavit ad vitam, aut mortem æternam, ille ſalvabitur, quantumvìs ſceleratam vitam ducat; quem verò præſcivit, & præordinavit ad æternam damnationem, ille damnabitur, quantumvìs probè, & piè vivat. Sed hæc infernalis opinio ad infernales pœnas plurimos detrudit. Juſtos námque ab exercitio virtutum avocat, & peccatores ad quæcúnque ſcelera perpetranda impellit, falſóque inititur fundamento. DEUS enim neminem ordinat ad mortem æternam, ſeu reprobat, ante præviſa ejusdem demerita; nec prædeſtinat ad vitam æternam, ante præviſa hominis merita; nec ideò quis peccat, quia DEUS præſcivit eum peccaturum, ſed potiùs quia qui peccabit liberè ſuâ voluntate, ideo DEUS præſcivit eum peccaturum: demum DEUS ſuâ prædeſtinatione, nec prædeſtinatos ad vitam neceſſitat ſic ad bonum, ut malè agere, & perire neque-ant; vel reprobos ſic cogit ad peccatum, ut bene agere & vitam æternam promereri non valeant. Unde per Hieremiam Prophetam Cap. 18. loquitur, dicens: *Si pœnitentiam egerit gens illa, à malo ſuo, quod locutus ſum adverſus eam, agam & ego pœnitentiam ſuper malo, quod cogitavi, ut facerem ei.* Et ut ait Sanctus Auguſtinus: Novit DEUS mutare ſententiam, ſi homo cœperit mutare vitam.

74. *Joannes Wiclephus, & Joannes Huſs.* Joannes Wiclephus, & Joannes Huſs docebant, liberam eſſe cuíque Chriſtiano verbi DEI prædicationem, adeò, ut quamvis à ſuperiore ſit prohibitus, ne id agat, illum tamen poſſe verbum DEI prædicare. Fortaſſis ex eo, quòd Sanctus Paulus dicat: *Verbum DEI non eſſe alligatum*, 1. ad Timoth. 2. Sed hanc ſententiam damnat Sanctus Paulus ad Romanos 1. dicens: *Quomodò prædicabunt, niſi mittantur?* Et ad Hebræos 5. *Nec quisquam ſibi ſumit honorem, ſed qui vocatur à DEO, tanquam Aaron.* Præterea primi prædicatores Evangelij, quos DEUS ad hoc elegit, ut in omnem terram exiret ſonus eorum, vocati ſunt à Chriſto Apoſtoli, hoc eſt: *miſſi.* Ut ex nominis ratione quísque agnoſceret, neminem prædicari debere, niſi ad id fuerit miſſus. Et DEUS ipſe reprehendit Pſeudo-Prophetas, etiam ex hac ratione, Hiæremiæ 13. dicens. *Non mittebam Prophetas, & ipſi currebant.* Atque de talibus loquitur Salvator noſter, Joannis 10. *Omnes quotquot ante me venerunt, fures ſunt, & latrones.* Quæ verba interpretans Theophilactus, monet diligenter eſſe attendendum, ad verbum illud: *Quotquot venerunt*, inquit, *non quotquot miſſi ſunt.* Nam Prophetæ veri miſſi advenerunt, Pſeudo-Prophetæ verò à nullo miſſi venerunt. De talibus quóque Sanctus Paulus ad Galatas ſcribens, ait: *Sunt aliqui, qui vos conturbant, & volunt convertere* (id eſt invertere) *Evangelium.* Ac poſtea in fine Epiſtolæ addit: *Utinam abſcindantur, qui vos conturbant.* Senſus autem illius dicti Sancti Pauli: *Verbum DEI non eſt alligatum.* eſt

est iste: Estò ego sim in vinculis, verbum DEI ideò non est alligatum in me, seu vinculis adstrictum, néque enim cesso per hoc Evangelizare, tum verbo, tum scripto.

75. *Apelles.* Apelles Hæresiarcha dicebat: Prophetas contrario spiritu fuisse inspiratos, & ideò contraria dixisse, ac propterea, arguebat prophetias falsitatis, nihílque in illis esse veritatis, eò, quòd sibi ipsis adversentur. Citabátque in confirmationem suæ blasphemiæ, varios Prophetarum textus, quibus sibi contradicere videntur. Verùm hic error ortus est ex ignorantia Apellis, qui similes textus sibi conciliare nesciebat. Certum enim est, in illis nullam esse re ipsâ contradictionem. Nam per Prophetas loquebatur DEUS, (ut ait Zacharias apud Lucam) *Per os Sanctorum, qui à sæculo sunt Prophetarum ejus.* Et Sanctus Paulus 1. ad Hebræos, ait: *Multiformiter, multísque modis olim loquens DEUS patribus in Prophetis.* Et Beatus Petrus 2. Petri 1. *Non enim voluntate humanâ allata est aliquando Prophetia, sed Spiritu Sancto inspirati, locuti sunt Sancti DEI homines.* Sed DEUM, aut Spiritum Sanctum sibi contradicere, blasphemia est. Ergo.

76. *Lutherus.* Lutherus, circa Purgatorium, quod utique admittebat (licèt illud moderni Lutherani dari negent) tres speciales errores docuit. Primò enim admittebat, animas in purgatorio posse adhuc mereri, vel demereri. Secundò, non esse securas de sua salute, quamdiù quærunt requiem. Tertiò, & eas sine intermissione peccare. Primum errorem haud dubio probare conatus fuit more solito, ex aliquo distorto scripturæ sacræ textu. Secundum deduxit, vel cogebatur admittere, ex primi erroris admissione. Pro tertio adferebat hanc rationem; Quia *quærunt, quæ sua sunt* contra voluntatem DEI, dum horrent pœnas. Sed hanc insanam hæresim, scriptura sacra manifestè condemnat. Ut Eccles. 9. v. 10. *Quodcùnque potest manus, tua instanter operetur, quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erit apud inferos,* hoc est: post mortem tuam Et cap. 11. v. 3. *In quo loco ceciderit lignum, ibi erit.* Item 2. ad Corinth. 5. v. 10. *Unusquisque refert prout gessit in corpore.* Item Apocalypsis 10. v. 4. *Tempus non erit ampliùs.* Item Lucæ. 16. v. 9. *Venit, nox, in qua nemo potest operari.* Mortem appellans noctem, post quam non licet operari, videlicet in ordine ad meritum, vel demeritum. Et sic refutatur primus error Lutheri, hâc in materia. Contra secundum verò est illud, Job 7. *Militia, seu tentatio est vita hominis super terram.* Hoc est: quamdiù vivimus super terram. Ergo animæ in purgatorio non ampliùs militant, seu non ampliùs tentantur. Ergo jam sunt securæ de consequenda cœlesti gloria, sive extra peciculum peccandi. Demum, contra tertium errorem est. Quia per hoc quòd animæ quærant requiem, & horreant pœnas, non peccant; sicut non peccavit David, cùm dixit Psal. 41. v. 3. *Siti-*

Sitivit anima mea ad DEUM fortem vivum, quando veniam, & apparebo ante faciem DEI. Et Sanctus Paulus cum ajebat: *Cupio dissolvi, & esse cum Christo.* Et ipse Christus, cùm propinquus esset passioni, cœpit pavere, & tædere, & dixit: *Tristis est anima mea úsque ad mortem.* Marci 14.

77. *Erasmus Roterodamus.* Erasmus Roterodamus, fuit in hac falsa opinione, (ut patet ex ipsius annotationibus, super 11. Caput Lucæ) quòd raptor, vel fur, non teneantur ad rei ablatæ restitutionem, sed satìs esse, si pauperibus aliquam tribuant Eleëmosynam. Adducens pro se illud Christi: *Date Eleëmosynam, & omnia munda erunt vobis.* Ast hic error pugnat apertè cum lege naturæ, quæ dictat: Ne *feceris* alicui, quod tibi oderis fieri. Pugnat cum lege divina: *Diliges proximum tuum sicut te ipsum.* At nemo est, qui non oderit se re suâ spoliari. Et quísque justè optare potest, ut quod sibi furto, vel rapto ablatum est, restituatur. Deinde DEUS promittit Ezechielis 33. Cum hac conditione peccatori, remissionem peccatorum: *Si rapinam restituerit.* Zachæus quóque pœnitentiam agere volens, voluit reddere quadruplum, si quos defraudâsset. Postremò Sancti Augustini dictum est: Non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum.

78. Multi ex vetustis Hæreticis negaverunt carnis resurrectionem futuram. Moti fortè illo: Ecclesiast. 3. v. 19. *Unus est interitus hominis, & jumentorum, & æqua est utriúsque conditio, sicut moritur homo, sic & illa moriuntur, similiter spirant omnia, & nihil habet homo jumento ampliùs.* Et v. 20. ac 21. *Et omnia pergunt ad unum locum, de terra facta sunt, & in terram pariter revertentur. Quis nôrit si spiritus filiorum Adam ascendat sursum, & spiritus jumentorum descendat deorsum?* Sed Hæresis ista apertis scripturæ sacræ testimonijs convincitur. Nam Christus Matthæi 22 Saducæos negantes carnis resurrectionem, sic alloquitur: *Erratis, nescientes scripturam, néque virtutem DEI. In resurrectione enim néque nubent, néque nubentur, sed erunt sicut Angeli DEI in Cælo. De resurrectione autem mortuorum non legistis, quod dictum est, à DEO dicente vobis: Ego sum DEUS Abraham, & DEUS Isaac, & DEUS Jacob. DEUS non est mortuorum, sed viventium.* Et Sanctus Paulus 2. ad Corinth. 15. *Si autem Christus prædicatur, quòd resurrexit à mortuis, quomodo dicunt quidam in vobis, quoniam resurrectio mortuorum non est. Si autem resurrectio mortuorum non est, néque Christus resurrexit. Si autem Christus non resurrexit, inanis est prædicatio nostra, inanis & fides vestra.* Demum in symbolo Apostolorum, profitemur nos credere Carnis resurrectionem. Ad citatum autem textum, respondeo: Unum esse interitum jumentorum, & hominis, quò ad corpus, non item, quò ad animam; & quòd non noscamus, an spiritus filiorum Adam seu hominum, ascendat sursum, & spiritus jumentorum descendat deorsum, nempe notitiâ sensuum, sive experientia-

entiali, non autem notitiâ fidei, vel etiam naturali ratiocinatione. De ipsa autem resurrectione, seu reunione spiritûs hominum, cum suo corpore, minùs adhuc nobis constat, per scientiam naturalem, sed hoc habeamus ex fide, quæ certior est quâcúnque etiam evidenti ratione. Multi autem putant Salomonem hîc loqui, ex mente & verbis Atheorum. Nam quòd ipsémet aliter senserit, patet ex v. 17. Ejusdem capitis, ubi in persona sua sic loquitur: *Et dixi in corde meo: Justum, & impium judicabit DEUS, & tempus omnis rei tunc erit*, nempè in judicio extremo, quando tam impij, quà justi, resurgent à mortuis.

79. *Eutyichiani.* Eutychiani dicebant, corpus nostrum in illa resurrectione futurum impalpabile, & invisibile. Moti fortè illo Pauli, 1. ad Corinth. 15. Ubi de resurrectione sic loquitur: *Seminatur in corruptione, surget in incoruptione, seminatur in ignobilitate, surget in gloria, seminatur in infirmitate, surget in virtute.* Verùm hinc non deducitur, quòd erit impalpabile, & invisibile, sed corpus gloriosum, præditum dotibus subtilitatis, agilitatis, claritatis, & incorruptibilitatis. Item, quòd corpus illud futurum sit palpabile, & visibile, clarè patet ex eo. Quòd Redemptor noster, dubitantibus discipulis de sua resurrectione, ostendens manus, & latus, palpanda ossa, carnémque præbuit dicens: *Palpate, & videte.* Lucæ. 24.

80. Fuit quædam Hæresis, quæ ab aliquibus Origeni adscribitur, quæ dicebat, corpora post resurrectionem futura iterùm mortalia, & post multa sæcula, in nihilum iterum redigenda. Sed contra est. Quia Paulus Apostolus, ad Romanos 6. ait: *Christus resurgens ex mortuis, jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur.* Christi autem resurrectio est exemplar nostræ resurrectionis. Ergo. Præterea Sanctus Joannes in Apocalypsi, de justis loquens, ait: *Et absterget DEUS omnem lacrymam ab occulis eorum, & mors ultrà non erit, néque luctus, néque timor, néque dolor erit ultrà, quia prima abjerunt.*

81. Omnibus ferè Hæreticis commune fuit, scripturis sacris detrahere, & pro libitu suo, hos vel illos libros illius, reijcere. Nam cùm à Catholicis contra assertionem illorum, tam clarus aliquis textus adducitur, ut eum ad sensûm suum detorquere minimè valeant, illicò librum illum, ex sacrorum voluminum catalogo volunt eliminatum esse. Sic Carpocratiani Hæretici, Manichæi, item, & Albanenses. Quia clarè ex veteri testamento ostenditur illis à Catholicis, unum tantùm esse DEUM, qui sit omnium rerum principium, cùm illi admitterent duo esse principia rerum, sive duos esse DEOS: unum bonum, authorem, & conditorem rerum bonarum; alterum verò malum, conditorem, & authorem omnium rerum malarum: non valentes hîc luculentis ex veteri testamento petitis respondere, totum vetus testamentum reijecerunt dicentes: Et illud esse malum, & à malo principio factum, & datum.

82. Eo-

82. Eodem modò Lutherus, quia orationes, & alia ſuffragia, quæ à viventibus pro mortuis fiunt, nihil mortuis prodeſſe aſſerebat. In ſecundo autem libro Machabæorum, laudantur talia ſuffragia, quæ pro mortuis fiunt. Ideo ſuum pertinaciter defendens errorem, hos libros Machabæorum, quia ſuæ doctrinæ repugnabant, rejecit, & è Cathalogo Canonicorum librorum ſcripturæ ſacræ eliminavit.

83. Non aliter quóque Cedron, & Marcion Hæreſiarchæ, quia ex Evangelijs Matthæi, Marci, & Joannis, clariſſimè eorum doctrina impugnabatur, & contraria ſcripturæ ſacræ demonſtrabatur, ſolùm Lucæ Evangelium recipiebant, alia verò tria rejiciebant.

84. Montaniſtæ Hæretici. Quia ex actis Apoſtolorum probabatur luculenter miſſio Spiritûs Sancti ſupra Apoſtolos, ac conſequenter Montanum Hæreſis & ſectæ eorundem authorem, non eſſe ſpiritum Paraclytum, quem ſe eſſe is jactabat, & à ſuis pro tali habebatur: Librum actuum Apoſtolorum reijciebant, & pro vero ac Canonico Libro Scripturæ Sacræ non admittebant.

85. Ebion Hæreſiarcha. Quia docebat legem veterem cum nova eſſe obſervandam. Cùm huic doctrinæ apertè repugnet Sanctus Paulus in ſuis Epiſtolis, ut ſuum errorem tutaretur, ad hoc aſylum confugit: ut omnes Pauli Epiſtolas reijceret, & nullius eſſe momenti diceret.

86. Rurſus Lutherus, quia docebat ſolam fidem juſtificare, eámque ſolam ſufficere ad vitam æternam aſſequendam, etiamſi opera deſint. Jacobus autem Apoſtolus, in ſua Epiſtola Canonica docet: Fidem ſine operibus mortuam eſſe. Ideo, utpote ſuæ doctrinæ repugnantem, negavit eam eſſe Jacobi Apoſtoli Epiſtolam, ac dignam Spiritu Apoſtolico.

87. Alogiani Hæretici. Eò quòd Filium DEI negabant eſſe verbum. Nam *Logos* Græcè, idem ſignificat, quod Latinè ſermo, ſive verbum. Hinc Alogiani dicti ſunt, tanquam ſine verbo. Cùm ergo Evangelium Sancti Joannis apertiſſimè teſtetur, Filium DEI eſſe verbum. Ideò negabant Joannem Apoſtolum, ſcripſiſſe hoc Evangelium. Contra quas omnes Hæreſes, quæ ex catalogo ſacrorum librorum, aliquem librum auferre conantur, illud ſit unicum, & ſolidiſſimum fundamentum: Quòd aliunde ſcire non poſſimus, (ſeclusâ DEI revelatione) talem, vel talem librum eſſe Canonicum, & verum ſcripturæ ſacræ librum, quàm ex definitione Eccleſiæ. Cùm ergo unum aliquem librum credimus eſſe verum ſacræ ſcripturæ librum, ex eô: quia Eccleſia per Concilia eum pro tali habeat, ac recognoſcat; omnes, quos Eccleſia per Concilia, & in Canonem Scripturæ Sacræ retulit, debemus credere eſſe tales: quia non eſt major ratio pro uno, quàm pro reliquis. Omnes autem illi libri, quos præmentianatæ Hæreſes rejiciunt, ſunt recepti, & approbati ab Eccleſia, per Concilia, videlicet

Lao-

Laodicenum, & Carthaginense tertium, Florentinum item, & Tridentinum. Ergo.

88. *Severiani, & Encratitæ.* Severiani, & Encratitæ Hæretici, asserebant: Vinum absolutè non esse bibendum. Idque ex eô, quòd lege præceptum sit, ne Nazaræi vinum bibant. Et apud Amos Prophetam, Cap. 8. Accusantur ij, *qui Nazaræis propinabant vinum.* Puto tamen eos magìs id ex eô tenuisse, quòd putaverint vinum ex natura sua esse malum, & ortum à sathana, è terra vitem educente, habuisse, uti docuerunt Manichæi. Sed si vinum malum esset ex natura, Salvator noster non vertisset aquam in vinum Joannis 2. Item si vinum non liceret bibere, idem Salvator non præcepisset ministrantibus in convivio nuptiarum, ut ferrent vinum Architriclino. Matthæi 25. Deinde Sanctus Paulus Apostolus Timotheo scribens, consulit ut aquam non bibat, sed modico vino utatur. Præceptum autem Nazaræis datum fuit particulare, pro certis personis. Ergo ad omnes extendi non debet. Illud autem fundamentum, quòd nimirùm vitis sit à sathana è terra educta, falsum est, & scripturæ sacræ contrarium, quæ testatur: Omnes creaturas esse ex se bonas, eásque esse à DEO, tanquam omnium rerum conditore, & non ab aliquo alio principio productas.

89. Jovinianus docuit: Virginitatem non esse apud DEUM majoris meriti, quàm conjugium, sed pares esse dixit nuptias Virginitati. Fortassis ex eo, quòd DEUS ipse nuptias instituerit, Virginitatem autem nullibi præceperit. At Sanctus Paulus, viduitatem præfert nuptijs, & Virginitatem præse rt utrisque, dicens: 1. ad Corinth. 7. *Qui matrimonio jungit virginem suam, bene facit, qui autem non jungit, meliùs facit.* Et postea viduitatem præferens nuptijs dicens: *Mulier alligata est legi, quanto tempore vir ejus vivit, si autem dormierit vir ejus, liberata est à lege, cui vult nubat, tantùm in Domino. Beatior autem erit, si sic permanserit, secundùm meum consilium. Puto autem, quòd & ego Spiritum Domini habeam.*

90. Lutherus atrociùs adhuc debachatur contra virginitatem, osor nempe omnis puritatis & castitatis, dum non veretur dicere virginitatem, ac continentiam, malam esse, & præcepto DEI contrariam: quam suam carnalem, & animalem opinionem, conatus fuit probare ex illo Genesi: *Crescite, & multiplicamini,* impudenter ex suo, subdens: hoc non est præceptum, sed plùs quàm præceptum; quod nos non possumus impedire, vel prætermittere. Sed Sanctus Hieronymus, aljíque Sancti Patres, castiùs hunc textum interpretantur. Et quidem Sanctus Hieronymus, contra Jovinianum hæc scribit: Necesse fuit priùs plantare sylvam, & crescere, ut esset quod postea excidi possit, simúlque consideranda est vis verbi: *Quum* dicit. *Crescite, & multiplicamini, & replete terram,*

terram. Nuptiæ replent terrã, virginitas paradiſum. Tunc ergo illud vigebat, & obligabat omnes, & ſingulos, quando in principio conditus eſt homo, donec multiplicaretur genus humanum. Poſtmodùm verò non obligat omnes, & ſingulos: quia jam ratio, & cauſa præcepti ceſſavit, poſt tantam multiplicationem hominum. Nam ſi obligati eſſent ſinguli ad contrahendas nuptias, conſequens eſt, ut peccâſſent Hieremias, Helias, Hæliſæus, tres pueri in fornacem Babylonis miſſi, Daniel Propheta, & Joannes Baptiſta, quòd virginitatem ſervaverint, & à nuptijs abſtinuerint. Et hi quidem vixêre ante legem gratiæ. Poſt legem autem gratiæ, jugum Chriſti ſuave admodùm redditum eſt nobis, per ejusdem gratiam; & continentia nobis commendata eſt, tam ab ipſo Chriſto Domino, quàm ab ejus Apoſtolo Paulo, per modum conſilij, non per modum præcepti: *Omnia autem poſſumus in eo, qui nos confortat,* nempe Chriſto, ut ait Sanctus Paulus, ad Philippen. 4. O quàm diverſæ ſunt hac in materia Lutheri, & Sancti Auguſtini exclamationes. Lutherus clamat: ſicut in poteſtate mea non eſt, quo minùs ſim mas, ita minimè ſitum in me eſt, ut ſim ſine muliere. Sanctus autem Auguſtinus exclamat, & ſuſpirat: *Neſciebam quàm ſuave ſit, carere his nugis nugarum.* Quàm diverſa item Sancti Pauli Apoſtoli, & Lutheri, ac Calvini deſideria. Sanctus Paulus deſiderabat, *omnes fieri ſicut ſeipſum*, hoc eſt: virginitatem, & continentiam ſervantes. 1. ad Corinth. 7. Lutherus autem & Calvinus, neminem vellent eſſe virginem, & continentem, ne ſoli ipſi incontinentes videantur.

91. *Lamberiani.* Lamberiani Hæretici, omnia vota damnabant, allegantes pro ſe illud Pſalmiſtæ: *Voluntariè ſacrificabo tibi.* Pſalmo 53. Atqui ſubſumebant: ſed vota videntur voluntarium tollere, & neceſſitatem quandam, & coactionem inducere. Ergo. Sed indoctè. Vota enim ipſa voluntariè fiunt, & de ratione illorum eſt, ut fiant liberè; neceſſitas autem, quam poſtea vota ſecum trahunt ad ſervanda ea, quæ voto firmata ſunt, eſt ſolùm conſequens, & non antecedens, quæ voluntarium, ac libertatem nullatenus tollit, ſed eam ſupponit. Quod verò vota ſemel emiſſa, ſunt opere complenda, ſatis clarè teſtatur ſcriptura. Numeror. 30. Dum Dominus ſic ait: *Si quis virorum votum Domino voverit, aut ſe conſtrinxerit juramento, non faciat irr. tum verbum ſuum; ſed omne quod promittit implebit.* Et Deuteronomij 23. *Cùm votum voveris Domino DEO tuo, non tardabis reddere, quia requiret illud Dominus DEUS tuus, & ſi moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum. Si nolueris polliceri, abſque peccato eris. Quod autem ſemel egreſſum eſt de labijs tuis, obſervabis; & facies ſicut promiſiſti Domino DEO tuo, & propriâ voluntate, & ore tuo locutus es.*

92. *Lutherus.* Lutherus, vota monaſtica, ſeu perpetuæ paupertatis, caſtitatis, & obedientiæ, damnabat, & abominabatur; adeòque deſerenda, & revo-

canda esse, etiamsi piâ, & seriâ opinione emissa fuerint. Quia (inquiebat) vota hæc sunt contra libertatem Evangelicam, & Christianam, quâ à Christo donati sumus. Juxta illud Pauli, ad Galatas 5. *In libertatem vocati estis fratres.* Sed contrà est. Quia Psalmo 75. universim dicitur: *Vovete, & reddite Domino DEO vestro.* Et Eccl. 5. *Si quid vovisti DEO, non moreris reddere.* Et mox: *Quodcúnque voveris, redde.* Deinde Christiana libertas, & Evangelica, non in eo consistit, ut unusquisque nostrûm id faciat, quodcúnque sibi libet; & ut vota semel facta DEO, ad placitum suum iterum revocet. Sed quòd per Christum liberati simus à servitute peccati, quam libertatem nullus meliùs tenet, quàm qui servit DEO. Nam ut Apostolus ait, ad Romanos 6. *Liberati autem à peccato, facti sumus servi justitiæ.*

93. Mitiores fuêre nonnulli Hæretici, qui admittebant quidem vota semel DEO facta esse adimplenda, sed negabant, quòd opus ex voto factum, cedat ad majus ipsius operantis prœmium, quàm si liberè, & ábsque voti obligatione fuisset factum. Ex eo fortassis: Quia tantò melioris conditionis est opus aliquod bonum, quantò est magis liberum, & voluntarium: Psalmista siquidem ait: *Voluntariè sacrificabo tibi.* Psalmo. 53. Quem scripturæ sacræ textum etiam Lamberiani Hæretici pro se citabant. Sed contrà est: Quia Regius vates suadet nobis, ut Domino DEO aliquid voveamus, dicens: *Vovete, & reddite Domino DEO vestro, omnes qui in circuitu ejus affertis munera.* At, si nullum esset ex voto accrescens meritum, & opus ex voto factum, non esset melioris conditionis, quàm si sine voto fieret, malè nobis consuluisset Propheta, ut voveremus. Ergo.

94. Rursus alij ex Lutheranis erant, qui videntes tam aperta testimonia scripturæ sacræ, pro votorum licita nuncupatione, & debita postmodùm eorundem adimpletione, ad aliud asylum confugiebant, dicentes: vota pro certo tempore emitti posse, & deberi etiam adimplere, non autem talia, quibus homines ad perpetuam aliquarum rerum observationem se obstringerent. Quoniam, inquiebant, per talia vota fiunt homines servi, quos tamen DEUS libertate donavit. Sed contrà est. Quia hæc servitus ipsa fit liberè. Et si is, qui duxit liberè uxorem, se ipsum irretivit vinculo indissolubili, ita ut vivente uxore, non possit ab ea separari, néque aliam superinducere, & servitus hæc in quam homo incidit per matrimonium, non repugnat libertati per Christum donatæ. Quid igitur repugnabit votum castitatis DEO liberè factum. Deinde Anna votum fecit perpetuum de Samuele filio, DEO consecrando in ministerio templi, *omnibus diebus vitæ ejus*, & ob id etiam exaudita est à DEO. Igitur si Anna de filio necdum concepto potuit tale votum perpetuum emittere, cur non poterit aliquis de se ipso, aliquid simile vovere, præsertim cùm quilibet in se ipsum,

& suam voluntatem, plùs juris habeat, quàm Mater quæcúnque in suum filium? Præterea Sanctus Paulus 1. ad Timoth. 5. Damnat eas viduas adolescentes, *quæ primam fidem irritam fecerunt*, hoc est: quæ votum in viduitate emiserant, de continentia servanda, violaverunt, cùm post tale votum (utique perpetuum) emissum, nupserunt, vel nubere statuerunt.

95. Lutherani posteriores, apertè cognoscentes esse contra sacram scripturam damnare omnia vota, & obstinatè volentes vota monastica tollere, hoc commentum finxerunt, ut dicerent: illa vota DEO placere, quæ sunt de ijs, quæ DEUS præcipit, reliqua verò omnia esse prorsus damnanda. Sed ignoranter. Quia licèt vota fieri, possint etiam de ijs, quæ sunt de præcepto, propriè autem fieri debent de ijs, quæ sunt tantùm de consilio, & de meliori esse. Quòd autem vota fieri possint de ijs rebus, quæ non sunt de præcepto, clarè patet, ex Numeror: Cap. 30. Ubi votum factum de jejunio, & certarum rerum abstinentia, à DEO approbatur, & observari jubetur. Et in universum Regius Psalmista suadet; *Vovete, & reddite Domino DEO vestro.* Psal. 25. In quem locum Sanctus Augustinus sic scribit: Quisque, quod voluerit voveat, illud attendat, ùt quod voverit, reddat.

96. Græci, (& fortè multi etiam alij) existimant non esse peccatum dare aliquid ad usuram. Ex eo, quòd in Deuteronomio Cap. 2. DEUS dixerit: *Non fæneraberis fratri tuo ad usuram pecuniam, nec fruges, nec aliam quamlibet rem, sed alieno.* Unde inferunt: Ergo alieno licitum est dare aliquid ad usuram. Verùm quò ad illas particulas; *Sed alieno.* Verba illa DEI, non habent rationem præcepti, sed fuit tantùm permissio minoris mali, ad majus malum evitandum, quæ fuit concessa Judæis, ob eorum nimiam avaritiam: sicut & aliàs permissus fuit libellus repudij, ad duritiam cordis eorum. Deinde omnes Christiani sunt fratres in Christo. Ergo sicut inter ipsos Judæos fuit illicita usura, ita est etiam illicita inter ipsos Christianos. Et manifesta sunt hujus rei scripturæ sacræ testimonia. Nam in Exodo Cap. 25. Lex DEI sic ait: *Si pecuniam dederis pupillo meo pauperi, qui habitat tecum, non urgebis eum quasi exactor, nec usuris opprimes.* Et Levitici 25. *Si attenuatus fuerit frater tuus, non accipies ab eo usuras.* Divinus autem Psaltes, cùm interrogâsset DEUM, quisnam esset in tabernaculo illius habitaturus? postea eidem ipse quæstioni respondens, ait: *Qui pecuniam suam non dedit ad usuram.* Ergo è contrario, qui pecuniam suam dedit ad usuram, non habitabit in DEI tabernaculo.

97. *Petrus Abajlardus.* Petro Abajlardo, inter alios errores etiam hic attribuitur; Quòd docuerit: dœmonum suggestiones contactu fieri lapidum & herbarum, prout illorum sagax malitia, novit harum rerum vires diversas, diversis incitandis vitijs convenire. Nam ut Sanctus Paulus ad Galatas 5. testa-

tur: *Caro concupiscit adversùs Spiritum.* Talis autem concupiscentia est quædam tentatio, quâ anima ad peccatum incitatur. Uti & Sanctus Jacobus ait: *Unusquisque tentatur, à concupiscentia sua abstractus, & illectus.* Cùm ergo dœmones sciant, vires herbarum, & lapidum, quæ hanc concupiscentiam excitare valeant, faciunt hæc per applicationem, & contactum illorum. Verùm hæc ratiocinatio ad omnes tentationes extendi non potest. Nam prima tentatio dœmonis, quando decepit Evam, non fuit per applicationem lapidum, aut herbarum, sed per allocutionem in forma serpentis: Deinde ad tentandum Adamum, adhibuit ipsam Evam, non lapides, non herbas. Similiter Salvatorem nostrum in deserto tentavit, non applicatione lapidum, aut herbarum, sed allocutione. Demum juxta Sanctum Paulum 2. ad Corinth. 11. *Dæmon aliquando se transfigurat in Angelum lucis, ad tentandos homines.* Postremò aliqua peccata sunt spiritualia, quæ nullam habent cum carne vicinitaté, & propterea ab ea minimè oriri possunt. Quis autem dicet, ad hujusmodi peccata tentationem fieri contactu herbarum, vel lapidum, per applicationem dœmonum?

98. Fuerunt quidam Hæretici, quos Sanctus Augustinus Pattatorinchitas vocat. Qui totam sanctitatem, & perfectionem hominis in silentio servando ponebant, non alijs virtutibus, quàm taciturnitati studentes, & se applicantes. Quia in ea re se Prophetas imitari dicebant. Quoniam David Propheta ait: *Pone Domine custodiam ori meo, & ostium circumstantiæ labijs meis.* Unde perpetuò quasi, digitum elevatum ori apponebant, aut superpositum servabant. Verùm illud Prophetæ dictum, minimè illis suffragabatur. Non enim Propheta petijt à DEO aliud verbis illis, quàm moderatam locutionem, & non perpetuum silentium; ut videlicet cùm tacendum esset, taceret; cùm oporteret loqui, cum debitis circumstantijs loqueretur. Nam (ut ejusdem Prophetæ filius Salomon Eccl. 3. post eum docuit) *Tempus est loquendi, quemadmodum & tacendi.*

99. Manichæi tenebant: nullum peccatum committi ab homine, seu ab hominis libero arbitrio, sed omne peccatum fieri à dœmone. Quia (inquiebant) peccatum malum est, igitur provenit à malo, hoc est: à dœmone, qui per Antomasiam dicitur malus; éstque principium, à quo est omne malum. Sed hæc Hæresis convincitur per id, quod sapiens Ecclesiasticus ait: Cap. 15. *DEUS ab initio constituit hominem, & reliquit eum in manu consilij sui. Adjecit mandata, & præcepta sua. Apposuit tibi aquam & ignem, ad quod volueris, porrige manum tuam. Ante hominem vita, & mors; Bonum & malum. Quid placuerit ei, dabitur illi.* Ex quibus verbis clarè constat, peccatum etiam esse à libero arbitrio, licèt ad suggestionem diaboli committatur. Præterea arbitrium hominis est liberum. Ergo potest se ad utrámque partem, hoc est; sive ad bonum, sive ad ma-

ad malum flectere. Ergo quando flectit se ad malum, sive peccatum, tunc malum erit, etiam ab illo, & non à solo dæmone: quia Dœmon non facit hanc electionem, sed tantùm proponit homini peccatum, & eum ad illud patrandum allicit.

100. Atque ex his, & tribus prioribus Paragraphis factis observationibus patet. Primò, omnes Hæresiarchas, suas Hæreses etiam absurdissimas, conatos fuisse probare, ex textu aliquo sacræ scripturæ. Patet secundò, non satis esse ad alicujus assertionis, Universali Ecclesiæ adversantis probationem, unum, aut alterum textum ex scriptura sacra, eúmque distortum producere. Patet tertiò, scripturam sacram, non ita esse ubique claram, ut à quovis legente intelligi statim queat. Præmentionati enim Hæretici, illos textus scripturæ sacræ, quos pro stabilienda sua Hæresi adducebant, non intelligebant. Patet quartò, in scripturis sacris, non tam ad verba esse attendendum, quàm ad genuinum illorum sensum. Patet quintò, Ad investigandum verum, & genuinum scripturæ sacræ textum, non sufficere, privatum uniuscujúsque scriptum. Quia omnes enumeratorum Hæresum authores, & fautores, privato suo spiritu judicabant, se verum, & genuinum sensum, citatorum à se, pro suis assertionibus, textuum scripturæ sacræ, tenere, ac possidere; gravissimè tamen ab eo aberraverunt. Patet sextò, ponendam esse unam, & certam Regulam, per quam debeamus, ac valeamus discernere verum, & genuinum scripturæ sacræ sensum; ac assequi veram intelligentiam, & interpretationem atque explicationem textûs, de cujus legitimo sensu est controversia. Aliàs enim incassum disceptabimus, & nunquam ad veritatis cognitionem perveniemus. Patet septimò, quòd hac methodo adhibitâ, multæ aliæ quæstiones controversisticæ, præliminares, & extravagantes, & quæ non sunt ad meritum rei, pro præsenti quæstione quæ assumitur, sed solùm retardant resolutionem difficultatis, circa quam inter partes controvertitur; vel sunt mera subterfugia veniendi ad ipsius quæstionis statum, tollerentur. Et unica hæc superesset quæstio: Quis nam sit verus, & genuinus sensus, illius textûs, quem una pars pro se citat? & quis illius, quem altera pars pro se adducit? reliqua autem omnia, vel supponerentur, vel seponerentur.

Statuamus proinde hac in re sequentem Regulam, quam utique utráque pars pacis Christianæ, & solius veritatis amans, admittere debebit; néque prudenter eam reijcere poterit.

Ille sensus, & illa explicatio, ac interpretatio alicujus scripturæ sacræ textûs, est amplectenda, tanquam vera, & genuina, quæ est conformis ejusdem textûs explicationi, & interpretationi, Sanctorum Patrum primitivæ Ecclesiæ, hoc est: qui vixerunt à temporibus Apostolorum, & primis saltèm quinque sæculis; & illa est reijcienda, quæ eorum interpretationi est contraria, & difformis,

 Cujus

Cujus Regulæ rationes sunt: Prima, quia tam Catholici asserunt, quàm Acatholici concedunt, in primitiva Ecclesia, & primis quinque sæculis, Ecclesiam à Christo fundatam, & ab Apostolis propagatam, mansisse inviolatam, puram, integram, ac Evangelio, & doctrinæ Apostolorum per omnia inhærentem. Sanctos item Patres primitivæ Ecclesiæ, fuisse scripturæ sacræ observantissimos; ac interpretes ejusdem omni exceptione majores, fidei integerrimæ, conscientiæ purissimæ, vitæ sanctissimæ, intelligentiæ scripturarum sacrarum maximæ. Secunda, quia multi ex his Sanctis Patribus convixêre ijs, qui convixerunt ipsis Sanctis Apostolis, vel saltèm proxima tempora Apostolorum attigerunt. Certum ergo est, hos habuisse majorem notitiam, quo in sensu, quis textus Evangeliorum, vel scriptorum Apostolorum, sit intelligendus; & quo in sensu intellexerunt eum adhuc Antecessores eorum. Tertia, quia ipsimet Acatholici, si vel per umbram, & apparenter aliquam interpretationem horum Sanctorum Patrum, faventem sibi esse putant, illico eandem avidissimè apprehendunt, & ambabus (ut ajunt) manibus amplectuntur. Catholici autem toto animo eorum adhærent interpretationi, adeóque ex utráque parte facilis potest esse in hac parte conventio. Quarta, quia in alijs quóque scientijs omnibus, prudens ratio idipsum dictat, in quibus, si aliqua sit controversia inter altercantes, de vero, & genuino sensu textûs alicujus scientiæ, si ij inter se convenire de illo non possunt, nèque de sua opinione unus alteri credere vult, recurrunt ad magìs versatos in tali scientia, magìs peritos, & talis scientiæ antesignanos; & cujus sensum, & interpretationem, ac explicationem illi approbant, is victoriam de mota quæstione reportat. Quòd si autem pars adversa etiam post horum decisionem, ac declarationem, in suo sensu pertinaciter permaneret, & suam opinionem illorum quóque opinioni præferret, meritò ab omnibus rideretur, & pro fatuo prorsus haberetur.

Juxta igitur hanc Regulam, centum duntaxat scripturæ sacræ textus, qui usitatiùs, vel à Catholicis, contra Acatholicos; vel ab Acatholicis, contra Catholicos, ultrò citróque in Controversijs moderni sæculi citari; & ab utráque parte contrariè planè explicari solent, examinabimus. Sit igitur.



CEN-

CENTURIA X.

Centum Observationes,

Circa totidem, Scripturæ Sacræ Textuum Selectiorum genuinam, & veram Explicationem.

TEXTUS I.

Et peperit Filium suum primogenitum, & pannis eum involvit, & reclinavit in præsepio. Lucæ 2. v. 7.

EXplicatio, sive Interpretatio Catholica. Catholici omnes, sentiunt. Quòd Beatissima Virgo sic pepererit filium suum, ut non solùm ante partum, sed etiam in ipso partu, ac post partum, Virgo intaminata permanserit; & primogenitum hîc vocari Christum, non quòd post illum alios genuerit, sed quòd ante illum neminem genuisset. Sicut Isaias Propheta Cap. 7. v. 14. prædixerat, cùm diceret: non modò quòd Virgo *concipiet*, verùm etiam adderet, *& pariet.* Et Symbolum Apostolicum credendum proponit, Christum Dominum, non solùm de Spiritu Sancto *conceptum*, sed etiam ex MARIA *Virgine* natum.

Interpretatio Acatholica. Novatores hujus temporis, ante partum quidem DEI Matris Virginitatem asserunt; nihil autem se habere dicunt, quod in partu, id credere suadeat, vel etiam post partum.

Interpretatio Sanctorum Patrum primitivæ Ecclesiæ. Origenes homilia 8. in Leviticum, ait: *Beatissimam Virginem non fuisse obligatam ad observationem Legis, & ceremoniarum illarum, quæ præscribebantur circa emundationem mulierum, post partum.* Quia inquit: *Lex illa pertinebat ad mulieres. De MARIA autem dicitur: Quia Virgo concepit, & Virgo peperit.* Et Homil. 1. in diver. *Hæc Virgo Sancta genuit DEUM, sed Virgo permansit; Mater Filij facta est, sed Virginitatem non amisit; genuit infantem, & ut dictum est, Virgo permansit.* Et S. Aug. Tom. 3. de Eccl. Dogmatib. cap. 69. *Integrâ inquit, fide credendum est, B. MARIAM DEI Christi Matrem, & Virginem concepisse, & Virginem genuisse, & post partum Virginem permansisse.* Idem habent Lactantius, Lib. 4 Cap. 13. de vera Sapientia. Sanctus Ambrosius ad Syritium Papam. Tomo, 5. Lib. 1. Epist. 7. & alij Sancti Patres.

TEXTUS II.

Et ecce terræ motus factus est magnus, Angelus enim Domini descendit de Cœlo, & accedens, revolvit lapidem, & sedebat supra eum. Matthæi 28.

C*Atholica Interpretatio.* Catholici tenent, hanc revolutionem lapidis ab Angelo factam fuisse paulò postquàm jam resurrexisset Salvator noster, à mortuis, qui glorioso suo corpore, intacto monumento, è sepulchro prodijt; non ut resurrecturo Christo exitum è sepulchro adaptaret, sed ut mulieribus aditum ad sepulchrum reseraret: & tam ipsis, quàm custodibus, recenti terræ motu excitatis, Christum resurrexisse, ostenderet.

Explicatio Acatholica. Calvinus Institution. Cap. 17. Sect. 29. ait: probabiliùs esse, Christi imperio amotum fuisse lapidem in sui resurrectione, & mox transitu dato corpori Christi, in suum locum redijsse.

Explicatio Sanctorum Patrum, primitivæ Ecclesiæ. Justinus Martyr, quæstione 117 expressè asserit, *Christum è sepulchro prodijsse tunc adhuc, cùm introitus ejus saxo immani intercluderetur: & illud revolutum fuisse ab Angelo, non ut ipse Christus prodiret, silentibus è locis, promptiùs, sed ut illa tumuli vacuitas, & felicissimus ad vitam, gloriámque reditus, ab omnibus agnosceretur.* Idem habet Sanctus Gregorius Nissenus, oratione 2. de Resurrectione. Sanctus Chrysostomus, Homilia 1. Tomo. 2. Sanctus Gregorius Nazianzenus, in Tragœdia, de Christo patiente. Sanctus Hieronymus, Quæst. 6. Tomo 1. Sanctus Augustinus, Sermone de Tempore. 138. & 160.

TEXTUS III.

Cùm ergo serò esset, die illa, una Sabbatorum, fores essent clausæ, ubi erant discipuli congregati, propter metum Judæorum, venit JESUS, & stetit in medio, & dixit eis, Pax vobis. Et post dies octo, iterum erant discipuli ejus intus, & Thomas cum eis, venit JESUS januis clausis, & stetit in medio, & dixit: Pax vobis. Joannis Capite 20. v. 19. & 26.

C*Atholica Explicatio.* Catholici conformiter ad priora tenent, Christum Dominum, penetratione solidi, & jam gloriosi sui corporis, penetrâsse januas, & fores clausas; atque sic se stitisse, in medio suorum discipulorum.

Explicatio Acatholica. Aliqui ex novatoribus ajunt: Ab Angelis fores fuisse patefactas, & sic Christum intrâsse ad Discipulos. Ita Bullingerus; Petrus verò Martyr, altiùs quidem, sed crassiùs ascendit, dicens: Christum per tectum

ctum se insinuâsse, & sic ad discipulos venisse. Alij adhuc magis hallucinando, dixerunt: Christum levi saltu per fenestram se extulisse, & sic insiluisse in cubiculum, in quo erant congregati discipuli ejusdem.

Explicatio Sanctorum Patrum primitivæ Ecclesiæ. Sanctus Augustinus, in hunc locum scribens, inquit: *Moli corporis, ubi divinitas erat, ostia clausa non obstiterunt. Ille quippe ijs non apertis intrare potuit, quô nascente, Virginitas Matris, inviolata permansit.* Et Epistolâ ad Volusianum: *Ipsa virtus per inviolatæ Matris, Virginea viscera, membra infantis eduxit, quæ postea per clausa ostia juvenis traduxit* Et Cyrillus Alexandrinus, Lib. 12. in Joannem, Cap. 53. *Nullus igitur quærat, quomodo januis clausis, corpus Domini penetravit, cùm intelligat, non de homine mero, ut modô nos sumus, sed de Omnipotente Filio DEI, hoc scribi.* Ac tandem Sanctus Hilarius, libro contra Constantinum Augustum: *Integra sunt omnia, & observata, & ecce assistit medius, cui per virtutem universa sunt pervia.*

TEXTUS IV.

Quartâ autem Vigiliâ noctis, venit ad eos (JESUS) ambulans super mare, & videntes eum super mare ambulantem, turbati sunt. Matthæi 14. v. 25. & 26.

C*atholica Explicatio.* Ambulavit Christus super mare verè liquidum, nativi ponderis sui corporis vim cohibendo, ne mergeretur; & efficiendo, ne gravius corpus infra se levius, contra naturam suam descenderet. Et hoc erat unum è patratis à Christo miraculis.

Explicatio Acatholica. Calvinus 4. Institut. Cap. 17. Sect. 29. dicit: A DEO fuisse solidatas maris aquas, & sic Christum in mari ambulâsse. Quod sanè non fuisset majus miraculum, quàm cùm nos per undas conglaciatas incedimus. Et quomodo fuerunt illæ aquæ solidatæ, si Petrus in illis mergebatur?

Explicatio Sanctorum Patrum, primitivæ Ecclesiæ. Sanctus Augustinus, in octava Paschæ, Sermone 3. in Append. 55. Tomo 10. sic scribit: *O homo si rationem à me poscis, non erit mirabile; Si exemplum quæritur, non erit singulare; Credis nempè Dominum Christum, super aquas maris, firmis gressibus ambulâsse? Credis utique.* Et mox confirmat à pari, proximè præcedentis textûs sensu. Dicis utique mihi: si per ostia clausa Christus intravit, ubi est corporis pondus? Et respondet: *Recedant paulisper pondus, & modus; Ille hæc facit, cui nihil impossibile.* Hoc est: si Christus potuit januas clausas penetrare, potuit & super undas ambulare. Et vicissim.

TEXTUS V.

Et aperti ſunt oculi eorum, (duorum ſcilicet diſcipulorum euntium in Emaus) & cognoverunt eum; & ipſe evanuit ex oculis eorum.

C*Atholica Interpretatio.* Catholici, illud *evanuit ex oculis eorum*, ſic explicant: Et factus eſt inviſibilis ante eos. Et ſic habetur etiam in Græco originali textu καὶ αὐτὸς ἄφαντος ἐγένετο αὐτῶν, néque enim aliud propriè ſignificat ἄφαντος, quàm, qui in conſpectum non cadit.

Interpretatio Acatholica. Calvinus, Lib. 4. Inſtitut. Cap. 17. Sect. 29. Chriſtus, ut ſui conſpectum illis, (duobus nempe diſcipulis) auſerret, non ſactus eſt inviſibilis, ſed tantùm diſparuit. Quid dici poteſt magìs contrarium verbo DEI? Ait Sanctus Lucas, ἄφαντος ἐγένετο, inviſibilis factus eſt. Calvinus verò: non eſt factus inviſibilis. Beza verò clariſſimè ſciens vocem ἄφαντος ſignificare idem, ac *inviſibilis*, non eſt auſus id negare, callidè tamen vertit hunc textum ſic: *& ſubduxit ſe ab oculis eorum.*

Interpretatio Sanctorum Patrum, primitivæ Eccleſiæ. Doctiſſimi & antiquiſſimi Interpretes, Græci præſertim, & nominatim Theodorus Heracleenſis, Leontius, Theophylactus, Euthymius, hanc poteſtatem reddendi ſe inviſibilem, etiam in corpore necdum glorificato, Chriſto tribuebant. Dum verba illa Joannis 8. v. 59. interpretantur: *Tulerunt ergo lapides, ut jacerent in eum: JESUS autem abſcondit ſe & exivit de templo.*

TEXTUS VI.

Et cùm faceret iter (Saulus) contigit, ut appropinquaret Damaſco, & ſubitò circumfulſit eum lux, & cadens in terram: audivit dicentem ſibi: Saule, Saule, quid me perſequeris? Qui dixit: Quis es Domine? Et ille: Ego ſum JESUS, quem tu perſequeris. Actorum 9. Capite.

E*Xplicatio Catholica.* Catholici tenent, Chriſtum perſonaliter hìc comparuiſſe, & deſcendiſſe de Cœlo, ita tamen, ut ſimul maneret in Cœlo: adeóque Chriſtum Dominum corporaliter fuiſſe in duobus locis, putà, in Cœlo, & in aëre Saulo vicino. Id quod patet ex v. 17. ejusdem Capitis; ubi Ananias dicit ad Saulum: *Saule frater, Dominus miſit me JESUS, qui apparuit tibi in via.* Et v. 27. *Narravit illis, quomodo in via vidiſſet Dominum.* Quin & ipſe Paulus 1. ad Corinth, 15. v. 8. ait: *Noviſſimè omnium, tanquam abortivo, viſus eſt, & mihi.*

Ex-

Explicatio Acatholica. Sacramentarij, non capientes, quomodo corpus Christi, sive Christus simul possit esse in Cœlo, & simul in Eucharistia; imò in singulis partibus hostiarum consecratarum; mirè se torquent in hujus loci explicatione. Si enim admiserint hoc in præsenti accidisse, quomodo negabunt, id posse esse etiam in Eucharistia? Si verò id in præsenti accidisse negaverint, redarguuntur, clarâ rei gestæ, locô citatô, historiâ.

Explicatio Sanctorum Patrum primitivæ Ecclesiæ. Sanctus Chrysostomus, Tomo 4. Homiliâ 38. in primam ad Corinthios. Sanctum Paulum apertè recognoscit in numero eorum, qui resurrectionis Christi JESU oculati testes fuêre, sed amplectitur quóque veritatem illam fidei, quòd Christus existens in Cœlo, sit etiam præsens in sanctissima Eucharistia. Sic enim Libro 3. de Sacerdotio, sub initium Tomi 5. loquitur: *O miraculum! O DEI benignitatem! Qui cum Patre sursum sedet, in illo ipso temporis articulo, omnium manibus pertractatur, ac seipsum tradit volentibus illum excipere & amplecti.*

TEXTUS VII.

Dixit autem MARIA ad Angelum: Quomodò fiet istud, quoniam virum non cognosco? Lucæ 1. v. 34.

Explicatio Catholica. Communis sensus est Ecclesiæ Catholicæ, Beatissimam Virginem, non dubitando de veritate prædictionis, sed solùm sollicitam de modo, quo id fieri possit, sine aliqua sui voti virginitatis jactura, hanc quæstionem Archangelo Gabrieli proposuisse. Nisi enim voto virginitatis Virgo Beatissima obstricta fuisset, excusatio ejus non foret sufficiens, & convincens. Respondisset enim ei Angelus: Et si jam non cognoscas, poteris tamen cognoscere. Ast jam voto virginitatis probato, eo etiam stante, id posse fieri, docet eandem Angelus.

Explicatio Acatholica. Calvinus, Harmoniâ in Caput 1. Lucæ v. 34. more solito, impiè sic in explicationem horum verborum nugatur: Videtur Sancta Virgo non minùs malignè restringere DEI omnipotentiam, quàm priùs Zacharias v. 18. Quod enim præter communem naturæ ordinem est, impossibile esse colligit. Sic enim raciocinatur: virum non cognosco, quî credam igitur futurum, quod nuncias? Nec verò magnoperè laborandum est, ut eam purgemus ab omni vitio.

Explicatio Sanctorum Patrum, primitivæ Ecclesiæ. Sanctus Ambrosius, in Lucam Cap. 1. Tomo 3. ait: *Non videtur dubitâsse de facto, sed de facti qualitate quæsisse. Et bene quæsivit, quomodo fieret? Legerat enim quòd Virgo conciperet,*

sed non legerat quomodò generaret. Et Sanctus Augustinus, Quæst. 19. in Numer. *Modum, inquit, quæsivit Virgo, non de virtute dubitavit.* Et Lib. 10. Homil. 44. *MARIA, inquirendo dixit, non desperando: Quomodo fiet istud?*

TEXTUS VIII.

Videte, ne condemnetis unum ex his pusillis: Dico enim vobis, quia Angeli eorum, semper vident faciem Patris mei, qui in Cœlis est Matthæi 18. v. 10.

EXplicatio Catholica. Ex hoc textu deducunt Catholici, singulos homines habere suos Angelos Custodes, à primo suæ nativitatis die, qui eos custodiant, excitent, & dirigant, per sanctas inspirationes, in ijs, quæ ad salutem eorum spectant: defendant item, & protegant ab occurrentibus malis, tam corporis, quàm animæ. Juxta illud: Judit 13. v, 20. *Vivit Dominus, quoniam custodivit me Angelus ejus, & hinc euntem, & ibi commorantem.*

Explicatio Acatholica. Genevensia Biblia, textum citatum evertunt, & depravant, cùm simpliciter, & generatim Angelos, non Angelos eorum, vertunt, flagitiosè subticentes illud *eorum*, licèt in Græco textu expresè habeatur ὅτι ἄγγελοι αὐτῶν, id est Angeli eorum, scilicet, pusillorum, quorum fit ibi mentio, & consequenter omnium hominum.

Explicatio Sanctorum Patrum. Verùm Authographè perspectum est & clarum. Sicque legunt omnes Sancti Patres, sicut nos legimus citatum textum. Et de Sanctis Angelis Custodibus, per omnia nobiscum sentiunt, nominatim Sanctus Chrysostomus, illum locum Genesis 48. *Angelus, qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis*, accipit de tutelaribus, seu custodibus Angelis. Homil. 3. in Cap. 1. ad Colossenses. Et Sanctus Hieronymus, in Caput 66. Isaiæ. Similiter illud Psalmi 90. v. 11. *Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus vijs tuis*; à Sancto Cyrillo Alexandrino eodem refertur, Lib. 4. in desertorem Julianum. Neque id unquam in dubium vocatum erat, antiquissimis illis temporibus, Sanctorum Patrum primitivæ Ecclesiæ. Unde Sanctus Hieronymus in hunc locum sic scribit: *Magna est dignitas animarum, ut unaquæque habeat, ab ortu nativitatis, in Custodem sui, Angelum delegatum.*

TEXTUS IX.

Certus sum, quòd velox est depositio tabernaculi mei, secundùm quod & Dominus noster JESUS manifestavit mihi. Dabo autem operam, & frequenter habere vos post obitum meum, ut & horum memoriam faciatis. 2. Petri 1. v. 14. & 15.

Ex-

Explicatio Catholica. Catholici hunc textum sic interpretantur. Certò scio per revelationem, factam mihi à Domino JESU, quòd brevi moriar, & crucifigar. Vox enim ἑκάςοτε hæc omnia significat, quâ utitur hîc Sanctus Petrus. Dabo autem operam, ut frequenter, sive semper, & quotidie, vel sigillatim, habeam vos in mente, & memoriâ, ut pro vobis orem: ut horum monitorum meorum vicissim memoriam, & executionem, ac praxim vos DEUS habere faciat.

Explicatio Acatholica. Moderni Novatores, Sanctos nullam nostri memoriam habere existimant, nec eos pro nobis orare.

Sensus Antiquorum Sanctorum Patrum. Origenes Homil. 3. in Cantica. *Sed, & omnes Sancti, qui de hac vita decesserunt, habentes adhuc Charitatem, erga eos, qui in hoc mundo sunt, si dicantur curam gerere eorum salutis, & juvare eos precibus suis, átque interventu suo apud DEUM, non erit inconveniens. Scriptum námque est in Machabæorum libris ita: Hic est Hieremias, Propheta DEI, qui semper orat pro populo. 2. Machab. 5.* Et Sanctus Basilius in Epistola ad Julianum: *Agnosco, inquit, átque admitto Sanctos Apostolos, Prophetas, Martyres, qui ante DEUM pro me orant, ut eorum gratiâ, & studio, propitius mihi sit, ut noxæ meæ deleantur.*

TEXTUS X.

Cœnantibus autem eis, accepit JESUS panem, & benedixit, ac fregit, dedítque discipulis suis, & ait: Accipite, & comedite: Hoc est corpus meum. Et accipiens Calicem, gratias egit, & dedit illis, dicens: Bibite ex hoc omnes. Hic est enim sanguis meus, novi testamenti, qui pro multis effundetur, in remissionem peccatorum. Matthæi 26. v. 26. 27. 28.

Catholica Explicatio. Ecclesia Catholica, fidem plenam, & synceram habens Christo, nec de veracitate ejus, nec de omnipotentia DEI, ullo modo dubitans, credit firmissimè, & unanimiter docet, in hoc Sacrosancto Sacramento Eucharistiæ, statim, post consecrationem Sacerdotis, Dominum JESUM verè, & substantialiter contineri; seu ejusdem verum, & reale corpus, & sanguinem, & illud ipsum corpus, quod pro nobis est passum, & illum ipsum sanguinem, qui effusus est, in remissionem peccatorum nostrorum, verè, & realiter existere. Et sic explicant verba illa huius textûs: *Hoc est corpus meum, & hic est enim sanguis meus*: Hoc quod continetur sub speciebus, seu accidentibus his, panis, & vini, est corpus meum, & sanguis meus.

Acatholica Explicatio. Non una, sed multiplex prorsus est, hujus clarissimi textûs

textûs Acatholicorum explicatio, una, ab altera magìs distorta, ac una alteri opposita; ita, ut meritò de illis hîc dici queat: Novissimè autem venerunt duo (multi) falsi testes, & non erat conveniens testimonium illorum. Tres tamen sunt celebriores inter illos opiniones: Prima est: *Hoc est corpus meum.* Id est; Hoc est signum corporis mei. Altera, *hoc est corpus meum.* Id est: In hoc pane, cum hoc pane, & sub hoc pane, est corpus meum. Tertia. Hoc est corpus meum, per fidem, sed non re ipsâ, quasi verò fidei divinæ possit subesse falsum? hoc enim non esset aliud, quàm dicere: Ego credo in Eucharistiâ esse corpus Christi, re ipsâ tamen non est.

Explicatio Antiquorum Sanctorum Patrum. Sanctus Cyprianus, de Cœna Domini: *Panis iste, quem Dominus discipulis porrigebat, non effigie, sed naturâ mutatus, omnipotentiâ verbi, factus est caro.* Sanctus Cyrillus Hierosolymitanus Catech. 4. *Olim aquam in vinum mutavit* (Christus) *nunc vinum in sanguinem mutari non credimus?* Et mox, *Non ergo consideres, tanquam panem nudum, & vinum nudum, corpus enim est, & sanguis Christi, secundùm ipsius Domini verba.* Et Sanctus Chrysostomus, Homil. 24. in 1. ad Corinth. *Non possumus verbis ejus* (Christi) *defraudari, sensus verò noster, deceptu facillimus est. Quoniam ergo dixit: Hoc est corpus meum, nullâ teneamur ambiguitate, sed credamus.*

TEXTUS XI.

Ubi duo, vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi sum in medio eorum. Matthæi 18. v. 20. *Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, úsque ad consumationem sæculi.* Matth. 28. v. 20.

C*atholica Explicatio.* Ubi duo, vel tres congregati fuerint in *Nomine* meo, hoc est: Nihil aliud quærentes, quàm me, meámque gloriam, vel invocato meo nomine, vel authoritatem, & personam meam gerentes, ego sum in medio eorum, per meam gratiam, ut eorum preces audiam, illis auxilio adsim, & eos dirigam. Illud autem: Et ego vobiscum sum, sic explicatur: Vobis semper adero, opem ferens, & præsens ero etiam corporaliter semper vobis omnibus diebus, úsque ad consummationem sæculi, in Eucharistia.

Explicatio Acatholica. Soli Lutherani, nec ij omnes, sed illi tantùm, qui *Ubiquitarij* dicuntur, ex citatis textibus inferunt, & sic eosdem interpretantur, Quòd Christus Dominus sit ubique, non solùm secundùm divinitatem, verùm etiam secundùm humanitatem. Verùm si hæc Ubiquitas conveniret Christo Domino, seu ejusdem humanitati, utique conveniret ratione unionis Hypostaticæ, quâ unita est divinitati, quæ ubique est, utpote immensa; adeóque esset

non

non solùm cum Apostolis, & in medio eorum, qui in illius nomine congregantur, sed etiam cum omnibus alijs: & in medio eorũ etiam, qui non congregantur in illius nomine: sicuti & ipsa divinitas, omnibus, & ubíque est præsens. Ergo citatorum textuum est alius sensus.

Sensus Antiquorum Sanctorum Patrum. Non adduco hîc sigillatim Sanctorum Patrum primitivæ Ecclesiæ sensum, propositorum textuum. Quia nulli prorsus eorum occurrit in mentem, hæc Ubiquistarum interpretatio: utpotè contra omnem rectam rationem, etiam in fide fundatam. Nam si humanitas Christi, ratione unionis Hypostaticæ, ubíque esset præsens, non secus, ac divinitas, Christus nunquam natus fuisset, quia antequam fuisset natus, jam fuisset extra uterum Matris; fuisset sepultus, resurrexisset, antequam resurrexisset; & fuisset in sepulchro, etiam post resurrectionem. Nec verò dixisset Angelus: Surrexit, non est hîc: ascendisset etiam in Cœlum, antequam ascendisset; nam ante Ascensionem suam, jam secundùm divinitatem fuit in Cœlo. Omitto plura absurda. Solùm illud S. Aug. Tom. 2. Ep. 56. addo: secundùm hanc formam, (scilicet humanitatem) non est putandus (Christus) ubique diffusus.

TEXTUS XII.

Qui descendit, ipse est, qui ascendit super omnes cælos, ut impleret omnia. Ad Epheseos 4. v. 10.

E*Xplicatio Catholica.* Qui descendit ad infima, ipse idem Christus ascendit ad summa, nempe supra omnes Cœlos, ut impleret omnia suâ majestate, potestate, suâ potentiâ, victoriâ, & triumpho: & ut omne hominum genus spiritualibus donis cumularet. Ut omnia, quæ de ipso scripta erant, per Prophetas, adimpleret: ut omnes regni sui partes visitaret. Nam ut v. 9. hujus capitis habetur: Quòd autem ascendit, quid est, nisi quia & descendit, primùm in inferiores partes terræ; ac dein ex terra, per aërem super omnes Cœlos.

Explicatio Acatholica. Ubiquitarij, superiori convicti argumento, ajunt ex hoc ipso textu: *ut impleret omnia.* Christum post Ascensionem suam incæpisse esse ubique secundùm suam humanitatem.

Explicatio Sanctorum Patrum primitivæ Ecclesiæ. Sanctus Chrysostomus, & Sanctus Hieronymus, volunt dici Christum *suo ascensu implevisse omnia*, id est: omnes figuras, & Prophetas, quæ de hoc ascensu extabant in scripturis. Sanctus verò Ambrosius, Epist. 16. ait: *Christum implevisse omnia*, id est: totam Ecclesiam; imò universum mundum, suâ munificentiâ, nempe omnis generis donis, gratijs, signis, miraculis; item splendore nominis sui?

TEX-

TEXTUS XIII.

Viri Galilæi, quid statis aspicientes in Cœlum: hic JESUS, qui assumptus est à vobis in Cœlum, sic veniet, quemadmodum vidistis euntem eum in Cœlum. Actorum 1. v. 11.

C*Atholica Explicatio.* Catholici sic explicant illud: *Sic veniet, quemadmodum vidistis euntem eum in Cœlum.* Id est: in eadem gloria, & majestate, è Cœlo descendet ad Judicium, quâ nunc in Cœlum evectus est ad triumphum.

Explicatio Acatholica. Calvinistæ, ut pertinaciter tueantur suum errorem, negando realem præsentiam Christi in sacratissima Eucharistia, interpretantur hunc textum: Quòd Christus non sit ampliùs, post Ascensum suum in Cœlos, descensurus in hunc mundum; vel præsens corporaliter futurus nobis, nisi in extremo die judicij.

Explicatio Sanctorum Patrum primitivæ Ecclesiæ. Sanctus Jgnatius Martyr, Epistolâ ad Smyrnenses. Tertullianus de carne Christi, Cap. 24. & de resurrectione carnis 30. eodem modo explicant hunc textum, quò Catholici. Sed & alij omnes Sancti Patres, qui unanimiter docent, Christum Dominum verè, & personaliter, ac realiter esse præsentem in Eucharistiæ Sanctissimo Sacramento. Deinde idem Christus adfuit personaliter præsens, Saulo pergenti Damascum. Et rursus eidem Paulo adstitit, dicens: *Constans esto, sicut enim testificatus es de me in Jerusalem, sic te oportet & Romæ testificari.* Ut habetur Actorum 23. v. 11.

TEXTUS XIV.

Si vis ad vitam ingredi, serva mandata. Matthæi 19. v. 11.

C*Atholica Interpretatio.* Si vis Salvus fieri, serva mandata DEI omnia, ita, ut contra nullum mortaliter, seu lethaliter, seu graviter pecces: quod utique præstare poteris adjuvante DEI gratiâ

Explicatio Acatholica. Calvinus ait, hìc Christum Ironicè fuisse locutum: sed & alij Sectarij hujus temporis communiter dicunt; Mandata DEI servari à nemine posse.

Explicatio Sanctorum Patrum primitivæ Ecclesiæ. Sanctus Athanasius lib. de Virginitate, sic ait: *Servanda timentibus DEUM, præcepta Domini, difficilia non sunt.* Sanctus Hilarius in Psalm. 118. *Latum igitur mandatum DEI est, & in omnia spei nostræ genera diffunditur, ut non difficile sit, si voluntas adsit, Præceptis*

DEI obtemperare. Sanctus Hieronymus in expositione symboli, ad Damasum: *Execramur illorum blasphemiam, qui dicunt impossibile à DEO præceptum esse, & mandata DEI, non à singulis posse servari.* Et in Cap. 5. Matth. *Multi præcepta DEI imbecillitate suâ, non Sanctorum viribus æstimantes, putant esse impossibilia, quæ præcepta sunt; sciendum est, Christum non impossibilia præcepisse.*

TEXTUS XV.

Si quis autem superædificat super fundamentum hoc (quod est Christus JESUS) aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulam; uniuscujusque opus manifestum erit: dies enim Domini declarabit, quia in igne revelabitur, & quale sit, ignis probabit. Si cujus opus manserit, quod superædificavit, mercedem accipiet. Si cujus opus arserit, detrimentum patietur. Ipse autem salvus erit, sic tamen, quasi per ignem. 1. ad Corinth. 3. v. 12. 13. 14. 15.

C*Atholica Interpretatio.* Catholici hunc textum interpretantur, de igne Purgatorij, quòd scilicet is, qui ex hac vita cum levibus culpis discessit; vel pœnas pro remissa majori culpa, necdum plenè exsolvit; expiare debeat eas per ignem purgatorij, & sic salvus erit.

Acatholica Interpretatio. Acatholici, ut ignem purgatorij excutiant, fingunt metaphoricum hunc ignem, nempe tribulationis, vel confusionis, in hac vita, vel in morte, sed insufficienter. Licèt enim per tribulationes etiam expientur in hac vita levia peccata, & pœnæ majorum peccatorum, post eorundem remissionem; sæpe tamen contingit, ut tales, qui necdum expiant sua peccata levia, vel pœnas remissis majoribus peccatis debitas, in hac vita prosperentur, & subitâ morte defungantur. Tales verò non damnabuntur. Quia peccatum grave, quod meretur pœnam inferni, non habent. Sed nec salvantur immediatè. Quia nihil coinquinatum intrabit in Regnum Cœlorum. Ergo priùs in purgatorio igne eas expiare debebunt, & sic salvi fieri.

Interpretatio Sanctorum Patrum, primitivæ Ecclesiæ. Sanctus Augustinus, Serm. 41. de Sanctis: *Illo enim transitorio igne, de quo dixit Apostolus: Ipse autem salvus erit, sic tamen, quasi per ignem: Non capitalia, sed minuta peccata purgantur.* Et ibidem: *Tamdiù in illo igne purgatorio moras habebimus, quàmdiù suprà dicta peccata minuta, tanquam ligna, fœnum, stipulæ, non consumantur.* Et lib. 50. Homiliarum, Homil. 16. *Hæc pœna (Infernalis scilicet) illis manebit, qui amisso & non reparato baptismo, æternùm peribunt. Hi verò qui temporalibus pœnis digna gesserunt, de quibus dicit Apostolus, (si cujus opus arserit, detrimentum patie-*

patietur: ipse autem salvus erit; sic tamen, quasi per ignem) per fluvium ignem transibunt. Quanta fuerit peccati materia, tanta & pertranseundi mora. Et Sanctus Ambrosius, in citatum textum. 1. ad Corinth. 3. *Ostendit salvum illum quidem futurum, sed pœnas ignis passurum: ut per ignem purgatus fiat salvus, & non sicut perfidi æterno igne in perpetuum torquentur.*

TEXTUS XVI.

Quem (scilicet Christum Dominum) DEUS suscitavit, solutis doloribus inferni, juxta quod impossibile erat teneri illum ab eo, David enim dicit in eum: Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem, providens locutus est David de resurrectione Christi, quia néque derelictus est in inferno, néque caro ejus vidit corruptionem. Actorum 2.

I*Nterpretatio Catholica.* Catholici, illud: *Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem*, sic interpretantur: Quòd Christi anima post mortem descenderit ad inferos, ut habet etiam symbolum Apostolorum; non est tamen ea derelicta in inferno, utpote innocentissima, sanctissima, & consequenter, incapax dolorum infernalium: & quòd caro ejus non viderit, hoc est: non subierit ullam corruptionem, sive putrefactionem, vel incinerationem. Atque sic Christus, néque derelictus est in inferno, nec caro ejus vidit corruptionem.

Interpretatio Acatholica. Beza, Calvinum secutus, sic detorquet, & explicando obscurat hunc textum: Non derelinques cadaver meum in sepulchro: animam, in cadaver; infernum, in sepulchrum; perversè pervertendo. Negat enim ipse cum suo Calvino, Christum descendisse ad inferos; & sic hâc interpretatione, tollit re ipsâ hunc Articulum in symbolo Apostolorum: Descendit ad inferos; cùm per illum idem sit, ac sepultus est.

Interpretatio Sanctorum Patrum, primitivæ Ecclesiæ. Sanctus Ambrosius, Serm. 74. de Martyribus, Sanctus Hieronymus, in Psalmum 15. Sanctus Augustinus, Epistolâ 99. Et alij probant. Ex hoc ipso textu, animam Christi, post mortem reverâ ad inferos descendisse. Quos vide in locis citatis.

TEXTUS XVII.

Dominum DEUM tuum adorabis, & illi soli servies. Deuteronom. 6. v. 13. & Matthæi 4.

Catho-

Explicatio Catholica. Catholici hunc textum sic interpretantur. Non adorabis falsos DEOS, sicut gentiles faciunt; sed unum, verum, solum DEUM, cui soli, tanquam vero DEO, divinum cultum exhibebis. Qui sensus Exodi Cap. 20. v. 3. magìs declaratur: *Non habebis DEOS alienos coram me, non adorabis eos, néque coles. Ego sum Dominus DEUS tuus.*

Explicatio Acatholica. Acatholici hunc textum sic detorquent, contra invocationem Sanctorum. Non invocabis Sanctos. Sed ineptè, & falsè, Catholicis impingendo adorationem Sanctorum. Catholici enim non adorant Sanctos, sed tantùm invocant; nec eos colunt, ita uti DEUM, sed tantùm ut DEI amicos, & apud eum pro nobis intercessores.

Sensus Antiquorum Sanctorum Patrum, primitivæ Ecclesiæ. Sancti Patres primitivæ Ecclesiæ, recognoscunt invocationem Sanctorum, non contrariari huic DEI præcepto: *Dominum DEUM tuum adorabis, & illi soli servies.* Nam & ipsimet Sanctos invocabant, & tamen solum DEUM adorabant. Sic Origenes in tractatu, qui inscribitur Threni, sive Planctus. *Incipiam me genibus prosternere, & deprecari universos Sanctos, ut mihi non audenti petere DEUM, propter nimietatem peccatorum, succurrant. O Sancti DEI, vos lacrymis, & fletu pleno deprecor, ut procidatis misericordijs ejus, pro me misero, &c.* Sic & Nectareus Constantinopolitanus, oratione de Sancto Theodoro Martyre, ejusdem Sancti Martyris opem & intercessionem implorat. Et Sanctus Gregorius Nazianzenus, varijs in orationibus, Sanctos illos, quos ijsdem laudat, eorum quóque preces pro se, alÿsque expetit. Omitto alios, quàm plurimos.

TEXTUS XVIII.

Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & tibi dabo claves Regni Cœlorum: & quodcúnque ligaveris super terram, erit ligatum & in Cœlis; & quodcúnque solveris super terram, erit solutum & in Cœlis. Matthæi 16. v. 18. & 19.

Catholicorum Explicatio. Catholici tenent duabus his Metaphoris, promissum esse à Christo, Petro Apostolo, totius Ecclesiæ principatum. Et quidem per *petram*, exprimi Ecclesiæ firmitatem: per *claves* verò, Petro & ejus Successoribus, omnem tam ordinis, quàm jurisdictionis potestatem, necessariam ad regendam, ut oportet Ecclesiam, ejúsque filios deducendos ad vitam æternam, datam esse. Nam quod est fundamentum in ædificio, hoc est in corpore caput, in civitate Rector, in Regno Rex, in domo Paterfamilias, in Ecclesia ejusdem supremus Gubernator. Et per claves, sive clavium traditionem, cla-

clarum est designari, summam, absolutámque authoritatem, & regendi potestatem.

Explicatio Novatorum. Novatores, miris modis depravant hunc textum, nam nec per Petrum intelligi volunt petram; nec Petro claves esse promissas (contra expressum scripturæ textum) concedunt; nec per metaphoras petræ, firmitatem Ecclesiæ; nec per claves, summam potestatem Ecclesiæ significatam esse, sibi persuadere possunt.

Explicatio Sanctorum Patrum. Concilium Chalcedonense, Act. 3. Appellat Petrum Petram, & crepidinem Ecclesiæ Catholicæ. Sanctus Athanasius, in Epistola ad Fælicem, quam scribit suo, & Synodi Alexandrinæ nomine: *Tu es (inquit) Petrus, & super fundamentum tuum, Ecclesiæ columnæ, (id est: Episcopi) sunt confirmatæ.* Sanctus Chrysostomus, Homil. 55. in Matthæum. Dominus ait, (inquit) Tu es Petrus, & ego super te ædificabo Ecclesiam meam. Sanctus Hieronymus, in Caput 16. Matthæi: *Secundùm Metaphoram Petræ, rectè dicitur: ædificabo Ecclesiam meam super te.* Sanctus Augustinus, Sermone 15. de Sanctis. *Petrum itáque fundamentum Ecclesiæ, Dominus nominavit, & ideò dignè fundamentum hoc Ecclesia colit, supra quod Ecclesiastici ædificij altitudo consurgit.*

TEXTUS XIX.

Dicit Simoni Petro JESUS, pasce Agnos meos, & pasce Oves meas. Joannis 21. v. 15. 16. 17.

Explicatio Catholica. Catholici sic interpretantur hæc Christi verba: Pasce, id est: rege ut pastor Agnos & oves, id est fideles, in me credentes, vel credere volentes. Addit Christus *Agnos meos, & Oves meas*, quibus verbis majoris certitudinis causâ repetitis, constituit Christus Petrum, pastorem, caput supremum, & Monarcham spiritualem totius Ecclesiæ suæ, etiam ipsorum Apostolorum cœterorum; eíque soli, ejúsque successoribus, nempe Romanis Pontificibus, tradidit claves *totius*, seu Universalis Ecclesiæ.

Explicatio Acatholicorum. Lutherus, Libro de potestate Papæ, & Calvinus Lib. 4. Instit. Cap. 6. § 7. negat per Oves has intelligi Universam Ecclesiam.

Explicatio Sanctorum Patrum. Theophilactus in caput ultimum Joannis. *Finito (inquit) prandio, præfecturam ovium totius mundi Petro commendabat, non autem alij, sed huic tradidit.* Sanctus Chrysostomus in hunc locum. *Alijs (inquit) omissis, Petrum duntaxat affatur, Fratrum ei curam committens.* Et infrà:

Cùm

Cùm magna Dominus Petro communicâsset, orbis terrarum curam commisisset. Epiphanius, in Ancor: *Hic est (inquit) qui audivit: Pasce oves meas, cui concreditum est ovile. Ovile autem Christi unum est, nempe universi fideles, seu tota Ecclesia.*

TEXTUS XX.

Sanctus Paulus scribens ad Romanos, Capite ultimo, plurimos, qui Romæ degebant, jubet salutari, Petri autem ne quidem meminit. Vide hunc textum citato loco, à v. 1. úsque ad 16.

E*xplicatio Acatholica.* Acatholici, ex hoc textu inferunt, Sanctum Petrum Apostolum, nunquam Romæ fuisse.

Explicatio Catholica, Catholici, constanter, & unanimiter tenent, & Petrum Romæ fuisse, & Ecclesiæ Romanæ, ac universali præfuisse, ac ibidem Martyrio vitam consummâsse. Néque hac de re ullum dubium motum fuit, in universo orbe, per annos mille & quadringentos. Argumentum autem quod Novatores ex hoc textu sumunt, penitus nihil concludit. Nam alioquin sequeretur, Joannem Apostolum non fuisse Episcopum Ephesi, néque Jacobum Hierosolymis. Quia Paulus scribens ad Epheseos, & ad Hebræos, non meminit Joannis, & Jacobi. Deinde Sanctus Paulus non jussit in illa Epistola salutari Sanctum Petrum, quia scripserat eam eo tempore, quò Petrus redierat Româ, & versabatur in Syria. Ut patet ex Chronologia Evangelica.

Veterum Sanctorum Patrum Sententiæ. Eusebius Libro 2. Historiæ, Cap. 14. de Petro loquens: *Salutaris (inquit) prædicationis verbo, primus in Urbe Roma, Evangelij sui clavibus, januam Regni Cœlestis aperuit.* Sanctus Chrysostomus, in Psalm. 48. *Piscator Petrus, quoniam civitatem maximè Regiam* (nempe Romam) *occupavit, etiam post mortem resplendet sole clarius.* Dionysius Corynthius, qui centesimo anno ab obitu Apostolorum floruit, cùm Romæ esset, inter cœtera, de Sanctis Apostolis, Petro, & Paulo sic scribit: *Ambo in hac Urbe, simul docentes, etiam Martyrio pariter, uno eodémque tempore coronati sunt.* Idem clarissimè testantur omnes Sancti Patres veteres, & scriptores: ut *Cajus,* qui circiter 50. Annis Dionysio fuit posterior. *Egesippus,* & ipse vicinus Temporibus Apostolorum. *Eusebius* in Chronico Anni 71. à Christo nato. Origenes, Lib. 3. in Genesim. Sanctus Chrysostomus, Homil. 32. in Epistolam ad Romanos. Tertullianus, de præscriptionibus. Lactantius lib. 4. Divinarum institutionum. Sanctus Ambrosius in oratione, contra Auxentium. Omitto alios innumerabiles.

TEXTUS XXI.

Et tunc revelabitur ille iniquus, quem Dominus JESUS interficiet spiritu oris sui, & destruet eum. 2. ad Thessalon. 2. v. 8.

C*Atholica Explicatio.* Sanctus Paulus Apostolus, citato hoc loco volens Thesalonicenses à vano timore, quasi jam instaret dies Domini, seu extremi judicij, docet eosdem, non priùs venturum Christum ad Judicium, quàm revelatus fuerit homo peccati; seu antequam venerit Anti-Christus, quem, postquam signis mendacibus multos seduxerit, Dominus JESUS interficiet. Antichristum autem non venturum, antequam evertatur plenè Romanum Imperium. Ut habetur Apocalypsis 18. v. 10.

Explicatio Acatholica. Novatores ajunt, Antichristum jam venisse, & hunc esse Romanum Pontificem; sed de tempore adventûs Anti-Christi, inter se discrepant. Alij enim putant, paulò post tempora Apostolorum Anti-Christum apparuisse: alij circa annum 412. Alij circa annum 600, Alij anno 763. Sed omnes ineptè.

Explicatio Sanctorum Patrum. Sancti Patres, tam Græci, quàm Latini, replicant vel hunc textum eodem prorsus modo, quò nos Catholici. Ex quibus S. Cyrillus Catechef. 15. de hoc loco disputans: *Veniet, (inquit) prædictus Anti-Christus, cùm impleta fuerint tempora Romani Imperij.* Sanctus Chrysostomus in hunc locum: *Quando (inquit) è medio sublatum fuerit Imperium Romanum, tunc veniet Anti-Christus.* Similia habet Theophilactus, & Oecumenius; sic & Sanctus Ambrosius, in 2. ad Thessalon. 2. *Post defectum, & abolitionem Romani Regni, venturum dicit Anti-Christum.* Eodem modo hunc textum explicat Sanctus Hieronymus quæstione 11. ad Algasiam, & Sanctus Augustinus, Libro 20. de Civitate DEI. Capite 19.

TEXTUS XXII.

Non facies tibi sculptile, néque omnem similitudinem, quæ est in cœlo desuper, & quæ in terra deorsum, nec eorum, quæ sunt in aquis sub terra, non adorabis ea, néque coles. Exodi 20. v. 4.

C*Atholica Explicatio.* Non facies tibi sculptile, sive (ut septuaginta interpretes habent) Idolum, id est imaginem DEI falsi, vel ficti, vel rei alterius, hoc fine, ut adores illud. Ut clarissimè patet, ex subsequentibus verbis: *Non adorabis ea, néque coles.* Vel ut clariùs in Levitico, Cap. 20. v. 1. *Non facietis vo-*

tis vobis Idolum, & sculptile; nec in signum ponetis lapidem in terra vestra, ut adoretis eum. Cœterùm seclusâ adoratione, & periculo idololatriæ, non vetatur hìc usus imaginum, seu DEI, seu creaturarum, & præsertim Sanctorum, in memoriam eorundem, vel ad excitandam devotionem, imitationem, vel ob alios pios fines. Nam DEUS ipsemet, etiam post hoc præceptum, jussit serpentem æneum fieri; jussit duos Cherubinos etiam in Sancto Sanctorum collocari.

Acatholica Explicatio. Manichæi, Iconoclastæ, Calvinistæ, interpretantur, hoc textu, omnem omnino imaginum usum vetari.

Sanctorum Patrum Sensus. Divus Gregorius Nissenus, in Encomio Sancti Theodoreti, laudans Sanctorum Martyrum gesta depingi, sic concludit: *Solet enim pictura tacens in pariete loqui, maximámque utilitatem adferre.* Tertullianus Lib. 2. adversùs Marcionem, locum hunc explicans, ait: *Proinde & similitudinem vetans fieri, omnium quæ in cœlo, & in terra, & in aquis, ostendit, & causas idololatriæ, scilicet substantiam cohibentis, subijcit enim: Non adorabitis ea, néque servietis eis.* v. 6. Hieronymus, Libro 7. Epist. ita scribit ad Secundinum: *Valde nobis tua postulatio placuit, quia illum toto corde, totâ intentione diligis, cujus imaginem præ oculis habere desideras.* Et paulò post: *Scio quidem, quòd imagines Salvatoris nostri, non ideo petas, ut quasi DEUM colas, sed ut ob recordationem Filij DEI, in cujus amore recalescas, cujus te imaginem videre desideras.*

TEXTUS XXIII.

Quoniam non DEUS volens iniquitatem tu es. Odisti omnes, qui operantur iniquitatem. Psal. 5. v. 5. & 7.

Explicatio Catholica. DEUS, non delectatur, non amat, non vult, ut quis iniquè agat: imò odit omne peccatum, & ratione hujus, etiam eos, qui operantur peccatum, seu iniquitatem.

Acatholica Interpretatio. Calvinus, & ejusdem Sectatores docent, non solùm permittente, sed volente DEO, peccare, & perire impios.

Interpretatio Sanctorum Patrum. Sanctus Augustinus, Tomo 7. contra articulos, articulo 10. sic scribit: *Detestanda, & abominanda opinio est, quæ DEUM cujusquam malæ voluntatis, aut malæ actionis credit auctorem; cujus prædestinatio nunquam extra bonitatem, nunquam extra Justitiam est.* Et Sanctus Chrysostomus, in verba Genes. 2. *Manifestum est, DEUM noluisse Adam peccâsse.*

TEXTUS XXIV.

Si habuero fidem, ita, ut montes transferam, Charitatem autem non habuero, nihil sum. 1. ad Corinthios, cap. 13. v. 2.

INterpretatio Catholica. Si habuero fidem, non solùm Theologicam, sed & illam, per quam fiunt miracula, ita, ut per eam juxta Christi promissum, montes etiam transferam; si tamen Charitatem non habuero, nihil sum, id est: nullius pretij, nullius æstimationis, nullius gratiæ sum in oculis DEI, ac consequenter in rei veritate. Unde Catholici probant, fidem solam sine operibus, non justificare. Conformiter ad illud Jacobi cap. 2. v. 24. *Ex operibus justificatur homo, & non ex fide tantùm.* & v. 14. *Quid proderit, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat, nunquid poterit fides salvare illum?*

Acatholicorum Sensus. Protestantes, & Lutherani dicunt, solâ fide hominem justificari, sine operibus bonis, imò antecedenter ad omnia bona opera. Unde Lutherus in Epistola ad Romanos cap. 3. v. 28. Arbitramur hominem justificari per fidem, fraudulenter addidit, per *solam fidem*, ut excluderet bona opera, tanquam ad justitiam non necessaria.

Sensus Sanctorum Patrum. Origenes Cap. 2. ad Romanos, ex sacra scriptura deducens, nec fidem solam sufficere ad justificationem, & salutem, sine operibus; nec sola opera sine fide, subjungit: *Vides ergo ubique fidem cum operibus jungi, & opera cum fide sociari.* Sanctus Ambrosius, in Caput 4. ad Hebræos: *Magna quidem res est fides, & salutaris, & sine hac salvari impossibile (est), sicut dictum est: sine fide impossibile est placere DEO.* Ad Hebr. 11. *Sed sola fides non sufficit; operari per dilectionem fidem necesse est, & conversari dignè DEO.* Et lib. 2. Officio. cap. 2. *Habet ergo vitam æternam fides, quia fundamentum est bonum: habent & bona facta, quia vir justus, & dictis, & rebus probatur.*

TEXTUS XXV.

Fides tua, te salvam fecit. Lucæ 7. v. 50.

EXplicatio Catholica. Fides tua, cum amore, & detestatione peccatorum conjuncta, te salvam fecit. Ut patet ex v. 47. *Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multùm.*

Acatholica Explicatio. Novatores, ex hoc textu probare nituntur, solam fidem sufficere ad salutem.

Sensus Sanctorum Patrum. Sanctus Hieronymus in hunc locum. *Apertè enim in hoc loco demonstratum est, mulierem istam habuisse fidem, per charitatem operatam, quæ multùm valuerit in Christo.* Unde Sanctus Augustinus, Sermone 16. de verbis Apostoli: *A fide incipit homo; sed quia & dæmones credunt, necesse est addere spem, & charitatem,*

TEX-

TEXTUS XXVI.

Nescit homo, utrùm odio, an amore dignus sit, sed omnia in futurum servantur incerta. Eccles. 9. v. 1.

INterpretatio Catholica. Nescit homo, utrùm odio, vel amore dignus sit, nempè scientiâ certâ, & infallibili, & quæ excludat omnem omnino formidinem in oppositum. Nam talis non habetur in hac vita, sine speciali DEI revelatione, ut definivit Concilium Tridentinum, Session. 16. Cap. 9. & 16. *Dico* certitudine certâ, & infallibili, nam & certitudinem moralem, & spem firmam, ac fiduciam, quæ omnem anxietatem excludat, potest quis justus, & fidelis de sua salute habere.

Explicatio Acatholica. Acatholici hujus temporis prorsus stolidâ persuasione credere se dicunt, fide divinâ se justos esse, & de salute consequenda certissimos, hoc ipso: quòd credant in DEUM, & JESUM Christum.

Sensus Sanctorum Patrum. Sanctus Augustinus, Sermone 35. de verbis Domini: *Quamdiù (inquit) hîc vivimus, de nobis ipsis, nos ipsi judicare non possumus, non dico, quid cras, erimus, sed quid hodie sumus.* Idem docent Sancti Chrysostomus, & Ambrosius, ac Sanctus Hieronymus, & rectè. Nam in fine demum hominis denudatio fiet operum ejus. Eccl. 11.

TEXTUS XXVII.

Itáque fratres state, & tenete traditiones, quas didicistis, sive per sermonem, sive per Epistolam nostram. 2. ad Thessalon. 2. v. 14.

CAtholica Interpretatio. Itáque state in fide, & vocatione vestra constantes; & firmiter tenete traditiones, id est, doctrinam, & instituta religionis Christianæ, quæ à me, cœterisque Apostolis Christi didicistis, sive per vivum sermonem, sive per scriptam Epistolam.

Acatholica Explicatio. Acatholici hujus temporis, rejiciunt omnes omnino traditiones, etiam eas, quas dicimus Apostolicas: nihil aliud se credere, aut velle tenere jactantes, quàm quod expresè in verbo DEI scripto continetur.

Sanctorum Patrum Sensus. Sanctus Augustinus lib. 2. de Baptismo, Cap. 7. Sic scribit: *Multa non inveniuntur in literis Apostolorum, nec in Concilijs, tamen quia custodiuntur per totam Ecclesiam, non nisi ab ipsis (Apostolis) tradita creduntur.* Et Sanctus Chrysostomus, in hunc locum: *Non omnia per Epistolas tradi-*

dit Apostolus, sed multa etiam sine literis. Eadem verò fide digna sunt, tam ista, quàm illa. Sanctus Dionysius Areopag. qui ipsis Apostolis convixit, libro de Ecclesf. Hierarchia inquit: *Primi illi nostri sacerdotalis muneris duces* (Apostoli) *in ijs quæ nobis sunt familiaria, summa illa, & supersubstantialiter* (*pertinentia ad fidem*) *partim scriptis, partim non scriptis institutionibus, nobis tradiderunt.* Et Sanctus Basilius de Spiritu Sancto Cap. 27. *Ecclesiasticarum institutionum, quasdam in scriptis, quasdam in Apostolica traditione, per successores in ministerio, confirmatas accepimus.*

TEXTUS XXVIII.

Hoc facite in meam commemorationem. Lucæ 22. v. 19.

C*Atholica Explicatio.* Hoc facite, hoc est: hoc corpus meum, & sanguinem meum offerte in Sacrificium DEO Patri, in meam commemorationem, hoc est: in memoriam, tum aliorum Mysteriorum, vitæ meæ, & beneficiorum, vobis per me præstitorum; tum maximè Passionis, & mortis meæ, redemptionisque totius generis humani, per illam partæ. Atque ex hoc docent Catholici, in Missa offerri DEO, verum sacrificium, à Christo Domino institutum.

Acatholica Explicatio. Novatores, non agnoscunt aliud Sacrificium in nova lege, quàm illud cruentum, quo Christus Dominus semetipsum pro peccatis nostris, æterno Patri offerendo, in ara crucis obtulit.

Sensus Sanctorum Patrum. Sanctus Augustinus, in Psalmum 33. sic ait: *Ipse* (*scilicet Christus*) *de corpore suo, & sanguine Sacrificium instituit, secundùm ordinem Melchisedech.* Atqui hostiæ Melchisedech erant incruentæ. Ergo, idem Epist. 23. ait: *Christus semel in carne immolatus, omni die in Sacramento immolatur.* Et lib. 4. de Trinitate, Capite 14. *Quid gratius offerri, aut suscipi potest, quàm caro Sacrificij nostri, corpus effectum Sacerdotis nostri.* Et Sanctus Ambrosius, in Caput 11. Lucæ, sic: *Cùm sacrificamus, Christus adest, Christus immolatur.*

TEXTUS XX IX.

Quæcúnque solveritis super terram, erunt soluta & in cælo, Matthæi 18. v. 18.
Item. Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis. Joannis 20. v. 22.

E*Xplicatio Catholica.* Vobis Apostolis, & vestris Successoribus, ac Sacerdotibus, veris, ac legitimè ordinatis, do potestatem remittendi peccata, ut quo-

ut quorum pœnitentium, confessione cognitâ, remiseritis peccata, remittantur eis etiam à DEO. Quorum verò retinueritis, id est, quos judicaveritis indignos remissione peccatorum, nempe propter suam indispositionem, eorum peccata, non remittantur etiam à DEO.

Acatholica Explicatio. Acatholici Pastores, & Ministelli hujus temporis, non audent sibi attribuere hanc potestatem, & quò ad hanc partem quidem, rectè, nam non sunt legitimè ordinati Sacerdotes, unde nec præsumunt dicere pœnitenti, *absolvo te à peccatis tuis*, quod est idem, ac: remitto tibi in ea potestate, quam accepi à Christo, peccata tua. Sed solùm: *Annuntio tibi remissionem peccatorum.* Sed in hoc malè, quòd hanc potestatem denegant veris, ac legitimè ordinatis Sacerdotibus, ac jurisdictionem hanc, ab Episcopis habentibus.

Sensus Sanctorum Patrum. Sanctus Cyprianus, in Epistola 75. *Potestas ergo remittendorum peccatorum Apostolis data, & Ecclesijs, quas illi à Christo missi constituerunt. Et Episcopis, qui eis ordinatione vicariâ successerunt.* Et consequenter, & ijs Sacerdotibus, qui hanc potestatem, per legitimam ordinationem, ac datam jurisdictionem ab illis acceperunt. Verùm hæc veritas patebit magis in subsequenti numero.

TEXTUS XXX.

Confitemini ergo alterutrum peccata vestra. Jacob 5. v. 16. *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est, & justus, ut remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate nostra.* 1. Joan. 1. v. 9. *Multi credentium veniebant confitentes, & annunciantes actus suos.* Actorum 19. v. 18.

C*atholica Explicatio.* Confitemini peccata vestra, unus alteri, homines hominibus, nempe talibus, quibus tanquam proprijs ministris, cura, & potestas absolvendi à peccatis demandata est. Hoc est: Sacerdotibus. Si confiteamur peccata nostra, hoc est, si per sacramentalem confessionem, enarremus Sacerdoti peccata nostra gravia, quò ad speciem, & numerũ, cum serio dolore de illis commissis, ac firmo proposito, ea de cœterò non committendi; fidelis, & justus est DEUS, ut sic confitentibus, ac pœnitentibus nobis, peccata nostra remittat. Item, multi credentium, id est, Christianorum, veniebant ad Paulum, ejúsque socios Silam, ac Timotheum, confitentes, & annunciantes actus suos, seu peccata sua, & offensas suas (ut habet Syrus textus) per secretam, & particularem confessionem, quæ fit in Sacramento Pœnitentiæ.

Explicatio Acatholica. Acatholici citatos textus explicant, de confessione soli DEO facienda, vel Sacerdoti etiam, sed in genere, fatendo, nos esse pecca-

tores. Et quidem Genuenses, cùm ex citato Jacobi textu: Confitemini alterutrum peccata vestra, adverterent clarè probari confessionem peccatorum, non soli DEO faciendam, sed & Sacerdotibus; in secunda editione suorum Bibliorum, Anni 1605. hôc modô eundem perverterunt. Si confiteamini peccata vestra, erga invicem.

Explicatio Sanctorum Patrum. Origenes Homiliâ 2. in Levit docet: *Est adhuc, licèt dura, & laboriosa, per pœnitentiam remissio peccatorum, cùm non erubuerit peccator Sacerdoti Domini, indicare peccatum suum.* Sanctus Basilius, Reg. 228. *Necessariò peccata his aperiri debent, quibus credita est dispensatio mysteriorum Christi.* Sanctus Augustinus, libro 2. de visitatione infirmorum: *Ergo ad te venire roges Sacerdotem, & fac ipsum conscientiarum tuarum, penitus participem.*

TEXTUS XXXI.

Et factum est, dum recumberet cum eis, accepit panem, & benedixit, ac fregit, & porrigebat illis. Lucæ 24. v. 30.

Catholica Interpretatio. Catholici censent, Christum hìc consecrâsse panem, & discipulis suis sacratissimam Eucharistiam porrexisse. Eodem siquidem modo loquitur hìc sanctus Lucas, quo tam ipse, quàm reliqui Evangelistæ loquuntur, dum agunt de Eucharistia; adeóque deducunt, in Ecclesia semper fuisse, licitum, usum Eucharistiæ sub una specie.

Explicatio Acatholica. Acatholici dicunt fuisse hanc communem cœnam, & vulgarem fractionem panis.

Sanctorum Patrum Explicatio. Sanctus Augustinus, Libro 3. de consensu Evangelistarum, Chrysostomus, Theophilactus, interpretantur hunc textum, similiter ac Catholici, de sacrosancta Eucharistia.

TEXTUS XXXII.

Actorum 20. v. 42. *Dicuntur primi fideles perseverâsse in doctrina Apostolorum, & communione fractionis panis, (nullâ factâ mentione alterius speciei.)*

Catholica Explicatio. Catholici, ex hoc textu pariter deducunt, fideles hos primos, Eucharistiam sumpsisse sæpiùs, sub una tantùm specie: per communionem enim & fractionem panis, in novo testamento, intelligitur Eucharistiæ sumptio. Juxta illud Sancti Pauli, 1. ad Corinth. 10. v. 16. *Panem quem frangimus, nonne participatio Corporis Domini est?*

Aca-

Acatholica Explicatio. Hunc quóque textum Acatholici, pro communis panis fractione, & comestione accipiunt.

Explicatio Sanctorum Patrum. Oecumenius, & alij Sancti Patres, citatum textum, eodem modo, ac Catholici explicant, & per communionem, & fractionem panis, sumptionem Eucharistiæ intelligunt.

TEXTUS XXXIII.

Unâ Sabatorum, cùm convenissemus ad frangendum panem, Actorum 20. v. 7. Item. *Ascendens autem Paulus, frangénsque panem, & gustans, satisque allocutus úsque ad lucem, sic profectus est.* Ibidem v. 11.

Explicatio Catholica. Catholici conformiter ad præcedentes textus per fractionem panis, Eucharistiæ sumptionem intelligunt, indéque deducunt, statim ab initio Ecclesiæ, frequenter fuisse usum Eucharistiæ, inter fideles, sub una, nec semper sub utráque specie.

Acatholica Explicatio. Etiam ex Acatholicis aliqui (ut Calvinus, Bullingerus, & Beza) explicant hos textus de Eucharistia; plerique tamen, vulgarem comestionem etiam hìc per fractionem panis intelligunt: omnes verò negant, sub una specie tantùm fuisse aliquando usum communionis, in primitiva Ecclesia.

Explicatio & Testimonium Sanctorum Patrum. Sanctus Augustinus, Epist. 86. interpretatur, & clarè docet, in his textibus, fractionem panis sumi pro Eucharistia. Quod verò fuerit in primitiva quóque Ecclesia, usus communionis, etiam sub una specie. Docet Paulinus in vita Sancti Ambrosij, quem ante obitum sub una tantùm specie sumpsisse Eucharistiam testatur. Docet Eusebius Lib. 6. Hist. cap. 36. unius speciei usum fuisse apud infirmos. Idem docet, & testatur Felix III. Epist. 1. Cap. 2. qui vixit Anno Domini 492. Item Syricius Papa Felice antiquior annis centum, Epist. 1. Cap. 11. Docet Sanctus Cyprianus Sermone de lapsis, asservatam olim Eucharistiam sub una specie, in usum infirmorum, & aliò abeuntium. Docet Sanctus Augustinus, libro 3. de consensu Evangelistarum, Cap. 25.

TEXTUS XXXIV.

Unus Dominus, una Fides, unum Baptisma. Eph. 4. v. 5.

Catholica Explicatio. Una salvifica est fides, nempe Catholica, & Apostolica, (non secùs, ac unus est Dominus, sive unus DEUS tantùm) extra quam

quam non datur ſalus æterna. Unde plura illa, quæ hodie coluntur fidei genera, à vera, Apoſtolica, & Catholica fide diverſa, non ſunt ſufficientia ad ſalutem æternam conſequendam, cùm ſine vera fide, impoſſibile ſit placere DEO; adeóque, & ſalvum fieri.

Acatholica Explicatio. Polytici, Calvinus, & Deiſtæ, ſive novi Ariani, docent, quemcúnque in ſua fide ſalvari poſſe; & ſufficere ad unitatem fidei, ſi quis confiteatur Chriſtum, & in eum credat.

Sanctorum Patrum Interpretatio. Sanctus Auguſtinus Epiſt. 50. ad Boniſacium Comitem. *Extra hoc corpus (nempe Eccleſiam) neminem vivificat Spiritus Sanctus, quisquis ergo,* ait idem, Epiſt. 152. ad Donatum, *à Catholica Eccleſia fuerit ſeparatus, quantumlibet ſe laudabiliter vivere exiſtimet, hoc ſolo ſcelere, quòd à Chriſtianitate disjunctus eſt, non habebit vitam, ſed ira DEI manet ſuper eum.*

TEXTUS XXXV.

Quicúnque totam legem ſervaverit, offendat autem in uno, factus eſt omnium reus. Jacob. 2. v. 10.

CAtholica Explicatio. Catholici hunc textum explicant, & in ordine ad obſervationem legis, & in ordine ad fidem, hoc ſenſu. Quòd qui non credit, vel unicum articulum fidei, & ſi teneat reliquos omnes, nullum tamen omnium credat, ut *oportet*, fide divinâ ſupernaturali, ſed ſolùm naturali humanâ: nam fidem divinam omnino amiſit, eò ipsô, quòd illi uni articulo credere noluit.

Acatholica Explicatio. Anabaptiſtæ, novi Ariani, Lutherani, Calviniſtæ, horrendè ab invicem in multis articulis fidei, inter ſe diffident, uti rurſus ipſimet Lutherani inter ſe, & Calviniſtæ inter ſe; ajunt tamen has diverſitates opinionum, non obſtare unitati fidei, modò in ſubſtantialibus conveniant: quæ autem illa ſint ſubſtantialia, altô ſilentiô ſubticent.

Sanctorum Patrum Explicatio. Sancti Patres, & Concilia Oecumenica, eos Hæreticos damnabant, & ab Eccleſia excludebant, qui vel in unico articulo ab Eccleſia diſſentiebant. Nam ut Irenæus lib. 4. Cap. 69. in fine habet: *Nos (Catholici) de ijsdem rebus, ſemper eadem dicimus, conſonanter, & ſimiliter credimus, quaſi unum habentes cor, & unum os.* Et Tertullianus, de præſcriptionibus Cap. 6. *Hæreſis dicta Græcâ voce, ex interpretatione electionis, quâ quis ſive ad inſtituendas, ſive ad ſuſcipiendas eas utitur. Nobis verò nihil ex noſtro arbitrio inducere licet, ſed nec eligere, quod aliquis ex ſuo arbitrio induxit.* Et certè Sanctus Paulus, ad Timoth. 4. v. 3. Hæreticos accuſat eos, qui tantùm nubere prohibent,

bent, vel jubent à certis cibis, (tanquam immundis) abſtinere. Et 2. ad eundem 2. v. 17. & 18. Hymenæum, & Philetum Hæreſeos damnat, non aliam ob cauſam, quàm quòd dicerent: Reſurrectionem jam factam eſſe. Et ad Galatas 5. v. 2. Si circumcidimini *ait*, Chriſtus vobis nihil proderit: Nempe ob novum fidei adjectum articulum.

TEXTUS XXXVI.

Eccleſia DEI columna eſt, & Firmamentum veritatis. 1. Ad Timoth. 3. v. 15.

E*Xplicatio Catholica.* Eccleſia DEI vivi, ita eſt fundata à Chriſto, ut in fide errare non poſſit. Columna enim veritatis, nullum fulcit errorem; nec firmamentum veritatis, firmat ſalſitatem.

Acatholica Explicatio. Calvinus ridiculè hunc textum explicat, dum ait: Eccleſiam DEI, ideo hòc locò dici columnam, & firmamentum veritatis, quia conſervat ſacram ſcripturam, quæ errare non poteſt. Nam pari jure id quadraret in omnes Bibliothecas. Neque aſſervare ſcripturam, eſt columnæ, & firmamenti; ſed capſarum, vel thecarum.

Interpretatio Sanctorum Patrum. Sanctus Cyprianus Martyr, de unitate Eccleſiæ, num. 20. *Adulterari non poteſt Sponſa Chriſti, incorrupta eſt, & pudica, unam domum novit; unius cubiculi ſanctitatem, caſto pudore cuſtodit.* Et Sanctus Auguſtinus, Epiſt. 118. aſſerit. *Id, quod Eccleſia facit, decernit, ſtatuit, nullâ ratione in quæſtionem, ac diſputationem, ſeu diſceptationem, vocari debere.* Et lib. 1. contra Creſconium, ſic ait: *Scripturarum à nobis tenetur veritas, cùm id facimus, quod univerſæ placuit Eccleſiæ.*

TEXTUS XXXVII.

Dic Eccleſiæ: Si autem non audierit Eccleſiam, ſit tibi ſicut Ethnicus, & Publicanus. Matthæi 18. v. 17.

E*Xplicatio Catholica.* Ex hoc textu deducunt Catholici, Eccleſiam DEI ſemper eſſe, & fuiſſe viſibilem. Nam quid dicere poſſemus, ignotæ, inviſibili, & irreperibili Eccleſiæ? vel quomodo ad eam recurrere? aut quis ſicut Ethnicus, & Publicanus cenſendus eſſet, ex eô, quòd ignotam, & inviſibilem Eccleſiam audire nollet?

Explicatio Acatholica. Novatores hujus temporis, cùm abſolutè oſtendere non poſſint, ubi nam, & quo tempore fuerit Eccleſia eorum, ante Lutherum, & Calvi-

Calvinum, delirando dicunt, eam ſemper quidem fuiſſe à temporibus Apoſtolorum, ſed inviſibilem, & ſoli DEO cognitam. Quod quivis Hæreſiarcha poterit dicere, ſed non probare, de ſua ſecta.

Explicatio Sanctorum Patrum. Sanctus Auguſtinus contra Petilian. lib. 2. Cap. 23. Sic hunc textum explicat. *Hinc fit, ut Eccleſia vera neminem lateat: Unde illud, quod in Evangelio ipſe dicit: Non poteſt civitas abſcondi ſupra montem poſita,* Matthæi 5. Et Pſalmo 47. *Hæc eſt lucerna, quæ ſub modio non occultatur.* Matthæi 5. *Omnibus nota eſt, omnibus diſtenta.* Et in Epiſt. Joannis, Tractatu 2. *Quid amplius dicturus ſum, quàm cæcos, qui tam magnum montem non vident; & qui contra lucernam, in candelabro poſitam, oculos claudunt.* Matth. 5.

TEXTUS XXXVIII.

Deſidero enim videre vos, & ſimul conſolari in vobis, per eam, quæ invicem eſt, fidem veſtram, átque meam. Ad Romanos 5. v. 11. 12.

C*Atholica Explicatio.* Catholici clarè ex hoc textu oſtendunt, fidem Romanorum fuiſſe eandē cum fide Sancti Pauli, & reliquorum Apoſtolorum. Unde Romana Eccleſia, Romana Religio, Romana Fides idem erat, quod Catholica Fides, Religio, Eccleſia: Et Romanus idem, quod Catholicus, ut fusè demonſtrat Bellarminus.

Explicatio Acatholica. Novatores, & ipſi affectant vocari, & dici Catholici, néque tamen præſumunt negare fidem Romanam, eſſe fidem Catholicam, ſed cum addito Romano-Catholicam, ignorantes vel ipſum nomen Catholici. Catholicus enim Græcè, Latinè idem eſt, ac Univerſalis; & Fides Catholica, idem, ac Fides Univerſalis, hoc eſt: quæ per univerſum orbem eſt ſparſſa. Et ut explicat Sanctus Auguſtinus: *Fides quæ ſemper, & ubique fuit.* Certum autem eſt, Novatorum horum Sectas, nec ſemper fuiſſe, nec ubique eſſe; ſunt enim ſolùm in aliquibus angulis Europæ, nec erant ante unum; vel alterum ſæculum.

Sanctorum Patrum Interpretatio. Sanctus Auguſtinus contra Petilianum, ſic ſcribit: *Cathedra tibi quid fecit Romanæ Eccleſiæ, in qua ſedit Petrus, in qua nunc ſedet Anaſtaſius, quibus nos in Catholica unione connectimur, à qua vos nefariè ſeparâſtis.* Et Libro 1. de Symbolo Capite 6. Sic loquitur de Romana Eccleſia: *Ipſa eſt Eccleſia Sancta, Eccleſia una, Eccleſia vera, Eccleſia Catholica, contra omnes Hæreſes pugnans.* Et Sanctus Ambroſius, oratione de Satyro fratre: *Rogavit, ſi cum Epiſcopis Catholicis, id eſt: cum Eccleſia Romana conſentiret.* Idem Lib. 3. de Sacramentis, ait: *In omnibus ſequi cupio Eccleſiam Romanam.*

TEX-

TEXTUS XXXIX.

Fides vestra annunciatur in universo mundo. Ad Romanos Capite 1. v. 8.

E*Xplicatio Catholica.* Fides vestra (ô Romani) tanta, tam celebris, & illustris est, ut fama ejus universum orbem pervagetur, hoc est: Fides vestra est Christi, & ovilis, seu fidelium orthodoxorum, ejus, qui sunt jam toto orbe dispersi. Fundata proinde fuit Ecclesia Romana, ab ipsis Apostolis, ideóque meritò dicitur, non solùm Catholica, sed & Apostolica.

Explicatio Acatholica. Novatores moderni fatentur quidem Ecclesiam Romanam fuisse, fundatam ab ipsis Apostolis, sed postmodùm à doctrina Apostolica defecisse: sed nec tempus defectionis hujus, nec locum, nec punctum doctrinæ, assignare queunt.

Sensus Sanctorum Patrum. Sanctus Augustinus Epistolâ 163. dicit: *In Romana Ecclesia, semper Apostolicæ Cathedræ viguit Principatus.* Et Libro de utilitate credendi. Cap. 17. *Dubitabimus, nos illius Ecclesiæ condere gremio, quæ ab Apostolica sede, per Successiones Episcoporum, frustra Hæreticis circumlatrantibus, culmen authoritatis obtinuit?* Et Divus Hieronymus, (in extremo dialogi adversùs Lucifer:) de Romana Ecclesia, sic loquitur: *Brevem, apertámque animi mei sententiam proferam: In illa Ecclesia esse permanendum, quæ ab Apostolis fundata, úsque in diem hunc durat.*

TEXTUS XL.

Visum est Spiritui Sancto, & nobis. Actor. 15. v. 28.

C*Atholica Interpretatio.* Visum est Spiritui Sancto, qui Concilijs legitimis, infallibiliter adest, sic ea divinâ providentiâ suâ dirigens, ut definiendo non errent; & *nobis* ab eodem Spiritu Sancto directis. Unde inferunt Catholici, Definitionibus Conciliorum Generalium, cum capite suo visibili, indubitanter standum esse.

Sensus Acatholicorum. Novatores, Concilia Generalia rejiciunt, ajúntque, ea errare posse, etiam in rebus fidei definiendis, & sæpiùs errâsse.

Sensus Sanctorum Patrum. Sanctus Augustinus, Epist. 118. sic scribit: *Dantur intelligi, (ea maximè quæ ad fidem spectant) vel ab ipsis Apostolis, vel plenarijs Concilijs, quorum est in Ecclesia saluberrima authoritas.* Et Sanctus Ambrosius, Epistolâ 22. *Sequor tractatum Niceni Concilij, à quo me nec mors, nec gladius poterit separare.* Ac Sanctus Gregorius Magnus, Lib. 1. Epist. 24. Sic: *Si quis*

quis quatuor Synodos, Evangelijs non exæquat, anathema sit. Intelligens: Concilium Nicænum, Ephesinum, Chalcedonense, Constantinopolitanum.

TEXTUS XLI.

Amen, amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit, ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest intrare in Regnum DEI. Joannis 3. v. 5.

C*Atholica Explicatio.* Nisi quis, etiam parvulus, nec adhuc capax rationis, renatus fuerit, (re ipsâ, vel saltèm voto, seu desiderio, si sit capax rationis) ex aqua naturali, quasi Matre; & Spiritu Sancto, quasi Patre; non potest intrare in Regnum DEI: sive sine Baptismo, non salvatur.

Explicatio Acatholica. Calvinus, per aquam, vult intelligi Dona Spiritûs Sancti, & negat hîc agi de Baptismo, ne cogatur concedere, Baptismum habere vim justificandi, & etiam infantibus necessarium esse ad salutem.

Explicatio Sanctorum Patrum. Sanctus Chrysostomus, Euthymius, Ammonius, explicant hunc textum, eodem modo, quo Catholici. Addit Sanctus Augustinus, Epistolâ 20. *Quisquis dixerit, quòd in Christo vivificabuntur etiam parvuli, qui sine Sacramenti ejus participatione, de vita exeunt, hic profectò & contra Apostolicam prædicationem venit, & totam condemnat Ecclesiam primitivam.*

TEXTUS XLII.

Tunc imponebant (Apostoli) manus supra illos, & accipiebant Spiritum Sanctum. Actorum 8. v. 17.

C*Atholica Explicatio.* Imponebant manus supra illos, ungendo simul illos Chrismate, id est: Balsamo & Oleo simul mixtis, & ab Episcopo consecratis. Atque sic ijsdem Sacramentum confirmationis conferebant.

Acatholica Explicatio. Novatores dicunt, hîc per Impositionem non intelligi confirmationis Sacramentum, sed neque fuisse hoc Sacramentum temporibus Apostolorum, aut in primitiva Ecclesia.

Sensus Sanctorum Patrum. Sanctus Augustinus contra Petilianum. Cap. 104. sic scribit: *Sacramentum Chrismatis, in genere visibilium signaculorum, sacrosanctum est, sicut & Baptismus.* Sanctus Dionysius Areopagita, Cœlestis Hierarchiæ, parte 2. sic: *Baptizatum, ad Pontificem deducunt, ille divino, & deifico prorsus unguento virum signat.* Et Cap. 4. parte 3. *Adventum Spiritûs Sancti, consummatis, unguenti inunctio elargitur.* Idem docent, & alij veteres Sancti Patres.

TEX-

TEXTUS XLIII.

Infirmatur quis ex vobis, inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo, in nomine Domini. Et oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & si in peccatis sit, remittentur ei. Jacob. 5. v. 14. 15.

C*Atholicorum Explicatio.* Catholici docent, hoc textu, agi de Sacramento Extremæ Unctionis, nam & minister hujus Sacramenti, in eo exprimitur, qui est Sacerdos, seu Presbyter; & subjectum, quod est, graviter ægrotans; Et materia, quæ est unctio olei; & forma, quæ est deprecatio; & effectus, qui est, remissio peccati.

Acatholica Explicatio. Novatores explicant hunc textum, de simplici unctione olei, & per Presbyteros, Seniores loci illius, in quo quis infirmatur, volunt intelligi. Superaddit huic rudi, & perversæ interpretationi Calvinus splendidum mendacium, dum ait, vel rectiùs fingit: Non Christum, sed Innocentium Papam primùm instituisse hoc Sacramentum.

Explicatio Sanctorum Patrum. Sancti Patres unanimiter explicant hunc textum, de Sacramento extremæ unctionis, quos vide apud Bellarminum, Svarez, & Valentiam. Non possum tamen hîc omittere Sanctum Augustinum, qui Sermone 215. sic habet: *Quoties infirmitas supervenerit, Corpus, & Sanguinem Christi, qui ægrotat accipiat, ac deinde corpus suum ungat* (ungi curet per Sacerdotem) *ut illud, quod scriptum est impleatur*: Infirmatur quis? *inducat presbyteros, & orent pro eo, ungentes eum oleo,* &c. Idem libro 2. de Visitatione Infirmorum: *Ergo roges (inquit) de te, & pro te fieri, sicut dixit Jacobus Apostolus, imò per Apostolum suum Dominus: Ipsa videlicet sacri olei delibatio, intelligitur Spiritûs Sancti typica unctio.*

TEXTUS XLIV.

Hujus gratiâ reliqui te Cretæ, ut constituas per Civitates Presbyteros, sicut & ego disposui tibi. Ad Titum, Capite 1. v. 5.

C*Atholica Explicatio.* Hunc in finem reliqui te in Insula Creta Episcopum, imò Archi-Episcopum, ut per singulas Civitates κατὰ πόλιν oppidatim constituas Presbyteros, in majoribus Episcopos; in minoribus Sacerdotes Parochos ejusmodi, cujusmodi debere esse eos, aliàs tibi præscripsi. Ex quo textu, inferunt Catholici, vocationem, seu missionem Pastorum, non spectare ad populum, vel civilem Magistratum; sed ad Episcopos, & præsertim summum Pontificem.

Explicatio Acatholica. Magdeburgenſes Centuriatores fatentur, primos Epiſcopos, poſt Apoſtolos, ab Apoſtolis, & ab his conſequenter alios Sacerdotes, & Paſtores eſſe conſtitutos. Interim ipſimet Paſtores moderni Novatorum, ſuas miſſiones, ſeu vocationes accipiunt paſſim à populo, vel Patronis Eccleſiæ, aut à Civili magiſtratu.

Antiquorum Senſus Sanctorum Patrum. Licèt antiquitùs in aliquibus Eccleſijs, permiſſa fuerit populo nominatio Epiſcoporum, vel etiam aliquibus Regibus permiſſa hæc facultas, ut nominent Epiſcopos, aut etiam Parochos; ſemper tamen confirmatio horum ſpectabat ad Clerum, ut etiam ipſa Electio cum Juriſdictione. Unde Sanctus Leo, Epiſtolâ 87. Capite 1. ait: *Expectanda ſunt vota civium, teſtimonium populorum, electio Clericorum.* Et Concilium Laodicenum, Canone 13. prohibet, ne electio Paſtorum fiat à populo. Quod ſtatutum etiam Calvinus Lib. 4. Inſtit. cap. 4. n. 17. collaudat. Et ratio eſt: Quia nemo dat, quod non habet. Multitudo autem non habet ullam Juriſdictionem Eccleſiaſticam. Ergo hanc nemini conferre poterit. Soli enim Petro dictum eſt: *Tibi dabo claves Regni Cœlorum*, & ſolis Apoſtolis: *ſicut miſit me Pater, & ego mitto vos.*

TEXTUS XLV.

Noli negligere gratiam, quæ data eſt tibi, cum impoſitione manuum Presbyterij. 1. Tim. 4. v. 14.

CAtholica Explicatio. Noli negligere gratiam, (in Græco eſt χάρισμα, id eſt: donum) puta ordinem Epiſpopalem, authoritatem, & munus docendi. Quæ gratia data eſt tibi, cum impoſitione manuum Presbyterij, id eſt, per impoſitionem manuum, cœtûs Presbyterorum, majorum ſcilicet, id eſt Epiſcoporum; nam Epiſcopus ab alijs tribus Epiſcopis ordinatur, qui ordinando Epiſcopo manus imponunt. Hinc Catholici deducunt, ordinationem eſſe verum Sacramentum.

Explicatio Acatholica. Novatores, & reijciunt has ceremonias, ac ritus Eccleſiæ, in ſuis ordinationibus; & ordinationem, negant eſſe Sacramentum.

Sanctorum Patrum Senſus. Sanctus Auguſtinus Libro 2. contra Parmen. Cap. 13. loquens de Baptiſmo, ac ordinatione, ait: *Utrúmque Sacramentum eſt, & quâdam conſecratione, utrúmque homini datur: Illud cùm baptizatur, iſtud cùm ordinatur. Ideòque in Eccleſia Catholica, non licet utrúmque iterare.* Idem docet Sanctus Ambroſius, Libro de Sacerdotij dignitate. Cap. 5. Idem ſentiunt omnes omnino Orthodoxi Sancti Patres.

TEX-

TEXTUS XLVI.

Propter hoc relinquet homo Patrem, & Matrem suam, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una. Sacramentum hoc magnum est. Ego autem dico, in Christo, & Ecclesia. Ad Ephes. 5. v. 31. 32.

E*Xplicatio Catholica.* Catholici ex hoc textu deducunt, Matrimonium verè esse Sacramentum, repræsentativum conjunctionis Christi cum Ecclesia. Est ergo signum visibile, invisibilis rei sacræ, & conferens infallibiliter gratiam sibi annexam, quam Sanctus Paulus explicat, 1. ad Tim. 2. v. 15. *& sine qua mala, quæ in matrimonio occurrunt, evitari haud possunt.*

Explicatio Acatholica. Novatores negant Matrimonium esse verum Sacramentum, & dicunt illud esse merè civilem contractum.

Sensus Sanctorum Patrum. Sanctus Augustinus, Lib. de Fide, & operibus, ait: *In Civitate Domini, in monte Sancto ejus, hoc est Ecclesia, Nuptiarum non solùm vinculum, sed etiam Sacramentum commendatur.* Idem docet Sanctus Chrysostomus. Homil. 20. in Epistol. ad Ephes. Et alij Sancti Patres.

TEXTUS XLVII.

Omnis qui dimittit Uxorem suam, & alteram ducit, mechatur: & qui dimissam à viro ducit, mechatur Lucæ 16. v. 18. *Qui dimissam duxerit, adulterat.* Matth. 5. v. 32.

E*Xplicatio Catholica.* Ex his textibus, Catholici clarè deducunt, Matrimonium fidelium consummatum, solvi non posse, etiam ob fornicationem & adulterium; multò minùs ob alias minoris momenti causas, (subintelligo) quò ad vinculum matrimonij, non tamen etiam quò ad thorum.

Acatholica Explicatio. Calvinistarum Prædicantes in Hungaria, levissimis etiam ex causis, passim separant matrimonium, etiam quò ad vinculum, ita ut una fœmina habeat etiam plures maritos supervivent es, & unus vir plures uxores supervi ventes.

Sensus Veterum Sanctorum Patrum. Sanctus Augustinus Lib. de nuptijs, & Con. Cap. 21. *Quòd in Christo & Ecclesia, est magnum Sacramentum, hoc est in singulis quibúsque viris, & uxoribus minimum: sed tamen conjunctionis inseparabile Sacramentum.* Et eodem Lib. dicit: *Hujus Sacramenti vis est, ut mas, & fœmina copulati, quamdiu vivunt, inseparabiliter perseverent.* Ac tandem lib. 6. contra Adimantum, Cap. 4. *Hæc verba Apostoli (nempe: igitur vivente viro vocabi-*

cabitur adultera, si fuerit cum alio viro. Ad Romanos 7. v. 3.) *toties repetita, toties inculcata, vera sunt, viva sunt, sana sunt, plana sunt: Nullius viri posterioris mulier esse incipit, nisi prioris esse desierit; esse autem desinet uxor prioris, si moriatur vir ejus, non fornicetur: Licitè igitur dimittitur conjux ob causam fornicationis, sed manet vinculum prioris, propter quod sit reus adulterij, qui dimissam duxerit, etiam ob causam fornicationis.* Eodem modo hæc verba Apostoli explicant, & interpretantur alij Patres: Ambrosius, Chrysostomus, Theodoretus, Origenes, Hieronymus, Oecumenius, &c.

TEXTUS XLVIII.

Bonum est homini mulierem non tangere. 1. ad Corinth. 7. v. 1. & v. 26. *Bonum est homini sic esse.* Item v. 38. *Qui non jungit matrimonio Virginem suam, meliùs facit.* Ac tandem v. 40. *Beatior erit (vidua) si sic permanserit.*

C*Atholica Explicatio.* Bonum est, Græcè καλὸν, id est pulchrum, id est res ex se & in se, præclara, & eximia est, non cognoscere mulierem. Bonum est homini sic esse, hoc est: in perpetua virginitate esse. Reliquorum textuum, idem est sensus, quòd continentia sit præferenda, statui conjugali.

Acatholica Explicatio. Novatores, tam claris Sancti Pauli verbis, non habent quod opponant, nisi illud (quod tamen nil facit ad rem propositam) ex eodem Sancto Paulo perpetuò obgarrientes: *Meliùs est nubere, quàm uri.* Quod nullus Catholicorum negat. Nam sine dubio meliùs est nubere, quàm adulterari, vel fornicari, & non servare continentiam, quod significatur hîc per verbum *Uri.* Non autem meliùs est nubere, quàm continentiam, aut virginitatem servare. Quamvis Lutherus profanissimè dicat: in 1. ad Corinth. 7. *Concludimus Matrimonium esse velut aurum, spiritualem autem statum, velut stercus.*

Sanctorum Patrum Sensus. Sanctus Augustinus, Libro de bono viduitatis, Cap. 15. Longè sanctiùs Luthero, sic concludit: *Continentiam conjugio præponimus; sanctam verò virginitatem, etiam continentiæ viduali.* Et Libro de Bono Conjugali. Cap. 8. ait: *Continentes, sciant sibi mercedis ampliùs deberi, quàm conjugalis castitas possit.* Sanctus Ambrosius Lib. 1. de Virginitate: *De Virginitate aliquid dicamus, quæ est principalis virtus, nubes, Angelos, sidera transgrediens. Non meum illud est: Qui non nubunt, néque nubentur, erunt sicut Angeli DEI.* Plures Sanctos Patres hîc prætermitto.

TEX-

TEXTUS XLIX.

In arbitrio viri erit, ut faciat, aut non faciat quæ uxor voverat. Num. 30. v. 14. *Trium tibi dabitur optio, elige unum, quod malueris ex his (fame, bello, & peste) ut faciam tibi.* 2 Regum 25. v. 12. *Postula, ait Dominus Salomoni, quid vis, ut dem tibi.* 3. Reg. 3. v. 5.

EXplicatio Catholica. Ex his textibus clarè inferunt Catholici, hominem liberi arbitrij esse, in operibus naturalibus, & civilibus.

Sensus Acatholicorum. Lutherus, & præsertim Calvinus, Servilis arbitrij Patroni, omnem libertatem etiam in Civilibus, & Moralibus, homini prolapso auferunt: docentes omnia fatali ordinatione fieri, per quam causæ omnes, etiam liberæ determinantur ad unum actum, tam quò ad speciem, quàm quò ad exercitium.

Sanctorum Patrum Sensus. Sanctus Augustinus lib. de Quantitate animæ, Cap. 36. *Datum (inquit) est homini liberum arbitrium, quod, qui nugatorijs ratiocinationibus labefactare conantur, úsque adeò cæci sunt, ut ne ista quidem vanâ, ac sacrilegâ, propriâ voluntate, se dicere intelligant.* Alios Sanctos Patres infrà adducam.

TEXTUS L.

Optio vobis datur (serviendi DEO, vel Idolis) eligite hodie, quod vobis placet. Josue 24. v. 15. & v. 22. *Testes vos estis quia ipsi, elegeritis Dominum, ut serviatis ei.*

EXplicatio Catholica. Catholici, ex hoc textu probant hominem esse liberi arbitrij, non tantùm in rebus naturalibus, & civilibus, sed etiam in bono eligendo, & malo evitando.

Acatholica Explicatio. Moderni Novatores, recedentes à tam palmari dementia Lutheri, & Calvini, passim jam admittunt liberum arbitrium hominis, in operibus naturalibus, & civilibus; negant tamen illud in eligendis bonis, vel vitandis malis moralibus.

Sensus Veterum Sanctorum Patrum. Sanctus Athanasius in oratione, contra Idololatras. *Anima libera est, & sui arbitrij, potest enim ut ad bona sese inclinare, ita bono quóque adversari.* Origenes in Cap 13. Matthæi. *Omnes scripturæ declarant esse liberum arbitrium, dum, & accusant eos, qui delinquunt; & probant eos, qui rectè faciunt.* Et Sanctus Augustinus, Epist. 46. *Credite divinis eloquijs, quia liberum est hominis arbitrium.*

TEXTUS LI.

Unusquisque propriam mercedem accipiet, secundùm suum laborem, DEI enim sumus adjutores. 1. ad Corinthios 3. v. 8. & 9.

E*Xplicatio Catholica.* Catholici ex hoc textu inferunt, hominem etiam in operibus pijs & salutaribus liberè cooperari DEO, seu gratiæ divinæ. Nam id quod latinus interpres ponit, DEI sumus adjutores, in Græco est συνεργοί, cooperatores. Unde licèt DEUS sit, qui sinè nostris præcedentibus meritis, nos per gratiam excitet, vocet, operetur in nobis, *cùm non sit volentis, néque currentis, sed miserentis DEI*, hoc tamen, quod est, aperire, respondere, cooperari, nostrum est, licèt & illud per DEI gratiam fiat, juxta illud Pauli: *Non ego, sed gratia DEI mecum.* 1. ad Corinth. 15. v. 10.

Interpretatio Acatholica. Adversarij dicunt totum opus bonum tribui debere soli DEO, sive divinæ gratiæ; arbitrium autem hominis nihil in omnibus salutaribus operari.

Interpretatio Sanctorum Patrum. Sanctus Augustinus, (Lib. de Spir. & Lit. ad Marcell.) *Consentire vocationi, aut non consentire, nostræ voluntatis est.* Et Epist. 89. n. 2. *Néque voluntatis arbitrium ideo tollitur, quia adjuvatur; sed ideo juvatur, quia non tollitur.* Sanctus Hilarius in Psalm. 2. *Unicuique nostrûm libertatem permisit, non necessitatem, in alterutrum assignans.* Et Sanctus Hieronymus in Cap. 5. ad Galatas. *Aliud (inquit) est DEI opus, aliud hominum: DEI opus est vocare, hominum est credere, vel non credere.* Et Augustinus in secundam Epist. ad Romanos. *In omni itáque Sancto opere, prior est voluntas DEI, posterior liberi arbitrij. Id est, operatur DEUS, cooperatur homo.* Et alibi: *DEUS, qui te creavit sine te, non te salvare vult, sine te.*

TEXTUS LII.

Satagite, ut per bona opera, certam vestram vocationem, & electionem faciatis. 2. Petri 1. v. 10.

C*Atholica Explicatio.* Date diligentem operam, ut per bona opera faciatis, certam vestram vocationem, & electionem firmam, in quibus perseverantes, habebitis quandam certitudinem vestræ electionis ad vitam æternam. Unde inferunt Catholici, bona opera esse necessaria, ad vitam æternam consequendam.

Acatholicorum Sensus. Acatholici simpliciter negant, bona opera necessa-

ria

ria esse, ad salutem æternam. Imò Lutherus, Sermone de novo testamento, seu de Missa, ausus est effutire. *Caveamus à peccatis, sed multò magis à legibus, & bonis operibus.* Unde in citato textu erasit verba illa: Bona opera. Et ut adstruat solam fidem sufficere ad salutem. In Epist. ad Romanos Cap. 3. v. 28. *Arbitramur hominem justificari per fidem*; addidit *per solam fidem.* Uti suprà dictum est.

Sensus Sanctorum Patrum. S. Augustinus, Lib. 15. de Trinitate. *Fides (inquit) sine charitate potest quidem esse, sed non prodesse.* Idem de fide & operibus, Cap. 14. ait: *Excutiendum esse à cordibus, ne mala securitate salutem suam perdant, si ad eam obtinendam, fidem solam sufficere putaverint.* Et Sanctus Ambrosius: *Non sufficit fides, sed debet addi, & vita fidei condigna: Opus est quippe omni volenti cœlum possidere, fidem operibus bonis ornare.* Et Sanctus Gregorius Nazianzenus, oratione in sacrũ lavacrum: *Operare bonum super hoc doctrinarum fundamentum, quia fides sine operibus mortua est, quemadmodum & opera sine fide.* Idem sentiunt omnes Sancti Patres primitivæ Ecclesiæ.

TEXTUS LIII.

Hæc facientes, non peccabitis aliquando. 2. Pet. 1. v. 10. Item. *Nihil mihi conscius sum.* 1. Ad Corinth. 4. v. 4. Item. *DEUS est, qui operatur in nobis, & velle, & perficere.* Ad Philippens. 2. v. 13.

C*Atholica Interpretatio.* Ex his textibus clarè deducunt Catholici, bona justorum opera, non esse peccata venialia, ne dum mortalia: quia si quis perfecerit, quæ in Epistola sua Sanctus Petrus præscribit, non peccat. Et Sanctus Paulus, in ijs, quæ egit pro DEI gloria, nullius peccati conscius sibi fuit. Et DEUS, qui operatur in nobis, & velle, & perficere, non operatur peccata. Ergo non omnia justorum opera, sunt peccata.

Explicatio Acatholicorum. Lutherus docuit, omnia opera justorum etiam, esse merè peccata, quem errorem Calvinus libro de libero arbitrio, pag. 141. Postquam retulisset hæc verba Lutheri: Bona opera esse ex se peccata mortalia, *subdit* nihil est in istis verbis, quod non simpliciter, & citra ullam figuram, verum sit.

Sensus Sanctorum Patrum, primitivæ Ecclesiæ. Sancti Patres, omnes unanimiter distinguunt, actiones bonas, à malis, seu opera bona, à peccatis: & ipsa recta ratio, id ipsum dictat. DEUS enim non operatur peccatum, operatur autem in nobis opus bonum; non suadet peccatum, nec remuneratur, nec mandat, ut illud fiat, quin potiùs illud prohibet: suadet verò nobis, & mandat

bona opera, & remuneratur bonum opus, ac in illo sibi complacet; peccatum è contra illi displicet, & odit omnem iniquitatem. Deinde sacra scriptura testatur de Jobo: *In omnibus his non peccavit Job labijs suis*, peccâsset autem si omnia opera justi, & verba, peccata essent. Job 1. v. 22. *Et DEUS ipse, de Job testatur, quod fuerit vir justus, & recedens à malo, & adhuc retinens innocentiam.* Job 2. v. 3. Non recessisset autem à malo, nec retinuisset innocentiam, si omnia ejus opera peccata fuissent.

TEXTUS LIV.

Reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi in illa die justus Judex. 2. ad Tim. 4. v. 8.

E*Xplicatio Catholica.* Asservatur mihi, jam penè victori, qui bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi, corona Justitiæ, sive præmium laboris, id est æterna vita, quam justè promerui, & quæ justâ Judicis sententiâ mihi adjudicabitur, quàm reddet mihi post hanc vitam, justus Judex: Et addit: *Non solùm autem mihi, sed & ijs qui diligunt adventum ejus*, hoc est: qui cum desiderio expectant judicij diem, bene sibi conscij rectè factorum. Unde concludunt Catholici; justos ex justitia, & de condigno, mereri beatitudinem per sua bona opera.

Explicatio Acatholica. Hæretici moderni, simpliciter negant, bona opera justorum, esse meritoria vitæ æternæ.

Sensus Sanctorum Patrum. Præcitatum textum more Catholico explicant, Chrysostomus, & Theophilactus. Sanctus Augustinus, lib. de Perfectione Justitiæ, ait: *Post hanc vitam merces perficiens redditur, sed eis tantùm, à quibus in hac vita mercedis meridies comparatur.* Sanctus Cyrillus Hierosolymitanus, Catech. 1. *Si multùm operaberis, multa te merces manet.* Et Sanctus Ambrosius, c. 1. offic. 15. *Non ne evidens est, meritorum, aut præmia, aut supplicium post mortem manere.* Ac Sanctus Hieronymus, contra Jovinianum. *Jam nostri laboris est, pro diversitate virtutum, diversa nobis præmia præparare.* Et ante eos Sanctus Jgnatius Martyr (Epist. ad Romanos) *Sinite me, ut Bestiarum esca sim, per quàm possim DEUM promereri.*

TEXTUS LV.

Charitas DEI diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum Sanctum. Ad Roman. 5. v. 5.

EXplicatio Catholica. Charitas DEI, quâ DEUM diligimus, & quæ nobis in Baptismo, ac perceptione aliorum Sacramentorum, ac exercitio bonorum operum infunditur, per Spiritum Sanctum, facit nos amicos, & filios DEI. Ex quo textu Catholici inferunt, nos per Charitatem, & gratiam, intrinsecè nobis inhærentem, formaliter justificari.

Explicatio Acatholica. Acatholici tenent, justos solùm extrinsecè, per justitiam DEI, vel Christi, justificari, per solàm imputationem.

Sensus Sanctorum Patrum. Sanctus Augustinus, Lib. de Spir. & Lit. loquens de hac charitate, quâ justificantur justi, ait: *Charitas, non quâ nos* (DEUS) *ipse diligit, sed quâ nos facit dilectores suos.* Et Lib. de peccat. merit. *Legimus justificari in Christo, qui credunt in eum, propter occultam communicationem, & inspirationem gratiæ spiritualis.* Eodem modo & alij Sancti Patres, charitatem hanc explicant. Ubi bene notandum est. Utramque quidem charitatem, & quâ nos DEUS diligit, & quâ nos DEUM diligimus, in justificatione diffundi, & effundi in cordibus nostris; sed per illam nos justificari, non nisi effectivè, per hanc verò formaliter, tanquam formam nobis inhærentem.

TEXTUS LVI.

Venient dies, cùm auferetur ab eis sponsus, & tunc jejunabunt. Matth. 9. v. 15.

EXplicatio Catholica. Ex hoc textu inferunt Catholici, ab Ecclesia, salubriter in memoriam Passionis Christi, & mortis, ac imitationem ejus, aliósque fines honestos, jejuniorum dies, pro omnibus fidelibus, statui posse.

Acatholicorum opinio. Acatholici, qui Lutherum sequuntur, observant aliqua adhuc jejunia, sed non ideo, quia præscripta sunt ab Ecclesia, sed ex suo privato affectu, prout cui placuerit. Calvinistæ verò omnia ab Ecclesia præscripta jejunia eliminant.

Sanctorum Patrum Sensus. Sanctus Augustinus, Epist. 85. ad Casulanum. *Ego (inquit) in Evangelio, & Apostolicis literis, video præceptum esse jejunium.* Et Epistola 119. ait: *Quadragesima jejuniorum habet authoritatem in veteribus libris, & Evangelio.* Sanctus Ambrosius, Sermone 34. *Quisquis Christianus, jejunando non impleverit quadragesimam, prævaricationis reus tenebitur.* Idem tenent omnes Sancti Veteres Patres, de diebus ab Ecclesia, pro jejunando præscriptis.

TEXTUS LVII.

Juravit Dominus, & non pœnitebit eum. Tu es Secerdos in æternum, secundùm ordinem Melchisedech. Psalmo 109. v. 4.

E*Xplicatio Catholica.* Catholici probant hoc textu, prædici Christi Domini æternum Sacerdotium, quòd sicut Melchisedech Sacerdos, offerebat Domino Sacrificium, per oblationem panis, & vini, ut habetur, Genes. 14. v. 18. *Ita Christus instituerit Sacrificium incruentum, sub speciebus panis, & vini.* Et quidem in æternum, quamdiu stabit mundus, quod offertur quotidie, à ministris ejus, in tremendo, ac Sacrosancto Missæ Sacrificio.

Explicatio Acatholica. Lutherus edoctus à dœmone, ut ipsemet fatetur, Tomo 7. Germanicæ editionis Wittenbergensis, Folio 479. abrogavit inter suos Sacrificium Missæ. Idem fecit & Calvinus; & cæteri Novatores ajunt: Melchisedech non obtulisse, sed protulisse panem, & vinum, adeóque non fuisse hoc verum Sacrificium. Item eundem Melchisedech, non tanquam Sacerdotem, sed tanquam Regem, & Amicum Abraham, protulisse panem, & vinum. Sed Lectio Latina clara est, quæ sic habet: Melchisedech Rex *Salem*, proferens panem & vinum, erat enim Sacerdos DEI altissimi, & benedixit ei, scilicet Abrahamo. Et Hebraicus textus, multò magìs nostræ interpretationi favet, quàm adversariorum.

Sensus Sanctorum Patrum. Clemens Alexandrinus, Lib. 4. Stromatum. Capite 8. ait: Melchisedech, Rex *Salem*, Sacerdos DEI altissimi, qui panem & vinum dedit nutrimentum, in typum Eucharistiæ. Cyprianus Epist, 63. *In Sacerdote (inquit) Melchisedech, Sacrificij Dominici Sacramentum præfiguratum videmus, secundùm quod scriptura divina testatur, & dicit:* Melchisedech Rex *Salem*, protulit panem, & vinum, fuit enim Sacerdos DEI summi, & benedixit Abraham. Quòd autem Melchisedech typum Christi portaret, declarat, in Psalmis Spiritus Sanctus, ex persona Patris ad Filium dicens: *Tu es Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisadech, &c.* Sanctus Ambrosius in Cap. 1. Lucæ. *Quando sacrificamus, Christus adest, Christus immolatur, etenim Pascha nostrum immolatus est Christus.* 1. ad Corinth. 5. v. 7.

TEXTUS LVIII.

Et factâ collatione, duodecim millia drachmas argenti, misit (Judas Machabæus) Hierosolymam, offerri pro peccatis mortuorum Sacrificium, bene, & religiosè de resurrectione cogitans, nisi enim eos, qui ceciderant resurrecturos sperarет:

ret: *superfluum videretur, & vanum orare pro mortuis. Sancta ergo, & salubris est cogitatio, pro defunctis exorare, ut à peccatis solvantur.* 2. Machab. 12. v. 43. 44. & 46.

C*Atholica Explicatio.* Catholici clarissimè demonstrant ex hoc textu, laudabile esse orare pro fidelibus defunctis, utè purgatorij pœnis solvantur.

Acatholicorum Sensus. Hæretici nostri temporis, clarissimum scripturæ hoc testimonium pro suffragijs defunctorum, in alium sensum detorquere non possunt, nisi, vel canonicam hujus libri authoritatem convellendo; vel certè fingendo cum Munstero, hanc coronidem non esse genuinam hujus capitis partem, sed ab aliquo, textui insertam, & additam. Sed in utróque mentita est sibi iniquitas. Nam ut alibi ostendimus, non minùs hic liber est Canonicus, quàm quicúnque alius scripturæ sacræ liber: & hanc coronidem omnia Bibliorum exemplaria, etiam antiquissima, seu edita, seu manuscripta habent, & omnes veteres Sancti Patres, locum hunc ubíque pro Canonica, ac genuina libri hujus parte, recognoscunt, & citant.

Sanctorum Patrum Interpretatio. Sanctus Augustinus, ait: Tom. 4. de Cura pro mortuis. *In Machabæorum Libris legimus oblatum pro mortuis Sacrificium, sed & si nusquam in scripturis legeretur, non parva est universæ Ecclesiæ, quæ in hac consuetudine claret, authoritas, ubi in precibus Sacerdotis, quæ Domino DEO ad ejus Altare funduntur; locum suum habet etiam commendatio mortuorum.* Et Sanctus Chrysostomus; Hom. 69. ad populum: *Non temerè ab Apostolis hæc sancita fuerunt, ut in tremendis mysterijs, defunctorum agatur commemoratio.* Et Sanctus Cyrillus Hierosolymitanus. Cathechesi 5. *Pro omnibus, oramus, qui inter nos vitâ functi sunt.*

TEXTUS LIX.

Omnes, qui gladium acceperint, gladio peribunt. Matthæi 26. v. 52.

C*Atholica Explicatio.* Omnes, qui sine legitima authoritate, gladium acceperint, hoc est usurpaverint, & gladio alium occiderint, merentur, ut & illi gladio perimantur. Juxta illud: Genes. 9. v. 6. *Quicúnque fúderit humanum sanguinem; fundetur Sanguis illius.* Unde Catholici deducunt, Christiano Magistratui licere gladio reum ferire.

Sensus Acatholicorum. Anabaptistæ, præceptum illud: Non occides, malè intelligentes, docent: Néque Magistratui, licitum esse reum neci tradere.

Sensus Sanctorum Patrum. Sanctus Augustinus, Lib. 1. de Civit. DEI. cap. 21. *Nequaquam (ait) contra hoc præceptum fecerunt, quô dictum est non occides; qui personam gerentes publicæ potestatis, sceleratos morte punierunt.*

TEXTUS LX.

In multis offendimus omnes. Jacob. 3. v. 2.

CAtholica Explicatio. Fieri nequit, etiam cum auxilio gratiæ ordinariæ, ut ad longum tempus, quis evitet omnia peccata venialia. Unde inferunt Catholici, non omnia peccata esse mortalia.

Sensus Acatholicorum. Lutherus, & Calvinus docuerunt, omnia peccata esse mortalia. Verùm scriptura sacra, magnam facit distinctionem inter peccata, & aliqua rebus planè levibus comparat, quædam vero gravibus. Ut Matthæi 5. v. 23. *Qui irascitur fratri suo, reus erit judicio. Qui dixerit: Racca; reus erit Concilio, qui dixerit fatue, reus erit gehennæ ignis.* Ergo non omnia peccata, faciunt reum gehennæ, adeóque non omnia sunt mortalia. Et Joannis 5. v. 16. *Est peccatum ad mortem.* Ergo est etiam aliud, quod non est ad mortem. Et Proverb. 24. v. 16. *Septies cadit justus, & resurget, impij autem corruunt in malum.*

Sensus Sanctorum Patrum. Sanctus Augustinus, Libro de Natura, & gratiâ Capite 38. *Quibus sæpe in levissimis, & aliquando minutis, obrepit peccatum, justi fuerunt, & sine peccato (veniali) non fuerunt.* Et Tomo 4. in Psalm. 118. Conc. 3. *Quia (inquit) in vijs Domini ambulamus etiamsi à criminibus majoribus longè simus, non tamen deest, ut adversus majora vigilantibus, quædam incautis minora subrepant.*

TEXTUS LXI.

Jugum meum suave est, & onus meum leve. Matth. 11. v. 30. Et Joannis 5. v. 3. *Hæc est Charitas DEI, ut mandata ejus custodiamus; & mandata ejus gravia non sunt.* Ac Joannis 2. v. 4. *Qui dicit se nosse DEUM, & mandata ejus non custodit, mendax est.*

EXplicatio Catholica. Ex his clarissimis scripturæ sacræ textibus, inferunt Catholici, justos cum auxilio gratiæ divinæ, posse servare legem decalogi, ita, ut graviter contra eam non peccent.

Acatholica Sententia. Antesignani Acatholicorum, contrarium planè huic scripturæ docent. Lutherus enim de Liber. Chris. Tomo 2. folio 4. ait: *Imposibi-*

ſibilia ſunt nobis omnia præcepta. Wittakerus Lib. 1. contra Duræum, Sect. 9. *Legi, nullius homo obtemperare poteſt.* Calvinus in antidodo Concilij Seſſ. 10. Cap. 17. *Perſuaſionem de poſſibili legis obſervatione, vocat impiam.*

Senſus Sanctorum Patrum. Sanctus Auguſtinus, libro de Natura, & Gratiâ, Cap. 43. *DEUS (inquit) impoſſibilia non jubet, ſed jubendo admonet, & facere, quod poſſis; & petere, quod non poſſis* Sanctus Baſilius, in oratione, in illud: Attende tibi. *Impium eſt dicere, impoſſibilia eſſe Spiritûs Sancti præcepta.* Sanctus Hilarius in Pſalm 118. *Non eſt difficile, ſi voluntas adſit, præceptis DEI obtemperare.* Et S. Auguſt. rurſus Tom. 10. de Tempore Serm. 191. *Execramur (inquit) Blaſphemiam eorum, impoſſibile aliquid à DEO, homini eſſe præceptum, & mandata DEI, non à ſingulis, ſed ab omnibus in communi ſervare poſſe.*

TEXTUS LXII.

Omnis, qui viderit mulierem, ad concupiſcendum eam, jam mœchatus eſt eam in corde ſuo. Matthæi 5. v. 28.

C*Atholica Explicatio.* Omnis qui viderit mulierem, ad concupiſcendum, id eſt: hoc fine, ut accensâ in ſe illius concupiſcentiâ, ſeu deſiderio, animum ſuum paſcat, & oblectet, adulterium committit in corde ſuo. Et ſic refellitur error ſcribarum, qui teſte Joſepho Lib. 12. Antiquitatum cap. 13. *Exiſtimabant concupiſcentiam purè internam, etiam cum conſenſu, non eſſe peccatum.* Unde inferunt Catholici, præceptum illud: Non concupiſces, ſervari poſſe cum auxilio gratiæ divinæ, ab homine juſto, in hac vita.

Acatholica Explicatio. Heterodoxi, non ſcientes, vel non volentes diſtinguere concupiſcentiam, quò ad motus primò primos, & involuntarios; à concupiſcentia, quæ fit cum voluntario conſenſu: ſimpliciter negant, hoc præceptum; *Non concupiſces,* ab ullo ſervari poſſe.

Senſus Sanctorum Patrum. Sanctus Chryſoſtomus, in hunc locum Homil. 17. *Non, ſimpliciter dixit; qui concupiverit, ſed qui viderit mulierem ad cocupiſcendum, id eſt: qui concupiſcentiam ſibi videndo conſciverit, quique nullo cogente, quieſcenti animæ, feram ſubitò immiſerit. Hoc enim non jam naturæ, ſed propriæ eſt deſidiæ.* Sanctus Ambroſius, in Pſalm. 4. *Iraſcimini, & nolite peccare.* Si iraſcimini (inquit) nolite peccare, ſed vincite ratione iracundiam. (Ita videlicet non peccabitis iraſcendo) ſic & alij concupiſcentiæ motus, refrenandi ſunt ratione, & ſi fiant ſine conſenſu, non erunt peccata. Nam ut Sanctus Auguſtinus ait: *Non nocet ſenſus, ſi non adſit conſenſus.* Et contra duas Epiſtolas Pelagij

lagij Lib. 1. Cap. 10. *Non enim damnatur, nisi qui concupiscentiæ carnis, consensit ad malum.*

TEXTUS LXIII.

An nescitis, quia iniqui Regnum DEI non possidebunt. Nolite errare: Néque fornicare, néque idolis servientes, néque adulteri, néque molles, néque masculorum concubitores, néque fures, néque avari, néque ebriosi, néque maledici, néque rapaces, Regnum DEI possidebunt. 1. ad Roman. 6. v. 9. & 10.

C*Atholica Explicatio.* Catholici ex hoc textu inferunt, enumerata hîc ab Apostolo peccata, esse gravia peccata, & qui ea committunt, ac in ijsdem moriuntur, Regnum DEI non possessuros, sed æternùm damnandos.

Explicatio Acatholica. Lutherus, Postillâ in Dominicam 8. post Trinitatem, ait: *Sola incredulitas damnat.* Et Zvvinglius; *Peccata non reddunt hominem injustum, nec damnant hominem, sed impietas, & incredulitas.* Et Calvinus, in Joannis 5. v. 29. *Ne peccata quidem, quorum reatu se quotidie obstringunt fideles, illis imputantur.*

Sensus Veterum Sanctorum Patrum. Communis sensus veterum Sanctorum Patrum est, ob quodcúnque mortale peccatum, damnari æternùm peccatorem, si in eo ex hac vita decedat. Et certè Christus, Matthæi 25. v. 41. *Testatur eos, qui ad sinistram erunt, in extremo die Judicij, accepturos sententiam æternæ damnationis.* Non ob incredulitatem, sed propter alia, quæ ibi enumerat peccata.

TEXTUS LXIV.

Ille apparuit, ut peccata vestra tolleret, & peccatum in eo non est. 1. Joan. 3. v. 5. *Qui facit peccatum, ex diabolo est.* Ibidem v. 8.

C*Atholica Explicatio.* Ille apparuit in carne, ut peccata vestra tanquam extremè sibi exosa tolleret: & in eo nullum peccatum est, aut fuit, imò nec esse potuit. Et qui facit peccatum, ex diabolo est, id est: ex diaboli grege, familia, Regno, eum imitando, & sequendo, ceu filius Patrem; hinc deducunt Catholici: DEUM authorem peccati esse non posse.

Acatholicorum Sensus. Lutherus libro de servo arbitrio, Tomo 2. folio 459. Cogites (inqui) in nobis, id est, per nos, DEUM operari mala. Et Calvinus, de prædestinatione, pag. 718. A Domino (inquit) procedunt, quæ scelerata ab hominibus maleficia perpetrantur.

Sen-

Sensus Sanctorum Patrum. Sanctus Augustinus, libro 2. de peccatorum meritis, Capite 17. *Nullus culpæ humanæ, in DEUM referat causam.* Et Sanctus Basilius Homiliâ. *Quòd DEUS non sit author malorum.* Cap. 14. ait: *Eadem dementia est, negare DEUM, & peccati authorem facere.* Et Sanctus Chrysostomus, Homil. 23. in Actus Apostolorum. *Nullus dicat: DEUS nobis author malorum est. Satiùs fuerit sexcenties defodi, quàm DEUM talia audire per nos.*

TEXTUS LXV.

Castigo Corpus meum, & in servitutem redigo, ne fortè; cùm alijs prædicaverim, ipse reprobus efficiar. 1. ad Corinth. 9. v. 27. Item. *Tu autem fide stas, noli altum sapere, sed time, si enim DEUS naturalibus ramis non pepercit, ne fortè nec tibi parcat. Vide ergo bonitatem, & severitatem DEI: in eos quidem qui ceciderunt, severitatem, in te autem bonitatem DEI, si permanseris in bonitate, alioquin & tu excideris.* Ad Rom. 11. v. 22. 23. 24.

E*xplicatio Catholica.* Castigo corpus meum, id est: varijs modis affligo, & in servitutem redigo, ut spiritui pareat, & subjiciatur: ne fortè cùm alijs, vitam æternam, & salutem prædicavero, ipse reprobatus efficiar. Item. Tu autem fide, id est, per, & propter fidem in Christum, oleæ insertus es, & in ea *stas,* ac persistis, sed propterea noli extolli, & superbire, sed time, ne scilicet per infidelitatem ab ea excidas, sicut alij exciderunt. Si enim naturalibus ramis, id est Judæis, non pepercit, sed expulit illos à sua Ecclesia, amicitia, & salute, ne fortè etiam tu, excidaris: Si permanseris in bonitate, id est: si dignè vixeris, illâ bonitate & benignitate, quam DEUS tibi exhibuit, bene spera; sin minùs, alioquin & tu excideris ex olea, id est: Ecclesia DEI. Unde inferunt Catholici, justos non debere fide divinâ, & certâ credere, se prædestinatos esse, & infallibiliter salvandos, nisi DEUS singulari dono, & munere, id alicui in particulari fuerit dignatus revelare.

Explicatio Acatholica. Acatholici, ac præsertim Calvinistæ, neminem judicant verum Christianum esse, qui non tam firmâ fide, se salvum fore, & compotem felicitatis æternæ, credat, quantâ credit, unicum esse Christum, & unicum DEUM.

Sensus Sanctorum Patrum. Sanctus Augustinus, de correptione, & gratiâ, cap. 15. *Quis* (inquit) *ex multitudine fidelium, quamdiu in hac vita mortali vivitur, in numero prædestinatorum se esse præsumat.* Rursus libro de perseverantiæ dono. Cap. 13. *In hac* (inquit) *humana vita, quæ tentatio est super terram, qui videtur stare, videat ne cadat.* Et Cap. 22. de dono Perseverantiæ. *De vita* (in-

quit) *æterna, quam filijs promissionis promisit non mendax DEUS, nemo potest esse securus, nisi cùm consummata fuerit ista vita, quæ est tentatio super terram.* Job. 7. Idem sentiunt, & alij veteres Sancti Patres.

TEXTUS LXVI.

DEUS omnes homines vult salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. 1. ad Timoth. 3. v. 4.

Catholica Explicatio. DEUS vult omnes homines salvos fieri, seriâ quidem, ac sincerâ voluntate, âtque etiam efficaci ex parte sua, (quia dat omnibus necessaria, & sufficientia media, quantùm est ex se, ad eam consequendam) Ex hac tamen Hypothesi, si ipsimet homines velint salvari, & quæ ab ijs requiruntur, præstare.

Acatholica Doctrina. Calvinus Lib. 3. Instit. Cap. 21. §. 5. Prædestinationem vocamus, æternum DEI decretum, quô apud se constitutum habuit, quod de unoquóque homine fieri vellet. Non enim pari conditione creantur omnes, sed alijs vita æterna, alijs damnatio præordinatur. Idem tenent moderni Calvinistæ.

Sensus Sanctorum Patrum. Citatum textum explicant per omnia Sancti Patres eodem modo, quò Catholici; & nominatim Chrysostomus, Ambrosius, Augustinus, & Oecumenius. Et hunc errorem ex professo refutat acriter Tertullianus, de Præscriptionibus, adversùs Hæreses, in Cerdonianos disputans. Augustinus, Lib. de Hæresibus. Cap. 46. contra Manichæos. Leo, contra Priscillianistas. Epist. ad Tur. 93. Et Concilium Arausicanum secundum, anno 440. celebratum, Canon. 25. sic sancit. *Aliquos verò ad malum, divinâ potestate prædestinatos esse, non solùm non credimus, sed etiam si sunt, qui tantum malum credere velint, cum omni detestatione, illis Anathema dicimus.*

TEXTUS LXVII.

Universa propter semetipsum operatus est Dominus, impium quóque ad diem malum. Proverb. Capite 16. v. 4.

Catholica Interpretatio. Universa propter seipsum, seu ad gloriam suam, in ijs manifestandam operatus est, seu creavit Dominus, etiam impium, non formaliter, sed materialiter, id est: hominem illum, quem prævidit futurum, suâ malitiâ impium. Et hunc quidem ad suam gloriam, ac quantùm est ex se,

ex se, *ad diem bonum*, si gratiâ à DEO sibi datâ uti vellet; sed cùm nolit cooperari divinæ gratiæ, & impiè vitam peragit, conservat illum ad *diem malum*, seu supplicium æternum: ut sic in eo manifestetur toti mundo, DEI justitia, cùm non voluit glorificare DEUM, per sibi ab eo dandam gloriam, si bene vixisset.

Acatholica Explicatio. Calvinus, hunc textum trahit ad errorem suum confirmandum, de reprobatione à DEO facta damnandorum. Unde Lib. 3. Instit. Cap. 23. §. 7 ait? Unde factum est, ut tot gentes, unà cum tot liberis eorum infantibus, æternæ morti involveret lapsus Adæ, absque remedio, nisi quia DEO, ita visum?

Explicatio Sanctorum Patrum. Augustinus, Epist 65. & 106. ad Paulianum docet ad nostrum propositum, dicens: *Naturam hominis, quæ à DEO conditore, condita est bona, vitiari per ipsius hominis voluntatis iniquitatem.* Ergo Dominus non est operatus impium, formaliter, seu quà talem; sed solùm materialiter, qui suâ culpâ impius est: & consequenter servat illum, ad diem malum, seu supplicium æternum, solùm ex suppositione propriæ ejusdem malitiæ, & iniquitatis. Alibi verò addit: *Meliùs DEUM judicavisse, ex malis bene facere, quàm nulla mala permittere; permittere inquam, & non præordinare.*

TEXTUS LXVIII.

DEUS creavit hominem inexterminabilem, & ad imaginem similitudinis suæ fecit illum. Invidiâ autem diaboli, mors introivit in orbem terrarum. Sap. Cap. 2. v. 23. & 24.

C*atholica Explicatio.* DEUS creavit hominem immortalem, & qui non esset è vita exterminandus: nempe talis perpetuò fuisset, si perstitisset in primæva justitia. *Et ad imaginem similitudinis fecit illum*, id est: ut esset imago naturæ divinæ, quæ DEO propria est: sive, ornavit eum donis naturæ, intellectu scilicet, voluntate, memoriâ, & libero arbitrio: ac donis gratiæ, nempe: justitiâ, sanctitate, innocentiâ: eo fine & consilio, ut his præsidijs instructus, vitam æternam, si vellet posset adipisci. Quod autem hic de Protoparente nostro dicitur, id & de ejus tota posteritate, quæ in eo, tanquam in capite, & radice totius generis humani continebatur, accipiendum est. Tota igitur Adami posteritas, in prima sua origine, ac ortu, ad æternam fælicitatem, à creatore fuit designata. Nullus igitur ad mortem, ac interitum, & damnationem æternam, ante lapsum primi parentis divinâ voluntate mancipatus est. Sed per invidiam diaboli, mors, tam temporalis, quàm æterna, intravit in orbem terrarum.

Sensus Acatholicorum. Articulus Calvinistarum est, quòd DEUS majorem partem generis humani creavit, ut illam perdat in æternùm.

Sensus Sanctorum Patrum. Augustinus contra Semi-Pelagiones scribens, his verbis refellit hunc errorem: *Omnium quidem hominum DEUS creator est, sed nemo ab eo ideo creatus est, ut periret, quia alia causa est nascendi, alia pereundi. Ut enim nascantur homines, est beneficium; ut autem pereant, prævaricationis est vitium.* Et Libro 1. de prædestinatiane Dei, Cap. 1. *Creavit DEUS hominem, & prædestinavit, ut si obediens esset, & à gustu vetiti pomi, se abstineret, in vita permaneret: si autem inobediens esset, sententiam mortis subiret.* Et infrà: *Quia ergo peccavit servus, justum erat ut moreretur: Si non peccaret, nullo vinculo divinæ prædestinationis, morti alligaretur.*

TEXTUS LXIX.

Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit: qui autem non crediderit, condemnabitur. Marci 16. v. 16. *Sine fide impossibile est placere DEO.* Ad Hebr. 11. v. 6. *Qui scandalizaverit unum de pusillis istis, qui in me credunt.* Matthæi 18. v. 6.

E*Xplicatio Catholica.* Catholici tenent textum illum Sancti Marci, loqui tantùm de adultis (si de actuali fide sermo sit) quibus jubet prædicari Evangelium, cujus textûs sensum, jam superiùs explicavimus. Textum autem Sancti Pauli explicant, vel de fide habituali, vel de fide actuali: & hac, vel propria in adultis, vel aliena respectu infantium. Ubi similiter, si de actuali fide sermo sit, ea intelligenda est, solùm respectu adultorum, & non respectu infantium. Quod inde patet, nam ibidem addit Apostolus: *Credere enim oportet accedentem ad DEUM, quia est, & inquirentibus se remunerator sit.* Quod de infantibus baptizandis intelligi non potest. In tertio textu, pariter per pusillos, non intelliguntur infantes, sed grandiores pueri, ut ex contextu patet; nam & eos vocavit ad se, & illi vocati accesserunt ad JESUM, & erant, jam capaces scandali, adeóque habebant jam usum rectæ rationis.

Acatholica Explicatio. Anabaptistæ malè intelligentes primum textum, inferunt ex eodem: Infantes non esse baptizandos. Quia inquiunt, fides debet præcedere Baptismum. Infantes autem fidem non habent. Ergo, Lutherani è contra, admittunt infantes esse babtizandos, sed eos in Baptismo habere veram fidem, prorsus irrationabiliter docent.

Sensus Sanctorum Patrum. Sancti Patres cum Catholicis, & infantes baptizandos docent, & eosdem non justificari sine omni fide tenent. Nam licèt non habe-

habeant fidem propriam actualem, baptizantur tamen in fide aliena, hoc est: in fide Ecclesiæ, & etiam illorum, qui eosdem offerunt ad baptizandum. Secundò, quia ijs infunditur in Baptismo habitus fidei, sicut & habitus spei, ac charitatis, & sic habent habitualem fidem propriam. Pulchrè hac in re Augustinus discurrit, Sermone 10. de verbis Apostoli: *Portantur (infantes) ad Ecclesiam, & si pedibus illuc currere non possunt, alienis pedibus currunt, ut sanentur. Accomodat illis Mater Ecclesia, aliorum pedes, ut veniant: aliorum corda, ut credant: aliorum linguam, ut fateantur:* ut quoniam, quoad ægri sunt, alio peccante prægravantur, sic cùm hi sani sint, alio pro illis confitente salvantur.

TEXTUS LXX.

Mortificatus quidem carne, vivificatus autem Spiritu: in quo & his, qui in carcere erant spiritibus, veniens prædicavit. 1. Petri 3. v. 18.

Catholica Explicatio. *Mortificatus carne*, id est morte affectus, & occisus Christus, secundùm corpus, sed non secundùm spiritum, seu animam, secundùm quam vivus semper mansit; & *vivificatus* est, ejusdem virtute etjam quò ad corpus, quando tertiâ die surrexit à mortuis. In *quo* scilicet *Spiritu*, sive secundùm animam, *& his* qui erant in carcere, id est limbo, Patrum *Spiritibus*, id est animabus veteris Testamenti, illic captivis, *veniens prædicavit*, id est evangelizavit, seu lætum nuntium adtulit, redemptionis, beatitudinis, per sui mortem ijs partæ. Quæ Explicatio confirmatur & alijs scripturæ sacræ locis, uti ex illo Matthæi 12. v. 20. *Sicut fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus, sic erit filius hominis* (scilicet secundùm animam) *in corde terræ,* (id est, in medio terræ) *tribus diebus, & noctibus.* Item ex illo, ad Ephes. 4. v. 9. *Quod autem ascendit, quid est, nisi quia & descendit, primùm in inferiores partes terræ.*

Acatholica Explicatio. Calvinistæ, & Lutherani, non volunt agnoscere hunc descensum Christi ad limbum Sanctorum Patrum, secundùm animam; & tamen apertè negare non audent, hunc esse articulum fidei in symbolo Apostolorum expressum: *Descendit ad inferos.* Unde mirè hac in parte, se, in illius, & præcitati textûs interpretatione torquent. Et quidem Calvinus, Quæst. 44. ait: Christum descendisse ad inferos, idem esse, ac inennarrabilibus animi angustijs, cruciatibus, & terroribus, in cruce demersum fuisse. Et Lib. 2. Instit. Cap. 16. §. 10. dicit: Christum descendisse ad inferos, id est; omnes pœnas, & cruciatus damnatorum, in anima perpessum esse.

Sensus Sanctorum Patrum. Damascenus, Lib. de Fide, Cap. 29. sic habet:

Ob id verò deificata anima ad inferos descendit, ut quemadmodum ijs, qui in terra versabantur, justitiæ sol erat, ita etiam ijs, qui infrà terram in tenebris, & umbra sedebant, illuceret. Et Tertullianus in libro de Anima. *Cap.* 55. *Nec ante ascendit in sublimia Cœlorum, quàm descendit ad inferiora terrarum, ut illic Patriarchas, & Prophetas, compotes sui faceret.* Et Hieronymus, circa illud Psalm. 15. v. 10. *Quoniam non relinques animam meam in inferno. Quia propterea illuc descendit, ut electos inde ejiceret, & diabolum ligaret.*

TEXTUS LXXI.

DEUS est enim qui operatur in vobis velle, & perficere, pro bona voluntate. Ad Philippen. 2. v. 13.

E*xplicatio Catholica.* DEUS enim est, qui operatur in vobis, & *velle* per gratiam prævenientem, ac excitantem; & *perficere* per gratiam cooperantē, *pro bona voluntate*, id est: purè ex suo beneplacito, & ultroneo affectu. Néque enim debentur nobis primæ gratiæ prævenientes, aut excitantes, quibus DEUS intellectum nostrum illustrat, ac illuminat, aut voluntatem nostram ad bonum per pios affectus, seu motus excitat, sed gratuitò nobis eas subministrat DEUS. Docent igitur Catholici, omnem bonæ volitionis, fidei, & salutis, initium, continuationem, effectionem, & perfectionem esse à DEO, & à gratia divina, non exclusâ tamen cooperatione liberi arbitrij. DEUS itaque hæc tria, scilicet: *cogitare, velle, & perficere*, operatur in nobis, & primùm quidem, scilicet *cogitare*, sine nobis; secundum, scilicet *velle*, nobiscum; tertium, scilicet *perficere*, per nos facit.

Explicatio Acatholica. Calvinus, ex hoc textu probare nititur, DEUM in nobis omnia facere per suam gratiam, nos nihil, ita ut totum quidquid fit in opere pio, à sola gratia procedat, & voluntas solùm passivè se habeat.

Sanctorum Patrum Explicatio. Sanctus Augustinus lib. 1. de gratia, & libero arbitrio Cap. 9. hunc textum sic explicat: *Non enim, quia dixit: DEUS operatur in nobis velle, & perficere, ideò absolutè liberum arbitrium abstulisse putandus est. Quod, si ita esset, cur superius dixisset; cum timore, & tremore vestram salutem operamini?* Et infrà, Cap. 17. Ut *velimus*, sine nobis operatur, cùm autem *volumus*, ut *faciamus*, nobiscum *cooperatur*. Eodem modo loquuntur, & alij veteres Sancti Patres Sed & ipseCalvinus, lib. 2. Institut. cap. 3. §. 10. fatetur, totam antiquitatem à multis sæculis tradidisse, & credidisse gratiam prævenientem, ita movere, & excitare nostram voluntatem ut liberum sit ei consentire, vel dissentire. Et reprehendit illud dictum Sancti Chrysostomi: *Quem trahit?* (nempe gra-

pe gratia) *volentem trahit.* Et Lib. 2. Instit. Cap. 3. §. 8. ait: Ideo non rectè à Chrysostomo scriptũ est: *nec gratiam sine voluntatè, nec voluntatem sine gratia, quidquam posse operari.* Ergo veteres, & primitivæ Ecclesiæ Sancti Patres, longè alio modo explicant hunc textum, quàm Calvinus, & moderni Novatores.

TEXTUS LXXII.

Et dabo vobis cor novum, & spiritum novum ponam in medio vestri, auferam cor lapideum, de carne vestra, & dabo vobis cor carneum. Ezech. 36. v. 26.

C*Atholica Explicatio.* Dabo vobis novam mentem, novam voluntatem, ac propositum exequendi, per omnia mandata, & præcepta mea. Auferam cor lapideum, id est: durum, intractabile, inexorabile; & dabo vobis cor carneum, id est: molle, flexibile, obsequens monitis meis. Hoc autem DEUS facit per gratias illustrantes, excitantes, & cooperantes: quibus, si liberè consentiat homo, & cooperetur, & ipse facit sibi cor novum, & spiritum novum. Unde sequitur, cor lapideum non posse fieri carneum, nisi DEUS per suam gratiam; & voluntas, per suum consensum, ad id concurrat. De concursu DEI, intelligitur illud: Dabo vobis cor carneum. Et Psalmo 50. v. 12. *Cor mundum crea; in me DEUS.* De concursu autem nostræ voluntatis, *facite vobis cor novum.* Ezech. 31.

Explicatio Acatholica. Calvinus ex hoc textu, similiter, ut ex priori, infert, quòd, sicut non est in potestate lapidis, ut convertatur in carnem, sed solùm se passivè habet; ita non est in potestate voluntatis humanæ, ut ex mala fiat bona, sed merè passivè se habet.

Explicatio Sanctorum Patrum. Sanctus Augustinus, Lib. de Sp. & Liter. *Consentire vocationi DEI, vel ab ea dissentire, propria voluntatis est.* Et in libro de gratia Christi Cap. 14. *Quis non videat, venire quenquam, aut non venire, esse arbitrio voluntatis, hoc est: cooperari, vel non cooperari, gratiæ divinæ.* Demum hunc textum explicant eodem modo, quô Catholici, & alij Sancti Patres, & nominatim Sanctus Hieronymus, & Theodoretus.

TEXTUS LXXIII.

Nihil mihi conscius sum: sed non in hoc justificatus sum: qui autem judicat me, Dominus est. 1. ad Corinthios, Cap. 4. v. 4.

E*Xplicatio Catholica.* Nullius quidem infidelitatis, in administratione muneris

neris Apostolici, vel gravis alterius criminis, conscius mihi sum; non tamen ideo justificatus sum, id est: non ideo justus sum, quia bonam conscientiam habeo. Fortassis enim DEUS videt aliquid in mea conscientia, quod ego non video. Qui autem judicat me, Dominus est, id est: solus DEUS est verus Judex, qui omnia novit. Unde Catholici deducunt, neminem sine speciali saltèm revelatione, scire, aut credere fide divinâ se esse justum.

Acatholicorum Sensus. Novatores contrarium docent, ac stolidè sibi persuadent, se fide divinâ, debere credere, se electos, salvandos, ac consequenter justificatos esse.

Sensus Veterum Sanctorum Patrum. Sanctus Chrysostomus, Homil. 11. in Epist. 1. ad Corinth. citatum textum sic explicat: *Duabus rationibus hîc ait Paulus incertum esse nostrum Judicium. Primâ quidem: Quòd, etsi nobis nihil conscij simus, ejus tamen indigemus (operâ) qui peccata nostra certâ ratione corrigat. Alterâ, quòd multa nos opera latent, &c. Sed qui abscondita judicat, ille certò judicat. Is autem solus DEUS est.* Juxta illud: Proverb. 21. v. 2. *Omnis via viri recta tibi videtur, appendit autem corda Dominus.* Solus denique DEUS est scrutator cordium. Idem sentiunt & alij Sancti Patres, & nominatim Sanctus Ambrosius, Basilius, & Augustinus. Qui Serm. 34. de verbis Domini sic ait: *Fortassis tu nihil invenis in conscientia tua, invenit ille qui meliùs novit.*

TEXTUS LXXIV.

Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum. Psal. 31. v. 1. & 2.

E*Xplicatio Catholica.* Beati sunt homines, quorum iniquitates per gratuitam condonationem à DEO remissæ sunt. *Et tecta sunt peccata*, id est: obliterata, & obruta per gratiam justificantem, ita, ut scilicet non appareant oculis DEI, adeóque non ampliùs insint animæ, sed plenè remissa sint. Quæcúnque enim adhuc sunt in rerum natura, non possunt dici, tecta oculis DEI. Idem ergo est *tectum*, quod etiam *remissum*. Et cui non imputavit peccatum, scilicet néque ad culpam, néque ad pœnam.

Interpretatio Acatholica. Calvinus somniat: peccata in anima justi reverâ manere, sed latere, ac tegi justitiâ Christi, nobis imputatâ. Lutherus verò imaginatur: Non imputari peccata justis à DEO, quo ad pœnam, licèt maneant in ijsdem, quò ad culpam: sed utérque errat. Nam DEUS non potest res aliter æstimare, & imputare, quàm uti reverà in seipsis sunt. Si ergo peccatum mane-

maneret in anima, quamvis tectum, & velatum, justitiâ Christi imputatur, nunquam posse non imputari à DEO.

Interpretatio Sanctorum Patrum. Sancti Patres, eodem modô prorsus explicant hunc textum, quô Catholici, & nominatim: Eusebius, Origenes, Nazianzenus, Augustinus, Gregorius, & Theodoretus. Ex quibus Sanct. Augustin. Tom. 3. de Epistola Cap. 9. ait: *Nos justos fieri justitiâ DEI, non quâ DEUS justus est, sed quâ induit hominem, cùm sanctificat impium*; & iterum explicans justitiam nostram, *per fidem JESU Christi*, sic ait: *Sicut autem ista fides Christi dicta est, non quâ credit Christus, sic & illa justitia DEI & Christi dicitur, quòd ejus largitate nobis donatur.*

TEXTUS LXXV.

Oportet Episcopum esse unius uxoris virum,. Item: *Diaconi sint unius uxoris viri.* Ad Timoth. 3. v. 2. & 12.

INterpretatio Catholica. Oportet esse Episcopum unius uxoris virum, id est: Monogamum absolutè, qui secundas non inijt nuptias, nec successivè plures habuit uxores, sed unam tantùm. Syrus vertit: Qui unius uxoris vir fuerit. Unde non præcipit hîc Paulus Timotheo, ut qui Episcopus, vel Presbyter, aut Diaconus eligendus est, sit defacto conjugatus, vel ut postquâm ordinatus est, ducat uxorem; sed solùm, si fuerit aliquando, vel adhuc sit conjugatus, ut non nisi unam habuerit.

Acatholica interpretatio. Ministelli, hujus sæculi, homines prorsus carnales, nullum articulum suæ sectæ, tam zelosè propugnant, ac conjugium Clericorum, & ex hoc textu deducunt: Omnes Ministros Ecclesiæ, uxoratos esse debere.

Sanctorum Patrum interpretatio. Sanctus Ambrosius, Lib. 3. Epist. 25. ad Vercell. Ecclesiam, sic hunc textum interpretatur: *Apostolus unius uxoris virum præcipit esse, non quò exortem excludat conjugij, sed ut conjugali castimoniâ, servet ablutionis suæ gratiam. Néque iterum, ût filios in Sacerdotio creare, Apostolicâ invitatur authoritate, habentem enim dixit filios, non facientem.* Et Sanctus Hieronymus, Lib. 1. in Jovinianum, Cap. 19. *Non dicit Paulus, eligatur Episcopus, qui unam ducat uxorem, & filios faciat; sed qui unam habuerit uxorem, & filios in omni subditos disciplina; Certè confiteris, non posse intelligi Episcopum, qui in Episcopatu, (eadem ratio est, & de Presbyteratu) filios faciat, alioqui si deprehensus, fuerit, non quasi vir tenebitur, sed quasi adulter damnabitur.*

TEXTUS LXXVI.

Nunquid non habemus potestatem, mulierem, sororem circumducendi, sicut & cæteri Apostoli, & fratres Domini, & Cephas. 1. ad Corinth. 9. v. 4.

INterpretatio Catholica. Nunquid non habemus (ego, & Barnabas) poteſtatem, per iter circumducendi mulierem ſororem; id eſt: Matronam aliquam Chriſtianam, quæ nobis ex ſuis facultatibus, neceſſaria ſubminiſtret? ſicut circumduxerunt cæteri Apoſtoli, etiam fratres Domini, Jacobus, Judas Thadæus, Joannes, conſanguinei Chriſti, quin & ipſe Apoſtolorum Princeps Cephas, id eſt: Petrus.

Acatholica Interpretatio. Beza, & quidam alij Novatores, ut plebi perſuadeant Sanctum Paulum, cæteróſque Apoſtolos, habuiſſe uxores, Græcum γυναῖκα, quod in genere mulierum ſignificat, ipſi uxorem interpretantur, Cùm tamen phraſis illa ἀδελφοὶ γυναῖκα, nihil aliud ſignificet quàm Chriſtianam mulierem, ſicut ſimili phraſi ἄνδρες ἀδελφοί, id eſt: viri fratres, ſignificantur non mariti, ſed in genere quivis viri Chriſtiani.

Senſus Sanctorum Patrum. Sanctum Paulum nunquam uxorem habuiſſe, præter unanimem totius antiquitatis aſſenſum, certò conſtat ex ipſiuſmet Pauli verbis illis: *Dico autem non nuptis, & viduis: bonum eſt illis, ſi ſic permaneant, ſicut & ego:* ad Corinth. 7. v. 8. Deníque præter Petrum, nullos omnino Apoſtolos habuiſſe uxorem, Petrum quòque poſt vocationem Chriſti, nunquam uſum fuiſſe uxore, docent expreſsè Tertullianus, Hieronymus, & plures alij Sancti Patres. Porrò hunc citatum textum S. Auguſt. Tom. 3. de opere Monach. Cap. 4. ſic explicat: *Hoc quidam non intelligentes (inquit) non ſororem mulierem, ſed uxorem interpretati ſunt: fefellit illos verbi græci ambiguitas, verùmtamen alios interpretes non fefellit, & mulierem, non uxorem interpretati ſunt.*

TEXTUS LXXVII.

Et ego dico tibi; quia tu eſt Petrus, & ſuper hanc petram, ædificabo Eccleſiam meam. Matth. Cap. 16. v. 18.

EXplicatio Catholica. Et ego dico, revelo tibi, cur te olim dixerim vocandum Petrum. Tu enim meo decreto conſtitutus es Cephas, id eſt: Petra. Supra quam Petram ego ædificabo Eccleſiam meam; dando tibi, & tuis Succeſſoribus, ſum̄am authoritatem, ac regendi, & gubernandi poteſtatem, univerſam meam militantem Eccleſiam. Unde deducunt Catholici, Petrum Apoſtolum, his verbis conſtitutum fuiſſe, à Chriſto Caput Eccleſiæ, & ſuum in terris Vicarium, ac conſequenter, & reliquos Romanos Pontifices, Petri Succeſſores.

Acatholica Explicatio. Acatholici pertinaciſſimè negant, id, ex hoc textu colligi poſſe.

Senſus Sanctorum Patrum. Sanctus Hieronymus, Epiſtolâ, ad Damaſum Papam;

A Pa-

A Pastore præsidium ovis peto. Cum Successore Piscatoris, & Discipulo Crucis loquor. Ego Beatitudini tuæ, id est, Cathedræ Petri communione consocior, supra illam petram, ædificatam Ecclesiam scio. Sanctus Athanasius Episcopus, ad Felicem Papam: *ob id vos, prædecessorésque vestros Apostolicos, videlicet Præsules, in summitatis arce (DEUS) constituit, omniúmque Ecclesiarum curam habere præcepit.* Sanctus Augustinus, Epist. 163. *In Romana Ecclesia, semper Apostolicæ Cathedræ viguit Principatus, in qua sedit Petrus, in qua nunc sedet Anastasius.* Libro 2. cap. 21. contra Petilianum. Et Tomo 4. Quæst. 75. *Post Salvatorem, in Petro, omnes Causæ Magisterij continentur; ipsum enim constituit Caput eorum, ut esset Pastor Dominici gregis.*

TEXTUS LXXVIII.

Et portæ inferi non prævalebunt adversùs eam, scilicet Ecclesiam. Matthæi 16. v. 18.

E*Xplicatio Catholica.* Tantâ firmitate eam stabiliam, ut portæ inferi, id est Sathanæ doli, astutia, & vires omnes, non prævaliruræ sint adversùs eam, hoc est: Ecclesiam seu Petram hanc, supra quam ædificabo eam: Nam si fundamentum adversarij ejus, Dæmon scilicet, & ejusdem ministri subverterent, id est: te, tuósque Successores; eò ipso totam Ecclesiam, fundamento huic innixam, diruerent. Hinc deducunt Catholici, Ecclesiam totam, quatenus per universum Christianum orbem diffusa est, non posse in fide deficere, publicè profitendo dogma aliquod, quod sit contra fidem, ac Christi doctrinam.

Acatholicorum Sensus. Adversarij ajunt, totam Ecclesiam, quæ primis quadringentis sæculis, habuit veram Fidem & Religionem, postea defecisse, etiam quò ad Articulos Fidei, imò totam perijsse.

Sensus Sanctorum Patrum. Sanctus Augustinus, Lib. 1. de Symbolo, ad Catechumenos Capite 16. sic ait: *Ipsa est Ecclesia Sancta, Ecclesia una, Ecclesia Catholica, contra omnes Hæreses pugnans, oppugnari potest, expugnari tamen non potest.* Hæreses omnes de illa exierunt, tanquam sarmenta de vite præcisa. Ipsa autem manet in radice sua, & in vite sua, in charitate sua. Et Com 2. in Psalm. 101. contra Donatistas sic introducit Ecclesiam loquentem cum Christo: *Quid est, quòd nescio qui recedentes à me, murmurant contra me? Quid est, quòd perditi, me perijsse contendunt? Certè enim hoc dicunt, quia fui, & non sum. Annuncia mihi exiguitatem dierum meorum. Quamdiù ero in hoc sæculo? Annuncia mihi, propter illos, qui dicunt: Fuit, & non est. Apostatavit, & perijt Ecclesia, de omnibus gentibus.* Et annunciavit: *Ecce ego vobiscum sum, omnibus diebus, usque ad consumationem sæculi.* Ergo juxta Sanctum Augustinum, Ecclesia non defecit unquam à fide,

de, nec deficiet; non perijt, nec peribit; non desijt, nec desinet, ùsque ad consummationem sæculi.

TEXTUS LXXIX.

Dic Ecclesiæ. Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus. Matthæi 18. v. 17. *Visum est nobis & Spiritui Sancto.* Act. 15. v. 28.

C*Atholica Interpretatio.* Catholici, ex his, ac priori Textibus, Judicem Controversiarum in rebus Fidei, esse Ecclesiam, per Pontificem, vel per Concilia à Romano Pontifice approbata interpretantur.

Sensus Acatholicorum. Sectarij hujus temporis id negant, & divinam solùm scripturam, summum esse judicem controversiarum: & si ex ijs quæratur. Quid si autem orietur controversia de ipso sensu sacræ scripturæ, quem quis pro fidei suæ articulo probando adducit? Respondent: Recurrendum esse ad κριτήριον, seu privatum spiritum sibi dictantem verum scripturæ sacræ sensum.

Sensus Veterum Sanctorum Patrum. Augustinus, Libro contra Crescentium, cap. 23. *Quia sacra scriptura fallere non potest, quisquis falli metuit, obscuritate quæstionis, Ecclesiam de illa consulat.* Cyprian. Libro de unitate credendi, ait: *Compendium probandæ veritatis, Petro, & ejus Successoribus, in Ecclesia tribuitur.* Et Lib. 1. Epist. 3. *Nec aliunde Hæreses ortæ sunt, aut nata Schismata, quàm inde, quòd Sacerdoti DEI non obeditur, nec unus ad tempus Ecclesiæ Sacerdos, & ad tempus Judex vice Christi cogitatur.*

TEXTUS LXXX.

Pro omnibus mortuus est Christus. 2. Ad Corinth. 5, v. 15. Item: *Christus JESUS, qui dedit se redemptionem pro omnibus.* 1. ad Timot. 2. v. 6.

C*Atholica Interpretatio.* Catholica Fides tenet, Christum mortuum esse, & redemptionem dedisse pro omnibus, & singulis hominibus, uti clarissimè testantur citati textus. Et confirmant id, ex 1. Joannis cap. 2. v. 2. *Ubi Christus dicitur, propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantùm, sed etiam pro totius mundi.*

Acatholica Explicatio. Calvinus, & ejus sequaces docent, Christum pro solis prædestinatis mortuum esse. Unde Calvinus, de his, & alijs similibus textibus scripturæ sacræ ait: [in 1. ad Timoth. 2.] *Particula Universalis semper ad hominum genera referri debet, & non ad personas.*

Explicatio Sanctorum Patrum. Sanctus Ambrosius Sermone 8. in Psalm. 118.

Sol

Sol Justitiæ omnibus ortus est, omnibus venit, omnibus passus est, & omnibus resurrexit. Omitto alios Sanctos Patres in re tam clara.

TEXTUS LXXXI.

Non veni legem solvere, sed adimplere. Matthæi Cap. 5. v. 17.

EXplicatio Catholica. Non veni destruere, reprobare, transgredi Legem Moysaicam, (hoc est, Decalogum veteris legis) sed adimplere, & perficere, per consilia Evangelica, nova Sacramenta, & uberiores gratias.

Acatholicorum Sensus. Lutherus, (Sermone de Moyse) ait: *Decalogus nihil ad Christianos.* De quo Wittackerus (libro 8. contra Duræum) *Hic articulus Luthero certò dignissimus, quia summam veritatem, & consolationem continet.* Et Calvinus de vera Ecclesia, Refor. Pag. 319. *Ut liberæ sint conscientiæ, à metu æternæ mortis, ipsam quóque Legem DEI abrogare oportet.*

Sanctorum Patrum Sensus. Sanctus Augustinus, de Spiritu & Lit. Cap. 14. *In illis decem Præceptis, exceptâ sabbati observatione, dicant mihi, quid non sit observandum Christiano?*

TEXTUS LXXXII.

Memento, ut diem Sabbati sanctifices. Exod. 20. v. 8.

CAtholica Explicatio. Licèt Catholici doceant per novam legem, non esse abrogatam obligationem servandi Præcepta Decalogi, juxta illud ad Rom. 3. v. 31. *Legem destruimus per Fidem? Absit; sed Legem statuimus.* Verùm simul asserunt, ab ipsis Apostolis diei Sabbati sanctificationem, non sublatam esse, sed legitimè translatam in diem Dominicum, consequenter & dies Festos Paschatis, Pentecostes, Nativitatis Christi Domini, Assumptionis Beatissimæ Virginis MARIÆ, ab ijsdem constitutos esse. Hoc autem haberi non aliunde, quàm per Apostolicas traditiones, quas tenent omnino admittendas esse.

Acatholicorum Sensus. Acatholici pertinaciter tenent, nullas esse traditiones, etiam quas dicimus Apostolicas, servandas esse, néque aliquid credendum esse, vel servandum, quod in sacris literis, expresè non continetur. Cùm tamen inter reliqua, institutio Dominicæ diei, Festi item Paschatis, Pentecostes, nullibi clarè in scriptura sacra habeantur, & ab ijsdem desacto nihilominus retineantur.

Sensus Sanctorum Patrum. Sanctus Augustinus, Epistolâ 118. *Illa autem, quæ non scripta, sed tradita retinemus, quæ quidem toto terrarum orbe observantur, dantur*

dantur intelligi, vel ab ipsis Apostolis, vel plenarijs Concilijs, quorum est in Ecclesia saluberrima authoritas commendata, átque statuta retineri; sicut, quòd Domini passio, & resurrectio, & ascensio in Cœlum, anniversariâ solennitate celebrentur; & si quid aliud tale occurrerit, (uti est diei Sabbati in Dominicum mutatio) *quod servatur ab universa quàcunque se diffundit Ecclesia.* Mox addit: *Insolentissimæ verò est insaniæ, disputare, an faciendum sit? quod tota per orbem frequentat Ecclesia.*

TEXTUS LXXXIII.

Est autem Fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium. Ad Hebr. 11. v. 1.

Explicatio Catholica. Fides est substantia, seu subsistentia, seu faciens subsistere res sperandas, sive quæ sperantur, & nondum existunt, in intellectu, tantâ certitudine, æquè, ac si defacto existerent. Item: Est argumentum non apparentium, id est: Est Lumen, quô intellectus convincitur, ad firmiter ea credenda, quæ non videt, aut nuturaliter non capit. Unde rectè inferunt Catholici, aliud esse fidem, aliud fiduciam. Fiducia enim cùm nihil aliud sit, quàm spes roborata, in voluntate est. Argumentum verò, seu convictio, & demonstratio soli intellectui convenit.

Explicatio Acatholica. Acatholici confundunt hæc duo, fidem scilicet, & fiduciam. Unde fiduciam habere in DEO, de remissione peccatorum suorum, vel se esse in statu gratiæ, sive justificatum, aut prædestinatum, & salvandum, dicunt fide divinâ id de se, debere aliquem credere.

Sanctorum Patrum Sensus, & Explicatio. Sanctus Chrysostomus, Theodeoretus, Theophylactus, Oecumenius, eôdem prorsus modô explicant, ac interpretantur hunc textum, sicut Catholici. Et id ipsum habetur ex alijs quóque scripturæ sacræ textibus. Ut ad Ephes. 3. v. 12. *In quo habemus fiduciam, & accessum in confidentia, per fidem ejus.* Igitur fides, & fiducia, non sunt synonyma, sed fides est causa, & radix fiduciæ. Deinde ideo Paulus Apostolus distinguit hæc tria, fidem, spem, & charitatem. 1. ad Corinthios 13. v. ultimo: *Nunc autem manent fides, spes, charitas, tria hæc, &c.* Ergo fides non est idem, ac fiducia.

TEXTUS LXXXIV.

Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, si ex DEO sint, quoniam multi Pseudo Prophetæ exierunt in mundum. 1. Joannis 4. v. 1. *Nunquid omnes interpretantur?* 1. ad Corinth. 12. v. 30.

Catho-

Catholica Explicatio. Nolite omni ſuggeſtioni, impulſui, ſuaſioni, doctrinæ, credere, ſed diſcernite an ex DEO ſint, vel aliunde; ſive, diligenter examinate, an conformes ſint doctrinæ Apoſtolorum, & Eccleſiæ. Illud verò Apoſtoli Pauli: *Nunquid omnes interpretantur?* Catholici ſic explicat: quòd non cuivis homini datum eſt donum interpretandi difficiles ſcripturæ ſacræ textus, ut alibi etiam idem habet Sanctus Paulus.

Senſus Acatholicorum. Acatholici tenent ſatìs eſſe, ad interpretandam ſcripturam ſacram, ejúsque ſenſum legitimum percipiendum, uniuscujúsque privatum ſpiritum, ſeu privatam inſpirationem.

Sanctorum Patrum Senſus Vincentius Lirinenſis, in libello adverſùs Hæreſum novitates: *Quia verba Divina*, (hoc eſt divinæ ſcripturæ textus) *pro ſuo plerique Senſu interpretantes, varias opiniones, errorésque concipiunt, ideò neceſſè eſt, ut ad unam Eccleſiaſtici Senſûs Regulam, ſcripturæ Cœleſtis intelligentia dirigatur.* Et Sanctus Auguſtinus de Geneſi ad lit. lib. 7. cap. 5. v. 3. *Nobis tutum eſt in ea non progredi, aliquâ temeritate ſententiæ, quæ nullo in Catholico Regionali Concilio cœpta, nullo plenario Concilio terminata ſunt. Id autem ſit curâ ſecurâ vocis aſſerere, quod in gubernatione Domini DEI noſtri, & Salvatoris JESU Chriſti, Univerſalis Eccleſiæ conſenſione roboratum eſt.*

TEXTUS LXXXV.

Conſepulti enim ſumus cum illo per Baptiſmum in mortem: ut quomodo Chriſtus ſurrexit à mortuis, per gloriam Patris; ita & nos in novitate vitæ ambulemus. Ad Romanos 6. v. 4.

Catholica Explicatio. Conſepulti enim ſumus per Baptiſmum, nam ſicut Chriſtus mortuus corporaliter, traditus eſt ſepulturæ, ita nos mortui per peccatum ſpiritualiter, ſepelimur novo modo in Baptiſmo, in aquæ immerſione: Et quomodo Chriſtus ſurrexit à mortuis per gloriam Patris, id eſt: vitam deinceps acturus glorioſam, qualis decet Filium tanti Patris: ita & nos per Baptiſmum renovati, & à peccato emundati, vitam novam, & dignam adoptivis filijs DEI, agamus, continuò, & conſtanter in ea ambulando, id eſt pergendo, & proficiendo. Hinc inferunt Catholici, per Baptiſmum tolli, quidquid habet rationem peccati.

Acatholicorum Senſus. Acatholici, & nominatim Lutherus, Calvinus, & Confeſſio Auguſtana, negant per Baptiſmum dimitti re ipsâ peccatum originale, & in adultis peccata etiam actualia. Et Articulus IX. Gallicanæ Confeſſionis eſt: Affirmamus hoc vitium (peccatum originale ſcilicet) etiam poſt Baptiſmum, eſſe verè peccatum, quod ad culpam attinet, quamvis qui filij DEI ſunt, minimè idcirco condem-

nentur,

nentur, quoniam videlicet DEUS illud ipsis non imputat. Lutherus Libro 1. de Captivitate Babylonica, cap. de Baptismo, ausus est dicere: Baptismus neminem justificat, nec ulli prodest.

Sanctorum Patrum Sensus. Sanctus Augustinus in Enchiridio: *Quemadmodum in illo vera* [nempe Christo] *mors facta est, sic in nobis vera remissio peccatorum,* (nempe per Baptismum) *& quemadmodum in illo vera resurrectio, ita in nobis vera justificatio.* Et Sanctus Ambrosius, in Libro Epistolarum 10. Epist 84. *Dum homo exterius abluitur,* (*per Baptismum*) *mutatur interior, & fit nova creatura de veteri; vasa iræ, in vasa misericordiæ transferuntur.* Et Lib. 1. de Sacrament. Cap. 4. *Qui per hunc fontem transit, transit à terrenis ad Cœlestia. Hoc enim est Pascha, id est: transitus ejus, transitus à peccato ad vitam; à culpa, ad gratiam; ab inquinamento, ad sanctificationem. Qui per hunc fontem transit, non moritur, sed resurgit.*

TEXTUS LXXXVI.

Nunc autem manent, Fides, Spes, Charitas, tria hæc: major autem horum est Charitas. Ad Corinth. 13. v. 13.

E*xplicatio Catholica,* *Nunc,* id est, in præsenti vita manent, Fides, Spes, & Charitas: inter hæc autem tria, nobilissima est Charitas, & Fide, ac Spe præstantior, utpote, quæ nobiscum in altera quóque vita permanebit: cùm Fides, & Spes, non nisi *nunc,* id est: in hac præsenti vita maneant. Est ergo Charitas virtutum omnium maxima, eminentissima, & quasi Regina.

Sensus Acatholicorum. Lutherus, & Calvinus, quibus perenne est, verbo DEI contradicere, contra hunc clarum scripturæ sacræ textum, dicunt fidem charitate majorem, & diviniorem esse.

Sanctorum Patrum Sensus. Omnes Sancti Patres Primitivæ Ecclesiæ, idem etiam hac in parte sentiunt, quod Catholici hujus quóque temporis, conformiter ad reliquas scripturas, quæ testantur: Diligere DEUM esse maximum, & primum mandatum. Matthæi 22. v. 38. Sicut & Sanctus Paulus ad Colosens. 3. 14. *Charitatem vocat vinculum perfectionis,* & 1. ad Corinth. 13. *Et si habuero fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum.*

TEXTUS LXXXVII.

Declina à malo, & fac bonum, & inhabita in sæculum sæculi. Psal. 36. v. 27.

C*atholica Explicatio.* Primò, hoc tibi cavendum est, ne quæ lege prohibita sunt,

sunt, ea facias: deinde omnibus viribus enitendum, ut quæ per legem præcepta sunt, exequaris, quæ dein si præstiteris, inhabitabis cœlestem illam Hierusalem in sæculum sæculi, seu per totam æternitatem.

Acatholicorum Sensus. Ex Acatholicorum modernorum principijs, totus sensus præcitati textûs evertitur, ac pervertitur. Nam juxta eorundem doctrinam. Primò: impossibile est homini servare præcepta DEI. Secundò: Bona opera nihil prosunt ad salutem. Tertiò: Omnia bona opera, sunt peccata mortalia. Quartò: Liberum arbitrium non datur, sed DEUS operatur bona in bonis; & mala, seu peccata, in malis. 5tò; fides sola ad salutem sufficit. Quibus positis, frustraneum est, alicui suadere, ut à malo declinet, cùm hoc sit illi impossibile; vel ut faciat bonum, cùm hoc sit inutile. Deinde si omnia nostra opera sunt peccata, idem esset dicere: declina à malo, & fac bonum, ac dicere: declina à malo & fac malum.

Sensus Sanctorum Patrum. Sancti Patres omnes, docent omnia peccata cavenda esse, & hortantur nos, ad bona opera exercenda, ita, ut sine his duobus, consequi minimè valeamus vitam æternam, & inhabitare Cœlestem illam Hierusalem.

TEXTUS LXXXIX.

Doctrinis varijs, & peregrinis nolite abduci. Ad Hebræos 13. v. 9.

C*Atholica Explicatio.* Doctrinis varijs, id est: dessidentibus inter se, & peregrinis seu adventitijs, & alienis à doctrina, & Spiritu Apostolorum, & Ecclesiæ, nolite abduci, id est: ne patiamini vos illis rapi, licèt fortasse videantur plausibiles. Unde Catholici inferunt: Inter præcipuas notas veræ Ecclesiæ esse unitatem doctrinæ in articulis fidei, tam doctorum inter se, quàm cum suo capite. Iterum, aliam notam esse, consensum cum antiquitate, & primitiva Ecclesia; átque hac de re gloriantur, quòd ejusdem Doctores, & Scriptores, licèt loco, & tempore dissiti, in rebus fidei, ac religionis, sint per omnia concordes. Item, quòd inter Catholicos sit unio membrorum Ecclesiæ, cum suo capite, Romano scilicet Pontifice, & Papâ: hinc Papistas libenter patiuntur se dici, & appellari ab adversarijs. Item, quòd eorundem doctrina, ad amussim conveniat, cum Doctoribus primitivæ Ecclesiæ.

Acatholicorum. Acatholicorum è contra doctrinæ variæ sunt, & dissidentes valde inter se, nec sunt conformes doctrinæ Sanctorum Patrum primitivæ Ecclesiæ. Nam non solùm inter se dissident, Calvinistæ, Lutherani, & Ariani novi, sed ipsi quóque Lutherani ad invicem. Hi enim vix orti, statim cœperunt dividi in Anabaptistas, Confessionistas, & rursum singulæ Sectæ, in alias átque alias, ut sunt: Interimistæ, Carlostadiani, Brentiani, Bibliotæ, Antitrinitarij, ita, ut ferè centum Sectæ prodierint, ex uno Lutheranismo. Calvinistæ similiter scissi, in Puritanos, Presbyterianos, rigidos Calvi-

Calvinistas, molles Calvinistas, non dependentes, & alias Sectas quàm plurimas. Omnes autem recedunt ab unitate doctrinæ, Sanctorum Patrum primitivæ Ecclesiæ, & ab illorum interpretatione textuum scripturæ sacræ, ut hactenus ostensum est, nec illorum antesignani, id palàm diffitentur.

Sensus Sanctorum Patrum. Theodoretus, (Oratione 1. de Providentia) *Multiplex quidem, & varium est mendacium, simplex verò veritas.* Et Irenæus lib. 4. Cap. 69. *Nos de ijsdem rebus, semper eadem dicimus, consonanter, & similiter.*

TEXTUS XC.

Elegit nos, ut essemus Sancti, & immaculati in conspectu ejus. Credimus, quasi unum habentes cor, unum os, in Charitate. Ad Ephes. 1. v. 4.

Catholica Explicatio. Elegit nos DEUS, ante constitutionem mundi, seu ab æterno, intuitu meritorum Christi, & postea in tempore, vocavit ad agnitionem veræ Fidei; ut si vellemus illius gratiæ cooperari, fieremus, & essemus Sancti, id est: Justi. Græcè ἀμώμȣς, id est inculpati, irreprehensibiles, in conspectu DEI, in charitate, hoc est: in fide quæ per charitatem operatur, seu bonis operibus conjuncta, juxta eundem Paulum, ad Galat. 5. v. 6. Hinc deducunt Catholici, ad rectam, & veram Fdem, seu Religionem, & Ecclesiam spectare, ut sit sancta, conformiter ad symbolum Apostolorum, in quo dicitur: *Credo Sanctam Ecclesiam.* Illa ergo est Ecclesia Sancta; quæ & fideles suos instruit ad sanctitatem sectandam, & quærendam: & quæ habuit, & habet complures è fidelium numero sanctitate conspicuos. Utrúmque hoc convenit Ecclesiæ Catholicæ, quæ & sanctitatem suâ doctrinâ suadet, deterrendo à vitijs, ac perurgendo ad bona opera, per virtutum studium. Et innumeras habuit personas, sanctitate conspicuas, quod néque ipsi adversarij negare possunt.

Acatholicorum Sensus. Acatholicorum doctrina, potiùs incitat ad peccata, & bona opera disuadet, ac contemnit, & sic viam ad omnem laxitatem sternit, solam autem fidem ad salutem sufficere asserendo. Unde Lutherus Tomo 5. Wirtemb. fol. 310 ait: Concludendum solâ fide, non fide formatâ, nos justificari. Et Tomo 1. Lat. v. 1. anno 1545. impresso: Fides nisi sit sine ullis, etiam minimis bonis operibus, non justificat, imò non est fides. Calvinistæ insuper, per suam prædestinationem, omnem curam benè ac sanctè vivendi, vel peccata cavendi, deponunt. Nec ullum sanctum suæ Sectæ fuisse ostendere possunt.

Sensus Sanctorum Patrum. Sanctus Hieronymus ad Paulam: Fides DEI non est otiosa, néque solitaria, individua comes ei jungitur bonæ operationis instauratio,

ratio, *Nam cùm per fidem quis cognita incipit amare, conſequenter exercet operando, quod amat.*

TEXTUS XCI.

Prædicaverunt ubique Domino confirmante, ſequentibus ſignis, Marci 16. v.

E*Xplicatio Catholica.* Apoſtoli, poſtquam in eos deſcendit Spiritus Sanctus, profecti, prædicaverunt Evangelium ubique, id eſt, ſine ullo diſcrimine Nationum, Domino cooperante, id eſt: conatus eorum juvante, & promovente, & ſermonem confirmante, ſequentibus ſignis, id eſt: efficiendo, ut miracula per eos fierent, quibus Evangelij verbum, quod prædicaverunt, confirmabatur. Unde Catholici ponunt inter alias notas Eccleſiæ veræ, etiam ſigna miraculorum, quæ in Eccleſia Catholica ſemper viguiſſe, & etiam nunc vigere, teſtantur, tot Scripta, & vitæ Sanctorum.

Senſus Acatholicus. Acatholici moderni, eorúmque Anteſignani, nulla miracula præſtiterunt, & ut quidam ait: nec quidem claudum equum, in confirmationem ſuæ doctrinæ, ſanare potuerint. Unde Lutherus, in Caput 7. Matthæi, Tomo 2. folio, 92. ex deſperatione miraculorum, à ſe & ſequacibus ſuis patrandorum dicit: Signis nihil prorſus moveor, etiamſi me vidente, mortuos in vitam revocares.

Senſus Sanctorum Patrum. Sanctus Auguſtinus, Tomo 6. contra Epiſt, fundament. ait; Multa ſunt, quæ in Eccleſiæ Catholicæ gremio me juſtiſſimè teneant: Tenet conſenſus populorum, átque gentium; tenet *authoritas miraculis inchoata*, ſpe nutrita, charitate aucta, vetuſtate firmata; tenet ab ipſa ſede Petri Apoſtoli, cui paſcendas Oves ſuas Dominus commendavit, úſque ad præſentem Epiſcopum, ſucceſſio Sacerdotum.

TEXTUS XCII.

Hoc primùm intelligentes, quòd omnis Prophetia Scripturæ, propriâ interpretatione, non fit. 2. Petri, Cap. 1. v. 20.

E*Xplicatio Catholica. Hoc primùm,* ſeu ante omnia, *intelligentes,* id certò vobis perſuadete, quòd omnis prophetia, id eſt, explicatio, & interpretatio ſcripturæ ſacræ, *non fit,* id eſt: fieri non debet, nec poteſt propriâ interpretatione, id eſt, proprio acumine, & ingenio naturali, & humano, proprio ſenſu, privatâ doctrinâ, vel authoritate.

Acatholicorum Sensus. Novatores hodierni pro suo libitu, & sensu, interpretantur ineptè, & falsissimè scripturæ sacræ textus. Sic Calvinus, illud Matthæi 19. v. 17. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata,* sic interpretatur: *Ne serves mandata, quia id non prodest, nec est possibile.* Brentius vero sic: si vis æternùm damnari, serva mandata. Idem Calvinus, verba illa Christi: *Hoc est corpus meum.* Sic vertit: Hic panis, est figura, seu imago Corporis mei. Libro 1. Instit. Capite 13. §. 12. Zuinglius verò sic: Hic panis, significat corpus meum. Carlostadius autem sic: Ad hanc mensam sedet Corpus meum. Paræus, Lib. 4. de Eucharistia, cap. 2. verba illa: *Hic est Sanguis meus*, sic interpretatur: *Hæc est, acerba illa mors, & passio, quam sustinebo.* Verba illa Sancti Pauli, ad Thessalonicenses, 2. v. 15. *Fratres state, & tenete traditiones, quas didicistis*, in suis Biblijs sic ponunt: Fratres state, & tenete documenta, quæ didicistis, ut excludant traditiones Apostolicas. Item textum ejusdem Sancti Pauli, ad Hebræos, cap. 13. v. 4. *Honorabile connubium in omnibus*, liberales hi veneris patroni, vertunt; Honorabile conubium inter omnes, nempe ut sic defendant Matrimoniũ etiam Sacerdotum. Item ad Ephes. 5. v. 22. Ubi Apostolus disserens de Matrimonio, sic pronunciat: *Sacramentum hoc magnum est.* Loco illius Novatores supponunt: Secretum hoc magnum est, ne cogantur admittere Matrimonium esse Sacramentum. Longum esset alias falsas, & perversas eorum interpretationes, adducere.

Sensus Sanctorum Patrum. Sanctus Augustinus, in Genes. de Sp. & Li. 7. Cap. 9. *Omnes,* (inquit) *Hæretici scripturas legunt, nec ob aliud sunt Hæretici, nisi quòd eas non rectè intelligentes, suas falsas opiniones, cotra earum veritatem, pervicaciter asserunt.* Et in Psal. 10. *Credo scripturas, quas illi carnaliter interpretando, venenatas inde sententias emittunt.* Et Tractatu 10. in Joannem. *Néque enim natæ sunt Hæreses, & quædam dogmata perversitatis, illaqueantia animas, & in profundum præcipitantia, nisi quòd scripturæ bonæ, intelliguntur non bene; & quòd in ijs non bene intelligitur, etiam temerè, & audacter asseritur.*

TEXTUS XCIII.

Si quis apposuerit ad hæc, apponet DEUS super illum plagas scriptas in Libro isto; Et si quis diminuerit de verbis libri Prophetiæ hujus; auferet DEUS partem ejus de libro vitæ. Apocalyp. Cap. 22. v. 18. 19.

C*atholica Explicatio.* Si quis ad hæc verba libri Prophetiæ hujus, (& eadem est ratio, etiã de reliquis sacræ scripturæ libris) aliquid de suo addiderit,

rit, seu apposuerit, aut certè detraxerit quidpiam, aut diminuerit; incurret iram divinam, & horribiles plagas, hoc libro expressas.

Acatholicorum Sensus. Novatores totum hunc librum Apocalypseos, ex Catalogo Librorum Canonicorum scripturæ sacræ, tollunt, & eliminant, unâ cum alijs compluribus: sed & alios scripturæ sacræ textus depravant, ijs addendo aliquid, vel eosdē diminuendo, aut mutando. Sic Lutherus, ex Epist. 2. Petri, Capite 1. Satagite, ut per bona opera, certam vocationem vestram, & electionem faciatis, delevit verba illa: *per bona opera.* Et vicissim textui illi, ad Romanos 3. v. 28. Arbitramur hominem justificari per fidem, addit *per solam fidem,* (uti jam superiùs adnotavimus) In Evangelio Marci, & Lucæ 20. v. 20. Ubi apertè legitur: Hoc est Corpus meum, plerique Sectarij imprimunt: Hîc est Corpus meum.

Sensus Sanctorum Patrum. Non est opus magnâ hoc in puncto probatione. Nam ratio ipsa dictat, falsarios illos esse, qui authenticis instrumentis literarijs, & testamentis, ac fæderibus (quibus titulis, scripturam sacram Sancti Patres indigitant) audent aliquid ex suo addere, aut demere. In S. Augustino Tom. 20. de Tempore Sermone 191. inquit: *Novum & Vetus Testamentum recipimus, in illo Librorum numero, quem Sancta Ecclesiæ Catholicæ tradit auctoritas.*

TEXTUS XCIV.

Ideò, & nos gratias agimus DEO sine intermissione: quoniam cùm accepissetis à nobis verbum auditûs DEI, accepistis illud, non ut verbum hominum, sed (sicut est verè) verbum DEI, qui operatur in vobis, qui credidistis. Ad Thessalon. 1. Cap. 2. v. 13.

CAtholica Explicatio. Catholici, illud *accepistis verbum auditûs DEI,* sic explicant: Accepistis verbum per prædicationem de DEO, quam audistis: qui DEUS operatur, & perficit in vobis gratias, & beneficia sua, quæ per Evangelium, seu per Christum credidistis, ob ventura vobis. Verba igitur Apostolorum sunt verba DEI. Apud DEUM autem locum non habet, *est,* & *non*; sed *est, est*; vel *non, non*; hoc est: in verbis DEI, & doctrina illa, quam inspirat, non invenitur ulla vera contradictio.

Acatholica Contradictio. Novatorum Antesignani, non erubescunt mentiri, & sibimetipsis contradicere. Undè verba illorum, & doctrina, non fuerunt verba DEI, sed hominum, (omnis autem homo mendax) vel ipsius Patris mendaciorum, qui est diabolus. Sic Lutherus, modò admittit septem Sacramenta, modò tria tantùm; modò duo, modò unum. Per Baptismum in uno loco ad-

mittit deleri peccatum originale, negat in alio. In Sacramento Altaris, jam admittit esse Corpus Christi, per transubstantiationem, jam negat; jam liberum ait esse, sive id quis affirmet, sive neget. Missam in uno loco asserit esse impijssimum usum, in altero tanquam opus utile, laudat. Confessionem Auricularem semel ut utilem, imò ut necessariam laudat, & alibi eandem, ut fictionem hominum condemnat. Purgatorium subinde negat, & alibi affirmat, se non solùm credere, sed etiam certissimò scire, Purgatorium esse. Plura alia omitto. In Calvini quóque scriptis, similia est invenire.

Sensus Sanctorum Patrum. Juxta Sanctorum Patrum Sensum, & ipsius scripturæ sacræ testimonium. Verba scripturæ sacræ sunt eloquia Domini, eloquia casta, argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum septuplum. Psal. 11. sunt enim pura, & syncera verba DEI, nullo errore, aut mendacio, aut dolo admixta, non qualia solent esse verba hominum, de quibus prædixerat: *Diminutæ sunt veritates à filijs hominum, vana locutus est, unusquisque ad proximum suum: labia dolosa, in corde, & ore locuti sunt.* Quam in rem Sanctus Augustinus Lib. 2. de Consensu Evangelistarum, sic disserit: *Omnem autem falsitatem abesse ab Evangelistis docet non solùm eam, quæ mentiendo promittitur, sed etiam eam quæ obliviscendo.*

TEXTUS XCV.

Cùm loquitur (diabolus) mendacium, ex proprijs loquitur, quia mendax est, & Pater ejus. Joan. 8. v. 44.

C*Atholicorum Explicatio.* Nulla est fidelitas, vel veritas in diabolo, sed totus mendacijs scatet, ut meritò spiritus mendacij vocetur, adeoque addictus est falsitati, & mendacio, ut proprium id illi esse, & quasi in naturam versum videatur: imò pater mendacij, meritò audiat, quia primus est ejus inventor, author, fautor, & continuator perpetuus. Unde infertur, in nullo casu licitum esse mendacium, ne tunc quidem, quando mentiendo, nemini obesses, & tamen alicui prodesses.

Politicorum Error. Politici opinantur, & opinando errant, in utilitatem sui, vel alterius, ac sine detrimento alicujus, licitum esse mendacium, ita, ut pro axiomate teneant: *Pulchrè mentiri, non est peccatum.*

Sanctorum Patrum Sententia. Sanctus Chrysostomus, de Doctrina Christiana: *Omnis, qui mentitur, iniquitatem facit, & si iniquum videtur, utile aliquando esse mendacium, potest videri utilem aliquando esse iniquitatem. Aut igitur utilis est iniquitas aliquando, quod fieri non potest; aut mendacium semper inutile est.*

Et

Et Sanctus Basilius Libro de Spiritu Sancto, in Procemio: *Rerum omnium potentissima est veritas, & extrema malitiæ linea mendacium.*

TEXTUS XCVI.

Scrutamini Scripturam. Joannis 5. v. 39.

HUnc textum pro se allegant Novatores, quasi verò cuique licitum esset articulos Fidei ad Scripturæ examen revocare, ac eandem proprio sensu, & privato spiritu interpretari. Sed hic textus à Catholicis aptiùs in illos retorquetur, tali modò, *scrutamini scripturam*, hoc est: Examinate, & diligenter considerate, utrùm veram versionem scripturæ sacræ, sive Bibliorum habeatis. Et quidem meritò: quia præterquam quòd omnes Catholici, cunctas vestras versiones improbent, eásque multis ac gravibus erroribus, fallacijs, & depravationibus manifestis ostendant, ac demonstrent; ipsimet, inter vos ita diffidetis, circa vestras Bibliorum versiones, ut de nulla certi possitis esse, an sit vera versio. Certè Lutherus ipse, (teste Cochlæo in actis Lutheri) post annos viginti fassus est: se crebriùs errâsse in versione Bibliorum. Ejusdem Lutheri versionem carpunt, & irrident Tigurini, & Ossiandrini, eidémque exprobrant dolum, & falsitatem in illorum versione. Eidem Bucerus manifestos lapsus objicit; Munsterus eidem exprobrat, multorum sensuum omissionem. Versionem Biblicam Theodori Bezæ, damnat ipse Castilio: & vicissim Beza, versionem Castilionis vocat impiam, ineptam, falsam, imperitam, blasphemam, ridiculam, execrándam. Versionem Sebastiani Munsteri, perstringunt Tigurini, ac vice versâ, Biblia Tigurinorum, damnat Lutherus. Versionem Basiliensium, Beza appellat in multis locis impiam. Calvini versio (teste Molnaro) addit litteræ, & illam in multis locis transponit, & teste Bezâ, mutat sæpe textum: asserit Castilio: Si omnes errores Calvini notarentur, quos commisit in versione scripturæ sacræ, magnum volumen, ac opus esset. Versionem Bibliorum Genuensium, Rex Angliæ Jacobus, cum suis censuit, omnium, quæ illi unquam in manus venerint, deterrimam. Eadem ratio est de cæteris vestris versionibus.

Sanctorum Patrum Sensus. Sanctus Damascenus Libro 4. de Orthodoxa Fide, Cap. 18. Si legerimus (scripturæ sacræ difficiliores intellectu textus) semel, aut bis, & non intellexerimus, quæ legerimus, non improbemus, non detrahamus, sed perserveremus, excitemur, interrogemus. *Interroga* (inquit) *patrem tuum, & annuntiabit tibi: majores tuos, & dicent tibi.* Deutron. 32. 1. ad Corinth. 2. *Non enim est omnium scientia,* sic ille. Non ergo in sacris scriptu-

ris

ris debemus sequi, has novellas versiones, & lectiones, sed interrogemus Matrem nostram Ecclesiam; majores nostros, nempe primitivæ Ecclesiæ Patres, & dicent nobis, quænam versio scripturæ sacræ, sit vera, genuina, & optima, scilicet quâ tot sæculis usa semper fuit tota Ecclesia.

TEXTUS XCVII.

Visum est nobis, & Spiritui Sancto. Actor. 15. v. 34.

E*Xplicatio Catholica.* Ex hoc textu concludunt Catholici, in legitimis Concilijs, infallibiliter adesse Spiritum Sanctum, sic divinâ suâ gubernatione, dirigentem congregatos, ut in definiendo non errent.

Sensus Acatholicorum. Acatholici omnia licèt Concilia rejiciant. Prima tamen quatuor Concilia, nempe: Nicænum, Constantinopolitanum, Ephesinum, & Chalcedonense, plerique eorum venerantur, ac recipiunt: & ipse etiam Calvinus, Lib. 4. Institut. Cap. 9. §. 8. dicit: *Priscas Synodos; ut Nicænam, Constantinopolitanam, Ephesinam, Chalcedonensem, & similes, libenter amplectimur, reveremur, ut sacrosanctas, quantùm attinet ad fidei dogmata; nihil enim continent, quàm puram, & nativam scripturæ interpretationem: quam Sancti Patres, spirituali prudentiâ, ad frangendos Religionis hostes accomodârunt.* Verùm, estò id verbis dicant, reipsâ tamen ijsdem contradicunt, Nam Ephesinum Concilium, Incruentum Altaris Sacrificium confitetur. Chalcedonense, Sanctorum invocationem approbat. Constantinopolitanum, quartum, Iconoclastis, pro Imaginum sacrarum cultu se opponit. Concilium Romanum, celebratum Anno Domini: 492, & ante hoc, Carthaginense secundum, Catalogum, sacrorum librorum nunc receptum, agnoscit. Quibus moderni Acatholici contrariantur. Ergo etiam illa antiqua Concilia, quæ celebrata sunt, tempore adhuc secundùm ipsos incorruptæ Fdei, non audiunt.

Sensus Sanctorum Patrum. Augustinus, in Epist. 162. dicit: *Ultimum Judicium Ecclesiæ esse, Generale Concilium.* Sanctus Athanasius, in Epistola ad Epictetum, quam citat etiam Epiphanius Hæresi 77. miratur, quomodo illi, nempe Hæretici, audeant quæstionem movere, de rebus in Concilio Nicæno definitis. Demum Sancti Patres unanimiter docent, esse Hæreticos & excommunicandos omnes, qui non acquiescunt Concilijs plenarijs.

TEXTUS XCVIII.

Testimonia tua credibilia facta sunt nimis. Psalmo 92. v. 5.

Catholica Explicatio. Testimonia, id est promissa tua, quibus testatus es, & promisisti; sicut & mysteria, quæ revelâsti, sunt fidelia, vera, dignissima creditu, ita, ut tutissimè ijs credere possimus, ábsque omni prorsus dubitatione; nam estò aliqua sint supra rationem, non tamen sunt contra rationem.

Acatholicorum Doctrina. Doctrina Novatorum, multa continet prorsus incredibilia, & prorsus cum recta ratione pugnantia. Incredibile enim est primò: Omnes Christianos esse Sanctos, ac est MARIA. Hoc tamen docuit Lutherus, Sermone de Natali Beatæ Virginis. Incredibile Secundò: Omnes infantes habere fidem actualem, & usum rationis, tunc, cùm vix nati baptizantur: at id docent Lutherani. Incredibile est tertiò: Quòd justus in omni opere bono peccet: at Lutherus id docet, Tomo 1, pag. 141. Incredibile est quartò: Nihil saluti, enormia quamvis obesse flagitia, præter incredulitatem, at id Lutherus docet. Incredibile est quintò: Continentiam, & castitatem, esse coram DEO deteriorem, statu conjugali. Incredibile est sextò: Ad Eucharisticam communionem, nullam requiri præparationem, vel de peccatis dolorem. Incredibile est septimò: Nefas esse cum Turcis bellum gerere, at hæc omnia docuit Lutherus. Incredibile est octavò: Quòd omnes Christiani, etiam fœminæ sint Sacerdotes, & habeant circa prædicationem, & Sacramenta, eandem potestatem: at id docet Lutherus. Incredibile est nonò: Quòd DEUS homines ad æternum supplicium, sine ulla ipsorum culpa, præordinat. Hoc tamen docet Calvinus, Lib. 3. Instit. Cap. 23. § 2. Incredibile est decimò: Quòd DEUS miris modis illudat hominibus, simulans se velle eos juvare, cùm nihil minùs velit, id tamen docet Calvinus. Lib. 3. Instit. Capite 24. § 13. Incredibile est undecimò: Furtum unius nummi, vel minimum verbum otiosum, esse æquè peccatum mortale, ac parricidium, vel furtum mille aureorum. Plura hîc omitto.

Sensus Sanctorum Patrum. Scriptura Sacra, meritò à Sancto Basilio, Epist. 1. Tomo 2. *Assimilatur Tabernæ Pharmacopolæ, varia medicamenta, ad omnes morbos propulsandos suppeditanti, adeò ut nullum sit bonum, ad quod non impellat, átque excitet; nullum vitium, à quo non avocet, & absterreat.*

TEXTUS XCIX.

Narraverunt mihi iniqui fabulationes, sed non ut lex tua. Psalmo 118. v. 85.

Explicatio Catholica. Iniqui, non quicúnque, sed qui scienter legem tuam abjecerunt, eámque contemnunt, ac negligunt, mihi suas fabulas, suaves quidem corporis sensibus, sed non animo, narraverunt, utpote, pietate omnii carentes; sed eæ mihi ingratissimæ fuerunt, longè enim absunt à dulcedine

legis tuæ, quæ meditantis, átque in ea se exercentis, animum delectat, ac reficit, & ad pietatem accendit.

Acatholicorum Doctrina. Acatholicorum modernorum doctrina, longissimè abest ab omni pietate. Quæ enim major impietas esse poterit, quàm dicere DEUM esse causam peccati, suasorem, suggestorem, & authorem, volentem peccatum; & proprium esse opus DEI, ut vocationem Pauli, ita adulterium Davidis, ac Judæ proditionem? Et tamen hoc docet Calvinus. Lib. 1. Institut. Cap 3. §. 23. Secundò: Quæ major impietas quàm dicere, delirium esse, si quis dicat DEUM omnia sine repræhensione agere, cùm tamen DEI perfecta sint opera? Deutron. 32. v. 4. At hoc docet Calvinus, Libro de Prædestinatione, pag. 329. Tertiò: Quæ major impietas, quàm dicere commentum illud, de absoluta Potentia DEI, execrandam blasphemiam esse? At sic blasphemat Calvinus, in Isaiam Cap. 23. Quartò: Quæ major blasphemia, quàm dicere Christum inquinatum fuisse affectu vitioso, & eum in horto vocem sine ratione edidisse? Et tamen hoc asserit Calvinus, Lib. 2. Institut. Cap. 16. §. 12. Quintò: Quæ major impietas, quàm dicere: Christum in Cruce desperâsse? Et tamen sic blasphemat Calvinus, Lib. 2. Institut. Cap. 16. Sextò: Quæ major impietas, Christum ignorantiâ laborâsse, in quo erant omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ DEI? Et tamen hoc docet Calvinus, in harmonia Evangelij. Et in Caput 24. Matthæi. Septimò: Quæ major impietas, quàm Christum negare esse DEUM? At Lutherus, Disp. 1. de unitate essentiæ divinæ, ait: *Nihil mirum si totus mundus, Christum neget esse DEUM.*

Sensus Sanctorum Patrum. Sancti Patres, non sine causa requirunt ad utilem lectionem scripturæ sacræ, ejúsque veram intelligentiam. Primò: ut legens, & intelligere cupiens, fide emineat, juxta illud: *Nisi credideritis, non intelligetis.* Isa. 7. Secundò: Ut ab omni inordinato affectu sit liber. *Animalis enim homo, non percipit ea, quæ sunt Spiritûs DEI: Stultitia enim est illi, & non potest intelligere; quia spiritualiter examinatur.* 1. ad Corinth. 2. Tertiò: Ut sit humilis. Nam Proverb. 11. *Ubi est humilitas, ibi & Sapientia.* Quartò: Ut sit Sectator sobrietatis, & temperantiæ, juxta illud Isaiæ 28. *Quem docebit scientiam? & quem intelligere faciet auditum? Ablactatos à lacte, avulsos ab uberibus.* Illi autem vocantur ablactati, à lacte & uberibus, qui carnis frenant cupiditates, ijsdémque moderantur. Quintò: Ut ardeant charitate erga DEUM, & proximum. Juxta illud Christi, Joann. 15. *Qui diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum.* Et rursus v. 15. *Vos autem dixi amicos quia omnia quæcúnque audivi à Patre meo, nota feci vobis* Quæ prærequisita, quia non habuerunt hi Hæresiarchæ, quid mirum si in tantum aberrârunt.

TEX-

TEXTUS C.

Hoc autem ſcito, quòd in noviſſimis diebus, inſtabunt tempora periculoſa, erunt homines, ſe ipſos amantes, cupidi, elati, ſuperbi, blaſphemi, parentibus nonobedientes, ingrati, ſceleſti, ſine affectione, ſine pace, criminatores, incontinentes, immites, ſine benignitate, proditores, protervi, tumidi, & voluptatum amatores, magis quàm DEI, habentes ſpeciem quidem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes. Timoth. 3. v. 1. 2. 3 4. 5.

C*Atholica Explicatio.* *In noviſſimis diebus*, noviſſimo tempore, hîc vocat Apoſtolus ea, quæ à ſuo tempore ſecutura, & decurſura erant, úsque ad finem mundi. *Tempora periculoſa.* Id eſt: difficilia, & moleſta, quia ſcilicet multi homines erunt mali, & ijs vitijs notati, quæ hîc enumerat. *Seipſos amantes*, ſuæ gloriæ, lucris, ac voluptatibus indulgentes. *Cupidi*, id eſt: amatores pecuniæ, avari. *Elati*, id eſt: faſtuoſi, arrogantes, jactabundi. *Blaſphemi*, id eſt: maledici, contumelioſi. *Sine affectione*, id eſt: ſine vera pietate, ſine viſceribus compaſſionis. *Sine pace*, id eſt: fœdifragi, & qui cum alijs pacificè vivere neſciunt. *Criminatores*, id eſt: calumniatores. *Incontinentes*, id eſt: luxurioſi, & gulæ ſervientes. *Immites ſine benignitate*, crudeles in bonos, non amantes, hoc enim vox Græca ἀφιλάγαθοι. *Proditores*, id eſt: amicitiæ deſertores. *Protervi*, id eſt: leves, & inſtabiles. *Tumidi*, id eſt: ſuperbiâ afflati. *Habentes quidem ſpeciem pietatis*, id eſt: ſub fucata ſpecie pietatis, veram religionem conantes evertere. *Virtutem autem ejus penitus abnegantes*, nempe verbis affectabunt, quod opere negabunt.

Citatæ prædictionis Sancti Pauli, ad Anteſignanos modernarum Hæreſum, genuinal Applicatio. Deſcribitur hac prædictione genuinè, ac exactiſſimè genius ac Indoles Hæreſiarcharum; adeóque, & Lutheri ac Calvini. Qui *venerunt*, & non miſſi ſunt, *noviſſimis* his diebus, poſt quorum peſtilentis doctrinæ promulgationem, ſtatim ſucceſſerunt *tempora periculoſa*, difficilia, vitioſa, tumultuoſa, contentioſa, in quibus plurimi mortalium, velut freno excuſſo, & laxatis habenis, effuſi ſunt ad omnem vitæ licentiam, & proruerunt in genera omnium vitiorum; & à recto fidei tramite aberrantes, prolapſi ſunt in inextricabilem labyrinthum innumerabilium errorum. Porrò quàm cætera vitia, ibi à Sancto Paulo enumerata, his Pſeudo-Evangeliſtis conveniant, patet ex ſuprà dictis, & clariùs patebit, ex infrà dicendis. Erant enim homines, *ſeipſos amantes*, qui per ſuam doctrinam, non aliud, quàm vanæ æſtimationis gloriam, & effrenatam licentiam carnis quæſivêre. Fuêre *cupidi*, & per cupiditatem, quàm plurimos ad ſuas Sectas traduxêre, invitando eoſdem ad Eccleſiaſtica bona invadenda, &

diripienda. Fuêre *elati*, *& superbi*, omnibus Sanctis Patribus, & ipsi Ecclesiæ se præferentes: Unde Lutherus ausus est dicere: nihil curo mille Augustinos, mille Cyprianos Simili modo & Calvinus, profitetur se intelligendis scripturis, plùs lucis attulisse, quàm omnes Doctores multorum sæculorum. Fuêre *sine affectione*, seu sine ulla pietate, quam penitus è cordibus sibi adhærentium, & exemplo, & doctrinâ abstulêre. *Sine pace*, utpote: qui tantas turbas in negotio Religionis excitavêre. *Criminatores*, quia Ecclesiam tam horrendis Calumnijs, & falsis criminationibus affecêre. *Blasphemi*, tantas blasphemias contra DEUM, Christum, & Sanctos evomentes. *Incontinentes*, continentiam siquidem quam DEO voverant, sacrilegis nuptijs profanavêre, & alijs viam ad omnem luxuriam aperuêre. Certè Lutherus docuit: Bigamiam licitam esse. Calvinus simile quid docuit, dicendo: Licitum esse divortium, etiam quò ad vinculum Matrimonij. Plura hac in materia, ipsimet dixêre, & patravêre. *Parentibus inobedientes*, Ecclesiæ Matris suæ, obedientiâ se subtrahentes, imò contra illam insurgentes. *Immites*, quantam enim crudelitatem ipsorum sequaces, in Catholicos, in Gallia, Anglia, & Hungaria exercuêre, odiô contra eosdem ex doctrina illorum haustò? *Proditores*, utpote: ab Ecclesia transfugæ, eamque hostibus ejusdem, nempe: jam pridem damnatis Hæresibus prodentes. *Protervi*, hoc est: leves, & instabiles, toties sibi ipsis contradicentes. *Habentes speciem pietatis*, ore nihil aliud quàm Evangelium proferentes, & Christi merita, ac fidem; virtutem autem, hoc est: *vim pietatis*, quæ consistit in exercitio bonorum operum ac virtutum, *penitus abnegantes*.

Sanctorum Patrum de Hæresibus Sensus. Irenæus Lib. 5. Cap. 8. Hæc est ostensio omnium Hæreticorum, qui operibus justitiæ non adornantur: sed canum, ac porcorum assumpserunt vitam; immunditiæ, & gulæ, & reliquæ incuriæ semetipsos tradentes. Et in præscriptionibus. Cap. 41. *Non omittam ipsius conversationis Hæreticæ descriptionem, quàm futilis, quàm terrena, quàm humana sit, sine gravitate, sine disciplina, ut fidei suæ congruens. Omnes tument, omnes scientiam pollicentur.* Et Augustinus, Tomo 7. Lib. 4. de Baptismo. Cap. 2. *Quia Hæreticus est, non potest hoc solùm esse, quia & alia consequuntur. Carnalis est enim, & animalis; ac per hoc, & æmulus sit necesse est, & animosus, & invidus.*

LAUS DEO.

FACULTAS
REVERENDI PATRIS
PROVINCIALIS.


Go Ferdinandus Acatius Societatis JESU per Provinciam Auſtriæ Præpoſitus Provincialis, poteſtate mihi factâ, ab A. R. P. Noſtro Thyrſo Gonzalez Præpoſito Generale, facultatem concedo, ut Secunda Obſervationum Aſtrologicarum, & variarum Diſſertationum Decas à Patre Martino Szentjvani è Societate JESU compoſita, atque à tribus rememoratæ Societatis Patribus, de more, reviſa, & approbata Typis mandetur. In quorum fidem manu meâ ſubſcripſi, & conſuetum Officij ſigillum appreſſi. Tyrnaviæ 19. Maji Anno 1690.

Ferdinandus Acatius.

(L. S.)

Errata, ſic Corrige.

Pagina.	Linea.	Errata.	Correcta.
13.	7.	*Conſeſſio*	Confeſſio
16.	23	*hom'*	homo,
24.	34.	*digniatis*	dignitatis
26.	3.	*ſnis*	finis
28.	6.	*qu6que*	quóque
28.	17.	*Rex.*	Res
28.	28.	*onim*	enim
31.	32.	*prerpendite*	perpendite
38	33.	*conſuſio*	confuſio
40.	34.	*inſra*	infra
48.	ult.	*conforminor.*	conformior.
62.	28.	*Autherius*	Antherius
102.	2.	*incidi*	incido
123.	11.	*ſcarabeo*	ſcarabæo
132.	5.	*ialiud*	aliud
134.	11.	& alij in multis locis *captis*	cœptis
134.	23.	& alijs in locis *paramia*	parœmia
138.	24.	*corda*	chorda
140	31.	*dedidicerunt*	dedicerunt
148.	4.	Numos	nummos
150.	25.	*theſſeras*	teſſeras
155.	25.	*ube*	urbe
156.	10.	*ſaventes*	faventes
159.	31.	& alijs in locis *præmij*	præmium
174.	25.	*erca*	circa
177.	ult.	*prædatarios*	prædatorios
182.	26.	*principbus*	principibus
187.	32.	*itinineris*	itineris
190.	15.	*jujunium*	jejunium
191.	16.	*Qu*	Qui (&alibi
233.	1.	*MRMORABILES*	MEMORABILES(
233.	22.	*colaborando*	collaborando
250.	6.	*Auchidux*	Archidux
254.	16.	*quque*	quóque
258.	9.	*ſemoſus*	ſamoſus
274.	1.	*ootiores*	potiores
289.	17.	*ludet*	ludit
290.	5.	*ſarian*	farina
309.	7.	*ollm*	olim
313.	31.	*comoneret*	commoveret
322.	1.	*permollivit*	permolivit
326.	4.	*obſervendum*	obſervandum
330.	26.	*ſcripcura*	ſcriptura
346.	12.	*Cananea*	Cananæa
348.	20.	*Pauius*	Paulus
349.	18.	*qua*	quod
353.	1.	*definetis*	deſinetis
354.	39.	*ſtutu*	ſtatu
358.	28.	& alijs in locis *occulos*	oculos
358.	29.	*inferrens*	inferens
359.	37.	*peſtmodum*	poſtmodum
362.	10.	*Fiijs*	Filijs
362.	18.	*manifactis*	manufactis
362.	16.	*imponendendi*	imponendi
362.	15.	*nos*	mos
363.	25.	& alibi *Hæbreorum*	Hebræorum
363.	12.	*veſtiementum*	veſtimentum
366.	26.	*ſupernale*	ſupernaturale
368.	18.	*culplam*	culpam
369.	22.	*volititione*	volitione
375.	33.	*pætat*	petat
375.	34.	*pecccatum*	peccatum
379.	23.	*tendationem*	tentationem
380.	11.	*altarutrum*	alterutrum
383.	19.	*Hyeronimus*	Hieronymus
383.	26.	& alibi *Apogryphus*	Apocryphus
386.	pen.	*Ragum*	Regum
394.	23.	*Æra*	Ære
394.	26.	*erroreme*	errorem
402.	17.	*immulabitque*	immolabitque
400	4.	*habitat*	inhabitat
407.	14.	*fed*	ſed
408.	2.	*circumeidamini*	circumcidimini
409.	29.	*uritas*	veritas
409.	31.	*Hypoſtatcam*	Hypoſtaticam
409.	33.	*ſupervenite*	ſupervenit

409	34.	*abumbrabit*	obumbrabit
410.	28.	*varagines*	voragines
410.	36.	*pervicaita*	pervicacia
411.	12.	*Petto*	Petro
412.	10.	*finieretur*	finiretur.
413.	31.	*omino*	omnino
414.	24.	*qua*	quia
416.	16.	*filij*	filij
417	2.	*interſionem*	intenſionem
418.	11.	*ſaum*	ſuum
429.	16.	*enumeratorum*	enumeratarum
454.	5.	*polytici*	politici
448.	8.	*nunquia*	nunquid
470.	12.	*v.23.*	v. 22.
476.	13.	*ſine fide*	ſine fide autem
477.	8.	*oltorum*	aliorum
477.	20.	*v.20.*	v. 40.
477.	22.	*diebus &*	diebus & tribus noctibus
481.	26.	*invitatur*	vitatur
483.	pen.	*conſumationem*	conſummationem
471.	26.	*cocupiſcendum*	concupiſcendum
471.	2.	*antidodo*	antidoto
486.	14.	*nuturaliter*	naturaliter
487.	4.	*explicat*	explicant
489	18.	*deſſidentibus*	diſſidentibus
490.	18.	*Fdem*	Fidem
493.	pen.	*interpretutione*	interpretatione
495.	31.	*perſerveremus*	perſeveremus

NB. In Parte tertia Decadis primæ Synopſi Chronologica 7. ad Annum 68. *Lege.* In Luſitania Rex Petrus ab ipſis Portugallis Regno privatur; in ejusdémque locum Princeps Alphonſus, ejusdem Frater, ſubſtituitur.

In parte prima ſecundæ decadis, Diſſertatione 9. §. 33. Notandum eſt. Thebas quas evertit Alexander Magnus, non fuiſſe Ægyptiacas, quæ inter ſeptem miracula orbis ponuntur, ſed Thebas Græcas.

In Parte prima primæ Decadis. *Pagina.* 435. *Linea.* 35. *Loco* 89. *Lege* 88.

Pagina. 439 *Linea.* 14. *Loco* 422. *Lege* 421.

Pagina. 439. *Linea.* 34. *Loco* ex 9. *Lege* ex g.

Cætera prudens Lector corriget.



C

SE

VA

MI

P. M

DEC

I

Decem

Ecclef

Cum Facu

Tyrnaviæ

CURIOSIORA
ET
SELECTIORA
VARIARUM SCIENTIARUM
MISCELLANEA.

AUCTORE

P. MARTINO SZENT-IVANY
Societatis JESU Sacerdote.

DECADIS SECUNDÆ
PARS TERTIA.

Continens

Decem Synopſes Chronologicas, Reſiduas Eccleſiaſticas Quinque, & Hungaricas ex integro totidem.

Cum Facultate Superiorum, & Privilegio Sacræ Cæſareæ Regiæque Majeſtatis Speciali.

Tyrnaviæ, Typis Academicis per Joannem Andream Hőrmann, 1697.

INDEX SYNOPSIUM CHRONOLOGICARUM HUJUS TERTIÆ PARTIS, DECADIS SECUNDÆ.

I. Synopſis Chronologica, continens res memorabiles Eccleſiæ, ab Anno 1000. uſque ad Annum 1100.

II. Synopſis Chronologica, continens Res memorabiles Eccleſiæ duodecimi & decimi tertij Sæculi, ſeu ab Anno 1100. uſque ad Annum 1300.

III. Synopſis Chronologica, continens Res memorabiles Eccleſiæ, decimi quarti & decimi quinti Sæculi, ſeu ab Anno Chriſti 1300. uſque ad Annum 1500.

IV. Synopſis Chronologica, continens Res memorabiles Eccleſiæ, decimi ſexti Sæculi, ſeu ab Anno Chriſti 1500. uſque ad Annum 1600.

V. Synopſis Chronologica, continens Res memorabiles Ecceleſiæ, decimi ſeptimi Sæculi, nempe ab Anno Chriſti 1600. uſque ad Annum 1695.

VI. Synopſis Chronologica Rerum Memorabilium, quæ contigerunt in Pannonia ante Hungarorum adventum, in eandem.

VII. Synopſis Chronologica Rerum Hungaricarum, ab exitu Hungarorum ex Scythia, uſque ad exordium Regiminis S. Stephani, primi Regis Chriſtiani Hungariæ, ſeu ab Anno Chriſti 373. uſque ad Annum 1000.

VIII. Synopſis Chronologica Rerum Hungaricarum, ab Anno Chriſti 1000. uſque ad Annum 1500.

IX. Synopſis Chronolooica Rerum Hungar. ab Anno 1500. uſque ad Annum 1600. ſeu decimi ſexti Sæculi.

X. Synopſis Chronologica, continens Res Memorabiles, noſtro Sæculo geſtas in Hungaria.

ILLUSTRISSIMO

DOMINO, DOMINO

ALEXANDRO DOMINICO

AMOR IN TARNOW,

COMITI

DE

CZOBOR TARNOWSKI,

Bonorum in Polonia Dhikew, Zborow, Wielowies, &c. In Hungaria, Pleslo, Ostriz, & Raro, &c. Hæreditario Domino, &c.

PATRONO

SUO

COLENDISSIMO.

ILLUSTRISSIME DOMINE, DOMINE
ET
MECOENAS GRATIOSISSIME.

ALexander *ille Macedo*, *Regum Gloria*, *Idea Fortium*,
Edicto vetuit, ne quis ſe præter Apellem,
Pingeret, aut alius Lyſippo duceret æra
Fortis Alexandri vultum ſimulantia: (a)

nec falsò, nec vano ratus, Principem non niſi principe aut calamo, aut ſcalpro exprimi, publicóque adorandum proponi addecere. Te Comes Illuſtriſſime; *quem generis amplitudo clariſſimi, rerum à Majoribus* Tuis, *ut Togâ ſic Sago Illuſtriſſimorum, ſapienter fortitérque geſtarum gloria, ipſa animi* Tui *verè Nobilis Heroíque magnitudo, vix natum tanti nominis fecêre capacem, animoſo futuræ felicitatis præſagio;* Te *inquam (verbo abſit ut jactantia, ſic invidia) præcelſior virtus, ſapientia rarior, eruditio notior, modeſtia ſublimior altiùs etiam & ad aſtra ſuccollan-*

tis

tis famæ velut Atlantæis evectum humeris Macedone superiorem fulgere ecit ut Gentilitia Tua nitet inter ignes Luna minores. *Si jam igitur Magne Polonæ Gentis Pannoniæque adeò nostræ* ALEXANDER *vetus illud edictum, & apud.* Te *ejusdem gloriæ virtutúmque æmulum suam obtinet vim, næ ego miserrimam silentiosi Harpocratis sustinebo personam, quando vivere me, & mori coges ingratum, & ob id ipsum mihi ipsi invisum. Etenim nescius mei non sum; quantùmque debeam scio, cùm possim parum. Scio etiam novo huic Alexandro aut Apellem, aut eum certè pro immortalibus suis in Rempublicam, atque adeò me immerentem meritis, obtingere de condigno Panegyristam debere, qualem Alexander ipse Magnus vehementer exambijt à tali affectans celebrari Scriptore, qualem Achilles nactus fuerat, Homero; imò & Curtium sanctior hic Alexander deposcit, cujus virtutibus non aio illustrandis, sed vel commemorandis nullius etsi suo nomine longior Duglossus, aut Longolius, celebre Tulliana in Republica nomen suffecerit, imò nec Polyglossus. Adeò præcellens, adeò copiosa Alexandri hujus omnem ad numerum exactissimarum virtutum materia est; adeò multiplex argumentum. Atque hæc ego cùm nesciam, quæ palmaris mea tamen audacia est, nescio an præconsulto satis consilio monimentum ei ære perennius erigere meditor, quod ut observantiam in Alexandrum hunc meam, sic & gratum animum in posterorum memoriæ templum consecratum loquatur, neque tamen ejus laudes taceat Alexandri, quem laudare cogimur omnes; cùm nemo sufficiat celebrare. Quid igitur? pone Alexandri tantisper majestatem & edictum illud rescinde,* Teque, *non equidem pro* Tua *satis dignitate à me hoc in vestibulo operis mei,* Tuo Illustrissimo Nomini *dedicati; patere Orbi Patriæque* Tuæ *ac nostræ ancillantis eloquentiæ penicillo adumbrari. Ita nempe unà, gratitudini aliqua satis ex parte facere attentabo, unà securitati consultum meæ erit felicissimè, cùm nempe & rudi huic Apelli post* Tuam *hanc virtutúmque* Tuarum *tabulam latere licebit innocenti.*

Ac mihi quidem Ideam Imaginis hujus apud animum intuenti meum, nulla alia occurrit Archetypo aptior, nulla illustrior; quàm Majorum Gloriosissimæ TARNOVIORUM DOMUS *Imagines; in qua* Tu *hodiedum effulges ad invidiam exempli. Si majores gentis (ut acutè inquit ille) specula sunt; Gratulor ego Felicitati* Tuæ *Magne Patriæ* Tuæ, *&*

)(3 *nostræ*

nostræ ALEXANDER , *ut qui speculum in ijs habes lucidissimum , in quo invidenda pluribus bonorum copia ,* OMNIBUS *virtutum studiosis sint* OMNIA. *Si ijdem capita sunt , pene est ut amantis sponsæ verbis* AMOREM *scilicet ipsum compellem* : Caput Tuum Aurum Optimum. (a) *Inflammata adversùs* DEUM *Divósque pietas , constans Religionis ardor , inconcussa vel conservandæ , vel propagandæ Fidei Catholicæ cupiditas , & studium inflammatum , ad hæc; Armigera venustas, natus ad excelsa animus , & fortis bello dextera, toti quidem invictissimæ Polonorum genti (nullum alijs populis præjudicium à me fieri velim) familiaria sint ac domestica ;* Tuæ *tamen* Illustrissimæ Familiæ *sic propria sunt ; ut aggenita esse videantur. Næ* Tu , *veriùs quàm alter ille , ab Achille genus ducere credendus es ; qui* fortis fortibus es creatus. *Hic ego jam velut in* Tarnovianæ *Fortitudinis ingressus Theatrum videre mihi videor Magnos Duces ; Inclytos Cracoviensis Urbis Castellanos , Spectabilissimos Magnæ Poloniæ , Lithuaniæque Senatores verè non indecoro pulvere sordidos quia Martiali ; quorum quidem hodiedum etiam mancipata in Signis Luna pulcherrimos celebrat triumphos.* Tarnovius *ille* Joannes militaris Disciplinæ peritiâ , & consilij Gravitate antiquis ducibus exæquandus (c) *meritò* sane Vir primarius, & bellator maximus *qualis quantúsque fulmineum assurgit in ensem? quot Laureas metit? quod istud Boni Superi Fortitudinis an Victoriæ portentum est? Mauros ille subigit in Lusitania, Turcas propemodum internecione delet in Pannonia, Tartaros profligat in Russia, nihilo tamen minùs trophæa erigit in Moldavia, & cùm* (d) Petrus Palatinus rebellâsset, *primùm sex millia, mox viginti, vix cum quatuor suorum millibus fugat, fundit delet. Vive immortali hâc fortitudine* Tuâ *Magne* Tarnovianæ Domûs *Achilles* Joannes ! *Dicere jam cæteros* Tuos *Majores vellem: primùm Principem Jirlejorum Prosapiam è qua Matrem , mox &* Czoborianum *tota latè Pannonia ; Gallia, imò & Ægypto , (cùm in eam Martinus ejus nominis Fecialis missus esset) nobilissimum nomen & Sangvinem è quo Aviam; ac denique Gnoinam quia de Sigismundo (quem merito honoris causa quisque nominet) meritissimam vellem dicere Familiam , cui Maternâ innecteris Lineâ ; at vel maximè Magni Leonis Casimiri Sapieha (quem nec nominare sine Panegyri fas est) cuperem celebrare genus, & eum cujus affinitati jam olim ac* AMORI Tarnovianus *se junxit* AMOR *pro merito , velut* Tuæ *prototypon virtutis ;*

bis

his non Lauri baccis, sed Levidensis folij inscribere paginis vellem; verùm Tua calamum rapit ad se & stylum imago. Quam tamen etiam brevi ductu absolvo, cùm verissimè pronuntio: Majorum Te Tuorum perfectissimum quoddam esse Echtypon, in quo efformando cùm Natura Gratiæ amico litigio concertaret, utrámque quid possit expressisse. Planè quæ divisa Beatos efficiunt collecta tenes. Mutuâsti verus ut facultatum sic omnis Virtutis ex asse Hæres, à Magno Sapieha Sapientiam, quam quia non capit ut Sarmatia sic Pannonia, suspicit, & adorat. Invictum Joannis Tarnovij animum sic induisti, ut in Alexandro Joannem, in Joanne Alexandrum felici fortunatóque errore requirere cogamur. Czoboriorum prudentia Magnanimitásque Tua est; Collegisti in unum Te, dispersa per Majorum animos ornamenta. Quare mirari jam desino; cur tam libens hoc etiam tempore apud Te Aristoteles hospitetur cum lectissimo prudentiæ consilijque comitatu; cùm agnosco planè, ac meridianâ luce clarius palpo, quidquid Alexandrum commendârit, id Tibi sic inesse, ut novâ indies incrementi locupletetur accessione, eâ tamen inter utrúmque dispari ratione, quod ejus unus non suffecerit orbis cupiditati; Tuæ laudi nec Gemini; postquam & astra cogis in obsequium quæ Te in solstitiali Cancro velut Auge venerantur, non contentus Magna Patriæ Tuæ, Urbis Cæsareæ, Pannoniæque Lumina Amor omnium Tui coëgisse in Amorem. Nirùm Tua illa comis affabilitas; quæ, ut deliciarum quondam Tito, sic Tibi Amoris indidit nomen Magnetismus est; hoc fortior, quod non Arctoum solùm respiciat polum, sed & alio calentes Sole in officium inclinet, clientelæque Amoris submittat vectigales. In his ego nomen profiteor meum, ac porrò profiteri non desinam, dum (quod intermorituræ nunquam votum est gratitudinis) Tarnoviana fulgebit Stella, radiabit Luna, Gloria perennabit. Quam sane immortalitatem Sapientia Tua illa promittit: Quæ vetat Virum mori; & vivit post fata superstes; de qua ego, ut Laconicè, quo gloriosæ memoriæ Carolus IV. Elogio Bohemiam cohonestat, Gentem Tuam semper invictam Sapientémq; corono: vel propter unum Te Alexandrum meritò Polonam Gentem multas inter Europæ Provincias gloriari posse: Doctam se habere Nobilitatem. (e)

Habes rudem Tui MAGNE ALEXANDER in Operum propylæo meorum Imaginem. Faciebat non Apelles, aut Lysippus, sed Amori

Amans

Amans Gratus. Admitte interim, & qui ab Alexandro quia φιλόμηρος *esse didicisti, Litteratorum, ac mei immerentis esse Patronus peroptas, & opus hoc meum gratum habeas acceptúmque: cum quo ego (Alexandri* Tibi *felicitatem precatus*, (f) *qui unus & solus omnium Mortalium fortunam habuit in potestate) me, vires, animum* Tui *semper ut amantem, sic memorem; meáque omnia supplex* D. S. Q.

Martinus Szent-Ivany.
Societatis JESU.

(a) *Horatius lib.* 2. *Epist.* 1. (b) *Canticorum* 5. (c) *Paulus Jovius Historiâ* 40. *mihi p.* 467. (d) *Martinus Cromerus Rerum Polonicarum Scriptor Luculentissimus in oratione de Sigismundo Rege Poloniæ habita.* (e) *Nicolaus Avancinus in Elogio Caroli IV.* (f) *Curtius lib.* 10.



I. SYNOPSIS CHRONOLOGICA.

Continens Res memorabiles Ecclesiæ ab Anno 1000. úsque ad Annum 1100.



Nnus primus supra Millesimum, à Christo nato, universum Orbem Christianum ingenti terrore ac pavore concussit. Vulgatum siquidem longè ante hac fuerat, Millenario annorum Christi expleto, Antichristum adfore, & mundum desiturum. Ottho Imperator Romam pergit, & Joannam viduam, *Crescentij* à se necati, in uxorem, vel ut alij volunt, in concubinam assumit, dehortante eum ab infami hoc facinore Hiriberto Archi-Episcopo Coloniensi, & Sancto Romualdo insúper, de deserendo sæculo, & vita Religiosa amplectenda ad cujus susceptionem se voto obstrinxerat, seriò & minaciter admonente, sprevit & hujus monita, ac illius consilia Cæsar, sed mox pœnas meritas luit. Nam & Romani, Duce quodam Gregorio in eum conspirant, & eodem tempore, quô hos Romæ punit, complures Principes adversùs eum, in Germania rebellant.

Anno 1002. Urbe recedens Ottho Imperator, in itinere moritur, átque in eodem, *Otthonum* familia deficit. Cui succedit Henricus, Dux Bavariæ, in Regnum Germaniæ, & postea in Imperium. Sanctus Stephanus primus Rex Hungariæ, ducta ejusdem Henrici Sorore Giselâ pientissimâ Reginâ, totus est amplificando Cultui Divino, ac Ecclesijs fundandis. Et avunculum Gyulam Transylvaniæ Principem, sibi ob fidem Christianam infestum, bello vincit, ac subigit, eúmque cum Transylvanis ad fidem Christi pertrahit. Bulgaros quóque Hungariam invadentes, DEI ope superat.

 1003. Syl-

1003. Sylvester II. Papa moritur, die 12. Maji, cui subrogatur Joannes XVI. & huic post Menses quinque, & dies aliquot, Joannes XVII. esto (inclusis duobus hujus Nominis Schismaticis) numeratur ab alijs ille XVIII. & hic XIX. Ecclesiæ plurimæ in orbe hoc anno passim fuerunt constructæ.

1004. Concilia complura provincialia, in Italiá & Gallia, super diversis Quæstionibus Ecclesiasticis celebrantur. Realem præsentiam Corporis in Sacramento Eucharistiæ, *Leuthericus* Senonensis Archi-Episcopus, contra sensum totius Ecclesiæ, in dubium revocat, & *Berengarius* tunc adhuc adolescens, etiam impugnat, temeritate juvenili, ac maximo suo malo, exinde secuto.

1005. Henricus Rex Germaniæ venit in Italiam átque *Harduicium* qui sibi titulum Regis Longobardorum arrogârat, debellat, & Papiæ ab Archi-Episcopo Mediolanensi, in Regem Italiæ coronatur. Inde reversus, tumultuantes in Germania Principes, ac *Boleslaum* Ducem Poloniæ sibi infestum devincit, ac in ordinem redigit.

1006. Pestis hoc anno atrox per orbem grassatur, in tantùm ut sepeliendis mortuis vivi pares non essent. Henricus Rex in Synodo Francofurtensi agit de erigenda Bambergensi Ecclesia in Cathedralem ac Episcopalem.

1007. *Fulbartus* vir doctissimus, & omnium votis expetitus, ex Monacho Sancti Petri Carnotensis, fit Episcopus ejusdem loci, magno cum emolumento, non illius tantùm, sed totius Ecclesiæ.

1008. Sanctus Bruno Pruthenorum Apostolus, & Sanctus Bonifacius Russorum, Martyrio coronantur, ad eandem Coronam Martyrij, aspirans Sanctus Romualdus, in Hungariam, ac alia loca infidelium pergere statuit, sed cùm progreditur, morbo detinetur, cùm consisteret, eodem levatur, átque sic regredi, ad suam Eremum cogitur.

1009. Joannis XVII. Papa moritur, sub quo unita fuerat Ecclesia Constantinopolitana, cum Romana, subrogatur eidem Sergius IV. Judæi per falsas delationes, *Ammiritanum* Principem Babyloniæ, ad destruendum Sepulchrum Christi Hierosolymis, à peregrinis Christianis ingenti numero frequentatum, malitiosè incitant. Quam ob causam Judæi, ex omnibus Urbibus Christianis, ac præsertim Occidentis, pelluntur, ac plurimi eorum trucidantur. Sed eodem anno, *Maria* mater Ammiratani, mulier Christianissima, idem Templum reædificare cœpit, confluente ad Sanctum Sepulchrum, innumerâ multitudine fidelium, & munera deferente, ad Domûs DEI rastaurationem.

1010. In Hispania Saraceni, in parvas satrapias dividuntur, quos si agressi tunc fuissent Principes Christiani, omnes utique expulissent, sed maluerunt cum ijsdem, matrimonia quóque inire, ac pro ijsdem etiam decertare; sicque ipsi ignavi, hanc gloriam, posteris melioribus se, reliquêre.

1011. Eccleſia Bambergenſis, in Epiſcopalem ab Henrico Germaniæ Rege erecta, ac dotata, magna cum ſolennitate conſecratur, átque eadem occaſione, Synodus numeroſiſſima ibidem celebratur. Dani, Anglicam Eccleſiam perſequuntur.

1012. Ijdem Dani, ſub *Ederico Strenone*, Duce, in Anglia Eccleſiaſticos, mirè vexant; ſed ob id, divinitùs plurimis plagis percuſſi, miſerè varijs cladibus pereunt. Eodem quòque anno, Salvi à fide deficientes, Eccleſiam Saxonicam perturbant, & multos Martyrio afficiunt. Sanctus Collomannus ex progenie Regum ſcotiæ, rediens ex peregrinatione Hieroſolymitana, in Auſtria ab impijs, de arbore ſuſpenditur, quæ arbor, diù arida, floruit, ac ipſe poſt mortem multis miraculis claruit. Sanctus Macarius Patriarcha Antiochenus, à multis miraculis Orienti notiſſimus, ut meliùs lateret, in Occidentem venit, átque in Flandria, patriâ terreſtri ſpontaneè exul, in cœleſtem migrat.

1013. Sergius Papa, die decimâ tertiâ Maji objit (licèt alij id ad annum præcedentem referant) cui ſuccedit Benedictus VIII. Epiſcopus Portuenſis, ſed pulſus à Gregorio Pſeudo-Papa, in Germaniam, ad Henricum ſe conferre cogitur. Quem Henricus benignè ſuſcipit, ipſéque Romam veniens cum exercitu, eundem ſuæ dignitati reſtituit.

1014. Benedictus Papa, reſtitutus in ſedem, ab Henrico Rege, Henricum in Imperatorem coronat, unâ cum uxore ejus Sancta Chunegunde. At Henricus viciſſim confirmat patrimonialia olim Sedi Apoſtolicæ, ab Anteceſſoribus ſuis donata.

1015. Henricus varia opera pietatis continuare pergit. Erneſtus Alemaniæ Dux, casù in venatione, ſagittâ vulneratus, ac ex vulnere morti proximus, cùm Presbyterum non haberet, cui peccata ſua confiteretur, ea coram DEO, & omnibus adſtantibus expoſuit, cùm magno dolore cordis, ſicque ad aliam vitam deceſſit.

1016. Benedictus VIII. Claſſem comparat, ut Saracenos littora Eccleſiaſticæ ditionis infeſtantes reprimeret, quâ etiam eos tanta delevit clade, ut Rex ægrè diffugeret, & Regina capta, capite truncata ſit. Defuncto in Anglia Ethelredo, Canutus Rex Daniæ pijſſimus, in Regem ſimul Angliæ eligitur, qui mox utriúsque Regni reſtaurat, & curat Eccleſias, tantò zelo, ut meritò, ob res Eccleſiæ, & Regni fortiter geſtas, Magnus fuerit nuncupatus.

1017. In Aquitania, tribus diebus ſanguine pluit, circa Solſtitium æſtivum, quod prodigium eodem anno, conſecuta ſunt gravia bella, inter *Guttlelmum* Aquitaniæ Ducem, & *Gaufredum* Comitem Antegavenſem. In Gallijs Manichæorum hæreſis repullulare incipit, cui malo ſtatim Robertus Francorum Rex providit, multis è numero Sectariorum exuſtis, alijsque fugâ elapſis.

1018. Abotriti, & Avari Slavonici populi, à fide Apostatæ, magnas inferunt Ecclesijs Borealibus clades. Rudolphus Nortmannus, excitatus à Benedicto Papa, ut in Græcos bellum gereret, eosdem tribus magnis prælijs, in Apulia devincit.

1019. Benedictus Papa, rogatus ab Henrico Imperatore, in Germaniam venit, & Bambergensem Episcopatum, quem Henricus, & Chunegundis uxor, sedi Apostolicæ, speciali jure addixerant, confirmat, ac Henricum contra Græcos, Ecclesiæ Romanæ infestos, incitat. In Patriarchatu Constantinopolitano, Joanni Sergio, substituitur Eustachius.

1020. Sancto Heriberto Coloniensi Archi-Episcopo, Henricus Imperator, ex sinistris delationibus malevolorum, graviter offenditur, sed divinitùs admonitus de illius innocentia, eidem magna cum demissione reconciliatur.

1021. Circa hæc tempora, floret Guido Aretivus Monachus, qui novam addiscendi musices rationem excogitavit, etiam pueris rudibus facilem, quam ob causam, à Benedicto Romam evocatur. Sanctus Hiribertus Archi-Episcopus Coloniensis, miraculis clarus, ex hac vita migrat.

1022. Henricus Imperator, à Benedicto Papa, & Italis sollicitatus, magno cum exercitu, in Italiam venit, & Saracenos reprimit. Post hæc, cum eodem Benedicto Cassinum pergit, átq; ibi in gravem infirmitatem incidens, à S. Benedicto miraculosè pristinæ sanitati restituitur.

1023. Henricus Imperator rediens in Germaniam, cum Roberto Rege Francorum, in utriúsque Regni Limitibus, amicissimè conveniunt, átque de rebus ad quietem Regni & Ecclesiæ, spectantibus collocuti, redeunt ad propria, postea ambo ad Benedictum Papam, Papiam conventuri, ut pacta inter eos firmaret.

1024. Interim Benedictus VIII. Papa moritur, cui succedit Frater ejusdem Benedicti, & Filius Gregorij Comitis Tusculani, largitione pecuniæ, & authoritate Parentis, ex Laico factus Papa, qui tamen se postea à Pontificatu abdicans, legitimè confirmatus fuit, & dictus Joannes XX. alijs XVIII. Eustachius Patriarcha Constantinopolitanus, per legatos Basilij Imperatoris Orientis, ac ingentia munera, frustra tentat impetrare, ut appelletur in Oriente universalis, sicut Romanus Pontifex universalis apellabatur. Sanctus Henricus Imperator morti proximus, præsentibus Episcopis, & Abbatibus, Chunegundem conjugem, propinquis ipsius, Virginem, & ipse virgo reddit; rarò inter potentes continentiæ exemplo, ac die sequenti obit, cui succedit in Regnum Germaniæ, Conradus Vormatiæ Dux.

1025. Sancta Chunegundis, die anniversario obitus Henrici Conjugis, in Confugiensi Monasterio, quod erexerat, depositis ornamentis Imperiali-

bus

bus, & capillis truncatis, religiosum suscipit habitum. Basilius Imperator Orientis moritur, & solus jam imperat Constantinus ejusdem frater. Paulò antè obiêrat etiam Eustachius Patriarcha Constantinopolitanus, substituto Alexio Archi-Mandrita, magnæ doctrinæ, & prudentiæ viro. Hoc eodem anno objit, & Boleslaus Rex Poloniæ, propugnator accerrimus Religionis Christianæ, non minùs quàm Regni, cui successit Miecislaus, boni parentis, malus filius.

1026. Conradus Germaniæ Rex, magno cum exercitu venit in Italiam, cui ingenti cum apparatu occurit ex condicto, Pontifex Joannes XX. eúmque Romam deducit.

1027. Idem Conradus ab eodem Joanne Papâ, in Regem Romanorum coronatur, móxque in Germaniam redit. Sanctus Romualdus Camalduensis Ordinis Fundator, ætatis anno 120. moritur. Alphonsus V. Rex Legionensis, sagittâ in prælio vulneratus obit, succedente ejdem, filio ejusdem *Veremundo*.

1028. Constantinus Orientis Imperator; diem extremum claudit, cui substituitur Romanus eidem sanguine junctus, ductâ Zoë filiâ Constantini licèt consanguineâ, & priore conjuge repudiatâ. Sanctus Olaus Norvegiæ Rex, Martyrio afficitur.

1029. Celebratur Synodus Lemovicensis in Gallia, in quâ declaratur Apostolus illius Regionis Sanctus Martialis, utpotè qui illuc à Sancto Petro Apostolo, ad prædicandum Evangelium, missus fuerat.

1030. Conradus Imperator, totis viribus Germaniæ, movet adversus Sanctum Stephanum Regem Hungariæ, qui, coactis copijs, ut se tueretur, se, suámque causam Deiparæ patrocinio commendat, unde repentè mutatis animis omnium Ducum Conradi, universus ejusdem exercitus, pedem referre statuit, & Conradus divinam vim hujus mutationis animadvertens, cum Stephano pacem, & fœdus init. Eodem anno, Sancti Stephani filius, Sanctus Emericus, terras Cœlo mutavit, magnâ Parentis, & totius Regni mœstitiâ.

1031. *Romanus* Orientis Imperator, totus est in erigendis, ornandísque Ecclesijs, multa præterea confert in Templi Hierosolymitani reædificationem.

1032. Joannes Papa, statuta Lemovicensis Synodi confirmat.

1033. Idem Joannes Papa moritur, in cujus locum Alberico Comite Tusculano, filius ætate puer intruditur, dictúsque Benedictus IX. toleratur tamen vitandæ Schismatis gratiâ.

1034. Multa Concilia Diœcesana, in Gallijs, pro pace Ecclesiæ celebrantur, *Romanus* Orientis Imperator, veneno ab uxore Zoë, è vivis tollitur, eidémque,

que, operâ ejusdem Augustæ Zoë, Michaël quidam argentarius, â patria *Paphlago* dictus, quem illa insano amore deperibat, in Imperio sufficitur. Hoc eodem anno, Polonia, morte Miecislai Regis, tota turbatur, & Casimirus filius defuncti Regis, unà cum matre à Proceribus exulare cogitur, qui Cluniacum pergens, mutato nomine, in *Carolum*, fit ejusdem monasterij monachus.

1035. Berengarij hæresis, veritatem Corporis Christi, in Sacramento negans, detegitur, & confutatur. *Sancius* major Navarræ, & Castellæ Rex moritur, vir pjissimus, & in fidem optimè affectus, relinquens hæredem Ferdinandum cognomento magnum, qui postmodum virtute, & pietate rebus gestis, parentem non solùm adæquavit, sed & longè superavit.

1036. Bohemi aljique populi vicini, Poloniam Rege destitutam deprædantur, Conradus Imperator in Italiam, ad tumultus sedandos redit.

1037. Conrado in Italiam venienti, Benedictus Papa, ad Cremonam occurit. Mox idem Imperator, Mediolanum, quod eidem rebellaverat obsidet, reliquáque conjuratorum loca vastat, & Coronâ Italiæ se coronari curat. Ferdinandus Magnus Conimbricam, aliásque Civitates Saracenis eripit, patrocinio Sancti Jacobi, quem impensè colebat.

1038. Conradus Imperator, Romam venit, sed cùm rediret in Germaniam, plures peste extinctos de suo exercitu amittit. Sanctus Stephanus Hungariæ Rex, juxta antiquiores Historiographos, hoc anno obit, eidémque Petrus Alemanus in Regno succedit.

1039. Conradus Imperator, inopinatâ morte, apud Trajectum Frisiæ extinguitur eique succedit filius Henricus, in Regno Germaniæ, imperio interim aliquot annis Rectore vacante.

1040. Sancta Chunegundis, ex Imperatrice Monialis, olim uxor Sancti Henrici Sanctè moritur. Bambergæ, miraculis post mortem illustris. Saraceni Siciliam rursus invadunt, sed iterum à *Casalaco* Michaëlis Imperatoris Orientis fratre, cæsi, fugatíque repelluntur.

1041. Mortuo Michaëli *Paphlagoni*, succedit Michaël *Calephates*, sed medio pòst anno exauthoratur. Poloni habito conventu decernunt Casimirum ante à se pulsum, & jam Monachum Professum, ac Diaconum, ex Monasterio Cluniacensi, revocandum, ad Regnum gubernandum. Quod etiam à Benedicto IX. Papâ certis sub conditionibus impetrant, quorum illa ùna fuit, ut more Religiosorum capillum attonsum gerant.

1042. Constantinus Monomachus, & ipse exul, simul & Monachus revocatur, junctúsque Zoë matrimonio, in Imperatorem Oriéntis acclamatur. In Hungaria Uvo seu Ovo, in Petrum Sancti Stephani successorem insurgit, & ab universis Regnicolis Rex creatur.

1043.

1043. Sanctus Eduardus ex exilio pariter revocatus, Rex Angliæ renunciatur. Alexio Patriarchæ Constantinopolitano substituitur Michaël *Cerularius*, & ipse anteà in exilium pulsus.

1044. Hic annus initio Ecclesiæ Romanæ turbulentæ, pacem, postmodùm & tranquillitàtem attulit. Romani siquidem offensi Benedicto IX. eundem ex sede deturbant, átque in ejus locum, Sylvestrum III. substituunt, sed hic cùm vix tribus mensibus sedisset, à Tusculanis Comitibus expellitur, & Benedictus rursùs reponitur, qui tamen cum videret se Romanis invisum esse vehementer, ad domum paternam se recipit, & Pontificatum Joanni Archi-Presbytero tradit, paulò post tamen eundem repetit. Demum Authore Gratiano, viro acri, ac ingenioso, tres illi omnes Pontificatu se abdicant. Quamobrem eum Romani, servatorem Ecclésiæ nominarunt, & Pontificem nomine Gregorij VI. crearunt.

1045. Polonia, S. Petro fit vectigalis, imposito singulis capitibus uno obulo, ídque consensu totius Regni, ac ipsius Regis Casimiri. Moritur Sanctus *Guntberus* Eremita in Bohemia, Sancti Stephani Regis Hungariæ cognatus.

1046. Henricus Germaniæ Rex, in Italiam venit, & venientem ad se Gregorium VI. Papam, benignè suscipit: mox tamen *Sutrino* Concilio persuadet Gregorio, ut Pontificatu se abdicet, eidémque *Suidgerum* Episcopum Bambergensem substituit, qui dictus est Clemens II. átque hic statim ungit, & coronat in Imperatorem Henricum, & Agnetem ejus conjugem.

1047. Henricus rediens in Germaniam, & Clementem II. & Gregorium VI. jam exauthoratum secum deducit, átque hoc eodem anno moritur in Germania Clemens II. cùm novem mensibus sedisset, & in Ecclesia sua Bambergensi sepelitur. Quô audito Benedictus IX. tertiò Sedem Romanam invadit. In Hungaria Ovone Tyranno occiso, Petrus, per Imperatorem Henricum, armis in Regem Hungariæ restituitur, sed hi mox Petrum ad pristinam crudelitatem redeuntem exauthorant, & excæcant, ac Andream Ducem revocatum ab exilio, sibi Regem præficiunt, eâ lege, ut ipsis ad Patrios ritus, & Idololatriam redire liceret. Quò obtentò, dirâ persecutione statim in Ecclesias, ac Christianos sæviunt, & complures Ecclesiasticos præsertim, Martyrio afficiunt.

1048. Henricus Imperator, in locum defuncti Clementis II. *Poponem* Episcopum Brixiensem, substituendum Romam mittit, qui omnium suffragijs electus fuit, & dictus *Damasus II.* sed post viginti dies extinctus est. Moritur & *Odilo* Cluniacensis Abbas, anno ætatis 81. Vir admirabilis, ac omnibus Principibus, & Præsulibus acceptissimus, sed adhuc charior Deo.

1049. Poſt menſes quinque ab obitu Damaſi II. Bruno ex Comite *Daſpungenſi*, & Epiſcopo Tullenſi, delectus ac nominatus eſt ab Henrico Imperatore, & à Cardinalibus electus, dictúsque Leo IX. vir prudens ac pius, ac Eccleſiæ his temporibus maximè neceſſarius.

1050. Leo Pontifex, Hæreſim Berengarij, in duplici Synodo, Romana & Vercellenſi condemnat, ipsúmque Hæreſiarcham declarat, ac à communi fidelium cœtu excommunicat. Patriarchatus Gradicenſis, Venetias transfertur. Michaël Rex Scotiæ, ad limina Apoſtolorum devotionis ergò venit Romam, ubi multa ſpecimina virtutum, & ſignatè profuſæ liberalitatis in pauperes exhibet.

1051. Henrico Imperatori naſcitur filius ejusdem nominis, ex Agnete Auguſta, quæ uterum gerens, per viſum viſa eſt ſibi Draconem virulentum parere, nec vanum fuiſſe ſomnium, eventus oſtendit.

1052. Leo IX. proficiſcitur in Germaniam, ut Henricum, & Andream Hungariæ Regem conciliaret, ſpe tamen ſua fruſtratur. Nova hæreſis hoc anno ex indiſcreto nonnullorum zelo exorta de Simoniacis reordinandis, quam tamen ſubitò Leo Papa IX. authoritate ſuâ, & Petrus Damianus ſcriptis ſuis opprimunt.

1053. Leo Papa, cum Henrico II. Imperatore, tranſijt de Bonis, quæ erant Sancti Petri in Germania, commutandis pro locis quæ ad Imperatorem ſpectabant in Italia, ſimúlque ab eo exercitum accipit, ad Nortmannos, Sanctæ Sedi rebelles, ac refractarios, vario Marte pugnans contra eos, & modò vincens, modò victus, & ad extremum tandem ab ijsdem captus, ſed veneratione magnâ ſuſceptus, ac honorificentiſſime dimiſſus.

1054. Leo Pontifex, duos Cardinales in Legatione Conſtantinopolim mittit, pro pace Eccleſiaſtica inter Græcos, & Latinos, ſed antequam hi redirent, moritur, Vir Sanctus, & miraculis in vita, & poſt mortem clarus. Objit & Conſtantinus Monomachus Orientis Imperator eidémque ſuccedit Theodora, Conſtantini X. Filia, Sorórque Zoës.

1055. *Gebehardus* Eyſtatenſis Epiſcopus, nutu Imperatoris, & rogatu populi Romani, in Pontificem elegitur, & Victor II. apellatur. Florentiæ Concilium à Victore, præſente etiam Imperatore Henrico, contra Simoniacos celebratur: & aliud in Gallia Turonij, Authoritate Hildebrandi Cardinalis Diaconi, Legati à latere ejusdem Pontificis, in quô *Berengarius* relapſus in hæreſim, rurſus eandem ejurare adigitur.

1056. Theodora Auguſta Orientis, creat Imperatorem Michaëlem Strattonicum & paulò poſt moritur. Evocat denuò Imperator Henricus II. Pontificem Victorem II. in Germaniam, & in morbum incidens, de conſenſu ejusdem

dem Papæ, ac Episcoporum, filium suum Henricum III. Regem Germaniæ, tunc quinquennem constituit, ac in manibus Victoris Papæ, spiritum DEO reddidit.

1057. *Michaël Stratonicus* Imperator Orientis, cedit Imperium *Isacio Comneno*. Victor II. Papa, rediens ex Germania, moritur Florentiæ, ibidémque sepelitur, incujus locum suffectus est Fridericus Diaconus Cardinalis, dictus Stephanus X. Petrus Damiani propè admotà vi, ex Eremo extrahitur, & in Episcopum Ostiensem consecratur, ac Cardinalis Sacræ Romanæ Ecclesiæ creatur.

1058. Stephanus Papa X. moritur. Mox factio comitum Tusculanorum, & Lateranensium, intrudit Joannem *Mintium*, Episcopum Velitrensem, ac Benedictum nominat, Cardinalibus bonis fugientibus, aut latebras captantibus. Moritur etiamCasimirus Rex Poloniæ, qui ex Monasterio fuit revocatus in Regnum, succefsítque illi Boleslaus filius.

1059. *Hildebrandi* Cardinalis operâ, & consensu Cleri Romani, creatur legitimus Pontifex Gerhardus Florentinus Episcopus, dictus Nicolaus II. pulso schismatico Benedicto, priùs in Concilio Sutrino deposito. Isaacius *Comnenus* ictus fulmine, Imperium tradit Constantino Duci, ipséque Monachum induit. Berengarius rursus relapsus, rursùm Hæresim in Concilio Romano Generali, abjurat. Petrus Damiani mittitur à Nicolao II. Papà, Legatus ad Mediolanensem Ecclesiam ordinandam, quæ Hæresi Nicolaitarum & Simoniacorum turbata fuerat.

1060. Sanctus Eduardus Rex Angliæ, mittit Legationem ad Nicolaum Papam, cùm collecta pecunia, quæ nummus Sancti Petri dicebatur Concilium Accitanum in Hispania celebratur.

1061. Moritur Nicolaus II. Papa, átque in locum ejus eligitur Anselmus Mediolanensis, & Lucensis, Sede Petri dignissimus, dictus Alexander II. Verùm contra hunc ab Agnete Imperatrice, cum Henrico puero, intrusus est Cadalous Episcopus Parmensis, homo sceleratissimus. Quam abominationem videns Sanctus Petrus Damiani, Cardinalitiæ dignitati valedixit, & Episcopatu se abdicavit, ac ad Eremum suam rursus recessit.

1062. *Cadalous* Antipapa, cum militibus Romam venit, sed profligatus, fugere, & Parmam se recipere cogitur, atque postmodùm in Concilio Osborensi damnatur. Augusta Agnes pœnitens de favore præstito *Cadaloo*, Romam venit, & se totam pietatis operibus dedidit, Henrico filio interim sub *Annonis* Archi-Episcopi Coloniensis cura relicto.

1063. Quarta pars Hierosolymorum conceditur Christianis, à Calypha Saraceno, átque eorundem sumptibus muris cingitur.

1064. Concilio habito Mantuæ, *Cadalous* Antipapa denuò damnatur, & Alexandri Papæ electio legitima fuisse declaratur. *Cadalous* iterùm Romam cum Satellitibus veniens, iterùm repellitur. Septem millium & ampliùs virorum Christianorum ex Occidente, magno ardore peregrinatio Hierosolymam suscipitur, & feliciter, licèt non sine plurimis difficultatibus, peragitur.

1065. Ferdinandus Magnus Rex Castellæ & Legionis, sanctissimè, utì vixerat, moritur. Petrus Damiani suis litteris, & scriptis Nicolaitas Hæreticos, & Simoniacos acerrimè insectatur. Hamburgensis Ecclesia à Slavis vexatur, & Martyribus illustratur.

1066. Sanctus Eduardus Rex Angliæ moritur, & hæredem Regni nominat *Guilielmum* Nortmannorum Ducem, sed Haroldus Comes statim sibi illud usurpat. Alexander igitur Papa mittit vexillum *Guilielmo*, ut *Haroldo* Tyranno pulsô, ipse legitimè succedat Eduardo. Guilielmus Classe delatâ in Angliam, & confessione, ac Sanctissimâ Eucharistiâ roboratis militibus, in prælio *Haroldum* feliciter superat, Regnúmq; testamento sibi debitum, virtute obtinet.

1067. In Dania Authoritate Alexandri Papæ, Concilium celebratur. Constantinus *Ducas* Imperator moritur, tribus filijs Imperatoribus, cum Eudocia Matre eorum relictis. Turcæ Cappadociam vastant.

1068. *Eudocia* filijs consentientibus, *Romanum Diogenem* ducit in maritum, & Imperatorem declarat. Guilielmus Comes Burgundiæ, & alij Nobiles Franci, ac *Uladislaus* Bohemiæ Dux, vires ac arma sua Alexandro II. Papæ deferunt, & juramento se obstringunt, ad Romanæ Ecclesiæ defensionem.

1069. Henricus Germaniæ Rex, *Bertham* uxorem repudiare intendit, sed à Pontificio Legato deterretur, sub interminatione Anathematis.

1070. Archi-Episcopus Moguntinus & Bambergensis, de crimine Simoniæ accusati, ab Alexandro II. Romam evocantur, & jurantes se nunquam ulteriùs id perpetraturos, ad suas Ecclesias redire permittuntur.

1071. *Romanus Diogenes*, infeliciter cum Turcis confligit, ob ídque exauctoratur, & exoculatur, ad demùm miserè perimitur, eíque surrogatur Michaël filius Constantini *Ducæ*; Cognomento *Paripanaceus*, & Eudocia in exilium mittitur. Floret hoc tempore Theophylactus Archi-Episcopus Bulgarorum, qui scribit in Evangelia.

1072. Henricus Rex Germaniæ ob Otthonem Bavariæ Ducem Provinciâ spoliatum, & ob nundinationem Episcopatuum, ac Abbatiarum, à Germaniæ Principibus, Alexandro II. Papæ accusatur. In Anglia, jussu Pontificis Concilium Provinciale celebratur, & lite motâ de Primatu Ecclesiæ Cantuariensis, ac Eboracensis, Primatus Cantuariensi adjudicatur. Moritur Petrus Damiani, vitæ sanctitate & scriptis clarus.

1073. Alexander Papa, Henricum Romam evocat, ad rationem facto-rum reddendam, de Simoniaca labe, & geſtis in Otthonem Bavariæ Ducem, ſed eodem anno moritur. Cui ſuccedit *Hildebrandus* Archidiaconus, Gregorij VII. Nomine aſſumpto, qui mox Principes Germaniæ concitatos in Henricum (utpotè jam crimina ſua ultrò confitentem, & emendationem Pontifici pro-mittentem) authoritate ſuâ ſedat.

1074. Gregorius Papa Legationem mittit ad Henricum, pro Germaniæ rebus componendis, verùm ſana concilia Pontificis eludit Henricus. Romæ Concilium celebratur adversùs incontinentes Clericos. Gregorius Papa ex-peditionem in Orientem contra Saracenos parat, ſed pium hoc opus, metus ma-li, quod ab Henrico Eccleſiæ imminebat, penitus extinguit.

1075. Romæ magna Synodus, pro reformatione morum utriúſque ſta-tûs Eccleſiaſtici ac Sæcularis congregatur, cujus acta Gregorius implenda cu-rat. Henricus metuens ſibi à Saxonibus, fingit reconciliationem cum Grego-rio, ſed cùm retuliſſet de hoſtibus victoriam, rursùs ad genium redit.

1076. Henricus Germaniæ Rex, apertè in Gregorium VII. rebellat, hunc enim in Pſeudo-Synodo Vormatienſi, deponendum curat: ac ille viciſ-ſim Henricum in Concilio Romano excommunicat. Eodem anno, idem Gre-gorius, Demetrium Suinmur dictum, Regem Dalmatiæ & Croatiæ, creat.

1077. Henricus ſuperatis Alpibus, venit Ganuſium, ubi à Gregorio Papa diu cunctante (ubi is ſigna omnia pœnitentiæ dediſſet) abſolvitur ab ex-communicatione, ſed mox in priſtinam contumaciam relabitur, & Pontifici inſidias ſtruit, ejus proinde perfidiam exoſi Principes Germaniæ, Rudolphum Sueviæ Ducem Henrico axauctorato Regem creant. Comitiſſa Mathildis Tuſciam & Liguriam Provincias, Romanæ Eccleſiæ donat.

1078. Turbæ inter Gregorium, & Henricum perſeverant. In Synodo Romana Simoniaci & Schiſmatici, Henrici partes ſequentes, excommunican-tur, & in altera ibidem celebrata hoc anno Nicephorus *Botoniades*, qui relega-to in Monaſterium Michaële, ejuſque conjuge Mariâ, in Monaſterium, Imperi-um Orientis ſibi uſurpaverat.

1079 Hoc anno celebrat Gregorius Synodum Romæ, in quâ denuò ejurat Hæreſim *Berengarius*, quam ſæpe vomuerat, ſæpè reſorbuerat. Ad ean-dem Synodum deferuntur novæ querelæ à Legatis, Rudolphi Regis in Henri-cum. Et Henricus quidem viſus eſt mitior, promiſitque ſe acquieturum Con-cilij placitis, ſed cùm bella ei cum Rudolpho benè ceſſiſſent, efferatus, ad priſti-na ſcelera redijt. Sanctus Stanislaus Epiſcopus Cracovienſis, inter Miſſæ Sa-crificium, Martyrio afficitur, juſſu Boleslai Regis Poloniæ, ob quod factum,

Gregorius in Boleslaum Regem fulmen excommunicationis vibrat, eúmque Regno privat.

1080. In Romano Concilio rursus fulminibus Ecclesiæ afflatus Henricus, rursus deponitur, & confirmatur à Gregorio Germaniæ Rex Rudolphus. Henricus vicissim Brixiam Pseudo-Synodum indicit, in quâ Gregorium deponi curat, eidémque substitui *Guilbertum* Archi-Episcopum Ravennatem, qui dictus est in Antipapatu Clemens III. Interea inter Henricum, & Rudolphum atrox prælium committitur, in eóque Rudolphus occiditur.

1081. Henricus, ex Rege jam Tyrannus, cum *Guilberto* Antipapa Romam venit, urbémque infestat. Sanctus Canutus Rex Daniæ, fit Martyr. Gregorius gratulatur Visigothis, iterùm ad fidem Catholicam conversis.

1082. Henrico absente, & cuncta promittente in Italia, Saxones in locum occisi in bello Rudolphi, in Regem Germaniæ Hermanum Lotharingiæ Ducem substituunt.

1083. Hoc anno captâ Urbe Leoninâ Henricus, intrudit in sedem Petri *Guilbertum* Pseudo-Papam, facítque eum iterum consecrari à tribus Episcopis Schismaticis, & ipse Shismaticus.

1084. Idem Henricus & ipsam Romam occupat, & Gregorius retinens omnes pontes, & munitiora Urbis loca, in molem Hadriani sese recipit. *Guilbertus* verò ibidem Henricum in Imperatorem coronat. Advenit interea *Guilsyardus* Nortmanniæ Dux Romam cum exercitu, Henricúmque vincit, átque Gregorium subducit, qui inde Cassinum, ac demùm Salernum pervenit incolumis. Contra Henricum in Germaniam reducem, Catholici insurgunt, nobilémque victoriam de eo reportant.

1085. Pseudo-Synodus Moguntiæ celebratur ab Henricianis, in quâ confirmatur Pseudo-Pontifex *Guilbertus*, & Gregorius legitimus Papa deponitur, sed quem DEUS defendit, in Schismaticos lue magnâ immissâ, quâ plurimi ex ijs absumuntur. Hermanus novus Rex celebrat Pascha Quintilineburgi, quò Ottho Cardinalis, authoritate legitimi Pontificis, Concilium convocat, in quò multa salubriter decernuntur, & Schismatici, qui Conciliabulo Moguntino interfuerunt anathemate feriuntur. Interea Gregorius VII. Salerni moritur, multis miraculis post obitum clarus.

1086. Cardinales Romam convenientes, in locum defuncti Gregorij, *Desiderium* Abbatem Cassinensem, invitum licèt & reluctantem, Pontificem creant, & Victorem III. nominant. Verùm is post dies quatuor egressus ex Urbe, Terracinæ, insignia Pontificatûs deponit, & ad suum Monasterium Cassinense se recipit. Aliunde in Germania Schismatici, à Catholicis prælio vincuntur, ex quo ipse Henricus inter primos elapsus, ægrè fugit. Carthusianorum Ordo, hoc eodem anno a Sancto Brunone instituitur.

1087. Hoc anno Victor III. victus precibus Cleri ac Principum omniúmque votis, ornamenta Pontificia resumit, & Ostiæ consecratur, postmodùm verò Romam venit. *Guilbertus* autem Antipapa, apud Sanctam Mariam ad Martyres, se recipit, indéque hostilia multa in Urbem & Italiam exercet. At Victor sapientior & justior, expeditionem in Saracenos Africanos convertit, maximáque clade eosdem afficit, sed dum Beneventum Synodum cogit, in morbum incidit, indéque se Cassinum reportari jubet, ubi sexagenarius pijssimè moritur.

1088. Eligitur in Pontificem Terracinæ unanimi consensu *Ottho* Cardinalis, Episcopus Ostiensis, assumpto Urbani II. Nomine, Guilberto in sua Contumacia persistente moritur, toties in hæresim relapsus Berengarius, pœnitens in morte sui erroris, & justitiam DEI expavescens, ob turbatas multorum conscientias.

1089. Guilbertus Antipapa, hoc anno à Romanis Urbe expellitur. Urbanus Papa II. Synodum Generalem Romæ, in suburbano celebrat, Episcoporum 115. Henricus invitatus à Principibus Catholicis ad pacem, sub specie coronationis ab Urbano obtinendæ, non abnuit, sed ab Episcopis Schismaticis, qui suam depositionem magìs, quam illius reformidabant, à proposito retrahitur.

1090. Henricus in omnia vitia ruit, & intereà Episcopatus, reliquáque beneficia Ecclesiastica palàm vendit, pro pecunia, pro gladio, pro adulterio, ita, ut in suis criminibus, non sceleratus tantùm, sed furiosus esse videretur.

1091. Urbano in Campania versante, *Guilbertus*, à Romanis Henricum metuentibus, in Urbem recipitur, quem Urbanus Synodo Beneventi celebratâ, denuò excommunicat. Ad hunc annum referuntur Regni Lusitanici initia.

1092. Sanctus *Bruno*, ex sua solitudine ab Urbano II. evocatur, & detinetur triennio, átque in Concilijs celebrandis, alijsque negotijs Ecclesiæ promovendis, à Pontifice occupatur.

1093. Lambardi in Henricum rebellant, imò & *Conradus* ejus filius, adversùs eundem insurgit, & absolutus per Pontificem Urbanum, ab excommunicationis vinculo, Mediolani, Rex Italiæ inungitur. Urbanus Pontifex eodem anno redit Romam, & Guilbertus Veronam fugit, simulans se Papatu abdicaturum, si aliter pax Ecclesiæ nequeat restitui.

1094. Atra lues per Italiam, Galliam, & Germaniam grassatur, Sanctus Anselmus mittit ad Urbanum Librum, de Incarnatione verbi, ad confutandam Hæresim Roselini, qui dicebat: Tres omnes personas Divinas, cum ejusdem Numero substantiæ sint, fuisse incarnatas.

1095. Urbanus II. trajicit in Galliam, ubi indicit Synodum, ad quam conveniunt 13. Archi-Episcopi, & 205. Episcopi, in qua Philippus Francorum Rex propter Bertradam pellicem, legitimæ uxori superductam, à communione fidelium, segregatur. Actum quóque est de Expeditione Hierosolymitana, átque bellum de recuperanda Terra Sancta decretum, quod incredibili prorsus alacritate, à Christianitate suscipitur.

1096. Philippus Rex Francorum, rejecta pellice, átque obitâ pœnitentiâ. absólvitur ab Urbano Papâ, qui mox in Italiam redit, & Sacram expeditionem summâ curâ promovet, Dúxque Expeditionis totius Godefridus Bullionius constituitur.

1097. Christianæ expeditionis milites, post multa cum Turcis prælia Nicæam Bithyniæ capiunt.

1098. Eadem expeditio Christianorum, Antiochiam, & alia loca munita feliciter occupat, occupatura plura haud dubio, si perfidia & dolis Alexij Comneni, Græcorum Imperatoris, Latinis infesti, à progressu non fuisset impedita.

1099. Christiani Duce Godefrido Bullionio, Hierosolymam capiunt, & eundem Bullionium primum Hierosolymorum Regem creant, qui noluit auro coronari, ubi Christus spinis coronatus fuerat. Saraceni omnes jugulati, Urbs à Christianis incoli cœpta, selecti quóque duo Patriarchæ, Daybertus Hierosolymitanus, & Bernardus Antiochenus, ambo doctrinâ virtutéque clari. Mortuus est eodem hoc anno, Sacri belli Promotor, Urbanus II. Papa, suffectus est eidem Rainerius Cardinalis, dictúsque Paschalis II.

1100. Hoc anno *Guilbertus* Pseudo-Pontifex, ab Orthodoxis penitùs debellatus, & de loco in locum pulsus, âtque ad extremas angustias redactus, in fuga miserè perit, magno solatio bonorum, sed cui admixtus fuerat ingens mœror, ob mortem Bullionij primi Regis Hierosolymorum, viri fortissimi, & de tota Christianitate optimè meriti.



C A-

CATALOGUS I.

Continens Nomina, Patriam, & Ordinem Pontificum, qui Undecimo Sæculo præfuerunt Eccleſiæ, cum aſſignatione accurata Temporis, quô quis gubernare cœpit, & deſijt.

Ordo & ſeries ac Nomina Pontificum.	Initium Sedis A. M. D.	Finis Sedis A. M. D.	Duratio. A. M. D.	Vacat. M. D.
145. Joannes XVI. Romanus, Cognomento Siccus.	1003.	1003. Nov. 5.	0. 5.	0. 15.
146. Joannes XVII. Romanus, Cognomento Faſanus.	1003. Nov. 20.	1009. Jul. 18.	5. 7. 28.	1. 13.
147. Sergius IV. Romanus, Monachus Benedictinus.	1009. Aug. 31.	1013. Maji 13.	3. 8. 13.	0. 8.
148. Benedictus VIII. Comes Tuſculanus.	1013. Maji 22.	1024. Febr. 27	10. 9. 5.	0. 1.
149. Joannes XVIII. Comes Tuſculanus.	1024. Febr. 28.	1032. Nov. 8.	8. 8. 8.	0. 2.
150. Benedictus IX. Comes Tuſculanus, intruſus, ſed tolleratus, demùm pulſus.	1032. Nov. 10.	1044.		
151. Gregorius VI.	1044.	1046. abdic.	1. 7. 20.	
152. Clemens II. Saxo.	1046. Dec. 25.	1047. Oct. 9.	0. 1. 14.	9. 9.
153. Damaſus II. Bavarus.	1048. Julij. 17.	1048. Sept. 9.	0. 1. 23	11. 24.
154. S. Leo IX. Lotharingus.	1049. Febr. 12.	1054. Apr. 19.	5. 2. 7.	11. 24.
155. Victor II. Germanus	1055. April. 13.	1057. Jul. 28.	2. 3. 15.	0. 5.
156. Stephanus X. Tuſcus.	1057. Aug. 2.	1058. Mar. 29	0. 7. 28.	9. 5.
157. Nicolaus II. Sabaudus.	1059. Jan. 3.	1061. Jun. 7.	1. 5. 4.	3. 24.
158. Alexander III. Mediolanenſis.	1061. Octobr. 1.	1073. Apr. 22	11. 6. 22.	

C A-

159. S. Gregorius VII. Tuscus.	1073. April. 22.	1086. Maji 24.	12. 1. 2.	
160. Victor III. Beneventanus.	1086. Maji. 9.	Sept. 16.	1. 4. 7.	5. 26.
161. Urbanus II. Gallus.	1088. Mart. 12.	1099. Jul. 29.	11. 4. 17.	0. 14.
162. Paschalis II. Tuscus.	1099. August. 12.	1118. Jan. 18	18. 5. 4.	0. 3.

CATALOGUS II.

Continens Nomina & Ordinem Imperatorum, qui hoc undecimo Sæculo imperârunt.

IN OCCIDENTE.

Sanctus Henricus II. Dux Bavariæ, ad Annum. 1024.
Conradus II. Salicus ad An. 1039.
Henricus III. Niger. ad An. 1056.
Henricus IV. Nigri filius depositus An. 1076.
Rudolphus Sueviæ Dux occisus An. 1080.
Henricus IV. verò objit in Excommunicatione Anno 1106.

IN ORIENTE.

Basilius cum Constantino IX. ad An. 1025.
Constantinus X. objit Anno 1028.
Romanus III. occisus Anno 1034.
Michaël IV. Paphlago, objit Anno 1041.
Michaël V. Calaphates pulsus Anno 1042.
Constantinus XI. Monomachus objit 1056.
Michaël VI. Stratonicus abdicavit An. 1057.
Isaacius Comnenus abdicavit. 1059.
Constantinus IX. Ducas obit. 1067.
Eudocia uxor Ducæ curatrix cum tribus filijs, transtulit Imperium in maritum An. 1068.
Romanus IV. Diogenes, maritus Eudociæ, objit Anno 1071.
Michaël VII. Ducas Paripanaceus pulsus. 1078.
Nicephorus III. Butoniades pulsus An. 1081.
Alexius Comnenus, Isaaci filius objit, An. 1118.

CATALOGUS III.

Continens Scriptores Sacros Undecimi Sæculi.

Sancti Pontifices Leo IX. & Gregorius VII.
Osbertus Cantuariensis, Monachus Sancti Benedicti.
Berno Abbas Ordinis Sancti Benedicti. Guido Aretinus.
Burchardus Vormaciensis Episcopus.

Ful-

Fulbertus Episcopus Carnotensis.
Sanctus Bruno, Fundator Sacri Ordinis Carthusianensis.
Regius Monachus, Ordinis Sancti Benedicti. Glaber Rudolphus.
Hermannus Contractus Ordinis Sancti Benedicti.
Adelmanus Episcopus Brixiensis.
Sanctus Odilo, Abbas Cluniacensis. Oëcumenius.
Humbertus Tullensis, Ordinis Sancti Benedicti. Albertus Diaconus.
Alphanus, Archi-Episcopus Salernitanus ex Ordine Sancti Benedicti.
Lanfrancus, Archi-Episcopus Cantuariensis.
Guimundus, Archi-Episcopus Aversanus ex Ordine Sancti Benedicti.
Algerus Monachus Ordinis Sancti Benedicti.
Joannes Micrologius. Ado, Trevirensis Episcopus.
Theophylactus, Aridanæ Ecclesiæ in Bulgaria Archi-Episcopus.
Petrus Damiani Episcopus Ostiensis, & Cardinalis.
Bertoldus. Ingulphus Anglus.
Sanctus Anselmus, Lucensis Episcopus.
Marianus Scotus, Ordinis Sancti Benedicti.
Hilbertus Cenomanorum Episcopus.
Samuel Marochianus, ex Judæo Christianus.
Sanctus Anselmus Archi-Episcopus Cantuariensis ex Abbate Ord. Sancti Benedicti.
Ivo Carnotensis. Sigibertus Chronographus Ordinis Sancti Benedicti.

CATALOGUS IV.

Continens Scriptores Prophanos Undecimi Sæculi.

Rasis, Joannes Serapion. Isaac Benimira, Medici.
Campanus, in Longobardia natus, Astrologus.
Guido Aretinus, Musicus. Franco scholasticus, Geometra.
Lambertus de Legia, Guntherus. Theodoricus. Meginfridus, & Hadrianus, Historici, Guilielmus Abbas, Musicus & Astrologus.
Joannes Xiphilinus Patriarcha Constantinopolitanus. Historicus.

Floruère etiam hoc Sæculo aliquot Rabbini Hebræorum, qui dilabentibus Academijs Orientis, ob Ismaëlitarum persecutiones, migraverant in Occidentem.

CATALOGUS V.

Conciliorum & Synodorum Undecimi Sæculi.

Legionense celebratum in Hispania. 1012. | Arelianense in Gallia. Anno 1017.

Salegunstadiense in Germania. 1022.
Moguntinum in Germania. 1023.
Lemovicense. 1029.
Pamphi ionense. 1032.
Concilia aliquot in Gallia. 1034.
Triburiense prope Moguntiam. 1035.
Venetum in Italia. 1040.
Constantinense in Germania. 1044.
Sutrinum in Hetruria. 1046.
Romanum, contra Simoniacos. 1047.
Aliud in Germania contra eosdem. 1047.
Romanum aliud contra eosdem. 1049.
Alia tria contra eosdem, videlicet: Papiense, Rhemense Moguntium, eodem Anno. 1049.
Romanum contra Berengarium. 1050.
Vercellense contra eundē, eodem. A. 1050.
Romanum aliud. 1051.
Aliud item. 1053.
Moguntinum. 1054.
Florentinum. 1055.
Lugdunense eodem anno. 1055.
Turonense eodem anno contra Berengarium. 1055.
Tria dein, Coloniense, Tolosanum, Compostellanum. 1056.
Aliud Sutrinum. 1056.
Lateranense. 1059.
Duo alia eodem anno, Melphitanum in Apulia, & Parisiense, & Lateranense aliud. 1063.
Mantuanum. 1064.
Barcinonense eodem anno. 1064.
Romanum, contra Incestuosos. 1065.
Duo in Anglia. 1070.
Aliud Anglicanum. 1072.
Lateranense iterum, seu Romanum sub Alexandro II. 1072.
Romanum aliud, sub Gregorio VII. 1074.
Aliud Romanum. 1075.
Londinense Nationale eodem anno. 1075.
Romanum aliud sub Gregorio VII. 1076.
Alia duo ibidem. 1078.
Romanum Aliud. 1079.
Romanum aliud. 1080.
Tria alia eodem anno, unum Lugduni, alterum Avenione, & tertium Meldis.
Romanum iterum. 1081.
Romanum aliud. 1081.
Romanum iterum. 1084.
Quintiliniburgense in Germania. 1885.
Capuanum in Italia. 1087.
Beneventanum sub Victore III. eodem anno. 1087.
Romanum sub Urbano I. 1089.
Tolosanum. 1090.
Beneventanum aliud sub Urbano II. 1091.
Constantiense. 1094.
Alterum in Gallia eodem anno. 1094.
Placentinum. 1095.
Anglicanum eodem anno. 1095.
Claremontanum in Arvernia. 1095.
Turonense. 1096.
Barense in Apulia. 1097.
Romanum. 1098.
Aliud Romanum. 1099.
Hierosolymitanum. 1699.
Pictaviense, sub Paschali II. 1100.

CATALOGUS VI.

Perſonarum Sanctitate illuſtrium, Undecimi Sæculi.

Sanctus Collomannus, ex Nobili Regum Scotiæ proſapiâ, Peregrinus.
S. Heribertus Colonienſis Epiſcopus.
S. Godefridus Ambienſis Epiſcopus.
S. Henricus Imperator.
S. Chunegundis Virgo, uxor ejusdem Imperatrix.
S. Bervvardus Epiſcopus.
S. Gothardus Epiſcopus.
S. Guilielmus Abbas.
S. Poppo Abbas.
S. Dominicus. Loricatus Religioſus.
S. Theobaldus, Nobilis Gallus.
S. Stephanus Rex Hungariæ.
S. Emericus Dux Hungariæ.
S. Gerardus Tullenſis Epiſcopus.
S. Eduardus Angliæ Rex.
S. Joannes Gvalbertus, Abbas, Fundator Ordinis Vallis Umbroſæ.
S. Stanislaus Cracovienſis Epiſcopus.
S. Arnulphus Sueſſonenſis Epiſcopus.
S. Margarita Scotiæ Regina.
S. Robertus Primus Abbas Ciſtercienſis.
S. Bruno Fundator Religioſiſſimi Ordinis Carthuſianorum.
S. Hugo Gratianopolitanus Epiſcopus.
S. Hugo Abbas Cluniacenſis.
S. Ladi.laus Rex Hungariæ.

CATALOGUS VII.

Hæreſum, & Hæreſiarcharum.

Berengarius.
Quidam Novi Manichæi in Gallia, Ducibus Heriberto, & Liſoio.
Simoniaci, Reordinantes, Michaël Cerularius.
Quidam Novi Nicolaitæ. Inceſtuoſi.

CATALOGUS VIII.

Eventuum Memorabilium Undecimi Sæculi.

1. Cometes miræ formæ, & viſu terribilis comparet. Anno 1005.
2. Peſtis, & fames ingens per univerſum Orbem graſſatur.
3. Antiqui Canones Eccleſiæ, in unum Decretorum volumen compillantur, à *Burchardo* & ejus Magiſtro *Osberto*, ac in viginti libros dividuntur : ac demùm à *Gratiano* contrahuntur, ac in meliorem formam rediguntur. 1008.
4. Joannes XVII. Papa, Græcos Schiſmaticos, diſputatione convincit, & Eccleſiæ unit. 1009.
5. In Hungaria fides Catholica magnis incrementis promovetur.

6. In Lotharingia, juxta montem Castrilocum, fonticulus aquæ multis saluberrimus, prodigiosè in sanguinem convertitur. 1011.

7. Templum Hierosolymitanum, & Sepulchrum Redemptoris nostri JESU Christi, ex suasu Judæorum, à Saracenis desolatur. 1012.

8. Cometes solito mirabilior, instar trabis, per quatuor menses comparet. 1016.

9. Henricus Imperator feliciter mari contra Saracenos, Italiæ littora infestantes, pugnat. 1016.

10. Edessæ, Epistola illa, quam Salvator noster manu suâ Regulo illius loci scripserat, reperitur. 1039.

11. Gallia & Germania, fame gravi vexantur. 1043.

12. Certatim Orbe toto fit Templorum innovatio, ut Nationes, & Urbes contenderent de ornatu.

13. S. Bonifacius, Russorum Apostolus, à Papa missus, ad confirmandam doctrinæ fidei veritatem, pyram incensam, illæsus transit, & Regem cum Russis, ad Sacra Christiana amplectenda inducit.

14. Pomum Imperiale aureum, cum eminenti Cruce, Sancto Henrico Regi à Benedicto VIII. Papâ, pro insigni Imperij offertur, & is primus eò uteretur.

15. Novi Manichæi à Roberto Rege Galliarum, per Concilium Aurelianense, igni adjudicantur. 1017.

16. Roma ipso Veneris Sancto die immanibus quassatur ventis, fuítque compertum, ex Judæo prodente, Judæos tunc cum Imagine Christi egisse eadem, quæ olim cum Christo. Cunctis capite plexis, illicò venti remisêre.

17. Henricus obsidens Trojam Civitatem Græcorum in Italia, jubet eam dedi, aut æquandam solô cunctis mactandis. Cives emittunt pueros cantantes *Kirie Eleison*, & veniam ab Imperatore impetrant. Qui mox à calculo sanatur, per apparentem S. Benedictum. 1022.

18. Græci Constantinopolitani, vendicant suo Patriarchæ nomen Episcopi universalis per Orientem, missâ Romam Legatione, & licèt repulsam passi fuissent, ab hoc tamen tempore in publicum schisma erumpunt, cœptum à Photio 878.

19. Sanctus Henricus Imperator, cum Sancta Chunegunde, intaminatam Virginitatem in matrimonio servant.

20. Sanctus Burchardus Episcopus Herbipolensis, mirè liberalis in pauperes, ex amplissimis proventibus moriens, tres solùm denarios reliquit, cilicium, ferreámque catenam.

21. Sanctus Romualdus canonizatur Anno 1027. Et Sanctus Popo, Archi-Episcopus Trevirensis. 1037.

22. Sanctæ Luciæ corpus, captis Syracusanis, transfertur Constantinopolim. 1038.

23. San-

23. Sanctus Stephanus Rex Hungariæ moriens Beatissimam Virginem Patronam Hungariæ constituit.
24. Saraceni Messanam Urbem Siciliæ obsidentes, à paucis priùs sub missæ Sacrificio communicantibus, fugantur & cæduntur. 1040.
25. Ordo Vallis Umbrosæ instituitur, per Sanctum Joannem Gualbertum.
26. Fames ingens ac pestis lugubris, per universum Orbem. 1062.
27. Ordo Canonicorum Regularium Sancti Augustini Romæ, & in Italia, ab Alexandro II. restituitur 1080. In Gallia verò ab Ivone Carnutensi Episcopo. 1080.
28. Ordo Grandimontensis, sub Regula Sancti Benedicti institutus. 1076.
29. Magnus terræ motus, cum ingenti mugitu, præsagium fuêre tot malorum, quæ Henricus III. Imperator, in Ecclesiam invexit.
30. Venerabilis Ordo PP. Carthusianorum instituitur. 1086.
31. Ducatus Bohemiæ in Regnum erigitur.
32. Mathildis donat sancto Petro Liguriam, & Tusciam Provincias. 1077.
33. Instituitur Congregatio, Ministrantium infirmis ex igne Sacro. 1086.
34. Expeditio pro recuperatione Terræ Sanctæ, eodem anno 1086. & Hierosolyma recipitur ipso Parasceves die Anno 1099.
35. Venerabilis Ordo Cisterciensis, à Sancto Roberto fundatur. 1098.

FINIS.



II. SYNOPSIS CHRONOLOGICA.

Continens memorabiles Res Ecclesiæ, Duodecimi & decimi tertij Sæculi, seu ab Anno Christi 1100. úsque ad Annum 1300.

Anno 1101. Altera à Christianis Occidentalibus expeditio, pro recuperanda terra sancta suscipitur, ad quam facilè trecenta Christianorum confluunt millia, sed hæc tanta multitudo plurimùm damni passa est à Saracenis, perfidiâ ejus-

ejusdem Alexij *Comneni* Imperatoris Orientis, magìs Mahometanis, quàm Latinis faventis, nihilominus animosè progressa hæc sacra militia, & Saracenos virtute signi sanctæ Crucis magnâ clade affecit, & *Joppen* obsessam liberavit, ac insuper Genuensi classe appulsâ, *Antipatriam* & Cæsaream, maritimam, aliásque munitiones cœpit, átque expugnavit. Objit hoc anno, Sanctus Bruno, Ordinis Carthusiani conditor.

1102. Florent tam in Oriente, quàm in Occidente res Ecclesiæ, licèt utrobíque inter bellicos tumultus. Henricus III. Imperator, quia promissis de adventu Romam, ad conciliandam in synodo pacem, non steterat, denuo excommunicatur. Paschalis II. Papa consultus à sancto Anselmo Cantuariensi Episcopo, de investituris Laicorum, eas prorsus improbat.

1103. Centum quinquaginta millia Christianorum, dum inordinato desiderio Patriæ ducti, terram sanctam deserunt trecentis navibus iu Occidentem venientes, tempestate correpti, magna ex parte pereunt, reliqui à Saracenis intercepti, in dirissimam servitutem abducuntur.

1104. *Bohamondus* Antiochiæ Princeps, è captivitate Saracenica, eáque diuturna, ingenti lytro exoluto liberatus, redit in Italiam, secúmque adducit Daibertum Patriarcham Hierosolymitanum, indignè suâ Sede Patriarchali, à Rege Balduino II. motum, & ob id ad Papam confugientem. In Gallia authoritate Paschalis II. Papæ, celebratur Concilium Trecense, & Rex Philippus pœnitens, Parisijs absolvitur, ab excommunicatione.

1105. Balduinus II. Hierosolymorum Rex, auxilio Danorum, Anglorum, & Flandrorum, Regísque Norvegiæ, prævio signo sanctæ Crucis, insignem de Saracenis reportat Victoriam. Henricus IV. filius Henrici III. Imperatoris insurgit in patrem, eúmque ad deponendum Imperatorium Diadema adigit. Ossa *Guilberti* Antipapæ, Ravennæ sepulta, exhumantur, & in profluentem conjiciuntur.

1106. Henricus Senior seu III. privatus Imperio, fugit Coloniam, & inde Leodium novásque per Germaniam copias colligit, ac bellum non filio solùm, sed Ecclesiæ quóque Romanæ indicit, mox corruptis pecuniâ nonnullis Romanorum, dum ageret Paschalis Papa Beneventi Pseudo-Abbatem de *Farsa*, in Sedem Petri, sub nomine Sylvestri intrudit, & paulò post repentinâ morte extinguitur, orbe universo de illius interitu gaudente.

1107. Paschalis Papa, turbas Hierosolymitanas de Patriarchatu sopit: dum mortuo jam Daiberto legitimo Patriarchâ & Embremaio, qui intrusus fuerat, ejecto, substituit *Gibelinum*, ejusdem loci Patriarcham.

1108. Novas lites exortas de limitibus Patriarchatuum Hierosolymitani & Antiocheni, idem Paschalis Papa componit, Italiæque res ordinat, ac Tyrannos, qui bona Ecclesiæ sibi addixerant, prudenter ac fortiter comprimit.

1109.

1109. Sanctus Anſelmus Archi-Epiſcopus Cantuarienſis, 21. Aprilis & ſanctus Hugo Abbas Cluniacenſis 29. ejusdem menſis, ambo ætate provecti, ambo multis laboribus pro Eccleſia obitis illuſtres, ad præmia cœleſtia, ex hac vita migrant.

1110. Bethlehem Civitas in ſedem Epiſcopalem erigitur. Henrico IV. Regi renuit dare Paſchalis Papa coronam Imperij, ob uſurpatas ab eo inveſtituras, ſed Henricus armatus, eas vi à Pontifice extorquet, cum certis tamen pactis & conditionibus.

1111. Henricus rurſus Romam ingreſſus, pactis cum Pontifice initis ſtare recuſat, ac Pontificem, multóſque Cardinales vinctos detinet, ac ſecum captivos ad Sabinos deducit. Sed cùm néque ſic Paſchalis Papa flecti poſſet ab Henrico, ut iniquis ejus poſtulatis annueret, tandem victus precibus Cardinalium & Principum Papa, ad vitandum Schiſma, remittit Henrico inveſtituras, & relaxatus cum ſuis, eundem in Æde ſancti Petri, ſed januis clauſis, in Imperatorem coronat. Eodem quóque anno, à Balduino Rege Hieroſolymorum, auxilio Danorum, & Norvegorum, quos pietas in Orientem pertraxerat, *Berytus* & *Sidon* Urbes Palæſtinæ, feliciter expugnantur.

1112. Alexius *Comnenus* Imperator Orientis, & ipſe Romæ à Pontifice coronari cupit, moritur, Gibelinus Hieroſolymitanus Patriarcha. Concilium Lateranenſe Romæ celebratur, in quo Privilegium à Paſchali Papa, Henrico de inveſtituris conceſſum, utpote vi extortum, authoritate ejusdem Pontificis, & totius Concilij, irritatur, & reſcinditur. Eodem anno *Tancredus* Princeps Antiochiæ moritur.

1113. Turcæ repulſi Hieroſolymâ, quam obſederant, in Monachos Cluniacenſes, Montem Thabor incolentes, furorem convertunt, omnéſque Martyrio afficiunt. Ab hoc anno Res Chriſtianorum in Palæſtina ruere incipiunt, haud dubiò ob incœſtas nuptias Balduini Regis, qui priore uxore adhuc ſuperveniente, aliam ſuper induxerat. Iratus enim DEUS, huic adeſſe noluit, cujus ſolius auxilio hactenus tot inter hoſtes ſteterat.

1114. Hoc anno putatur à nonnullis mortuus Ivo Carnotenſis Epiſcopus, qui eruditione ſuâ ſummoperè Eccleſiam univerſam illuſtravit, factis, & ſcriptis.

1115. Moguntini inſurgunt in Henricum, eúmque cogunt & compellunt dimittere Archi-Epiſcopum ſuum Adalbertum, quem is in diriſſima detinebat cuſtodia. Romani Cives tumultuantur contra Pacbalem Papam eligendo ſibi præfectum Urbis, ipſo inſcio, quem is confirmare recuſabat. Moritur Comitiſſa Methildis, optimè de Romana Sede merita.

1116. Paſchalis Papa, mittit in Orientem *Chryſolanum* Mediolanenſem Archi-Epiſcopum, qui egregiè adversùs Græcos diſputat de proceſſione Spiritûs Sancti, etiam à Filio, ſed apud contumaces parùm efficit. Idem Paſchalis Papa, Privilegium conceſſum Henrico de inveſtituris, tanquam iniquum, & vi extortum, denuò in Concilio Lateranenſi reſcindit.

1117.

1117. Henricus IV. redit Romam, pœnitentiam ſimulans perfidiæ, amicéque jam poſtulat à Paſchali Papa, quod vi extorſerat, petens ſimul abſolutionem ab Excommunicatione, ſed neutrum impetrat, hinc in furias actus, *Burdinum* nefarium virum Bracarenſem Epiſcopum in Pſeudo-Pontificem coronari curat. Paſchalis Papa interim Beneventum ſe confert, & celebrata ibidem Synodo, *Burdinum* excommunicat. Ad hunc annum referunt aliqui Ordinis Equitum Sancti Joannis Hieroſolymitani initia.

1118. Celebris fuit hic annus morte trium præcipuarum Perſonarum, nempe: Balduini II. Regis Hieroſolymorum, cui ſucceſſit Balduinus *Bungo* ejusdem affinis, Alexij *Comneni* Imperatoris Orientis, cui ſufficitur Calo *Joannes* ejusdem primogenitus, & Paſchalis II. Papæ, in cujus locum legitimè eligitur Joannes *Cajetanus* Monachus Caſſinenſis, & Diaconus Cardinalis Cancellarius, invitus licèt ac reclamans, dictúsque eſt Gelaſius II. Verùm Henricus retrudit in Sedem Petri Pſeudo-Papam *Burdinum*, qui Gregorij II. nomen aſſumpſerat, Gelaſius verò indignè habitus ab Henricianis fugit in Gallias. Templariorum Ordo inſtituitur, quorum præcipua ratio inſtituti fuit, vias peregrinantibus ad ſanctam Civitatem tutas reddere.

1119. Gelaſius II. Pontifex, in Monaſterio Cluniacenſi in Gallijs moritur, eique mox ſubſtituitur *Guido* Archi-Epiſcopus Viennenſis, S. R. E. Cardinalis, dictúsque eſt Calliſtus II. Qui eodem anno Concilium Rhenenſe cum Patribus 426. celebrat, ad quod evocatus, Henricus comparere recuſans, denuò excommunicatur.

1120. Balduinus III. cum Comite Tripolitano, obviam Turcis progreſſus, prævio ſigno ſanctæ Crucis, inſignem de ijs reportat victoriam. Caliſtus II. ingenti plauſu Romæ ſuſcipitur, quare *Burdinus* Antipapa in arcem ſutrinam fugit. Ordo Præmonſtratenſium à ſancto Norberto inſtituitur.

1121. Romanus Exercitus, Sutrinâ arce expugnatâ, *Burdinum* Antipapam capit, captóque turpiter illudit, ægrè huic à Calliſto vita impetratur, commutatâ igitur mortis ſententiâ, in mitiorem pœnam, ad perpetuos carceres in Campaniam deducitur.

1122. Calliſtus II. Papa celebrat Concilium Lateranenſe 300. & ampliùs Epiſcoporum, ex quo mittuntur Legati in Germaniam ad componendas res Eccleſiæ, graviter ibidem interturbatas, ob inveſtituras Eccleſiaſticas, quas Imperator, & cæteri Laici ſibi violenter uſurpaverant. Ab his proinde indicitur Synodus *Vormatiam*, in hac divinitùs immutatus Henricus, ex animo ſubjicit ſe Pontifici, ejuratóque jure Inveſtiturarum, redditíſque omnibus bonis ereptis, abſolvitur ab Excommunicatione, cum omnibus ſuis fautoribus, ſicque pax inexpectata Eccleſiæ, cum ingenti fidelium lætitia, repentè coaluit.

1123. Balduinus III. Rex Hieroſolymorum, per inſidias à Turcis capitur, néque tamen Chriſtiani deſpondent animum. Nam ſuperveniente claſſe Venetorum, & claſſem

classem Ægyptiorum *Joppen* obsidentem, licet longè majorem numero, vincunt, & Tyrum, quæ hactenus videbatur inexpugnabilis, Turcis eripiunt. Joannes Comnenus Orientis Imperator, innumerabiles Scytharum copias Thraciam invadentes, patrocinio Deiparæ, repetito sæpè prælio, superat ac profligat.

1124. Ottho Bambergensis Episcopus, Pomeranos in fide instruit. Calistus II. Pontifex moritur, cui succedit Lambertus Cardinalis, Episcopus Ostiensis, humili loco natus, sed vir eruditus ac sanctus, dictus Honorius II. Christiani Syriæ, à 40. millibus Saracenorum incurrentibus circumventi, magnas in angustias rediguntur, confugiunt proinde ad DEI opem implorandam, & more Ninivitarum, etiam infantibus & pecudibus jejunio indicto, procedunt in hostem, licèt vix essent ter mille, victi hostes cœlesti lumine territi, multa virorum millia perdunt, ne uno quidem ex Christianis pereunte, Sanctus Malachias *Connerentis* Episcopus constituitur, disciplinæ Ecclesiasticæ in Hybernia postmodum restitutor.

1125. Henricus Imperator, rancore in pectore conservato contra Ludovicum Regem Galliarum, quod Rhemis passus esset, ipsum à Callisto in Synodo Rhemensi excommunicare, collecto exercitu statuit *Rhemos* evertere, sed injecto divinitùs terrore, rebus infectis, & fugienti similis redit in Germaniam, & non multo post moritur, sine prole mascula, itàque Imperium transfertur ad Saxones Romanæ Ecclesiæ tunc densensores eximios, electo Moguntiæ in Imperatorem *Lothario* Saxoniæ Duce. Honorius Papa Beneventi terræ motu exorto, nudis pedibus cum Cardinalibus Basilicam Sancti Joannis ingressus, coram altari Salvatoris Lacrymans, misericordiam DEI implorat, átque etiam exorat.

1126. Novi Hæresiarchæ *Tangeinus* & *Bruisius* insurgunt, sed subitò pestes hæ extinguntur. Nam illum egregiè Antuerpiæ confundit, ac convincit Sanctus Norbertus: verbo & exemplo potentissimus, hic verò ob sparsas hæreses, ad Fanum Sancti Ægydij vivus exuritur. Sanctus Stephanus Arvernensis, Ordinis Grandimontensis institutor, moritur.

1127. Rogerius Siciliæ Comes, Beneventum, aliásque ditiones Ecclesiæ Romanæ hostiliter infestat. Concilium Trecense in Gallijs celebratur, cui & sanctus Bernardus interest, sanctus Norbertus, in Archi-Episcopum Magdeburgensem consecratur.

1128. Honorius Papa, cum fœderatis Principibus, contra *Rogerium* Siciliæ Comitem movet, qui prudentior factus, prælium declinat, & per Legatos Honorio se submittit, eidémque Homagium cum juramento præstat, à quo per

vexillum de ditione Apuliæ investitur. Quibus peractis, Rogerius in Siciliam, Honorius in urbem reversus est.

1129. Honorius II. Papa, ipsis Calendis Januarij, Gregorium *Cimonum* Cardinalem ad Reges Daniæ, Sueciæ, & Bohemiæ legat.

1130. Moritur Honorius Papa, post cujus mortem, gravissimum Schisma oritur in Ecclesia, contra legitimum Pontificem Innocentium II. canonicè electum, subintruso à nonnullis factiosis *Petro Leonis*, sub nomine Anacleti II. Qui cùm multos, eósque potentes sibi faventes haberet, Innocentius, cum suis Cardinalibus, coactus est profugere in Gallias, exceptúsque est à Rege & Regina, cum eo honore ac reverentiâ, quæ debetur Successori Sancti Petri, & vero Christi Domini in terris Vicario.

1131. Innocentius Papa, celebrat Concilium Rhemis, & *Petrum Leonis* Antipapam excommunicat. Balduinus Rex Hierosolymorum, liberatâ fortiter ac feliciter Antiochiâ, morbo corripitur, quo etiam extinguitur, cui succedit *Fulco* Turonensis Comes. Innocentio Pontifici Rhemis profecto Leodium, Lotharius Germaniæ Rex occurrit, eúmque summa cum reverentia excipit.

1132. Redit in Italiam Innocentius, átque in itinere Genuenses & Pisanos jam ad arma paratos reconciliat. Beneventani à Rogerio Siciliæ Tyranno, qui eos deprimere volebat, uti & ab *Anacleto* Antipapâ, deficiunt, ac Rogerij exercitum profligant.

1133. Reducit Innocentium Papam, *Lotharius* Romam, hícque vicissim ab illo, in Basilica Lateranensi coronatur Imperator. Et hic ab urbe statim discedit, plures copias paraturus, adversùs *Schismaticos* & *Rogerium*. Innocentius autem Pisas, Urbem addictissimam Sacræ Sedi, redit. Interim Rogerius transfretans cum Saracenis in *Apuliam*, ejus vicinia, igne ferróque vastat.

1134. In Concilio Pisano, præsidente Innocentio Papâ, & sancto Bernardo præsente, Petrus de Luna Antipapa, ejúsque fautores denuò excommunicantur. Sanctus Hugo Episcopus Gratianopolitanus canonizatur. Sanctus Norbertus Archi-Episcopus Magdeburgensis, ad cœlos evocatur.

1135. Aquitania, cum suo Duce Guilielmo, operâ sancti Bernardi, à Schismate revocatur. Idem sanctus Bernardus reversus Claram vallem, incepit explicare Cantica Canticorum.

1136. Ludovicus Crassus Rex Franciæ, pœnitens moritur, præmissâ insigni Caholicæ fidei professione. Objit, & *Guilielmus* Dux Aquitaniæ, verè & ille pœnitens in susceptâ ad Sanctum Jacobum Compostellanum peregrinatione.

1137.

1137. *Lotharius* Imperator, veniens in Italiam, cum Henrico Bavariæ Duce, *Rogerium* Ecclesiasticas ditiones devastantem, reprimit.

1138. *Petrus Leonis* Antipapa, dictus Anacletus, impiam efflat animam. Cardinales, qui cum ipso fuerant Schismatici, eidem substituunt Gregorium Cardinalem, *Victorémque* nominant, sed mox tam Electores, quàm electus, submittunt se Innocentio, & pax redditur Ecclesiæ. Verùm *Rogerius* persistit in Schismate, non tam odio Ecclesiæ, quàm amore bonorum ejusdem, quibus inhiabat. *Lotharius* Imperator moritur, vir egregiè pius, & singulariter devotus.

1139. Innocentius Papa, secundum Concilium Lateranense celebrat, mille circiter Episcoporum, in quo excommunicatur *Rogerius* Siciliæ Comes, & Ecclesiæ hostis, & *Arnaldus* Brixiensis Lector, discipulus Abailardi, hæresis condemnatur. Hoc eodem anno Innocentius Papa, perfidiosè capitur à *Rogerio*, sed non ut captivus, verùm ut Pontifex amicè recipitur. Quâ occasione (licèt humilibus precibus) multa extorquet Rogerius ab Innocentio, & sic pax inter eosdem firmatur. In locum defuncti Lotharij, à Germaniæ Principibus, *Conradus*, Imperatoris Henrici Sororius, in Regem Romanorum creatur.

1140. In Concilio Rhemensi Petrus Abailardus, cum suis erroribus condemnatur. Hoc eodem anno, Hugo de *Sancto Victore*, migrat in cœlum.

1141. Tiburtini Schismatici, Innocentio Papæ obsistere pergunt, quos tamen is, armis, ad deditionem compellit.

1142. *Fulconi* Regi Hierosolymorum, ex lapsu equi defuncto, succedit filius Balduinus III. annorum 13. sub tutela *Melescentis* matris. Gravis controversia inter Ludovicum Francorum Regem, & Innocentium Papam, propter Archi-Episcopum Bituricensem exoritur, sed dexteritate ac prudentiâ sancti Bernardi, feliciter mox consopitur.

1143. Moritur Joannes *Comnenus*, seu *Calo Joannes*, Orientis Imperator, cui succedit filius ejusdem *Manuel*, *seu Emmanuel*. Innocentius Papa, laborans contra Romanos Cives, qui senatum & veterem Reipublicæ formam reducere satagebant, piè in Domino obdormit, statímque omnium consensu, datur eidem successor *Guido de Castello* dictus Cælestinus II.

1144. Cælestinus Papa, cùm sedisset Mensibus quinque, & diebus 13. vitâ & officio defungitur, cui die sequenti sufficitur *Gerardus*, ex Ordine Canonicorum Regularium, Cardinalis Cancellarius, & Bibliothecarius S. R. E. Lucius II. dictus. Romani Arnaldistæ seu Politici Hæretici dicti apertè in Papam rebellant.

1145. Lucius II. Pontifex obit, cui statim substituitur Bernardus Abbas

Cisterciensis, sancti Anastasij Trium Fontium, licèt non esset Cardinalis, dictúsque est Eugenius II. Hic mox, ne Arnaldistarum postulatis annuere cogeretur, profugit Româ nocte concubiâ, & apud Monasterium Farsense consecratur. Quò audito Arnaldistæ, Romæ ingentes excitant turbas, & Cardinalium, aliorúmque Civium, qui conspirationi eorum consentire renuebant, domos diripiunt. Ad Eugenium porrò Viterbij extorrem, frequentes Legationes ex Anglia, Armenia, Syria veniunt, & is ad novam expeditionem, in Palæstinam suscipiendam, Principes Christianos modis omnibus excitare satagit, & Romanos partim excommunicatione, partim armis Tyburtinorum ad pacem compellit, & in Urbem revertitur.

1146. Celebris est hic annus multiplici Christianorum Expeditione in Saracenos, & terram sanctam plenè recuperandam, ita, ut tota Europa visa sit ad arma pro Christo convolare.

1147. Conradus igitur Imperator, cum Germanico Exercitu, ipsemet in persona in Orientem pergit, multísque difficultatibus superatis, propè Constantinopolim castra figit, verùm à Græcis proditus, universum ferè exercitum perdit. Conradum sequitur Ludovicus Galliarum Rex, cum magnis ac optimè instructis copijs, (suscepto priùs magnificè Eugenio Pontifice, qui vitans Romanos Arnaldistas receperat se in Gallias) cum quibus perveniens post multa incommoda in *Pamphiliam*, Christianis Orientalibus, maximo auxilio fuit. Sed & Alphonsus Lusitaniæ Rex, Mauris eripit *Ulyssipponem*, multo eorum sanguine fuso. Hoc eodem anno deteguntur duo Hæresiarchæ, diversarum inter se doctrinarum, *Gisbertus Porretanus*, *&* *Henricus Petrobrusianus*, quos egregiè confutavit ac convicit sanctus Bernardus, átque idem opponit se Hæreticis, qui se Apostolicos vocabant, re ipsa autem insignes Hypocritæ, ac impuri Manichæorum sectatores esse, deprehensi sunt.

1148. Conradus Imperator, & Ludovicus Galliarum Rex, in Palæstinam conveniunt, & *Damascum* oppugnant, cujus tamen obsidionem proditi hostibus, solvere coguntur. In Concilio Rhemensi, *Eudo* Hæresiarcha damnatur, & paulò post dedoctus priùs errores, moritur, ac discipuli ejusdem obstinati, ignibus traduntur.

1149. Conradus Imperator, & Ludovicus Galliarum Rex, ex Oriente rebus infectis redeunt.

1150. *Rogerius* Siciliæ Rex, ob demessum proditione Græcorum, Germanicæ, & Francicæ Nobilitatis florem, eosdem multis cladibus afficit, *Corinthum* capit, & spoliat, ac *Corsyram* Insulam eisdem eripit.

1151. Hoc anno *Gratianus* Bononiæ absolvit opusculum inscriptum Decretum, seu Concordia & discordantia Canonum. Sanctus Ericus Rex Sue-

Seciæ infert arma Fridlandis Ethnicis, eósque devincit, quorum Apoſtolum agit ſanctus Henricus Epiſcopus Upſalenſis, & ibidem in odium veritatis trucidatur.

1152. Sanctus Bernardus ſcribit Libros de conſideratione, ad Eugenium Papam, à ſummis Pontificibus & Præſulibus ſemper evolvendos. *Conradus* Rex Romanorum moritur, eidémque ſuccedit *Fridericus* cognomento Ariobardus, Dux Sueviæ. Conradum mox ſequitur *Rogerius* Rex Siciliæ, ſucceſſore relicto *Guilielmo* filio.

1153. Sanctus Bernardus, & Eugenius Papa obeunt, reconciliatis priùs Arnaldiſtis Romanis, cum ſede Apoſtolica. Eugenio ſufficitur Anaſtaſius IV.

1154. Fridericus Rex Romanorum, venit in Italiam, nimiæ facilitatis deprehendens *Anaſtaſium*, quâ is poſtea abuſus eſt. Eodem anno moritur idem *Anaſtaſius*, eique ſubrogatur *Nicolaus*, natione Anglus, Epiſcopus Albenſis, dictus Hadrianus IV.

1155. *Arnaldus* rurſus turbas excitat Romæ, ſed tandem pœnas ſcelerum ſuorum dat, quas jam pridem meruerat, vivus exuſtus. *Guilielmus* Siciliæ Rex in Eccleſiam rebellis, excommunicatur. *Fridericus* Rex Germaniæ, ab *Hadriano* in Imperatorem Romanorum coronatur Romæ.

1156. *Hadrianus* Papa, obſeſſus Beneventi, à Guilielmo Siciliæ Rege, ad iniquiſſimas conditiones adigitur. Balduinus III. Hieroſolymorum Rex, quòd datam fidem Saracenis non ſervâſſet, grandi clade, ab ijsdem afficitur.

1157. Gravis, Controverſia inter Hadrianum Papam, & Fridericum Imperatorem, ob Londinenſem Epiſcopum malè acceptum in Germania, exoritur.

1158. Fridericus Imperator cum exercitu Italiam invadit, ſed ab Hadriano Papâ, per Legatos Cardinales, placatur.

1159. Dum Fridericus Imperatur, novam tumultuandi materiam contra Hadrianum Papam quærit, Hadrianus Kalendis Septembris *Anagniæ* moritur. Vir eximiæ pietatis, ut qui nec obellum quidem ſuis cognatis, & ſanguine junctis, ex proventibus Eccleſiæ dederit. Huic ſtatim ſubſtituitur ab univerſo penè Clero populóque Romano *Rolandus*, natione *Tuſcus* Presbyter Cardinalis, ſub nomine Alexandri III. At duo Imperij Cardinales opponunt ipſi Octavium divitem, ortum ex Comitibus Tuſculanis, hujus dignitatis avidiſſimum, cui & Fridericus favet, átque Victoris nomen eidem imponunt.

1160. Fridericus Antipapam modis omnibus tueri nititur, & in ſuas

 partes

partes adducere Reges quóque Franciæ & Angliæ conatur, ſed hos conſtanter Sedi Apoſtolicæ addictos invenit.

1161. Alexander Papa, in Gallias deſcendit, priùs tamen *Anagaiæ*, Sanctum Eduardum Regem Angliæ, in numerum Sanctorum refert.

1162. Fridericus victorem Antipapam ſtabilire conatur, ſed Alexandro vero Pontifici, Reges, Franciæ, Angliæ, & Daniæ, magno zelo adhærent. Sanctus Thomas ex Cancellario Regni Angliæ, Archi-Epiſcopus Cantuarienſis creatur.

1163. Balduino III. Rege Hieroſolymorum defuncto, *Adalricus* ejusdem frater ſuccedit. Alexander III. Papa, in Gallijs Concilium Turonenſe celebrat, cui & ſanctus Thomas Cantuarienſis Archi-Epiſcopus intereſt. Sed hic reverſus in Angliam, in Regis offenſionem gravem incurrit, quòd Eccleſiæ prædia à Laicis uſurpata, repeteret, & Cancellarij munere ſe abdicaret.

1164. Idem Sanctus Thomas, Regis iram fugiens, ad Alexandrum Papam ſe recipit. Victor Antipapa in ſua pertinacia impœnitens moritur. Cui Schiſmatici *Guidonem Cremenſem* Cardinalem ſubſtituunt, quem & Fridericus Imperator approbat. Petrus Lombardus Epiſcopus Pariſienſis, Magiſter Sententiarum cognominatus, obit.

1165. Alexander Papa, Romanorum litteris ſolicitatus, urbem cum ingenti omnium exultatione, ingreditur.

1166. Fridericus Imperator cum Exercitu venit in Italiam, ut Pſeudo-Pontificem in Sede Petri collocaret, verum aut perderet, aut expelleret, ſed ejusdem conatibus Longobardi, cæterique confœderati, pro vero Pontifice ſtantes, fortiter reſiſtunt. Defuncto Guilielmo cognomine *Malo*, ſuccedit filius ejusdem, item Guilielmus, ſed cognomine *Bonus* in Regno Siciliæ.

1167. Romani ſumentes arma, pro Alexandro III. adversùs Tuſculanos, copijs Imperatorijs adſcitis, ab his magnâ afficiuntur clade. Quibus auditis Fridericus, relictâ Anconiâ, quam tunc obſidebat, ad Urbem accurrit. Alexander Papa proinde habitu peregrini fugit clam cum multis Cardinalibus Beneventum. Interim Exercitus Friderici, peſte dirâ corripitur, quare Fridericus rebus infectis, ab Urbe recedere cogitur.

1168. Fridericus ab Alexandro Papa, in Concilio Lateranenſi excommunicatur, ac Imperio privatur. Ille rurſus cum novis copijs Italiam ingreditur, ſed cæſus à Mediolanenſibus, furore ac contumeliâ plenus, regredi compellitur. Eodem anno Longobardi novam Urbem ædificant, & ad honorem Alexandri III. Papæ, Alexandriam nominant.

1169.

1169. Hoc anno Sultanus Iconij à matre occultè Christiana institutus, sacris aquis Baptismi abluitur.

1170. S. Thomas Archi-Episcopus Cantuariensis, redit in Angliam, âtque eodem anno Martyrio coronatur. *Guido* Antipapa moritur, cui tertium Antipapam Joannem Abbatem Strumensem substituunt Schismatici, scelestissimi, scelestissimum. Nascitur Sanctus Dominicus Calarogæ in Hispania.

1171. Alexander Papa, excommunicat omnes necis sancti Thomæ conscios, ac complices, & mox anno 1172. ejusdem necis causam, per Legatos in Anglia examinari curat. Cujus authores convertuntur ac demum miserè pereunt.

1172. Idem Sanctus Thomas, inter Sanctos ab Alexandro Papa adscribitur. Henricus senior Angliæ Rex, à filijs & uxore sua Eleonora, bello appetitur, qui proinde ad Alexandrum Papam confugit, ab eodémque adjuvatur.

1173. Fridericus Imperator, quintâ jam vice Italiam, cum ingentibus copijs aggreditur. Henricus Angliæ Rex, insignem de morte Sancti Thomæ agit pœnitentiam, eámque publicam.

1174. Fridericus post obsessam quatuor mensibus Alexandriam, obsidionem turpiter solvere cogitur, tantâ clade acceptâ, ut in fugam compelleretur.

1175. Albigenses Hæretici emergunt, & convincuntur, confutatique condemnantur. Fridericus Imperator, à Mediolanensibus, & confœderatis plenè debellatur, âtque tunc seriò de pace cum Pontifice tractare decernit.

1176. Tandem igitur pax inter Alexandrum Papam, & Fridericum Imperatorem concluditur. Hoc eodem anno Abissini, ad Alexandrum Papam scribunt, & fide pleniùs instrui desiderant.

1177. Alexander Papa, Romam gloriosè regreditur, benignéque suscipit Joannem de struma Pseudo-Pontificem, veniam postulantem. Concilium generalissimum Romæ celebrandum, pro anno sequenti indicit. Hæretici Tolosenses convincuntur, damnantur, & excommunicantur.

1178. Hoc anno celebratur celeberrimum Concilium Lateranense, 300. Episcoporum, multáque in eo ad Ecclesias sanctè administrandas, statuuntur.

1179. Alexander Papa indicit novam Christianorum Expeditionem, contra Saladinum, Soldanum Ægypti, Hierosolymis imminentem.

1180. Alexander III. Papa moritur, eidémque subrogatur *Humbaldus*

Lucen-

Lucensis Cardinalis, & postridie suæ electionis coronatur, dicitúrque Lucius III. Ad hunc annum referunt nonnulli Ordinis Carmelitarum initia.

1181. Maronitæ in Syria, hæresim Monothelitarum dedocentur, & ad fidem Catholicam reducuntur, qui ad hanc diem úsque licèt in medio Machometanorum & Schismaticorum, constantissimè Romanæ adhærent Ecclesiæ. Nascitur sanctus Franciscus Assisij.

1182. *Andronicus*, *Alexium* pupillum, suæ curæ commissum, Imperíjque Orientis hæredem necat, sibíque Imperium usurpat. In *Lucium* Papam Cives Romani insurgunt, quos *Lucius* cùm armis non posset, donarijs ac liberalitate placat. Henricus Junior Angliæ Rex, insigne prorsus pœnitentiæ documentum, ob ea, quæ in patrem patrârat, moriturus exhibet, ac pientissimè ex hac vita migrat. In agro Brituricensi septem millia Hæreticorum, qui se *Coterollos* vocabant, trucidantur, sicque pestilens hæc secta extinguitur.

1183. Ad interpositionem Lucij Papæ, Fridericus Imperator optatam pacem, cum Imperio & Duce Saxoniæ init, ac cum eodem Lucio, Veronæ, de recuperatione Terræ sanctæ, tractat.

1184. Andronicus Orientis Imperij usurpator, ab *Isaacio Angelo* exauctoratur, ac crudelissimè necatur. Orientales Christiani, per Legationem nobilem, ab Occidentalibus Christianis, opem & auxilia solicitant. Lucius III. Papa, Veronæ moritur, eíque statim sufficitur Lambertus Archi-Episcopus Mediolanensis, *dictus Urbanus* III.

1185. Urbanus Papa III. Fridericum Imperatorem de multis reprehendit, ob quod, hic in eundem insurgit.

1186. Christiani Orientales, bis cum Saladino, infeliciter confligunt, & Hierosolyma ab eodem Saladino, cum cruce sancta, & ipso Rege, capitur. Quibus auditis Urbanus Papa, ob dolorem ægritudine correptus, apud Ferariam obit, cui mox sequenti die *Albertus Cardinalis Beneventanus* substituitur dictus *Gregorius* VIII. qui statim, ut DEUM placaret, átque rebus Orientalibus provideret, per totam Christianitatem Jejunium quinquennale indicit, ac per septennium, inter omnes Principes Christianos stabilitat. Sed nondum duobus mensibus exactis obijt Pisis.

1187. Die 6. Januarij, creatur in summum Pontificem *Paulinus* Romanus, Cardinalis Prænestinus, dictus Clemens III. Qui sine mora expeditionem in Terram sanctam promovere incipit, ad eámque suscipiendam Fridericum Imperatorem, Regésque Galliæ & Angliæ, cæterósque Principes Christianos concitat, indictis in expensas prò bello necessarias, bonorum omnium

deci-

decimas, *Saladinas* vulgò dictas. Sacram hanc Expeditionem Richardus Angliæ Regis primogenitus, rebellis in patrem, nonnihil interturbat.

1189. Moritur interim Henricus senior Rex Angliæ, eique succedit Richardus Filius, qui mox contra Philippum Regem Franciæ bellum movet. Dum itáque Francus & Anglus inter se disceptant, Fridericus Imperator cum 150. millibus armatorum, partim terrestri, partim maritimo itinere in Orientem movet.

1190. Philippus Galliæ, & Richardus Angliæ Reges, compositis inter se utcúnque rebus, & ipsi cum copijs in Orientem movent, sed tempestate conjecti in Siciliam, in ea hyemare coguntur. Fridericus Imperator, complures victorias contra Machometanos reportat, sed cùm ob æstum in *Salepho* minoris Armeniæ fluvio se refrigerat, repentè mergitur, nuspiam deinceps repertus. Conradus tamen Sueviæ Dux, ejus Exercitum colligit, & in Palæstinam inducit.

1191. Clemens III. obit, in cujus locum eligitur Hyacinthus Cardinalis, dictus Cælestinus III. Qui statim Henricum Friderici filium, in Imperatorem coronat. Philippus & Richardus Reges Massenâ solventes, in Palæstinam appellunt, & *Ptolemaidem* occupant. Verùm cùm parum inter se convenirent Angli átque Franci. Philippus Rex redit Romam, absolutionémque à Pontifice, à voto integrè non adimpleto, impetrat. Richardus verò sæpè cum Saladino feliciter pugnat. Obortis tamen inter Principes Christianos, qui in Palæstina secum fuerant discordijs, fœdus cum eodem in triennium init. Solvit igitur *Ptolemaide*, sed naufragium in sinu Adriatico passus, cum paucis enatat in terram, indéque mutatâ veste, per Germaniam redire conatur in Angliam, agnitus tamen, à Leopoldo Duce Austriæ, ei privatim multis de causis infesto, propè Viennam capitur, & ad Henricum Imperatorem mittitur.

1192. Sanctus Ubaldus Episcopus Eugubinus, à Cælestino Papâ, Catalogo Sanctorum adscribitur. Theutonicus Ordo instituitur.

1193. Cælestinus Papa, præmissis denunciationibus, Leopoldum Austriæ Ducem, ob captum Richardum Regem Angliæ, excommunicat, idémque comminatus est Henrico Imperatori, nisi eundem Regem, libertati restituat.

1194. Richardus Rex jussu Imperatoris liberatus, matri Eleonoræ, ab Archi-Episcopis Moguntino & Coloniensi, traditur. Archi-Episcopus Cantuariensis authoritate Sedis Apostolicæ, Concilium Eboracense celebrat. Henricus Imperator, Siciliam ferè totam diripit.

1195. Discordiâ inter Saladini filios exortâ, spes affulgebat iterum recuperandæ Palæstinæ, seu Terræ sanctæ, à Christianis, si hi concordes inter se fuis-

fuissent. Alexius Comnenus, Isaacium Comnenum Imperatorem Orientis, solio dejicit, & in carcerem mittit, ac Imperium sibi usurpat.

1196. Henricus Imperator, sub prætextu Expeditionis in Terram sanctam in Italiam venit, & in Normannos sævit.


1197. Constantia Uxor Henrici ex Normannis orta, conflato exercitu, Henricum Imperatorem & maritum, ad pacem cum Normannis faciendam cogit. Eodem anno, moritur Henricus Messanæ, excommunicatus à Cælestino ob pecuniam à Richardo Rege per vim extortam. Principes Imperij, rejecto Friderico ejus filio adhuc impubere, discordant inter se, & pars una eorum eligit Philippum Ducem Sueviæ, pars altera Othonem Ducem Saxoniæ.

1198. Cælestinus III. Papa, morbo & senio extinguitur 8. Januarij, átque eodem die in Pontificem Summum eligitur *Lotharius Anegrinus*, Diaconus Cardinalis, annorum non nisi 37. dictus Innocentius III. Circa hæc tempora Ordines militares *Sancti Jacobi & Calatranæ* florent in Hispania, Ordines sanctissimæ Trinitatis, & Redemptionis Captivorum, item Hospitaliorum Sancti Spiritus, ab Innocentio Papa approbantur. Censent nonnulli hoc anno primùm fuisse approbatum etiam Ordinem Teutonicum in Germania, sed adhuc à Cælestino Papa. Unde qui hujus Ordinis confirmationem referunt ad annum millesimum, centesimum, nonagesimum secundum, fortassis solùm de Institutione illius sunt intelligendi. Valdensium Hæreticorum initia.

Ad hunc úsque annum, deduxit Annales suos doctissimus Cardinalis Baronius.

1199. Richardus Rex Angliæ, ad interpositionem Innocentij Papæ, pactis cum Rege Francorum inducijs Quinquennalibus, excurrit in Aquitaniam, átque ibi sagittâ ictus perit, succedente in Regno, Fratre ejus Comite Moresonio.

1200. Otho & Philippus Reges Germaniæ, inter se digladiantes, Germaniam vastant. Innocentius Papa, auditâ utriúsque controversiâ, Imperium Othoni adjudicat. Tartari ab Indiæ montibus egressi, multas Regiones occupant.



CATALOGUS I.

Continens Nomina, Patriam, & Ordinem Romanorum Pontificum, qui hoc duodecimo Sæculo Ecclesiæ præfuerunt, cum accurata assignatione Temporis, quô quis gubernare cœpit, & desijt.

Nomina, patria, & Ordo Romanorum Pontificum.	Initium Sedis A. M. D.	Finis Sedis A. M. D.	Duratio. A. M. D.	Vacat. M D.
163. Gelasius II. Cajetanus Monachus Cassinensis, Diaconus Cardinalis.	1118. Jan. 21.	1119. Jan. 29.	1. 0. 8.	0. 3.
164. Callistus II. Burgundus.	1119. Febr. 1.	1129. Dec. 19	5. 1. 7.	0. 9.
165. Honorius II. Bononiensis, Episcopus Ostiensis.	1124. Dec. 18.	1130. Febr. 14	5. 10. 18.	0. 0.
166. Innocentius II. Romanus, Monachus Benedictinus & Diaconus Cardinalis.	1130. Febr. 14.	1143. Sept. 24	13. 10. 7.	0. 1.
167. Cælestinus II. Tifernas Presbyter Cardinalis.	1143. Sept. 25.	1414. Mar. 8.	0. 5. 10.	0. 1.
168. Lucius II. Bononiensis, Canonicus Regularis, Presbyter Cardinalis.	1144. Mart. 9.	1145. Febr. 25	0. 11. 14.	0. 0.
169. Eugenius III. Pisanus, Abbas Cisterciensis.	1145. Feb. 25.	1153. Jul. 8.	8. 4. 13.	0. 1.
170. Anastasius IV. Romanus, Abbas S. Benedicti, Episcopus Sabinensis & Cardinalis.	1153. Julij. 9.	1154. Dec. 2.	1. 4. 24.	0. 1.
171. Hadrianus IV. Canonicus Regularis, Anglus, Episcopus Albanensis, & Cardinalis.	1154. Dec. 3.	1159. Sept. 1.	4. 9. 1.	0. 4.

172. Alexander III. Senensis, Presbyter Cardinalis.	1159. Sept. 5.	1181. Aug. 28	21. 11, 23	0. 1.
173. Lucius III Lucensis Episcopus Cardinalis.	1181. Aug. 29.	1185 Nov. 24	4. 2. 26.	0. 1.
174. Urbanus III. Mediolanensis Archi-Episcopus, Cardinalis.	1185. Nov. 25.	1187. Oct. 20	1. 10. 20.	0. 1.
175. Gregorius VIII. Beneventanus Monachus Cisterciensis, & Presbyter Cardinalis.	1187. Oct. 21.	1187. Dec	0. 1. 27.	0. 20
176. Clemens III. Romanus, Episcopus Cardinalis.	1188. Jan. 6.	1191. Apr. 10	3. 2. 3.	0. 4.
177. Cælestinus III. Romanus Diaconus Cardinalis.	1191. April. 14.	1198. Jan. 7.	6. 8. 28.	0. 1.
178. Innocentius III. Episcopus Cardinalis.	1198. Jan. 8.	1216. Jul. 16.	18. 6. 8.	0. 2.

CATALOGUS II.

Continens Nomina Imperatorum, qui hoc duodecimo Sæculo imperârunt.

IN OCCIDENTE.

Henricus IV. obijt Anno 1106.
Imperio privatus 1076.
Henricus V. obijt 1127.
Lotharius II. Saxo ad annum 1138.
Conradus III. ad annum 1152.
Fridericus Ænobardus ad ann. 1190.
Henricus VI. ad annum 1198.
Philippus Sueviæ Dux Electus 1199.
Et Otho IV. ab Innocentio III. confirmatus, ac dein & coronatus 1109.
Ac demum ab eodem Imperio privatus 1210.
Obijt 1216.

IN ORIENTE.

Alexius Comnenus, Isaaci filius, obijt 1118.
Joannes Comnenus Alexij filius, obijt 1143.
Manuel Comnenus, filius Joannis, obijt 1180.
Alexius II. Manuelis filius, sub tutela Andronici, occisus 1183.
Andronicus Comnenus occisus 1185.
Isaacius Angelus pulsus 1195.
Alexius III. Angelus Comnenus, Isaaci frater pulsus 1203.

C A-

CATALOGUS III.

Continens Nomina Scriptorum Ecclesiasticorum Duodecimi Saeculi.

Ex summis Pontificibus.
Gelasius II. Eugenius III. Alexander III. Lucius III. Innocentius III.
Petrus Alphonsus Hispanus.
Theodoricus Abbas.
Odo Canaracensis.
Godfridus Abbas.
Euthymius Zigalenus.
Rupertus Abbas.
Michaël Glycas.
Joannes Zonoras.
Amedeus Lausanensis.
Theofridus Abbas.
Constantinus Harmenopolus.
Guilielmus Bibliothecarius.
Honorius Presbyter Augustodunensis.
Edmundus Monachus S. Benedicti.
Hildebertus Turonensis Episcopus.
Hugo de Folieto Monachus S. Bened.
Rudolphus Abbas.
Henricus Utidenìensis.
S. Bernardus.
Leo Ostiensis.
Zacharias Chrysopolitanus.
Gregorius Cedrenus.
Anselmus Laudunensis.
S. Otho Bambergensis Episcopus.
Otho Frisingensis Episcopus.
Petrus Lombardus.
Bandoinus.
Petrus Comestor.
Petrus Blessensis Doctor.
Arnoldus Carnotensis
S. Hildegardis Virgo.
S. Elisabeth Virgo, & sanctimonialis celeberrima.
Adam de S Victore.
Arnulphus Lixoviensis.
Godefridus Viterbiensis.
Leo Tuscus.
Theodorus Balsamon.
Petrus de Riga.
Theovianus Græcus.
Hugo Etherianus Tuscus.
Joannes Saresberiensis.
Guilielmus Archi-Episcopus Tyri.
Hugo de sancto Victore.
Guido Carthusianus.
Guilielmus Abbas.
Richardus de Sancto Victore.
Petrus Abbas Cluniacensis.
Nilus Archi-Episcopus Thessalonic.
Bernardus Abbas Bonavalensis.
Gratianus Monachus Benedictinus.
Helmeldus Butsoniensis, Canonicus.
Rogerius Historicus.
Guntherus.
Stephanus Anglus.
Simon Thessalonicensis.
Joannes Cyparissiotus.
Nicetas Choniates.
Dodechinus Germanus.

CATALOGUS IV.

Continens Nomina Prophanorum Scriptorum Duodecimi Sæculi.

Vernerus Jurisconſultus.
Hugolinus Bulgarus. Martinus Placentius. Joannes Boſianus. — Juris Conſulti.
Avicenna. Averoës. Meſue. — Medici Philoſophi.
Alben Tumer. Aſtrologus.
Euſtachius. Homeri, Dionyſij Geographi interpres.
Galfridus Alturus. Guntherus. — Poëtæ.
Thellit, & Alfraganus, Mathematici.
Azo Bononienſis. Juris Conſultus.
Aliquot Rabbini.

CATALOGUS V.

Conciliorum Sæculo Duodecimo celebratorum.

Concilium Romanum	1102.
Londinenſe eodem anno	1102.
Trecenſe I.	1104.
Trecenſe II.	1107.
Hieroſolymitanum	1107.
Beneventanum	1108.
Londinenſe aliud	1108.
Rhemenſe	1109.
Hieroſolymitanum aliud.	
Lateranenſe	1112.
Viennenſe in Gallia.	
Aliud Beneventanum	1113.
Beluacenſe	1114.
Hieroſolymitanum aliud	1115
Aliud Lateranenſe	1116.
Colonienſe	1118.
Friſilavienſe	1118
Rhemenſe	1119.
Samaritanum	1120.
Civilium IX. Generale Lateranenſe	1122.
Londinenſe aliud	1125.
Trecenſe iterum	1127.
Stempenſe in Gallia	1130.
Rhemenſe Natrivale.	1131.
Placentium Natrivale.	1132.
Piſanum Natrivale.	1134.
Francicum	1135.
Antiochenum	1136.
Londinenſe aliud	1138.
Concilium X. Generale Lateranenſe	1139.
Senenſe	1140.
Londinenſe aliud	1143.
Vezelium in Burgundia circa Annum	1145.
Carnotenſe	1146.
Rhemenſe	1148.
Londinenſe aliud	1162.
Turonenſe	1163.
Conſtantinopolitanum.	1166.
Aliud in Hybernia	1171.

Venetum 1177.
Concilium XI. Generale, tertium Lateranense 1180.
Constantinopolitanum 1180.
Parisiense 1187.
Anglicanum 1188.

CATALOGUS VI.

Personarum Sanctitate Illustrium, Duodecimo Sæculo.

Sanctus Guido Confessor.
Sanctus Stephanus Abbas.
Sanctus Malachias Hyberniæ Episcopus.
Sanctus Ericus Rex Sueciæ.
Sanctus Guilielmus Eremita.
Sanctus Robertus Abbas.
S. Authelmus Episcopus Bellicensis.
Sanctus Thomas Archi-Episcopus Cantuariensis, Martyr.
Sanctus Petrus Tarentasiensis Archi-Episcopus.
Sanctus Hugo Carthusianus.
Sanctus Homo Bonus Confessor.

CATALOGUS VII.

Hæresiarcharum, & Hæresum præcipuarum, Duodecimi Sæculi.

Durandus de Valdach.
Marsilius Paduanus.
Brasilius Bongomilorum Caput.
Tanchelinus.
Petrus de Bruis.
Petrus Abailardus.
Arnoldus de Brixia.
Gilbertus Porretanus.
Pataveni.
Pseudo-Apostolici.
Hæretici de Barulo.
Waldenses.
Cotevelli.
Petrus Joannis.

CATALOGUS VIII.

Eventuum Memorabilium Duodecimi Sæculi.

1. Hierosolymitani Christiani, prævio Sanctæ Crucis Signo, admirabilem Saracenorum multitudinem gloriosè profligant. 1105.
2. Regnum Lusitaniæ, ab Hispanis dividitur. 1110.
3. Terræ motus admodum formidabiles. 1117.
4. Ordo Præmonstratensis instituitur.
5. Hoc eodem Sæculo instituitur Ordo Equestris Templariorum, Teuthonicorum, & Sancti Joannis Hospitaliorum, cujus Equites dicti sunt postea Rhodij à Rhodo Insula, & nunc *Melitenses* nuncupantur.

6. Joan-

6. Joannes Comnenus Imperator Orientis, admirabiles consequitur Victorias, Beatæ Virginis Mariæ interventu. 1123.

7. Rex Gotthorum, fit Christianus. 1130.

8. Mare suis terminis egressum, inopinatè magnam Belgij partem, unâ cum incolis submergit. 1136.

9. Juris Civilis studium reformatum, per id quóque tempus, decretum pro jure Canonico, per Gratianum introductum.

10. Livonia Fidem Christianam magna ex parte suscipit.

11. In quodam Sacello Civitati Mediolanensi vicino, Sanctorum Trium Regum Corpora reperiuntur. 1159. Inde verò Coloniam transferuntur. 1168.

12. Guelphi & Gibellini factionibus suis Italiam turbant, illi quidem summi Pontificis, hi verò Imperatoris jus propugnantes.

13. Referunt multi ad hoc Sæculum, Ordinis Carmelitarum initia.

14. Theologia Scholastica, meliorem in Ordinem redigitur, operâ imprimis *Petri Lombardi*, Parisiensis Episcopi, & *Bandrini*.

15. Sanctus Dominicus 1171. Calarogæ in Hispania, & Sanctus Franciscus Seraphicus Asisij in Umbria 1182. nascuntur.

16. Judæi multi propè Aureliam igni traditi, ac tandem cùm effusi quot annis innocentium sanguinis convicti essent, totâ Galliâ pulsi. 1177.

17. Hierosolymitana Civitas, à Saladino Ægypti Sultano capitur. 1187.

18. Fridericus Imperator, Philippus Galliæ Rex, Henricus Rex Angliæ, ejúsque filius Richardus, expeditionem, ad opem ferendam Christianis Palæstinis, suscipiunt. 1188.

19. Universitas Pampeliensis erigitur.



CON-

CONTINUATIO SYNOPSIS CHRONOLOGICÆ, RERUM ECCLESIASTICARUM.

Continens Res memorabiles Ecclesiæ, Decimi tertij Sæculi, seu ab Anno Christi: 1200. úsque ad Annum 1300.

1201. REgnum Franciæ ab interdicto, cui subjectum fuerat, ob Philippi Regis illegitimas Nuptias, ab Innocentio Papa solvitur, postquam Philippus Rex legitimam uxorem, ac Reginam *Engelbertam* recepisset, ac *Agnetem* illegitimam repudiâsset. *Balduinus* Flandriæ Comes cum Exercitu Cruce Signatorum in Orientem, ad recuperandam Terram Sanctam proficiscitur, àc in transitu Venetos in recuperandis Dalmatiæ Urbibus adjuvat.

1202. Terræ motus ingens Syriam concutit, quo multæ urbes concidêre, vel labefactatæ sunt. Tartarorum nomen magìs innotescit. Philippus Galliarum Rex, bello Anglos aggreditur.

1203. *Balduinus*, cum Cruce signatis, & Venetis, ab Alexio juniore filio Isaacij Angeli, Imperatoris Græcorum, quem Frater Alexius invasor Imperij excæcaverat, & in captivitate detinebat, in auxilium evocatur. Et quidem Veneti Cretam Insulam, Cruce-signati verò cum Francis Constantinopolim occupant, Alexium Tyrannum fugant, restituúntque *Isaacium* in Imperium, ejúsque filium, Alexium juniorem coronari faciunt.

1204. Seditio exoritur inter milites Sacræ Expeditionis, contra *Isaacium* Imperatorem Græcorum, ob promissa, & non præstita stipendia. Igitur seditiosi milites creant Imperatorem Ducam Alexium *Murzuflum*, qui Alexium juniorem strangulat. Interim moritur etiam *Isaacius* Imperator, ut creditur, veneno potatus. *Murzuflus* verò ingratissimus, in Latinos copias mittit, & eorum Classem incendere conatur. Unde hi *Murzuflo* offensi, Constantinopolim aggrediuntur, átque post oppugnationem sexaginta dierum capiunt.

Et *Marzuflum* Urbè captâ, fugâ elapſum, ac poſtea ex fuga Græciâ reductum, de altiſſima columna præcipitant, ac *Balduinum* in Imperatorem coronant, ac Thomam *Maurocenum* Patriarcham Conſtantinopolitanum, conſtituunt. Græci autem Niceæ ſalutant Imperatorem *Theodorum Laſcarim*. Alexius verò frater ejusdem, Trapezuntis ſumit Imperij inſignia. Atque ſic diviſum fuit Orientis Imperium in Conſtantinopolitanum, Græcorum, & Trapezuntinum. Eodem anno *Calo Joannes*, à Legato Pontificio, Rex Bulgarorum coronatur, qui poſtmodum tantùm Latinis obfuit, quantum profuturus ſperabatur.

1205. Dum Balduinus Imperator Adrianopolim obſidet, eundem cum ſuis Bulgaris aggreditur *Calo-Joannes*. Cui fortiter reſiſtit Balduinus, ſed dum hoſtem ardentiùs inſequitur, ad paratas inſidias decidens, à *Calo-Joanne* capitur, & poſtmodum crudeli morte necatur. Carmelitis hoc anno, authoritate Sanctæ Sedis, Albertus Patriarcha Hieroſolymitanus, dat veſtem, & Regulam præſcribit. Eremitarum Sancti Auguſtini Ordo approbatur. Almericus Rex Cypri átque Hieroſolymorum moritur, cui ſuccedit Joannes Bremenſis Comes, ductâ Mariâ ejusdem filiâ.

1206. Henricus Balduini Frater, creatur in Imperatorem Conſtantinopolitanum. Sanctus Dominicus, tunc adhuc Oxonienſis Canonicus, contra Hæreticos *Albingenſes*, egregiam præſtat operam, in Gallia Narbonenſi, ibíque ſui Ordinis fundamenta jacit. Sanctus Franciſcus, paternis bonis renunciat.

1207. Inter Othonem & Philippum Germaniæ Reges, de Imperio concertantes, pax eâ conditione, operâ Innocentij Papæ, per Principes Germaniæ firmatur, ut Otho Imperatoris titulo abſtineat, Filiámque Philippi Beatricem ducens, mortuo Philippo in Imperio ſuccedat.

1208. Philippus Imperator, poſt venæ ſectionem occiditur Bambergæ. Otho Saxo, ejus gener ſuccedit in Imperio. Anglia interdicto ſubjicitur, & Comes Tholoſanus, ob Hæreſim Albingenſium excommunicatur, ſed cùm hanc ille ejurâſſet, publicè pœnitens, Eccleſiæ reſtituitur. Sanctus Franciſcus Seraphicus, Ordinis ſui ponit initia. Ordo Sanctiſſimæ Trinitatis, pro Redemptione Captivorum inchoatur.

1209. Otho Rex Germaniæ, ab Innocentio Pontifice Romæ coronatur. Expeditio Sacra, adverſus Albingenſes Hæreticos ſuſcipitur, eidémque Dux belli Simon Montfortius præficitur.

1210. Henricus Imperator Conſtantinopolitanus, dilatat Imperij ſui fines. Otho Imperator Occidentis, renuens reſtituere bona Eccleſiæ erepta, ab Innocentio Papa excommunicatur, & Imperio privatur, in ejúsque locum conſenſu Pontificis, à Principibus Germaniæ, eligitur Fridericus, Siciliæ Rex

Simon

Simon Montfortius, auctus novis copijs ex Gallia & Germania, Albingenses Hæreticos exagitat, ac premit,

1211. Cachlidis Rex, uti & Sultanus Ægypti, Christianis in Oriente favent, unde Terra Sancta utcúnque respirat. Fridericus Rex Siciliæ itineribus occultis venit in Germaniam, & Constantiam ingressus honorificè suscipitur.

1212. Tartari, totam ferè Assyriam & Mesopotamiam depopulantur, & Poloniæ ac Moschoviæ magnam cladem inferunt. Tres Reges Catholici, nempe: Alphonsus IX. Castellæ, Petrus II. Aragoniæ, & Sancius Rex Navarræ, ope Sanctæ Crucis, inauditam reportant victoriam, desideratis solùm 25. Christianis, & cæsis ac fugatis ultra 200000. Saracenis.

1213. Contigit hoc anno verè puerilis in Palæstinam puerorum ex Gallia & Germania Expeditio, quæ nullis artibus impediri potuit, quin iter susciperent versùs Terram Sanctam, quorum maxima pars postmodum miserè perijt, plurimis ex ijs à Saracenis cæsis, vel in captivitatem abductis. Fridericus junior, Aquisgrani in Regem Romanorum coronatur, qui Othonis fautores in Italia reprimit. Anglia & Hybernia vectigales fiunt Romanæ Ecclesiæ. Simon Comes Montfortius, cum 1800. suorum centum millia Albingensium Hæreticorum fugat, & profligat. Rosarium Beatæ Virginis, per Sanctum Dominicum mirè propagatur.

1214. Balduinus, Raymundi Comitis frater, perfidiosè ab Albingensibus Hæreticis captus, suspendio necatur, & Martyr creditur. Memorabile illud prælium ad Bovinas propè Tornacum, Gallos inter & Anglos, ac Othonem, qui se pro Imperatore gerebat, & his opem tulerat, committitur, victoriâ penes Gallos stante, Othone hac pugnâ penitus attrito.

1215. Angli exasperati à Joanne Rege, invitant ad Regnum capessendum Ludovicum filium Philippi Regis Galliarum. Concilium Generale IV. Lateranense celebratur. Ordo Sancti Dominici confirmatur, & Ordo Eremitarum Sancti Pauli primi Eremitæ, à Beato Eusebio Strigoniensi Canonico, in Hungaria instituitur.

1216. Henricus Constantinopolitanus, Thessalonicæ moritur, cui Petrus Curtiniacus, Antissiodorensis Comes, substituitur. Obijt & Joannes Angliæ Rex, cùm miserè, supra duos annos & viginti regnâsset; succedit eidem Henricus filius, rejecto ab Anglis Ludovico, quem ad Regni habenas priùs è Gallia evocârant. Innocentius III. Papa, Perusij ex hac vita decedit, cui subrogatur Honorius III. à quo Ordo Sancti Francisci confirmatur.

1217. Petrus Constantinopolitanus Imperator, Romæ ab Honorio Papa coronatur, sed in reditu, per Thessaliæ nemora proditoriè, à Theodoro La-

ſcarij capitur, & biennio in carcere detentus, poſtmodum cæditur. Renovatur hoc anno bellum Sacrum in Palæſtina, Duce exercitûs Chriſtianorum, Andreâ Hungarorum Rege, cum multis Galliæ & Germaniæ Proceribus. Henricus, Rex Caſtellæ decennis, ludens in area, ex tegulæ cadentis ictu moritur, eíque ſuccedit Ferdinandus III. filius ſororis ejus, & Legionenſis Regis. Carmelitarum Ordo, ab Honorio III. approbatur.

1218. Damiata, Nobilis Ægypti Urbs, â Chriſtianis obſidetur. Otho Ex-Imperator, peſte tactus moritur. Simon Montfortius, Albingenſium Hæreticorum domitor, dum Toloſam obſidet, Saxo ex urbe emiſſo, occumbit. Ordo Sanctæ Mariæ de Mercede, pro captivis redimendis, Barcinone, à Jacobo Aragonum Rege, inſtituitur.

1219. Capitur à Chriſtianis Damiata. Celebratur hoc anno Aſſiſij Capitulum Sancti Franciſci Patrum Minorum, cui ſupra decem millia Fratrum interfuerunt.

1220. Fridericus II. Romanorum Rex, Romæ in Æde Sancti Petri, ab Honorio III. Papa coronatur. Item Robertus Imperator Conſtantinopolitanus. Quatuor Socij Sancti Franciſci, Martyrio à Saracenis affecti, Marochio, Conimbricam transferuntur. Cumani, qui in Hungariam advenerant, ad fidem Chriſtianam convertuntur.

1221. Orto inter Chriſtianos in Oriente diſſidio, Sultanus Ægypti, eosdem emiſſione Nili concluſos, ad Damiatam reddendam adigit: Fridericus II. Imperator voti reus, ad ſuccurrendum Chriſtianis in Oriente, ab Honorio Papa admonetur, aſt ille te giverſatus, imò in Apulia Epiſcopos vexat, ob ídque ab Honorio excommunicatur. Ad cœlos evolat Sanctus Dominicus. Naſcuntur eodem anno, Sanctus Thomas Aquinas, & Sanctus Bonaventura, magni in Eccleſia Doctores.

1222. Theodorus Laſcaris Græcorum Imperator moritur. Succedit eidem Joannes Ducas. Fridericus II. Occidentis Imperator, in Pontificem inſurgit.

1223. Joannes Ducas, Græcorum Imperator, victis ſuis competitoribus, recuperat Urbes à Latinis in Aſia poſſeſſas. Joannes Brennus Rex Hieroſolymæ, Romam venit, auxilium à Pontifice petiturus, & Pontificem, ac Fridericum Imperatorem, inter ſe reconciliat. Sícque renovata eſt rurſus in Terram Sanctam Expeditio. Pertinet ad hunc annum, Monialium Sanctæ Claræ inſtitutio.

1224. Angli Francorum armis, totâ ferè Galliâ, cujus magnam partem priùs occupârant, à Ludovico VIII. Rege expelluntur. Sanctus Franciſcus Sacris Stigmatibus cælitùs inſignitur.

1225.

1225. Concilium Colonienſe in Germania, contra Concubinarios & Simoniacos celebratur. Sanctus Engelbertus Archi-Epiſcopus Colonienſis pro juſtitia Martyrio afficitur. Fridericus Imperator, ductâ Zolante filiâ Joannis Regis Hieroſolymitani in uxorem, ingratus in Socerum & Papam, illum Regno ſe abdicare cogit, & huic illudit, néque ad iter Palæſtinæ ſeſe accingit. Ob quam cauſam rurſus ab Honorio Anathemati ſubjectus, nî definito tempore voto ſatisfecerit.

1226. Defuncto Ludovico VIII. Regi Galliarum ſuccedit Ludovicus IX. dictus Sanctus, ferè duodennis, ſub tutela Blanchæ matris, fœminæ pijſſimæ ſimul ac prudentiſſimæ. Moritur & Sanctus Franciſcus Seraphicus Aſſiſij, ad Sanctam Mariam de Portiuncula, ætatis anno 45.

1227. Fridericus II. Imperator, omnibus jam ad Expeditionem Sacram paratis, adeóque & navi conſcensâ, eandem fœdiſſimè abrumpit. Mortuus eſt hoc eodem anno Honorius III. & ſuccedit Gregorius IX.

1228. Fridericus II. Imperator, Gregorium Româ expelli curat, & bona Eccleſiæ invadit, cui Pontifex opponit Joannem Hieroſolymæ Regem, cujus filiam à ſe repudiaverat. Hinc tota Italia, in duas diviſa eſt partes, Guelphorum Pontifici, & Gibellinorum Imperatori faventium. Interim Fridericus piorum offenſionem, & minas Pontificis metuens, navigat in Palæſtinam, ſed ubi in Syriam appulit, turpiſſimè cum Suldano, paciſcitur, pactum tam fœdum, omnibus Chriſtianis deteſtantibus.

1229. Robertus Imperator Conſtantinopolitanus rediens Româ moritur, cui ſuccedit Balduinus II. ejusdem filius. Jacobus Aragoniæ Rex, Mauris Bareales Inſulas eripit.

1230. Fridericus II. Imperator, pacem petit à Pontifice, eámque facilè impetrat, & ab Anathemate abſolvitur. Pruſſi Poloniam infeſtantes, per Theutonicos Equites reprimuntur. Alphonſus Rex Legionis, cum filio Ferdinando Caſtellæ Rege, Mauros ingenti prælio vincit.

1231. Expeditio nova in Aſiam ab Europæis Principibus indicitur adverſus Saracenos. Obijt hoc anno Sanctus Antonius Paduanus, uti & Sancta Eliſabetha Hungariæ Regina.

1232. Fridericus Imperator, fingit ſe pacem inire velle cum Pontifice & Longobardis, interim occultè Saracenis favet. Ordo Servitarum Beatæ Virginis Florentiæ inſtituitur. Sanctus Ludovicus Pariſienſem Univerſitatem inſtituit.

1233. Inſtituitur hoc anno Ordo Equitum Sanctæ Mariæ Glorioſæ, quorum munus erat, procurare concordiam, & viduarum ac pupillorum ſuſci-

ſcipere patrocinium. In Germania exoritur nova Hæreſis *Condormientium* dicta.

1234. Gregorius Pontifex Crucem prædicat contra Hæreticos Stadienſes, in Friſiæ & Saxoniæ finibus, qui tandem extincti ſunt, more aliarum Hæreſum, quarum ſemper finis interitus eſt. Omnis ſiquidem plantatio, quam non plantavit Pater meus (verba Chriſti ſunt) eradicabitur. Fridericus II. Imperator, aliam expeditionem ſe ſuſcipere fingit, ſed non niſi ut Pontificem & Chriſtianos Principes ſibi adverſantes, hac ratione falleret.

1235. Fridericus II. Imperator, Henricum filium, ob ſuſpicionem rebellionis, in vincula conijcit. Andreæ Regi Hungariæ defuncto, ſuccedit Bela filius. Miecislaus Cujaviæ Princeps, in Polonia, ob oppreſſionem viduarum ac pupillorum, à muribus in convivio invaſus miſerabiliter perit. Hæretici Patregeni, & Burgares, vitæ ſceleſtiſſimæ invaleſcunt.

1236. Fridericus II. Imperator, bellum movet in Longobardos, & cum Ecclino Tyranno Lombardiæ, fœderatas adverſum ſe Civitates vexat. Græci ab obſidione Conſtantinopolis ope Ventorum repelluntur.

1237. Patriarcha Jacobitarum, adveniens Hieroſolymas, cum multis Archi-Epiſcopis & Epiſcopis, errores ſuos ejurat, ſéque Romano Pontifici ſubjicit. Balduinus II. Conſtantinopolitanus Imperator, in Occidentem venit, à Chriſtianis Principibus auxilia petiturus. Fridericus II. Imperator ad *Curtem novam*, magnam de Longobardis reportat victoriam. Jacobus Aragonum Rex, Valentiam Mauris eripit.

1238. Balduinus II. itinere pedeſtri, cum ſexaginta Francorum millibus progreſſus Conſtantinopolim, benignè ſuſcipitur ab Hungaris, imò & à Bulgaris. Eodem ſubſequutus eſt, & Theobaldus Navarræ Rex, ac Petrus Britanniæ Comes. Fridericus Imperator, cum Euclino Tyranno, pergit vaſtare Lombardiam, & Henrico notho ſuo Sardiniam Inſulam, ad Eccleſiam Romanam pertinentem, & à ſe violenter occupatam, gubernandam tradit.

1239. Creſcentibus diſſidijs inter Gregorium Papam, & Fridericum Imperatorem, tota Germania, & Italia in factiones dividitur, & Fridericus excommunicatus à Gregorio Papa, Imperio privatur. Sanctus Ludovicus, Albingenſes Hæreticos tumultuantes compeſcit Theobaldus Rex Navarræ, Saracenos aggreditur, & Petrus Britanniæ Comes, de ijs victoriam reportat. Sed viſâ diſcordiâ Chriſtianorum inter ſe, ambo ad propria redeunt.

1240. Expeditionem in Palæſtinam, cum quadraginta millibus ſuſcipit Richardus Cornubæ Comes, Frater Henrici Regis Angliæ. Hugo de Sancto Caro, author laborioſiſſimi operis Concordantiarum, in Academia Pariſienſi floret.

1241. Tartari innumerâ multitudine in Poloniam, Silesiam, & Hungariam irrumpunt, & quidem hanc fœdiùs depopulantur, adjuti à Cumanis, qui Hungaris gravissimè erant infensi, quòd illorum Regem Cutonem, (quem Bela Rex Hungariæ, ut socium ad Regnum admiserat) è medio sustulissent. Moritur Gregorius IX. Papa, propè centenarius, cui succedit Cœlestinus IV. Sed & is decimo octavo die Pontificatûs sui obijt.

1242. Fridericus, hostis Ecclesiæ denunciatus, impedit ne Pontifex novus eligatur. Tartari, post devastatam Hungariam, Poloniam, Silesiam, variis & ipsi cladibus attriti, in sua reverti coguntur.

1243. Adnitente Sancto Ludovico, & Balduino Constantinopolitano Imperatore, Cardinales à Friderico Imperatore detenti, dimittuntur. Qui congregati cum Romanis Cardinalibus Anogniæ, eligunt in Pontificem Sinibaldum Genuensem, sub Innocentij IV. nomine.

1244. Friderico Ecclesiam persequente, Innocentius indicit Concilium Lugdunense, ad illúdque Fridericum citat. Charassuini seu Arabes à Tartaris pulsi, è suis Sedibus, Palæstinam invadunt, & ipsam Hierosolymam occupant. Sanctus Ludovicus Galliarum Rex, graviter ægrotans, & jam depositus, votum facit de expeditione suscipienda, pro recuperatione Terræ Sanctæ, & illicò valetudinem recuperat.

1245. Concilium Lugdunense Generale celebratur, à quo Fridericus non comparens, excommunicatur, tanquam Schismaticus, & denuò deponitur, ac Bello Sacro præficitur Ludovicus Rex Franciæ. In eodem Concilio, Cardinalibus ante purpuratis, datur pileus rubeus, pro signo fundendi si opus sit sanguinem, pro libertate Ecclesiæ. In locum depositi Friderici, à Principibus Germaniæ, eligitur in Regem Romanorum, Henricus IV. Landgravius Hassiæ. Moritur Rodericus Imenes Archi-Episcopus Toletanus, vir insignis, & Ecclesiæ magnum Columen. Obijt & Alexander Alensis Minorita, Magister Sancti Thomæ Aquinatis, & Sancti Bonaventuræ, ideò Doctor Doctorum est dictus.

1246. Henricus Landgravius Hassiæ, Electus Cæsar, vincit in Germania, Conradum Fridericum Ex-Imperatoris filium. Fridericus Austriæ Dux, prælio ad Neapolim Austriæ, cum Bela Hungariæ Rege commisso, occumbit, licèt victoria penes exercitum illius steterit.

1247. Obijt hoc anno Henricus Landgravius, Romanorum ac Germaniæ Rex, Ulmæ Suecorum, cui paulò post sufficitur Guilielmus Hollandiæ Comes. Interim Fridericus II. Ex-Imperator, Innocentium Papam Lugduni opprimere conatur, irrito tamen conatu, & mox obsidet Parmam, castraque sua sic communivit, ut novam Urbem exhiberent, quam dixit victoriam, (sed ante trium-

triumphum cecinit victoriam) in qua & Baſilicam condidit, ac Sancto Victori conſecravit.

1248. Fridericus obſidens Parmam, cùm oblectatur venatione, & aucupio, ab erumpentibus Parmenſibus profligatur, ſicque perdit victoriam ſuam, cum omni ſuo theſauro, imò & Corona Imperiali, quæ tunc capta eſt, ipſe verò Cremonam profugit, reliquo ejus exercitu diſſipato. Guilielmus interim Comes Hollandiæ, in Regem Romanorum, Aquisgrani coronatur. Sanctus Ludovicus, ſuſcipiens Expeditionem Sacram, Cyprum appulit. Hiſpalis, à Ferdinando Caſtellæ Rege, poſt ſedecim menſium obſidionem, Mauris eripitur.

1249. Sanctus Ludovicus, ſolvit è Cypro, & Damiatam Metropolim Ægypti capit, Entius, Friderici Ex-Imperatoris nothus, vincitur & capitur, à Bononienſibus, ſancito à victoribus decreto, ne unquam dimitteretur. Itáque viginti tribus annis, in arca ferrea nutritius eſt, úſque ad obitum.

1250. Sanctus Ludovicus in Ægypto, à Saracenis magnam cladem accipit, & ipſemet cum duobus Fratribus Alphonſo Pictavienſi, & Carolo Andagavenſi Ducibus capitur; Roberto tertio Fratre in prælio occiſo. Pacem proinde cum Barbaris inire, & Damiatam ijsdem reddere cogitur, ipſe autem in Palæſtina liber manet. Eodem anno, Fridericus Ex-Imperator, anno ætatis ſuæ 57. infœliciter extinguitur.

1251. Innocentius Papa, Regem Romanorum Guilielmum confirmat, Conradum verò filium Friderici, ac ejusdem fautores excommunicat, relictóque Lugduno, redit in Italiam. Factio Paſtorellorum in Gallia, Duce quodam Hungaro concitata opprimitur. Rudolphus Comes Habſpurgicus, devotione ſingulari, ergà Sacratiſſimam Euchariſtiam, Auguſtiſſimæ Domûs Auſtriacæ ponit initia.

1252. Conradus Filius Friderici II. Ex-Imperatoris, deditam ſibi Neapolim, poſt octo menſium obſidionem, contra fidem datam diripit, ideò Innocentius Papa, eundem anathemate ferit, & Carolum Andegavenſem, contra eum evocat, utróque Regno Siciliæ, eidem in feudum dato. In Italia nova Hæreſis, in quatuor alias Sectas diviſa exoritur, quæ tamen poſtea, more aliarum Hæreſum, penitus interijt. Obijt hoc eodem anno, Ferdinandus III. Caſtellæ Rex feliciſſimus, magnus Aſtronomus, Philoſophus, & Hiſtoricus. Sanctus Petrus Ordinis Prædicatorum, Martyrio afficitur.

1253. Edictio Sancti Ludovici Regis, omnes Judæi, è Regno Galliæ proſcribuntur, exceptis ijs, qui mechanicas profitebantur artes. Pariſijs à Roberto Sorbona, Collegium Sorbonicum, (magnæ poſtea famæ ac nominis) erigitur. Theobaldus Rex Navarræ moritur, relicto ſibi ſucceſſore, ejusdem nomi

nominis Secundo. Sancta Clara Fundatrix Monialium Clariſſarum, in Cœlum migrat.

1254. Conradus Rex Siciliæ, ſublato fratre ſuo Henrico, ut theſauris ejus potiretur, & ipſe à Mansfredo Friderici notho, veneno tollitur. Neapolitani tradunt ſe Innocentio Pontifici, qui Neapolim profectus, ibidem obijt. In locum cujus, in Pontificem creatur, Rajnaldus Anagninus, aſſumpto Alexandri IV. nomine. Sanctus Ludovicus Rex ex Oriente in Galliam revertitur. Mauri à Jacobo Rege, ex Regno Aragoniæ ejiciuntur. Boruſſi, ad fidem Catholicam convertuntur.

1255. Guilielmus, Rex Romanorum, à Friſijs cæditur. Obijt quóque Joannes Ducas, Græcorum Imperator, cui ſuccedit filius Theodorus Laſcaris junior. Alexander IV. Pontifex, Sacrum Bellum indicit contra Mansfredum, injuſtum Regni Siciliæ uſurpatorem.

1256. Venetos inter & Genuenſes, in Oriente grave diſſidium oritur, in magnam Chriſtianitatis Orientalis ruinam. Germaniæ Principes, in Electione Regis Romanorum diſſident, & pars una eligit Richardum, Regis Angliæ fratrem, pars altera Alphonſum Caſtellæ Regem.

1257. Richardus & Alphonſus, de Regno Romanorum diſceptant, ſed Richardus Aquisgrani coronatur, & Alphonſus manet in Hiſpania, retento ſolo titulo.

1258. Tartari Perſarum Regnum occupant, Venetis, Genuenſibus, & Piſanis, de confinibus prælìantibus. Res Chriſtiana laborat in Oriente.

1259. Theodorus Laſcaris Ducas, Græcorum Imperator, fatis cedit, poſtquam quatuor ferè annis regnâſſet, reliquit Succeſſorem filium Joannem ſexennem, cujus tutorem Michaël Palæologus agit, & Imperium ambit.

1260. Michaël Palæologus, Imperij retinendi cupidus, ſe in Imperatorem coronari curat, & Joannem pupillum relegat, ſub cuſtodia in Magneſiam. Tartari, Saracenis eripiunt Alapiam, Damaſum, aliáſque Civitates. Pars verò illorum irrumpit in Poloniam, eámque depopulatur. Celebris eſt hic annus Flagellantium Sectâ.

1261. Conſtantinopolis, quæ ſub poteſtate Latinorum, jam annis 56. fuerat, per proditionem à Græcis occupatur. Fugit proinde Balduinus II. Imperator, ac Michaël Palæologus urbem intrat, ac interim Joannem legitimum Imperij Hæredem, excæcari curat. Alexander IV. Papa moritur, cui ſuccedit Jacobus Pantaleon, Patriarcha Hieroſolymitanus, vir apprimè doctus, ac prudentiâ & moribus inſignis, dictúſque eſt Urbanus IV.

1262. Urbanus IV. Cruce-ſignatos immittit in Mansfredum Siciliæ Tyrannum, ſed cùm his ſtipendia non numerarentur, diffluxêre hæ copiæ, &

Mansfredus ita prævalet, ut Urbanus cum Cardinalibus, in Urbem veterem fugere fuerit coactus.

1263. Michaël Palæologus Imperator Orientis, pressus domesticis tumultibus, & graviores externos metuens, cogitat de concordia, seu Unione Græcæ Ecclesiæ cum Romana, sed metu solutus, sanctam hanc cogitationem deponit. Urbanus IV. Regnum Siciliæ offert Carolo Andagavensi, Fratri Sancti Ludovici Regis Galliarum.

1264. Urbanus IV. Festum Corporis Christi instituit, átque eodem anno obit, vir longiore Pontificatu dignus. Boleslaus, Poloniæ Rex, Jazigas plurimos delet, alios ad fidem Christianam capessendam, compellit.

1265. Succedit Urbano, Clemens IV, Carolus Andagavensis Dux, Romam venit, & à Pontifice Rex Siciliæ ac Neapolis declaratur. Alphonsus Castellæ Rex, ingenti victoriâ Mauros profligat, & Murciæ Granatæque Reges rebelles domat.

1266. Bendachar Sultanus Ægypti, frustra Ptolemaidem tentat, sed Castrum Saphet capit, & Cives Christum negare recusantes, perfidiosè jugulat. Carolus Andagavensis, occiso ad Beneventum Mansfredo, injusto invasore, Regno Siciliæ ac Neapolitano potitur. Conradino tamen Friderici II. Ex-Imperatoris nepote, utriúsque Regni titulum sibi arrogante.

1267. Carolus Andagavensis Dux, & jam Siciliæ ac Neapolis Rex, à Clemente Pontifice lite pendente inter Richardum, & Adolphum de Imperio, Imperij ac Ecclesiæ Vicarius constituitur. Iterum Conradinus Dux Sueviæ, ex Germania cum Exercitu, ac Friderico Duce Austriæ, contra Carolum Andagavensem movet, & úsque Veronam venit.

1268. Bendachar Sultanus Ægypti, dum Christiani Orientales, sese mutuò armis impetunt, Antiochiam capit, cæsis in ea septemdecim millibus, & centum millibus abductis. Conradus à Carolo Andagavensi, prælio ad Fulcinum lacum commisso vincitur, & ex fuga, cum Friderico Duce Austriæ, retractus, Neapolim captivus abducitur. Clemens IV. Papa moritur.

1269. Paratur magna expeditio in Saracenos à Christianis Occidentalibus, in qua cæteris præluxit Sanctus Ludovicus Galliarum Rex; Eduardus quóque Regis Angliæ frater, eandem magno cum fervore suscipit. Pro eadem se parat & Carolus Andagavensis, Neapolis & Siciliæ Rex, qui ne quid turbarum in sua absentia in Regno oriretur, Conradinum Sueviæ, & Fridericum Austriæ Duces, ex Juris formula publicè decapitari jubet. Eduardus Angliæ Regis frater, trajicit cum multis copijs in Syriam.

1270. Sanctus Ludovicus, Galliarum Rex, in Africam venit, & Saracenos acie vincit, Carthaginem capit, Tunetum obsidet, sed peste in castris ortâ, & amis-

& amiſſo filio Joanne, ipſe quóque lue afflatus ſanctiſſimè obijt. Conſternatis Chriſtianis pientiſſimi Regis morte, Carolus Siciliæ Rex appellens, animos reddidit. Supervenit & Eduardus Anglus, aſt cùm utrúmque exercitum lues affeciſſet, pacem cum Barbaris inire coguntur.

1271. Sancto Ludovico ſuccedit ejusdem hæres Philippus III. Poſtquam triginta menſibus Sedes vacâſſet Sancti Petri, eligitur in Pontificem Theobaldus Vice-Comes Placentinus, Archidiaconus Lugdunenſis, quo tempore is Ptolemaidæ verſabatur.

1272. Theobaldus redux ex Oriente, Romæ in Baſilica Sancti Petri coronatur, dictus Gregorius X. ſtatímque Concilium Generale indicit, ad quod etiam Græcos invitat, átque inter Genuenſes & Venetos pacem procurat.

1273. Gregorius X. locum Generalis Concilij Lugdunum aſſignat. Electores Imperij, juſſu Pontificis Gregorij, Francofurtum conveniunt, & Alphonſi Regis jure non ſatis aperto, eligunt in Regem Romanorum, Rudolphum Habſpurgenſem Comitem, abſentem, in obſidione Baſileæ, qui exeunte anno *Aquisgrani* coronatur.

1274. Concilium II. Lugdunenſe celebratur, cui interfuêre Epiſcopi 560. Abbates & alij Prælati 1500. præſentibus Græcis, Legatísque Michaëlis Palæologi Græcorum Imperatoris, qui conceſſerunt proceſſioni Spiritûs Sancti, ex Patre Filióque, & Primatui Romani Pontificis. Ad hoc evocatus fuit & S. Thomas Aquinas, ſed dum proficiſcitur, obijt in itinere. In eodem Concilio, Sanctus quóque Bonaventura, paulò prius Purpurâ donatus, inter vivos eſſe deſijt, decorandus laureâ Doctorali in cœlo.

1275. Bendachar Sultanus Ægypti, fœdè vaſtat & depopulatur Armeniam, Chriſtiani in Syria inter ſe diſſident, ſicque præcipitantem jam rem Chriſtianam in Oriente, ad exitium & interitum impellunt. Rudolphus Imperator, Auguſtæ Vindelicorum, bellum contra Ottocarum Regem Bohemiæ decernit, & Romano Pontifici concedit liberè, quidquid olim Juris eſſet Imperij, in Exarchatu Ravennæ, totáque Flaminiâ.

1276. Obijt hoc anno Aretij in Tuſcia, Gregorius X. die 10. Januarij, cui poſt dies decem ſuccedit Innocentius V. qui moritur 22. Junij, átque huic 12. Julij ſubſtituitur Othobonus Fliſcus Genuenſis, nominatus Hadrianus V. qui poſt dies quadraginta obijt Viterbij, eíque ſubrogatur Joannes Petrus Luſitanus, Epiſcopus Tuſculanus, dictus Joannes XXI. alijs XXII. Mortuus quóque hoc anno eſt Jacobus Aragoniæ Rex, cognomento Præliator, ſeu Expugnator; utpotè qui trigeſies cum Mauris conflixit, poſt conditas bis mille

Ecclesias, in Honorem Deiparæ. Succedit eidem filius Petrus III. cognomento Magnus. Turcæ Sedibus suis à Tartaris pulsi, Græcorum ditiones in Natolia invadunt. Michaël Palæologus Imperator confirmat omnia, à suis probata in Concilio II. Lugdunensi, iisque etiam subscribit Filius ejus Andronicus.

1277. Bendachar Sultanus Ægypti, Christianorum hostis infensissimus, miserè perit. Moritur & Joannes XXI Pontifex, cui succedit Nicolaus III. Rudolphus Imperator, Viennam Austriæ capit, eidémque se Othocarus subdit, Austriámque in pœnam rebellionis Rudolpho cedere cogitur.

1278. Rudolphus Imperator, Othocarum Regem Bohemiæ, Austriam rursus armis repetentem prælio vincit, ac interimit, atque in Bohemiam transiens, intercessione Principum, Regnum permittit Venceslao Othocari filio, datâ illi in uxorem suâ filiâ, sed Moraviam Jure belli occupatam, eidem adimit.

1279. Rudolphus Imperator, in Conventu Viennæ, consensu omnium Principum Imperij, confirmat per Auream Bullam, Nicolao Papæ, omnia Privilegia & dona, quæ olim Gregorio, & ejus Successoribus contulerat. Obijt hoc anno, Boleslaus Poloniæ Rex religiosissimus, cognomento Pudicus, cùm ipse Virgo, Kingam uxorem, Virginem reliquisset.

1280. Majoricæ Insulæ Judæi quàm plurimi ad Fidem Christianam convertuntur, operâ Jugherij Mercatoris Genuensis, aliàs viri illiterati. Nicolaus III. Papa moritur. Albertus Magnus octogenarius, finem docendi & vivendi facit Coloniæ.

2281. Creatur Viterbij summus Pontifex, Simon de Bria Turonensis, qui in gratiam Sancti Martini Turonensis, dici voluit Martinus II.

1282. Contigerunt hoc anno famosissimæ illæ Vesperæ Siculæ, quando Regni Siciliæ incolæ, die sacro paschæ, signo per campanas Vesperarum tempore dato, per universam Siciliam, adorti Gallos nihil tale opinantes, intra duas horas, octo millia ex illis occidunt, & à Gallis deficientes, Insulam Petro Aragoniæ Regi tradunt. Sanctius filius Alphonsi Regis Castellæ, Patrem Regno depellit.

1283. Michaël Palæologus Imperator orientis moritur, succedit eidem Andronicus filius, qui exorsus ab iniquitate Imperium, omnia quæ acta & facta erant in Concilio Lugdunensi rescindit, & adversus Catholicos, persecutionem grandem inchoat.

1284. Moriuntur hoc anno Alphonsus Rex Castellæ, cui succedit filius Sanctius, & Hugo Lusinianus, Rex Cypri & Hierosolymorum, succedente filio

filio Joanne. Res Christianorum in Syria, ad exitium vergunt. Carolus Claudus, filius Caroli Siciliæ Regis, à Rogerio Auria, classis Aragoniæ Præfecto, navali pugnâ superatur, & capitur.

1285. Martinus Papa moritur Perusij, miraculis post obitum clarus, eíque subrogatur Jacobus Sabellus Romanus, nominatúrque Honorius IV. Carolus titulotenus adhuc Siciliæ Rex moritur, eíque succedit jure ad minus prætenso Carolus filius, cognomine Claudus, tunc adhuc in Aragonia captivus. Eodem anno, obijt Philippus III. Rex Francorum, & habenas ejusdem Regni capessit illius filius Philippus IV. cognomento Pulcher. Sed & Petrus Rex Aragoniæ obijt succedente filio Alphonso Secundo.

2286. Henricus Rex Cypri, pulso Prorege olim à Carolo misso, coronatur Rex Hierosolymæ Ptolomaidæ. Honorius IV. Jacobum filium Petri Aragoni, ob assumptam Regni Siciliæ Coronam se invito, excommunicat.

1287. Honorius IV. Papa moritur, Tartari Poloniam crudelissimè vastant, Lesco Principe cum Uxore, & Regni Proceribus in Hungariam diffugiente.

1288. Eligitur in Pontificem Hieronymus Asculanus, Generalis Franciscanorum, Cardinalis Prænestinus, dictúsque est Nicolaus VI. Quo curante Carolus Claudus, certis conditionibus liberatur è captivitate Aragoniorum.

1289. Saraceni, Christianos de Principatu in Syria dissentientes vexant, ac Tripolim occupant, cæsis septem millibus Christianorum. Carolus Claudus Regnum Siciliæ invadit, & contra Jacobum Aragoniæ Regem, bellum suscipit.

1290. Parisijs, Sacra Hostia à Judæo vulnerata, miraculis claret. Andronicus Græcorum Imperator, fratrem suum Constantinum Porphyrogenitum, in carcerem conjicit, cum amico suo & fautore Michaële *Strategopolo*; Unde Græcorum Imperium destitutum his duobus præclaris belli Ducibus, qui impetus Turcarum suâ fortitudine reprimebant, postmodum ab ijsdem Turcis est labefactatum. Lesco Rege Poloniæ defuncto, filij ejus Regnum scindunt.

1291. Hoc anno piè creditur translata Domus Nazarethana Deiparæ, ex Palæstina, in collem propè Tersactam arcem in Dalmatia. Ptolomais obsidetur à Saracenis, cum 60. millibus equitum, & 160. millibus peditum, & expugnatur. In ipsa autem Urbe numerabantur 30. millia armatorum, & 40. millia incolarum Christianorum. Quo audito, reliquæ quóque Arces in Syria desertæ sunt à Christianis, atque sic tota Syria amissa, & cessavit bellum sacrum, duo-

duobus ferè fæculis geftum. Rudolphus Imperator, fenio & laboribus fractus, anno ætatis 73. moritur.

1292. Comes Naffavius Francofurti, in Imperatorem Romanorum eligitur. Nicolaus IV. Papa Romæ moritur. Hoc anno è vivis abiêre Sanctus Albertus Carmelita in Sicilia, & Sancta Cunegundis Ducifla in Polonia.

1293. Alphonfus Imperator, bello adoritur Albertum Auftriæ Ducem, fuum Imperij competitorem. Domus Deiparæ ex Dalmatia divinitùs transfertur, ad fylvam Recinati, poffeffam à divite vidua, nomine Laureta, unde & denominata eft Domus Lauretana.

1294. In Summum Pontificem eligitur Petrus de Morone, Eremita, & Ordinis Cœleftinorum Fundator, dictus Cœleftinus V. fed hic fpontè fe Pontificatu, quem invitus fufceperat, non multò poft abdicavit, inque locum ejusdem electus eft Benedictus Cardinalis Cajetanus, dictus Bonifacius IV.

1295. Sanctus Petrus de Morone, à Bonifacio Pontifice, in cuftodiam traditus moritur.

1296. Bonifacio authore, Pax inter Francos & Aragonios initur. Præmislao Rege Poloniæ occifo, fuccedit Ladislaus Locticus. Errores Gerardi Sagarelli Perufienfis poftea combufti, hoc tempore diffeminantur.

1297. Sanctus Ludovicus Francorum Rex, à Bonifacio Papa canonizatur. Hærefis Fratricellorum emergit.

1298. Adolphus Imperator, commiffo certamine in Agro Spirenfi, cum Æmulo Alberto Duce Auftriæ, vincitur & interficitur, & Albertus denuò, ab Electoribus in Imperatorem eligitur. Liber Decretalium VI. juffu Bonifacij Papæ, promulgatur.

1299. Secta Fratricellorum, à Bonifacio Papa extinguitur.

1300. Benedictus IV. Papa, Jubilæum Univerfale indicit, ad quod Romam concurrunt, fupra ducenta millia hominum, tantæ tamen multitudini nihil ad victum defuit. Ad hunc annum referuntur Turcarum Ottomannorum Imperij initia.



C A-

CATALOGUS I.

Continens Nomina, Patriam, & Ordinem Romanorum Pontificum qui hoc Decimo tertio Sæculo Ecclesiæ præfuerunt, cum accurata assignatione Temporis, quo quis gubernare cœpit, ac desijt.

Nomina, Patria, & Ordo Romanorum Pontificum.	Initium Sedis. A. M. D.	Finis Sedis A. M. D	Duratio. A. M. D.	Vacat. M. D.
179. Honorius III. Romanus, Diaconus Cardinal.	1216. Julij. 18.	1227. Mar. 18	10. 8. 0.	0. 11.
180. Gregorius IX. Ananginus, Episcopus, Cardinalis.	1227. Mart. 19.	1241. Aug. 23	14. 5. 6.	1. 0.
181. Cœlestinus IV. Mediolanensis, Monachus Cisterc. Presbyter Cardinalis.	1241. Sept. 22.	1241. Oct. 8.	0. 0. 17.	20. 17.
182. Innocentius IV. Genuensis, Presbyter Cardinalis.	1243. Junij. 24.	1254. Dec. 7.	11. 5. 13.	0. 15.
183. Alexander IV. Ananginus, Presbyter Cardinalis.	1254. Dec. 22.	1261. Maij 21	6. 5. 0.	4. 3.
184. Urbanus IV. Anagninus, Episcopus Cardinalis.	1261. Aug. 29.	1264. Oct. 2.	3. 1. 4.	4. 3.
185. B. Clemens IV. Narbonensis, Episcopus Cardinalis.	1265. Febr. 5.	1268. Nov. 29	3. 9. 24.	33. 3.
186. B. Gregorius X. Placentinus, Archidiaconus Leodiensis.	1271. Sept. 1.	1276. Jan. 10.	4. 9. 10.	0. 10.
187. Innocentius V. ex Tarentasia, Ordin. Prædicatorum.	1276. Jan. 20.	1276. Junij 22	0. 5. 2.	0. 19.
188. Hadrianus V. Genuensis, Diaconus Cardi,	1276. Julij. 12.	1276. Aug. 18	0. 1. 6.	0. 26.

189. Joannes XIX. Ulissiponensis, Episcopus Cardinalis.	1276. Sept. 13.	1277. Maij 21.	0. 8. 8.	6. 4.
190. Nicolaus III. Romanus, Cardinalis Ursinus.	1277. Nov. 25.	1280. Aug. 22	2. 8. 27.	6. 8.
191. B. Martinus IV. Briensis Gallus, Presbyter Cardinalis.	1280. Febr. 22.	1285. Mar. 29	4. 1. 7.	0. 4.
192. Honorius IV. Romanus, Diaconus Cardinalis.	1285. Apr. 2.	1287. April. 5.	2. 0. 3.	10. 18.
193. Nicolaus IV. Asculanus, Ordinis Minorum, Episcopus Cardinalis.	1288. Febru. 22.	1292. April. 4.	21. 1. 14.	27. 2.
194. S. Cœlestinus V. Esernienſis Eremita.	1294. Julij. 7.	1294. Dec. 13	0. 5. 7.	0. 10.
195. Bonifacius VIII. Ananinus, Presbyter Cardinalis.	1294. Dec. 20.	1303. Oct. 2.	8. 9. 14.	0. 9.

CATALOGUS II.

Continens Nomina Imperatorum, qui hoc Decimo tertio Sæculo imperârunt.

In Occidente.

Otho IV. filius Henrici Ducis Bavariæ & Saxoniæ, electus anno 1208.
Ab Innocentio III. coronatus 1209.
Imperio privatus 1210.
Obijt 1216.

Fridericus II. VI. Imperator, & Ducis Sueviæ filius, Rex Neapolis & Siciliæ, electus 1211.
Coronatus verò 1219.

Privatus Imperio in Concilio Lugdunensi 1245.
Interfectus 1250.

Henricus VII. filius Friderici II. ab aliquibus electus, sed non coronatus fuit.

Guilielmus Comes Hollandiæ electus 1246.
Occisus 1256.

Inter-

Interregnum annorum 2. & ampliùs.
Richardus Regis Angliæ frater electus 1258.
Ab una parte Electorum, ab alia verò
Alphonsus Castellæ Rex, eodem anno.
Ille redijt in Angliam 1264.
Hic nunquam egressus est ex Hispania.
Rudolphus Habspurgi Comes, electus 1274.
Obijt 1291.
Adolphus Nassovius Comes, electus 1292.
Occisus 1298.
Albertus Austriæ Dux, filius Rudolphi Imperatoris, electus 1298.
Coronatus 1301.

In Oriente.

Alexius III. Angelus, Comnenus, pulsus 1203.
Isaacius revocatus cum filio Alexio, 1204.
Pulsus iterum eodem anno 1204.
Post hunc divisum fuit Imperium Orientale in Constantinopolitanum, & Trapezuntinum. Hoc erexêre denuò Græci. Illud obtinuerunt occupatâ Constantinopoli Latini.
Primus itáque Constantinopolitanus Imperator electus fuit Balduinus 1204.
Captus 1205.
Peremptus 1206.
2. Henricus frater Balduini electus 1206.
Obíjt 1216.
3. Petrus Contenæus, electus 1216.
Interfectus 1221.
4. Robertus ejusdem filius, electus 1222.
Obijt 1228.
5. Balduinus II. Roberti filius, electus 1229.
Pulsus à Michaële Palæologo 1260.
Et sic Latinum Imperium in Oriente desijt.

Græcorum verò Imperatorum fuit hæc series.

Captâ Constantinopoli à Latinis, eligitur à Græcis in Imperatorem Lascaris, átque Niceæ coronatur 1204.
Huic successit Joannes Ducas Balthazar, creatus in Imperatorem Adrianopoli 1222.
Obijt 1255.
Huic Theodorus Lascaris, filius Joannis Ducæ successit 1255.
Obijt 1259.
Huic Joannes Ducas junior, filius Theodori II. Septennis 1259
Occisus à Michaële Palæologo, qui sibi Imperium usurpavit 1250.
Et pulsu Balduino II. ac recuperatâ Constantinopoli, Imperium Orientale Græcis restituit, obiítque anno 6. 1282.
Ac huic Andronicus II. Palæologus, Michaëlis filius successit. 1282.
Imperavítque úsque ad finem decimi tertij sæculi, & ultra, nempe qui obijt 1325.

CATALOGUS III.

Continens Nomina, & Ordinem Regum aliorum Regnorum, qui hoc Decimo tertio Sæculo regnârunt, præsertim, quorum in hac Synopsi Chronologica sit aliqua mentio.

Reges Galliæ.

Philippus II. Auguſtus úsque ad Annum 1223.
Ludovicus VIII. ejusdem filius, úsque ad annum 1226.
Sanctus Ludovicus IX. Ludovici VIII. filius, úsque ad annum 1270.
Philippus III. Audax, Sancti Ludovici Regis filius, úsque ad annum 1284.
Philippus IV. Pulcher, Philippi III. filius, úsque ad annum 1314.

Reges Legionis, & Caſtellæ.

Henricus Alphonſi VIII. filius, Rex Caſtellæ, ab anno 1214.
Ferdinandus III. Alphonſi IX. filius, Rex Legionis & Caſtellæ, ab anno 1216.
Alphonſus X. Ferdinandi III. filius, ab anno 1252.
Sanctius IV. Alphonſi X. filius, ab anno 1284.
Ferdinandus IV. Sanctij IV. filius, ab anno 1295. úsque ad annum 1310.

Reges Navarræ.

Theobaldus I. ab anno 1235. Theobaldus II. ab anno 1254.
Henricus Petrus frater Theobaldi, ab anno 1271.
Philippus Pulcher, Rex Galliæ, ab anno 1274. úsque ad annum 1310.

Reges Aragoniæ.

Petrus II. Alphonſi II. filius ab anno 1203. regnavit annis 10.
Jacobus Victor, ſeu Expugnator Maurorum, ab anno 1213. regnavit annis 62.
Petrus III. Jacobi filius ab anno 1276. vocatus ad Regnum Siciliæ, regnavit annis 9.
Alphonſus III. ejusdem filius, ab anno 1286. regnavit annis 6.
Jacobus II. frater Alphonſi, priùs Rex Siciliæ, ac dein Aragoniæ, ab anno 1292. regnavit annis 35.

Reges Luſitaniæ, & Portugalliæ

Savellius I. Maurorum Debellator, ab anno 1211.
Alphonſus II. filius Sanctij, ab anno 1212.
Sanctius ejusdem filius, ab anno 1224.

Alphon-

Alphonsus III. frater Sanctij II. ab anno 1248.
Dionysius, Alphonsi III. filius, ab anno 1280. regnavit annis 31.

Reges Siciliæ, & Neapolis.

Constantia, filia Rogerij Ducis Apuliæ, ex Monasterio Monialium extracta, jussu Pontificis, & Hæres Regni Siciliæ declarata, ac desponsata Henrico Friderici Ænobardi filio, regnavit úsque ad annum 1208.
Fridericus II. filius Henrici Regis, ab anno 1209.
Conradus Caputus Legitimus Friderici II. filius, ab anno 1250.
Mansfredus Nothus, ejusdem Friderici filius, Regni injustus usurpator, ab anno 1255. victus à Carolo Andagavensi, occubuit 1265.
Conradus II. filius Conradi I. Rex Siciliæ, & Neapolis, captus, & securi percussus, jussu Caroli Andegavensis, anno 1267.
Carolus itáque Andegavensis, Regnum Siciliæ & Neapolis occupavit, 1267.
Carolus II. Claudus, filius Caroli Andegavensis, navali prælio victus & captus, à Petro Rege Aragoniæ, anno 1284. Eâ conditione, anno 1288. dimissus est, ut contentus Neapoli, Regnum Siciliæ Aragonijs cederet.

Reges Angliæ.

Joannes, frater Richardi Regis Angliæ, Regnum occupat anno 1201. qui regnavit annis 16.
Henricus III. ab anno 1217. regnavit annis 56.
Odoardus IV. Sanctus, filius ejusdem, ab anno 1273. regnavit annis 34. Obijt anno 1307.

Reges Poloniæ.

Lescus V. Albus, Casimiri filius, qui impuber obijt, anno 1202.
Uladislaus II. ab anno 1202.
Boleslaus V. Pudicus, filius Uladislai, ab anno 1226. regnavit annis 53. obijt 1279.
Lescus IV. Niger, Boleslai Cognatus, obijt, anno 1289.
Primislaus, ab anno 1289. Trucidatus eodem anno
Uladislaus Locticus, pulsus anno ultimo, hujus Decimi tertij Sæculi.

Reges Hungariæ.

Emericus, filius Belæ III. regnavit ad annum 1206.
Ladislaus II. Filius Emerici, ad annum 1207.
Andreas II. filius Belæ III. dictus Hierosolymitanus, ad annum 1238.

Bela IV. filius Andreæ II. ad annum 1275.
Stephanus IV. filius Belæ IV. ad annum 1277.
Uladislaus III Chunus, filius Stephani IV. occisus à Cumanis, 1291.
Andreas III, Venetus, ab anno 1291. explevit hoc Decimum tertium Sæculum moriens, 1301.

CATALOGUS IV.

Continens Nomina Scriptorum Ecclesiasticorum, Decimi tertii Sæculi.

Ex Summis Pontificibus: Innocentius III. Gregorius IX. Innocentius IV. Clemens IV. Innocentius V.

Guilielmus cognomento Nembrigensis.
Joannes Belethus.
Robertus de Monte, Chronologus.
S. Antonius de Padua.
Michaël Choniates.
Joannes Algrinus.
Guilielmus Arvernus, Parisiensis Episc.
Joannes Friburgensis.
Alexander de Hales, Ord. S. Francisci.
Helinandus Monachus, Gallus.
Petrus Cantor, Parisiensis.
Guilielmus Leycestre.
Jacobus de Vitriaco, Cardinalis.
Conradus Lechtenau, Abbas.
S. Rajmundus de Pennafort.
Guilielmus Brito.
Guilielmus Antisiodorensis.
Albertus Magnus Ord. S. Dominici.
Hugo de S. Caro, Cardinalis.
Martinus Polonus.
Matthæus Parisiensis.
Guilielmus Peraldus.
S. Bonaventura Ord. S. Francisci.
Henricus Stero, Monachus.
Ægidius Columnius.
Joannes Galensis.
Joannes Parisiensis, Dominicanus.
Robertus de Russia, Minorita.
Severus Alexandrinus.
Gaufridus, de Bello loco.
Richardus de Media Villa, Franciscanus.
Nicolaus Henapius.
Mechtildis Virgo.
Hugolinus Patriarcha Constantinopolit.
Jacobus Picolomineus Cardinalis.
Demetrius Sidonius, Thessalonicensis.
Nicephorus, Callistus.
Joannes Duns Scotus, Ord. S. Francisci.
Henricus Cardinalis, cognom. Ostiensis.
Gualterius Pictaviensis, Ord. S. Francisci.
Humbertus, Ord. S. Dominici Generalis.
S. Thomas Aquinas, Doctor Angelicus.
Thomas Cantapratensis,, Ordinis S. Dominici.
Joannes Parmensis.
Guilielmus Durandus, dictus Speculator.
Joannes Hispalensis.
Udalricus Argetinensis, Dominicanus.
Guido Bajsius, Decretista.
Ægidius Romanus, Bituricensis Archi-Episcopus.
Gertrudis Sanctimonialis.

Joan-

Joannes Peckam, Franciscanus.
Henricus Gandavensis.
Nicolaus de Lyra, Anglus, Ordinis Sancti Francisci.
Jacobus de Voragine.
Georgius Pachimerius.
Joannes de Sancto Geminiano.
Rajnerus, Pisanus.

CATALOGUS V.

Continens Nomina Prophanorum Scriptorum, Decimi tertij Sæculi.

Papias Grammaticus.
Saxo Grammaticus, Historicus.
Accursius Florentinus, Juris-Consultus.
Alexander de Villa Dei, Ordinis S. Francisci, Grammaticus, Philosophus, Astronomus.
Joannes de Sacro Bosco, Mathematicus.
Joannes de Blanasco, Juris-Consultus.
Sinibaldus, Juris-Consultus.
Othofredus, Juris-Consultus.
Jacobus Beluacensis, Juris Consultus.
Alphonsus Rex Hispaniæ, Philosophus, & Mathematicus.
Richardus de Malis Umbris, Juris-Consultus.

CATALOGUS VI.

Personarum Sanctitate illustrium, Decimi tertij Sæculi.

Sanctus Dominicus, Fundator Ordinis Prædicatorum, obijt anno 1221.
Sanctus Engelbertus, Coloniensis Episcopus, Martyrio coronatur 1225.
Sanctus Franciscus, Fundator Ordinis Minorum, migravit in cœlum 1226.
Sancta Elisabeth, Andreæ Regis Hungariæ filia, Landgravia Hassiæ. 1231.
Sancta Hedvigis, Ducissa Poloniæ, evolavit ad cœlum 1243.
Sancta Lutgardis Virgo, in Brabantia, animam Deo reddidit 1246.
Sanctus Petrus, Ordinis Sancti Dominici, perfidè trucidatus 1252.
Sancta Clara Virgo, Monialium prima Fundatrix, ex hac vita migravit 1253.
Sanctus Ludovicus, Rex Galliarum.
Sanctus Ivo, Presbyter & Confessor, pupillorum, viduarum, & pauperum Advocatus.
Sanctus Albertus, Ordinis Carmelitarum corporis ergastulo solutus 1292.
Sanctus Ludovicus, Episcopus Tolosanus, Ordinis Minorum, vitam hanc cum meliore commutavit, anno 1297.

CATALOGUS VII.

Hæresiarcharum, & Hæresum præcipuarum, Decimi tertij Sæculi.

1. Albingenses. 2. Flagellantes. 3. Pseudo-Apostoli, quorum Dux erat Gerardus Sagarellus. 4. Fratricelli, quorum caput erat Hermannus Italus.

CATALOGUS VIII.

Conciliorum Decimo tertio Sæculo celebratorum.

Concilium Mompuliense, anno 1214: contra Albingenses.
Lateranense IV. Generale 1215. contra eosdem Albingenses.
Oxoniense 1222. pro moribus.
Aliud in Germania 1225. contra Simoniacos & Concubinarios.
Londinense 1237. pro moribus.
Lugdunense I. Generale 1245. contra Fridericum Imperatorem, & pro Terra Sancta.
Lugdunense II. Generale 1274. de conjunctione Græcorum & Latinorum.

CATALOGUS IX.

Eventuum Memorabilium Decimi tertij Sæculi.

1. Ordo Hospitaliorum Sancti Spiritûs Romæ inchoatur, anno 1201.
2. Ordo Sancti Dominici instituitur. 1201.
3. Reverendorum Patrum Carmelitarum Ordo reformatur 1205. & sub ipsorum Generali Bertholdo II. ab Honorio IV. confirmatur 1285.
4. Ordo Sanctissimæ Trinitatis, pro Redemptione Captivorum inchoatur, 1208.
5. Multi Crucem assumunt, ad oppugnandos Albingenses Hæreticos. 1208.
6. Ordo Sancti Francisci instituitur. 1209.
7. Ordo Fratrum Eremitarum Sancti Pauli primi Eremitæ, in Hungaria instituitur, à Beato Eusebio Strigoniensi. 1215.
8. Ordo Monialium Sancti Francisci, à Sancta Clara ejus concive inchoatur.
9. Magna lues armentorum, ab Hungaria, per Germaniam universam Galliámque diffunditur. 1231.
10. Ordo Canonicorum Regularium Sancti Marci, Romæ inchoatur. 1231.
11. Instituitur Ordo Militaris, Sanctæ Mariæ de Mercede, pro Captivorum Redemptione, à Jacobo Rege Aragoniæ 1232.

Eodem anno, Ordo Sylvestrianorum, sub Regula Sancti Benedicti, à Beato Sylvestro

vestro, Vallis Umbrosæ Monacho. Et anno sequenti 1233. Militiæ Mentosiæ, in Regno Valentiæ.

12. Universitas Viennensis fundatur 1297.

13. Magna pars Sanctæ Crucis Domini, unâ cum Spongia, & ferro Lanceæ, à sancto Ludovico, Parisios transfertur.

14. Biblia Sacra in Capita, & versiculos distinguuntur.

15. Pileus rubeus Cardinalibus, in Concilio Lugdunensi tribuitur.

16. Ordo Servitarum seu Servorum Beatæ Virginis instituitur.

17. Festum Corporis Christi, ab Urbano IV. instituitur.

18. Ordo Patrum Cœlestinorum, à Petro de Morone instituitur.

19. Peractæ sunt hujus Sæculi anno 1281. Vesperæ Siculæ, quo nomine vocata fuit Gallorum, (qui plus octo millibus erant) cædes repentina in Sicilia.

20. Jubilæum quovis centesimo anno celebrandum, à Bonifacio Papa constituitur.

FINIS.



III. SYNOPSIS CHRONOLOGICA.

Continens Res memorabiles Ecclesiæ, Decimi quarti & decimi quinti Sæculi, seu ab Anno Christi 1300. úsque ad Annum 1500.

1301. AD initium hujus Decimi quarti sæculi, Romanæ, ac consequenter toti Catholicæ Ecclesiæ, præfuit Bonifacius VIII. Constantinopolitanam Sedem tenuit Joannes Patriarcha, átque hoc se abdicante dignitate Patriarchali, eidem restitutus est Athanasius.

Imperium Occidentis rexit *Albertus Archidux* Austriæ: Orientis verò Andronicus II. Palæologus.

Reges potentissimorum Regnorũ erant sequentes: *Galliæ & Navarræ*. Philippus IV. *Hispaniæ* hoc est *Aragoniæ*, *Legionis*, *& Castellæ* ac simul *Siciliæ*, Ferdinandus

dus IV. Sanctij IV. filius *Lusitaniæ*, Dionysius, Alphonsi III. filius. *Neapolis* Carolus II. Claudus. *Angliæ*, Odoardus IV. *Bohemiæ*. Uladislaus IV. qui simul fuit Rex *Poloniæ*, in locum exulantis Uladislai Loctici. *Hungariæ* Andreas Venetus, *Daniæ* Ericus VII. *Sueciæ* Brigerus II. *Norvegiæ*, Aquinus II. *Tartarorum* Rex fuit Cassanus, sexennio ante, ad fidem Christianam miraculosè conversus. Turcarum demum primus Rex Othomannus I. Quô eodem anno, inter Principes Christianos, varia exorta sunt dissidia; & primò quidem inter ipsum summum Pontificem, & Philippum IV. Regem Galliæ oritur acerrimum bellum. Dein in Hungaria, mortuo siquidem Andreâ II. Rege sine prole, Proceres in Electione novi Regis, diversas in partes scissi, alij elegerunt Venceslaum Bohemiæ Regem, & hoc recusante Venceslaum ejusdem Filium, alij Othonem Bavariæ Ducem, alij Carolum Martellum, Caroli Claudi Regis Neapolis Filium, unde nova exorta bella, & vastationes in Regno. *Scoti* demum proprio carentes Rege, Anglicum jugum excutere volentes, triplici prælio congressi cum Anglis, victores de ijsdem triumphant.

1302. Flandri rebellant Regi Franciæ, & apud Curtacum insignem de Gallis victoriam reportant. *Ischia* Insula seu Ænaria tantùm sulphurei ignis evomuit, ut omnes suos incolas, cum animantibus & arboribus cunctis sepelierit, & interemerit. Acerba discordia continuatur inter Pontificem & Regem Franciæ. Albertus Imperator prosequitur Jura Imperij, adversùs Principes & præsules Imperij, qui ea, sibi usurpaverant. Mapheus & Guido Turianus de Ducatu Mediolanensi disceptant, & hic priore excluso, eodem potitur. Carolus Martellus moritur Hungariâ non potitus.

1303. Bonifacius Papa, ex insidijs à Gallis Anagniæ capitur, & Romam perductus, mœrore animi obit, eidem succedit Benedictus XI. ad quem statim Philippus Galliæ Rex, Legationem mittit, eúmque sibi conciliat. Obijt hoc anno S. Ivo Trecorensis presbyter, pupillorum & viduarum advocatus. Rex Angliæ Scotiam vastat. Flandri à Gallis vincuntur, & cæduntur.

1304. Benedictus Papa, Regem Regnúmque Franciæ absolvit ab Interdicto & Anathemate, quo innodati fuerant à Bonifacio Papa, eódemque anno moritur Perusij 5. Julij. Victis Flandris ac cæsis à Gallis, pax inter eosdem conficitur. Cassano Tartarorum Rege Christiano mortuo, succedit Campagadus, à Fide Apostata, sub quo tota Christianitas inter Tartaros concidit, sed & Tartarorum Imperium corruit, & Monarchia illorum subdivisa est in complures Hordas. Otho Dux Bavariæ, in Regem Hungariæ eligitur.

1305. Clemens V. Papa creatur Perusij, coronatúrque Lugduni, qui ob seditiones Italorum, Pontificiam Sedem Avenionem in Gallias transtulit. Venceslaus Rex Hungariæ, ob timorem advenientis Othonis æmuli, in Bohemiam se recipit, &

Sacram

Sacram Coronam ſecum aufert. Venceslaus IV. Bohemiæ & Poloniæ Rex extinguitur, & à Polonis Uladislaus Locticus in regnum revocatur.

1306. Parentem ſubſequitur Filius Venceslaus V. Rex Bohemiæ, moriens anno ætatis 18. Mox Albertus Cæſar Regno Bohemiæ præficit Rudolphum Filium. Clemens Papa V. favet Philippo Regi Galliarum, eidémque ac Eccleſiæ Gallicanæ multas prærogativas concedit. S. Nicolaus Tolentinus, ad Cœlos migrat. Equites Hoſpitalarij ac Templarij, Hugonem Regem Cypri deponunt, eundémque in Armeniam ablegant. Robertus Bruſcus, ex Anglia in Scotiam elapſus, necato Cumeno, in Regem Scotiæ coronatur.

1307. Clemens Papa, in Andronicum Græcorum Imperatorem, Anathema vibrat, veluti Schiſmaticorum & Hæreticorum Fautorem. Ludovicus Cognomento Hutinus, Philippi Regis Galliarum Primogenitus, Pampelone in Regem Navarræ coronatur. Odoardus IV. Rex Angliæ moritur anno ætatis ſuæ 68. Regni 34. Helveti primum fœdus inter ſe ineunt, adversùs Clementiſſimorum Principum Auſtriacorum, malos miniſtros, crudeliſſimos exactores, & non tam Præfectos, quàm Tyrannos.

1308. Albertus Imperator Romanorum, à Joanne nepote Sueviæ Duce, interficitur, cui ſuccedit in Imperio Henricus Lucemburgius. S. Clara de monte Falcone, in Cœlum migrat. Joannes Duns Scotus, Doctor ſubtilis Coloniæ moritur. Veneti pulſo Franciſco Eſtenſi, Feudatario Eccleſiæ, Ferrariam occupant. Otho Dux Bavariæ, Regno Hungariæ renunciare cogitur.

1309. Carolo Claudo Rege Neapolis mortuo, ſuccedit Filius Robertus, prætermiſſo Caroloberto, Caroli Martelli, primogeniti Caroli Claudi Filio, Pontifice id approbante, ut Carolobertus Anno ſequenti, reciperetur in Regem Hungariæ.

1310. Veneti ob occupatam Ferrariam à Clemente Papa excommunicantur. Ordo Templariorum extinguitur. Hoſpitalarij Equites, Rhodum Inſulam à Turcis vendicant, in eámque migrant, & inde Rhodij Equites vocantur. Henricus Imperator, in Italiam venit, & primò ad Mediolanum, Imperatoriâ ferreâ Coronâ inſignitur. Joannes Rex Armeniæ, Regno dato Leoni nepoti, fit Religioſus Ordinis S. Franciſci. Carolo-Robertus, in Regem acceptatur ab Hungaris.

1311. Henricus Imperator Urbes Italiæ, quâ vi, quâ minis ſibi vendicat, Celebratum eſt hoc anno à Clemente V. Concilium Oëcumenicum Viennennenſe in Gallia. *Dulcinus* novæ Hæreſis Author, à Clemente damnatur, & exuritur.

1312. Henricus Imperator Occidentis Romam venit, ibidémque aureâ Coronâ coronatur. Andronicus Imperator Græcorum implorat auxilia Princi-

pum Christianorum contra Turcas, à quibus graviter premebatur. Ferdinandus Castellæ Rex moritur.

1313. Henricus Imperator obit ætatis anno 51. A Clemente V. Imperij Vicarius Robertus Rex Siciliæ constituitur. Philippus Rex Galliæ, & Odoardus V. Rex Angliæ, cum multis Proceribus Cruce signantur, & bellum contra Turcas suscipiunt. Imago Beatissimæ Virginis, à S. Gregorio olim S. Leonardo in Hispaniam missa, & metu Saracenorum abscondita, apud Guadalupam hoc anno est inventa, quæ multis postea miraculis celeberrima fuit.

1314. Andronici Græcorum Imperatoris cognatus *Philas Palæologus*, modicis copijs Turcas superat, & Græcorum animos restituit. Moritur Clemens V. de cujus successore eligendo, Cardinales inter se distrahuntur, uti & Electores in eligendo Imperatore, quorum una pars Ludovicum Bavarum, altera Fridericum Austriacum elegit. Philippus Pulcher Galliæ Rex moritur anno ætatis 46. Regni 30. Succedit eidem Ludovicus Filius, jam ante Navarræ Rex, hujus nominis X. cognomento Hutinus.

1315. Niphon Patriarcha Constantinopolitanus dejicitur, & in locum ejusdem substituitur Joannes XII. Sedes Romana vacat, hoc etiam anno. Actus Sorbonicus, seu actus magnus ex Theologia in Universitate Parisiensi, à Francisco Mayron Minorita instituitur. Pestis atrox per Europam grassatur.

1316. Eligitur in Pontificem Jacobus de Ossa, Cardinalis Portuensis dictus vulgò Joannes XXII. Ludovicus Hutinus Rex Galliæ, annos natus 27. moritur. Succedit eidem Philippus V. cognomento Longus, frater Ludovici X. Ludovicus Bavarus, statim Confirmationem suæ Electionis à Joanne Papa sollicitat, non tamen impetrat ob causam Friderici Austrij, necdum satis perspectam.

1317. Joannes Papa jubet Clementinas Constitutiones explicari in Scholis. Idem Pontifex Res Anglicanas & Scoticas componere satagit, sed conatu irrito, eò, quòd Scotis pax illa visa sit perniciosa. B. Agnes Politiana, ab eodem inter Cœlites refertur. Fratricellorum Hæresis, rescripto Pontificis damnatur.

1318. Ex Pontificis ex Italia absentia, turbæ Italicæ exoriuntur.

1319. Expeditio Castellanorum, in Mauros malè cedit. Jacobus Aragoniæ Rex, se Regno abdicat. In Lusitania, inter Patrem Dionysium, & Alphonsum Filium acriter certatur, nec procurata pax, nisi precibus Sanctæ Elisabethæ matris Alphonsi. Ordo Montis Oliveti instituitur.

1320. Deposito Joanne Gliffin Patriarchâ Constantinopolitano, succedit Gerasmus Monachus. Uladislaus Locticus, operâ Pontificis, Rex Poloniæ coronatur, & Pontifici offert S. Petri denarium capitatim. Turcæ Cherso-

ne

nè occupatâ, in Thraciam excurrunt. B. Thomas Erefordensis Episcopus, à Joanne Papa canonizatur.

1321. Andronicus Junior Nepos Andronici senioris, ex Michaële Filio, in Avum rebellát. Ludovicus Bavarus, & Fridericus Austrius de Imperio disceptant.

1322. Moritur Philippus Longus Rex Galliæ, cui succedit Carolus Frater ejusdem, cognomento Pulcher. Fridericus & Ludovicus Imperatores, grandi prælio inter se confligunt, & penes hunc, stat victoria, Friderico capto, ejusdémque Fratre Henrico.

1323. Initio hujus anni Fœdus inter Francos, Venetos, & Pontificem initum, adversùs Turcas Ægæum Mare infestantes. Joannes Pontifex, Ludovicum Imperatorem condemnat, & Imperio se abdicare mandat. Obijt hoc anno S. Elzearius Comes, Parisijs, quamuis alij ejus mortem ad annum 1325. transferant.

1324. Ludovicus Bavarus, ad Concilium Generale provocans, excommunicatur à Pontifice. Franci Anglos in Aquitania, & Scoti eosdem Anglos in Anglia profligant.

1325. Felix hic annus fuit, à Reconciliationibus Principum. Dum inter Anglos & Gallos pax concluditur, & Andronicus junior nepos, cum Avo sibi reconciliantur, ac concordiam ineunt inter se, Ludovicus & Fridericus, ut huic Germania, illi Italia cederet.

1326. A Romanis invitatur Joannes Pontifex, ut redeat in Urbem, ibique Sedem figat relictâ Avenione, eóque reditum excusante propter senium, ij, evocant Romam Ludovicum Bavarum. Turbatur Anglia gravibus motibus, quibus Eduardus Rex sublatus, eíque Filius ejusdem nominis est substitutus.

1327. Ludovicus Bavarus ingreditur Italiam, & à Schismaticis Mediolani coronatur ferreâ Coronâ. Mortuo Jacobo Rege Aragoniæ, succedit Alphonsus IV. ejusdem Filius. S. Rochus in Cœlum migrat.

1328. Andronicus Græcorum Imperator, à Nepote Andronico exauthoratur. Moritur Osmannus seu Othomannus Turcarum Princeps, eíque succedit Filius natu minimus Orchannes, necatis fratribus. Ludovicus Bavarus, Romæ à Schismaticis aureâ Coronâ coronatur. Qui mox Petrum Corbarium Pseudo-Pontificem eligunt, sub nomine Nicolai V. Verùm hic à Romanis depellitur, acclamatúrque Papa verus Joannes XXII. Carolus Pulcher Galliarum Rex moritur, ei succedit Philippus Valesius.

1329. Petrus Corbarius Pseudo-Pontifex, furit in Joannem XXII. vetum Pontificem; mox tamen culpam suam agnoscit, eidémque reconciliari

desiderat. Ludovicus Bavarus inglorius, ex Italia redit. Moritur Robertus Scotiæ Rex, eique succedit David Filius ejusdem.

1330. Petrus Corbarius, submittit se Joanni Pontifici, & ab eodem Avenione includitur. Carolus Rex Hungariæ, à quodam Fœliciano graviter vulneratur. Castellæ & Aragoniæ Reges junctis viribus insignem de Mauris reportant victoriam.

1331. Orchannes Turcarum Rex, Nicæam Bythiniæ, post longam obsidionem capit. Uladislaus Rex Poloniæ, Equites Teutonicos magnâ strage afficit.

1332. Moritur Andronicus Senior, Græcorum Imperator, postquam imperâsset annis 50. vixisset 74. Andronicus Junior infeliciter in Turcas pugnat. Joannes Bohemiæ Rex, Pontificem inter, & Ludovicum Bavarum, pacem reconciliare frustra laborat.

1333. Heraclea à Mauris capitur. Eduardus Anglorum Rex, ad Barvicum, quod obsidebat, magnam cladem Scotis infert. Uladislao Loctico Rege Poloniæ defuncto, succedit Filius Casimirus Magnus.

1334. Joannes Papa moritur, anno ætatis 90. cui substituitur Jacobus de Furno Cisterciensis, Cardinalis S. Priscæ, dictúsque est Benedictus VII. Hic Antecessoris sui sententiam, in Ludovicum Bavarum confirmavit, & Ordines Benedictinorum, ac Cisterciensium reformavit.

1335. Benedictus VII. Ludovicum Bavarum hortatur, ut resipiscat, & monitionem spernentem excommunicat. Italia ob absentiam Pontificis miserè discerpitur. In Polonia ingens Locustarum multitudo grassatur.

1336. Babyloniæ Sultanus, curam Sepulchri Christi Domini Hierosolymis, Patribus Franciscanis committit. Atrox bellum, inter Anglos & Francos exoritur. Alphonsus Aragoniæ Rex moritur, succedit eidem Filius Petrus IV.

1337. Obit Fridericus Siciliæ Rex, cui succedit Filius Petrus II. Mater Eleonora fit Monialis S. Claræ. Scytæ & Turcæ Thraciâ vastatâ, multa, Christianorum millia in servitutem abducunt. Concilium Avenionense celebratur, Pontifex modis omnibus adlaborat pro compositione pacis, Francos inter & Anglos, ast hi ejusdem voluntati non acquiescunt.

1338. Pontificem inter & Ludovicum Bavarum de pace agitur, sed hæc non concluditur. Ludovicus proinde ad Concilium provocans, nec absolutionem impetrans palàm à Pontifice deficit, ejúsque authoritatem, quò ad Electionem & Confirmationem Imperatoriæ dignitatis impugnat. Locustæ denso agmine devastatâ Poloniâ, Hungariam & Bohemiam quóque vastant.

1339.

1339. Romani deserto Ludovico Bavaro adhærent Pontifici. Græci à Latinis expetunt auxilia contra Turcas, polliciti cum Ecclesia Latina unionem, hanc tamen non impetrant, cùm omnibus constaret de ipsorum inconstantia, ac ficta oblatione. Alphonsus XI. Castellæ Rex, & Alphonsus IV. Rex Lusitaniæ, impetratis à Benedicto VII. Indulgentijs, ingentem exercitum Cruce signatorum colligunt, & quinque Reges Maurorum acie vincunt.

1340. Pontifex diversis, qui à Ludovico Bavaro defecerant confirmat Dominia. Christiani, Duce Simone à Quadro, paucis triremibus in Orientem navigantes, Turcas in Euxino Mari divagantes, magnis cladibus afficiunt. Angli pugnâ navali insignem de Francis reportant victoriam.

1341. Andronicus Imperator Constantinopolitanus moritur, relinquens duos impuberes filios, Joannem & Michaëlem, quorum tutelam committit Joanni Cantaguzeno, hic verò facit se ex Tutore Augustum, sic simul duo fuêre Augusti, Tutor Cantaguzenus, & Hæres Joannes, seu Calo-Joannes. Casimirus Rex Poloniæ, Lithvaniam sibi subjicit, & in formam Provinciæ redigit.

1342. Moritur Benedictus VII. cui sufficitur Petrus Rogerius olim Benedictinus nominatúrque Clemens VI. Objit quóque Carolus Hungariæ Rex, cui succedit Ludovicus Filius. Graves ubíque terrarum hoc anno exundationes. Romani Clementem Legatione accersunt, qui tamen eorum votis obsecundare non potuit insidias Ludovici Bavari metuens.

1343. Clemens Papa, Christianos in Turcas excitat, & Jubilæum indicit. Moritur Rogerius Neapolis Rex, relinquens post se Hæredem neptem Joannam desponsatam Andreæ Hungaro, Fratri Ludovici Regis.

1344. Christiani feliciter pugnant in Asia contra Turcas, & Smyrnam occupant, deletâ Turcarum Classe. Algezira quóque ad Fretum Gaditanum, hoc anno Mauris erepta, auxilio Francorum, Navarrorum, & Pontificis.

1345. Promulgatur iterum Crux in Turcas, & huic expeditioni præficitur Humbertus Delphinus, cujus auspicijs exustæ sunt Turcarum naves, præterea nihil memorabile est gestum. Joannes Cantaguzenus res suas firmat, séque in Imperatorem Constantinopolitanum coronari curat, ac Filiam suam Orchanni Turcarum Principi, in Matrimonium tradit. Andreas Hungarus Neapolis Rex, ab uxore Joanna strangulatur.

1346. Jubente Clemente VI. Pontifice, Ludovicus Bavarus exauthoratur, Imperióque privatur, ínque illius locum eligitur ab Electoribus Carolus IV. Joannis Bohemiæ Regis Filius. Galli ab Anglis vincuntur. Pontifex Alphon-

phonſo Caſtellæ Regi acquiſitionem Inſularum Fortunatarum confirmat, modò ibi Chriſtianam Legem inſtituat.

1347. Ludovicus Bavarus moritur. Joanna Regina Neapolis, timens ſibi à Ludovico Rege Hungariæ, ob necatum Fratrem ejusdem, ac ſuum Maritum Andream, jus omne ſuum in Siciliam reſignat Ludovico Regi Siciliæ, promittenti auxilia contra invaſores Regni Neapolitani. Joannes Contaguzenus, aſtu Conſtantinopolitanam Urbem, & ipſum Calo-Joannem Jmperij Hæredem capit.

1348. Ludovicus, Rex Hungariæ vindicaturus mortem Fratris ſui Andreæ, Regnum Neapolitanum occupat, Joannâ reâ necis fugiente, ac recurrente Avenionem ad Pontificem.

1349. Peſtis Europam ita depaſcitur, ut vix tertia pars hominum ſuperfuerit. Hubertus Delphinatûs Princeps, Dominicanorum Religionem ingreditur, & Principatum Regi Francorum conſignat, eâ conditione, ut Primogenitus Regis Delphinus appelletur. Turcæ in Thracia invaleſcunt diſſimulante Cantaguzeno.

1350. Clemens Papa Jubilæum celebrat, maximâ populi multitudine Romam confluente. Philippus Rex Francorum moritur ſuccedente Filio Joanne. Alphonſo Caſtellæ Regi ſuccedit Petrus Filius.

1351. Damaſci, dira in Chriſtianos excitatur perſecutio, proponente eisdem Tyranno, aut Crucem, aut impij cultum Machometi. Ex his nonniſi 22. inventi, qui Crucem præeligerent, reliquis ad ritum Mahometis tranſeuntibus. Ingens Cometa apparet, & bellum Anglos inter & Francos innovatur. Excitatur etiam aliud inteſtinum in Belgio, Filium inter & Matrem, hoc tamen brevi componitur, & pace compoſitâ, Matri ceſſit Hannonia, Filio Hollandia. Poloni Lithuanos vincunt, & ipſi viciſſim à Tartaris vaſtantur.

1352. Pontificis opera, Joanna reſtituitur in Regnum Neapolis, eâ tamen conditione, ut poſt mortem ejus, Jus Regni ſit penes Ludovicum Regem Hungariæ. Joannes Wiclephus Anglus Hæreſiarcha, ſuas Hæreſes protrudit. Clemens VI. Papa moritur Avenione, eidem ſuccedit Innocentius VI. Cantaguzenus cum Calo-Joanne, Tutor cum Hærede pro Imperio pugnant.

1353. Cantaguzenus, à Calo-Joanne preſſus, ad Turcas confugit, recurrit quóque ad Innocentium Papam, & unionem inter Græcos ac Latinos pollicetur, ſi auxilium obtinere poſſit à Chriſtianis Occidentalibus. Sicilia factionibus turbatur.

1354. Turcæ multas Urbes Græcorum, in Thracia occupant. Ludovicus Hungariæ Rex, Regem Raſciæ vincit & capit. Ubique ſæviunt bella, fames, peſtilentiæ, terræ motus, & magnæ aëris perturbationes.

1354.

1354. Carolus IV. Imperator, accipit Coronam Ferream Mediolani, dein auream Romæ à Cardinalibus per Papam delegatis. Carolus Rex Navarræ, ex insidijs à Gallis capitur, & Parisios abducitur. Calo-Joannes Palæologus, Cantaguzenum devincit, ac in ordinem redigit, qui tandem fit Monachus, & uxor ejus *Irene* Monialis.

1356. Carolus IV Imperator, Norimbergæ in Comitijs, Bullam auream de Electione Imperatoris, Jure electorum, qualitatibúsque Principium & Ordinum promulgat. Joannes Rex Galliæ, in conflictu cum Philippo Filio, & prima Nobilitate, ab Anglis capitur.

1357. Joannes Galliæ Rex captus, in Angliam abducitur, unâ cum Filio. Reges Castellæ & Aragoniæ inter se concertant. Alphonsus Rex Lusitaniæ obit, ætatis 77. Regni 32. relicto Hærede Filio Petro.

1358. Cayri Martyrio afficitur Nicolaus de Monte Corvino, cum duobus socijs, ob Thomam Hungarum Mammaluchum, ab ijs ad Fidem conversum, & cum ijs Martyrem. Eduardus Angliæ Rex, immunitates Ecclesiasticas invadit. Delphino Regnum administrante, & Navarræ Rege è custodia dimisso, fluctuat Gallia.

1359. Orchannes Rex Turcarum, ex equo lapsus moritur, succedit eidem Amurathes Filius, qui sub specie juvandi Græcorum Imperatorem contra Despotas, transit in Thraciam, & Philippopolim, Hadrianopolim, aliásque Urbes occupat, & hanc sui Regni Sedem constituit. Petrus Aragoniæ Rex tumultuum pertæsus Ordinem Sancti Francisci ingreditur.

1360. Obit hoc anno Romæ Hugo Lusitanus, Rex Cypri, Senator Romanus ab Innocentio Pontifice factus, cui succedit Filius Petrus. Joannes Franciæ Rex, pretio, tribus auri millionibus redemptus, factâ cum Anglis pace Parisios redit.

1361. Petrus Rex Cypri, auxilio Equitum, tunc Hospitalariorum, nunc Melitensium, Mahometanos retundit. Multis prodigijs hic annus fuit celebris.

1362. Innocentius VI. Papa Avenione moritur, cui substituitur Guilelmus de Grisago, Abbas S. Victoris absens licèt, dictúsque est Urbanus V.

1363. S. Brigitta, ad Urbanum Papam veniens confirmationem Ordinis à se instituti impetrat. In Hispania, Pax inter Reges Castellæ & Aragoniæ concluditur. Ingens Locustarum vis per Italiam & Dalmatiam sævit, & ex innato illis veneno, atrox oritur pestis.

1364. Joannes Rex Franciæ, trajicit in Angliam pacem firmaturus cum Anglis, & Londini moritur, succedit ei Carolus Filius, cognomento sapiens.

1365. Petrus Rex Cypri, Alexandriam capit, & incendit. Petrus autem

tem Rex Castellæ, ob crudelitatem omnibus fit exosus, & à Pontifice judicatur Regno inutilis.

1366. Expeditio Christianorum in Turcas authore Urbano V. Pontifice suscipitur. Petrus Rex Castellæ, à Fratre suo Notho Henrico Regno pellitur.

1367. Græci agunt cum Latinis de Vnione & Concordia, Urbanus V. Avenione redit in Italiam. Petrus Castellæ Rex, cum exercitu Principis. Walliæ, victo Henrico Fratre Castellæ Regnum recuperat, omnésque ejus fautores interficit.

1368. Henricus Nothus collecto exercitu in Gallia redit in Hispaniam, ab omnibúsque excipitur. Petrus verò Mauros in auxilium vocat. Carolus IV. Imperator rogatu Pontificis, ad tumultus sedandos venit in Italiam, átque ibidem Coronatâ Imperatrice, redit in Bohemiam. Induciæ, inter Francos & Anglos abruptæ.

1369 Calo-Joannes Palæologus Græcorum Imperator, navigat Romam, & à Pontifice Urbano benignè suscipitur, átque auxilia Occidentalium Principum contra Turcas, undíque conquirit, minori tamen cum successu, turbato bellis Occidente. Henricus Nothus, Petrum Castellæ Regem prælio vincit, & ex fuga reductum securi percutit. Urbanus Papa, ad bellum sedandum Gallos inter & Anglos Avenionem revertitur.

1370. Urbanus Papa moritur, eidémque substituitur Petrus Comes Bellifortis Cardinalis, Gregorius XI. dictus. Moriuntur pariter David Rex Scotiæ & Casimirus Rex Poloniæ, illi succedit sororis filius Robertus Stuardus, huic autem Ludovicus Hungariæ Rex.

1371. Joannes Huss, ex scriptis Wiclephi, contra Ecclesiam seminat Hæreses in Bohemia, Gregorius XI. Pontifex Principes Christianos, missis Legatis reconciliare inter se modis omnibus adlaborat.

1372. Gregorius Pontifex, res Hispanas & Siculas componit, Carolum item Regem Navarræ, cum suis inimicis conciliat. Excitat insuper Principes Christianos Occidentis contra Turcas, sed hanc expeditionem Genuensium & Venetorum discordia perturbat, orta ex levissima prorsus causâ, & nec commemoratione apud prudentes digna.

1373. Ordo S. Hieronymi, à Gregorio XI. confirmatur, & ab eodem Secta turpissima Turolupinorum flammis damnatur. B. Andreas Corsinus, & S. Brigita, ad superos migrant.

1374. Emmanuel, filius Joannis Palæologi Imperatoris, ab Amurathe Rege Turcarum, Principatu Thesalonicæ spoliatur. Scoti renovato fœdere cum Francis, Anglos memorabili prælio vincunt.

1375.

1375. In Italia populi, ob absentiam Pontificis in Sacram Sedem rebellant. Uladislaus Nepos Uladislai Loctici Poloniæ Regis Monachus, ad capessendum Regnum Poloniæ invitatur. Petrus de Luna Aragonus, magno deîn malo Ecclesiæ, à Pontifice creatur Cardinalis.

1376. Gregorius Pontifex Florentinos ob excitatam priori anno rebellionem Anathemati subjicit, sed non multò post per interpositionem S. Catharinæ Senensis, quæ tunc eximiâ Sanctitate florebat, ab eodem eos absolvit. Idem Gregorius Avenionem relinquens, Sedem Pontificiam Romam transfert.

1377. Eduardus Rex Angliæ moritur, cui succedit Nepos Richardus II. Renovatur bellum inter Francos & Anglos, & novum exoritur inter Genuenses, & Venetos. Fridericus Siciliæ Rex obit, relictâ Hærede Regni Maria filiâ, unde nati postmodum gravissimi tumultus nocivi, non solùm illi Regno, verùm & Ecclesiæ Romanæ.

1378. Gregorius XI. Pontifex, obit Romæ; longiore vitâ dignus, in cujus locum Romanis adurgentibus, substituitur 9. Aprilis Bartholomæus Neapolitanus, dictúsque est Urbanus VI. At Cardinales Galli, & quidam alij correpti ob vitia ab Urbano, *Fundos* digressi, causatíque vim sibi illatam à Romanis in electione Urbani, eligunt Mense Septembri die 19. Robertum Cardinalem Gebbenensem, eúmque nominant Clementem VII. qui relictâ Italiâ Avenionem se recipit. Hinc deterrimum illud Schisma oritur, quod ipsos 50. duravit annos.

1379. Veneti à Genuensibus vincuntur. Henricus Castellæ Rex Veneno extinguitur, relicto Hærede, & Regni successore Joanne filio.

1380. Obit Carolus Rex Galliæ, cognomento Sapiens, succedit Patri Carolus VI. duodennis. S. Catharina Bononiensis in cœlos migrat. Nascitur S. Bernardinus, & S. Coleta Clarissarum reformatrix. Urbanus Papa Joannam Neapolitanam Regno deponit, quæ confectis tabulis sibi Hæredem Ludovicum Andagavensem renunciat.

1381. Moschi & Tartari, acriter inter se depugnant, victoriâ tandem ex parte Moschorum stante. Urbanus & Clemens, Legationibus, ad suas quisque partes Principes Christianos trahere nituntur. Inter Genuenses & Venetos pax concluditur. Carolus Dyrrachinus vulgò Parvus, ab Urbano Papa ex Hungaria evocatus, in Regem Neapolis coronatur.

1382. Carolus Rex Neapolis, Joannam Neapolitanam, jussu Ludovici Regis Hungariæ, eodem loco strangulari curat, quo ipsa olim fratrem ejusdem Ludovici, & suum maritum strangulaverat. Moritur hoc ipso Anno Ludo-

vicus Hungariæ & Poloniæ Rex, relictis filiabus: Mariâ, & Hedvige, illâ Hungariæ, hâc postmodum Poloniæ Reginâ.

1383. Tartari, victo Demetrio Duce, Moschoviam occupant. Ludovicus Comes Flandriæ moritur, eidem succedit Philippus Audax. Ludovicus Andagavensis adoptatus olim à Joanna Neapolis Regina, & coronatus à Clemente Antipapa movet adversus Carolum Dyrrachium. Imago DEIparæ in Belgio pugione icta, sanguinem copiosum fundit, & percussor repentè interit. Urbanus Papa, contra Turcas Crucem promulgari mandat.

1384. Duo filij, duorum Parentum, Sauzen Amurathis Turcarum Regis, & Andronicus Joannis Constantinopolitani Imperatoris, conspirant in suos progenitores, à quibus in pœnam sceleris, ambo excæcantur. Wigleffus Hæresiarcha, paralysi percussus, miserè desperabundus perit.

1385. Jagello Dux Lithvaniæ ductâ Hedvige, Filia Ludovici Regis Hungariæ & Poloniæ, fit Christianus. Carolus Parvus, Rex Neapolis, vivente Mariâ Regni Hærede, in Regem Hungariæ inauguratur. Bellum inter Francos & Anglos inardescit. Joannes Nothus, fit Rex Lusitaniæ, cùm insignem victoriam de Castellanis reportâsset.

1386. Carolus Dyrrachinus seu Parvus, Rex Hungariæ trucidatur, cui in Regno Neapolitano succedit Ladislaus filius. Cyprus insula deditur Venetis. Leopoldus Austriæ Dux, dictus Militiæ decus, & gloria Auratorum Equitum, ab Helvetis cæditur. Urbanus Papa insidijs appetitur, & de reis ultionem sumit.

1387. Joannes Palæologus, cum Emmanuele fratre elapsus è custodia, obtinet ab Amurathe, ut Andronico depulso, Emanuel sub tributo annuo, Imperium Constantinopolitanum habeat. Carolus Navarræ Rex, dum Aquævivæ fomentis reficitur, scintillâ in linteum saliente, vivus exuritur, cui succedit Carolus III. cognomento *Nobilis*. Moritur quóque Petrus Aragoniæ Rex eidémque succedit Joannes filius. Clemens Antipapa & Urbanus Papa, sua jura acriter, contra invicem tuentur. Lithvani & Samogitij, adnitente Jagellone eorum Principe, fidem Christianam amplectuntur.

1388. In Germania Civitates Fœderatæ adversùs Principes, ab ijsdem vi & cladibus reprimuntur.

1389. Urbanus Papa Festum Visitationis B. Virginis instituit, & Jubilæum reducit ad Annum 33. in memoriam ætatis Christi, ac eodem Anno moritur, ínque locum illius, eligitur à XIV. Cardinalibus, Petrus Tomacellus, dictus Bonifacius IX.

1390. Italis, Gallis, & Anglis multis, adversùs Saracenos in Africam ex-

excurrentibus, plurimi Christiani à captivitate liberantur, & Urbs Tuneton ab ijsdem expugnatur, mortuo Roberto Rege Scotiæ, succedit filius Joannes, & vult dici Robertus III.

1391. Bajazethes Turcarum Rex, Asiâ minori, & Thessaliâ occupatâ, Constantinopoli inhiat.

1392. Bonifacius IX. varias Urbes Italiæ pervolat, cunctis Italiæ Urbibus tumultuantibus. Carolus VI. Rex Galliæ incidit in amentiam. Wenceslaus Rex Bohemiæ, ob pessimam Regni administrationem, à suis incaptivatur, ast ille astu è carcere elabitur.

1393. Bajazethes Bulgariâ & Valachiâ devastatâ, Hungariam invadendi animum adjicit, & in Sirmiensem agrum irrumpit.

1394. Clemens Antipapa Avenione moritur, eidémque à Schismaticis. Petrus de Luna Aragonius substituitur, dictus ab ijsdem, Benedictus XIII. Bonifacius IX. Papa, Romæ vix non cæditur, ægrè subductus à Ladislao Rege Neapolis.

1395. De modo tollendi Schisma ab Academijs varijs disceptatur. Judæi ex Gallia expelluntur.

1396. Bajazethes ad Nicopolim Sigismundum Regem Hungariæ prælio vincit.

1397. Tamerlanes Rex Tartarorum totâ fere Asiâ occupatâ, cum Bajazethe Turcarum Rege, prælio congreditur, eúmque vincit, & captivum ferreæ caveæ includit. Reges Castellæ, Franciæ, & Aragoniæ, Schisma Ecclesiæ tollere, sed irrito conatu nituntur.

1398. Alborum Secta, authore quodam Presbytero impostore emergit, sed hic captus Viterbij, supplicio afficitur, & sectarij dissipantur.

1399. Bonifacius IX. Anatas, seu Vacantias Beneficiorum à Joanne XXII. tentatas, restaurat.

1400. Venceslaus Imperator ob turpissimos mores, ab Electoribus exauthoratur. Emmanuel Constantinopolitanus Imperator, Occidentis Reges invisit auxilia contra Turcas imploraturus, sed præter magnificas exceptiones, & promissa, nihil reportat. Jubilæum à Bonifacio IX. Romæ celebratur.



CATALOGUS I.

Continens Nomina, Patriam, & Ordinem Romanorum Pontificum qui hoc Decimo quarto Sæculô Ecclesiæ præfuerunt, cum accurata assignatione Temporis, quo quis gubernare cœpit, ac desijt.

Nomina, Patria, & Ordo Romanorum Pontificum.	Initium Sedis. A. M. D.	Finis Sedis A. M. D	Duratio. A. M. D.	Vacat. M. D.
295. Bonifacius VIII. Anagninus, Præsbyter Cardinalis.	1294. Decem. 24.	1303. Oct. 2.	8. 9. 14.	0. 9.
296. Benedictus X. Tarvisinus, Ordinis Prædicatorum Ep. Cardinalis.	1303. Oct. 21.	1304. Julij. 7.	0. 8. 17.	11. 7.
297. Clemens V. Vasco Archi-Episcop. Burdegalensis.	1305. Julij. 5.	1314. Apr. 20.	8. 10. 16.	27. 18.
298. Joannes XX. Cardurcensis Episcop. Cardinalis.	1316. Aug. 7.	1334. Dec. 4.	18. 3. 28.	9. 16.
299. Benedictus IX. Tolosanus, Monachus Cisterciensis, Episcop. Cardinalis.	1334. Dec. 20.	1342. Apr. 25	7. 4. 6.	0. 12.
300. Clemens VI. Lemovicensis Monachus S. Benedicti. Presbyt. Cardinalis.	1342. Maij 7.	1352. Dec. 5.	10. 7. 0.	0. 12.
301. Innocentius VI. Lemovicensis Episop. Cardinalis.	1352. Dec. 18.	1362. Sept. 12	9. 8. 6.	1. 16.
302. Urbanus V. Gvvisacensis, ex Gallia Abbas Cluniacensis.	1362. Oct. 28.	1370. Dec. 19	8. 1. 22.	0. 18.
303. Gregorius XI. Lemovicensis, Diaconus Cardinalis.	1370. Dec. 29.	1378. Mar. 26	7. 2. 26.	0. 12.

304. Urbanns VI. Neapolitanus Archi-Episcop. Barij.	1378. Apr. 7.	1389. Oct. 18.	11. 6. 8.	0. 18.
305. Bonifacius Neapolitanus Presbyter Cardinalis.	1389. Nov. 2.	1404. Oct. 1.	14. 11. 0.	0. 26.

Anti-Papæ seu Pseudo-Pontifices, hujus XIV. Sæculi.

Petrus de Corbarijs, dictus Nicolaus V. contra Joannem XXII. A. 1327.
Robertus de Gebennis, dictus Clemens VII. contra Urbanum VI. A. 1378.
Petrus de Luna Hispanus, dictus Benedictus XIII. contra Bonifacium IX.

CATALOGUS II.

Continens Nomina Imperatorum, qui hoc decimo quarto Sæculo imperârunt.

In Occidente.

Albertus Austriæ Dux, Filius Rudolphi Imperatoris electus. 1298. & coronatut, anno primo hujus sæculi, nempe 1301. occisus à Nepote. A. 1308.

Henricus VII. Lutzemburgi Dux, Imperium adijt Anno 1308. obijt. 1313.

Fridericus Pulcher Austriæ Dux, filius Alberti Imperatoris, electus fuit Anno 1314. in Imperatorem ab una parte Electorum, ab alia autem Ludovicus Bavarus, & sic divisum fuit Imperium. Postmodùm mortuo Friderico. 1330. imperavit solus Ludovicus úsque ad Annum 1347.

Carolus IV. Lutzemburgensis filius Joannis Regis Bohemiæ, jam antea electus cœpit solus imperare Anno 1343. obijt verò Anno 1378.

Venceslaus vivo parente electus, succedit eidem, eodem Anno, sed ob inertiam depositus est ab Electoribus ultimo Anno hujus XIV. sæculi, videlicet Anno 1400.

In Oriente.

Andronicus II. Palæologus, Michaëlis filius ab Anno 1282. imperavit úsque ad annum 1325.

Andronicus III. pulso Avo Andronico II. invadit Imperium, anno 1325. obijt 1338.

Joannes Cantachuzenus Tutor filiorum Andronici III. imperat cum ejusdem filio Joanne VI. Palæologo genero suo ab anno 1338. & tandem Imperio se abdicat anno 1354.

Joannes VI. solus incipit imperare, ab anno 1354. pulsus à filio Andronico IV. anno 1384.

Andronicus IV Palæologus filius Joannis VI Patrem cum Fratre Emmanuele includit carceri 1384. sed postea pulsus est ab Emmanuele elapso ex carcere. anno 1387.

Emmanuel, seu Manuel Palæologus Frater Andronici IV. miserè sustinet Imperium Orientis, úsque ad finem hujus sæculi, moritúrque an. 1418.

CATALOGUS III.

Continens Nomina, & Ordinem Regum aliorum Regnorum, qui hoc Decimo quarto Sæculo regnârunt, præsertim, quorum in hac Synopsi Chronologica fit aliqua mentio.

Reges Galliæ.

Philippus IV. *Pulcher*, obijt anno	1314.
Ludovicus X. *Hutinus*, seu *Tumulentus*, obijt anno	1316.
Philippus V. *Longus* obijt	1322.
Carolus IV. *Pulcher* obijt	1328.
Philippus VI. *Valæsius* obijt,	1350.
Joannes Filius Philippi VI. obijt	1364.
Carolus V. *Sapiens* Joannis Filius, obijt	1380.
Carolus VI. Beneamatus, Caroli V. Filius, vixit ad finem hujus Decimi quarti Sæculi, obijt	1422.

Reges Legionis, & Castellæ.

Ferdinandus IV. regnavit ad Annum	1310.
Alphonsus VI. Saracenorum Victor insignis, ab anno	1310.
Petrus *Crudelis*, Alphonsi XI. filius, ab Anno	1350.
Henricus II. ejusdem Frater, ab Anno	1369.
Joannes Heinrici II. Filius, dictus *Valetudinarius*, ab Anno 1369. Vixit ad finem hujus Sæculi, obijt	1406.

Reges Navarræ.

Philippus *Pulcher* Rex Galliæ, maritus Joannæ Filiæ Henrici, Patri succedit, in Uxoris Regnum. Anno 1274. atque illud regit, ad annum 1310. quo adhuc vivente Patre, coronatur Rex Navarræ Ludovicus *Hutinus*, qui obijt Anno 1316. Succedit huic Joanna, Filia Ludovici Hutini, eodem Anno 1316.

1316. Sed hac exclusâ Philippus *Longus*, occupat Regnum Navarræ, cui succedit Carolus *Pulcher* Rex Galliæ. 1325. qui obijt 1328.

Philippus III. Jure uxoris Joannæ, Filiæ Ludovici Hutini fit Rex Navarræ 1131. Post hunc devolutum est Regnum Navarræ, ad Joannam alteram Uxorem Philippi III. quæ fuit Filia Raymundi Nepotis Petri Regis Aragoniæ. Anno 1346.

Hanc secutus est Carolus II. Cognomento *Malus*, Filius Philippi III. & secundæ Joannæ, Anno 1350. qui rexit Regnum annis 35. Post hunc regnavit Carolus III. Caroli II. Filius, Anno 1386. & supervixit hoc sæculum, mortuus sine liberis.

Reges Aragoniæ.

Jacobus II. ab Anno 1292. regnavit annis 35. hoc est ad Annum 1327. Alphonsus IV. Jacobi II. Filius, ab anno 1327. regnavit annos 8.

Petrus IV. Alphonsi IV. ab anno 1335. regnavit annos 51.

Joannes *Elegans*, Petri IV. Filius, ab anno 1387. regnavit annis 9.

Martinus cognomento *Humanus*, ab anno 1396. regnavit annis 14. & supervixit hoc Sæculum.

Reges Lusitaniæ, seu Portugalliæ

Dionysius Alphonsi III. Filius, ab anno 1280. regnavit úsque ad Annum 1325. hoc est Annis 45.

Alphonsus IV. Dionysij Filius, ab Anno 1325. ad Annum 1357.

Petrus *Crudelis* ab Anno 1357. úsque ad Annum 1368.

Ferdinandus, Petri Filius ab Anno Domini 1368. úsque ad annum 1383.

Joannes, Petri Nothus, declaratur Rex Lusitaniæ, Anno Christi 1383. Rexit Regnum Annis 50.

Reges Siciliæ, & Neapolis.

Carolus II. *Claudus*, Caroli Andagavensis Filius, utriúsque Siciliæ Rex, & Neapolis, à *Lora* Calabro Admiralio Petri Regis Aragoniæ, navali prælio victus & captus Anno 1284. quadriennio post, eâ conditione ex carcere dimissus est, ut Aragonijs Siciliam cederet, & Regno Neapolitano contentus esset, obijt Anno 1309.

Robertus Dux Calabriæ, Rex Neapolis, cœpit regnare Anno 1309. obijt 13 3 Vitæ 69. Regni 34.

Joanna Filia Caroli Ducis Calabriæ, & neptis prædicti Roberti, designa-

est Regina Neapolis, eâ lege, ut nuberet Andreæ Hungaro, Nepoti Caroli Martelli Hungariæ Regis, suo agnato, quod fecit, & simul cum eo regnare cœpit, Anno 1343. sed eundem anno 1345. strangulavit. Quamobrem, à Ludovico Rege Hungariæ, Regno ejecta est, quod tamen recuperavit ope Clementis Papæ, sed demum à Carolo Dyrrachino, strangulata est in eodem loco, quo illa Andream maritum strangelaverat. Anno Domini 1382.

Carolus III. regnavit ab Anno 1382. obijtque Anno 1386.

Ladislaus ejusdem Filius, ab Anno 1386. & supervixit hoc Sæculum, moriens Anno 1414.

Reges Scotiæ.

Joannes *Baliolus* declaratus fuerat Rex Scotiæ Anno 1286.

Robertus occupat Regnum Scotiæ. 1309.

David II. Roberti filius infans, succedit in Regnum. Anno 1332. quo mortuo sine liberis, Anno 1373. creatur in Regem Robertus II. Nepos Alani Stvardi, eodem anno 1373. cui succedit, Joannes Roberti Stvardi Filius, Anno 1392. regnavitque annis 14.

Reges Angliæ.

Odvardus IV. obijt Anno 1307. coronatus Anno 1282.

Odvardus V. Filius Odvardi IV. obijt 1327.

Odvardus VI. Filius Odvardi V. regnavit annis 50. obijt 1377.

Richardus II. Nepos Odvardi VI. qui regnavit ad finem hujus Sæculi, & in carcere perijt.

Reges Hungariæ.

Andreas III. Venetus, obijt Anno 1301.

Venceslaus Filius Venceslai II. Regis Bohemiæ, cedit Regno 1304.

Ottho Dux Bavariæ, cedit Regno 1308.

Carolns, filius Caroli Martelli obijt 1342.

Ludovicus, Caroli seu Caroberti Filius obijt 1382.

Maria Ludovici Filia, & Sponsa Sigismundi, succedit Parenti, & gubernat sola Regnum, ad annum 1386.

Quo evocatur à nonnullis Proceribus Hungariæ, Carolus Dyrrachius, Rex Neapolis, sed eodem Anno ceditur.

Sigismundus Sponsus Mariæ, evocatur ad Regendam Hungariam, Anno 1387. Superat in regimine hoc Sæculum, mortuus Anno 1437. ætatis 70. Regni 50.

Reges

Reges Poloniæ.

Venceslaus Rex Bohemiæ, pulso Uladislao Loctico, fit Rex Poloniæ, 1300. obijt 1305.

Uladislaus Locticus, revertitur ad Regnum 1305. obijt 1333.

Casimirus III. *Magnus*, Uladislai Filius, obijt sine liberis 1370.

Ludovicus Hungariæ Rex, simul & Poloniæ, obijt 1382. Interregnum.

Uladislaus Jagello cœpit regnare Anno 1386. & regnavit Annis 48. mortuus Anno 1434.

Reges Bohemiæ.

Venceslaus IV. obijt, Anno 1305.

Venceslaus V. ejusdem Filius obijt. Anno 1306.

Rudolphus Austriæ Dux obijt 1307.

Henricus Carinthiæ Dux, ac Tyrolis Comes, pulsus à Joanne Lutzemburgico. Anno 1312.

Joannes Lutzemburgicus cæsus in prœlio. Anno 1346.

Carolus IV. Imperator obijt 1378.

Venceslaus VI. Caroli IV. Filius, cognomento Ignavus, obijt 1419.

CATALOGUS IV.

Continens Nomina Scriptorum Ecclesiasticorum Decimiquarti Sæculi.

Ex Summis Pontificibus, Clemens V. & Joannes XXII.

Augustinus Triumphus Augustinianus.

Guilelmus de Nangiaco, Monachus S. Dionysij.

Barlamus, Episcopus Hieracensis.

Siffridus, Presbyter Misnensis.

Eberardus Archi-Diaconus Ratisbonensis.

Hugo à Prato.

Antonius Andreas Minorita.

Franciscus Majronis Minorita, Scoti Discipulus.

Petrus de Plaudeal, Dominicanus.

Durandus de S. Porttiano Dominican.

Guilelmus Okam Minorita.

Nicolaus Haiquevillæus.

Herveus Natalis, Dominicanus.

Nicephorus Gregoras, Historicus Græcus.

Alvarus Pelagius, Minorita.

Ludolphus Carthusianus.

Guido *Carmelita.*

Petrus Aureolus, Minorita.

Joannes Villanus, Historicus.

Astesanus Astensis, Author Summæ Astensis.

Adamus Goddam, Anglus.

Lupoldus Bambergensis.
Bartholomæus Pisanus, Dominicanus.
Joannes Calderinus, Bononiensis.
Simon de Cassia, Augustinianus.
Petrus Bertrandus, Cardinalis.
Joannes Bacco, Carmelita.
Albericus Roxianus.
Henricus Suzo Dominicanus.
Joannes Thaulerus, Dominicanus.
Robertus Holkot, Dominicanus.
Gregorius Arimensis, Augustinianus.
Thomas Argentinus, Augustinianus.
Nicolaus Gebasilas, Græcus.
Nicolaus Gorram, Dominicanus.
Alphonsus Vargas, Archi-Episcopus Hispalensis.
Porchetus, cognomento Salvatias.
S. Brigitta Vidua Sueca.
Joannes Capacuzenus, Græcus Author.
Petrus Berchorius, Philosophus Historicus.
Henricus à Balma.
Jacobus de Alta Villa.
S. Catharina Senensis, Ordinis S. Dominici Monialis.
B. Raymundus Capuanus.
Manuel Caleca, Græcus.
Henricus de Hassia, Carthuzianus.
Gerardus de Zutphania.
Joannes Rusbracchius.
Jacobus Peretz de Valentia, Augustinianus.
Galtericus Disse, Carmelita.
Paulus Venetus, Augustinianus.

CATALOGUS V.

Continens Nomina Scriptorum Prophanorum Decimi quarti Sæculi.

Dynus Mugellanus.
Petrus de Bella Pertica.
Jacobus de Arena.
Jacobus de Butrigarijs.
Oldratus de Ponte.
Cynus Sigisbuldus.
Bartholus Jurisconsultus.
Gentilis Fulginas, Medicus.
Dynus Florentinus, Medicus.
Dantes Algerius Poëta.
Joannes Meunius, Poëta.
Franciscus Petrarcha, Poëta.
Joannes de Columna, Historicus.
Guido Perpinianus, Canonista.
Joannes Andreas, Canonista.
Joannes Procatius, Poëta, Philosophus, & Astronomus.
Joannes Aventinus, Annalista.
Baldus Angelus, & Petrus Fratres, Juris Consulti.
Bartholomæus de Saliceto Juris-Consultus.
Emanuel Chrysoloras, Constantinopolitanus. Græcus.

CATALOGUS VI.

Personarum Sanctitate Illustrium, Decimi quarti Sæculo.

S. Nicolaus Tolentinus, qui in Cœlum migravit. 1306.

S. El-

S. Elzearius Comes, defunctus. 1325.
S. Rochus moritur. 1327.
S. Brigitta vidua, defuncta. 1368.
S. Catharina Senensis, mortua Anno 1380.

CATALOGUS VII.

Hæresiarcharum, & Hæresum præcipuarum, Decimi quarti Sæculi.

Begvardi Dulcimistæ,
Barlaam & Acindynus,
Jacobus Justi, & Bononatus,
Lodhardus Walterus,
Joannes de Polliaco,
Richardus Armacanus.
Bertholdus de Borbach.
Bartholomæus Janovesius, Turelupini.
Joannes Wicleffus.

CATALOGUS VIII.

Conciliorum Decimo quarto Sæculo celebratorum.

Concilium Viennense. 1311.
Concilium Moguntinum Provinciale. 1327.
Concilium Ariminense. 1317
Anglicanum. 1441.
Parisiense. 1394.

CATALOGUS IX.

Eventuum Memorabilium Decimi quarti Sæculi.

1. Clemens V. Papa, ob Seditiones Italiæ, Sedem Apostolicam, Româ, Avenionem transfert 1305. quæ ibi mansit ad Annum 1376. quo illam Gregorius XI. Romanæ Urbi restituit.
2. Equites Sancti Joannis Hierosolymitani, Rhodum Insulam Turcis eripiunt. 1309. Unde Rhodij Equites appellari incipiunt.
3. Joannes, Rex Armeniæ, Regnum Nepoti Filio dimittens, fit Religiosus S. Francisci.
4. Aurelianensis Universitas, à Philippo Pulchro, Galliarum Rege erigitur. 1312.
5. Visæ simul in Cœlo tres Lunæ 1314.
6. Ordo Militaris JESU Christi, instituitur in Portugallia 1326.

7. Grassatur maxima, eáque Generalis pestilentia Anno 1348.
8. Jubilæum à 100. annis ad 50. annos limitatur, per Clementem VI. Anno 1350.
9. Avenio in Gallia, à Joanna Regina, Neapolis Clementi VI. venditur.
10. Universitas Pragensis fundatur 1360.
11. Fundatur Universitas Cracoviensis 1361.
12. Ordo Montis olivarum, instituitur 1370.
13. Lithvania tota ad Fidem Christianam convertitur 1386.
14. Universitas Andegavensis instituitur Anno ferè 1398.



CONTINUATIO SYNOPSIS CHRONOLOGICÆ TERTIÆ, RERUM ECCLESIASTICARUM.

Continens Res memorabiles Ecclesiæ, Decimi quinti Sæculi, seu ab Anno Christi: 1400. úsque ad Annum 1500.

ANnó 1401. Bellum Anglos inter, & Scotos recrudescit, átque hi prælio in Anglia victi ab Henrico Rege die 7. Maij, pereunte totâ ferè nobilitate Scotiæ. Sigismundus Rex Hungariæ, à conjuratis carceri includitur, evocato Ladislao Rege Neapolitano, qui úsque Jaderam in Dalmatiam jam pervenerat; interim Sigismundus operâ Matris Gararum fratrum duorum, quibus custodiendus traditus fuerat, vinculis solutus, in Bohemiam fugit, indéque cum exercitu rediens, Regnum Hungariæ recuperat, pulso Ladislao Neapolitano, qui tamen Jaderam Venetis vendit, ac sic Neapolim redit.

1402. Mortuo Tamerlane, duobus ejus filijs inter se diffidentibus, Imperium ejusdem redit ad Ottomanos. Emanuel Imperator Græcorum, de auxilijs Christianorum Principum desperans, redux Constantinopolim cum Machomete Turcarum Rege pacem inire cogitur. David filius Scotiæ libidinosè vivens, à Patre suo Roberto, in carcerem datus, fame necatur.

1403. Hospitalarij Rhodi equites, Sultanum Ægypti *Saladinum*, in tan-

tantùm vexant, ut turpem, & ignominiosam sibi, cum illis pacem ferire, compulsus fuerit. *Jacobus Luzignanus* Rex Cypri moritur, succedit eidem filius *Genaus.* Capta est hoc anno ad Edannem civitatem Hollandiæ, *Siren*, quæ ornata veste *Harlemum* deducta, humano more didicit vivere, ita, ut dein mortua, ritu Christianorum fuerit sepulta.

1404. Bonifacius Papa IX. moritur, ad quem Benedictus Antipapa miserat legatos de pace facienda, verùm illius morte interveniente, res non est effectum suum sortita. Quare Romæ substituitur in locum defuncti Bonifacij *Cosmas Meltoratus* Sulmonensis qui coronatus est 2. Novembris, & nominatur *Innocentius VII.* Moritur hoc eodem anno *Philippus Burgundus*, *intrepidus* dictus, in stabulo, seu taberna diversoria, Hallis in oppido Hannoniæ. Succedit eidem filius *Joannes* cognomine Audax. Angliæ Regem Ecclesias spoliare cogitantem, Thomas *Arundelius*, Archi-Episcopus Cantuariensis, constanter, & fortiter inhibet.

1405. Innocentius VII. Papa, ob exortos tumultus, Romam relinquere cogitur, átque Viterbium se recipere. Appellit & Benedictus Antipapa *Genuam*, quæsiti interim à Cardinalibus utriúsque partis concordiæ modi, irrito tamen conatu. Anglia, & Gallia laborant tam domesticis, quàm externis dissidijs. Ordo Canonicorum Sæcularium, Venetijs à Beato Laurentio Justiniano instituitur.

1406. Innocentius VII. Papa, in Urbem revocatur, & paulò post ibidem moritur. In ejusdem locum eligitur à Romanis Cardinalibus *Angelus Corarus*, Venetus, vir doctus, ac pius, assumpto nomine Gregorij XII. Robertus Rex Scotiæ moritur ex mœrore capti alterius sui filij Jacobi, ab Anglis, pro quo in captivitate constituto, Regni administrationem suscepit ejusdem Patruus, & ipse nomine Robertus. Obijt & Henricus Castellæ Rex succedente eidem Filio Joanne 22. Mensium puero.

1407. Agitur magnis viribus de concordia inter Benedictum, & Gregorium XII. operâ Cardinalium utriúsque partis, & Regis Francorum, selectâ Urbe Saonâ ad conventum, sed res tota rursus in ventos abijt. Ludovicus Dux Aurelianensis, frater Caroli VI. Regis Galliarum, jussu Joannis Burgundiæ Ducis cæditur. Ordo Monachorum Montis Oliveti instituitur. Joannes Huss Bohemus, recoquens Wicleffi, & Valdensium hæreses, & multa de suo addens, cum Hieronymo Pragensi, novam hæresim consarcinat, & in vulgus spargere incipit.

1408. Gregorius Papa, novos Cardinales creat. Absente Pontifice Viterbij. Ladislaus Rex Neapolitanus, Romam recuperare tentat, sed à Paulo Ursino Pontificis Duce repellitur, Neapolímque redire cum exercitu cogitur.

Benedictus Antipapa, metu Gallorum, in Catalauniam patriam suam fugit. Pisanum concilium ad tollendum schisma, Ecclesiæ indicitur, ad illúdque utérque Pontifex evocatur. Joannis Huss doctrina, ab Academia Parisiensi damnatur.

1409. Celebratur Concilium Pisanum in causa schismatis, cui Patriarchæ 3. Archi-Episcopi 180. Episcopi, & Abbates 300. Doctores 282. interfuêre, âtque in eo depositi Benedictus, & Gregorius, datâ facultate Cardinalibus creandi novi Pontificis. A quibus proinde eligitur in Pontificem Petrus Philargus Bononiensis, sed in Creta Insula enutritus Minorita Cardinalis, dictúsque est Alexander V. Quibus auditis Gregorius, & Benedictus fugiunt, ille Avenionem, hic verò Barcinonem.

1410. Alexander V. mense sui Pontificatûs duodevigesimo Bononiæ moritur, cui sufficitur à Cardinalibus Balthazar Costa Cardinalis Neapolitanus, dictúsque est Joannes XXIII. Moritur Robertus Romanorum Imperator, cui ab Electoribus subrogatus est Jodocus Marchio Moraviæ, qui tamen sex duntaxat mensibus Imperio præfuit. Poloni sub Wladislao Jagellone Rege, in Prussia, duobus magnis prælijs, ingentem de Prussis, & Equitibus cruciferis reportant victoriam. In Anglia Joannis Huss scripta tanquam hæretica, publicè per carnificem exuruntur.

2411. Joannes XXIII. Romam venit, Ladislao Rege Neapolitano turbarum motore devicto. Jodocus Rex Romanorum moritur 20. Martij, quô eodem Mense creatur Rex Romanorum, Sigismundus Hungariæ Rex.

1412. Joannes Huss suas hæreses per Bohemiam disseminat, occasione usus Albici Archi-Episcopi Pragensis, supinâ ignaviâ, & sorditie, sordibus ipsis sordidiore, âtque vix credendâ avaritiâ. Sanctus Vincentius Ferrerius plurimos Judæos in Hispania ad fidem Christi convertit. Sigismundus Imperator, venit in Italiam, & cum Pontifice egit de Concilio Constantiensi indicendo, ad tollendum schisma.

1413. Ladislaus Neapolitanus Rex, astu Romam occupat, eámque turpiter expilat, vix effugiente illius manus Pontifice Joanne, ac Cardinalibus ejusdem. Henricus IV. Rex Angliæ moritur, succedit eidem Filius Henricus V. Samogitia Poloniæ Provincia, fidem Christianam amplectitur, adnitente Jagellone Poloniæ Rege.

1414. Wicleffistæ & Hussitæ in Bohemia insaniunt. Concilium Constantiense inchoatur, cui interfuêre Joannes Papa, & Sigismundus Imperator, Patriarchæ 4. Cardinales 29. Antistites 270. Doctores 564. Ladislaus Neapolitanus Rex moritur, succedit eidem Joanna II. ejusdem uxor. Joannes Huss citatus à concilio, venit Constantiam.

1415. Joannes XXIII. Papa, & Benedictus XIII. deponuntur à Concilio

lio Conſtantienſi, Gregorius verò ipſemet ſponte renunciat Papatui, conſentiendo in ſui depoſitionem à Concilio Piſano factam; factúmque Decretum, ne ullus ex tribus dictis eligatur in Pontificem. Acta hujus Concilij hoc anno producuntur, úsque ad ſeſſionem vigeſimam. In eodem Concilio Joannes Huſs, & Hieronymus Pragenſis Hæretici convincuntur,& ille quidem tanquam pertinax, flammis addicitur, atque comburitur; hic verò ſuam hæreſim coram Concilio ejurat, ac damnat, ſed mox fugit; verùm à fuga retrahitur, & reductus Conſtantiam, carceri includitur. Franci ab Anglis prælio vincuntur, in quo pereunt 10000. Francorum, cum magno Nobilium numero. Machometes Calebinus, Turcarum Rex, Hadrianopolim, ſedem Regni ſui ſtatuit.

1416. Ferdinandus Rex Argoniæ moritur,ſuccedit eidem filius Alphonſus cognomento magnanimus. Concilium Conſtantienſe reaſſumitur, in quo ſeſſione XXI. Hieronymus Pragenſis rurſus condemnatur, & vivus ibidem exuritur. Hernoa Dux Boſniæ, injurijs quorundam magnatum Hungariæ irritatus, à Corona Hungariæ ad Turcam deficit, & acceptis à Machomete copijs, Hungaros prælio vincit.

1417. In Concilio Conſtantienſi,eligitur ſummus Pontifex *Otho Columna* Romanus, Diaconus Cardinalis, 11. Novembris, in feſto ſancti Martini, qui ſe ideo Martinum V. nominari voluit, ſicque ceſſavit diuturnum Eccleſiæ ſchiſma. Bohemi ſupplicijs Joannis Huſs, & Hieronymi Pragenſis efferati, plurimas diruunt Eccleſias Catholicorum.

1418. Concilio Conſtantienſi finis imponitur, quod tribus annis, & ferè ſex menſibus tenuit, & approbatum etiam eſt à Martino in omnibus, quæ ſpectârunt ad fidem,non item quoad ultimus illius ſeſſiones. Martinus Papa relictâ Conſtantiâ, confert ſe Mantuam, & inde Florentiam, néque enim ſtatim Romam adire potuit, ob nec dum ibidem ſedatos tumultus.

1419. Emmanuel Imperator Orientis, inconſultè, Imperij jam aliunde, ſatis infirmi ditiones, inter quinque ſuos liberos dividit, ac partitur, eâ diviſione, in ultimam ruinam Imperium præcipitaturus. Martinus Papa, Cardinales Benedicti Antipapæ, uti & ipſum Joannem XXIII. recipit in gratiam, & benevolè habet. Sanctus Bernardinus eximius cultor Nominis Jesu, mirabiles fructus ſuis concionibus ferventibus in animis fidelium excitat. Wenceslaus Bohemiæ Rex, cognomento *ignaro*, Huſſitis hæreticis Pragam turbantibus, ex pavore in paralyſim incidens moritur. Sanctus Vincentius Fererius, clarus in vita, & poſt mortem maximis miraculis, in Cœlum migrat.

1420. Multifarij hæretici Bohemiam atrociter vexant. Quorum potiſſimi fuêre *Huſſitæ*; Duce fortiſſimò, licèt monoculo *Ziska* nuncupato. *Picarditæ*, item, qui & *Adamitæ* dicebantur, ac *Orebitæ*. Sigismundus Imperator, contra

contra Hussitas cruce promulgatâ, grandem ducit exercitum, qui tamen infeliciter cum ijsdem pugnat. Martinus V. Papa Romam venit, quàm mirè devastatam, ac ruinatam reperit, sed brevi tempore eandem summâ industriâ restaurat. Amadeus Dux Sabaudiæ, ordinem militarem Annunciationis Deiparæ instituit. Madera Insula fertilissima à Lusitanis detegitur.

1421. Hussitæ de Sigismundo Imperatore victores, Pseudo-synodum indicunt Pragam, mox tamen inter se dissident, quibusdam usum calicis tantùm retinentibus (unde Calixtini dicti) alijs errores simul Wigleffi, & Hussi propugnantibus. Machomete Rege Turcarum mortuo, succedit Amurathes II. Delphinus Franciæ Carolus, auxilio Scotorum Anglos vincit. Flandria, Hollandia, Zelandia, ab æstu maris penè obruuntur, 72. magnis pagis aquâ demersis.

1422. Hussitæ contra Regem Sigismundum, Regnum Bohemiæ Wladislao, seu Jagelloni Regi Poloniæ, ac deinde Vitondo Duci Lithvaniæ, deferunt, quod tamen utèrque illorum constanter, & sanctè recusant. Obijt hoc anno Henricus Rex Angliæ, propè Parisios 29. Augusti, quem eodem anno secutus est Generum socer, Carolus VI. Rex Franciæ, moriens 21. Octobris.

1423. Martinus V. Papa, Jubilæum indicit. Defuncto sine prole Alberto Duce Saxoniæ Imperator Electoratum ad Fridericum Marchionem Misniæ, & Landgravium Thuringiæ transfert. Amurates Rex Turcarum Epiro sibi subactâ, accipit à Joanne Castrioto Principe, tres filios obsides, quorum natu minimum egregiæ indolis, in re bellica exerceri facit, & *Scandarbegum*, hoc est Alexandrum Dominum nominat.

1424. Benedictus Antipapa mense Majo, annorum 90. moritur, duo soli Cardinales, qui eum sectabantur, substituunt illi Ægidium Munonium, Canonicum Barcinonensem, qui tamen postmodum Pseudo-Pontificatum abdicans, & Martino Papæ reconciliatus, factus est Episcopus Majoricæ. Jacobus I. Scotiæ Rex, post 18. annorum captivitatem, grandi pecuniâ liberatus, Regnum ab Angelis recuperat. *Ziska* Dux Hussitarum, ab Imperatore pecuniâ victus, & peste tactus moritur. Eo mortuo Hussitæ in duas factiones secti sunt, quarum una appellabatur Orphanorum, altera Thaboritarum, Orebitis sejunctis permanentibus. Contra quos Jagello Poloniæ Rex selectorum 5000. Equitum Sigismundo in auxilium submittit.

1425. Moritur Emmanuel Imperator Græcorum, cui succedit, Joannes VII. Filiorum natu maximus. Circa hæc tempora floret Beata Coleta, Clarissarum Reformatrix. Ordo Eremitarum sancti Hieronymi, Romæ instituitur.

1426.

1426. Sultanus Ægypti *Sigittara* dictus, Insulam Cyprum vastat, urbésque omnes, præter Famaugustam occupat, Regémque ipsum Joannem capit.

1427. Hussitæ grassantur per Germaniam, licèt inter se diffidentes, ac divisi in tres factiones, Thaboritarum, Pragensium, vel Orebitarum, & Orphanorum, átque in Catholicos sæviunt. Joannes Brabantiæ Dux, Lovaniensem Academiam erigit.

1428. Bononienses in Pontificem rebellant; quare urbs eorum subjicitur interdicto. Beatus Laurentius Justinianus, ex Monacho, Patriarcha Venetus sanctitate & sapientiâ floret.

1429. Puella Aurelianensis, Joanna dicta, res Gallorum ad extrema redactas, divinitus inspirata, equô & veste virili, ac armis instructa, crebris, & victoriosis eruptionibus, Anglos obsidionem Aurelianensem solvere cogit, multásque Urbes Anglis eripit, ac non pauca prælia feliciter agit. Obeunt hoc annô duo præclari sui temporis scriptores, *Paulus Venetus*, & *Joannes Gerson*, celebris Academiæ Parisiensis Cancellarius.

1430. Philippus Dux Burgundiæ, ordinem Equitum Aurei velleris instituit. Puella Aurelianensis, post multas reportatas victorias, ab Anglis capitur, & viva exuritur.

1431. Thessalonica, Urbs Græciæ nobilis, à Turcis occupatur. Sigismundus Imperator adversùs Hussitas, Silesiam, & Austriam crudeliter vastantes, grandem exercitum parat. Concilium Basiliense indicitur, átque inchoatur. Martinus V. Papa moritur, átque in ejusdem locum eligitur Gabriel Condelmerus Venetus, dictus Eugenius IV.

1432. Sigismundus Imperator, Romæ ab Eugenio Pontifice aureâ Coronâ coronatur. Hussitæ ad Concilium Basiliense literis securitatis, quas *Salvi conductus* vocant, invitantur.

1433. Recipiuntur 300. Hussitæ in Concilio, & patienter auditi, cum Legatione eruditorum virorum Pragam revertuntur, per quos misêre Hussitæ quatuor postulata Concilio, quæ etiam leniter mutata, recepta sunt, & cum ijsdem pax confecta. Thaboritæ tamen, & Orphani recusârunt acceptare hæc compactata.

1434. Basileæ Legati Græcorum, cum literis Joannis Palæologi Imperatoris, & Josephi Patriarchæ Constantinopolitani, recipiuntur à Concilio sessione XIX. ac sessione XXI. Annatæ Beneficiorum Ecclesiasticorum abrogantur. Sigismundus Imperator, post cæsos cruento prælio Thaboritas, & Orphanos, ab omnibus Rex Bohemiæ acclamatur, & agnoscitur. Objit hoc

anno Wladislaus Jagello Rex Poloniæ cum annis unde quinquaginta regnâsset, vir admodum liberalis, & valdè pius, succedit eidem Wladislaus II. filius.

1435. Albertus Archi-Dux Austriæ, Gener Sigismundi Imperatoris, interea, dum Sigismundus conatur reformare Imperium, cum Hungaris adversùs Turcas feliciter pugnat. Florentiæ conspiratio contra Pontificem Eugenium detegitur. Errores Augustini de Roma, Archi-Episcopi Nazareni, sessione XXII. in Concilio Basiliensi, damnantur.

1436. Idem Concilium Basiliense, sessione XXIII. certum numerum Cardinalium decernit, átque ut hi crearentur, ex omnibus nationibus Christianitatis, viri graves, docti, rerum gerendarum gnari, & ætate maturi, constituit. Alphonsus Aragonicus Romam occupare tentat, sed â Joanne Vitellesco, Archi-Episcopo Florentino repellitur. Bohemi in Conventu Iglaviensi, Sacræ Sedi reconciliantur, & ab anathemate solvuntur. Jacobus I. Scotiæ Rex, à perduellibus 28. vulneribus confoditur. Succedit Patri Jacobus II.

1437. Joannes Imperator Græcorum agit cum Eugenio Papa per Legatos, de unione Ecclesiæ Græcæ cum Latina. Sigismundus Imperator annorum 70. moritur. Succedit eidem Albertus Austriacus in Regna Hungariæ, & Bohemiæ; Princeps donis naturæ, & multis virtutibus instructissimus. Concilium Basiliense authoritate Eugenij Papæ Ferrariam transfertur.

1438. Concilium Ferrariense inchoatur, huic interfuit etiam Joannes Græcorum Imperator, cum fratre suo Demetrio, & Josepho Patriarcha Constantinopolitano, multisque alijs Antistitibus Græcis. Expectabantur illuc etiam Patres, qui congregati fuerant Basileæ, ad certum, & præfinitum tempus, sed pars una illorum eo venire recusavit. Albertus Austriacus hoc eodem anno coronatur in Regem Hungariæ Albæ regalis, kalendis Januarij. In Regem Bohemiæ 3. kalendas Julij, Pragæ. In Regem Romanorum, 13. kalendas Aprilis, Francofordiæ. Concilium Basiliense, refractarijs Basileâ Ferrariam venire recusantibus, degenerat in Conciliabulum. Et quoniam Ferrariæ grassabatur pestis, post habitas ibidem aliquot sessiones, decretum est, synodum inde transferri Florentiam.

1439. Initium datur mense Februario Concilio Florentino, vel rectiùs Ferrariæ cœptum continuatur, in eóque Græci, & Latini de processione Spiritûs Sancti, & alijs capitibus conveniunt. Armeni quóque Catholici *Florentiam* ad Concilium veniunt, & se instrui, dirigi, ac doceri, si in aliquibus aberrâssent petunt, ac fidei professionem edunt. Interim Basilienses in sua pervicacia permanentes, Eugenium Papam deponunt, & in novum Pontificem, Amadæum Ducem Sabaudiæ eligunt, eúmque Felicem V. nominant. Albertus Impera-

perator, Hungariæ, & Bohemiæ Rex, in expeditione contra Turcas, Hungariam infestantes, dissenteria ex esu immoderato peponum moritur.

1440. Ditiones Alberti Imperatoris, utpote sine superstite hærede defuncti, variè subdividuntur. Nam in Imperatorem Romanorum electus est Francofordiæ ab Electoribus Fridericus IV. Austriacus, Filius Ernesti Archi-Ducis, ac Alberti patruelis. In Regem Hungariæ evocatus est Uladislaus Poloniæ Rex, interim verò Elisabetha Regina vidua, parit præter spem, & expectationem suam, Filium *Ladislaum posthumum*, ac cum eodem, & Coronâ, fugit ad Fridericum Imperatorem in Austriam, tanquam ad Tutorem, ac consanguineum recens nati Filij. Unde magnæ turbæ in Hungaria fuêre exortæ. Bohemi demum eligunt in Regem Albertum Bavariæ Ducem, ac dein illud Friderico Imperatori offerunt; sed hi acceptare illud magnanimitate recusant, dicentes Regnum illud deberi, *Ladislao posthumo*. Principes Christiani inter Eugenium, & Felicem dividuntur, alijs huic, alijs illi adhærentibus.

1441. Jacobitæ Orientales, hoc anno ad concilium Florentinum admissi Ecclesiæ reconciliantur. Joannes Corvinus Uladislai Regis Hungariæ militiæ Dux insignem de Turcis in Transylvaniam irrumpentibus, reportat victoriam.

1442. Legati Æthiopiæ veniunt ad Concilium Florentinum, & hujus continuatio transfertur Romam ad Basilicam Lateranensem, ad quod etiam Basilienses Patres invitantur ab Eugenio, qui tamen eidem interesse recusant. Hunniades jam Transylvaniæ Wajvoda, Amurathem Turcarum Regem ab obsidione Belgradi, magnâ clade repellit, & alijs prælijs victoriosis eundem atterit. Quâ occasione usus Scandarbegus, *Epyrum* patriam suam repetit, & occupat, ac à Turcis ad Christianos deficit.

1443. Conciliabuli Basiliensis finis imponitur. Eugenius Papa Romæ magnificè suscipitur, & Concilium Lateranense indicit. Amurathes Turcarum Rex, cum Wladislao Rege Hungariæ, decennalem sat æquis conditionibus pacem init.

1444. Sultanus Ægypti, Rhodum obsidet, sed ab equitibus Rhodijs fortiter, & cum ignominia reijcitur. Bellum in Turcas Christiani parant, ut ij Europâ eijcerentur. Ad quorum invitationem etiam Wladislaus Hungariæ Rex, paulò ante initam pacem, cum Amurathe rumpit, ac ad Varnam oppidum Myssiæ, cum eo congreditur, ac cruentissimo prælio ab eo victus, fortissimè pugnans cæditur. Celebratur Romæ ad Basilicam Lateranensem prima sessio, sed quoad continuationem Synodi Florentinæ XXXI. Obijt hoc anno sanctus Bernardinus Senensis.

1445. Ladislaus posthumus, renunciatur Rex Hungariæ, & Bohemiæ,

cujus loco donec adolesceret, constituuntur Gubernatores Regnorum; Hungariæ quidem Joannes Hunniades, Bohemiæ autem Georgius Podebrachius. In Polonia verò electus est Casimirus Wladislai Frater. Joanni Palæologo defuncto Imperatori Constantinopolitano succedit Constantinus XV. & ultimus. Orientales Ecclesiæ, præsertim Chaldæorum, & Maronitarum reconciliantur Romanæ, tanquam Universali Ecclesiæ.

1446. Germania neutralitatem deponit, & agnoscit pro vero ac legitimo Pontifice Eugenium. Oceanus ad Dordracum effusus 17. Aprilis, ruptis aggeribus, plusquam centum millia hominum, & pecudum innumerabilem numerum interimit. Incipit bellum inter Amurathem, & Scandarbegum, gloriosissimum, ac victoriosissimum Ducem.

1447. Eugenius Papa excedit è vivis, cui succedit Nicolaus V. tenui genere ortus, sed vir doctissimus, & omnibus dotibus corporis, animíque illustris, qui omnibus modis Pontificatum à se amoliri studuit, nec nisi invitus, ac propè coactus eundem, suscepit. Ejus prima cura fuit universalem pacem inter Principes Christianos facere, ac deinde Bibliothecam Vaticanam, undequáque libris exquisitis locupletare.

1448. Joannes Hunniades, triduò in campo Rigómezô cum Amurathe pugnat, primò, & secundò victor, tertiò victus recedit, relictâ victoriâ, sed prorsus cruenta Amurathi. Cæsa sunt in hoc Prælio Christianorum octo, Turcarum 24. millia. Imperator Fridericus, multique alij Christiani Principes, conantur revocare Felicem V. Antipapam à schismate.

1449. Felix V. hoc anno magno Ecclesiæ bono Pontificatum abdicat. Bellum inter Anglos, & Gallos recrudescit.

1450. Jubilæum celebratur Romæ, maximo Christianorum ex omnibus partibus concursu. Sanctus Bernhardinus Senensis, in numerum sanctorum refertur. Amurathes Crojam Metropolim Epyri obsidet, propugnante eandem Scandarbego.

1451. Amurathes Turcarum Rex, obsidionem Crojæ turpiter solvere cogitur, Scandarbego eam strenuissimè defendente, ac ex mœrore, & apoplexia, immodicóque haustu vini, extremum claudit diem. Succedit eidem Mahometes II. viginti & unius anni juvenis, qui ne pater solus sepeliretur, fratrem strangulari, & utrúmque funus, Regio apparatu peragi jussit. Fridericus Romanorum Rex, in Italiam pergens, Ladislaum puerum jam duodennem, & Hungariæ, & Bohemiæ Regem secum abducit. Joannes Capistranus, mira per Germaniam concionando præstat.

1452. Fridericus Romanorum Rex, in Italiam cum Ladislao Rege Hungariæ & Bohemiæ, suóque fratre Alberto, magnóque nobilium comitatu, Ro-

Romam venit, & à Pontifice cum sua conjuge, Imperiali aureâ Coronâ, coronatur. Redux in Austriam Cæsar, à suis Neostadij obsidetur, & Ladislaum posthumum reddere cogitur, quem Tutoris retinebat titulo. Ladislaus itáque jam suæ potestatis factus, Hunniadem (deposito tamen Gubernatoris titulo) Hungariæ, Bohemiæ Podebrachium, Austriæ Ulricum Comitem Ciliæ præfecit. Machometes Athenas solo æquat, ad obsidendam Constantinopolim se accingit.

1453. Mahometes Rex Turcarum, terrâ maríque Constantinopolim obsidet, & fortissimè oppugnat, ac tandem vi expugnat, ac diripit. Constantinus Imperator vulneratus lethaliter, à populi fugientis oppressione extinguitur. Cæsa sunt à Turcis in Urbe 40. millia hominum, 60. millia capta, ac divendita, thesauri immensi omnes direpti. Ita imperium Græcorum post annos 1122. à Constantino Magno fundatum, in Constantino XV. concidit, & translatum est ad Othomannos. Interim Scandarbegus missos in se Turcas, egregiè retundit.

1454. Fridericus Imperator, Ratisbonam conventum indicit, de bello Turcis inferendo, sed Principes Christiani mutuis odijs maluerunt decertare, quàm causam Christi tueri. Nihilominus hoc eodem anno in conventu Francofortensi, decernitur bellum in Turcas, Joannes castellæ Rex, Regni suo anno 48. obit, eidemque succedit Filius, Henricus IV.

1455. Nicolaus V. Papa, dum bellum Turcicum promovet, exmœrore captæ Constantinopoleos moritur, vir sanctissimus, magnificentissimus, & eruditissimus cui substituitur Alphonsus Borgia Cardinalis Hispanus, dictus Calistus III. Hoc eodem anno obijt beatus Laurentius Justinianus, ætatis anno 74. primus Venetiarum Patriarcha.

1456. Joannes Hunniades, Mahometem Turcarum Imperatorem, Belgradum obsidentem, gloriosè repellit, cæsis 40. millibus Turcarum, in cujus victoriæ memoriam, Callistus III. Festum Transfigurationis Dominicæ, ad 6. Augusti, quâ die hæc victoria contigit, instituit. Verùm non ita multò post Hunniades Heros invictissimus, ex nimio labore in febrem incidens sanctissimè obijt.

1457. Ladislaus Hunniadis senior Filius, ob occisum Ulricum Ciliæ Comitem, Hunniadûm infestum hostem, capite jussu Ladislai Regis Budæ plectitur, ejúsque Frater minor natu *Matthias Corvinus*, annorum 15. in Bohemiam ad custodiendum Podebrachio traditur. Eodem anno Ladislaus Bohemiæ, & Hungariæ Rex, dum præstolatur sponsam Filiam Caroli Regis Franciæ, repentè non sine suspicione veneni, Pragæ extinguitur. Turcarum copiæ in Scandarbegum immissæ, rursus ab hoc Achille Christiano retunduntur, ac dissipantur.

tur. Uſſumcaſſanus quóque Perſarum Rex, excitatus à Caliſto Pontifice, Turcas invadit, torpeſcentibus interea Principibus Chriſtianis.

1458. Mahometes II. Turcarum jam Imperator, expugnata Corintho Urbe, Peloponeſo magna ex parte potitur, Demetrio, & Thomâ Palæologis inter ſe decertantibus, & per ſummam diſcordiam, ejusdem negotia promoventibus. In Regem Hungariæ creatur Matthias, Joannis Hunniadis junior filius, & è carcere Pragenſi, ad ſolium Regium evehitur. Podebrachius verò eodem anno, in Regem Bohemiæ proclamatur. Moritur Caliſtus III. jam Octogenarius, cui ſuccedit Æneas Sylvius patriâ Senenſis, ex nobili, ſed inope familia. Vir conſilio, ac induſtriâ potens, magnæque eruditionis, ac eloquentiæ, qui nomen Pij II. aſſumpſit.

1459. Pius II. Pontifex, in Concilio Mantuano, bellum contra Turcas decernit, ſéque ipſum pro hac expeditione Ducem offert. Verùm hic totus conatus ob vecordes diſcordias Chriſtianorum Principum evanuit. Thomas, & Demetrius Fratres Palæologi, dum reſiduam partem Peloponeſi ſibi invicem eripere volunt, totam perdunt, quam univerſam occupat Mahometes, eorundem mutuo concertantium, auxilio.

1460. Principes Orientis, invitant Occidentales in Turcas, pollicebantur illi aggredi Mahometem in Aſia, dum eum Chriſtiani in Europa diſtinerent, ſed ſurdis canebatur fabula. Pius Papa Baſilienſem; Albertus Auſtriacus, Friburgenſem in Briſgoia Academiam inſtituunt.

1461. Mahometes captâ Trapezunte, Trapezuntinum Imperium totum evertit, ac univerſam familiam Palæologorum in Græcia extinguit. Thomas tamen Palæologus Romam venit profugus, ac inops, ut ibidem ex aliena miſericordia viveret.

1462. Mahometes Turcarum Imperator, Valachiam invadit, & provinciâ illâ *Blodum* Wajvodam ſpoliat, ſuffecto ei fratre Draculâ. *Blodus* verò ad Matthiam Regem in Hungariam profugit, ſed ob ejusdem epiſtolam ad Mahometem datam, velut proditoriam, à Matthia in cuſtodiam datur, in eáque decennio integro detinetur.

1463. Boſniam Turcæ occupant, mox tamen Matthias cum ſuis Hungaris, Jajczam Provinciæ caput reoccupat. Veneti quóque Hungaris confœderati, bellum contra Turcam capiunt, excitati à Pio Pontifice, qui illud promovebat. Beatus Didacus Complutenſis migrat in cœlum.

1464. Fridericus Imperator, & Matthias Hungariæ Rex reſtitutâ huic ab illo Coronâ, pacem, & fœdus inter ſe ineunt. Pius II. Pontifex, dum Anconæ claſſem parat in Turcas, moritur, in ejúsque locum eligitur Petrus Barbus Venetus, dictúsque eſt Paulus II.

1465.

1465. Bellum diuturnum inter Regem Poloniæ Casimirum, & equites Teutonicos componitur, concessâ his à Rege Prussiâ, eâ conditione, ut juramentum fidelitatis eidem præstare obligarentur.

1466. Paulus Pontifex, Georgium Podebrachium Bohemiæ Regem, ob hæresim Hussitarum anathemate ferit, illúdque Matthiæ Regi Hungariæ donat. Romæ Sol visus tergeminus, multos terret.

1467. Ad hunc annum refert Brietius mortem Georgij Castrioti, seu Scanderbegi, qui per annos 24. cum exigua manu militum, potentiæ Turcicæ restitit, & Epyrum defendit.

1468. Matthias Hungariæ Rex Podebrachium invadit, suadente Pontifice, & aliquot Urbes eidem in Moravia eripit. Fridericus Imperator voti reus, cum exiguo Comitatu Romam peregrinatur, exceptúsque à Pontifice, cum eodem de bello Turcis inferendo consultat. Moritur Cardinalis à Turrecremata, Dominicanus, octuagenario major, insignis sui temporis scriptor.

1469. Matthias Rex Hungariæ, maximâ Bohemiæ parte occupatâ, coronatur ejusdem Rex, Georgio fugiente Pragam, cujus Filium captivum Rex in Hungariam ducit.

1470. Mahometes Turcarum Imperator Eubœam Insulam Venetis eripit; Chalcidem hodie Nigropontum, vi expugnat. Germania turbatur, dissidentibus inter se Friderico Imperatore, Casimiro Poloniæ, & Matthiâ Hungariæ Regibus.

1471. Georgius Podebrachius hydrope moritur, à Bohemis eligitur in Regem Wladislaus Casimiri Regis Poloniæ Filius natu maximus. Sed & Hungari quidam in Regem Matthiam conspirant, petito in Regem altero Filio Casimiri, Casimiro, qui pariter cum ingenti exercitu adfuit, sed à Matthia conspiratione detectâ præventus, recedere in Poloniam cogitur. Paulus II. Pontifex apoplexiâ obit, cui succedit Sixtus IV.

1472. Romanus Pontifex, Veneti, Rhodij Equites, & Rex Neapolitanus, suasu Ussumcassani Persarum Regis, expeditionem in Turcas suscipiunt, sed exiguo cum emolumento. Smirnam nihilominus dirripiunt, omnésque illius incolas abducunt. Ab alia autem parte Ussumcassanus in Turcas cum 50. millibus equitum irruit, Trapezuntémque ijsdem, & Neo-Cæsaream eripit.

1473. Mahumetes transmisso Euphrate, Ussumcassanum prælio vincit, absterritis Persis bombardarum usu, quibus Turcæ abundabant, & illi carebant. Ejúsque ditionem vastat, & Filium necat. Sanctus Franciscus de Paula, Ordinem Minimorum instituit, qui à Sixto IV. Papa confirmatur.

1474. Ussumcassanus se egregiè de Turcis vindicat, aliquot Provincijs ijsdem ereptis. Veneti quóque Turcis in Lemno Insula fortiter resistunt. Bel-

Bellum inter Hungaros, & Polonos de Regno Bohemiæ, inducijs interrumpitur.

1475. Jubilæum à Sixto IV. Romæ celebratur, quod multos, etiam Principes, Romam accivit. Stephanus Moldaviæ Wajvoda, Turcas memorabili internecione profligat. Judæi Tridentini Simeonem puerum Martyrio afficiunt.

1476. Stephanus Wajvoda Moldaviæ, in se irrumpentes Tartaros prælio vincit, & úsque ad Borysthenem fluvium cædendo insequitur. Moritur Jacobus Rex Cypri puer, & Veneti Regnum possessione capiunt, nomine Corneliæ, Matris Jacobi, quæ erat Veneta. Interea autem in Forojulio à Turcis, magna detrimenta patiuntur.

1477. Turcæ *Crojam* Epyri Metropolim deditione capiunt. Matthias Hungariæ Rex, armis Fridericum Imperatorem appetit. Interim Maximilianus ejusdem Imperatoris Filius ducit in uxorem Mariam Burgundam, ex qua intra annum vertentem, natus est Philippus, Caroli V. Pater, & sic omnes Provinciæ Belgicæ, ac dein etiam Hispaniarum, ad Augustissimam Domum Austriacam, jure hæreditario transiverunt.

1478. Mortuus est hoc anno, ætatis 78. Ussumcassanus Rex Persarum, capitalis hostis Turcarum. Inquisitio fidei in Regno Castellæ instituitur, ac dein per alia quoque Regna propagatur.

1479. Matthias Rex Hungariæ, Ducibus Stephano Bathoreo, & Paulo Kinisio, insignem de Turcis refert victoriam, cæsis eorum triginta millibus. Imperium Moscoviticum, quod erat jam vectigale Tartaris, denuo erigitur, per Joannem Basilij, Magnum Ducem Moschoviæ, qui eorum jugum fortiter excussit.

1480. Equites Rhodij Turcas ab obsidione Rhodi repellunt. Ast Achmed Bassa Hydruntum Calabriæ, post obsidionem 17. dierum capit, & crudelissimè in cives sævit. Tum Principes Italiæ relictis dissidijs, & advocato Matthiæ Regis Hungariæ auxilio, fœdus contra Turcas ineunt. Tentârunt Turcæ eadem occasione etiam Lauretanam Ædem expilare, sed vel ad illius aspectum, tanto terrore sunt correpti, ut vix fugâ se salvare possent.

1481. Moritur Machometes Turcarum Imperator, Christianitatis summus persecutor, & osor, succedit eidem Filius natu major Bajazethes.

1482. Bellum Granatense in Hispania contra Mauros exoritur. Tum autem Ferdinandus Rex impetrat à Sixto Papâ Bullam Cruciatæ, & Indulgentias, pro ijs, qui contra eosdem Mauros Fidei Christianæ hostes, pugnare voluerint, magno Christianitatis emolumento. Bajazethes, Aubussonio Magno Magistro Equitum Hierosolymitanorum, dono mittit manum dextram Sancti Joannis

Joannis Baptistæ, quæ recepta fuit Rhodi, cum ingenti lætitia, & nunc visitur in Sacello Aulico serenissimi Ducis, & electoris Bavariæ, Monachij.

1483. Hussitæ in Bohemia antiquos furores innovant contra Catholicos. Hoc eodem Anno, nascitur Islebij in Saxonia, magno Ecclesiæ, & totius Christianitatis malo, *Martinus Lotter*, postea *Lauther*, qui ultimò dici voluit *Luther*. Bonum erat, si nunquam natus esset homo ille!

1484. Obijt hoc anno Sixtus IX. Succedit eidem Joannes Baptista *Cybo* nobilis Genuensis, dictus Innocentius VIII. Moritur sanctus Casimirus, secundò genitus Casimiri Poloniæ Regis, miraculis post mortem clarus. Regnum Congi, per Lusitanos detegitur.

1485. Sanctus Leopoldus Pius, Marchio Austriæ, in sanctorum Album adscribitur. Contigit hoc eodem anno, dira illa lues, dicta Anglicus Sudor, antea nunquam audita vel visa.

1486. Maximilianus Archi-Dux Austrius, Friderici Imperatoris Filius in Regem Romanorum Aquisgrani coronatur. Ferdinandus Rex Hispaniæ, prosperè pugnat contra Mauros Granatenses. Sultanus Ægypti, duos exercitus Bajazethis in Cilicia profligat.

1487. Damnatus est hoc anno, ab Innocentio, VIII. liber, 900. Conclusionum Joannis Pici, Mirandulæ & Concordiæ Comitis Qui anno ætatis 24. de rebus omnibus divinis, & humanis disputare conatus erat. Quarum 13. inventæ sunt erroneæ, & veræ Fidei minùs conformes.

1488. Jacobus III. Rex Scotiæ, à suis cæditur, succedit eidem Filius Jacobus IV. Turcæ oppugnantes Adanam Ciliciæ Urbem, Sultanum Ægypti, auxilio obsessis advenientem, acri prælio vincunt.

1489. Poloni Tartaros ab incursione Poloniæ, & Russiæ, magnâ clade repellunt.

1490. Moritur Matthias Corvinus Hungariæ Rex Viennæ ex Apoplexia. Succedit eidem Wladislaus II. RexBohemiæ. Joannes Varadinensis Episcopus in Hungaria Maximæ authoritatis, tempore Regis Matthiæ; Episcopatui, & omnibus alijs dignitatibus renuncians, fit ordinis sancti Francisci Religiosus.

1491. Ferdinandus Rex, Granatam Mauris eripit. Christiana seu Catholica Religio per Regnum Congi, à Patribus Dominicanis disseminari cœpit.

1492. Judæi edicto Regis, omnes ex Hispania pelluntur, dum Ferdinando Regi cognomen, & Titulus Catholici, à Pontifice datur. Innocentius Papa VIII. moritur, cui substituitur Cardinalis Borgia, dictúsque est Alexander VI.

1493. Fridericus Imperator moritur, annorum 78. succedente Maximiliano Filio. Christiani magnam cladem accipiunt à Turcis in Croatia. Alexander VI. diplomate confirmat Ferdinando, & Isabellæ Regibus Hispaniæ, adoptionem

Insularum novi orbis, ita tamen, ut in illas Regiones mitterent præcones Evangelij.

1494. Mira perturbatio in Italia, occasione mortis Ferdinandi Regis Neapolitani, sine hærede defuncti. Obijt hoc anno Joannes Picus Mirandulæ, & Concordiæ Comes, ætatis anno 33. vir excellentissimi ingenij, meritò Phœnix ingeniorum appellatus.

1495. Carolus VIII. Rex Galliarum, Romam veniens cum copijs armatus anno elapso, placatur hoc anno Alexandro VI. Pontifici; postquam is à Pontifice Rex Neapolitanus, confecto diplomate nominatus fuisset. Hoc tempore primùm in Europa innotuit lues venerea, morbus Gallicus nuncupata. Obijt Joannes Lusitaniæ Rex, cognomento *Magnus*, successit in Regno patruelis ejusdem Emmanuel.

1496. Emmanuel Rex Lusitaniæ, pellit omnes Judæos è suo Regno. Neapolitani deficiunt à Gallis, ad Ferdinandum Alphonsi Regis Aragoniæ Filium, quô paulò post mortuo, in eodem Regno succedit ejusdem patruus Fridericus.

1497. Nascitur Sanctus Franciscus Xaverius summo totius novi orbis bono. Franciscus Ximenius Minorita, fit Archi-Episcopus Toletanus, non minori Ecclesiæ Catholicæ commodo. Florentiæ magnæ concitatæ turbæ, occasione quarum Hieronymus Savonaroa Ordinis Prædicatorum, celebris aliàs concionator, Pontificis jussu, publicè in foro comburitur, de cujus morte diversa diversi tulêre judicia.

1498. Moritur Carolus VIII. Rex Galliarum repentè ex Apoplexia, succedit eidem Ludovicus XII. Dux Aurelianensis. Poloni 60. millia Tartarorum cœsa, mittunt ad Tartara.

1499. Bajazethes, Venetis Peleponesum, & Naupactum eripit. Ludovicus Rex Galliarum, Ducatum Medioanensem occupat. Ismaël Sophi Ussumcassanis ex sorore nepos, Regnum Persarum restaurat, novámque Alcorani sectam instituit, Turcis infestissimam.

1500. Jubilæum celebratur Romæ, sed minori frequentiâ, ob bellum Italiæ. Brasiliæ Regio à Lusitanis detegitur. Nascitur Carolus V. Gandavi in Belgio, ex Philippo Archi-Duce, Maximiliani Imperatoris Filio, & Joanna Filia Ferdinandi, & Isabellæ Regum Hispaniæ. Cujus egregia gesta enarrabit sequentis sæculi Historia.



CATALOGUS I.

Continens Nomina, Patriam, & Ordinem Romanorum Pontificum, qui hoc decimo quinto Sæculo Eccleſiæ præfuerunt, cum accurata aſſignatione Temporis, quô quis gubernare cœpit, & deſijt.

Nomina, patria, & Ordo Romanorum Pontificum.	Initium Sedis A. M. D.	Finis Sedis A. M D.	Duratio. A. M. D.	Vacat. M. D.
296. Innocentius VII. Sulmonenſis Presbyter Cardinalis.	1404. Oct. 17.	1406. Nov. 6.	2. 0. 21.	0. 24.
297. Gregorius XII. Venetus Presbyter Cardinalis.	1406. Nov. 30.	1409. Julij. 5.	2. 7. 5.	1. 22.
298. Alexander V. Novarienſis Minorita, Presbyter Cardinalis.	1409. Aug. 26.	1410. Maij. 3.	0. 8. 8.	0. 14.
299. Joannes XXI. Neapolitanus, Diaconus Cardinalis.	1410. Maij. 27.	1415. Jun. 12.	5. 1. 15.	29. 0.
300. Martinus V. Romanus, Diaconus Cardinalis.	1417. Nov. 11.	1431. Feb. 21.	3. 3. 12.	0. 10.
301. Eugenius IV. Venetus, Presbyter Cardinalis.	1431. Mart. 3.	1447. Feb. 23.	15. 11. 21.	0. 10.
302. Nicolaus V. Romanus, Diaconus Cardinalis.	1447. Mart. 6.	1455. Mart. 24.	8. 0. 19.	0. 14.
303. Calliſtus III. Hiſpanus Valentinus, Presbyter Cardinalis.	1455. Aug. 8.	1458. Aug. 6.	3. 3. 28.	0. 12.
304. Pius II. Senenſis, Presbyter Cardinalis.	1458. Aug. 19.	1464. Aug. 14	5. 11. 27.	0. 16.
305. Paulus II. Venetus, Presbyter Cardinalis.	1464. Aug. 30.	1471. Jul. 25.	6. 10. 26.	0. 14.
306. Sixtus IV. Savonenſis Robereus, Presbyter Cardinalis.	1471. Aug. 9.	1484. Jul. 15.	12. 11. 7.	0. 15.

307. Innocentius VIII. Genuensis, Presbyter Cardinalis.	1484.Aug.11.	1492.Aug.1.	7.11.28.	0.10.
308. Alexander VI. Valentinus, Presbyter Cardinalis.	1492.Aug.11.	1503.Aug.18.	11.0.8.	1. 3.

Anti-Papæ seu Pseudo-Pontifices, hujus XV. Sæculi.

Ægidius Murionis, Hispanus, dictus Clemens VIII. contra Innocentium VII. Amedeus, Dux Sabaudiæ, dictus Felix V. contra Eugenium IV.

CATALOGUS II.

Continens Nomina Imperatorum, qui hoc decimo quarto Sæculo imperârunt.

In Occidente.

Fridericus IV. Brunsvicensis. 1400. inijt Imperium, obijt eodem anno 1400.
Robertus Dux Bavariæ, 1400. obijt 1410.
Jodochus Moraviæ Marchio. 1410. obijt 1411.
Sigismundus Hungariæ Rex Caroli IV. Filius Rex electus. 1411. obijt 1437.
Albertus II Austriacus. 1438. obijt 1439.
Fridericus V. Austriacus. 1440. obijt 1493.
Maximilianus I. Austriacus. 1493. obijt 1519.

In Oriente.

Emmanuel, seu Manuel Palæologus, obijt 1418.
Joannes VII. Palæologus, Filius Manuelis, obijt 1421.
Joannes VIII. obijt 1445.
Constantinus XV. & ultimus, occisus anno 1453. Quô capta est à Turcis Constantinopolis, & Imperium Græcorum defecit.

CATALOGUS III.

Continens Nomina, & Ordinem Regum aliorum Regnorum, qui hoc Decimo quinto Sæculo regnârunt, præsertim, quorum in hac Synopsi Chronologica fit aliqua mentio.

Reges Galliæ.

Carolus VI. Beneamatus, obijt 1422.

Caro-

Carolus VII. Victor, obijt 1461.
Ludovicus XI. Caroli VII. Filius, obijt 1483.
Carolus VIII. Ludovici Filius, obijt 1498.
Ludovicus XII. ſupervixit hoc ſæculum, utpote mortuus Anno Chriſti. 1515.

Reges Legionis, & Caſtellæ.

Joannes II. Henrici III. Filius ſucceſſit parenti 1406. regnavit annis 47.
Henricus IV. Joannis II. Filius, ſucceſſit parenti. 1453. regnavit annis 20.
Ferdinandus V. Catholicus, Filius Joannis Regis Aragoniæ, ſucceſſit in Regnis Caſtellæ, & Legionis. 1474. jure uxoris Iſabellæ, ſororis Henrici IV. regnavit annis 30. & uno, & explevit hoc Sæculum.

Reges Aragoniæ.

Ferdinandus Honeſtus, Frater Henrici III. Caſtellæ Regis, inijt Regnum 1410. rexit annis 5.
Alphonſus V. *Magnanimus*, Ferdinandi Filius, ſucceſſit 1416. rexit annis 42.
Joannes II. Frater Alphonſi V. regnare cœpit 1458. regnavit annis 20.
Ferdinandus V. Rex *Catholicus*, Filius Joannis II. maritus Reginæ Caſtellæ Iſabellæ, rexit Aragoniam annis 37, & ſupervixit hoc Sæculum.

Reges Luſitaniæ, ſeu Portugalliæ

Edvardus cœpit regnare 1433. regnavit annis 5.
Alphonſus V. Edvardi Filius, ſucceſſit anno 1438. regnavit annis 43.
Joannes II. Filius Alphonſi V. Cognomento Magnanimus, *inijt Regnum* 1481. regnavit annis 14.
Emmanuel nepos Edvardi, ſucceſſit anno 1495. & ſupervixit hoc Sæculum, obijt enim Anno Chriſti. 1521.

Reges Angliæ.

Henricus IV. cœpit regnare 1400. regnavit annis 14.
Henricus V. Filius Henrici IV. regnare cœpit 1414. negnavit annis 9.
Henricus VI. Filius Henrici cœpet regnare anno 1423. regnavit annis 38.
Odvardus VII. pulſo Henrico VI. cœpit regnare 1461. ſed & ipſe à conjuratis expulſus, ac iterum Henricus VI. reſtitutus, eſt 1470. ac hic rurſus à ſuis derelictus, & pugione confoſſus ab Odvardo VII. denuo ab Anglis recepto.
Odvardus VIII. Odvardi VII. Filius regnare cœpit 1483. occiſus eſt oodem anno à Riccardo Fratre Odvardi VII.

Richardus III. Frater Odvardi VII. regnavit annis 3. occisus in prælio ab Henrico Comite Richemontij.

Henricus VII. Comes Richemontij, regnare cœpit anno 1486. regnavit annis 23. & supervixit hoc Sæculum.

Reges Hungariæ.

Sigismundus sponsus Mariæ, Ludovici Regis Filiæ, regnare cœpit 1387. obijt, 1437.

Albertus Archi-Dux Austriæ, & Imperator, regnare cœpit anno 1473. obijt 1439.

Wladislaus I. Rex Poloniæ, electus in Regem Hungariæ 1440. occisus in prælio ad Varnam 1445.

Joannes Corvinus Hunniades, Gubernator & Prorex Hungariæ loco Ladislai posthumi, gubernavit Regnum magna cum prudentia, & fortitudine militari, annis 7.

Ladislaus V. posthumus Filius Alberti, & Elisabethæ, anno 12. ætatis restitutus Hungariæ, regnare cœpit 1452. obijt 1458.

Matthias Corvinus, Filius Joannis Corvini Hunniadis, eligitur in Regem Hungariæ, 1458. obijt 1490.

Wladislaus II Bohemiæ Rex, Filius Casimiri Regis Poloniæ, electus in Regem Hungariæ 1490. supervixit hoc Sæculum, obijt enim anno 1516.

Ræges Bohemiæ.

Wenceslaus Ignavus, obijt 1419.

Sigismundus regnare cœpit. 1419. obijt 1437.

Albertus Austriacus regnare cœpit 1437. obijt anno 1439.

Ladislaus, Alberti posthumus, regnare cœpit 1439. obijt anno 1458.

Georgius Podebrachius, Regnum inijt 1458. obijt anno 1471.

Wladislaus Filius Casimiri Regis Poloniæ, ac dein Rex Hungariæ, regnare cœpit anno 1471. & supervixit hoc sæculum, mortuus anno. 1516.

Reges Poloniæ.

Wladislaus Jagello cœpit regnare anno 1386. regnavit annis. 48.

Wladislaus II. regnare cœpit 1434. & factus Rex Hungariæ, 1440. occisus in prælio contra Turcas, anno 1445.

Casimirus IV. Jagellonis alter Filius, regnare cœpit, 1447. regnavit úsque ad annum 1492.

Joannes Albertus. Filius Casimiri, IV. electus 1492. obijt anno 1501.

CA-

CATALOGUS IV.

Continens Nomina Scriptorum Ecclesiasticorum, decimi quinti Sæculi.

Petrus de Alliaco, Episcopus Cameracensis, & Cardinalis.
Joannes Gerson, Cancellarius Universitatis Parisiensis.
Thomas de Kempis, Canonicus Regularis.
Joannes Capreolus, Ordinis Prædicatorum.
Joannes Dominicus, ejusdem Ordinis.
Sanctus Vincentius Ferrerius, ejusdem Ordinis.
Alphonsus Tostatus, Abulensis Episcopus.
Sanctus Bernardinus senensis, Ordinis Minorum.
Beatus Laurentius Justinianus, Patriarcha Venetus.
Thomas Valdensis Anglus Carmelita.
Beatus Joannes de Capistrano, Ordinis Minorum.
Paulus de Sancta Maria, Episcopus Burgensis.
Augustinus de Roma.
Joannes de Anania, Archidiaconus Bononiensis.
Bessarion Cardinalis.
Nicolaus de Cusa, Cardinalis.
Matthæus Palmerius, Florentinus.
S. Antoninus Archi-Episcopus Florentinus, ex Ordine Prædicatorum.
Nicolaus de Orbellis, Ordinis Minorum.
Joannes de Indagine, Carthusianus.
Æneas Sylvius, qui deinde fuit Papa Pius II. nominatus.
Jacobus de Valentia, Episcopus Chrysopolitanus.
Suffrenus, Cyrenensis Episcopus.
Joannes Bassolius, Ordinis Minorum.
Ambrosius Camalduensis, Abbas Generalis Ordinis.
Pacificus, Ordinis Minorum, qui scripsit summam casuum Conscientiæ, quæ pacifica nominatur.
Joannes Picus, Mirandulæ Comes.
Joannes Philippus Bergomensis, Ordinis Sancti Augustini.
Albertus Crancz.
Angelus de Clausio, Author summæ Angelicæ.
Joannes Trithemius, Abbas Ordinis Sancti Benedicti.
Joannes Nauclerus.
Baptista Mantuanus, Carmelita.

Matthias Podmerius, Pisanus.
Joannes Major, Scotus. Et alij nonnulli.

CATALOGUS V.

Continens Nomina Scriptorum Profanorum, decimi quinti Sæculi.

Petrus Ancharanus, Juris Consultus.
Franciscus Zabarella, Philosophus.
Joannes de Imola, Juris Consultus.
Paulus à Castro, Juris Consultus.
Laurentius Valla, Grammaticus insignis.
Leonardus Aretinus, Philosophus, Orator, & Historicus.
Nicolaus Tudescus, Ordinis S. Benedicti, vulgò Panormitanus, Juris Consultus summus, & præcipuus Juris Canonici Illustrator.
Flavius Blondus, Historicus.
Antonius Bonfinius, Historicus.
Purbachius, Mathematicus.
Georgius Trapezuntinus.
Joannes de Monte Regio, Mathematicus.
Rudolphus Agricola.
Ambrosius Calepinus. Alexander ab Alexandro.
Filinus, Juris Consultus.
Marsilius Ficinus, Florentinus, Philosophus, & Rhetor.
Joannes Franciscus Picus, Mirandulanus, Philosophus.
Joannes Wimphelingius, Orator, Poëta, Historiographus.
Polydorus Virgilius, Anglus.
Raphaël Volateranus.

CATALOGUS VI.

Personarum sanctitate illustrium, decimi quinti Sæculi.

S. Coleta Virgo Clarissarum Reformatrix.
S. Didacus Complutensis.
S. Bernardus Senensis.
S. Vincentius Ferrerius.
S. Laurentius Justinianus, Patriarcha Venetus.
S. Joannes de Capistrano.
S. Antonius, Archi-Episcopus Florent.

CATALOGUS VII.

Hæresum & Hæresiarcharum, decimi quinti Sæculi.

Joannes Huss, Caput Hussitarum.
Joannes de Rofcsozenna.
Picardus, Picarditarum Dux.
Hieronymus de Praga.
Bedricus, author Orebitarum.
Pragenses, & Orphani.
Taboritæ.

CATALOGUS VIII.

Conciliorum decimo quinto Sæculo celebratorum.

Concilium Pisanum. 1409. nec manifestè approbatum, nec manifestè reprobatum.
Concilium Generale Constantiense. 1414. duravit annis 4. quo ad primas Sessiones reprobatum.
Concilium Basiliense, dissipatum,
Concilium Generale XVI. Ferrariæ inchoatum, 1438. dein ob Pestilentiam translatum Florentiam, Anno 1439. Approbatum.
Lugdunense. 1449.

CATALOGUS IX.

Eventum memorabilium, decimi quinti Sæculi.

Fundatur Universitas Herbipolensis. 1403.
Ordo Canonicorum sæcularium, S. Georgij Venetijs instituitur. 1404.
Ordo sive Congregatio S. Salvatoris, Bononiæ erigitur. 1408.
Instituitur Academia Lipsiensis. 1408.
Sanctæ Justinæ Congregatio Venetijs erecta. 1409.
Ingolstadiensis Universitas in Bavaria instituitur. 1410.
Cadomensis Universitas, in Normandia fundatur. 1418.
Bombardarum usus invalescit, in expugnationibus. 1425.
Ordo Monachorum S. Hieronymi restituitur. 1425.
Lovaniensis Academia erecta. 1427.
Pictaviensis Universitas constituitur. 1431.
Ars Typographica invenitur. 1440.
Sacra Jesu Christi syndon, Camberium defertur. 1452.
Valentina Universitas in Delphinatu fundatur. 1452.
Basiliensis Universitas à Pio II. instituitur. 1459.
Ludovicus XI. Rex Galliarum, Ordinem Equitum S. Michaëlis, instituit. 1496.
Ordo RR. PP. Paulanorum, seu Minimorũ, instituitur, & confirmatur. 1474. 46.
Jubilæum à 50. annis, ad 25. reducitur à Sixto IV. Anno 1475.
Universitas Tubingensis inchoatur. 1477.
Moguntinensis Universitas erigitur. 1482.
Judæi ex Hispania in perpetuum pelluntur. 1492.
Judæi ex Portugallia ejciuntur. Anno 1500.

FINIS.



IV. SYNOPSIS CHRONOLOGICA.

Continens Res memorabiles Ecclesiæ, Decimi Sexti Sæculi, seu ab Anno Christi 1500. úsque ad Annum 1600.

ANno 1501 Ludovicus XII. Rex Galliæ, & Ferdinandus Rex Hispaniæ, sub specie bellum Turcis inferendi, contra Fridericum Regem Neapolitanum, nihil tali suspicantem (utpotê cum quibus ante fœdus injerat) arma per suos Duces convertunt, Regnúmque illud occupant, ac inter se dividunt, factum confirmante Alexandro VI Pontifice, atque sic Fridericus parens in Galliam, filius verò illius pariter Fridericus, dictus Calabriæ Dux, in Hispaniam abducuntur, utrobique honorificè, ac regaliter planè habiti, ut nihil aliud, quàm Regnum ijs deesset. *Ricciolus, Brietius.* Galli cum Hispanis & Italis contra Turcas profecti, ad *Mitylenem* Insulam cæduntur *Jovius.* Ferdinandus Hispaniarum Rex, à *Campsone* Sultano Ægipti obtinet, ut quò facilior esset Christianis peregrinis Hierosolymam accessus, portoria & tributa allevia-rentur, ac sacra loca restaurarentur. *Brietius.* In Indiam Orientalem perveniunt RR. PP. Sancti Francisci, qui primi, animarum zelo incensi, longum hoc iter susceperunt, Evangelij prædicandi causâ. *Jaric. Lib.* 1. *Hist. Indiæ Orient. Cap.* 4. Poloni ac Moldavi, cum Tartaris Zavolnensibus, adversùs Procopenses, seu Tauricos Tartaros, fœdus ineunt, ut sic divisi, minus terribiles essent. *Brietius.* Nec ita multò post Joannes Albertus Rex Poloniæ, in expeditione contra Fridericum, Teutonicorum Equitum Magistrum, negantem sibi fidelitatis juramenta de Prussia, moritur Apoplexiâ, 17. Junij. Succedit eidem Frater ejus Alexander, Magnus Dux Lithvaniæ, maritus Elenæ filiæ Joannis Magni Ducis Moscoviæ, sed Schismaticæ, cui proinde Regium Diadema denegatum est. *Cromerus, Genebrardus.* Joannes Rex Daniæ, factione *Stenonis*, olim Gubernatoris, Regno pellitur. *Ricciolus.* Sanguinea pluvia, & cruces sanguinolentæ, in vestibus apparent in Germania *Spondanus.*

1502. Inter Hispanos & Gallos, circa partitionem Regni Neapolitani, dissi-

dissidia oriuntur. *Walterus*, *Livoniæ* Magister, post aliquot clades Moschis illatas, invasus ab ipsis, eosdem cum paucis militibus, sed tormentorum fulminibus territos, ad pacem sibi proficuam compellit. *Histor. Moscov.* Universitas Wittembergensis erigitur.

1503. Alexander VI. Papa, ex veneno per errorem sibi dato moritur 18. Augusti, cui 22. Septembris sufficitur Franciscus Tudescinus Picolomineus Senensis, dictus Pius III. vir bonus, & diuturniore vitâ dignus, nam decimo post die obijt, cui defuncto subrogatur Julianus de Ruvere Savonensis, dictus Julius II. Galli ab Hispanis è Regno Neapolitano eijciuntur. Regnum *Manicongi* in Indijs, fidem Christianam suscipit. *Genebrardus.* Picardus hæreticus Sacramentarius Parisijs exuritur. *Onuphrius.* Celebris ille Rhodiorum Equitum Magister, Petrus Albussonius, cùm suo ordini viginti annis præfuisset, moritur, *Brietius.*

1504. Veneti cum Turcis pacem ineunt, Lusitani defendentes Regem *Cochini*, Calecutanos magnis cladibus repellunt. *Maffeus.* Stephanus Wayvoda Moldaviæ, vir Sæculi sui fortissimus, de Turcis & Tartaris sæpius victor, obit. Cui succedit Bogdanus. Circa hæc tempora florebat Alexander ab Alexandris, vir eruditissimus, ut colligere licet ex libro ejusdem *Genialium dierum.* Moritur Isabella Regina Hispaniæ 26. Novembr. relictâ filiâ Joanna uxore Philippi I. Archi-Ducis Austriæ, hærede ex asse, & Ferdinando marito administratore, donec Carolus Joannæ filius adolesceret. *Mariana.*

1505. Joannes, Magnus Dux Moschorum, filius Basilij, moritur cui succedit filius, dictus Basilius Joannes. Constitutionem edit hoc anno Julius II. ut si Simoniaca labes Pontifici, aut Cardinalibus adhæsisset, electio ejusmodi irrita esset. Ludovicus XII. cum Maximiliano Cæsare, & Ferdinando Hispaniæ Rege, fœdus renovat. Franciscus Almeida, fit primus Pro-Rex in India. Sophalæ Regnum auro dives, quod à quibusdam creditum *Ophir* Scripturæ Sacræ, hoc anno detegitur. Martinus Lutherus, annorum 22. fulmine consternatus, quod ejus Sodalem occidit, votô nuncupatô fit Religiosus Sancti Augustini Erfordiæ, qui utinam & ipse eodem tactus fuisset, ne tanta mala in Christianitem induxisset.

1506. Julius II. Pontifex collecto exercitu, Bononiam & Perusium, recuperat, ac Ecclesiæ restituit. Philippus Archi-Dux primus Rex Hispaniarum ex Augustissima Domo Austriaca, moritur. Obit quóque Alexander Rex Poloniæ, eidémque succedit Sigismundus Frater. Lithvani Tartaros invasores, magna clade repellunt. Elisabetha Soror Sigismundi, respuit nuptias cum Bogdano, Moldaviæ Wayvoda, utpotè Schismatico, ideóque Bogdanus Russiam invadit. *Cromerus*, *Christophorus Columbus*, primus ille novi orbis repertor,

finem vivendi fecit, Hispali. Lusitani in India, Socotorum Insulam, Mauris eripiunt, & Armuzam Emporium nobile, in ora Persici sinûs, occupant. Romæ fabrica Basilicæ Sancti Petri, inchoatur. *Brietius.*

1507. Obijt hoc anno Sanctus Franciscus de Paula, Anno ætatis 91. Ordinis inchoati 72. Ludovicus Rex Francorum, Genuenses sibi rebelles subigit, & Savonæ Ferdinandum Regem Hispaniæ redeuntem ex Italia, magno cum honore excipit.

1508. Cameraci fœdus ineunt. Julius Pontifex, Maximilianus Imperator, & Ludovicus Rex Galliæ, adversus Venetos, pro recuperandis Urbibus, quæ ad singulos pertinerent *Jovius.* Classis Campsonis Sultani Ægypti, per mare rubrum missa, rogatu Regum Cambajæ & Calecuti, Laurentium Almeidam, Pro-Regis Indiæ filium, cum octo navibus, imparatum vincit, & occidit. *Osorius, Mariana.*

1509. Franciscus Almeida, Indiæ Pro-Rex, ulturus necem filij, Classem Sultani Ægypti aggreditur, atque divincit, edita ingenti strage Malmelucorum. Terræ motus ingens, per 40. dies, Constantinopolim concutit, Templis Christianorum parcit, Turcarum ædes diruit, multis millibus eorum obrutis, fugit ipse Bajazetes Hadrianopolim, ubi vix tutus, in campo habitare cogitur. Hoc eodem anno prodit *Tekel* famosus ille Legis Mahumetanæ interpres, cùm in Sepelunca Phrigiæ, annis septem latuisset, confectóque exercitu, delet duos exercitus Bajazethis, in Asia demum tamen vincitur, & vivus exuritur. *Annales Turcici.* Veneti pressi à tam potentibus adversarijs, ac omnibus terrestribus ditionibus spoliati, Maximiliano Cæsari pro pace supplicant: In hoc tamen laudandi, quòd etiam in tantis angustijs constituti, auxilium Turcarum recusaverint. Poloni, ad Borysthenem, cedunt 80. millia Moschorum, missa à Basilio ad occupandam Lithvaniam. *Chronicon Moschoviticum & Polonicum.*

1510. Pontifex, externorum Principum potentiam in Italia timens declinat ad Venetos, eosdémque Ecclesiæ reconciliat, ac Maximilianum Cæsarem à Confœderatione, cum Ludovico Rege Galliarum, disjungere nititur, sollicitat insuper & Helvetios, ac Hispanos. Interim tamen Veneti, à Maximiliano Cæsare & Ludovico Rege, magna afficiuntur clade. Exercitus Regis Ferdinandi, post captam in Africa Bugiam & Tripolim, æstu laborans, maximum à Mauris patitur detrimentum. Neapoli pelluntur Judæi ac Mauri. Goa, Metropolis Indiæ, ab Alphonso Alburquecio capitur, & successu temporis, ditionis Lusitanicæ, & Ecclesiæ Indicæ caput constituitur. Circa hunc annum fiunt multæ conversiones in populis occidentalibus, per Religiosos Ordinis Sancti Dominici.

1511. Pontifex, Hispani, Veneti, & Helvetj, Vario Marte pugnant cum

cum Maximiliano Cæſare, & Ludovico Galliarum Rege, & hi agunt de Concilio contra Pontificem convocando, quod tamen *Piſis* coactum, & dein Mediolanum, & inde Lugdunum translatum, caruit effectu. Bajazethes Turcarum Imperator, Selimum filium, tertiò genitum, ad Imperium violenter aſpirantem, prælio fundit, & fugat. In Comitiis Treviris habitis, Imperium in decem circulos diſtribuitur, nempe: Auſtriacum, Bavaricum, Franconicum, Rhenanum ſuperiorem, Rhenanum inferiorem, electoralem Palatinatûs, Burgundicum, Weſtphalicum, Saxonicum ſuperiorem, Saxonicum inferiorem.

1512. Selimus fugatus anno ſuperiore, à Bajazethe Parente vires reſumit, & favore Janiczerorum Bajazethem Imperatorem Imperio, & poſtea per Medicum Judæum vitâ privat. Galli ad Ravennam exercitum Pontificis, & Hiſpaniæ Regis ſolvendæ obſidioni miſſum, Duce Gaſtone Fuxio, memorabili cæde profligant. Ferdinandus Rex Hiſpaniæ, Regnum Navarræ occupat. Tartari Præcopenſes, in Podolia graſſantes, à Polonis & Lithvanis, Duce Conſtantino Oſzrogio, prælijs multis profligantur. Julius II. Pontifex, Generale Concilium Lateranenſe inchoat. Helveti, ob præclara geſta, hoc bellorum tempore, pro Romano Pontifice, à Julio Papa appellati ſunt: *Propugnatores, & defenſores, Pontificiæ dignitatis*. Ex Æthiopia per Helenam aviam Davidis Regis, miſſus eſt Goam Legatus, nomine Abraham, aliàs Matthæus, inde ad Regem Emmanuelem, in Luſitaniam expeditus, ad procurandam amicitiam, cum Luſitanis, & unionem cum Religione Catholica. *Brietius.*

1513. Concilium Lateranenſe continuatur. Julius II. Pontifex moritur, cui ſubrogatur Joannes Medicæus Florentinus, & nominatur Leo X. *Onuphrius*. Ludovicus XII. Rex Galliarum, pacem cum Venetis init, ad Vincentiam. Rudolphus Analthinus, Maximiliani Cæſaris Exercitûs Dux, acri pugna cedit, & fundit Venetorum Exercitum. Galli etiam ab obſidione Novarienſi, ab erumpentibus Helvetijs repelluntur, & magnam cladem accipiunt. Jacobus IV. Scotiæ Rex, Angliam invadit, & in prælio ad montem Flaudonicum occiditur, multis utrinque deſideratis, cum hoc tamen diſcrimine, ut ex Scotis multi Proceres, & Nobiles, ex Anglis gregarij tantùm milites occubuerint. Turcæ Illyricum invadentes, ab Uladislao II. Hungariæ Rege, reprimuntur. In Concilio Lateranenſi, aliquot magni nominis, ſed rerum Phyſicarum magis, quàm Theologicarum periti Philoſophi, de animalibus malè ſentientes, erroris convincuntur, ac eorundem ſententia condemnatur.

1514. Leo Papa, ad interpoſitionem Archi-Epiſcopi Strigonienſis, Indulgentias contra Turcam Cruce ſignatis, concedit. Sed hi arma in Hungariæ Clerum, ac Nobilitatem convertunt, verùm à Joanne Zapolliano Tranſylvaniæ Wayvodâ diſſipantur, Duce eorum Georgio Szykelio, cum alijs complicibus

 capto,

capto, & gravissimis supplicijs affecto. Sigismundus Rex Poloniæ, Basilium Moschoviæ Ducem, è Lithvania repellit, cum insigni eorum strage. Concilium Lateranense urgetur, & multa in eo decreta reformationis statuuntur. Malcamethes Scirifus, ex Mahometano Eremita, concitata à se rebellione, Ducem militiæ se facit, & in Africa complurês Regiones ac Regna invadit, & acquirit. *Jovius.*

1515. Ludovicus XII. Rex Galliarum, moritur, sine prole mascula, cui succedit Franciscus I. Valesius annorum 20. Qui mox Italiam penetrat cum exercitu, & Helvetios biduano prælio devincit, Mediolanúmque recipit, & Maximilianum Ducem Sfortiam captum, in Galliam relegat, Bononiæ post modùm Pontificem veneratur, à quo vicissim cum magno honore recipitur, & cum eodem famosum illud *Concordatum* init, in quo multa Regi & ejus Successoribus indulta Pontifex concedit, & vicissim à Rege debitam submissionem in multis accipit. Maximilianus Imperator, Uladislaus Hungariæ, & Sigismundus Poloniæ Reges, Viennam conveniunt, & fœdus inter se ineunt, cum successione in horum Regna Austriacæ familiæ, in prolis masculæ defectu. Petrus *Maronitarum* Patriarcha, tres Legatos ad Concilium Lateranense mittit, advenit etiam ad illud Matthæus Legatus, Davidis Regis Abissinorum. Prodierunt hoc anno famosa illa Biblia variarum linguarum Complutensia, sic dicta, ab Urbe ubi sunt edita, curâ & impensis Francisci Ximenij Cardinalis, Archi-Episcopi Toletani.

1516. In Concilio Lateranensi, Sessione XI. suscipiuntur Legati *Maronitarum*, qui Romanæ Sedi sese addictissimos ostendêre. Tum quóque à Concilio approbatum est *Concordatum* Bononiense, inter Leonem X. Papam, & Franciscum I. Galliarum Regem initum. Eâdem Sessione edita est constitutio de Privilegijs Religiosorum, & quomodò se cum Episcopis gerere debeant. Ferdinandus Aragonius, Rex Hispaniæ moritur, succedit in tot ejus Regnis, Carolus V. ejusdem nepos, ex Joanna filia, & Philippo I. Archiduce. Obit quóque Wenceslaus II Hungariæ Rex, succedente Filio Ludovico. Franciscus I. annuæ pecuniæ pensitatione, cum Helvetijs fædus renovat. Algeriani Duce Barbarossâ à Rege Hispaniæ deficiunt. Selimus Turcarum Imperator, Campsonem Sultanum Ægypti, prope Damascum devincit, ac interimit, ac Syriam occupat, mox Betlehemum & Hierosolymam pergit, & utrobíque preces fundit, largás que Eleëmosynas, Christianis, & inopibus Sacerdotibus distribuit, exercitúmque in Ægiptum ducit.

1517. Selymus Turcarum Imperator, occupatâ Syriâ, Ægyptum aggreditur, & Tomumbejum, Campsonis successorem, Sultanum Ægypti, iteratò superat, ac laqueo necat, totâque Ægypto potitur. Concilij Lateranensis Sessione XII. finis imponitur, post annos ferè quínque, à quo inchoatum fuerat, in

eodem

eodem decreta fuerat contra Turcas Bulla Cruciata, cum Indulgentijs, quas promulgandas Archi-Episcopus Moguntinus, Patribus Dominicanis commisit, cùm autem Patres Augustiniani earum promulgatores essent; Hoc inique ferens Joannes Staunpitius Augustianorum Vicarius Generalis, per Germaniam, sui Ordinis Monachum Martinum Lutherum, contra Dominicanos, Indulgentiarum promulgatores concitat, qui mox & concionibus, & propositis Thesibus, contra Indulgentias debachari cœpit: ex qua scintilla, tanta farrago hæresum & novarum Sectarum, ac magnæ partis Europæ perturbatio, postmodùm est exorta. Leo Papa de vita tentatur, sed conjuratione patefacta, intentores sceleris gravissimè puniuntur. Moritur hoc anno Franciscus Ximenius, Cardinalis Hispaniæ, Archi-Episcopus Toletanus, optimè de Ecclesia meritus.

1518. Selymus Turcarum Imperator, felicibus belli successibus elatus, totum Imperium Romanum occupare cogitat, vicissim Leo Pontifex, in eundem Principes Christianos accendere laborat, ut eum impeterent potiùs, quàm expectarent, sed conatui ejusdem obsistunt de novo exortæ hæreses. Martinus Lutherus, novas novis addendo spargit hæreses, vel potiùs jam olim ab Ecclesia damnatas, ex inferis resuscitat, quem tamen & disputatione & scriptis Joannes Echius, Ingolstadiensis Doctor, egregiè refutat. Maximilianus quóque Cæsar, tantô malô obviare volens, Lutherum ad Comitia Augustana evocat, ejúsque causam discutiendam, Cardinali Cajetano, tunc Legato Pontificio committit. Lutherus coram Cardinali se sistit, eidémque se, quo ad speciem submittit, sed postmodùm inde clam elabitur, citatúsque iterum à Legato, ad Pontificem, & à Pontifice ad Concilium generale, provocat, at néque id seriò, sed ut tergiversaretur duntaxat.

1519. Maximilianus Imperator, *Welsy* in Austria moritur, cui in Imperio succedit Carolus V. Hispaniæ Rex. Leo papa *Militium* Legatum in Germaniam mittit, ad novas hæreses sopiendas, ægit is cum Luthero, eúmque impulit, ut ad Pontificem dimisse scriberet, quod etiam ille præstitit, se excusando, & temeritatem suam deprecando. Inter hæc instituitur Lipsiæ disputatio publica, inter Eckium & Lutherum, coram Georgio Saxoniæ Duce, Judicibus Theologis Parisiensibus, & Erefordiensibus, qui palmam victoriæ Eckio contra Lutherum, adjudicârunt. Spectant ad hunc annum, Ulrici Zwinglij initia, priùs Sacerdotis & Parochi Catholici, postea novæ Sectæ Zwinglianorum Authoris, qui quanquam in quibusdam Luthero accineret, postea tamen acerrimus ejusdem hostis extitit.

1520. Lutherus à Leone Papâ excommunicatus, ad Concilium generale appellat, & Jus Canonicum, cum Bulla suæ excommunicationis Witembergæ, publicè cremat. E contra Lovaniensis & Coloniensis Academiæ, Luther

theri ſcripta, tanquam multis erroribus & hæreſibus referta damnant, & igni adjiciunt, ſed & Carolus V. ejusdem Lutheri ſcripta, non tantùm in Hiſpania, verùm & in Belgio, exuri mandat. Selymus Turcarum Imperator, propè Adrianopolim, peſte extinguitur. Cui ſuccedit filius, Solymanus II. Carolus V. Aquisgrani in Imperatorem Romanorum coronatur, fratríque Ferdinando, Auſtriam, & Maximiliani avitos Principatus concedit. Chriſtianus Rex Daniæ Stockholmium, Metropolim Sueciæ deditione accipit, at vocatos Epiſcopos & Proceres ad convivium, eos crudeliter interficit, Urbéque direpta, in Daniam redit. *Hiſtoria Daniæ.*

1521. Carolus V. Imperator, in Comitijs Warmatiæ, Lutherum cum Salvo Conductu evocatum, & obſtinatum proſcribit. Ejusdem ſcripta, & perſonam damnat Univerſitas Pariſienſis. Et Henricus VIII. Rex Angliæ, libro egregio refutat errores ejusdem, ob ídque à Leone Papâ Titulo Defenſoris Fidei donatur. Bellum diuturnum, quod poſtea 38. annis duravit, inter Carolum V. Imperatorem, & Franciſcum primum Regem Galliarum exoritur. Galli Pampelonenſem Urbem, primariam Regni Navarræ expugnant, in qua oppugnatione *Ignatius Lojola* nobilis Cantaber, ictu bombardæ, ex lapide convulſo crure uno, altero vulnerato, ad extremum vitæ periculum adducitur; Unde Societatis JESU fundandæ occaſio illi divinitus injecta, DEO jam tum illum, & ab eo inſtitutam Societatem, Luthero opponente, & ad majorem Gloriam nominis ſui, ubíque terrarum amplificandam deſtinante. Solymanus Turcarum Imperator Belgradum expugnat. Leo X Pontifex moritur. Obit etiam Emmanuel Luſitaniæ Rex, bellis in Africa & Aſia, tam glorioſè, quàm Religioſè geſtis, clariſſimus, cui ſuccedit Joannes III. natu major filius, annum vigeſimum agens. Hiſpani in Indijs, Regno & Urbe Mexico potiuntur.

1522. Eligitur in Pontificem Hadrianus Batavus Trajectenſis, quondam Caroli V. Præceptor, eidémque percharus, abſens, & in Hiſpania tunc degens. Rhodus à Turcis diu ſtrenuè defenſa, tandem proditione capitur. Chriſtianus Rex Daniæ, ab Eccleſia deficit, ſed non multò poſt à Friderico Duce Holſatiæ bello petitus, Regno exulare cogitur. Guſtavus quóque ex Gubernatore factus Rex Sueciæ, Lutheranicæ perfidiæ dat nomen. Genua à Carolo V. Imperatore, Gallis pulſis, expugnatur, ac diripitur.

1523. Hadrianus Papa moritur, cui ſuffectus eſt Julius Medicæus Florentinus, dictus Clemens VII. Lutherus de more exagitat Germaniam, invectus in ipſos etiam Principes ferociter, qui verſionem ſuam Novi Teſtamenti, & ſi plenam erroribus & corruptelis, damnâſſent. Hoc eodem anno prodijſſe ſcribitur Hæreſis Anabaptiſtarum.

1524. Perdurant in Germania de Religione tumultus, multis conventibus,

tibus, pro controverſijs novis & novis ſemper emergentibus, Norimbergæ, Ratisbonæ, Spiræ, habitis: Initæ quóque diſputationes acerrimæ, irrito compoſitionis & ceſſionis eventu; Novatoribus pertinaciter contra Catholicos, ſuos errores tuentibus, & inter ſe quóq; diſſentientibus, unde natæ ſunt inter eos 60. diverſæ Sectæ, inter quas: Ubiquiſtarum, Anabaptiſtarum, Enthuſiaſtarum, & aliæ, quas longùm hìc eſſet enumerare. Lutherus abjecto cucullo monaſtico, apoſtaſiæ à Fide, addit apoſtaſiam à Religioſo ordine, & uxorem ducit. Ordo Clericorum Regularium, qui Theatini nuncupantur, inſtituitur, qui tam arctam paupertatem ſibi elegerunt, ut oblatis tantùm ſpontè, non quæſitis Eleëmoſynis, alerentur. In Regno Mexicano, magna fit converſio infidelium, ad fidem Catholicam, per quendam Martinum Valentinum, cum duodecim Socijs Monachis.

1525. Franciſcus Galliarum Rex, Papiam obſidens, à Ducibus Caroli V. Cæſaris, gravi prœlio vincitur, & capitur, ac captivus in Hiſpaniam mittitur. Ruſticum bellum in Germania, qui contra Clerum & ſuos Principes, à Luthero inſtigati, inſurrexerunt, ſopitur, occiſis ex ijs ſupra centum millibus. Hoc anno exorti videntur Molles Lutherani, cùm Philippus Melanthon, Philippum Haſſiæ Landgravium, ad hæreſim traduxiſſet, eidémque perſuaſiſſet, ut nihil de ritibus Eccleſiæ mutaretur. Eodem hoc anno exoritur *Libertinorum* Secta, authoribus ejusdem poſtea Tornaci exuſtis. Ordo Patrum Capuccinorum inchoatur, quem DEUS hominibus ſpurciciſſimis, & hæreſiarchis hujus temporis voluit, ut cœtum carnis inimiciſſimum opponere. Pariſienſis Senatus, ne Lutherana hæreſis ſerperet per Galliam, ejusdem primum Promulgatorem, flammis exurit. Albertus, Magiſter Equitum Teutonicorum Crucigerorum, extinguit ordinem ſuum in Pruſſia, & fit Lutheranus, ac in confirmationem ſuæ perverſionis, licèt voto caſtitatis obligatus, ducit anno inſequenti uxorem, imitatus in hoc Magiſtrũ ſuum Lutherum. Regnum Peru auro ditiſſimũ, occupant Hiſpani.

1526. Solymanus Turcarum Imperator, veritus, ne poſt captam Rhodum, Principes Chriſtiani coirent, cum Ludovico Rege Hungariæ pacem inire cogitat, ſed viſis inter eosdem maximis, & præcipuè in negocio Religionis diſcordijs, animum ad Hungariam invadendam convertit. Ingreditur igitur Hungariam cum 200. millibus, & cum Ludovico Rege Juvene, vix cum viginti quinque millibus ſibi occurrente, prælium conſerit. Victus ab eodem Ludovicus perijt, cum multis Epiſcopis ac Magnatibus, toto Exercitu, vel cœſo, vel fugato, cujus locò eligitur in Regem ab alijs Joannes Zapollya, Wayvoda Tranſylvaniæ, ab alijs vero Ferdinandus Archi-Dux Auſtriæ, maritus Annæ ſororis Ludovici. Unde bella & deſolatio Regni. Sigismundus Rex Poloniæ, reſtituit Fidem Catholicam Gedani, unde anno ſuperiore depulſa fuerat.

rat. Franciſcus, Rex Galliarum, à Carolo V. ex captivitate dimittitur, ſed duris conditionibus, & datis obſidibus duobus filijs.

1527. Ferdinandus I. Archi-Dux Auſtriæ, coronatur Pragæ, in Regem Bohemiæ, ac dein eodem anno Budæ, in Regem Hungariæ, pulſo & fugato Joanne Zapollya, Regni invaſore. Carolus Borbonius, Ductor copiarum Imperatoris in Italia, Romam invadit, & in conſcenſu muri, ſclopi ictu necatur, ejúsque milites Urbem diripiunt, Pontificémque captum detinent in cuſtodia. Hôc atroci nuncio Henricus Rex Angliæ, ad fœdus Pontificis accedit, & Franciſcus Galliarum Rex, exercitum ad liberandum Pontificem mittit; quibus Cæſar perterritus, eum emitti jubet è cuſtodia, ſed non niſi lytro ingenti priùs depoſito. Interea in Germania ſcriptis atrociter certatur, Lutherus parcebat nemini, non Tyaris, non coronis, viciſſim ipſe à multis impetebatur: Altercantur præterea inter ſe graviter Semi-Lutherani, qui poſtea Adiaphoriſtæ, & Confeſſioniſtæ ſunt dicti, & Rigidi Lutherani, aliter Illyricani, à Matthia Flacco Illyrico nuncupati.

1528. Henricus VIII. Angliæ Rex, ex amico Pontificis, fit ejusdem hoſtis, quòd Matrimonium illius, cum Anna Bolena, repudiatâ Catharinâ uxore legitimâ, approbare noluerit. Igitur Romani Pontificis nomen, & memoriam tolli jubet, ac ſe ipſum caput Eccleſiæ Anglicanæ nominari mandat. Concilium Senonenſe celebratur in Gallia adversùs hæreſes, & pro morum reformatione. Ordo Patrum Capucinorum, à Clemente V. Pontifice, magno bono Eccleſiæ confirmatur.

1529. Novis in dies Sectis rempublicam ſcindentibus, Spiræ in Conventu Imperij agitur de expeditione in Turcas, & decernitur ſtandum edicto Wormatienſi, contra Novatores. Contra hoc edictum, Lutheranæ ſectæ addicti Principes, ſollenniter proteſtantur. Unde orta eſt deteſtabilis Nomenclatura Proteſtantium, quod deinde ad Lutheranos & Sectarios tranſijt: Carolus V. cupiens coronari à Pontifice, redit in ejus gratiam, pacémque cum illo, ac ſimul cum Franciſco primo Rege Galliarum init, ſummo Chriſtianitatis emolumento. Solymanus, à Joanne Zapollya evocatus, Viennam cum 300. millibus obſidet, ſed obſidionem re infecta ſolvere cogitur. Agitur cum Carolo V. de Melita Inſula, Rhodienſibus militibus danda. Celebratum eſt hoc anno colloquium Marburgenſe, inter hæterodoxos, quod tamen diſſolutum eſt, diſſidentibus invicem Luthero & Zwinglio.

1530. Carolus V. Bononiæ coronatur Imperator, & exinde Gomitia Imperialia Auguſtæ celebrat, in quibus Proteſtantes offerunt Imperatori, confeſſionem ſuam, à Philippo Melanthone conſcriptam, quæ rejecta eſt ab Imperatore, jubente omnes redire ad priſtinam fidem, ac egregiè refutata à Doctori-

bus Catholicis: Reprobata quóque est confessio civitatum Zwinglio adhærentium. Protestantes proinde Smalcadiæ fœdus contra Catholicos ineunt, quod contra Turcas ineundum erat, plurimùm ad id incitate eos Luthero libro hac de re, à se edito. Equites Rhodienses, Melitam Insulam à Carolo V. sibi donatam ingrediuntur, exinde postmodùm Melitenses dicti, egregjíque Christianitatis contra Tùrcas, propugnatores effecti.

1531. Ferdinandus I. Caroli V. Frater, & Hungariæ ac Bohemiæ Rex, Rex Romanorum in Comitijs Coloniæ declaratur, & Aquisgrani coronatur. Joannes Tarnowsky Russiæ Palatinus, insignem victoriam reportat de Petro Wayvoda Moldaviæ. Protestantes iterum Smalendiam conveniunt, & novum fœdus cudunt contra Cæsarem, ac Catholicos, eorúmque causam, seditiosissimis Libellis fovet ac defendit Lutherus. Helvetij Catholici, licèt numero inferiores, malè habiti à Zwinglianis, armis eosdem aggrediuntur, & victoriam de illis insignem reportant, occiso in prœlio Zwinglio, & tanquam proditore, & incentore horum tumultuum, ac insuper hæretico, flammis exusto. Nec mulìò post Oecolampadius hæresiarcha, in lecto repertus est mortuus, incertum, an à dœmone, vel incesta uxore strangulatus. Equites Melitenses, Methonem Peloponnesi Urbem, invadunt, ac diripiunt. Protrudit suam hæresim, Michaël Servetus, novus Arianus. Pontifex agit cum Basilio, Magno Duce Moschoviæ, de reductione ad unionem fidei Catholicæ, verùm res ultra Litterarum & Legatorum commercia, non processit. Schomascorum ordo, quibus curæ est, Orphanos alere, & ad artes bonósque mores instituere, ab Hieronymo Æmiliano, nobili Senatore Veneto, fundatur.

1532. In Comitijs Ratisbonensibus constituitur, ut ad úsque Concilium Generale, in causa Religionis, nemini facesseretur negotium. Bellum Turcicum, majori apparatu, quàm effectu & fructu, utráque ex parte geritur. Carolus Imperator, Bononiæ in Italia agit cum Pontifice de Concilio Generali, pace Italiæ, & Bello in Turcas. Congregatio Recollectorum Sancti Francisci, à Pontifice approbatur.

1533. Clemens Papa Messaliæ, colloquitur cum Francisco Primo Rege Galliarum, agítque cum illo, de hæresi reprimenda. Defuncto Rege Daniæ, post multa dissidia, eligitur Christianus Holsatiæ Dux, qui sublatis Episcopis, Lutheranam sectam in eo firmat. Barbarossa creatus à Solymano Maris Præfectus, excursionibus suis, ditiones Christianorum vastat.

1534. Solymanus Christianis pacem offert, quam dum cunctantur accipere, præclaras aliquot Urbes in Peloponeso perdunt. Barbarossa quoque Oras Latij & Liguriæ terret, Tunetúmque in Africa capit, & Solymano subijcit. Clemens Papa, Henricum VIII. Regem Angliæ, ob divortium Catharinæ, &

ſuper inductionem Annæ Bolenæ, anathemate percellit, ac deinde moritur, cui ſubrogatur Alexander Farneſius, dictus Paulus III. Ad hunc annum ſpectant Joannis Calvini initia. Eodem quóque anno Sanctus Ignatius Loyola, Societatis JESU Pariſijs ponit fundamenta.

1535. Franciſcus Primus Galliarum Rex, acerrimum hoſtem Sacramentariorum ſe præbet, aliquótque eorum in terrorem, exuri mandat. Unde Calvinus, Martyrium exoſus fugit Baſilæam, ibíque peſtilentes ſuas inſtitutiones condit. Carolus V. Imperator, Claſſe in Africam traijcit, & Coletam arcem capit, victo Barbaroſsâ, Tunetúmque expugnat, ac direpta Urbe, inde 20. millia Chriſtianorum liberat. Henricus VIII. Rex Angliæ, ex defenſore Eccleſiæ, fit Diocletianus, crudeliter ſæviens in ſuos, qui eum pro capite Eccleſiæ agnoſcere recuſant. Monaſterium, Urbs Weſtphaliæ, ab Epiſcopo & Principe Monaſterienſi expugnatur, & Anabaptiſtarum fictus Rex ſupplicio afficitur. Anna Bolena, coronatur Londini, & Eliſabetham redivivam Jezabelem parit. Calvinus Ferrariam venit, ut hæreſi inficeret Renatam, Ludovici XII. filiam, & uxorem Herculis Ducis, unde tamen anno inſequenti profugit Genevam.

1536. Joannes Calvinus Genevenſibus Sectæ ſuæ formam offert, ſed inde expellitur. Catharina repudiata, Uxor Henrici VIII. moritur, relictâ unicâ filiâ Mariâ, quam etiam exhæreditaverat impius parens. Eodem autem anno, Anna Bolena ſuper inducta concubina Henrici, adulterij & incæſtûs convicta, capite plectitur, & thalamum Regium Semeriæ ancillæ ſuæ relinquit. Carolus V. triumphans de expeditione Africana, Romam ingreditur. Pax inter Ferdinandum I. & Joannem Zapollyanum concluditur, honeſtis utrínque conditionibus. Eraſmus Roterodamus annorum 70. moritur Baſileæ, vir apud aliquos ambiguæ fidei, conſtat tamen eundem, Lutheri, & aliorum Novatorum acta & doctrinam improbâſſe, & multis etiam impugnâſſe. Alioquin homo erudititiſſimus, & ſcriptis notiſſimus.

1537. Turcarum Imperator mandat, ut Græcorum omnes Civitates, quæ vi captæ fuiſſent, careant Eccleſijs. Pontifex indicit Concilium generale Mantuæ, & poſtea Vincentiæ celebrandum. Smalcadiæ Proteſtantes, repudiant utrúmque locum, inſtantes, ut id fieret in Germania. Alexander Dux Florentiæ, fraude agnati Laurentij occiditur, ſuccedente Coſmo Medicæo magnæ ſpei adoleſcente. Æthna mons exæſtuans, terret vicina loca. Franciſcus Primus Galliarum Rex fœdus init cum Solymano Turcarum Imperatore, ex quo tamen fœdere flagitioſo, plus dedecoris, quàm fructûs ac utilitatis, retulit. Barbaroſſa interim, excurſione facta diripit, & fœdè vaſtat Italiam. Chriſtiani ad Eſſekum, à Turcis profligantur ingenti clade. In Dania mutatur à Chriſtiano III.

no III. Ecclesiæ status, inducta Lutheri secta, & septem superintendentibus, pro Episcopis substitutis, quod & in Norvegia factum.

1538. Paulus M. Pontifex, conatus ad concordiam revocare Franciscum & Carolum, licét ætate gravis *Nicæam* venit, Cæsar *Monæcum*, Franciscus *Villam Francam*, ambo Pontificem salutàrunt; sed ut mutuò se viderent, & colloquerentur, adduci non poterant, quisque cum Pontifice seorsim tractans, pactísque ad decennium inducijs, ab invicem discedunt. Postmodùm tamen Carolus & Franciscus, ad *Aquas mortuas* ex condicto conveniunt, & se magna amoris significatione complexi sunt. Henricus VIII. Rex Angliæ furit, & suæ crudelitati fræna laxat, Ecclesias & Monasteria subvertens, ipsúmque Sanctum Thomam Cantuariensem, ex Sanctorum numero expugni jubens, ossáque illius exuri mandans. Concilium Generale Vincentiam translatum, differtur in annum insequentem. Expeditio à Christianis ingens in Turcas suscipitur, sed eventus illius, expectationi non correspondit. Unde Veneti à Turcis pacem impetrant, cedentes eis aliquot Urbes, in finibus Macedoniæ.

1539. Georgius, Dux Saxoniæ, Catholicæ Religionis egregius propugnator moritur, relicta ditione suâ Misniâ Henrico fratri, ea Lege, ut nihil immutaretur in ea, quò ad Religionem, alioquin hæc Imperatori cederet, is tamen cuncta immutavit, eámque ipse Lutheranus, Lutheranam effecit. Henricus VIII. in Conventu Londini nova decreta fidei edit, de Eucharistia, Pœnitentiâ, votis, cœlibatu, discrepantia, & à Catholicorum, & à Novatorum doctrina, ipse verò post Joannam Semeyram, ducit Annam, Sororem Ducis Cliviæ.

1540. Henricus VII. Angliæ Rex, Regem Hiberniæ se nominat, & repudiatâ Annâ Clivensi, ducit Catharinam Havvardam. Eijcit quóque ex Anglia, & bonis spoliat Equites Melitenses, & tam Catholicos, quàm Sacramentarios supplicijs afficit, ipse jam nec Catholicus, nec Sacramentarius, sed novæ & à se confictæ fidei. Franciscus primus Rex Galliarum in Hæreticos graviter animadvertit, & hæresum propugnatores, ignibus exurit. Joannes Zapollya Wayvoda Transylvaniæ, & Hungariæ Interex, moritur. Institutum Societatis JESU, pro maximo emolumento Ecclesiæ Catholicæ, à Paulo III. Pontifice approbatur, & diplomate confirmatur.

1541. In Comitijs Ratisbonensibus, urgent Protestantes, ut Cæsar motas de Religione controversias audiat, si non etiam decidat, sed is eas ad Concilium Generale reijcit, concedit tamen ijsdem, ut pro interim certam præscriptam formulam credendi servare illis liceat. Ibidem institutum fuit colloquium, de novis circa Religionem controversijs, inter Joannem Eckium, & Melanthonem, cui interfuit etiam Calvinus, sed sine aliquo fructu ac utilitate, nam

licèt pro illo ſtaret vèritas, in his tamen prævaluit pertinacia & arrogantia, ac inter ſe diſſenſio. Ferdinandus I. Budam obſidet, ſed Solymanus ſuperveniens obſidionem ſolvit. Carolus Imperator ingentem Claſſem in Turcas Algerianos ducit, verum immanitate procellæ, víq; tempeſtatum, claſſis in tantùm atteritur, ut ægrè in Hiſpaniam ſe reciperet. Calvinus revocatur Genevam. Sanctus Franciſcus Xaverius, à Sancto Ignatio expeditur in Indiam.

1542. Concilium Generale, à Paulo III. Pontifice Tridentum indicitur, reclamantibus iterum Proteſtantibus, néque rem néque locum optantibus. In Conventu Spirenſi, bellum in Turcas decernitur, quæ expeditio initiò magnis animis ſuſcipitur, ſed poſtmodùm cunctatione diſſipatur, plurimùm adnitente Luthero, qui bellum in Turcas ſuſcipiendum ſcriptis etiam libris diſvadebat. Galli conatu irrito Perpinianum obſident, & Turcam in auxilium invocant. *Ricciolus*. Liber Inſtitutionum Calvini, proſcribitur. Henricus VIII. Uxorem Catharinam Havvardam, adulterij convictam, capite mulctat, & ſextam ducit Uxorem. Sanctus Franciſcus Xaverius appellit in Indiam.

1543. Carolus V. & Franciſcus I. Bellum continuare pergunt, & hîc Turcicam Claſſem, átque Barbaroſſam evocat, ut ejus operâ Nicæam Ligurum expugnaret, quod etiam is exequitur, arx tamen fortiſſimè reſtitit, & Turcorum Gallorúmque aſſultus eluſit, interim Turcæ excurſionibus factis, magnam Italiæ partem fœdè devaſtant. Hæc nimirum eſt Chriſtianorum Principum, cum Turcis armorum ſocietatis utilitas! Concilium Tridentinum ſuſpenditur, dein Pontifex Carolum & Franciſcum reconciliare nititur. Obeunt Joannes Eckius, & Albertus Pighius, egregij Fidei Catholicæ propugnatores, & de adverſarijs veræ Religionis triumphatores. Hermannus Comes de Wada, Archi-Epiſcopus Colonienſis, in fide apud ſuos ſuſpectus, à Capitulo accedente Pontificio & Cæſareo decreto, deponitur, omniſque eidem tam politica quàm Eccleſiaſtica adminiſtratio, fruſtra renitentibus Lutheranis confœderatis, aufertur.

1544. Barbaroſſa evocatus à Franciſco Primo Rege Galliarum, iterum Chriſtianos Cæſareanos vexat. Unde in Comitijs Spirenſibus decretum eſt in eum Bellum, & promiſſa pecunia, átque copiæ. *Brietius*. Pax inſperata poſt acerimum prœlium, ad vicum *Cériſolas* inter Carolum V. & Franciſcum Primum Galliarum Regem concluditur, reſtitutis, quæ ex hoc bello ex utráque parte occupata fuerant. Sanctus Franciſcus Xaverius, miro ſucceſſu rem Chriſtianam in Oriente promovet. Moritur Romæ Joannes Magnus Archi-Epiſcopus Uſpalenſis, Legatus Pontificius, exantlatis laboribus pro Fide Catholica, multíſque ærumnis toleratis.

1545. In Comitijs Wormatienſibus, Carolus Cæſar, urgente Pontificis

cis Legato Alexandro Farnesio, decernit Sectarios stare debere judicio Concilii Tridentini, mox celebrandi. Sed incitante novis libris Luthero, Protestantes id præstare recusant, & arma contra Cæsarem parant. Pontifex è contra, inita jam pace inter summos Christianos Principes, illud unicè urget, átque etiam efficit, ut sub finem hujus anni, tam diu ac toties à bonis exoptatum Concilium Generale inchoaretur, cujus proinde initium datum est 13. Decembris Tridenti. Insigni Expeditione Franciscus Primus Galliarum Rex, Waldenses Hæreticos delet.

1546. Continuatur Concilium Tridentinum, cùm de eo abrogando Protestantes Francoforti consultant. Habitum est iterum Ratisbonæ colloquium, Catholicos inter & Novatores, ex quo tamen hi turpiter aufugiunt. Lutherus, cùm vesperi bene potus, átque hilaris decubuisset, repertus est mortuus, gutture tumente, haud dubio à dœmone suffocatus. Carolus Cæsar, Ratisbonam Comitia indicit, ad quæ tamen plerique protestantes Principes venire renuunt, & Cæsari bellum denunciant: Cæsar proinde sine mora luculentum exercitum comparat, & proscriptis priùs omnibus militantibus sub Protestantibus, quorum præcipui Duces fuêre: Fridericus Saxoniæ Elector, & Philippus Hassiæ Landgravius, levioribus prœlijs eosdem atterit, & aliquos eorum comprehendit, & quasdam etiam Civitates ad deditionem adigit. David Cardinalis Betonius, Archi-Episcopus Szantandreanus, à scetis hæreticis cæsus, pro Martyre habetur.

1547. Concilium Tridentinum jam sedulò promotum, octo Sessionibus celebratis, ob exortam Tridenti luem, Bononiam transfertur, ast postmodùm interrumpitur, celebratis tamen priùs ibidem duabus Sessionibus. Henricus VIII. Angliæ Rex, cùm moribundus, vinum cyatho inverso effundens ingemuisset, dicendo: *Amici, omnia perdidimus, vitam, existimationem, animam, cœlum, interit.* Statuerat quidem is Ecclesiæ reconciliari, sed parasitarum, & aulicorum turba, quos sacris bonis locupletaverat, impedijt. Sumpsit tamen Eucharistiam Catholico more, hæredésque instituit: primò Edvardum ex *Semeira* natum, dein Mariam ex Catharina filiam, deníque Elisabetham, ex Anna Bolena, filio autem novenni, adjunxit sedecim tutores, sub quorum gubernio, post Schisma, hæresis Regnum Angliæ occupavit. Mortuus est hoc eodem anno Franciscus Primus Galliarum Rex, ex febre continua, omnibus Ecclesiæ Sacramentis munitus, succedit eidem filius, Henricus II. Annos jam natus duodetriginta. Obijt quóque Constantinopoli Barbarossa, Turcicæ Classis Præfectus, & Algirij Rex. Obijt & in novo orbe Ferdinandus Cortesius, Mexici domitor, & novæ Hispaniæ conditor. Carolus V. Cæsar, Fridericum Electorem Saxoniæ, magno prælio vincit, & victum capit, & Landgravium Hassiæ, supplicem ad se veni-

venientem, detinet, Ernestum quoque Ducem Brunsvicensem, in custodiam dat, partâ hâc victoriâ, dicens: veni, vidi, Christus vicit. Tum celebrata sunt Augustana Comitia, sed ab armato Cæsare, qui & in eam Urbem triumphans ingressus est, in ijs Fides Catholica erecta est, hæresis depressa.

1548. Celebrantur interea Concilia Provincialia, Trevirense, & Augustanum. Moritur Sigismundus Rex Poloniæ, octuagenario major, succedit eidem Sigismundus Augustus filius, ultimus ex Jagelonum familia. Maria, Regina Scotiæ sexennis, invitis Anglis, ducitur in Galliam desponsanda Delphino. Paulus III. Pontifex, oratu Francisci Borgiæ, Ducis Gandiæ, aprobat libellum exercitiorum spiritualium, à Sancto Ignatio Loyola conscriptum, divinum planè opus, quod inexplicabilia protulit, & in dies profert emolumenta Ecclesiæ. Henricus II. Rex Galliæ, seligit judices, qui de hæreticis graviter statuerent. In Anglia sævitum in Catholicos, abolitâ Missâ, inducta Calvini secta, postmodùm in alias varias divisa. Ad Comitia Augustana Legatos duos mittit Basilius Magnus Dux Moschoviæ, ubi cum Cæsare fædus contra Turcam init. Formula quædam, quâ 26. Capita continebantur, de vivendi modo circa Religionem, úsque ad Concilij definitionem, dicta. *Interim* nec à Catholicis probata, & ab hæreticis aliquibus rejecta, ab aliquibus recepta, unde hi sic Interimista nuncupati sunt.

1549. In Angliâ exoriuntur plurimi tumultus, occasione sparsarum hæresum per illud Regnum. Ad Calvinum profugit hoc Anno Genevam, Theodorus Beza, Clericus libidinosus, omníque turpitudine infamis. Moritur Paulus III. annos natus 82. Adit Japoniam Franciscus Xaverius, ad prædicandum Evangelium illis gentibus.

1550. In locum Julij II. eligitur Pontifex Maximus, *Maria de Monte*, dictúsq; est Julius III. Et Pontificatum suum exorditur ab indicto Jubilæo, multis ad illud, Romam concurrentibus, Carolus V. celebrat Comitia Augustæ, agítque cum Pontifice de Concilio Tridentino restituendo, quò etiam Pontifex Decembri mense Episcopos revocat. In Anglia morbus pestilens, & incognitus medicis exoritur. In Carinthia, inter Villacum & Clagenfurtum frumento pluit, ex quo panis optimus confectus, ac ipsi Cæsari oblatus. *Brietius*. Tolosæ crematur quidam ex Novatoribus, qui se Sancti Joannis Evangelistæ Spiritum habere jactabat. Visus est & Parisijs ac Basileæ alius, qui se ab Angelo Sancti Petri dirigi dictitabat, alius deníque ab Angelo Mosis. *Genebrardus*. *Gualterius*; adeò hoc Sæculum, spiritu privato & vertiginis agebatur.

1551. Concilium Tridentinum resumitur. Bellum inter inperatorem, & & Regem Franciæ resuscitatur. Andreas Osiander heresiarcha, spargit suas hæreses per Prussiam. Joannes Basilius Magnus Dux Moschoviæ, post septennem obsi-

obſidionem, Cazanum expugnat, multóſque Tartaros ad Baptiſmum deducit. Enaſcitur novum Bellum in Hungaria inter Turcas & Ferdinandum I. Regem Hungariæ. Turcæ Melitam Inſulam fruſtra tentant. Tripolim tamen Africæ, à Melitenſibus occupatam, deditione accipiunt. Georgius Monachus Varadienſis, & jam Cardinalis cæditur.

1552. Ob imminens bellum, Concilium Tridentinum ſolvitur. Mauritius Saxoniæ Elector, bellum infert Imperatori, quod tamen Ferdinandus Caroli frarer, componit, per Friderici Saxonis, & Landgravij Haſſiæ eliberationis impetrationem, & in Conventu Paſſavienſi promiſſionem, nemini faciendam moleſtiam, religionis causâ. Sanctus Franciſcus Xaverius, dum in Sinas Evangelium inferre intendit, in Inſula *Sanciano* ſanctiſſimè moritur. Objerunt quóque hoc anno Joannes Cochlœus, & Ambroſius Catharinus, Catholici Scriptores. *Siun* Patriarcha Neſtorianorum Romam venit, & Romano Pontifice pro univerſali Paſtore agnito, Neſtoriaſmum abjurat. Lutheranorum cum Zwinglianis bellum, à Joanne Weſtphalo inſtauratur, qui librum ſcripſit, in quo Sacramentariorum opiniones, haud minùs confuſæ, quàm inter ſe diſſidentes, cribrantur.

1553. Edvardus Rex Angliæ, anno ætatis 17. moritur. Succedit favore populi & Magnatum, Maria, filia Henrici, ex Catharina primâ legitimâ conjuge. Hæc mox fidem Catholicam in Regnum reſtituit, & titulum Capitis Eccleſiæ Anglicanæ reijcit, ac pro Legato Apoſtolico Reginaldum Polum accerſit, pulſis Pſeudo-Epiſcopis & Miniſtris hæreticis. Galli *Vercellas*, & auxilio Turcarum *Corſicam* occupant. In Italia & Belgio vario Marte inter Duces Imperatoris, & Henrici II. Galliarum Regis, pugnatur. Tranſylvania turbatur per Iſabellam Joannis Inter-Regis viduam, quæ contra Ferdinandum evocaverat Turcas. Solymanus Muſtapham filium ex amore Roxolanæ Uxoris ſtrangulari jubet, & Bajazethem, ex Roxolana ſuſceptum, in ſucceſſorem deſignat. Michaël Servetus, novorum Arianorum Author, Genevæ, procurante Calvino, eâdem pœna digno, vivus exuritur, hujus tamen ſectam, Valentinus Gentilis, & Georgius Blandrada, in Tranſylvania & Polonia poſtmodùm diſſeminârunt. Simon *Sulaka*, Orientis trans Euphratem Patriarcha, Romæ à Julio III. Pontifice recipitur. Excipitur quóque Moſes *Mardenus* Aſſirius Jacobita, miſſus ab Antiochiæ Patriarcha; cujus operâ editum eſt Novum Teſtamentum, linguâ & charactere Syriaco, impreſſum primò Viennæ, Anno 1555.

1554. Maria Regina Angliæ, nubit Philippo Caroli V. filio. Reginaldus Polus Legatus Apoſtolicus, Regio ſanguine, doctrinâ & pietate conſpicuus, totam Angliam reconciliat Eccleſiæ. Joannes Baſilius Moſchorum Dux, Regnum *Aſtracanum* Tartaris eripit, Aſtracanenſes verò omnes, aut Sacro Baptiſmo eluti, aut contumaces feralibus aquis ſubmerſi ſunt. Inter Calvinum & Miniſtros Zwinglianos Bernenſes, grave fit diſſidium, & hi eidem oſtendunt quindecim articulos hæreticos, circa prædeſtinationem, & reprobationem, ex ipſius ſcriptis collectos. *Genebrardus.*

1555. Julius III. Pontifex obit, cui substituitur Marcellus Cervinus II. Politianus, vir laudatissimis moribus, sed proh dolor! intra 22. dies elatus est, & tenui pompâ, sed cum multis lacrymis Romanorum, & dolore omnium bonorum, sepultus. Huic verò succedit Joannes Petrus Caraffa Neapolitanus, penè octuagenarius, dictúsque est Paulus IV. In Anglia seriò animadversum est in hæreticos, & Thomas Crammerus Pseudo-Archi-Episcopus Cantuariensis, convictus fictè recinuisse palinodiam, impœnitens, vivus combustus est, ac in ejusdem locum suffectus Reginaldus Polus, legatus Apostolicus in Anglia. Parisijs quóque supplicijs tolluntur hæretici. In Germania, tot tam diversis hæreticorum Catechismis, Petrus Canisius Societatis JESU, opponit, & concinnat Catholicum Catechismum, qui deinde sparsus per orbem universum, propositus est tanquam Doctrina purissima Christianitatis. Carolus V. Imperator administrationem Imperij commendat Ferdinando fratri, reliqua Regna Filio Philippo resignat, & DEO, sibíque vacaturus, privatam vitam eligit. Andreas Oviedus è Societate JESU, Patriarcha Æthiopiæ à Pontifice designatur, in qua impigrè usque ad obitum laboravit. Brasilia hoc anno detegitur. Sanctus Thomas de Villa Nova Archi-Episcopus, magno ejulatu pauperum, in quos erat effusissimus, in cœlum migrat.

1556. Inter Hispanos & Gallos induciæ fiunt quinquennales, sed brevi abrumpuntur. Turcæ hoc anno duas clades accipiunt, unam ad Oranum Africæ, unde repulsi sunt, alteram ad Szigetum in Hungaria, unde rejecti sunt, sed in Transylvania fœliciùs opitulati sunt Isabellæ, expulerunt enim inde omnes Ferdinandi copias, plùs tamen damni ipsismet incolis, quàm his intulêre. Carolus V. ex Belgio venit in Hispaniam, ac secedit in Monasterium Sancti Justi Fratrum Hieronymitarum. Sanctus Ignatius Societatis JESU Fundator, anno ætatis 63. cùm per universum orbem filios suos in Collegia Centum, & Provincias duodecim distribuisset, migrat ad Domini gloriam, quam in terris tantô studiô ac conatu propagare intendebat.

1557. Obijt hoc anno Joannes III. Rex Lusitaniæ, omnibus quidem virtutibus, sed vel maximè pietate, & zelo promovendæ Catholicæ Fidei, inter barbaras gentes, excellens. Eidem successit Sebastianus, ex filio Joanne priùs defuncto nepos posthumus, tum trimulus, sub tutela aviæ Catharinæ sapientissimæ ac pijssimæ fœminæ. Tiberis insana & extraordinaria exundatione Romam inundat. Fame affligente Germaniam, Rex Catholicus Philippus, aluit 30. millia pauperum. In Livonia, Hæretici Novatores, eversis ritûs Græci basilicis, dant occasionem Moschis, invadendi & devastandi Torpanensem agrum, & dein universam Livoniam.

1558. Maria Scotiæ Regina, & hæres nubit Francisco Delphino, con-

tra

tra quas nuptias fremebant hæretici Scoti, & quia non comprimebantur, etiam Catholicis & Ecclesiæ insultabant. Obit hoc eodem anno Maria Regina Angliæ, cum maximo dolore Catholicorum. Statim igitur Maria Scotiæ Regina, se quóque Reginam Angliæ dicit, & jubente socero usurpat insignia Regni. Sed ab Anglis eligitur Elisabetha filia Henrici VIII. ex Anna Bolena, hæresim professa ne Ecclesia natales ejus damnaret. Auditâ morte Reginæ Mariæ, Reginaldus Polus Cardinalis, ex quartana decumbens febre, intra sedecim horas obijt, vir tantis corporis & animæ dotibus præditus, ut à plerísque judicaretur summo Pontificatu dignissimus. Francofurti, Ferdinandus à Principibus pro verô & legitimo Imperatore agnoscitur & habetur. Moritur hoc eodem anno Carolus V. Imperator, morte pijssima, ad quam obeundam se sedulò, resignato Imperio, disposuerat. Selimo & Bajazethe de Imperio certantibus, vivo adhuc parente, victus Bajazethes, ad Techmanem Regem Persarum fugit, sed instante Solymano, cum filijs ibidem suffocatur.

1559. Declarata Angliæ Regina Elisabetha filia Annæ Bolenæ, hæresim ferens in pectore, sævire incipit in Catholicos, novámq; inducit Religionis formam, ut se caput Ecclesiæ Anglicanæ ostenderet. Pax inter Philippum II. Hispaniæ & Henricum II. Galliæ, Reges, in agro Cameracensi, toti orbi gratissima, concluditur. Paulus IV. Pontifex, in nepotes suos severè animadvertit, submovendo eos à præcipuis quæ gerebant, officijs, omnésque relegando. Dum Parisijs celebrantur nuptiæ, Elisabethæ Filiæ Henrici II. cum Philippo II. Rege Hispaniæ, Rex Heinrcus in ludicro hastiludio vulneratur hastæ confractæ frusto, per oculum ad occiput penetrante, & relatus in Palatium moritur, magno Catholicorũ dolore, gaudio hæterodoxorum. Succedit Patri Franciscus II. primogenitus, Annum agens ætatis 18. qui mox uxorem Mariam, Scotiæ, Hiberniæ, & Angliæ Reginam, Elisabethâ indignante renunciari curat. In Gallia Calvinianæ Sectæ seriò quidem, sed serò obviam itur. Philippus Hispaniæ Rex exemplo Francorum doctus, initijs statim ejusmodi hominum insaniæ providet, & animadvertere jubet adversus se se insinuantes in Hispaniam hæreticos. Eodem Anno, moritur Paulus IV. Pontifex, cui subrogatur Joannes Angelus *Medicinus*, Mediolanensis, dictúsque est Pius IV.

1560. Nepotes Pauli IV. Pontificis, quos ipse Paulus ob crimina Urbe ejecerat, Pius IV. Pontifex publicis carceribus mancipari jubet. Hæretici in Gallijs, contra Regem, & Guisios, authoribus, ut creditum est Calvino & Bezâ conspirant, sed conjuratione detecta, plurimi ex complicibus jugulantur, capite mulctantur, suspenduntur, supplicia tamen hæc de hæreticis Rex, remittenda curat. In Scotia rem Catholicam fortiter tuentur Galli, contra sectarios rebellantes favore Anglorum, turpis tamen dein cum ijsdem conclusa est pax, ut-

potè Scotiæ & Ecclesiæ pernitiosa. Rex Mauritaniæ in Urbe Fessa, cum plurimis baptizatur. *Ricciolus*. Pius IV. Concilium Tridentinum renovare parat. *Brietius*. Franciscus II. Rex Galliæ, apostemate ad nares enato, Anno ætatis duodevigesimo, Regni mense 17. moritur. Succedit eidem Carolus IX frater, Annos natus 10. cum dimidio. Classis Hispanica propè Insulam *Zerbi*, à Turcis profligatur, ingenti Christianorum damno & strage. Moritur quóque hoc Anno Gustavus Sueciæ Rex Lutheranus, cui succedit Erricus XIV. Obit quóque Philippus Melanthon Adiophoristes, & dubius, in quam inclinaret partem. Centuriatores Magdeburgenses, suas mendacissimas Centurias Tomis XIII. protrudunt, Aureum opus ab heterodoxis dictum, sed quod stramineum esse ostenderunt, Baronius & Bellarminus.

1561. Nepotes Pauli IV. convicti de criminibus, supplicio affici à Pio IV. jubentur. Maria Regina, orbata Matre & Marito, in Scotiam redit. Protestantes in Germania Namburgum Thuringiæ conveniunt, & de Concilio disceptant, sed statim parùm concordes inter se discedunt. Instituitur Piscianense colloquium in Gallijs, inter Catholicos Doctores, & Novatores, in quo Lutherani & Calvini sese invicem confutabant, utrósque verò retudêre fortiter Cardinalis Lotharingius, & Laynius Societatis JESU Generalis. In Livonia Fides Catholica magnum detrimentum patitur, extincto Livonico Ordine, & bonis Ecclesiasticis inter Nobiles distractis, ac Lutheranismo inducto. Colsalvus Sylveria è Societate JESU, in Regnum Monomotapa Evangelium invehit, & Regem ac Reginam ad Christianam Fidem amplectendam inducit, ac baptizat, illi nomen Sebastiani, huic Mariæ imponendo, sed non multò post, insidijs Machometanorum Martyrio afficitur. In Scotia adeò Hæresis invalescit, ut vix Mariæ Reginæ, quæ eô se receperat, Religionis Catholicæ libertas permitteretur. In vallibus quóque Sabaudiæ, Waldensium reliquiæ audent caput erigere. In Gallia similiter impudenter præsumunt Hugonotæ postulare à Regina matre ac Rege filio, templa sibi concedi, átque etiam extorquent, ut illis permissum fuerit, suos agere Conventus, sed extra Urbium mœnia, ídque duntaxat usque ad Concilij Tridentini determinationem. Prima Congregatio Beatissimæ Virginis, in Romano Collegio Societatis JESU instituitur à qua derivatæ sunt postmodùm per universum orbem similes Congregationes, in ejusdem Societatis Collegijs, ac Residentijs.

1562. Resumitur hoc Anno seriò Concilium Tridentinum, quo tempore maximè turbatur Gallia ab Hugonotis Hæreticis, qui multas Urbes Galliæ vi occupant, & crudeliter in Catholicos sæviunt, demum memorabili prœlio ad Urbem Druidum cum Catholicis confligunt, victoriâ stante ex parte Catholicorum. Maximilianus filius Ferdinandi, coronatur in Regem Bohemiæ Pragæ,

ac dein in Regem Romanorum Francofurti. In Italia contagio Catarrhi plurimi extinguuntur mortales. *Adclisu* Patriarcha Musalæ in Assyria Orientali, Romam venit, ut à Sancta Apostolica Sede confirmetur, qui obtulit Professionem Fidei, & præstitit juramentum fidelitatis. Hoc eodem Anno Ordo Militaris Sancti Stephani Papæ, à Cosma Medicæo, Florentiæ Duce institutus, à Pio IV. Pontifice, approbatur.

1563. Concilij Tridentini finis imponitur. Franciscus Guirsius, Regij Galliarum exercitûs, adversùs rebelles Hugonotas, dum Aurelias obsidet, proditoriè, à Joanne Politvotio, submisso à Theodoro Beza, nefario hæretico, minimo sclopo interemitur. Joannes Moschoviæ Dux, ob receptos Livones Equites, Polotiam Urbem Lithvaniæ, Polonis eripit. Hugonotis turbulentissimis in Gallijs, pax indecora licèt, à Rege tamen publici boni, & desiderio pacis amatore, conceditur. Congregationes Beatissimæ Virginis, per Collegia Societatis JESU propagantur.

1564. Concilium Tridentinum, à Pontifice confirmatur, & Congregatio octo Cardinalium instituitur, de ejus executione. Pontifex, & Principes Catholici, ad Carolum II Regem Galliæ, verentes, ne in sua tenera ætate, fiat alienior ab Ecclesia Romana mittunt ablegationem, quàm Rex ita excipit, ut non solùm Christianissimum, sed & Catholicæ Fidei, zelozissimum, se esse ostenderet. Ferdinandus I. Imperator moritur, Princeps Religiosissimus, & amans Ecclesiæ, cujus pacem, non semel suo anteposuit Imperio. Puritanorum secta oritur in Anglia, & Trinitariorum in Polonia. Scotia admodùm per hæreses turbatur, interim tamen Maria Regina Scotiæ, nubit Henrico Stvardo, Duci Lenoxio Catholico, & ex Regio Sanguine. Impiam evomit animam Genevæ Joannes Calvinus Hæresiarcha.

1565. Pro recipiendo Concilio Tridentino, celebrantur multa Concilia Provincialia. Pius IV. Papa moritur. Turcæ à Melita Insula, magna strage repelluntur. Hæretici in Gallia occultè parant arma contra suum Regem Carolum IX. Belgæ quóque Acatholici, Francorum exemplo ac monitis incitantur ad faciendam conjurationem, contra Philippum II. Hispaniæ Regem, & Belgarum Principem. Ac principio quidem agunt supplicibus libellis, ut obtinerent libertatem suæ religionis, (seu potiùs libertatem, liberè ac pro suo libitu vivendi, & de Religione sentiendi) & hanc quidem extorquent à Rege Galliæ. At Rex Philippus vir sapiens tergiversationibus petitiones illorum eludit, & Concilij Tridentini decreta accuratè servari jubet. Ad gremium Ecclesiæ quam plurimi in Indijs, operâ Religiosorum diversorum Ordinum vocantur & adducantur, dum Europæi deficiunt.

1566. Eligitur in Pontificem, Michaël Ghislerius Cardinalis Alexandrinus,

nus, nihil tali cogitans, ac nihil simile quid de illo alijs cogitantibus, ac consequenter divinitùs, dictúsq; est Pius V. Qui statim exemplo suo, novã faciem Urbis Romanæ inducit, & contra hæreticos ac Turcas defensioné Ecclesiæ suscipit, & contra illos quidem inquirere sedulò in fide suspectos jubendo, contra hos verò omnes Principes Christianos, in armorum Societatem invitando. In Comitijs Augustanis, Maximiliano Imperatori, maxima decernuntur auxilia contra Turcas. Solymanus per Pialim Bassam, Insulam Chio occupat, ipse verò in persona Hungariam aggreditur, at in obsidione Szigethiana extinguitur. Succedente eidem Selymo filio. In Belgio errumpit Geusiorum in Regem Philippum, & Catholicos vesania ac Rebellio. Qui mox sacra profanáque omnia commiscent, templa diripiunt, sacras imagines deturbant, infinitáque patrant sacrilegia. In Scotia pariter, per hæresim turbantur omnia, & Reginæ insidiæ struuntur. Interea tamen Regina filium parit, quem ægre licèt ritu tamen Catholico baptizari curat, Carolum Jacobum dictum, qui postea omisso primo nomine, dictus est tantùm Jacobus. Romæ baptizatur Synagogæ Præfectus, cum plùs quàm 300. Judæis.

1567. Henricus Scotiæ Rex, à perduellibus cæditur, & Regina Maria per calumniam in custodiam traditur, & ad resignationem Regni adigitur. In Belgio Geusiorum ferociam Dux Albanus frangit, & per Belgium, severas Religionis & Rebellionis quæstiones exerceri curat, quarum metu, malè sibi conscij, 30. & ampliùs millia, in Angliam, Franciam, & Germaniam profugiunt. Hugonotæ in Gallia, Regem & Matrem Reginam intercipere statuunt, & hàc machinâ non succedente, eundé Parisijs obsident, ac tandem etiam prælio cum eo confligere præsumunt, in quo ex Parte Regis stetit victoria, sed cadmæa, plures siquidem ex Regijs, & majoris nominis, quàm ex parte Rebellium interiêre.

1568. Inter Maximilianum Romanorum, & Selymum Turcarum Imperatores, pax octennis transigitur. Carolus Princeps Hispaniæ, à Philippo Patre, in vincula conjectus moritur. Maria Regina Scotiæ, elapsa ex carceribus, in quibus detinebatur in Arce Levini, fugit in Angliam, sed ubi fugæ præsidium quærebat, ibi in duriores incidit carceres, detenta ab Elisabetha Angliæ Regina. Dux Albanus in Belgio, Comitem Egmontium & Hornanum, aliosque præcipuos Rebelles, securi percuti publicè jubet, & Ludovicum Nassovium, ac Guillelmum Nassovium, majoribus cladibus vexatos, toto Belgio exturbat. In Gallia Hugonotæ, dum arma deponere renuunt, Regem ad ea sumenda impellunt. Erricus Sueciæ Rex, uxori legitimæ, concubinâ superinductâ, & coronatâ, in custodiam cum ea, à Joanne & Carolo fratribus datur, & Joannes à Proceribus Rex declaratur.

1569. Dira fames Italiam vexat. Henricus frater Regis Galliarum, Catholi-

tholicorum Ductor, acie Sectarios, ad Jarnacum vincit & profligat, 94. Vexilla, in hoc prælio obtenta, misśáque à Rege, ad Pium V. in Templo Sancti Petri suspensa sunt. Idem Pius Papa, auxiliares Catholicis mittit Equites bis mille, pedites quatuor mille, qui juncti copijs Henrici fratris Regis, iterum Sectarios majori strage quàm priùs afficiunt, cœsis Hugonotorum duobus deviginti millibus. In Anglia quóque res Catholicorum graviter perturbantur, dum pugnare potiùs quàm pati malunt. Rebellant & Mauri in Hispania quæ tamen turbæ, sedatæ sunt, Ducis Acocosij sapientiâ. Cosmus Medicæus, Florentiæ Dux, ob præclara sua, de Fide Catholica merita, à Pio V. Magnus Dux Hetruriæ denominatur, & Coronâ Regali donatur.

1570. Maximilianus Imperator, duas filias nuptui tradit, Elisabetham Carolo Galliarum, & Annam Philippo Hispaniarum Regibus, Hæreticis ægrè ferentibus, hanc tantorum Principum conjunctionem, & concordiam. Jacobus Nothus, Moraviæ in Scotia Comes sceleratus, tot in Regno tumultuum excitator, & promotor, cæditur à Jacobo Hamiltonio, cujus familiam persequebatur, & trajectus glande plumbea, inter blasphemas voces desperatam evomit animam. Fugit proinde Hamaltonius in Galliam, ubi Catholicus factus, egregiam Carolo Regi, militarem præstitit operam. In Gallia hæretici modò victi, modo victores, pacem cum Rege ineunt. Selymus Nicosiam Metropolim Cypri expugnat, & Fama-Augustam obsidet, dum interim Pius V. Fædus sacrum cum Philippo Hispaniarum Rege, & Venetis procurat. Ignatius Azevedius, cum alijs 38. de Societate JESU, in Brasiliæ conversionem pergentibus, à piratis Calvinistis, odiô fidei, Martyrio afficitur.

1571. *Fama-Augusta* post obsidionem undecimestrêm, Turcis deditur certis conditionibus, quas tamen Turcæ irritati, ob 80. millia suorum, in illa obsidione amissa, servare recusarunt, Christianis in suam potestatem redactis, aut trucidatis, aut ad triremes relegatis. M. Antonius Bragadinus frustra tentatus, de ejuranda Religione, vivus excoriatus est. Sævitum deinde in reliquos Duces, & milites atrociter. Interea Pius V. Pontifex, concluserat, & promulgârat fædus Christianorum Principum contra Turcas, electúsque fuerat in Generalem Classis Imperatorem Joannes Austriacus, filius naturalis Caroli V. & frater Regis Philippi. Hic igitur ad Echinadas Insulas, cum Turcica Classe, magno ardore animi congreditur, non minore ferociâ Turcæ resistunt. Quatuor duntaxat horis durat prælium accerrimum, tandem patrocinio Beatissimæ Virginis, quam Pius V. in Patronam hujus expeditionis elegerat, mutato de repentè vento, & tormentorum fumo in oculos Ottomanorum delato, memorabilem de ijs reportat victoriam, in cujus perpetuam memoriam, diem hanc, annua solennitate decernit Pontifex celebrari, sub nomine Sanctæ Mariæ de *Victoria.*

ctoria. Tartari Præcopenses, Moschuam Urbem invadunt & deprædantur. Moscis, qui prædam ab ijs recipere conabantur, internecione deletis. Moritur Joannes Sigismundus Transylvaniæ Wayvoda, perfidus Arianus, cujus operâ hæc pestilens hæresis, in ijs partibus altas radices egit. Tiberis insana exundatione Urbem deterret, jubet proinde Pius Pontifex, per quendam Archi-Episcopum, Agnum DEI cereum in flumen proijci, quô factô flumen statim detumuit, ac retrocessit.

1572. Pius V. Pontifex, dum novo zelo Principes Christianos sollicitat ad novam contra Turcas expeditionem, post graves ac diuturnos calculi dolores patientissimè toleratos, piè utì vixerat, moritur. Ætatis anno 68. cui in Pontificatu sufficitur Hugo Boncompagnonus Bononiensis, dictúsque est Gregorius XIII. qui eandé expeditionem magno conatu prosequitur, ejúsque adhortatione ingens Classis Christianorum parata est, sed hæc cunctatione fæderatorum, optato effectu postmodùm caruit. Parisijs nuptiæ Henrici Regis Navarræ cum Margarita Sorore Caroli IX. Regis Galliarum celebrantur, occasione quarum, præcipui Calvinianæ Sectæ fautores, jussu Regis occiduntur, & Rex ipse Navarræ & Princeps Condæus periculo erepti, fidem Catholicam amplectuntur. Excusavit autem Carolus hoc factum suo edicto, negavítque eos mulctatos esse ut hæreticos, sed ut rebelles, Regníque perturbatores. Sigismundus Augustus Rex Poloniæ, nullis relictis prolibus ex tribus uxoribus, moritur, atque in eo cessavit Familia Jagelonum. Rudolphus primogenitus Maximiliani Cæsaris, eligitur in Regem Hungariæ. In Belgio erumpit jampridem formata in Albanum Ducem, & Philippum II. Regem Hispaniæ Geusiorum Rebellio. Congregatio Fratrum Joannis DEI, seu Fratrum Misericordiæ, approbatur. Gotefridus à Valle, ex Calvinista, Atheus, Parisijs exuritur, qui libro de arte nihil credendi dixerat: Oportere eum priùs Calvinistam fieri, qui Atheus esse velit.

1573. Henricus Caroli Regis Galliarum frater, Rupellas nidum Hæreticorum oppugnat, etiam adjuncta classe, pugnatúrque utrínque acerrimè, eò, quòd de Religione depugnaretur, sed nuncio accepto de sui electione in Regem Poloniæ, solvit obsidionem, ac è Gallia discedit in Poloniam. Pax interim data hæreticis in Gallia exceptâ *Sancerrâ*, quæ tamen ipsa. post dirissimam toleratam famem, se Regi submittit. Veneti pacem cum Selymo ineunt, indecoram quidem, sed necessariam, quæ tamen Pontifici vehementer displicuit, quamq; & alij multi improbabant, alij verò prudenter factam à Venetis censebant. Joannes Austriacus Regnum Tunetanum in Africa, aliàs à Carolo V. occupatum, postea deperditum, rursus occupat.

1574. Joannes Moldaviæ Wayvoda, perfidè à Turcis cæditur. Selymus, cum ulteriores progressus in Europa volvit animo, apoplexiâ correptus interit. Succedit eidem filius natu maximus, Amurathes III. annorum 27. qui à nece quinque juniorum Fratrum imperium auspicatur. Carolus IX. Galliarum Rex moritur, quô auditô frater ejus Henricus Rex Poloniæ, clam noctu, cum paucis Gallis Cracoviâ evadit,

dit, & citatis equis per Moraviam, Auſtriam, & Venetias, Galliam pervenit. In Belgio, Duci Albanô, eò quòd ſeverior eſſet, ſubſtitutus in Gubernio Belgij, Ludovicus Requenſenius ſuaviorum morum, Sectarijs nihilominus iterum tumultuantibus, eoſdem profligat, ſed Lugdunum Batavorum fruſtra oppugnat. Sinan Baſſa cum claſſe Turcica Tunetũ appellit, & expugnato propugnaculo Tunetano, cœſóque Hiſpanorum præſidio, Regnum illud recipit. Obit hoc Anno Coſmus, Magnus Dux Hetruriæ, Literatorum & Literarum amantiſſimus. Mortuus quoque eſt Avenione Cardinalis Lotharingius, vir eruditus & eloquens, cui Eccleſia multùm debet, ejus virtute, ac authoritate, propugnata tam iniquis temporibus.

1575. Jubilæum celeberrimum Romæ, magna pietate, prudentiâ, & liberitate Gregorij XIII. Pontificis celebratur. Henricus III. Rhæmis, in Regem Galliarum inauguratur, Polonis in locum Henrici, eligentibus alijs Maximilianum Imperatorem, alijs Stephanum Bathorium Tranſylvaniæ Principem, dum Maximilianus in conditione præſtandi juramentum cunctatur, Stephanus celeriter potitur Regno, ductâ in uxorem Annâ Sigismundi Auguſti Sorore. Rudolphus filius Maximiliani coronatur Pragæ in Regem Bohemiæ, ac dein in Regem Romanorum Ratisbonæ. Congregatio Oratorij à Sancto Philippo Nerio inſtituitur Romæ. Academia Duacenſis erigitur à Philippo Hiſpaniarum Rege. Pax fruſtra tentatur in Belgio cum Geuſijs hæreticis. Turcæ Ruſſiam, Tartari Podoliam, Coſaci Tartariam Procopenſem vaſtant. Poloni Tauricanos Tartaros, Podoliam vaſtantes, media parte exercitûs privant. Belgæ fœderati, auxilium Reginæ Angliæ implorant, ac etiam impetrant.

1576. Moritur *Tammaſus*, aliter *Techmas* Rex Perſarum, undecim relictis filijs, inter quos de ſucceſſione ingentes ortæ ſunt diſcordiæ. Peſtis atrociſſima per Italiam graſſatur, quo tempore ſingularis Sáncti Caroli Boromæi eluxit pietas, qui ſuis Mediolanenſibus & in peſte ſervivit, & pauperiores, bonis adjuvit, & precibus ſuis peſtem ab ijs avertit. Dux Alenconius ex Germania in Galliam exercitum ducit, cum quo Henricus Rex mediante matre Catharinâ turpem pacem facit, per eam enim obtinuerunt hæretici, quæ hactenus in Gallijs extorquere non poterant. Hæc igitur pax diſplicuit vehementer Catholicis, qui proinde inter ſe fœdus ineunt, pro tuenda Orthodoxa Religione & hujus fœderis poſtmodùm ipſe Rex ſe caput profitetur, unde indicuntur, Comitia Bleſenſia, in quibus ſtatutum eſt, ut unica Religio Catholica conſervetur in Gallia, verùm aliqui, Heterodoxos amicè revocandos, alij per vim cogendos, arbitrabantur. In Belgio, ſub Requenſenio, mitioris ingenij viro, res magis turbantur, quàm turbatæ fuerunt ſub Duce Albano; Unde didicit Philippus adversùs hæreſes, mollibus & inertibus conſilijs nihil eſſe deteriùs. Interea mor-

tuo ex peſte Requenſenio, venit ad Belgium Joannes Auſtriacus, ad illarum Provinciarum gubernationem, & componendos motus per hæreticos in ijs excitatos. Angli in Catholicos crudeliter ſæviunt.

1577. Joannes Auſtriacus, cùm ordinum petitioni acquieviſſet, eductis etiam præſidijs Hiſpanicis, ex aliquot urbibus, pacem in Belgio ſub nomine perpetui edicti fruſtra promulgat. Hanc enim ſtatim interturbat Auriacus, ab una parte evocando & acceptando auxilia Reginæ Angliæ, ab alia, Matthiam Archiducem fratrem Imperatoris ad Regimen evocando, ita tamen, ut Archidux nomen tantùm & titulum retineret, re ipſa autem ipſe Auriacus omnia ad libitum ſuum diſponeret. Igitur Joannes Auſtriacus, inſidias Sectariorum ſubodoratus, Namurcum ſe recipit, revocatóque ex Italia Milite, alijſque conductis, ad bellum ſe præparat. Hæretici in Gallia Statutis, Comitiorum Blaſenſium ſtare non volentes, ad arma iterum evolant. Rex igitur Duces ſuos, & copias in factioſos dimittit, & ad pacem amplectendam, compellit. Stephano Rege Poloniæ Dantiſcum obſidente, Moſchus Livoniam vaſtat. Mahometes Techmaſus Rex Perſarum, cum Chamo Tartarorum, & Georgianis Chriſtianis, contra Turcas fœdus init.

1578. In Belgio Joannes Auſtriacus, inſignem de Geuſijs reportat victoriam, cœſis ferè decem millibus, captiſque per-multis, ac occupatis aliquot Urbibus in Brabantia. Verùm mox illi Amſtelodamum intercipiunt, ibíque more hæreticorum, in res ſacras, atque Sacerdotes ſæviunt, omnibus Catholicæ Religionis inſignibus exterminatis. Geuſiorum deinde rem reſtituit Alenconius Dux, qui inhians Belgio, ijsdem mille equites, & octo millia peditum obtulit: ſed & Joannes Caſimirus excitatus Eliſabethæ Angliæ Reginæ pecunijs, plurimùm Hiſpanis nocuit. Sic Arauſicani, & Geuſiorum crevit potentia, qui exinde ubíque templa Catholicorum diſijciunt, carceréſque Catholicis implent, non ſoliti in proſpera fortuna ſervare modum. Tunc autem injecta eſt aliqua mentio pacis, ad quam tractandam Cæſar Rudolphus, Henricus III. Galliarum Rex, & Eliſabetha Regina Angliæ, ſuos ablegavêre internuncios; Sed cùm Joannes Auſtriacus, nollet aliam Religionem admittere in Belgij Provincijs, præter Catholicam, omnes re infectâ diſcedunt. Nec multò poſt Joannes Auſtriacus, in caſtris propè Namurcum, intempeſtiva morte extinguitur, cui in dignitate ac officio ſuccedit Alexander Farneſius, Dux Parmenſis, inter Duces belli, ſui ſæculi, facilè Princeps, ut ex rebus præclarè ab eodem geſtis, in ſequentibus patebit.

Memorabilis eſt hic annus Sebaſtiani Regis Luſitaniæ infelici caſu ac cæde. Hic zelo promovendi nominis Chriſtiani, & occaſione arreptâ Mahometi ad ſe recurrenti reſtituendi Regna *Feſſæ* & *Maroci*, ex quibus is ab Abdelmuho ex-

expulſus fuerat, traijcit in Africam, & cum hoſte in campis Tonitenſibus congreditur. Et principio quidem Luſitanis viſa eſt favere fortuna, ſed demum ad Maurum converſa. Sebeſtianus ardentiſſimè pugnans, hoſtium numero obruitur, ac cæditur cum flore Nobilitatis Luſitaniæ, alijſque plurimis, cui ſuccedit Henricus Cardinalis Patruus ejusdem. Hoc eodem anno, baptizatus eſt in Japonia Rex Bungi, à Patribus Societatis, qui ex devotione erga Franciſcum Xaverium, voluit nominari Franciſcus. Circa hoc tempus, Joannes Sturminus Lutheranus, conatus eſt novam ſectam inducere, quam appellabat: *Mediam viam*, hæc tamen tam à Catholicis, quàm ab Acatholicis rejecta eſt. Obijt piè hoc eodem Anno Laurentius Surius Carthuſianus, bene de Eccleſia Chriſti ſuis ſcriptis meritus. E contra moritur impiè Franciſcus David, per quem infecta fuit Arianiſmo Tranſylvania.

1579. Gregorius XIII. Papa, Romæ ac Rhemis, Anglorum Collegia fundat. Philippus Rex Hiſpaniarum, Hibernis, contra opprimentes ſe Anglos auxilia ſubmittit. Ordo militaris Spiritûs Sancti, à Henrico III. Rege Galliarum inſtituitur. Viget bellum inter Stephanum Battorium Regem Poloniæ, & Joannem Magnum Ducem Moſchoviæ. Alexander Farneſius, Sectariorum Equitatum proſternit, & Trajectum magna ſtrage expugnat, cujus Expugnationem ſequitur multorum aliorum fortalitiorum deditio. Eliſabetha Regina Angliæ, crudeliſſima in Sacerdotes Catholicos, & Religioſos, promulgat edicta. Perſæ Amurathis, & Tartarorum auxiliantium Exercitum delent. Mons Æthna in Sicilia, magnam vim ignium, & ingentium lapidum, poſt graviſſimas terræ concuſſiones, evomit.

1580. Henricus Cardinalis, Rex Luſitaniæ moritur. Igitur de Regno Luſitaniæ diſceptatur, multíque illud Jure ſucceſſionis prenſant. Antonius Emmanuelis nepos, & Ludovici fratris Henrici Filius Nothus, favore plebis ſe dicit Regem. Sed Philippus Rex Hiſpaniæ, duplici miſſo in Luſitaniam Exercitu, Antonium gemino prœlio vincit, fugátque in Galliam, ac Regno Luſitaniæ potitur. In Belgio, Guilielmus Princeps Aurantius, à Rege Philippo proſcribitur. Sectarij Belgæ, Alenconium fratrem Regis Henrici, & Regem ipſum contra Hiſpanum ſollicitant. Interim Farneſius complures Urbes Sectarijs eripit, hoſtibus non ſemel cœſis. Variæ hæreſes exoriuntur in Hollandia. Matthias Archi-Dux, videns ſe illuſum, à Geuſijs, deſerere Belgium cogitat. Michaël Bajus, Theologus Lovanienſis, propoſitiones ſuas, quæ non ſatis conformes doctrinæ Catholicæ videbantur, publicè revocat. Hiſpani cum Italis, in favorem Catholicorum, Hiberniam occupant, ſed ab Exercitu Anglicano profligantur, & edicto totâ Angliâ pelluntur. Morbus Epilemicus Europam affligit.

1581. Matthia Archi-Duce ex Belgio egreſſo, Dux Alenconius Camera-

cum venit, illúdque præsidio munit. Quod factum Alenconij, Henricus Rex Galliæ se invito fieri, Pontifici, & Regi Hispaniarum scribit. Joannes Basilius, Magnus Dux Moschoviæ, Stephano Bathorio Regi Poloniæ resistere non valens Pontificem Romanum implorat, ut arbitrum pacis, se interponat. Mittit proinde Pontifex ad eum, Antonium Possevinum è Societate JESU, virum eruditum, & rei gerendæ gnarum, cujus operâ, inter Polonum & Moschum, pax conclusa est, ijs conditionibus, quæ à prudentibus laudem, & à Pontifice confirmationem, merebantur. Verùm Moschus admonitus, ut juxta promissa, fidem Romanam, ex Synodo Tridentino profiteretur, jam extra periculum constitutus, dissimulavit, & græcâ fide usus, Græcum Schisma confirmavit. Idem Joannes Basilius, Joannem filium suum, ex iracundia, baculo ferrato interimit. In Belgio, utraque pars, jam est victa, jam victrix. In Comitijs Hajæ Comitis, confœderati Belgæ, Philippo legitimo Principi, omnem fidem ejurant, & Franciscum Andegavensem Ducem, sibi in Principem deligunt. Ipse interim Franciscus Andegavensis, ut nuptias suas promoveret, cum Elizabetha Regina Angliæ, deflectit in Angliam.

1582. In Anglia excitatur hoc Anno tanta in Catholicos persecutio, quantum erat desiderium Heterodoxorum, ut eam ex illo Regno penitus extirparent. Franciscus Andegavensis, redit ex Anglia, & magnificè suscipitur Antuerpiæ, declaratúrque Dux Brabantiæ. Guilielmus Arausicanus, periculosissimè vulneratur sclopo trajectus, à quodam sicario, ex hoc tamen vulnere postmodum convalescit. Antonius Nothus, Emmanuelis Regis Lusitaniæ nepos, Gallicis auxilijs intendit Juris sui facere Lusitaniam, & primo impetu occupat Insulam Sancti Michaëlis, ejúsque præcipuam Urbem Villam Françam, ibíque Rex acclamatur. Sed cùm res jam confecta putaretur, supervenit Marchio *Sanctæ Crucis*, ac eundem navali prælio vincit, & fugere compellit, & renavigare in Galliam. Scoti, in Regem suum Jacobum conspirant, eundémque in castro Rutheno detinent. Gregorius XIII. Pontifex, consultis Mathematicis, & consensu Principum Catholicorum, diu optatam reformationem Calendarij perficit, & promulgari curat. Sancta Theresia Virgo nobilissimæ ac generosissimæ pietatis, Ordinis Carmelitarum, tam virorum, quàm fœminarum reformatrix, ex hac vitâ, ad cœlestem migrat.

1583. Franciscus Alensonius, sive Alenconius, alias Andegavensis Dux, cùm videret se precariò tantùm apud Belgas imperare, occupat Dunkerkam, Dixmundam, Teneramundam, aliáque minora oppida, illaque Francicis præsidijs firmat, Brugis excluditur, Antuerpiâ verò repellitur, magna clade, magnóque damno, nempe mille suorum, & quingentis trucidatis, multis captis, cum universa supellectile, in glorius proinde Belgio relicto, in Galliam revertitur. Qua

Quâ occaſione uſus Alexander Farneſius, totam Flandriam, vi, aut deditione confœderatis eripit. In Germania, Gebhardus Archi-Epiſcopus Colonienſis, ex eo, ut Agnetèm pellicem ducere in uxorem poſſet, Auguſtanam Confeſſionem inducere in ſtatum Colonienſem attentat, ideóque à Gregorio XIII. Pontifice, deponitur & excommunicatur, qui tandem profugus in Hollandiam ſe recipere cogitur. Jacobus Rex Scotiæ captivus, evolat ex rebellium manibus, & complices rebellionis mulctat. In Anglia, Parlamentarij & Calviniani, atrocibus convitijs inter ſe pugnant. Eliſabetha Regina Angliæ, ſævit non tantùm in Catholicos, quos inter inſignis fuit Edmundus Campianus è Societate JESU, cum aliquot alijs Sacerdotibus, ſed etiam in Puritanos, denegantes fœminam dici caput Eccleſiæ. Eodem Anno in Inſulis Salſetanis, Rudolphus Aquaviva, cum alijs quatuor Socijs de Societate JESU, ab infidelibus Martyrio afficitur. Pater Matthæus Riccius, è Societate JESU, primus in Sinas Evangelium infert.

1584. Franciſcus Dux Andegavenſis, ad Caſtrum Theodorici in Gallia moritur. Obit quóque Joannes Baſilius, Magnus Dux Moſchoviæ, cui filius Theodorus ſuccedit, Guillelmus Arauſicanus, Belgicorum tumultuum author & promotor, à quodam famulo ſuo, ictu ſclopi traijcitur, & extinguitur, eidémque ab ordinibus ejus filius Mauritius, ſufficitur, quâ perturbatione Alexander Farneſius uſus, complures munitiones à confœderatis recipit, & Antuerpiam memorabili illa obſidione cingit, interim & blanditijs ordines ad officium revocare modis omnibus adlaborat. Inter Rudolphum Imperatorem & Turcas, induciæ ad novem annos, renovantur. Sanctus Carolus Boromæus, ſplendor purpuræ ſacræ, & ſpeculum Antiſtitum Eccleſiæ, ſanctiſſimè, uti vixerat, ex hac miſera vita ad feliciſſimam migrat.

1585. Trium Regum Japoniæ, videlicet: Franciſci Regis Bungi, Protaſij Regis Arimæ, & Bartholomæi Principis Omuræ, Romam, ad Gregorium Pontificem, poſt trium Annorum navigationem, confectis milliaribus 21000. perveniunt ablegati, eúmque ut communem totius Chriſtianitatis Parentem, & univerſalis Eccleſiæ caput, venerantur. Excipit hos Gregorius humaniſſimè ac ſplendidiſſimè, manantibus præ gaudio lacrymis, ſed non diu poſt moritur, ætatis Anno 83. Pontifex verè Maximus, pientiſſimus, & Gloriæ DEI zelantiſſimus, ac liberaliſſimus, qui vicies centena aureorum millia (ut ex publicis tabulis conſtat) ſcribitur in pauperes erogaſſe. In ejusdem locum ſufficitur Felix *Peretus, Cardinalis*, dictúsq; eſt Sixtus V. In Gallia Catholici Principes & Proceres, ligam ſeu fædus ſacrum ineunt, pro tuenda Religione Catholica, adversùs Acatholicorum conatus, & inſidias. In Belgio Alexander Farneſius, Dux Parmenſis, Antuerpiam toto anno obſeſſam, ad deditionem compellit, alijs dein Urbibus, ſpontè ſe Regi ſubdentibus.

1586. In Anglia, Nobiles Catholici aliquot supplicio afficiuntur, ob su-suspicionem vanam conjurationis in Reginam, & Maria Regina Scotiæ, innocentissima, neci adjudicatur. Stephanus Bathorius Rex Poloniæ gloriosissimus, moritur. Cambacundonus in Regno Bungensi, diram persecutionem in Christianos excitat. Pestis Turciam, Hungariam, & Austriam, fames verò Jtaliam, & Belgium affligit.

1587. Obit Franciscus Rex Bungi, relictis in suo Regno Christianis recenter conversis, plùs quàm 70000. Maria Stuarta Scotiæ Regina, post octodecim Annorum carceres, in odium fidei, capite ab Elisabetha Regina Angliæ plectitur. Angli in Belgio rem malè gerunt, è contra Alexander Farnesius, Gveldriam & Daventeriam recuperat, ac Robertum Durlæum, Exercitûs Anglici Ducem, in Angliam redire adigit. In Polonia agitur de Rege eligendo, multísque Regnum illud prensantibus, antepositus est Sigismundus III. Suecus. Erat autem is Catholicus, in Catholica fide, à matre Polona, Sigismundi II. Sorore enutritus, cujus etiam parens Joannes privatim, in manibus, Antonij Possevini, Jesuitæ, Lutheri sectam ejuraverat.

1588. In Gallia inter familias Regias, seditiones maximæ vigent. Philippus II. Rex Hispaniarum, classem instructissimam, cui ante hæc tempora, nulla similis visa fuit, in Angliam mittit, sed hæc procellis & tempestatibus maris, ac hostium incursionibus, labefactatur, dissipatur, réque infecta redire cogitur. Sævit exinde crudeliter Elisabetha Regina Angliæ in Catholicos, átque inter ipsos Acatholicos oritur ingens circa Religionis controversias pugna, lis, & disceptatio. Cambacundonus Tyrannus, e multis Japoniæ Provincijs, per crudelissima Martyria, fidem Christianam conatur extirpare. Obit interea Bartholomæus Rex Omuræ, toto Regno jam ad fidem Christi inducto, & omnibus Idolorum fanis eversis, plurimísque Ecclesijs Christianorum erectis. Henricus Rex Galliarum, populo in seditionem verso, Parisijs, Carnutum fugere compellitur, sed in Comitijs Regni, Blesij, necari jubet Guisium Ducem, cui populus favebat, & Ludovicum Cardinalem, ejusdem fratrem.

1589. Inter Persas & Turcas decennales induciæ concluduntur. Ob Guisorum necem, totum ferè Regnum deficit à Rege Galliæ, qui proinde evocato Henrico IV. Rege Navarræ, Lutetiam oppugnat, sed non multò post à fanatico quodam Jacobo Clemente, in secretam audientiam admisso, venenato cultro, in ventre transfoditur, & postridie extinguitur, sicque in eo Familia Valesiana defecit. Cui proinde sufficitur Henricus Rex Navarræ, ex Borbonia familia, expresso tamen priùs juramento, se nihil contra fidem Catholicam moliturum, huic tamen electioni multi Regni Proceres reclamant. Antonius Nothus, Lusitaniæ Regnum affectat, adjutus Classe ab Elisabetha Regina An-

gliæ

gliæ submissa, qui tamen ab Olysippone repellitur, & multis suorum amissis, re infecta redire in Angliam cogitur. Sixtus V. Pontifex, ad componendas turbas in Gallia, mittit Cardinalem Cajetanum, cum viris aliquot eruditis, quos inter eminebat Panigarolus, & Bellarminus Jesuita, postea Cardinalis.

1590. Proceres Galliæ, Romam ad Sixtum Pontificem, Lucemburgium Pinci Ducem in Legatione mittunt, ut excusaret eorum factum in eligendo Henrico Navarræ, cum cautionibus pro Catholica Religione, quoniam id Regni jus, & publica tranquillitas exigeret. Et vicissim Cardinalem Cajetanum à Pontifice missum magnificè Parisijs excipiunt. Interim fæderati Catholici contra Henricum IV. necdum verè Catholicum, res suas promovent, sed prœlio Juri acensi, à Rege magna afficiuntur clade; quo successu elatus Henricus, iterum Lutetiam obsidet, quam etiam deditione accepisset, nisi eidem è Belgio Alexander Farnesius, cum Exercitu suo succurrisset. Eodem autem Anno, moritur Sixtus V. Papa, vir ingenio magnus, & animo major, eidémque sufficitur Joannes Baptista Castanea, dictus Clemens VII. qui decima tertia ab electione die, obit, in cujus locum statim eligitur Nicolaus Sfondratus, dictúsque est Gregoris XIV.

1591. Turcæ, per horrendas excursiones in Hungariam, sed præsertim in Illiricum, & Croatiam, pacem cum Rudolpho Cæsare initam, turbant. In Gallia, inter fœderatos, & Henricum Navarræum vario & dubio Marte pugnatur. Grogorius XIV. Pontifex, eundem Henricum, tanquam relapsum excommunicat, atque eodem anno, ex calculo, inter magnos dolores, patientissimè toleratos, obit, in cujus locum eligitur Joannes Antonius Fachonetus, Bononiensis, dictus Innocentius IX. qui duobus tantùm mensibus Ecclesiæ præfuit. Mortuus hoc eodem Anno 20. Decembris. Magna hoc Anno fames, & pestilentia vexat Europam, sed præcipuè Italiam.

1592. Eligitur in summum Pontificem Hippolytus Aldobrondinus, Florentinus, dictus Clemens VIII. Hic statim initio sui Pontificatûs judicavit, alium ab Henrico IV. Regem eligendum. Moritur Joannes III. Rex Sueciæ, succedit eidem filius Sigismundus, jam Rex Poloniæ. Alexander Farnesius, Dux Parmensis moritur in Belgio, vir pietate, ac zelo Catholicæ fidei insignis, ac bellicâ peritiâ, victorijsque illustris. Germania turbatur morte Joannis Episcopi Argentoranensis, dum eidem Protestantes volunt substituere unum ex heterodoxis, reclamantibus Catholicis. In Saxonia quóque & Palatinatu, exoriuntur turbæ inter Calvinianos & Lutheranos, sed hic Calviniani, illic Lutherani prævalent.

1593. Confœderati Catholici Galliæ, accepta potestate à Pontifice eligendi alium Regem Catholicæ fidei, de eodem eligendo seriò cogitant, interim Hen-

Henricus Navarrus divinitus illustratus, & rationibus Catholicorum convictus, fidem Catholicam amplectitur, & publicam professionem fidei in Urbe Sancti Dionysij emittit, hœresimque ejurat, & Ducem Nivernensem, Romam ad Pontificem Legatum mittit, ab eóque absolutionem postulat. Mulejus Xequus Filius, Regis Fessæ & Marocci, obses olim datus Sebastiano Regi Lusitaniæ, & postea educatus, sub Regis Philippi tutela, baptizatur cum multis alijs suæ gentis nobilibus. Pater Jacobus Salesius è Societate JESU, cum suo socio, fidei causâ, ab hæreticis interficitur Albennaci.

1594. Urbibus certatim à fœderatis ad Henricum deficientibus, Guisius factionis contrariæ ductor, cum fratribus suis, optimis conditionibus reconciliatur Regi & Rex Lutetiam armatus ingreditur, parvo tumultu, & paucorum cæde. Verùm hoc eodem Anno, à Joanne Castellione perditissimo juvene, Rex graviter sauciatur, occasione cujus, Societas quóque JESU, multa & gravia incommoda patitur, ex eo præcisè, quod is, quondam ejusdem in scholis discipulus fuisset. In Belgio, in locum Alexandri Farnesij, succedit Ernestus Archi-Dux Austriæ, Frater Imperatoris; alter verò Frater Imperatoris Matthias Archi-Dux, in Hungaria, contra Turcas pugnat, & Neogradinum occupat, sed Jaurinum amittit. In Scotia & Anglia Catholici persecutiones graves patiuntur. Sigismundus Bathorius, à Turcis ad Cæsarem Rudolphum deficit. Sigismundus Poloniæ Rex, Anno superiori ad accipiendum Sueciæ Regnum hæreditarium evocatus, hoc Anno Upsaliæ coronatur, sed frustra ád fidem Catholicam regnum revocare conatur, relicto itaque Pro-Rege Carolo Sudermaniæ Principe, ipse in Poloniam redit. Gabriel Patriarcha Alexandrinus Legatum Romam, pro communione Sedis Apostolicæ, & obedientiâ illi præstanda, mittit. Pontificis & Hispaniarum triremes, Turcas à Calabria repellunt.

1595. Hispanos inter & Gallos, bellum magno utrinque ardore geritur. Henricus IV. Rex Galliarum, solenniter à Clemente VIII. Pontifice, ab hæresi absolvitur, quô factô, omnes ferè contra eum fæderati, eidem se submittunt. Amurates III. Turcarum Imperator, moritur Constantinopoli, cui succedit filius Mahometes III. qui ab octodecim fratrum, & viginti septem Sororum nece, auspicatur Imperium. Obit etiam Ernestus, Archi-Dux, Gubernator Belgij. Sanctus Philippus Nerius, Congregationis Oratorij Fundator, in cœlos migrat. In Transylvania, Sigismundus Bathorius, adscitis in Societatem belli Valachiæ, & Moldaviæ Principibus, contra Turcas feliciter pugnat. Antonius inane nomen Regis Lusitaniæ gerens, Parisijs omnium rerum inops, finem vivendi facit. Romam veniunt ad obsequium fidei, Legati Episcoporum Ruthenorum. Item Legati Ægyptiorum, ad Christianam Religionem conversorum, qui etiam fidei pro-

professionem, coram Clemente VIII. emittunt. Item, & Archi-Episcopus Livoniæ, qui simul Lutheri hæresim, ibidem abjurat.

1596. Sigismundus Battorius Transylvaniæ Princeps, Pragam ad Cæsarem Rudolphum venit, cui Cæsar amplissima auxilia contra Turcas promittit, & Pontificius Legatus, in singulos menses 40. millia aureorum pollicetur. Mahometes III, Turcarum Imperator, Hungariam aggreditur, & Agriam capit. Albertus Cardinalis, Austriacus, frater Rudolphi Imperatoris, à Philippo II. Rege Hispaniarum avunculo, ad Gubernationem Belgij adhibetur. Concilium Aquiliense celebratur. Moritur Cardinalis Franciscus Toletus è Societate JESU, de Ecclesia Catholica optimè meritus.

1597. Mauritius Belgiorum Ordinum ductor, Alberti Austrij copias, ad Tornahutum profligat. Carolus Sueciæ Gubernator Lutheranus, legitimum Regem, ac hæredem Sigismundum, è Regno excludit, sibique illud usurpat, sicque Suecia, Catholicam Fidem, cum Rege Catholico ejurat. Mortuo Alphonso Ferrariæ Duce sine liberis, Clemens Pontifex Ferrariam prætendit In Japonica persecutione, tres è Societate JESU, & alij ex Sancti Francisci ordine Religiosi, Martyrio afficiuntur.

1598. Clemens VIII. Pontifex, Ferrariæ Principatum ditioni Pontificiæ adjungit. Philippus II. impetrata à Pontifice dispensatione consanguinitatis, & ordinis, Cardinali Alberto Austriaco, Isabellam primogenitam, cum dote Provinciarum Belgij desponsat. Vervini, adnitente Alexandro Cardinali Legato Pontificis in Gallia, pax inter Henricum IV. Regem Galliæ, & Philippum II. Regem Hispaniæ sancitur. Philippus II. Rex Hispaniarum, post diutissimos dolores patientissimè toleratos, pientissimè moritur, succedente eidem Philippo III. filio. Sigismundus Rex Poloniæ, in Sueciam navigans, vix effugit Caroli patrui insidias, & calliditate illius, exauctoratur, nisi mallet filium suum Uladislaum quinquennem dare iu Suecia instituendum, quod cum Sigismundus negâsset, Carolo firmatum est Regnum.

1599. Constantinopoli agitur à Turcis, de adimendo Christianis Sepulchro Christi Domini, & donarijs, quæ ibi liberalitate Principium Christianorum habentur, auferendis, sed hoc consilium authoritate sua, & rationibus discutiunt Legati Venetorum, & Regis Galliarum. Sigismundus Battorius, rescisso contractu cum Rudolpho Imperatore, Principatum Transylvaniæ transfert in Cardinalem Andream Battorium, patruelem suum, sed hic statim à Michaële Valachiæ Wayvoda appetitus, profligatur, & in fuga à rusticis interimitur. In Indijs celebratur Concilium Goanum, in quo professi sunt Fidem Catholicam, Georgius Nestorianorum Archidiaconus, & 153. Presbyteri, ac deputati 671, quos reliquus populus sequitur. Pax frustra tentatur, inter Turcos & Cæsarem, neutra parte conditiones æquas proponente, aut admittente.

1600. Celebratur hoc anno, maximo concursu Jubilæum Romæ, ad quod tricies centena millia hominum scribuntur confluxisse. Qua occasione Clemens VIII.

Pontifex, multa pietatis & liberalitatis exhibuit argumenta, peregrinos pecunijs adjuvando, ijsdem accumbentibus ministrando, pedes eorum lavando, confessiones audiendo, omnes consolando, & ad eadem Charitatis opera, Cardinales quóque ac alios prælatos, verbo & exemplo invitando, quibus visis multi ex hæreticis, qui eò curiositatis causâ accurrerant, ejuratâ hæresi, Fidem Catholicam amplexi sunt. Rex Galliarum invadit Sabaudiam, & ferè totam occupat, sed Clemens Pontifex, misso Petro Cardinale Aldobrandino, pacem inter Regem & Ducem componit. Rex Galliæ ducit in Uxorem Mariam Medicæam, Francisci Magni Ducis Hetruriæ filiam, approbante has nuptias Pontifice. In Belgio vario marte pugnatur inter Mauritium Exercitûs Confæderatorum Belgarum Ducem, & Albertum Archi-Ducem. In Scotia, Rex Jacobus, conjuratorum manus effugit, graviterque in eos animadvertit. In Hibernia Catholici, ope Hispanorum adversus Anglos Hæreticos, sui oppressores, fortiter se tuentur.

CATALOGUS I.

Continens Nomina, Patriam, & Ordinem Romanorum Pontificum, qui hoc decimo Sexto Sæculo Ecclesiæ præfuerunt, cùm accurata assignatione Temporis, quô quis gubernare cœpit, ac desijt.

Nomina, patria, & Ordo Romanorum Pontificum.	Initium Sedis A. M. D.	Finis Sedis A. M. D.	Duratio. A. M. D.	Vacat. M. D.
308. Alexander VI. Valentinus ex Hispania, Presbyter Cardinalis.	1492. Aug. 11.	1503. Aug. 18.	11. 0. 8.	1. 3.
309. Pius III. Senensis, Diaconus Cardinalis.	1503. Sept. 22.	1503. Oct. 18.	0. 0. 26.	0. 14.
310. Julius II. Senensis, Episcopus Cardinalis.	1503. Nov. 1.	1513. Feb. 21.	9. 3. 9.	0. 17.
311. Leo X. Florentinus, Cardinalis Diaconus.	1513. Mart. 11.	1521. Dec. 2.	8. 8. 20.	1. 7.
312. Hadrianus VI. Trajectensis ex Belgio, Presbyter Cardinalis.	1522. Jan. 9.	1523. Sept. 14.	1. 8. 6.	2. 4.
313. Clemens VII. Florentinus, Archi-Episcopus Cardinalis.	1523. Nov. 19.	1534. Sept. 25	10. 10. 7.	0. 17.

314. Paulus III. Romanus, Epiſcopus Cardinalis.	1534. Oct. 13.	1549. Nov. 10	15. 0. 29.	2. 29.
315. Julius III. Aretinus, Epiſcopns Cardinalis.	1550. Febr. 7.	1555. Mart. 23.	5. 0. 16.	0. 17.
316. Marcellus II. Politianus, ex Thuſcia, Presbyter Cardinalis.	1555. Apr. 9.	1555. Maij. 1.	0. 0. 22.	0. 22.
317. Paulus IV. Neapolitanus, Epiſcopus Cardinalis.	1555. Maij. 23.	1559. Aug. 18	4. 2. 27.	4. 7.
318. Pius IV. Mediolanenſis, Presbyter Cardinalis.	1559. Dec. 10.	1565. Dec. 26.	5. 11. 15.	0. 29.
319. Pius V. Alexandrinus Ord. Prædicatorum, Preſbyter Cardinalis.	1566. Jan. 7.	1572. Maij. 1.	6. 3. 24.	0. 13.
320. Gregorius XIII. Bononienſis, Presbyter Cardinalis.	1572. Maij. 13.	1585. Apr. 10.	12. 10. 27.	0. 14.
321. Sixtus V. Picenus, Ord. Minorum, Presbyter Cardinalis.	1585. Aper. 24.	1590. Aug. 27	5. 4. 3.	0. 15.
322. Urbanus VII. Romanus, Presbyter Cardinalis.	1590. Sept. 15.	1590. Sept. 27	0. 0. 12.	2. 8.
323. Gregorius XIV. Mediolanenſis, Epiſcopus Cardinalis.	1590. Dec. 5.	1591. Oct. 15.	0. 10. 10.	0. 12.
324. Innocentius IX. Bononienſis, Presbyter Cardinalis.	1591. Oct. 30.	1591. Dec. 29.	0. 2. 1.	1. 7.
325. Clemens VIII. Florentinus, Presbyter Cardinalis.	1922. Jan. 30.	1605. Mar. 3.	13. 1. 3.	0. 28.

CATALOGUS II.

Continens Nomina Imperatorum, qui hoc decimo Sexto Sæculo imperârunt.

Maximilianus Auſtriacus, úsque ad Annum 1519.

Carolus V. Electus 1519. Coronatus 1520. Abdicavit ſe Imperio 1555. Obijt 1558.

Ferdinandus I. Archi-Dux Auſtriæ, Caroli V. frater, usque ad Annum 1564.

Maximilianus II. filius Ferdinandi I. uſque ad Annum 1576.

Rudolphus II, filius Maximiliani II. ſupervixit hoc Sæculum, & obijt 1612.

CATALOGUS III.

Turcarum Imperatores.

Bajazethes usque ad Annum,	1512.
Selymus I. usque ad Annum,	1520.
Solymanus usque ad Annum,	1566.
Selymus II. usque ad Annum,	1574.
Amurathes III. usque ad Annum,	1595.
Mahometes III. vixit usque ad Annum,	1604.

CATALOGUS IV.

Continens Nomina, & Ordinem Regum aliquorum Regnorum, qui hoc Decimo Sexto Sæculo regnârunt, præſertim, quorum in hac Synopſi Chronologica fit aliqua mentio.

Reges Galliæ.

Ludovicus XII. Dux Aurelianenſis, & Valeſius, obijt Anno Chriſti,	1515.
Franciſcus I. Valeſius, obijt Anno,	1547.
Henricus II. Valeſius, Franciſci filius, obijt,	1554.
Franciſcus II. Henrici filius, obijt,	1560.
Carolus IX. Franciſci II. frater, obijt,	1574.
Henricus III. Caroli IX. frater occiſus,	1589.
Henricus IV. Borbonius, ſupervixit hoc Sæculum, occiſus,	1610.

Reges Hiſpaniæ.

Ferdinandus V. Catholicus, cum Iſabella uxore regnavit úsque ad Annum, 1504.

Philippus Pulcher Archi-Dux Auſtriæ, filius Maximiliani Cæſaris Jure uxoris Joannæ, filiæ Ferdinandi V. & Iſabellæ ad Annum, 1506.

Mortuo Philippo, redit Ferdinandus ad regimen, pro Carolo V. ſeu ex filia Joanna nepote, tunc ſexenni, úsque ad Annum, 1516.

Carolus V. filius Joannæ & Philippi Pulchri, ſucceſſit in omnia Regna Hiſpaniæ, dem-

demptâ Lusitaniâ, quæ postmodùm spontè cessit Philippo Filio, Anno 1555.

Philippus II. Filius Caroli V. Imperatoris, ex Elisabetha Lusitana, regnavit usque ad Annum, 1598.

Philippus III. Patri successit, & obijt Anno Christi, 1621.

Reges Navarræ.

Joannes Alibretus, jure Catharinæ uxoris, tenuit Regnum Navarræ, úsque ad Annum, 1512. Quò privatus, & excommunicatus est à Julio II. Pontifice. Quod apprehendit Ferdinandus Rex Catholicus, facultate ejusdem Julij Papæ, átque illud transmisit ad suos posteros, nempe Carolum V. suum nepotem, Philippum II. Caroli filium, Philippum III. Philippi II. filium.

Reges Lusitaniæ.

Emmanuel regnavit ad Annum, 1521.
Joannes III. ad Annum, 1557.
Sebastianus ad Annum, 1578.
Henricus Cardinalis ad Annum, 1580.
Philippus II. ad Annum, 1598.
Philippus III. ad Annum, 1621.

Reges Scotiæ.

Jacobus IV. ad Annum, 1532.

Jacobus V. ad Annum, 1543. Quô obijt relictâ unicâ filiâ octomestri, nempe Mariâ Stuarda.

Maria Stuarda, coronata est mense 18. & anno ætatis quinto, in Galliam ducta, inde mortuo marito Francisco Delphino, redux in Scotiam, nupsit Henrico Stuardo Catholico, ex quo genuit Jacobum VI. filium. Henrico autem per insidias hæreticorum, è viris sublato, à suis subditis rebellibus carceri mancipata, ac ex carcere profugiens in Angliam, ubi rursus custodiæ tradita, jussu Elisabethæ Reginæ Angliæ, decollata est, Anno 1587.

Mariæ Stuardæ, matri successit filius ejusdem Jacobus VI. qui postmodùm Elisabethâ defunctâ, anno 1591. evasit simul in Regem Angliæ.

Reges Angliæ.

Henricus VII. obijt Anno, 1509.
Henricus VIII. obijt Anno, 1547.

Odvardus IX. Henrici VIII, Filius Annorum decem, mortuus est Anno, 1553. ætatis 16.

Maria filia Henrici obijt, sine liberis, anno 1558.

Elisabetha altera filia Henrici VIII. obijt anno 1590.

Jacobus VI. Rex Scotiæ, filius Mariæ Stuardæ, factus est Rex Angliæ, & supervixit hoc Sæculum.

Reges Hungariæ, & Bohemiæ.

Uladislaus II. obijt Anno, 1516.

Ludovicus II. Uladislai II. filius, perijt in pugna contra Turcas, Anno, 1526.

Ferdinandus I. Austriæ Archi-Dux, obijt anno, 1564.

Maximilianus II. filius Ferdinandi I. obijt anno, 1574.

Rudolphus II. Maximiliani filius, obijt anno, 1612.

Reges Poloniæ.

Joannes Albertus, filius Casimiri IV. obijt anno Christi, 1501.

Alexander, alter filius Casimiri IV. obijt anno, 1506.

Sigismundus I. tertius filius Casimiri IV. obijt, 1548.

Sigismundus II. Sigismundi I. filius, obijt, 1573. Et in hoc linea masculina Jagellonum defecit.

Henricus Dux Andegavensis, resignavit Regnum, factus Rex Galliarum, post mortem fratris Caroli IX. 1574.

Stephanus Battorius, Transylvaniæ Princeps, obijt, 1586.

Sigismundus III. Rex Sueciæ, supervixit hoc Sæculum.

CATALOGUS V.

Conciliorum Decimo Sexto Sæculo celebratorum.

Concilium Lateranense Generale, quod sex annis duravit.

Concilium Provinciale Senonense celebratum, 1528.

Concilium Coloniense Provinciale, 1536.

Concilium Tridentinum Generale, decimum octavum, inchoatum anno, 1545. Sub Paulo III. finitum 1563. Sub Pio IV.

Concilium Augustanum Provinciale, 1548.

Trevirense eodem Anno.

Aliud Coloniense.
Aliud Coloniense. 1549.
Moguntinum.

Aliud

Aliud Trevirense.
Sex Concilia Mediolanensia, sub Sancto Carolo Boromæo.
Aquileiense, 1596.

CATALOGUS VI.

Personarum Sanctitate Illustrium, Decimi Sexti Sæculi.

Sanctus Fraciscus de Paula, Fundator Ordinis Minorum migravit in cœlos, Anno 1507.
Divus Franciscus de Stanno, Episcopus Ruthenensis, 1529.
Catharina Genuensis.
Beatus Fælix Capucinus.
Sanctus Philippus Nerius.
Sancta Theresia, Ordinis Carmelitarum Reformatirx, vitam mortalem, cum immortali commutat, 1582.
Sanctus Ignatius Loyola, Societatis JESU Fundator.
Sanctus Franciscus Xaverius Societatis JESU Indiarum Apostolus.
Sanctus Franciscus Borgias, Societatis JESU.
Beatus Stanislaus Kostka, Societatis JESU.
Beatus Aloysius Gonzaga, Societatis JESU.

Omitto plures personas Sanctitate illustres, quæ vigebant hoc etiam perversissimo Sæculo in Ecclesia. Prætermitto etiam, & qui hoc Sæculo per Tyrannicam hostium Ecclesiæ, vim, in Cœlum evolârunt, ex quibus solùm ex Societate JESU, propè Centum extitêre. Ut videre est apud Ribadeneiram, qui eorum nomina, & tormenta accuratè describit.

CATALOGUS VII.

Hæresum & Hæresiarcharum, Decimi Sexti Sæculi.

Nullum omnino sæculum à Christo nato, tot, támque horrendas Hæreses, tantámque multitudinem Hæresiarcharum protulit, ac hoc decimum sextum. Néque id mirum. Cùm enim certam Regulam credendi, & Scripturas Sacras interpretandi, Novatores hujus Sæculi rejecerint, & in locum hujus, proprium uniuscujúsque hominis Κριτηριον seu privatum Spiritum, ac judicium substituerint, necessè fuit, ut quot capita, tot sensus orirentur, & quot diversi, ac inter se dissidentes, circa articulos Fidei sensus, ac opiniones, tot diversæ hæreses promanârint. Unde néque omnes, sed præcipuas tantùm hæreses, & magis infames hæresiarchas hujus sæculi hic recenseo.

1. Martinus Lutherus primus excitator hæresum, vel antiquarum, & jam sepultarum, ac olim ab Ecclesi universa damnatorum exsuscitator, à quo Lutheranorum orta

orta est secta. 2. Anabaptistæ. 3. Carlostadiani. 4. Libertini. 5. Udalricus Zwinglius, à quo Zwingliani. 6. Novi Ariani. 7. Molles Lutherani. 8. Calvinistæ, authore Joanne Calvino. 9. Ubiquitarij. 10. Osiandriani. 11. Interimistæ. 12. Anti Trinitarij. 13. Adiaphoristæ. 14. Anti Lutherani, sive Sacramentarij. 15. Semi-Lutherani. 16. Luthero-Papistæ. 17. Luthero-Zwingliani. 18. Luthero-Calvinistæ. 19. Svvenk Feldiani. 20. Antei Svvenk Feldiani. 21. Pacifici, seu Pacificatores. 22. Sabbatharij. 23. Puritani. 24. Atheistæ.

CATALOGUS VIII.

Continens Nomina Scriptorum Ecclesiasticorum, decimi sexti Sæculi.

Scriptorum quóque Numerus tam Ecclesiasticorum, quàm Prophanorum hoc Sæculum, superavit longè priora Sæcula, ex his pariter præcipuos tantùm enumerabo.

1. Joannes de Lapide, Germanus.
2. Petrus Talaretus, Gallus, Philosophus & Theologus.
3. Petrus Galatinus, Franciscanus.
4. Sylvester Priceas, Dominicanus, Theologus Moralis.
5. Jacobus Lopes, Hispanus, Philosophus, & Theologus.
6. Hadrianus IV. Papa.
7. Dominicus Jacobatius, Cardinalis.
8. Joannes Tabiensis, Dominicanus.
9. Joannes Almainus, Doctor Parisiensis.
10. Franciscus Lychetus, Minorita.
11. Franciscus Ferrariensis, Dominicanus.
12. Thomas Morus, Cancellarius Angliæ, martyrio coronatus.
13. Joannes Traversis, Martyrio in Hibernia donatus.
14. Joannes Teherus Anglus, Episcopus Roffensis, Cardinalis, & Martyr.
15. Fridericus Nausea, Episcopus Viennensis, in Anglia.
16. Joannes Cochlæus.
17. Jacobus Sadoletus, Carpentoratensis Episcopus, & Cardinalis.
18. Ambrosius Catherinus, Dominicanus.
19. Thomas de Vio Cajetanus, ejusdem Ordinis, & Cardinalis.
20. Joannes Eckius, Doctor Ingolstadiensis.
21. Albertus Pighius, Germanus.
22. Franciscus de Victoria, Theologus Celeberrimus.
23. Franciscus Ximines, Toletanus Episcopus.
24. Melchior Canus, Dominicanus.

25. Pe-

25. Petrus à Soto Dominicanus.
26. Ludovicus Lipomanus, Veronensis Episcopus.
27. Alphonsus à Castro, Franciscanus.
28. Sanctes Pagninus, Dominicanus.
29. Fridericus Staphylus, Germanus.
30. Nicolaus Villagagnonus, Eques Rhodius.
31. Joannes Gvapperus, Cardinalis.
32. Guilelmus Lindanus, Ruremontensis.
33. Cornelius Jansenius.
34. Reginaldus Polus, Cardinalis.
35. Franciscus Titelmanus, Franciscanus.
36. Ludovicus Bosius.
37. Andreas Vega.
38. Sixtus Senensis, Dominicanus.
39. Marcus Hieronymus, Vidas Episcopus.
40. Claudius Spencæus, Theologus.
41. Claudius Sanctesius, Episcopus Ebroicensis.
42. Simon Vigor, Archi-Episcopus Narbonensis.
43. Laurentius Surius, Carthusianus.
44. Benedictus Arius.
45. Thomas Stapletonus.
46. Onuphrius Panuinius, Augustinianus.
47. Marcus Marinus, Brixianus, Canonicus Regularis.
48. Gabriel Prateolus.
49. Sanctus Carolus Boromæus.
50. Franciscus Panigarola, Franciscanus.
51. Ludovicus Granatensis, Dominicanus.
52. Stephanus Durantius, Præses Tolosanus.
53. Alphonsus Ciaconus, Dominicanus.
54. Stanislaus Hozius, Cardinalis.
55. Dominicus Bannes.
56. Joannes Medina, & Bartholomæus Medina, insignes Theologi. Plures alios prætereo.

CATALOGUS IX.

Continens Nomina Scriptorum Profanorum, decimi sexti Sæculi.

1. Janson de Mayno, Mediolanensis, Jurisperitus.

2. Robertus Gagvinus. Annalista.
3. Joannes Stopherinus, Astrologus.
4. Tifernas Chrysolora, Græcus.
5. Hieronymus Osorius, Historicus.
6. Desiderius Erasmus Rotarodamus, Humanista.
7. Petrus Robustus, Mompiliensis, Decretista.
8. Guilielmus Budæus, Parisiensis, omnimodæ literaturæ genere præstans.
9. Paulus Jovius, Historicus.
10. Orontius Finæus, Mathematicus.
11. Joannes Despauterius, Grammaticus.
12. Franciscus Vatablus, Bibliorum Versor, quam versionem dein hæretici depravavêre.
13. Jacobus Tusanus, Regius in Græcis, & Mathematicis Parisijs Professor.
14. Joannes Titilius, Chronologus.
15. Martinus Cromærus, Historicus.
16. Matheolus, Medicus.
17. Gemma Frisius, Medicus, & Mathematicus.
18. Georgius Agricola, insignis Metallista.
19. Julius Cæsar, Scaliger.
20. Franciscus Duarenus, Jurisconsultus.
21. Joachimus Bellatus, Poëta.
22. Jacobus Sanazarius. Poëta.
23. Abrahamus Ortelius.
24. Carolus Sigonius, Historicus.
25. Hieronymus Cardanus, Medicus & Mathematicus.
26. Andreas Thervetus, Cosmographus.
27. Jacobus Cujatius, Jurisconsultus.
28. Natalis Comes, Poëta.

CATALOGUS X.

Præcipuorum Scriptorum hujus Sæculi è Societate JESU.

Fuerunt hi sanè plurimi, & quidem in omni scientiarum genere, ac tanto numero, ut Syllabus & Catalogus eorum, qui hoc & subsequenti Sæculo, erudissimos Libros ediderunt, Tomum integrum conficerent. Ut videre est, in R. P. Petri Ribadeneira, Libro 3. cujus titulus est: Bibliotheca Scriptorum Societatis JESU, quàm dein auxit P. Philippus Alegambe, ac demum novissima editione P. Antonius Sotuellus, cujus compendium, sequenti Synopsi Historiæ Ecclesiasticæ, commodiùs dabimus.

CA-

CATALOGUS XI.

Eventum memorabilium, decimi ſexti Sæculi.

1. Primi ex Religioſis proveniunt in Indiam Orientalem, ad prædicandam fidem Chriſti RR. PP. Franciſcani, 1501.
2. Univerſitas Wittembergenſis, tunc Catholica, poſtea Hæreſum Seminarium, erigitur, 1502.
3. Regnum Manicongo in Africa, fidem Chriſti ſuſcipit, 1503.
4. Univerſitas Francofordenſis, in Marchia Brandeburgica, inſtituitur anno, 1506.
5. Fiunt Converſiones multæ in populis, Indiæ Occidentalis, per RR. PP. Prædicatores Hiſpanos, circa hunc eundem annum.
6. Petrus Maronitarum Patriarcha, tres Legatos ad Concilium Lateranenſe mittit, 1515.
7. Novum Teſtamentum, veteris inſtar Hebraici, verſibus ab Auguſtino Juſtiniano, diſtinguitur, 1516.
8. Univerſitas Complutenſis fundatur, 1517. Eodem anno Martinus Lutherus, ſuas Hæreſes ſpargere incipit.
9. Anno, 1522. Chriſtianus Rex Daniæ ab Eccleſia deficit, qui poſtmodùm Regno privatus, & carceri mancipatus, miſerè obijt.
10. Eodem anno Rhodus Inſula Chriſtianis, à Turcis eripitur.
11. David Imperator Æthiopiæ, ejúſque avia Helena, Legationem ad Clementem VII. Pontificem mittunt, Apoſtolicam Benedictionem, & communionem ab eo expetentes, 1524.
12. Anabaptiſtæ cruentum bellum ſuſcipiunt contra Clerum, Principes & Magiſtratus, libertatem Evangelij prætexentes. Anno 1524. & 1525.
13. Ordo RR. PP. Theatinorum inſtituitur. 1524.
14. Ordo RR. PP. Capucinorum inchoatur. 1525.
15. Ingens altercatio inter Lutherùm, & Zwinglium, ſcripto venenato utrinque diſſeminato. 1527.
16. Europa bello, fame, & peſte vexatur. 1528. Eodem anno, Proteſtantium nomen exoritur.
17. Confeſſio Auguſtana à Melanthone compoſita, in Comitijs Auguſtanis Imperatori offertur, & ab eodem reijcitur. 1530.
18. Schiſma Anglicum, ab Henrico VII. Rege Angliæ, invehitur. 1535. Quo eodem anno, jacta ſunt prima fundamenta Societatis JESU. Pariſijs.
19. In pullulantes varias hæreſes per Galliam, graviſſima edicta promulgat, Franciſcus I. Rex Franciæ.
20. Genevenſes, fidem Catholicam planè deſerunt, expulsóque Epiſcopo ac Paſtoribus ſuis, hæreſim profitentur.

21. Institutum Societatis JESU, à Paulo III approbatur. 1540.

22. Sanctus Franciscus Xaverius, Societatis JESU, in Indiam navigat, in qua postmodùm, alijsque Regnis & Provincijs, multa centena millia ad Christi Fidem adduxit.

23. Universitas Gandiensis Societatis JESU fundatur à Francisco Borgia, Duce Gandiæ, qui postea & se ipse eidem Societati consecravit. 1545.

24. Inter Protestantes & Imperatorem, bellum inchoatur. 1546.

25. *Interim* illud, ad multarum interitum animarum, à Carolo V. in Comitijs Generalibus Augustanis puomulgatur. 1547.

26. Lutheranorum cum Zwinglianis Bellum literarium restauratur. 1552.

27. Fides Catholica in Angliam, à Maria Regina revocatur. 1553.

28. Viennæ Austriæ prodit prima editio Novi Testamenti, Characteribus & Linguâ Syriacis. 1555.

29. Mariæ Angliæ Reginæ defunctæ, succedit Elisabetha, & Hæresim in Angliam reducit 1559. Eodem anno pax inter Hispanos & Gallos concluditur.

30. Magnus in Scotia tumultus, cùm Calvinismus intruditur 1560. Eodem anno Hæretici, qui antea Lutherani fuerunt appellati, per totam Galliam cœperunt vocari Hugonoti. Eodem anno incipiunt Sodalitates Beatissimæ Virginis, in Domicilijs Societatis JESU.

31. Turonensis Universitas in Gallia Societati JESU tribuitur. 1561.

32. *Addessu* Patriarcha Civitatis Muzal in Assyria, Romanæ Ecclesiæ unitur. 1562.

33. Ordo militaris Sancti Srephani Papæ, à Cosmo Medicæo, Ducæ Florentiæ, instituitur. 1562.

34. Puritanorum Secta oritur in Anglia. 1565. Eodem anno Ordo Militaris Sancti Lazari, à Pio IV. restituitur & amplificatur.

35. Cyprus Insula Venetis à Turcis eripitur. 1571.

36. Universitas Mussepontana, in Lotharingia, à Cardinali Lotharingo fundatur. 1573. Eodem anno, Duacensis Academia in Belgio à Philippo Rege Hispaniarum erigitur.

37. Ordo Equitum Sancti Spiritûs, ab Henrico III. Galliarum Rege instituitur, 1579.

38. Tres Principes Japonij Romam perveniunt á Regibus sus ablegati, ad præstandam summo Pontifici obedientiam. 1585.

39. In Indijs, ingens multitudo barbarornm, operâ PP. Societatis JESU, ad fidem Christianam convertitur.

40. Beatus Didacus Sanctorum numero adscribitur. 1588. Et Beatus Hyacinthus Polonus Dominicanus, à Clemente VIII. in Sanctorum numerum refertur. 1594.

F I N I S.

V. SY-



V. SYNOPSIS CHRONOLOGICA.

Continens Res memorabiles Eccleſiæ, Decimi ſeptimi Sæculi, nempè ab Anno Chriſti 1600. úsque ad Annum 1695.

QUia Decadis primæ, Septimâ Synopſi Chronologica, rerum memorabilium in Europa, ſæculo noſtro geſtarum, non pauca recenſuimus, quæ etiam ad memorabilis res Eccleſiæ hujus ſæculi ſpectant; ideò breviores hìc eſſe cogimur, ſolùm ijsadnotatis, quæ ibidem omiſſa ſunt, & propriè res Eccleſiaſticas concernunt. Anno igitur 1601. Clemens Pontifex, inſtituit Canonizationem Sancti Raymundi Pennaforti, ex Ordine Sancti Dominici 29. Aprilis. Quo eodem menſe, veniunt Romam Legati Regis Perſarum, in Hiſpaniam navigaturi, ut Chriſtianos Principes ſollicitent contra Turcas. Eodem anno idem Pontifex, inter Religioſos & Sacerdotes ſæculares, qui in ijs miſſionibus verſabantur, componit, ex utraque parte, prætenſas prætenſiones, eósque in rectum Ordinem, & bonam ſubordinationem, authoritate ſua redigit. Hiſpani, Hibernos Catholicos, claſſe miſsâ contra hæreticos Anglos, à quibus opprimebantur, adjuvant, ſed exiguo cum fructu. Ludovicus XIII. Rex Galliarum naſcitur. Carolus Suecus, Sigiſmundi Regis Poloniæ patruus, poſt occupatam Sueciam, Livoniam quòque invadit, ſed à Polonis cum ſtrage repellitur.

1602. Clemens Pontifex, damnat opinionem quòrundam Theologorum, docentium, poſſe licitè ac validè, abſentem, per literas peccata ſua confeſſum abſolvi ab ijsdem. Exoritur hoc anno ingens controverſia de auxilijs gratiæ, inter Patres Societatis JESU, & Patres Dominicanos, inſtituuntur proinde hâc de materia coram ipſo Pontifice & Cardinalibus, acerrimæ diſputationes, deputatis ex utraque parte, viris exquiſitiſſimis, & doctiſſimis, ac ſimul religioſiſſimis, ardore ſummo, ſed & labore maximo, quæ poſtmodùm duravit non uno anno, nec ſub eodem Pontifice, nec ab ijsdem pugilibus, cunctis tamen deciſioni Pontificis ſeſe humiliter ſubmittentibus. Rex Æthiopiæ cum ſu-

is, avidè percipit veritatem fidei Romanæ, quam eidem prædicabat & declarabat Pater Paéz Societatis JESU. Henricus Rex Galliarum, edictum in duella promulgat, quibus intra paucos menses, quatuor virorum nobilium millia, sublata esse ferebantur.

1603. Succedente Jacobo Rege Scotiæ, in Regno Angliæ, Elisabethæ Reginæ, Londini instituitur Conciliabulum, in quo Rex caput Ecclesiæ Anglicanæ esse declaratur, & 141. Canones fidei eduntur, sed more hæreticorum, plurimùm inter se dissidentes, ob conflictum opinionum inter Puritanos & Calvinistas. Moses siculus Arianæ Sectæ, Turcarum copijs Transylvaniam occupat, & Fidem Catholicam ibidem evertere conatur, sed à Georgio Basta, copiarum Cæsareanarum Duce, iteratò profligatur, ac tandem interimitur.

1604. Henricus Magnus, Galliarum Rex, Societatem JESU, in Regnum revocat, quam priùs impulsus hæreticorum, & impiorum calumnijs (ut ipse sæpè professus est) ex Francia ejecerat, háncque postea magnis cumulavit beneficijs, atque non solùm in quatuordecim Urbibus restituit, sed in Palatio suo *Flexiæ* collocavit, magnificentissimo ibidem fundato Collegio.

1605. Clemens VIII. obijt pientissimè, postquam annis tredecim & triginta diebus Ecclesiam Sanctissimè gubernâsset, cui substituitur Alexander Medicæus Cardinalis, dictus Leo XI. sed hòc intra paucos dies mortuô, eligitur in Bontificem Camillius Brughesius, Senensis, Cardinalis, dictúsque est Paulus V. sub quo controversia inter Patres Dominicanos, & Societatis JESU, de gratiæ auxilijs, & libero arbitrio, sub Clemente agitari inchoata, ita composita est, ut liberum esset utrique parti, suam in scholis opinionem, modestè tueri, sine alterius condemnatione. Henricus Rex Galliæ, Pyramidem, Parisijs, ante palatium senatûs, olim ad ignominiam Societatis JESU erectam, deijci jubet. Prædominantibus Calvinistis, & alijs hæreticis, turbæ multæ ibi, & in Hungaria exoriuntur. Rex *Serræ Lernæ* in Africa, cum duobus fratribus, & quatuor liberis, à Patre Balthasare Bareriâ Societatis JESU, sacro fonte abluitur.

1606. Gravis Controversia, & lis, inter Paulum Pontificem, & Rempublicam Venetam oritur, ob jura quædam, qua sua ajebat esse Paulus, negabat Senatus, eóque res processit, ut universus Venetus Status, subijceretur interdicto, quâ ex occasione, aliquot Religiosi Ordines, qui se observatores erga Pontificem ostendere volebant, migrarunt è Statu Veneto. Idem Paulus V. Pontifex informatus contrariam opinionem Sententiæ, Patrũ Societatis JESU, de auxilijs gratiæ placere Heterodoxis, decreto inhibet disputationes institui, & Libros scribi super has controversias. Demetrius, Magnus Dux Moschoviæ, sub prætextu quòd Polonis faveret, & cum Pontifice ac Jesuitis de mutanda Religione egisset, à suis trucidatur, inque locum illius, quidam Basilius Joannis,

nis, cognomento Suiskius, ſubrogatur. Hoc eodem anno, vehementer perturbatur Anglia & Scotia, dum novos ritus Anglicos, Rex Jacobus in Scotiam vellet inducere. In Polonia quóque, Hæretici, in Sigismundum Regem conſpirant, parati eum axauthorare, nſi quibusdam Articulis eorum ſubſcriberet, quos tamen magnanimus Rex, & fidei Catholicæ zelantiſſimus reijcit, & armis domat, ac in ordinem redigit. Moritur hoc eodem anno, Juſtus Lipſius, magnum Literarum reíque Chriſtianæ decus, ac ornamentum.

1607. Ad interpoſitionem Henrici IV. Regis Galliarum, Lis inter Pontificem, & Rempublicam Venetam, componitur. Donaberta Civitas Imperij, Lutheraniſmo infecta, inſurgit contra Catholicos, ac Abbatem S. Crucis, Sacerdotêsque Catholicos in quadam Proceſſione malè tractat, ideóque ab Imperatore proſcribitur, & à Maximiliano Duce Bavariæ, annuente Cæſare occupata libertate ſua privatur. In Polonia, hæretici iterum contra Regem rebellant, iterúmque à Rege vincuntur. Carolus Suecus, contra nepotem ſuum, Sigismundum, & hæreditarium Sueciæ Regem inauguratus, Livoniam quóque invadit, fædéque eandem vaſtat. Jn Belgio jacta ſunt fundamenta Pacis, inter Albertum Archi-Ducem, & Belgicos Ordines, factis in octo menſes inducijs.

1608. Cæſar Cardinalis Baronius, Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ eximius Scriptor, morte cœlitus illi prænunciata, migrat in cœlum. Gabriel Bathorius, ut Principatum Tranſylvaniæ obtinere poſſit, à fide Catholica deficit, ſed poſtmodùm & hunc cum vita perdidit, & Regnum cœleſte amiſit. In Belgio induciæ inter Albertum Archi-Ducem, ac Ordines Belgicos protrahuntur, ſed pax iniri inter eos non potuit. Romam ad obſequium Sedi Apoſtolicæ præſtandum, veniunt Carolus Gonzaga, Dux Nivernenſis, nomine Henrici IV. Regis Galliarum, & Legatus Regis Congi ex Indijs. Paulus V. Pontifex, Sanctam Franciſcam Romanam, in Sanctorum Catologum refert, & Ordinem Equitum Sanguinis Chriſti, à Vincentio Mantuæ Duce inſtitutum, confirmat. Ordo quóque Equitum Sanctæ Mariæ de monte Carmelo, à Henrico IV. Galliarum Rege, reſtauratur.

1609. In Germania, Proteſtantes bellum contra Cæſarem, & Catholicos movent, ſeque correſpondentes dicunt, Catholici viciſſim fœdus inter ſe ineunt, quod Ligam Catholicam vocant. Ad inſtantiam Henrici IV. Patres Societatis JESU, anno præcedente Conſtantinopolim miſſi, hoc anno Galatæ, Collegium à Turcis recipiunt. In Perſide fides Catholica propagatur, & Rex Perſarum *Xà Aba*, Legationem ad Pontificem Paulum V. mittit. Dux Juliacenſis & Clivenſis Guilielmus ábsque prole moritur, cujus hæreditatem penſant, Marchio Brandeburgicus, & Dux Neoburgenſis, & illum adjuvant armis Lutherani, huic opitulantur Principes Catholici. Lugduni Batovorum, extin-

extinguitur Arminius, Theologiæ Calvinianæ Professor, cui in eadem schola opposuerat se Franciscus Gomarus. Unde natæ duæ novæ Sectæ, Arminianorum, & Gomarianorum, illique dicebantur Molles Calvinistæ, hi verò Rigidi Calvinistæ. Inter Hispanos & Batavos, cum pax non posset componi, fiunt ad annos duodecim Induciæ.

1610. Post plura hostiliter acta, prætensores Ducatûs Juliacensis, & Clivensis, tandem depositis armis, rem totam committunt dirimendam Judicibus delegatis, Coloniam ad hunc finem convocatis. Henricus IV. Rex Galliarum, inter plausus & magnificentiam coronandæ Reginæ, dum urbem lustrat, ab amente sicario, gemino cultri ictu vulneratur, & paulò post moritur. Philippus Hispaniarum Rex, Mauros omnes, ex Regnis Hispaniæ exterminat, eò quòd nunc Mauros Africæ, nunc Turcas contra se sollicitâsse deprehensi fuerint, expulsorum numerus fuit, novies centum millium. Paulus V. in Sanctorum numerum refert, Sanctum Carolum Boromæum. Ordo Monialium Visitationis Beatissimæ Virginis, à Sancto Francisco Salesio, instituitur. In Hollandia, Duce Worstio evocato, Lugdunum Batavorum, ut Arminij defuncti cathedram occuparet, novæ circa certos Articulos fidei, inter ministellos resuscitantur contentiones, & pugnæ.

1611. Sigismundus Rex Poloniæ, Smolenskum, post biennalem obsidionem expugnat, & victor in Poloniam redit, Moschoviam mox repetiturus, cum filio Uladislao, quem Moschorum plurimi exoptabant Ducem. Ex Suecis quóque multi Proceres, mortuo Carolo raptore illius Regni, ad eundem Sigismundum respectant, sed prævalent alij, & Gustavum Adolphum, filium Caroli, Patri substituunt. Matthias Archi-Dux concessa libertate Exercitij Acatholicis, ab ijsdem Rex Hungariæ acclamatur, & consensu postea Imperatoris coronatur.

1612. Rudolphus Cæsar Pragæ moritur, cui mox sufficitur Matthias Archi-Dux, ejusdem frater, Hungariæ & Bohemiæ Rex, qui sedem Imperij, Pragâ Viennam transfert. Poloni, vincuntur à Moschis, & hic mox in Ducem eligunt Michaëlem Phæderovics, sicque Uladislao filio Sigismundi, Regis Poloniæ omnem Ducatûs illius spem præcidunt. Desponsatur Ludovico XIII. Galliarum Regi, Anna, Maria, Mauritia, primogenita Regis Catholici, & vicissim Philippo Principi Hispaniæ, Elisabetha soror Christianissimi. In Gallia Parisijs, & dein Aquis sextijs, condemnatur in comitijs publicis Libellus Edmundi Richerij, quô impugnabatur, suprema potestas Romani Pontificis, in Ecclesia.

1613. In Anglia, nuptiæ Friderici Comitis Palatini, cum filia Jacobi IV. Regis, maximâ pompâ celebrantur, ex quibus Calvinistæ, magnam spem sectæ suæ per Germaniam propagandæ, concipiunt, ast res contrarium eventum sortita

tita est. Triremes Hispaniæ, & ducis Hetruriæ, excursione in Asiam minorem facta, multas clades Turcis inferunt, multósque Christianos captivos eliberant. Francisco Duci Mantuæ defuncto, succedit frater Ferdinandus Cardinalis, non dum Sacerdos, & dispensante Pontifice, uxorem ducit.

1614. Dux Neoburgi, publicè Lutheranismum abjurat, & professionem Fidei Catholicæ, cui jam priùs addictus fuerat, emittit. In Gallia, post tumultus aliquantisper semisopitos, Ludovicus XIII. ætatis anno 11. in Comitijs Parisiensibus, Regni administrationem suscipit, in quibus Ordo Plebejus, resuscitat quæstionem de potestate summi Pontificis in Reges, sed ab Ordine Ecclesiastico, & Nobilium, ac sanctiori Regis consilio, statim sopitur. Inter Duces Brandeburgicum & Neoburgicum, ratione Ducatûs Cliviæ & Montium, augentur dissensiones, huic favente, eúmque armis adjuvante, Archi-Duce, Duce Spinolâ, illi oppitulantibus confœderati Belgis, Duce Mauritio. Aquisgranum ob tumultus excitatos ab hæreticis contra Catholicos, à Cæsare proscribitur, & à Spinolâ occupatur, mulctatis tumultuum auctoribus. Instigantibus Anglis & Batavis *Cubo* Japoniæ Imperator, dirissimam in Christianos Catholicos instituit persecutionem.

1615. Achmetes Turcarum Imperator, cum Matthia Cæsare, inducias vicennales init. Duæ celebres, hoc anno Romæ susceptæ sunt Legationes, una remotior, ab *Idiate* Rege *Voxu* ex Japonia, altera propinquior, à Ludovico XIII. Francorum Rege. Adferuntur quoque Romam Literæ Gabrielis Episcopi Gangriensis in Paphlagonia, Primatum Romani Pontificis agnoscentis. Obit Romæ Claudius Aquaviva, Quintus Societatis JESU Generalis, vir sanctissimæ vitæ, & absolutæ prudentiæ. Parisijs in Generali Conventu Cleri, unanimiter Concilium Tridentinum recipitur. Nuptiæ inter Ludovicum XIII. Regem Franciæ, & Annam Mauritiam Austriacam, ac Philippum Hispaniæ Principem, & Elisabetham Regis Galliæ sororem celebrantur. Pax inter Sabaudum & Hispanum concluditur.

1616. Bellum inter Sabaudum & Hispanum recrudescit, pacem interim procurante Paulo V. Pontifice. In Hungaria, Petrus Pazmanus è S. J. fit Archi-Episcopus Strigoniensis, qui sua authoritate & doctrinâ majorem partem Magnatum Regni, ad Fidem Catholicam reduxit. In Gallia tertium intestinum bellum, inter familias Regias erumpit. Marcus Antonius Segniensis Episcopus, & postea Archi-Episcopus Spalatensis, in Dalmatia, homo levissimus & vanissimus, in Angliam profugit, & à fide Catholica deficit, scribit etiam Librum de Republicâ Christiana, in quo multa contra Pontificem, & Ecclesiæ administrationem effutijt, licèt postea ad sanam mentem rediens, erroneas suas opiniones revocaverit, & ad gremium Ecclesiæ redierit.

1617. Ludovicus XIII. Galliæ Rex, edicto jubet in Provincia Benevensi libertatem Catholicæ Religionis, & restitutionem bonorum Ecclesiasticorum, ante quinquaginta annos ereptorum, demandat insuper, toto Regno pecuniam colligi, ad Terræ Sanctæ subventionem. Matthias Imperator prole carens, adoptat in filium & hæredem, Ferdinandum Archi-Ducem, Caroli Archi-Ducis Gratiensis primogenitum, eúmque in Regem Bohemiæ coronari curat. Moritur Achmetes Turcarum Imperator, succedente eidem Osmane filio. Abassus Persarum Rex, aliquot Christianos Principes ad suum Mahumetem, frustra protrahere conatur, quòd cum non posset efficere, per insidias eosdem tollit è vita. In Hollandia, graves ex more de Religione fiunt motus, inter Gamorianos & Arminianos, quorum illi demonstrantes, hi contra remonstrantes nuncupati sunt. Ordo Fratrum Misericordiæ, à Joanne DEI instituitur. Lutherani, ad imitationem Catholicorum, annum sæcularem suæ sectæ celebrant.

1618. Ferdinandus I. in Regem Hungariæ coronatur, contra quem & Matthiam Cæsarem, Bohemi hæretici, sub prætextu conservandæ suæ Religionis rebellant, & Moraviam quóque, Silesiam, ac Lusatiam, ad eandem rebellionem sollicitant. In Italia pax duplex concluditur, una inter Ferdinandum Archi-Ducem, & jam Hungariæ & Bohemiæ Regem ac Venetos, altera inter Hispanum & Sabaudiæ Ducem. In Rhetia Hæretici Catholicos graviter vexant, quorum tamen causam Hispani suscipiunt, eósque tuentur. In Scotia quóque exoritur schisma novum, ob administrationem Ecclesiarum, in quas novi aliquid induxerant Angli, Puritanis contranitentibus.

1619. In Bohemia Rebelles Hæretici, omnia cædibus & rapinis, ac incendijs vastant, Catholicósque persequuntur, quos proinde Matthias Imperator bello appetit, sed inter has turbas moritur, eidémque in Regno succedit Ferdinandus; nec multò post eligitur Imperator Francofurti, in magnam spem Catholicorum, & bonorum omnium. Qui primò suis adhortationibus conatur, compescere seditiosos Bohemos, sed frustra, quia exinde crescit eorundem audacia; eligunt itáque sibi in Regem, Fridericum Palatinum, Electorem, Regis Angliæ generum, eúmque Pragæ coronant, & mox etiam Elisabetham ejus uxorem in Reginam. Interea Gabriel quóque Betlehemus, Transylvaniæ Princeps, in Ferdinandum insurgit, átque in Hungariam irrumpens, crudelissimè in Catholicos sævit. Viennæ Austriæ, Ordo sacræ militiæ, Carolo Gonzagâ Duce Nivernensi, & Adolpho Althano, præcipuis authoribus, instituitur, & à Paulo V. confirmatur, ad compescendas Turcarum in mare internum excursiones. Opus magnâ inchoatum pompâ, sed cum exiguo effectu.

1620.

1620. Ferdinandus II. Imperator, Palatini Electionem proſcribit, & ad bellum ſe accingit, pro Imperatore ſtant Electores reliqui, Hiſpani, Poloni, & Pontifex, Angli verò & Batavi, Friderico auxilia, & copias ſuppeditant. Igitur Ambroſius Spinola, cum Hiſpanico Exercitu Palatinatum invadit, & multa in eo oppida, quâ vi, quâ deditione capit. Elector Saxoniæ miſſus ab Imperatore, occupat Luſatiam. Dux Bavariæ, Cæſaris & Catholici in Germania Exercitûs Ductor, cum Bucquojo junctus, Bohemiam ingreditur, & urbes aliquot, in poteſtatem Cæſaris redigit, demúmque Pragam veniens acerrimum prælium cum Friderico init, quô primùm vincere viſi hæretici, ſed grandi tamen poſtea clade, proſtrati ſunt. Fridericus Palatinus, Mimicus Rex, cum uxore fugit in Sileſiam, & ſequenti anno ad Batavos. Bavarus verò triumphans, Pragam ingreditur, ac Bohemiam totam ferè recuperat. *Vallis Telinæ* in Rhetia incolæ Catholici, jugum hæreticorum excutiunt, cœſis aut depulſis eorum fautoribus. In Gallia Rex Ludovicus, victis Hæreticis Rebellibus, & matris Reginæ Exercitu debellato, Matrem in gratiam recipit, auctóque ſuo Exercitu maternis copijs, contra hæreticos arma convertit, eóſque in Ordinem redigit, & Eccleſiaſticis, templa, bona, ac honores reſtituit, victórque Pariſios cum triumpho redit. Poloni, indicto ab Oſmane Turcarum Imperatore bello, ſe ad defenſionem parant.

1621. Imperator Ferdinandus, Fridericum Palatinum & illi adhærentes proſcribit, & per Bucquojum Moraviam, per Saxonem verò Sileſiam recuperat, & per Hiſpanos reliqua loca Palatinatûs occupat. Oſmanes Polonos aggreditur, ſed ab his crebris cladibus afficitur, adeò, ut deſperato progreſſu, pacem ab eis petere fuerit coactus, quæ ut divinitus oblata, magno gaudio à Polonis acceptatur, & Oſmanes, centum millibus ſuorum gladio, totidémque morbis & alijs caſibus abſumptis, inglorius Conſtantinopolim regreditur. In Hungaria Gabriel Betlehemus, pacem cum Cæſare init, & coronam Regni Hungariæ, eidem reſtituit. Rex Galliæ movet in hæreticos rebelles, Rupellæ præſertim incluſos, urbémque Sancti Joannis Angeriaci, poſt dierum viginti obſidionem, deditione recipit, quam quia eidem diutiùs reſtiterat, mœnibus & propugnaculis privat, ad reliquarum Urbium hæreticarum terrorem, & alias quóque ſexaginta Civitates Hugonotarum, per ſe, ſuóſque Duces, poſt multas pugnas & ſtrages ſubigit. Fatalis hic fuit annus, morte illuſtrium virorum. Nam 28. Januarij, obijt Paulus V. Pontifex, annorum ſexaginta novem, in cujus locum eligitur Alexander Ludovicus Bononienſis Cardinalis, qui dictus eſt, Gregorius XV. Eodem etiam menſe, obit Coſmus, Magnus Dux Hetruriæ, cui ſuccedit Ferdinandus decennis filius ſub tutela matris Auſtriacæ. Die verò 22. Martij moritur Philippus III. Rex Hiſpaniæ, eidémque ſuccedit filius, Philip-

pus IV. annorum ſedecim. Die autem 13. Julij, è vivis decedit, Albertus Archi-Dux, Belgij Princeps, quô ſublatô, ſtatim uxor ejus Iſabella, velum & veſtem Clariſſarum Monialium ſuſcipit, pietati deinceps vacatura. Demum feliciter ad DEUM migrat, Robertus Bellarminus Societatis JESU, Cardinalis, propè octuagenarius, inſignis Catholicæ Fidei propugnator, ac pientiſſimus Scriptor.

1622. In Japonia, multi Religioſi, & Nobiles, cives, imò & infantes, glorioſum Martyrium, pro fide Catholica, ſubeunt. Gregorius XV. Pontifex, Congregationem de propaganda fide, Romæ inſtituit, & Sanctos, Iſidorum Hiſpanum, Agricolam, Sanctum Ignatium Societatis JESU Fundatorem, Sanctum Xaverium. ejusdem Societatis, Indiarum Apoſtolum, Sanctam Thereſiam, Reformatricem Carmelitarum, & Sanctum Philippum Nerium, Congregationis Oratorij Inſtitutorem Catalogo Sanctorum adſcribit. Vetat quóque in publicis actibus, vel etiam privatis colloquijs, aſſerere, Beatiſſimam Virginem DEIparam, conceptam in peccato Originali. Ludovicus XIII. Rex Galliæ, hæreticos aggreſſus, aut malè mulctat, aut ad obſequium, & fidem redire compellit. Marcus Antonius de Dominis, operâ Legati Hiſpanici in Anglia, Pontifici reconciliatur, & palinodiam recantat. Oſmanes Turcarum Imperator, à ſuis exauthoratur, & à Muſtapha Patruo ſuo, in ejus locum, ad Thronum evecto, ſtrangulari jubetur.

1623. Ferdinandus Imperator, in Comitijs Ratisbonenſibus, Electoratûs dignitatem, à Palatino Friderico, in Maximilianum Bavariæ Ducem transfert, adjuncta eidem ditione ſuperioris Palatinatûs. Mansfeldius Nothus & Halberſtadienſis, latrocinijs, & deprædationibus. Fridericum Palatinum, Electoris dignitate ab Imperatore ſpoliatum, ulciſcere conantur, ſed Tillius Catholicorum Dux, eorundem Exercitum, partim cædit, partim fugat. Carolus Walliæ Princeps, unicus filius Jacobi Regis Angliæ, Madritum venit, & Mariam filiam, Philippi IV. poſtulat in uxorem, eas nuptias etiam Pontifex approbat, quaſi profuturas Eccleſiæ, aut ſaltem nequaquam nocituras. Interim moritur idem Gregorius XV. eíque ſubſtituitur Maffeus Barberinus, Florentinus, dictus Urbanus VIII. vir eruditiſſimus, & Sede Romana digniſſimus. Illuminatorum hæreticorum Secta, in Hiſpanijs exorta, combuſtis ejus authoribus, extinguitur. Sanctus Franciſcus Saleſius, Epiſcopus Genevenſis, qui plus quàm ſeptuaginta duo millia hæreticorum, ad Eccleſiam Catholicam reduxit, ad præmia Cœleſtia, pro ſuis Apoſtolicis laboribus accipienda, ex hac vita evocatur.

1624. Ex Hibernia, edictô Jacobi Regis Britanniæ, Eccleſiaſtici pelluntur, Tartari Podoliam, & Pruſſiam nigram vaſtantes, à Polonis & Cozacis magna

clade

clade afficiuntur. Melchior Cardinalis Kleſelius, Epiſcopus Viennenſis, diu ab Auſtriacis, in carcere Tyrolenſi detentus, ab omnibus criminibus, ſibi, à malevolis impoſitis, judicio & diplomate Pontificis, abſolvitur, & in integrum reſtituitur. Pariſijs, novi quidam Antiperipatetici, Chymiſtæ, & Medici, erroris damnantur, eorúmque Theſes ab Univerſitate prohibentur. Batavi in Braſilia, Sinum *Omnium Sanctorum* occupant, & Urbem *Sancti Salvatoris* Hiſpanis eripiunt, etiam ibi crudelitatis ſuæ in Catholicos véſtigia relinquentes. Verùm ſtatim, adversùs eos paravit ingentem claſſem Philippus, cui præfecit Fridericum Toletanum, qui eosdem inde repellit, & urbem ijsdem eripit, ſicque hæreticorum audaciam, & faſtum ibidem reprimit.

1625. Romam Jubilæi causâ venit Uladislaus primogenitus Sigiſmundi Poloniæ Regis, átque ab Urbano Pontifice humaniſſimè excipitur. Jacobus Magnæ Britanniæ Rex moritur, ac eodem anno, Carolus ejusdem filius ducit in Uxorem Henricam Mauritiam, Pariſijs nuptijs celebratis, frementibus licet hæreticis, qui Catholicam Reginam avérſabantur. Franciſcus Barberinus, Lutetiam ingreditur, miſſus ab Urbano VIII. ad conciliandos ánimos Chriſtianiſſimi Regis & Catholici. In Gallia Subizius & Rohanius inquietiſſimi fratres & Hæretici, populos ad rebellionem ſollicitant, & terrâ maríque prædas agunt, ſed à Mommorantio Archithalaſſo Franciæ vincuntur. Sancta Eliſabetha Regina Portugaliæ, in numerum Sanctorum, ab Urbano VIII. refertur. Defuncto Mauritio Arauſicano Principe, Exercitus Ordinum Belgicorum Ductore, ſuccedit Henricus frater. Chriſtianus Rex Daniæ, electus Dux Proteſtantium inferioris Saxoniæ, volens Palatinum Fridericum, in priſtinam dignitatem reſtituere, à Ducibus Cæſaris Tillio & Walſteinio, malè excipitur, & repellitur.

1626. Franciſcus Maria à Rovere, Dux Urbini, Octogenario major; & prole carens, vivens, Ducatum, qui erat Fæudum Eccleſiæ, Urbano Pontifici renunciat, & reſignat. Erneſtus Mansfeldius Nothus, Catholicorum perſecutor deteſtabilis, ad Pontem Diſſavienſem à Walſteinio vincitur, peditatu toto amiſſo, Equitatu ægrè cum ipſo Duce elapſo. Qui nihilominus reparat ſtatim Exercitum, & per Germaniam palabundus, in Hungariam magnis itineribus ad Gabrielem Bethlehem venit (veſtigijs ejusdem ubíque inſiſtente Walſteinio) eíque latronum ſuorum reliquias committit. Ipſe verò dum ad Turcas per Venetos tranſire intendit, in Boſnia morbo contracto, impiam efflat animam. Chriſtianus Daniæ Rex, qui Friderici Palatini ſuſceperat patrocinium, in agro Bruſvienſi, à Tillio Duce Cæſareo, grandi clade atterritur. In Auſtria ſuperiore exoritur Ruſticorum rebellio. Vrbanus VIII. Literis in Japoniam miſſis, animat Chriſtianos ad Martyrium.

1627. Sigiſmundus Rex Poloniæ, cum filijs Uladislao & Caſimiro ſter-

nunt Suecos, Gustavo Rege ictu globi vulnerato, interfectóque eorum Polémarcho, non paucísque alijs Ducibus, reliquo Exercitu fugato. Sancti Norberti, ejusdem loci Archi-Episcopi, & Ordinis Præmonstratensis Fundatoris, Magdeburgo, Pragã, magna cum solennitate transfertur. Ferdinandus II. Cæsar edicto mandat, in Regno Bohemiæ doceri unicam Religionem Catholicam. Angli hæretici, Rebellibus Francis mixti, opem laturi Rupellanis Hugonotis perduellibus Regi Christianismo, à Schombergio Maeschallo Franciæ, vincuntur, quâ cœsi, qua fugati. Urbanus VIII. adscribit Martyrum Catalogo tres è Societate JESU: Paulum Michi, Joannem Goto, & Jacobum Kisai, ac aliquot Franciscanos, in Japoniá odio fidei occisos.

1628. Ludovicus XIII Rupellam hæreticorum tutissimum àsylum, post arctissimam quindecim mensium obsidionem, fame demum domat, & ad deditionem compellit, mox Urbem triumphalibus equis, cum duodecim millibus armatorum ingreditur, sed ut Pietas ipsa triumpharet de hæresi, solenni pompâ gestata est Sacrosancta Eucharistia, Rege, & Exercitu comitantibus, & Cardinale Richelio in Basilica Urbis Sacrum solenne peragente. Constantinopoli Legati Angliæ & Hollandiæ satagunt, ut inde Patres Societatis JESU expellantur, præsertim, quòd resisterent hæresi cœptæ ibi promulgari vulgari linguâ, sed incassum, Legato Galliæ jussu Regis, eosdem protegente. Novum fœdus conflatur, inter Anglos, Danos, Suecos, Batavos, de Palatino restituendo, inutile tamen, prævalente ubique Tillio & Walsteinio. Inter Suecos & Danos bellum continuatur, hoc etiam Anno, fortunâ illis secundiore, his adversâ. Mortuô Vincentio Duce Mantuæ, turbatur Italia, multis ejusdem hæreditatem prensantibus.

1629. In Gallia post Rupellam captam, Urbes Hugonotorum certatim se Regi dedunt, in quibus Rex continuò Catholicam Religionem restituit. Ferdinandus Cæsar pace cum Imperatore Turcarum, & Rege Daniæ composita, edictum promulgat, pro restituendis bonis Ecclesiasticis, à Protestantibus post pacificationem Passaviensem occupatis, mittítque Exercitum Duce Archemio Regi Poloniæ, adversùs Gustavum Sueciæ Regem, mittit insuper alium Exercitum, triginta millium peditum, & quinque millium Equitum, contra Carolum Gonzagam, Ducem Nivernicnsem, ob occupatum Ducatum Mantuanum, sine investitura, & subjectione Cæsari debita: eundem invadunt etiam Hispani, auxilio autem illi sunt Veneti & Galli. Urbanus VIII. Pontifex, in Catalogum Sanctorum adscribit Beatum Andream Corsinum, Episcopum Fessulanum.

1630. Cæsareani occupant ipsam quóque Mantuam, & dirè devastant, improbante hanc exorbitantiam militum suorum Imperatore, qua occasione non

non solus Ducatus Mantuæ, sed & Sabaudiæ, plurima damna passus est, partim ab auxiliaribus, partim ab hostilibus copijs. Postmodùm Pax hinc inter Cæsarem, Hispanos & Sabaudum, inde Gallos, Venetos, & Carolum Nivernensem, concluditur certis conditionibus, inter quas fuit, ut Carolus supplicaret intra sex hebdomades, pro Investitura Ducatûs Mantuani, apud Cæsarem. Sub idem tempus, conveniunt Principes Imperij Ratisbonam ad Comitia, efficiúntque apud Imperatorem, ut Walsteinium tunc absentem exuat Præfecturâ Cæsarei Exercitûs, quæ oblata fuit Duci Bavariæ Maximiliano, sed ab hoc recusatâ, data est Comiti Tillio. Interea Gustavus Adolphus Sueciæ Rex, invitatur à Protestantibus principibus, & adjutus pecunijs Francicis, Pomeraniam ingreditur, bellúmque funestissimum Cæsari denunciat. Vrbanus VIII. dat titulum Eminentissimi, Sacræ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus. In Statu Veneto grassatur hoc anno pestis gravissima, quâ absumpta sunt in sola illa ditione, plus quàm quingenta millia, in Lombardia verò alicubi dimidiam, alibi circiter tertiam partem hominum, eadem lues sustulit.

1631. Domesticæ turbæ in Aula Gallica erumpunt in publicum, inter Reginam Matrem, & Cardinalem Richelium, quæ indignè ferens quòd eum amovere non posset à Filio, secessit in Belgium: quô perrexit & Dux Aurelianensis infensus Cardinali. Hic enim ita jam sibi demeruerat Regem, ut eum Parentis haberet loco, & maluerit Matris & Fratris carere præsentiâ, quàm hunc à se amotum videre. Jubente Cæsare, in Italia hoc Anno pax firmatur, cum Duce Nivernensi, data à Cæsare eidem Investiturâ pro Ducatu Mantuano, Mantuâque restitutâ, átque inde imminente hyeme Cæsareus Exercitus revocatur. Magdeburgum à Tillio & Pappenheimio Cæsareani Exercitûs Ducibus expugnatur & incenditur. Contra Imperatorem & potentiam Austriacam, cum Rege Sueciæ fœdus ineunt Reges Galliæ & Angliæ, Hollandi item & Elector Saxoniæ: committitur dein ad Lipsiam atrox prælium, quô Cæsareani vincuntur, & ipsemet Tillius Dux belli fortissimus, & experientissimus, globo minoris sclopi vulneratur, & paulò post moritur, cum magno dolore Cæsaris, & Catholicorum. Sic Suecus summa cum celeritate Franconiam, Palatinatum inferiorem, Alsatiam, Westphaliam, & ditionem Moguntinam pervagatur, & depopulatur. Saxo verò occupat Ægram, Pragam, magnámque Bohemiæ partem. In locum Tillij autem, exauthoratus Walsteinius, à Cæsare toti rursus Exercitui præponitur. Vesuvius mons terribili cum fragore eructat flammas bitumen, Saxa, cineres, in summa copia, & ad longissimam distantiam.

1632. In Imperio vario marte à Cæsareanis & Suecis pugnatur, multas Civitates his occupantibus, illis recuperantibus, tandem utrínque decernitur generale prœlium, illúdque cruentissimum, & committitur ad Lutzenam oppidum

pidum

pidum, in quo utrinque periêre circiter novem millia hominum, & inter alios occubuit Rex ipse Sueciæ Gustavus, ætatis anno 38. incertùm à quo in pugna occisus, & ita vulneratus átque deformatus, ut vix à suis domesticis agnosceretur. Interijt & alter Polimarchus Cæsarei Exercitûs Pappenheimius, vir bellicosissimus, Walsteinio supremo Duce, post pugnam Cæsareum Exercitum Lipsiam reducente. Hoc eodem anno moritur Moguntiæ Fridericus Palatinus, quondam Elector, & ex Electore Rex nominalis, ex Rege demum mendicus, ætatis Anno duodequadragesimo, turbarum Germanicarum primus ac præcipuus author, tum quando maximè speraret, ut à Sueco in pristinam dignitatem restitueretur. Sigismundo Poloniæ Regi, Anno ætatis 66. Regni 45. defuncto, succedit Uladislaus Filius. Sueci Duce Bernardo Wejmariensi, omnia Saxoniæ loca, à Cæsareanis capta, recuperant. Christiana Regina, unica Gustavi filia septennis, tutelæ Alexij Oxensteinij, magni Cancellarij Regni Sueciæ, committitur. Dux Aurelianensis, cum Duce Montmorentiæ, in Gallias irrumpunt, sed à Rege, Duce Schombergio vincuntur, & ille quidem refugit in Belgium, hic verò vivus capitur, & demum Tolosæ, ex Juris formulâ, capite plectitur.

1633. Cracoviæ Wladislaus IV. in Regem Poloniæ coronatur, ejúsque Frater, Joannes Albertus Episcopus Cracoviensis, Cardinalatûs dignitate ab Urbano Pontifice augetur. Germania tota turbatur à Suecis, quam Cæsareani pacare conantur, ac pristinæ dignitati restituere. Gustavi enim locum occupârunt Vajmarius, Hornius, & Banerius, sub præcipuo Regni Suecici administro, Oxensteinio. In Alsatia & Svecia vario marte pugnatur, hinc à Cæsareis & Bavaris, inde à Suecis & Gallis. Romæ Hyacinthus Centinus, nepos Cardinalis Centini Ascolitani, mortem Urbano VIII. Necromanticis veneficijs molitur, at scelere patefacto, ibidem securi percussus, scelus morte luit. Carolus Britaniæ Rex, in Regem Scotiæ coronatur, & Puritanos persequitur, restituens habitus Episcopis, & Lithurgias, ac Musicos concentus Ecclesijs. Ferdinandus Cardinalis, Philippi Regis frater, & Hispaniæ infans, Gubernator Belgij à fratre constituitur. Dux Aurelianensis, repetit Franciam, & à fratre Rege perhumaniter recipitur. Romæ opinio Galilæi Florentini excogitata per Nicolaum Copernicum, de motu terræ, circa solem, tanquam centrum Universi, à Sacris Inquisitoribus damnatur, ut sacris codicibus opposita.

1634. Comes Albertus Walsteinius, Dux Fridlandiæ Copiarum Cæsarearum Ductor, opprimitur, eidémque Gallasus interim à Cæsare substituitur. Ferdinandus III. jam Hungariæ Rex, egressus ad bellum, supremum regimen exercet, locô Walsteinij, & mox conjunctis copijs Maximiliani Ducis Bavariæ, Ratisbonam oppugnat, ac tandem (licèt non sine magna strage suorum) etiam

etiam expugnat, auctus dein Exercitu Hispanorum, quem ducebant infans Cardinalis in Belgium, ac simul militia Caroli Ducis Lotharingiæ, obsidet Nordlingam, & cum Suecis prælium atrox committit, & prima quidem die pugnæ, dubio marte pugnatum est, úsque ad noctem, sed die sequenti, Victoria à Catholicis stetit. Cœsa sunt ex hostibus plùs quàm decem millia in acie, in fuga novem millia, quatuor millia capta, inter quos unus è præcipuis belli Ducibus, Hornius, cum octoginta Tormentis bellicis, signis militaribus ducentis, átque omnibus impedimentis. His auditis Augusta, Herbipolis, multæque aliæ Urbes Imperij, se Ferdinando dedunt. Cardinalis verò infans, confecto prælio, in Belgium pergit.

1635. In Germania res Suecorùm dilabuntur, & Cæsaris augentur, Cæsari proinde se submittit Spira, Vormatia, Ulma, Francofurtum, Treviros quoque Cæsarei accipiunt, unà cum Electore, átque hunc Viennam abducunt, ad causam dicendam, de introductis Gallorum præsidijs, contra Constitutiones Imperij. Interim Urbanus VIII. Papa instat, ut Elector dimittatur, si innocens est, vel si reus, cùm Ecclesiasticus sit, restituatur potestati Ecclesiasticæ, ab ipso summo Pontifice judicandus, sed præter bona verba, nihil impetrat. Galli, Austriacis bellum indicunt, & cum Hollandis, Sabaudo, & Parmensi, fœdus contra eosdem ineunt, magnóque impetu Belgium, Germaniam, Lotharingiam, Italiam, & Vallem Telinam, diversis Exercitibus invadunt, sed sine optato successu, ac in Belgio, & Germania, cum magno suo detrimento. Exercitus enim in Belgium missus, fame enectus, diminutus valde ac dispersus, redijt in Galliam. Is verò qui expeditus fuerat in Germaniam, lacessitus sæpiùs à Cæsareanis, & carptim diminutus, ultimatim recedere coactus fuit, sine tormentis bellicis, quæ defodit, vel projecit ad lacus, & plùs retulit de vulneribus, quàm de spolijs. Pontifex Urbanus VIII. laborat modis omnibus de componenda pace, Cæsarem inter & Reges.

1636. Principes Christiani, in Italia, Belgio, ac Germania, ditiones suas ad invicem miserè devastant. Inter Suecos tamen & Polonos, induciæ pacis, úsque ad Annos 26. prorogantur. Et Ferdinandus III. frustra obsistentibus Gallis, Ratisbonæ in Regem Romanorum eligitur. Urbanus VIII. Pontifex mittit Coloniam Cardinalem Gviettum, ad tractandum, cum Principum Plenipotentiarijs, de pace Universali.

1637. Memorabilis hic Annus fuit, trium Heroum ac Principum morte. Obijt námque Ferdinandus II. Imperator, 14. Februarij Viennæ, optimè de Religione Catholica meritus, Annorum 59. Succedente Filio ejus Ferdinando III. Dein 21. Septembris, moritur Carolus Dux Mantuæ & Nivernij, Annorum 61. Demum die 7. Octobris, Victorius Amadæus, Dux Sabaudiæ,

Annorum 51. In Iapponia Pater Marcellus Mastrillus è Societate JESU, post tolerata per plures dies gravissima tormenta, tandem decollatur in odium Fidei Christianæ.

1638. Principes Europæi pergunt inter se digladiari, ultrò citróque damnis illatis & acceptis, innocuísque incolis utrinque oppressis. Ludovicus XIII. hoc Anno Beatissimæ Virgini, magno ejus festo in Cœlum assumptæ, Regnum suum offert & consecrat, acceptat illa munus, at ei reddidit auctiùs, impetrato hærede filio, Ludovico XIV. Casimirus, Uladislai Poloniæ Regis frater, electus Lusitaniæ Pro-Rex, dum per Galliam festinat incognitus, intercipitur, & Parisios deducitur, & in custodia detinetur, honestè interim & lautè habitus. In Scotia majores turbæ à Ministellis excitantur, contra Carolum Regem, ex cujus lenitate, & de suo Jure nimis remittente, facti sunt illi ferociores, & insolentiores.

1639. Urbanus Pontifex, cùm Venetis agunt de procuranda inter Principes Catholicos pace, aut saltem de inducijs, & suspensione armorum, sed hunc eorum conatum, diversæ dissensiones interea exortæ, interturbant. Idem Pontifex mittit in Angliam in Legatione, ad Catharinam Reginam Catholicam, Comitem Carolum Rossetum Ferrariensem, qui eximio suo zelo, cum prudentia & doctrina conjuncto, non solùm ipsam Reginam Catholicam, sed & Regem Carolum, mirificè sibi, & Pontifici conciliat. Interim autem Puritani, & Calvinistæ, contra eundem Carolum, gravem seditionem movent. Amurathes Turcarum Imperator, Mustafam Avum suum, diu in carcere detentum, necari jubet, vovétque Mahumeto se non depositurum ensem, donec Christianos suo Imperio, Legique subijceret, sed improviso casu adeò debilitatus est, ut ferociâ depositâ, ad pacis conditiones facilè se flecti permitteret.

1640. Celebratur magna cum solenitate & pietate, à Societate JESU, per universum Orbem, Jubilæum, seu Centesimus annus, fundatæ Societatis, ipso summo Pontifice Urbano VIII. approbante. Idem Urbanus VIII. Rempublicam Lucensem excommunicat, quòd in carcerem conjecisset Fratrem & Famulos Cardinalis Franciotti, ipsorum Episcopi. Amurates Turcarum Imperator, annos natus triginta duos, ex crapula & intemperantia, repentè extinguitur, nullo filio superstite, devolvitur proinde Imperium ad Fratrem ejus Ibraimum, in carcere hactenus detentum, qui educi se se ad supplicium potiùs quàm ad sceptrum suspicatus, non priùs metum posuit, quàm defuncti Amurathis cadaver viderit. In Anglia Puritani & Calvinistæ, insurgunt in Regem suum Carolum, eúmque cogunt, ad retractandam formulam, contra Rebelles Scotos ab ipso editam, eidémque Jus vectigalium eripiunt. Lusitani excusso Dominio Hispanorum Castellanorum, novum sibi Regem Joannem Brigantiæ Du-

cem

cem, creant. Naſcitur LEOPOLDUS Archi-Dux Auſtriæ, dein glorioſiſſimu Rex Hungariæ, Imperator Romanorum.

1641. Exarſit hoc Anno bellum inter Odoardum Farneſium, Ducem Parmenſem, & Barberinos nepotes Pontificis. In Anglia à Parlamentarijs, Puritanis, & Calviniſtis turbantur omnia, Regiſque authoritas penitùs infringitur, ſævitur in Regis fautores, átque de ipſa Regina quæſtio inſtituitur, quæ proinde vitæ ſuæ conſultura, ſub prætextu quaſi deductura filiam ſuam Guillelmo Arauſicano Principi deſponſatam, ſecedit in Patriam, ipſe quóque Rex, ad loca tutiora ſe recipere cogitur. Interim Hiberni maxima ex parte Catholici, poſtulant libertatem Religionis, & independentiam à Parlamento Londinenſi & Scotico, ſed repulſam patiuntur. Turci cum Venetis, pace initâ, contra Coſacos ſibi infeſtos, arma vertunt.

1642. Maria Medicæa, Ludovici XIII. Regis Galliarum Mater, Henrici Magni conjux, inter opera Chriſtianæ pietatis & patientiæ, rerum tamen omnium egena, moritur Coloniæ. Eodem Anno obit piè ac fortiter & Cardinalis Richelius, excellentiſſimi vir ingenij, & conſilij, à cujus nutu, non ſolùm Gallia, ſed tota ferè Europa dependebat, & regebatur. Fundamenta pacis Suecico-Germanicæ jacta fuiſſe hoc Anno videntur, ſelectis Urbibus Oſnaburgo, & Monaſterio, pro pacis tractatibus. In Anglia ſoli Catholici favent Regi, cœteris adhærentibus Parlamento, quod ad ſe ſtatim omnia vectigalia traxit, ut ſic faciliùs in Regem arma expediret, ac tandem Regem Regno vitáque exueret. Pontifex excommunicat Ducem Lotharingiæ, ejúſque pellicem, legitimæ uxori ſuperinductam. Idem Pontifex Cardinalem Antonium Barberinum Nepotem, renunciat Legatum Generalem militiæ Eccleſiaſticæ.

1643. In Gallia Cardinali Richelio, in adminiſtratione ſubſtituitur Cardinalis Julius Mazzarinus, viro politiæ ſummè perito, vir non minoris peritiæ. Moritur eodem Anno Ludovicus XIII. Rex Galliæ, & quidem pientiſſimè, uti Chriſtianiſſimum Regem decuit, relicto hærede filio Ludovico XIV. Sub tutela Reginæ matris, & Ducis Aurelianenſis, ac in abſentia illius, Principis Condæi, & Cardinalis Mazzarini. Sueci Acatholici, incitant Georgium Rakoczium Tranſylvaniæ Principem, Calviniſtam, ad invadendam Hungariam.

1644. Venetijs pax inter Pontificem Urbanum, & Odoardum Farneſium Ducem Parmenſem inita, ſub ſolenni Miſſa, in Baſilica Sancti Marci promulgatur. Nec diu poſt Urbanus VIII. Pontifex moritur, eidémque ſuccedit Cardinalis Pamphilius, qui ſe dixit Innocentium X. Pax Europæ fruſtra tentatur, convenientibus licèt ablegatis Monaſterium. Iſabella Regina Hiſpaniæ, & Cæcilia Renata Auſtriaca, Regina Poloniæ, moriuntur, ambæ ex æquo piæ, & devotiſſimæ. Scoti & Angli Calviniſtæ & Puritani, Eboraci, Regem ſuum ob

ſident, ejúsque copias fundunt, & profligant, qui inde Oxonium profugere cogitur. Guillelmus Landus, Archi-Epiſcopus Cantuarienſis, quòd videretur in Romanam Eccleſiam propenſior, & Carolo Regi addictior, atque concilia Parlamenti parùm probaret, ejusdem juſſu, publicè, Londini, capite minuitur.

1645. In Anglia Parlamentarij, majoribus incrementis virium invaleſcunt contra Regem, creato Generali Præfecto Farfaxio, Sub-Præfecto Cromvello, utróq; de Secta Independentium, quæ nulli alteri Sectæ adhærens, & Eccleſias, ac Sacras ceremonias reſpuens, in locis privatis, ſuo cujúsque arbitrio orandum ſtatuit. In Hibernia Catholica Religio opprimitur, hæreſi in eam inſurgente & prævalente. Moritur Mutius Vitelleſcus, Præpoſitus Generalis, ingreſſus annum ætatis octogeſimum ſecundum, & Generalatûs trigeſimum, vir conſilij magni, ac virtutis & pietatis maximæ, & fidei Catholicæ unum Columen. Turcæ Venetis bellum indicunt, & Cretam Inſulam invadunt.

1646. Nepotes Urbani VIII. Barbarini, Româ, in Galliam profugiunt, ab Innocentio Papâ ſucceſſore exagitati. In Gallia Henricus Princeps Condæus in hæreſi educatus, ſub finem vitæ, Fidem Catholicam amplectitur, in eáq; pie moritur Cromvellus Regis Exercitû fundit. Rex ipſe ad anguſtias redactus, Scotis, tanquam genti ſuæ, majoris ſecuritatis gratiâ ſe tradit, ſed hi perfidi, utpotè hæretici, infami proditione, eundem Anglis vendunt. In Hibernia Catholici inſignem victoriam de Anglis Parlamentarijs, reportant. Uladislaus, Rex Poloniæ, ingenti apparatu, Turcas invadere intendit, ſed à Republica Polonica impeditur, prætendente, quòd Rex non haberet authoritatem ſuſcipiendi belli offenſivè, ſine Comitiorum conſenſu.

1647. Regnum Neapolitanum, ob vectigalia rebus minutis impoſita, graviter turbatur, & in ſeditionem vertitur. Carolus Rex Angliæ, Londinum à Rebellibus Anglis captivus abducitur, ſed inde profugit ad Inſulam Vectam. Hollandi, à Rege Catholico pacem petunt, & impetrant, retenta novâ Reipublicæ formâ, poſt octuaginta Annorum Rebellionem. In Dalmatia, Veneti proſperè bellum contra Turcas gerunt.

1648. In Germania, Pax inter Cæſarem, ac Suecos, ijsque adhærentes concluditur Monaſterij in Weſtphalia, & promulgatur, ſed quia in ea nimis indultum fuit Proteſtantibus, & Conditiones Religioni Catholicæ noxiæ videbantur, eidem à Fabio Chiſio, Legato Apoſtolico contradicitur. Uladislaus IV. Rex Poloniæ moritur, amiſſo priùs unico filio Sigismundo, cui proinde ſuccedit Caſimirus ejusdem frater. Cozaci, Duce Bogdana Chmielnicio, Rebellionem contra Polonos movent, & juncti Tartaris, Ruſſiam devaſtant. Carolus

lus Angliæ Rex, ex Insula Vecta Londinum reducitur, & carceri mancipatur.

1649. Carolus Stuardus Rex Angliæ, à Parlamentarijs, operâ Farfaxij & Cromvelli, per vilissimos, & omni scelere inquinatos judices, eô etiam sub prætextu, quòd cum Catholicis contra Protestantes conspirasset, morti addicitur, & publicè in theatro capite truncatur. Scoti, auditâ Caroli morte, jam proditionis suæ pœnitentes, ejusdem filium Carolum II. Walliæ Principem, qui tum cum fratre Jacobo Duce Eboracensi, versabatur in Hollandia, Regem acclamant. Exercitus Pontificis, ad ulciscendam mortem Episcopi Castrensis, urbem eam occupat, & demolitur. Cromvellus in Anglia prævalet, & in Catholicos, at Regi faventes sævit. Anna Archi-Ducissa Austriæ, desponsata Regi Catholico, transit in Hispanias. Casimirus Rex Poloniæ, impetrata dispensatione à Pontifice, ducit viduam fratris sui Uladislai, mox movet in Cozacos & Tartaros, incredibilémque eorum edit stragem.

1650. Innocentius X. summus Pontifex, Jubilæum celebrat, & quosdam Religiosos ordines abrogat, & quorundam Monasteria parva, & disciplinæ Religiosæ minùs apta, abolet, & Germanicam pacem improbat, utpotè Ecclesiæ præjudiciosam Christina Regina Suetiæ magnificentissimè coronatur. Regia dignitas aboletur in Anglia. Olivererius Cromvelus contra Scotos bellum parat, interim Carolus II. in Regem Scotiæ Schonæ coronatur. Veneti fæliciter contra Turcas in Creata Insula, decertant.

1651. Cardinalis Mazzarius compellitur exesse è Regno Galliæ, invitâ licet Reginâ, & Regio filio, secedit proinde Coloniam, nihilominus & inde gubernat, ac regit consilijs suis aulam Gallicam, â Parlamento tamen proscribitur, appositis sex millibus aureorum, qui eum occideret. Interea quóque ejusdem Bibliotheca, quâ nulla fere fuit in Europa libris instructior, magnis impensis ab eo comparata, Senatûs jussu, magno literarum damno, distrahitur. Ludovicus XIV. Rex Galliarum, Anno ætatis XIV. Regni illius gubernacula capessit. Hoc eodem anno, Brandeburgum inter & Neoburgum Duces, bellum exardescit, in quo maximè de Religione agi videbatur, sed authoritate Cæsaris sopitur & componitur. Carolus II. Rex Scotiæ Coronatus, venit in Angliam, & amissum à parente suo cum vita Regnum recuperare nititur, ac deijcere Cromvelum, sed à Cromvelo vincitur ac profligatur, & mutato habitu fugit in Galliam. Multi Catholici in Anglia Martyrio afficiuntur. Casimirus Rex Poloniæ, de Cozacis & Tartaris, memorabilem victoriam reportat, & eosdem pacem petere compellit. Maximilianus Dux Bavariæ, vir ex æquo Religiosus ac prudens, & supra reliquos Germaniæ Principes, in Catholicam fidem animatus, optimèque de ea meritus, pientissimè moritur.

1652. Cardinalis Mazzarinus, revocatur à Rege in Galliam, & ab eodem & Principibus Aulæ, honorificentissimè excipitur. Abrogat quóque Rex decretum Parlamenti, contra eundem Cardinalem. Plebs Parisiensis in seditionem versa, non sine cædibus tumultuatur. Ernestus Landgravius, & ejus conjunx Eleonora Maria Comitissa Salmensis, fidem Catholicam amplectuntur, cum magno emolumento Ecclesiæ Romanæ, trans Rhenum. Bellum inter Anglos & Hollandos, occasione piscaturæ Halecum exoritur. Cozaci iterum Polonis rebellant. Martinus Martinius Societatis JESU, Romam venit, è Sinis ablegatus, à Regina, & filio ejusdem primogenito, in Baptismate Constantino dicto. Obijt Romæ Franciscus Picolomineus Societatis Generalis, vir pijssimus & sapientissimus.

1653. Cardinalis Mazzarinus in Campania cum Exercitu Regio prosperè adversùs hostes, bellum gerit. Angli & Hollandi, per duos dies in mari decertant, & victoria ab Anglis stat. Cromvelus cum Exercitu Londinum accedit, & Parlamentum deijcit, séque supremum Regni protectorem dicit. Recusante Christinâ Regina Sueciæ matrimonium, Sueci eligunt in Regem, eidem successurum, Carolum Gustavum Palatinum. Cozaci de Polonis triumphant. Ex levibus initijs, Catholicos inter & Zwinglianos Helvetos, grave bellum erumpit. Veneti classem Turcicam devincunt. Ferdinandus IV. eligitur in Romanorum Imperatorem, Augustæ Vindelicorum. Polonia fame & peste laborat. Innocentius X. quinque Propositiones Jansenistarum, hæreticas esse declarat.

1654. Christina Regina Sueciæ, coram Senatu & Proceribus Regno se abdicat, incredibili cum dolore & stupore subditorum, retentis sibi in Pomerania, ducentorum millium aureorum, annuis proventibus, illúdque in Carolum Gustavum Palatinum transfert, qui eodem etiam die in Regem coronatur Upsaliæ, ipsa verò Regina, discedit ex Suecica jam privata, Holmiam, inde Hamburgum, ac dein in Belgium, ac Bruxellas, ibique professionem fidei Catholicæ privatim nuncupat. In Anglia, Anabaptistæ, contra Cromvellum conjurant. Poloni Cozacos cœdunt, sed à Moschovitis superantur, ac cum Tartaris pacem ineunt. Ferdinandus IV. Rex Romanorum, magno rei Christianæ luctu, extinguitur.

1655. Innocentius X. Pontifex moritur, in cujus locum eligitur Cardinalis Fabius Chisius Senensis, tanto consensu Cardinalium, & conspiratione suffragiorum, qualis non fuit in electione Pontificis, ab aliquot retroactis sæculis, dicique voluit Alexander VII. Leopoldus Archi-Dux in locum defuncti Fratris Ferdinandi IV. Rex Hungariæ Posonij, inauguratur. Christina Regina Sueciæ ex Belgio veniens in Italiam, Oeniponti publicam fidei Catholicæ professionem facit, ita suadente Pontifice, ut posset illam, in ditione Ecclesiasti-

câ, tanquam Catholicam excipere, quâm cum maximo honore. Excepta est eadem Regina per Civitates Italiæ cum ingenti concursu & apparatu. Cúmque propè accessisset ad Lauretanam Beatissimæ Virginis Ædem, reliquum itineris, quamvis lutulenti, pedes confecit obtulítque Reginæ Cœli, Coronam & Sceptrum, pretiosissimis gemmis referta. Ludovicus XIV. Rex Galliæ, decreto edito, excludit ab officijs Aulæ suæ, suiq; fratris, omnes Hugonottas. Veneti prosperè pugnant contra Turcas. Carolus Sueciæ Rex, Poloniam infestat, & victis Polonis prima acie, magna ex parte occupat. Poloni ad angustias has redacti (nam eodem tempore & à Moschis, in Litvania, & à Cozacis in Russia, premebantur gravissimè) recurrunt ad Georgium Rakoczium, Principem Transylvaniæ, ejusdemque filio Regnum offerunt, post mortem Regis Casimiri, si illis auxilio vellet esse, & filium à se in Catholica educari religione permitteret. Verùm is (ita suadentibus Ministellis Calvinianis) hanc oblationem respuit, & Poloniam hostiliter invadit; & brevi hujus suæ temeritatis dat pœnas, amisso toto Exercitu, à Tartaris abducto, ipsóque Principatu Transylvaniæ deperdito. Filius tamen illius nihilominus, postmodùm fidem Catholicam est complexus, non jam Regni terreni gratiâ, sed amore Regni Cœlestis, quod nemo sine vera fide (quæ est Catholica) consequitur.

1656. In Helvetia bellum inter Catholicos & Protestantes, per Legatos Francos, Hispanos, Batavos, & Sabaudos, pax optata subsequitur. Verùm inter Suecum & Polonum, frustra ea tentatur. Interim Poloni recipiunt animos, & evocatis quinquaginta millibus Tartarorum, hostibus acriùs resistunt: mox etiam cum Moschis non iniquis conditionibus paciscuntur. Romæ Christina Regina Sueciæ, ab Alexandro VII. Pontifice, Sacramentum Confirmationis suscipit, & nomen Alexandræ sibi eligit. Joannes Austriacus ex Hispanijs venit in Belgium, Gubernator ejusdem designatus. In Anglia, tam scriptis, quàm armis Cromvelus impetitur, qui tamen prævalet, & sub Protectoris nomine Dominum se gerit, & ut talis à suis agnoscitur. Ibidem exoritur nova secta Trementium dicta, quòd illius asseclæ inter orandum, toto corpore contremiscerent. Pestis ex Sardinia delata, Neapolitanam Urbem, & vicina loca horridè depascitur, huic tamen opitulatur precibus suis Sanctus Franciscus Xaverius, ob idque in Patronum Urbis eligitur. Pontifex Nuncios suos & Ablegatos mittit ad Reges Christianissimum & Catholicum pro pace inter eosdem concludenda.

1657. Alexander VII. summus Pontifex, Rempublicam Venetam adversùs Turcas, pecuniâ & milite egregiè adjuvat, bellum Ottomanicum, causam Ecclesiæ esse judicans, quam proinde, hac liberalitate, mirum in modum sibi devincit, idque efficit, ut sapientissima illa Respublica Societatem JESU,

quam

quam olim eximiâ benevolentiâ foverat, iterum postliminio, ad augustissimum suum suum reciperet, & honorificentissimè ad ditiones sui statûs revocaret. Ludovicus XIV. ut suis, & toti orbi terrarum ostenderet suum sincerum affectum erga Romanam Ecclesiam, recens enatam Jansenistarum doctrinam, jam priùs à summis Pontificibus damnatam, novo decreto, ex suo Regno proscribit, & exterminandam statuit.

1658. Ex Africa, Rex Ardæ, finitimus Regi Angolæ, Legatos ad Regem Catholicum mittit, petens amicitiam, & viros Religiosos, instructores in fide Christiana. Cromvelus Protector Britaniæ moritur, magno Catholicæ fidei bono, eique substituitur Richardus Cromvelus ejusdem filius, cui Parlamentum, & capita Exercitûs jurant fidem. In Belgio Dunckerka à Gallis & Anglis deditione capitur, eámque ingressus Rex Galliæ, cum Cardinale Mazzarino, promittit sanctè cultum Catholicæ Religionis sibi cordi fore, cùm eam ex pacto Anglis relinquere cogeretur, quando vellet pecuniâ redimendam. Poloni in Varsaviensibus Comitijs, decernunt bellum adversùs Moschos & Suecos. Veneti in Creta insula Turcis fortiter resistunt. Alexander VII. Pontifex, in Sanctorum numerum refert Beatum Thomam de Villanova, Archi-Episcopum Valentinum, virum pietate, sanctitate, ac miraculis clarissimum.

1659. In Varsaviensibus Comitijs, pax inter Cozacos & Polonos concluditur, sed illi paulò post iterum Polonis rebellant. Conficitur quóque pax inter Reges, Catholicum & Christianissimum, & confirmatur Matrimonio inter Regem Galliæ, & Theresiam filiam Regis Catholici. In Anglia, Regij, & qui eidem favebant, vincuntur à Parlamentarijs, unde Carolus II. Rex migrat in Galliam, ejûsque frater Jacobus Bruxellas, conquisituri à Gallis & Hispanis auxilia, ad Regnum Angliæ recuperandum.

1660. Londini Parlamentum & Exercitûs capita, & Metropoles statuum, revocant ad Regni gubernacula Carolum II. certis tamen, ijsque sat duris, utpotè ab hæreticis emanatis conditionibus. Videlicet: ut parcat etiam parricidis Caroli I. nec ducat uxorem diversæ Religionis à Protestantibus, relinquátque in suo vigore edicta contra Catholicos, nec Gallos, Hispanósque in Regnum introducat, celebretúrque in Ecclesijs more Scotico, in quas cùm Carolus necessitate coactus consensisset, reducitur in Angliam, excipitúrque magno cum applausu, & gaudio Regnicolarum, mox deducitur Londinum, Magistratu purpureo eidem obviam eunte, & populo genua flectente, acclamatúrque Rex Magnæ Britanniæ, cum sonitu campanarum, & explosione Tormentorum, plurimísque alijs lætitiæ signis. Adigitur tamen Catholicos ex Aula sua excludere, ipsíque Legato Regis Galliæ abscessum indicere. Moritur Gustavus II. Carolus Rex Sueciæ. Christina olim Regina Sueciæ revocatur à Suecis, ut Comitijs interesset. Venit illa Hamburgum úsque, quô cùm appulisset, invitata est à Suecis, ut Catholicam ejuraret fidem, sed heroina hæc verba eorum contempsit, & Romam iterum redijt.

1661.

1661\. Carolus II. Angliæ Rex, nuptias firmat cum Catharina ſorore Regis Luſitaniæ, cui conceſſum eſt à Parlamento, viginti Religioſos in Aula ſua intertenere. Eâdem etiam occaſione decretum eſt, tollenda edicta Eliſabethæ contra Catholicos, permittendámque Religionis libertatem. In Scotia Nobiles quidam & Miniſtelli Calviniani læſæ Majeſtatis rei, ultimo afficiuntur ſupplicio, ſententia quóque anno ſuperiori adversùs Cromvelum ejúsque complices lata à Parlamento, hoc anno executioni eſt data, & in rem deducta. Cadavera enim illorum ſunt refoſſa, raptata, mutilata, & cum Santapilis, ſub patibulis infoſſa. In eadem Anglia novi quidam Sectarij Fanatici dicti, arma corripiunt, horum intentio fuerat, Monarchias ubique tollere, quos compellabant carnales, ajebántque ſe divinitus, ad id vocatos eſſe, eorúmque teſſera militaris erat: *Vivat Dominus JESUS.* Sed hi iterato à Regijs cœſi, & diſſipati ſunt. Carolus II. Rex Angliæ, eſum carnium ſextâ & ſeptimâ Feriâ vetat, & quadrageſimam ſancit. E contra Parlamentarij, edicto jubent Jeſuitas (quibus tamen Rex favebat) totâ Britanniâ exeſſe, quô tamen non obſtante, in ipſa Regia Urbe Londinenſi, latuêre complures. Ludovico XIV. Regi Galliarum ex Thereſia Regina, naſcitur filius, & Philippo IV. Regi Hiſpaniarum, ex Anna Maria Carolus II. utrobique actæ ſunt DEO gratiæ, & ſigna lætitiæ quàm plurima edita. Rex dein Galliæ cum Regina, adfuit Carnuti, & votum factum Beatiſſimæ Virgini, pro impetrato filio, adimplevit die 8. Decembris. Quâ eadem die ſupplicante Philippo Rege Hiſpaniarum, Alexander VII. declaravit Sententiam de Immaculata Conceptione Beatiſſimæ Virginis, eſſe & fuiſſe ſemper in Eccleſia, in hoc ſenſu: Quòd DEIpara in ipſo primo inſtanti creationis animæ, & infuſionis in corpus, fuerit præſervata per merita redemptoris, à peccato originali. Moritur Cardinalis Mazzarinus, vir ingenij magni, ſed fortunæ longè majoris. Epiſcopus Monaſterienſis, Civitatem Monaſterienſem obſidet, & victam ſui Juris plenè facit. Alexander VII. Beatum Franciſcum Saleſium, Epiſcopum Geneuenſem, Sanctorum Catalogo adſcribit. Moſchi à Polonis vincuntur, ſed à ſuis Quartianis militibus, ob non perſoluta ſtipendia, graviſſimè perturbantur. Rex Galliæ mandat, ut omnes ſui, ſubſcribant conſtitutioni Innocentij X. Pontificis contra Janſeniſtas datæ. Duo ſummi Miniſtri, ſummarum duarum aularum, nempè Gallicæ, & Hiſpanicæ deprehenduntur in ſumma infidelitate adminiſtrationis proventuum Regiorum, & apud hunc, reperti ſunt decem milliones aureorum, alter convincitur uſurpatorum quadraginta millionum librarum, de reditibus Regijs. Quid igitur mirum, ſi Provinciæ Regum exhauriantur tributis, & tamen eorum æraria non augeantur, cùm tales inſatiabiles harpyæ populorum ſudores, & ſanguineos labores univerſos, pro ſuo emolumento exſugant, & ad ſe attrahant: & quid ſi ſint plures tales harpyæ in una aula? certè pro illis nullæ excogitabiles contributiones poterunt ſufficere.

1662\. Goa Metropolis Indiæ, cum magno diſcrimine in illis Regionibus fidei

Catholicæ, ab Hollandis capitur. Rex Galliæ, deputatis Genevæ mandat, ut in ea Urbe, liber ſit uſus Catholiciſmi. Idem Rex jubet viginti tria templa hæreticorum demoliri, quæ in ditione Genevenſi fuerunt in illius protectione. Vidua Caroli I. Regis Angliæ, Caletum venit, reverſura inde in Angliam. Ex levi caſu, exoriuntur graviſſimæ diſcordiæ, inter Pontificem, & Galliæ Regem, qui tamen renovat decreta contra Hugonottas, & jubet carceribus includi, capita Novæ Sectæ Illuminatorum. Miniſtelli Anglicanæ Eccleſiæ, recuſant fidelitatem jurare Regi Angliæ, in rebus Eccleſiaſticis. Rex Galliæ, uti aliàs conventum fuit, Dunckerkam, ferè quinquagies centies librarum millibus, ab Anglis redimit, Urbémque illam ingreſſus ibidem Catholiciſmum cum multis alijs privilegijs reſtituit. Obit ſanctè uti vixerat, ſereniſſimus Archi-Dux Guillelmus Leopoldus, columen non ſolùm Auguſtiſſimæ Domus Auſtriacæ, ſed & Eccleſiæ Catholicæ.

1663. Ludovicus XIV. ob deſpectum Romæ factum ſuo Legato, à Satelitibus Pontificijs, bellum Pontifici inferre parat, & Pontifex ad ſui defenſionem Exercitum conſcribit. Pariſijs Simon quidam Morinus, hæreticus fanaticus, qui ſe Spiritum Sanctum eſſe putabat, átque ex hoc errore, multos jam ſeduxerat, publicè flammis exuritur. Rex Galliæ, Avenionenſem ſtatum, in Gallia, ad Sedem Apoſtolicam à multis ſæculis pertinentem, ſibi uſurpat, ejúſque poſſeſſionem init. Tumultuantes Quartiani milites in Polonia, ad obſequium Regis revocantur. Turcæ in Hungaria, Cæſari bellum inferunt. In Anglia, Londini impium edictum promulgatur, ut omnes Catholici Regnô intra octiduum exeant, exceptis Reginæ famulis. Dux Mechelburgi, verſans in aula Regis Chriſtianiſſimi, abjurata hæreſi Proteſtantium, fidem Catholicam amplectitur.

1664. Cardinalis Chiſius, Nepos & Legatus Pontificis, venit in Galliam, & ſolenni pompâ Pariſios ingreditur, tractaturus cum Rege, de componenda pacificatione, & avertendo bello, quod Rex Pontifici parabat inferre. Cometes ingens toti Europæ apparet. Rex Galliarum, ſex millia militum Cæſari in ſubſidium contra Turcas ſubmittit. Poſt inſignem victoriam ad Sanctum Gothardum de Turcis, repentina pax, inter duos Imperatores, concluditur.

1665. Pater Dominicus Ottomanus, Ordinis Prædicatorum, frater Imperatoris Turcarum, & primogenitus Ibraimi, qui anno 1644. captus fuerat, ab Equitibus Melitenſibus, cum Sultana matre, in itinere versùs Mecham, venit Pariſios, & à Rege honorificè excipitur. Ludovicus XIV. præcipit omnibus Epiſcopis, & beneficiarijs Eccleſiaſticis, ut intra tres menſes, ſubſcribant Bullæ Alexandri VII. contra Ianſeniſtas. Franciſcus Saleſius Epiſcopus Genevenſis Sanctorum Catalogo ab Alexandro VII. adſcribitur.

1666. Alexander VII. ſummus Pontifex, ad inſtantiam Reginæ Hiſpaniæ, per Breve ſpecialediſpenſat, ut Pater Joannes Nidhardus Societatis JESU, Reginæ ejus-

ejusdem Confessarius, non obstantibus Societatis statutis, quæ Professos omnes obligant, non acceptandi ullam dignitatem Ecclesiasticam, possit acceptare, & exercere munus Inquisitoris Generalis Hispaniarum. Senatus Regius inhibet artificiosa Capillitia, quæ vulgò Baroccas vocamus, eò quòd quotannis impenderentur in Gallijs, plùs quàm vicies centena millia aureorum. Hoc & priore Anno, complures sententiæ Theologorum Moralium tanquam scandalosæ, à Papa Alexandro VII. damnatnur & proscribuntur.

1667. Alexander VII. summus Pontifex, DEO Spiritum reddit, in cujus locum eligitur Cardinalis Julius Rospigliosus Pistoriensis, qui nomen Clementis IX. assumit, & non multò post mandat omnibus, qui ad Horas Canonicas recitandas tenentur, ut deinceps Officium Immaculatæ Conceptionis, per totam octavam recitent. Ludovicus XIV. Rex Galliarum, ingenti cum apparatu bellico, invadit Belgium, jure suæ uxoris provincias illas prætendens, quod tamen jus Hispani validissimè & constantissimè impugnabant, eò, quòd Regina solenniter Juri illi cessisset, eámque cessionem & renunciationem, ipsemet Rex confirmâsset, utráque tamen pars pro mediatore pacis & decisione litis, novum summum Pontificem acceptat. In Polonia Rex Casimirus, privatam vitam ducturus, Regno renunciat, pro cujus Successore, pars magna inclinat in filium Magni Ducis Moschoviæ, ea conditione, ut rejecto Schismate, Catholicus fieret.

1668. Adnitente summo Pontifice Clemente IX. pax inter Hispaniæ, & Franciæ Reges componitur. Ab eodem Pontifice Beata Rosa Limensis, Sanctorum Catalogo adscribitur. Mareschalus Turenius, Parisijs, publicè abjurat Calvinismum, & fidei Catholicæ Professionem emittit, ingenti gaudio totius Regiæ Aulæ. Summus Pontifex declarat, irritum ac invalidum fuisse matrimonium, inter Reginam Lusitaniæ, ac ejusdem Maritum Alphonsum, & illa, volentibus ita Proceribus, nubit Fratri ejusdem, Petro, átque hic Rex Lusitaniæ constituitur, Alphonsus veró pristinus Rex in Custodia detinetur. Princeps Michaël Koribut, inter multos competitores, in Regem Poloniæ eligitur. Insigni miraculo, conflagrante fortuito incendio novâ aulâ Cæsareâ Viennensi, particula ligni Sanctæ Crucis, combustâ omni aliâ supellectile adjacente, in Oratorio Eleonoræ Ferdinandi Cæsaris Viduæ, illæsa prorsus remanet. In cujus rei memoriam eadem Imperatrix Congregationem Nobiliorum Mulierum instituit, quarum pietati præcipue incumberet, Sanctam Crucem venerari.

1669. Clemens IX. Pontifex Fastis Sanctorum adscribit Petrum de Alcantara Franciscani Ordinis, & Mariam Magdalenam Carmelitici, nec multo post moritur. Hæretici in Hungaria, in Catholicorum internecionem conspirant. In eadem Hungaria, Prædicantes, contra Cæsarem, rebellionem fovent, & constituunt. Eleonora, Archi-Ducissa Austriæ, Michaëli Regi Poloniæ, nuptui traditur. Gandia, à Turcis maximo Christianitatis detrimento expugnatur.

1670. Clemens X. Pontifex eligitur. Judæi edicto Cæsaris Viennâ proscribuntur. A Gallis Belgium Hispanicum invaditur. Per Hungariam, & Croatiam, in Schismaticorum reductione ad unionem Catholicam strenuè, & cum optato successu laboratur, plurimam operam ad id conferente, Illustrissimo ac Reverendissimo Domino, Comite Leopoldo à Kollonicz, tunc Episcopo Neostadiensi.

1671. Clemens X. Papa quinque Beatos solemni ritu in Numerum Sanctorum refert. Hi fuêre Cajetanus Thieneus, Philippus Benitius, Franciscus Borgia, Ludovicus Bertrandus, & Rosa Limensis. Poloni inter se, & cum Rege discordant. In Hungaria, seditio mota ab Acatholicis, in Examen vocatur, & Posonij à Tabula Regia discutitur. Fides Catholica, per idem Regnum, magnis incrementis promovetur.

1672. In Hungaria multa templa Catholicorum, iniquitate temporum ab Hæreticis abalienata, reoccupantur, ac reconciliantur. Novi tumultus ab Acatholicis in superiori Hungaria excitantur. In Podolia, Camenecum à Turcis capitur. Monasteriensis Episcopus, ditiones suæ Diœcesis, & Principatûs, ab Hollandis ereptas, quas bonis modis impetrare non poterat, armatâ manu recipit. Josephus Borri Hæresiarcha, Anno præterito in Germania captus, Romæ sua diliria solenni execratione ejurat.

1673. Sobieskius, Generalis Polonorum, in Ukraina, insignem de Turcis Victoriam reportat. Augustissima Domus Austriaca, cujus operâ, zelo ac industriâ, Fides Catholica in Europa conservata, in Indijs verò longè latéque est propagata, quartum sæculum Imperij complet.

1674. Majora indies incrementa, sumit Fides Catholica in Hungaria. Michaël, Rex Poloniæ moritur, & in ejus locum, Sobieskius Generalis, ac contra Turcas anno præterito victor, à Regnicolis eligitur. Prædicanres Acatholici, tanquam incentores, & authores rebellionis, judicialiter Posonij convicti, ex Regno Hungariæ proscribuntur. Rebelles Heterodoxi, vicissim varias Crudelitates in Catholicos, sed præsertim Sacerdotes exercent, ac complures miris modis torquent, & non paucos enecant. Interim in Civitatibus Liberis, & Regijs Hungariæ, Magistratus Catholicus, Acatholico substituitur.

1675. Jubilæum magno populi concursu Romæ celebratur. Dani, auxiliante etiam Cæsare, Suecos bello persequuntur, & à Brandeburgico in Pomerania, ac Principe Monasteriensi, in statu Bremensi, graviter premuntur. Poloni, non tantùm armis, sed vel maximè unitate Fidei Catholicæ, & erga DEIparam singulari devotione, contra Turcarum potentiam se defendere pergunt.

1676. Moritur Clemens X. Pontifex optimus, eidémque omnium calculo subrogatur Cardinalis Odeschalcus, dictus Innocentius XI. Acatholici Rebelles in Hun-

Hungaria, Turcarum auxilia, contra legitimum suum Regem, & Fidei Catholicæ oppressionem, sollicitare non cessant.

1677. Augustissimus Cæsar, cum Serenissima Eleonora, Magdalena, Theresia, Ducissa Neoburgica, Passavij nuptias celebrat. Elevavit porrò DEUS hanc serenissimam Domum Neoburgicam ad tantam affinitatem, non solùm Cæsaris, sed & Hispaniæ, Lusitaniæ, aliorúmque Regum, haud dubiò intuitu conversionis Antecessoris Familiæ ejusdem, serenissimi Principis Wolffgangi Wilhelmi, qui superatis innumeris, atque gravissimis obstaculis, Lutheranorum hæresim abjuravit, anno sæculi currentis 14. Dissidia Romæ inter Pontificem & Oratores Hispanicum & Gallicum, ob perniciosas Urbi immunitates, quas hi prætendebant, à Pontifice sublatas, exoriuntur. Hoc eodem anno, moritur Franciscus Rakoczius, designatus Princeps Transylvaniæ, præmunitus Sacramentis, ritu Fidei Catholicæ, quam amplexus fuerat, ante aliquot annos, ejurato Calvinismo.

1678. Serenissimus Archi-Dux Josephus nascitur. Acatholici Rebelles accitâ colluvie Gallorum, & infimæ sortis Polonorum, Eperiesinum aggrediuntur, licèt irrito conatu. Dein verò Montanas Civitates, aurifodinis, & argentifodinis abundantes, invadunt & expillant, multáque alia oppida & pagos exspoliant.

1679. Noviomagi, Pax inter Cæsarem & Regem Galliæ concluditur. Viennæ, & alibi, passim per Austriam, ingens lues contagiosa grassatur. In Anglia, ex conficta, & apertissimè falsâ calumniâ, in odium Fidei, in Catholicos nova persecutio exoritur, & aliquot Societatis JESU gravissimi & zelosissimi Patres, neci dantur, ipso Rege & Reginâ eorum innocentiam contestantibus.

1680. Turcæ pro inferendo Christianitati & maximè Hungariæ bello, se summa cum industria parant.

1681. In Hungaria, Sopronij, Generalia Comitia celebrantur, in ijsdémque Augustissima Imperatrix Eleonora, Magdalena, in Reginam Catholicam, antiquo & Catholico ritu, in Reginam Hungariæ coronatur. Et Excellentissimus Dominus Dominus Comes Paulus Eszterhazy, in Regni Palatinum eligitur. Liberum item Exercitium Acatholicorum in Hungaria, ad certa duntaxat & determinata loca restringitur. Innocentius XI. Pontifex insolito moderationis exemplo sedecim Cardinales, simul Kalendis Septembris creat.

1682. Legatio Solennis Constantinopolim à Cæsare, pro proroganda pace mittitur. In Hungaria, Acatholici, Tökölij asseclæ, in Sacerdotes Catholicos sæviunt, & Patres Societatis Eperiesino, & Cassoviâ alijsque in locis in exilium ejiciunt. Superiore Hungariâ, prævalentibus heterodoxis, tota ferè, à Regis sui legitimi fidelitate deficit. Cæsar ad avertendum bellum adversùs Christianitatem, tam Turcis, quàm malè contentis Hungaris, favorabiles planè offert conditiones pacis, quas ij acceptare recusant, quod tamen fuit sanè divinâ providentiâ factum, & pro majore DEI gloriâ,

 & pro

& pro majorè Cæſaris emolumento, ut poſtmodùm docuit eventus. Etenim proprium & peculiare DEI opus eſt, ex malis optima facere, ex contrarijs contraria deducere, efficere, ut omnia ſuis juſtis cooperentur in bonum, ac facere, ex tentationibus, in ijsdem proventum.

1683. Vienna, à 200. millibus Turcarum obſidetur. Fædus inter ſummum Pontificem, Cæſarem, Polonos, ac Venetos, contra Turcam initur, ac ab obſidione Viennenſi Turcæ feliciter repelluntur, & paulopoſt etiam ad Strigonium gravi clade cæduntur. Judæi è Regno Luſitaniæ proſcribuntur. Judæus quidam Theſſalonicæ, ſe pro Rege & Meſſiâ Judæorum venditat, ſed mox à Turcis cum ſuis aſſeclis, opprimitur, & interimitur. Romæ, & per univerſam Italiam, Germaniam, Poloniam, & Hungariam, publicæ Gratiarum actiones, ingenti cum plauſu, ob ſolutam feliciter Viennæ obſidionem DEO Ter Optimo, Maximo peraguntur.

1684. Arma Cæſaris in Hungaria, & Venetorum in Pelepponeſo, ac Dalmatiâ feliciter progrediuntur. Polonis interim, excurſiones Tartarorum inhibentibus. Summus Pontifex, Principibus Confæderatis contra Turcam, copioſum ſubmittit pecuniarium ſubſidium, cui preces etiam ad DEUm ferventiſſimas adjungit. In Anglia, nova hæreſis Quakarianorum dicta, exoritur. In Gallia Hugonotæ à Rege Chriſtaniſſimo premuntur. Romæ & Viennæ, in omnibúsque Cæſaris, Pontificis, ac Imperij ditionibus, preces ac variæ devotiones, pro felici ſucceſſu armorum Chriſtianitatis contra Turcam, magno cum fervore inſtituuntur. Summus Pontifex, diſſidia, inter Galliæ & Hiſpaniæ Reges orta, componere ſummopere adlaborat. Vicennales Induciæ inter Cæſarem & Regem Hiſpaniæ, cum Ludovico Rege Galliarum Ratisbonæ compactantur. Rex Angliæ Carolus Jacobum Fratrem Regni Succeſſorem Londini in publicis Comitijs (cum ipſemet legitima prole careret) declarat.

1685. Electori, Palatino Rheni hæretico, ſine hærede defuncto, ſuccedit in Electoratu & ditione, Sereniſſimus Dux Neoburgicus, Catholicus. Carolus II. Angliæ Rex, Catholicam Fidem, priùs privatim profeſſus, ex hac vita decedit, cui ſuccedit in Regno Jacobus ejusdem frater, & Dux Eboracenſis, & hic initio ſtatim ſui Regiminis, Catholicum ſe eſſe publicè declarat. Auguſtiſſimus Cæſar, Religioſos Societatis in Hungaria, non tantùm ad eas Civitates, ex quibus occaſione Rebellionis exturbati fuerant, benigniſſimè reponit, ſed & ad Urbes de novo à Turcis recuperatas inducit, cupiens, ut ſic cum progreſſu ſuorum armorum, pariter & pietas, ac fides Catholica, ſuum habeat progreſſum.

1686. Jacobus Rex Angliæ, Legationem, ad ſummum Pontificem Romam mittit, & Apoſtolicum Nuntium, à Pontifice, in Angliam miſſum, honorifi-

rificentissimè excipit. In Provincijs hæreditarijs Cæsaris, authoritate summi Pontificis, tertia pars Bonorum Ecclesiasticorum Regularium, à sexaginta annis, supra fundationes antiquas & originales acquisitorum, pro bello continuando contra Turcas applicatur, per Hispaniam verò, Italiam, Bavariam, Poloniam, Decimæ omnium proventuum Ecclesiasticorum, ad eundem finem deputantur. Rex Galliæ, Hugonottas totaliter, ex suis ditionibus proscribit. Dux quóque Sabaudiæ in Lucernæ vallibus hærentes reformatæ fidei asseclas, reprimit, & feliciter profligat. Eapropter Romæ variæ festivitates & supplicationes, à summo Pontifice instituuntur. Idem Pontifex, ope & precibus, conatus Christiano rum contra Turcas, eggregiè adjuvat. In Alsatia, & præsertim Argentorati, Exercitium Fidei Catholicæ, magnis incrementis promovetur. Persarum Rex ad Interpositionem Regis Christianissimi, Catholicos in suis ditionibus, singulari patrocinio fovet, & protegit. Innocentius XI. Pontifex 27. Cardinales creat. Quos inter fuere modernus quóque Pontifex Innocentius XII. & Leopoldus à Kollonicz, tum Episcopus Jaurinensis & quidem eodem die Buda Metropolis Hungariæ, post sæpius frustra tentatas obsidiones, ac ipsa die quo ante centum quadraginta sex annos in Turcarum potestatem dolo & fraude occupata fuit, vi & armis Cæsareis gloriosè expugnata est.

1687. Romæ, doctrina pestilentissima, de Molinos Hispani, jussu Pontificio examinatur, átque tanquam plurimis hæresibus referta, unâ cum authore suo condemnatur. Rex Angliæ Jacobus, Fidem Orthodoxam, in suis Regnis firmare conatur. Rex Galliæ Ludovicus XIV. Decreti sui contra Hugonottas executionem zelosè urget, & resipiscere nolentes, exilio mulctat. Legatio Moschorum, magnifico apparatu, Viennæ, à Cæsare suscipitur, & Moschi, in societatem belli, contra Turcas, adsciscuntur. Summus Pontifex Innocentius XI. Cæsarem & Polonos pecuniâ, Venetos verò classe instructa, adversùs Christiani nominis hostes adjuvat, & Legatis Principum Asyli & alia Jura quondam in ædibus suis usurpata, abrogat. In Anglia, à Rege Jacobo, Catholicis liber Sacrorum usus permittitur, omniáque impiè hactenus facta contra eosdem Decreta, abrogantur.

1688. Transylvania, ad Sacram Hungariæ Coronam redit, & Neo-Regi, eodem Jure, quô Hungaria, se submittit. Moritur Serenissimus Elector, & Archi-Episcopus Coloniensis, eíque succedit Serenissimus Dux Bavariæ, Clemens. Summus Pontifex, Juribus suis contra Regum Romæ ablegatos constanter insistit, varijsque largitionibus Christianos Principes, adversus infideles animat. Jacobus Rex Angliæ, magno studio in rem Catholicam promovendām per Angliam incumbit, interim Regina felicibus auspicijs filium enixa, universam Christianitatem exhilarat, Çæsar ob multiplices victorias, de-

bitas

bitas DEO gratias perſolvit, ac Legationem Turcicam, pacis tractandæ ergò adventantem, benignè admittit, ad quam concludendam, vel difficiliorem reddendam, Galli contra Armiſtitium initum, ex inſperatò Imperium invadunt, illúdque miris modis perturbant. His tamen molitionibus Gallorum non obſtantibus, Cæſar in Hungaria, contra Turcas, maximos facit progreſſus, expugnatô Belgradô, & Sigetho, alijsque fortalitijs deditione occupatis. Lites inter Regem Galliarum & Pontificem novis diſſidijs cumulantur; cauſa Electionis in Archi Epiſcopum Colonienſem, inter Clementem Bavariæ Ducem, & Cardinalem Fürſtenbergium, deputatis octonis Cardinalibus juſſu Pontificis, ſemel, iterúmque cognoſcitur, & pro Bavaro deciditur. In Anglia, Rex Jacobus, cum Regina & Filio Walliæ Principe, in Gallias, ob rebellionem, ac proditionem ſuorum ſubditorum, diffugere cogitur, & Princeps Auriacus, Guilielmus, ejúsque conjux Maria Jacobi II. Regis filia, in Angliæ Reges proclamantur. Ex ultimis partibus Indiæ à Siamenſi Rege potentiſſimo ad Innocentium XI. Pontificem Oratores veniunt, & ſummo cum honore excipiuntur, eò quòd Rex ille plurimum fidei Catholicæ in ſuo Regno faveret, & ad eam amplectendam valde propenderet. In Sinarum quoque Regno Catholica Fides maxima ſumit incrementa.

1689. Litis inter Pontificem, & Regem Galliarum, ratione juris Aſyli & Legatorum Hoſpitijs, ac ratione Electionis Archi-Epiſcopi Colonienſis, compoſitio fruſtranea evadit. Jacobus Rex Angliæ, de ſubmittendis ſibi auxilijs, Pontificem interpellat, quæ tamen non impetrat, ſummo Pontifice preſſo ingentibus alijs difficultatibus. Spira, Urbs Imperij, tam quô ad Sacras, quàm quô ad Profanas ædes, funditùs à Gallis exſcinditur. Idem Rex Jacobus, è Gallia, in Hiberniam diſcedit, animo recuperandi priſtinum dignitatis ſuæ Statum. Rex Guilielmus, in Regem Magnæ Britaniæ, unâ cum conjuge Maria, ſolenni apparatu coronatur. Sereniſſimus Joſephus Rex Hungariæ, in Regem Romanorum, magno Fidei Catholicæ bono inauguratur. Turcæ in Bulgariæ finibus, ad Fluvium Moravam, à Ludovico Marchione Badenſi funduntur, & Caſtris exuuntur. Innocentius XI. Pontifex, poſt innocentem vitam, usque ad annum ætatis 78. traductam, ad meliorem vitam migrat, atque in ejusdem locum, Petrus Ottobonus, Cardinalis, eligitur, aſſumpto nomine, Alexandri VIII.

1690. Carolus V. Lotharingiæ Dux, tot victorijs contra infideles, alióſque hoſtes clarus, dum Viennam bellicis deliberationibus interfuturus, tendit, in itinere, Welſij, ſuperioris Auſtriæ Oppido, cum ingenti dolore omnium moritur. Eodem quóque hoc anno, obit Michaël Appaffius Princeps Tranſylvaniæ, qui excuſſo Turcarum jugo, ſe, cum ſuo Principatu, clientelæ Cæſaris commiſerat, imò etiam Filium natu majorem, in ſuccedendi ſpem, ante obitum

commendaverat. Canisa Turcarum fortissimum præsidium, deditione recipitur; & præsidio Cæsaris firmatur. Neo-Pontifex Venetam Rempublicam, magna liberalitate & benevolentia, (cùm & ipse esset Venetus) in bello contra Turcas, adjuvat. Tökölius, Tartarorum ope, & Turcici Imperatoris consensu, Transylvaniæ Principatum occupare nititur. Rex Angliæ Jacobus, commisso in Hibernia prælio, à Wilhelmo Rege profligatur, & in Galliam se recipere adigitur. Belgradum Turcæ recipiunt, & nostri in Transylvaniæ finibus, cum Tökölio & Tartaris, infeliciter confligunt. Pontifex de pace inter Principes Europæ sancienda, magno conatu, sed exiguo cum profectu, adlaborat, atque hoc eodem anno, quinque Beatos in Sanctorum Catalogum adscribit, ac præterea binas sententias Astrologicas, tanquam improbabiles, condemnat. Bullam præterea contra Jura Regaliæ, & alia à Gallis in præjudicium Pontificis usurpata, promulgat. Sepulchrum Christi Hierosolymis, ad interpositionem Regis Christianissimi, quod ab Ecclesiastico ordine Græci ritûs, injustè fuerat ereptum, ex præscripto antiquarum pactionum, cum Imperatoribus Turcicis, Sacerdotibus latini ritûs, restituitur.

1691. Alexander VIII. summus Pontifex, animam se agere sentiens, convocatis Purpuratorum præcipuis, Bullam contra Jura Regaliæ, in Gallia, confirmat, munitúsque omnibus Ecclesiæ Sacramentis, ex hac vita piè emigrat, in cujus locum eligitur Ignatius Pignatelli, Neapolitanus, ac illius Civitatis Archi-Episcopus, qui nomen Innocentij XII. assumit. Hic mox necessitatibus pauperum subvenire satagit, & Confœderatos Principes contra Turcas, subsidio pecuniario adjuvat, dein ex inopinato, & casuali lapsu, graviter decumbens, accepto optato de Victoria Christiani Exercitûs de Turcis Salankamentina, exhilaratus, solennitates, devotionésque, ac Gratiarum actiones Deo Ter Optimo Maximo peragit. Sed & Quietistarum Hæresim repullulantem reprimit, & novam Sectam Neapoli ortam, ad Atheismum inclinantem, in ipsa favilla extinguit, ac Jura quoque Pontificia, contra Gallos ratione Regaliæ, strenuè defendit.

1692. Serenissimus Dux Hanoveranus, ab Augustissimo Cæsare, ob insigne auxilium, contra Christianitatis communem hostem sibi præstitum, in numerum Electorum cooptatur. Anglo-Batavi, memorabilem victoriam de Gallis in maritimo bello reportant. Varadinum, post longam circumsessionem, ac acrem dein oppugnationem, deditione à Turcarum potestate eripitur, & Cæsari se subdere cogitur.

1693. Augustissimus LEOPOLDUS Imperator, non alio fine tantorum sumptuum, & tam diuturnum bellum, contra communem Christianitatis hostem gerens, quàm ut suas Provincias, & Regna propugnare, & hostili-

ter priùs ab inimicis occupata, legitimis armis reoccupare, indéque Gloriam DEI, & Fidem Catholicam promovere valeat; In gratiarum actionem agere volens, DEO Ter Optimo Maximo, pro hactenus felicibus progressibus, denuò totum Regnum Hungariæ, (ad imitationem primi ejusdem Regis, Sancti Stephani) Beatissimæ Virgini MARIÆ dedicat, & offert, in ejusdémque patrocinium Regnum Hungariæ commendat. Hácque super re, sequens votum, plenum pietate & zelo Apostolico, utpote Rex Apostolicus, publicè emittit, & promulgat.

Votum ab Augustissimo Cæsare publicè in Templo Sancti Stephani Viennæ factum. 16. Augusti, 1693.

OMnipotens sempiterne DEUS, per quem Reges regnant, & in cujus manu sunt omnium potestates & jura Regnorum. Ego LEOPOLDUS, humilis servus tuus coram divina tua Majestate prostratus immortales tibi gratias ago, quòd in virtute, & magnitudine brachij tui, Turcarum & Barbarorum exercitus, immanes Nominis tui hostes, ab Austriæ Metropoli, ejúsque finibus abegeris; quòd Inclytum Hungariæ Regnum, olim à S. STEPHANO Rege Antecessore meo, Admirabili Matri tuæ donatum, post verò Turcarum Tyrannide ejus cultui propè totum ereptum, mihi clementissimè restitueris; gratias inquam reddo tibi DEO immortali, victoriarum omnium Largitiori: & restitutum mihi à potenti tua dextra Regnum Sanctissimæ & Admirabili Matri tuæ, Cœli terræque Reginæ, Magnæ Hungariæ Dominæ, iterum dono, dico, dedico, totúmque ejus protectioni consigno; humillimè orans, velit in illud tanquam iteratò suum, misericordiæ suæ oculos convertere, & Paganorum gentes, quæ in feritate sua confisæ, illud infestare non desinunt, Potenti sua virtute conterere, ac utrúmque hoc bellum, Pace universali, securâ & stabili ad maximam tuam gloriam terminare. Insuper voveo, ac pro me, & successoribus meis divinæ Majestati tuæ promitto me ad propagandam Nominis tui gloriam, & Matris tuæ, Dominæ nostræ honorem, Parochiales Ecclesias per Hungariæ Regnum, tum Barbarorum Tyrannide, tum temporum calamitate destructas iterum erecturum, & competente Parochis sustentatione dotaturum, ut omnes à Clementia tua meo imperio subjecti populi te verum DEUM debito cultu adorent, & sanctissimam Matrem tuam, Magnam Dominam nostram venerari addiscant. Spondeo præterea me ad perpetuam tanti beneficij memoriam, Sacellum S. LEOPOLDI in monte Cæsio, unde primò singulare tuæ protectionis auxilium in propulsandis hostibus apparuit, restauraturum,

rum, ac in eodem Aram Divæ Virgini ſub Titulo *Auxilij Chriſtianorum* dedicaturum.

Suſcipe igitur clementiſſime DEUS ſervi tui demiſsè te adorantis vota, & me, Conjugem meam, Liberos Domúmque meam, populos, exercitus meos, Regna omnia ac Provincias meas, continuâ miſericordiæ tuæ protectione cuſtodi, guberna, tuere, & defende. Amen.

1694. Auguſtiſſimus Cæſar LEOPOLDUS, tanquam Rex Hungariæ Apoſtolicus, Diploma in favorem Sacerdotum Græci ritûs, ad eosdem in unione Fidei Catholicæ retinendos, edit, & promulgari jubet. Vi cujus vult & mandat, ut ijdem omnibus Privilegijs Eccleſiaſticis gaudeant, quæ toti Clero Hungariæ Latini ritûs, jure & conſuetudine conveniunt. Conſulit quóque Catholicis in Tranſylvania, qui prioribus temporibus, à Principibus illius Provinciæ Acatholicis, in multis preſſi fuerant.

1695. In Hungaria, Georgius Szechenni, Archi-Epiſcopus Strigonienſis, & Hungariæ Primas, ac Metropolita, moriens, anno ætatis ſuæ tertio & centeſimo, opes ſuas ampliſſimas, quas induſtriâ, & moderatione vitæ, ad promovendam DEI Gloriam, & publicum bonum, Fideíque Catholicæ incrementum, comparaverat, ita per pia Legata diſtribuit, ut de omni ſtatu & conditione hominum, optimè ſe meritum fuiſſe oſtenderet, fundando pro erudienda juventute ſex omnino Collegia, atque pro ejusdem juventutis, tam in ordine ad ſtatum Politicum, quàm Eccleſiaſticum, educatione, totidem Convictus, & Seminaria. Diverſorum item Religioſorum Monaſteria, pauperum, ac præſertim militum in pugna, contra Chriſtianitatis hoſtem læſorum, Xenodochia, Providendo item de pauperum Sacerdotum in perpetuum ſubſidio, ac Chriſtianorum Captivorum apud infideles redemptione, bellíque præſentis contra Turcas promotione & auxilio. Sed nec immemor ſui Regis, ac Cognatorum liberali largitione, adeò, ut ſumma ad has Sanctas diſpoſitiones, credatur ſe extendiſſe, ad vigeſies quinquies centena millia. Eodem anno, in Archi Epiſcopum Strigonienſem nominatur Eminentiſſimus Cardinalis Leopoldus à Kolonicz. Turcæ in reoccupata à Venetis Inſula Chio, mirè ſæviunt in Romano-Catholicos, plurimis ex ijs necatis, & Templis in ſtabula equorum, vel in fana ſuperſtitionis ſuæ Machometæ converſis, non parùm ad id coöperantibus Græcis Schiſmaticis.

1696. Idem Eminentiſſimus Cardinalis Leopoldus à Kollonicz inter alia pia opera, reſuſcitat olim factam fundationem, à piæ memoriæ Cardinale Pazmanno, pro educanda juventute nobilitatis Hungaricæ, in Convictu Nobilium Tyrnaviæ, in maximum emolumentum Regni, ac Fidei Catholicæ promotionem, Innocentius XII. Pontifex, admiranda liberalitate pergit continu-

are variorum Xenodochiorum erectionem, omnis conditionis pauperum, & egenorum. Christianus Augustus, è Ducibus Saxoniæ fit Episcopus Jaurinensis in Hungaria.

CATALOGUS I.

Continens Nomina, Patriam, & Ordinem Romanorum Pontificum, qui hoc decimo Septimo Sæculo præfuerunt Ecclesiæ.

Nomina, patria, & Ordo Romanorum Pontificum.	Initium Sedis A. M. D.	Finis Sedis A.M.D.	Duratio. A.M.D.	Vacat. M D.
Clemens VIII Florentinus, Presbyter Cardinalis.	1592. Jan. 30.	1605. Mar. 3.	13. 1. 3.	0. 28.
Leo XI. Florentinus, Episcopus Cardinalis.	1605. April. 1.	1605. Apr. 27	0. 0. 26.	0. 19.
Paulus V. Romanus, Presbyter Cardinalis.	1605. Maij. 16.	1621. Jan. 28.	15. 8. 6.	0. 12.
Gregorius XV. Bononiensis, Archi-Episcopus Cardinalis.	1621. Febr. 9.	1628. Jul. 8.	2. 5. 0.	0. 29.
Urbanus VIII. Florentinus, Presbyter Cardinalis.	1623. Maij. 6.	1644. Jul. 29.	21. 0. 24.	0. 16.
Innocentius X. Romanus, Presbyter Cardinalis.	1644. Sept. 15.	1655. Jan. 8.	10. 3. 24.	2. 29.
Alexander VII. Senensis, Episcopus Cardinalis.	1655. Apr. 7.	1667. Maij 22	12. 1. 15.	0. 29.
Clemens IX. Pistoriensis.	1667. Jun. 20.	1669.		
Clemens X.	1670.	1676.		
Innocentius XI.	1676.	1689.		
Alexander VII.	1689.	1691.		
Innocentius XII.	1691.			

CATALOGUS II.

Continens Nomina Imperatorum, qui hoc decimo Septimo Sæculo imperârunt.

Rudolphus II. obijt Anno 1612.

Mat-

Matthias Frater Rudolphi, obijt anno, 1619.
Ferdinandus II. obijt anno, 1637.
Ferdinandus III. obijt anno, 1657.
LEOPOLDUS, vivat, perennet.

CATALOGUS III.

Continens Nomina, & Ordinem Regum Galliæ, & Hispaniæ.

Reges Galliæ.

Henricus IV. occisus anno, 1610.
Ludovicus XIII. obijt anno, 1643.
Ludovicus XIV.

Reges Hispaniæ.

Philippus III. obijt, 1621.
Philippus IV. obijt, 1665.
Carolus II.

CATALOGUS IV.

Continens Nomina Scriptorum Ecclesiasticorum, decimi septimi Sæculi.

Hoc eruditissimum Sæculum, tanta abundavit multitudine Scriptorum, ut supervacuum esset, velle eorum inire numerum, taceo singulorum referre Nomina. Quare omissis alijs, solùm hìc recensebo, Scriptores & Authores è Societate nostra, qui hoc, & elapso sæculo, (cùm id ex industria in Synopsi prioris sæculi, à nobis omissum fuerit,) suis lucubrationibus, Ecclesiam, Academias, & universum illustrârunt orbem, in omni genere scientiarum, quæ statui Religioso, & Ecclesiastico conveniunt, & ad culturam ingeniorum ac animorum pertinent. Et nec illos omnes, cùm & hi soli tomum integrum conficerent, ut videre est in Bibliotheca Scriptorum Societatis JESU, olim à R. P. Petro Ribadeneira conscripta, usque ad Annum Christi 1602. Dein à R. P. Philippo Alegambe continuata, usque ad annum 1647. ac demum à R. P. Nathanaële Sotuello producta, usque ad Annum 1675. Sed duntaxat celebrioris nominis, & qui magis inter alios eminent & æstimantur. Servato pro majori facilitate ordine Alphabetico, addita uniuscujusque natione, & materia scribendi:

Achiles Gagliardus, Italus, Asceta.
Adalbertus Tylkowsky, Polonus, Physiologus.
Adamus Barchaber, Germanus, Theologus Moralis, & Controversista.

Adamus Contzen, Belga, Theologus & Politicus.
Adamus Tannerus, Germanus, Theologus Scholasticus, & Polemicus.
Adrianus Adriani, Belga, Theologus Asceticus.
Adrianus Crommius, Belga, Scripturista.
Ægidius Bucherius, Belga, Theologus, Historicus.
Ægidius de Coninck, Belga, Theologus Scholasticus.
Ægidius Estrix, Belga, Theologus Polemicus.
Albertus Ines, Polonus, Poëta,
Aloysius Juglaris, Italus, Rethor, Poëta.
Alphonsus Antonius, de Sarasa, Belga, Asceta.
Alphonsus Pannafiel, Peruanus Indus, Philosophus.
Alphonsus Rodrigvez, Hispanus, Asceta.
Alphonsus Salmeron, Hispanus, Scripturista.
Alphonsus Vagnonius, Italus, Asceta, Philosophus Naturalis, & Moralis.
Ambrosius de Pennalosa, Hispanus, Theologus.
Andreas Eudæmon Joannes, Græcus, Polemicus.
Andreas Kanon, Roxolanus, Poëta.
Andreas Mendo, Hispanus, Theologus Moralis, Concionator.
Andreas Pintus, Ramirez, Scripturista.
Andreas Schottus, Belga, Historicus, Rhetor.
Andreas Taquet, Belga, Mathematicus.
Angelus Gallucius, Italus, Historicus.
Antonius Alvavez Ferreira, Lusitanus, Concionator.
Antonius de Balinghem, Belga, Asceta.
Antonius Beatillus, Italus, Sacer Historicus.
Antonius Casilius Italus, Dialecticus.
Antonius de Escobar, Hispanus, Theologus Moralis.
Antonius le Gaudier, Asceta.
Antonius Michaëlis, Gallus, Concionator.
Antonius Perez, Hispanus, Theologus Scholasticus.
Antonius Possevinus, Italus, Historicus, Scripturista.
Antonius de Quintana-duenas, Hispanus, Theologus Moralis.
Antonius Rubius, Hispanus, Philosophus.
Antonius Sucquet, Belga, Asceta.
Antonius Vatier, Gallus, Asceta.
Anastasius Kircherus, Germanus, Mathematicus, Physicus, Antiquarius.
Augustinus Bernal, Hispanus, Theologus Scholasticus.
Augustinus Canus, Mexicanus, Scripturista.
Balduinus Cabilliavus, Belga, Poëta.
Balthazar Corderius, Belga, Scripturista.
Balthazar Tellez, Lusitanus, Philosophus, Historicus Sacer.
Bartholomæus Amicus, Italus, Philosophus.
Bartholomæus de Escobar, Hispanus, Concionator.

Bene-

Benedictus Justinianus, Italus, Scripturista.
Benedictus Pererius, Hispanus, Scripturista.
Benedictus Pereyra, Hispanus, Theologus Moralis, Canonista.
Bernardus Mazziotta, Italus, Philosophus, Theologus.
Bernardus Salinus, Italus, Mathematicus, Geometra.
Bernardus Stephonius, Italus, Orator, Tragœdus.
Bernardus de Alderete, Hispanus, Theologus Scholasticus.
Bernhardus Bauhusius, Belga Poëta.
Bernardus Meynier, Gallus, Controversista.
Blasius Viegas, Lusitanus, Scripturista.
Bohuslaus Balbinus, Bohemus, Historicus, Poëta.
Carolus Kreitz Germanus, Controversista.
Carolus Malapertius Belga, Mathematicus, Poëta.
Carolus Musart, Belga, Asceta.
Carolus Pajot, Gallus Grammaticus, Rhetor, Poëta.
Carolus Scribanius, Belga, Asceta, Politicus.
Casimirus Wiuk Kojalowicz, Lithvanus, Rhetor.
Christianus Mayer, Germanus, Asceta.
Christophorus de Castro, Hispanus, Scripturista.
Christophorus Clavius, Germanus, Mathematicus, Geometra.
Christophorus Grienbergerus, Germanus, Mathematicus.
Christophorus Haunoldus, Germanus, Theologus Scholasticus.
Christophorus Mayer alter, Germanus, Controversista, Canonista.
Christophorus de Ortega, Hispanus, Theologus Scholasticus.
Christophorus Ott, Germanus, Controversista.
Christophorus Pflammer, Germanus, Controversista.
Christophorus Scheiner, Germanus, Mathematicus.
Christophorus Shorrer, Germanus, Asceta, Canonista.
Christophorus de Vega, Hispanus, Scripturista.
Claudius Aquaviva, Italus, Asceta.
Claudius Clemens, Gallus, Chronologus.
Claudius Franciscus de Chales, Gallus, Mathematicus.
Claudius Richardus, Gallus, Mathematicus.
Claudius Tiphanus, Gallus, Theologus.
Conradus Vener, Germanus, Controversista.
Constantinus Pulcharellus, Italus, Poëta.
Cornelius à Lapide, Belga, Scripturista.
Cornelius Crocus, Belga, Controversista.
Cornelius Hazavit, Belga Controversista.
Cosmas Magallianus, Lusitanus, Scripturista.
Cosmas Alemannus, Italus, Philosophus.

Cydria-

Cyprianus Soarius, Hiſpanus, Rhetor.
Daniel Bartolus, Italus, Chronologus, Aſceta.
Daniel Pawlowsky, Polonus, Aſceta.
Didacus de Alcaron, Hiſpanus, Theologus Scholaſticus.
Didacus Alvarez, Hiſpanus, Theologus Moralis.
Didacus de Avendano, Hiſpanus, Theologus.
Didacus de Baëza, Hiſpanus, Scripturiſta.
Didacus de la Fuentel, ſeu de Fonte Hurtado, Hiſpanus, Theologus.
Didacus de Pantola, Hiſpanus, Theologus.
Didacus de Roſis, Italus, Ethicus, Politicus.
Didacus Ruiz de Montoya, Hiſpanus, Theologus Scholaſticus.
Dioniſyus Petavius, Gallus, Chronologus.
Dorotheus Lorffius, Belga, Theologus.
Edmundus Augerius, Gallus, Aſceta.
Edmundus Campianus, Anglus, Controverſiſta.
Edmundus Knottus, Anglus, Controverſiſta.
Edvardus Worslæus, Anglus, Controverſiſta.
Elias Downarovicz, Ruthenus, Theologus Moralis.
Emmanuel Accoſta, Luſitanus, Hiſtoricus.
Emmanuel Alvarez, Luſitanus, Grammaticus.
Emmanuel de Gocz, Luſitanus, Philoſophus.
Emmanuel Martins, Luſitanus, Aſceta.
Emmanuel Maſcarennas, Luſitanus, Theologus.
Emmanuel de Naxera, Hiſpanus, Scripturiſta.
Emmanuel Ortigas, Hiſpanus, Aſceta.
Emmanuel Pimenta, Luſitanus, Poëta.
Emmanuel Sa, Luſitanus, Theologus Moralis, Scripturiſta.
Emmanuel de Vega, Luſitanus, Controverſiſta.
ERNEICUS Piriorg, Germanus, Canoniſta.
Euſebius TRUCHSES, Theologus, Philoſophus.
Fabius Ambroſius Spinula, Italus, Aſceta.
Famianus Strada, Italus, Hiſtoricus.
Ferdinandus de Caſtro Palao, Theologus Moralis.
Ferdinandus Mendoza, Hiſpanus, Theologus Moralis.
Ferdinandus Quirinus, de Salazar, Hiſpanus, Scripturiſta.
Franciſcus Agvadus, Hiſpanus, Aſceta.
Franciſcus Agvilonius, Belga, Mathematicus, Opticus.
Franciſcus Albertinus, Italus, Theologus.
Franciſcus Alphonſus, Hiſpanus, Philoſophus.
Franciſcus Amaralius, Luſitanus, Concionator.
Franciſcus Amicus, Italus, Theologus, Scholaſticus.
Franciſcus Annatus, Gallus, Theologus, Scholaſticus.
Franciſcus Arias, Hiſpanus, Aſceta.

Fran-

Franciſcus Ayrés, Luſitanus, Aſceta.
Franciſcus Bardus, Italus, Canoniſta, Theologus Moralis
Franciſcus Bencius, Italus, Orator, Poëta.
S. Franciſcus Borgia, Hiſpanus, Aſceta.
Franciſcus Carrera, Italus, Poëta.
Franciſcus de Caſtro, Hiſpanus, Rhetor.
Franciſcus Coſterus, Belga, Aſceta, Concionator, Controverſiſta.
Franciſcus Garaſſus, Gallus, Controverſiſta, Poëta.
Franciſcus Gonzalez, Hiſpanus, Philoſophus.
Franciſcus Lhermitte, Belga, Controverſiſta.
Franciſcus Dunellus, Gallus, Philoſophus, Theologus.
Franciſcus Labata, Hiſpanus, Concionator.
Franciſcus de Lugo, Cardinalis, Hiſpanus, Theologus, Scholaſticus, & Moralis.
Franciſcus de Mendoza, Luſitanus, Scripturæ Sacræ Interpres.
Franciſcus Milianus, Italus, Philoſophus.
Franciſcus Montmorencius, Belga, Poëta.
Franciſcus de Oviedo Hiſpanus, Philoſophus, Theologus.
Franciſcus Paunonius, Italus, Aſceta, Philoſophus.
Franciſcus Pellizzarius, Italus, Theologus Moralis.
Franciſcus Poiræus, Burgundus, Aſceta.
Franciſcus Pomey, Gallus, Rhetor, Grammaticus.
Franciſcus Remondus, Gallus, Rhetor, Poëta.
Franciſcus Ribera, Hiſpanus, Scripturiſta.
Franciſcus Sacchinus, Italus, Hiſtoriographus.
Franciſcus Seorſus, Italus, Græcorum Authorum Interpres.
Franciſcus de Smidt, Belga, Aſceta.
Franciſcus Svarez, Luſitanus, Philoſophus.
Franciſcus Sparacinus, Italus, Aſceta.
Franciſcus Svarez, Hiſpanus, Philoſophus, Theologus, Scholaſticus, & Moralis.
Franciſcus Toletus, Cardinalis, Hiſpanus, Theologus, Scripturiſta, Philoſophus.
Franciſcus Turrianus, Hiſpanus, Theologus, Controverſiſta, Græcorum Authorum Interpres.
Franciſcus Valente, Luſitanus, Canoniſta.
Franciſcus Vavaſſeur, Gallus, Scripturiſta, Orator, Poëta.
Franciſcus Vigerius, Gallus, Græcorum Authorum Interpres.
S. Franciſcus Xaverius, Hiſpanus, Aſceta Apoſtolicus.
Franciſcus Zuccaronus, Italus, Concionator.
Fridericus Bridellius, Bohemus, Aſceta.
Fridericus Spe, Germanus, Poëta.
Fronto Diocæus, Gallus, Controverſiſta, Græcorum Authorum Interpres.

Gabriel Alvarez, Hispanus, Scripturista.
Gabriel Beatus, Italus, Philosophus, Theologus Moralis.
Gabriel Cossartius, Gallus, Orator, Poëta, Historicus Ecclesiasticus.
Gabriel de Hanao, Hispanus, Theologus.
Gabriel Vasquez, Hispanus, Theologus Scholasticus, & Moralis, Scripturista.
Gasparus Fernandez, Lusitanus, Concionator.
Gasparus Hurtadus, Hispanus, Theologus, Scholasticus.
Gaspar Loarte, Hispanus, Asceta.
Gaspar de Ribadeneira, Hispanus, Theologus.
Gaspar Sanchez, Hispanus, Concionator.
Gasparus Sanctius, Hispanus, Scripturista.
Gaspar Schottus, Germanus, Mathematicus, Physiologus.
Georgius Ferus, Bohemus, Asceta, Historicus Sacer.
Georgius Forro, Hungarus, Concionator.
Georgius FOURNIER, Gallus, Geographus, Mathematicus.
Georgius Gobat, Germanus, Theologus Moralis, Canonista.
Georgius HESERUS, Germanus, Scripturista.
Georgius Kaldi, Hungarus, Concionator.
Georgius Mentzius, Germanus, Scripturista.
Georgius Pütner, Germanus, Canonista.
Georgius de Rhodes, Gallus, Philosophus, Theologus.
Georgius Scherer, Germanus, Concionator.
Georgius Schanberger, Germanus, Mathematicus.
Georgius Stengelius, Germanus, Asceta, Controversista.
Gerhardus Pollentier, Lotharingus, Rhetor.
Gerardus Sovsius, Belga, Asceta.
Gilbertus Joninus, Gallus, Poëta.
Godefridus Henschenius, Belga, Sacer Historiographus.
Gregorius Cnapius, Polonus, Grammaticus.
Gregorius Ferrarius, Italus, Asceta, Philosophus, Scripturista.
Gregorius Mastrillus, Italus, Concionator.
Gregorius Rumer, Hungarus, Mathematicus.
Gregorius de Valentia, Hispanus, Theologus.
Gvalterus Paulus, Belga, Asceta.
Gvilielmus Dandinus, Gallus, Historicus.
Gvilielmus Gumppenger, Germanus, Sacer Historicus.
Henricus Albi, Gallus, Asceta.
Henricus Engelgrave, Belga Concionator.
Henricus Henriquez, Lusitanus, Theologus Moralis.
Henricus Philippi, Belga, Chronologus.

Hen-

Henricus Marcellius, Belga, Aſceta, Controverſiſta.
Henricus Samerius, Belga, Sacer Chronologus
Henricus Somallius, Belga, Aſceta.
Heribertus Roſweydus, Belga, Sacer Hiſtoriographus.
Hermannus Buſembaum, Germanus, Theologus Moralis.
Hermannus Hugo, Belga, Poëta.
Hieronymus Drexelius, Germanus, Aſceta.
Hieronymus Faſolus, Iralus, Theologus Scholaſticus.
Hieronymus Platus, Italus, Aſceta.
Hieronymus Prado, Hiſpanus, ſcripturiſta.
Honoratus Fabri, Gallus, Phiſiologus, Mathematicus, Theologus Moralis.
Horatius Graſſius, Italus, Mathematicus.
Horatius Turſellinus, Italus, Hiſtoricus.
Hortenſius Scammacca, Italus, Tragædus.
Hugo Sempilius, Italus, Mathematicus.
Jacobus Alvarez de Paz, Hiſpanus, Aſceta.
Jacobus Balde, Germanus, Poëta.
Jacobus Bidermannus, Germanus, Rhetor, Poëta.
Jacobus de Billy, Gallus, Mathematicus.
Jacobus Bonfrerius, Belga, Scripturiſta.
Jacobus Gordonus, Huntlæus, Scotus, Controverſiſta.
Jacobus Gordonus Leſmoræus, Scotus, Chronologus, Scripturiſta.
Jacobus Gortoulus, Gallus, Hiſtoricus.
Jacobus Granadus, Hiſpanus, Theologus.
Jacobus Grandamicus, Gallus, Mathematicus, Chronologus.
Jacobus Gretſerus, Grammaticus, Controverſiſta.
Jacobus Hautinus, Belga, Rhetor.
Jacobus Honoratus, Durandus, Mathematicus.
Jacobus du Jardin, Belga, Poëta.
Jacobus Laynez, Hiſpanus, II. Societatis JESU Generalis, Theologus.
Jacobus Ledeſma, Hiſpanus, Controverſiſta, Ethicus, Philoſophus.
Jacobus Lobbetius, Belga, Concionator.
Jacobus Maſſenius, Germanus, Rhetor, Poëta, Controverſiſta, Hiſtoricus.
Jacobus Olſewsky, Polonus, Concionator.
Jacobus Pontanus, Bohêmus, Grammaticus, Poëta.
Jacobus Rho, Italus, Mathematicus.
Jacobus Salianus, Gallus, Hiſtoricus Eccleſiaſticus.
Jacobus Sirmondus, Gallus, Veterum Authorum illuſtrator.
Jacobus Tirinus, Belga, Scripturiſta.
Jacobus Wiecus, Polonus, Concionator.
Ignatius Derkenis, Belga, Theologus Scholaſticus.
Ignatius Franciſcus, Pejnado, Hiſpanus, Philoſophus.
Ignatius Gaſtro-Pardies, Gallus, Mathematicus.
Ignatius Godwimus, Anglus, Controverſiſta.

Joannes Adamus Schall, Germanus, Mathematicus.
Joannes de Alloza, Peruanus, Theologus Moralis.
Joannes Antonius Velasquez, Hiſpanus, Scripturiſta.
Joannes Arnoux, Gallus, Controverſiſta
Joannes Azor, Hiſpanus, Theologus Moralis.
Joannes Bagotius, Gallus, Controverſiſta.
Joannes Baptiſta Bargioecus, Italus, Poëta.
Joannes Baptiſta Caſilius, Italus, Poëta.
Joannes Baptiſta Ferrarius, Italus, Orator.
Joannes Baptiſta Giattinus, Italus, Philoſophus, Hiſtoricus, Poëta.
Joannes Baptiſta Mannius, Italus, Aſceta.
Joannes Baptiſta Maſculus, Italus, Poëta, Concionator.
Joannes Baptiſta Ricciolus, Italus, Mathematicus, Aſtronomus, Hiſtoricus, Poëta.
Joannes Baptiſta Sanet-jure, Gallus, Aſceta.
Joannes Baptiſta Villapandus, Hiſpanus, Scripturiſta.
Joannes Biſſelius, Germanus, Sacer Hiſtoricus.
Joannes Bollandus, Belga, Hiſtoriographus Eccleſiaſticus.
Joannes Bourgheſius, Belga, Aſceta.
Joannes Bucelinus, Italus, Aſceta.
Joannes Buſæus, Belga, Theologus.
Joannes de Buſſieres, Gallus, Poëta, Hiſtoriographus.
Joannes Cajllet, Belga, Sacer Hiſtoriographus.
Joannes Cardenas, Hiſpanus, Theologus Moralis.
Joannes Chavalier, Gallus, Poëta.
Joannes Columbi, Gallus, Scripturiſta.
Joannes de Cordova, Hiſpanus, Scripturiſta.
Joannes Graſſat, Gallus, Aſceta.
Joannes CUVIEKALSKI, Polonus, Orator, Poëta.
Joannes David, Belga, Aſceta.
Joannes Deckerius, Belga, Chronographus.
Joannes de Caſtello, Hiſpanus, Theologus.
Joannes Dominicus Gabjani, Hiſtoricus Eccleſiaſticus.
Joannes Dominicus Ottonel, Italus, Aſceta.
Joannes Evardus Fullonius, Sacer Hiſtoriographus.
Joannes Everardus Nidardus, S. R. E. Cardinalis, Germanus, Theologus.
Joannes Euſebius Nierembergius, Hiſpanus, Aſceta, Theopoliticus.
Joannes Ferrier, Gallus, Theologus
Joannes Franciſcus, Gallus, Mathematicus, Geographus, Chronologus.
Joannes Griſel, Gallus, Concionator.
Joannes Gvilelmus Calaveronius, Italus, Orator.
Joannes Huberus, Germanus, Controverſiſta.
Joannes Jahoda, Bohemus, Orator, Concionator.
Joannes Kwiatkiewicz, Polonus, Rhetor, Controverſiſta.

Joan-

Joannes Laurentius Luncherius, Italus, Poëta.
Joannes Ledesma, Americanus, Theologus.
Joannes Leurechon, Lotharingus, Mathematicus.
Joannes Lorinus, Gallus, Scripturista.
Joannes Ludovicus de Lacerda, Hispanus, Grammaticus, Poëta.
Joannes de Lugo, S. R. E. Cardinalis, Hispanus, Theologus, Scholasticus & Moralis,
Joannes Maldonatus, Hispanus, Scripturista.
Joannes Mariana, Hispanus, Historiographus.
Joannes Martinus, de Ripalda, Hispanus, Theologus Scholasticus.
Joannes Martinonus, Gallus, Theologus Scholasticus.
Joannes Mendez, Hispanus, Theologus.
Joannes de Moncada, Hispanus, Scripturista.
Joannes de Monte major, Hispanus, Theologus Moralis.
Joannes Morawsky, Polonus, Philosophus, Theologus.
Joannes Nadasy, Hungarus, Asceta.
Joannes Niess, Germanus, Asceta.
Joannes Ozorius, Hispanus, Concionator.
Joannes Paulus Oliva, Italus, Societatis JESU Generalis, Concionator, Scripturista.
Joannes Pelecyus, Germanus, Theologus.
Joannes Perseus, Anglus, Theologus,
Joannes Petrus Maffæus, Italus, Historicus.
Joannes Philipæus, Gallus, Scripturista.
Joannes de Pina, Hispanus, Scripturista.
Joannes Polancus, Hispanus, Theologus Moralis, Asceta.
Joannes Præpicitus, Belga, Theologus Scholasticus.
Joannes Rho, Italus, Orator, Concionator.
Joannes de Ribera, Hispanus, Theologus Moralis.
Joannes Roberti, Belga, Scripturista, Poëta.
Joannes Rosenthal, Germanus, Concionator.
Joannes de Salas, Hispanus, Theologus Scholasticus.
Joannes Stephanus Menochius, Italus, Scripturista.
Joannes Streinius, Germanus, Canonista.
Joannes Suffren, Germanus, Concionator.
Joannes Tanner, Bohemus, Historicus Sacer.
Joannes Terrentius, Germanus, Mathematicus.
Jodocus Andries, Belga Asceta.
Jodocus Kedd, German9, Controversi.
Josephus Acosta, Hispanus, Philosophus Naturalis, & Moralis.
Josephus Anchieta, Canarinus, Sacer Historicus, Catechisticus.
Josephus Augustinus, Italus, Theologus Scholasticus.
Josephus Blancanus, Italus, Mathematicus.
Josephus Gibelinus, Gallus, Canonista, Theologus Moralis.

Josephus Malovaletus, Gallus, Controversista.
JosephusMariaRequesens, Italus, Theologus Scholasticus.
Josephus Olzina, Hispanus, Physicus, Orator.
Josephus de Ordeau, Burgundus, Concionator.
Josephus Pallizzius, Italus, Philosophus.
Josephus Ragusa, Italus, Theologus.
Josephus Scammaca, Hispanus, Concionator.
Josephus Simonis, Anglus, Tragœdus.
Josephus Zaragoza, Hispanus, Mathematicus.
Julius Alenius, Italus, Sacer Historicus.
Julius Cæsar Bulengerus, Gallus, Historicus Antiquarius.
Julius Cæsar de la Coulture, Belga, Controversista.
Julius Cæsar Destitus, Italus, Historicus, Poëta.
Julius Cæsar Recupitus, Italus, Theologus Scholasticus, Poëta.
Julius Fatius, Italus, Asceta.
Julius Fubigattus, Italus, Asceta.
Julius Mazarinus, Italus, Concionator.
Julius Nigronius, Italus, Asceta.
Laurentius Arturus Faunteus, Anglus, Controversista.
Laurentius le Brun, Gallus, Poëta.
Laurentius Chrisogonus, Dalmata, Concionator.
Laurentius Forerus, Germanus, Controversista.
Lazarus Cataneus, Italus, Orator, Poëta.
Leonardus Cinnamus, Italus, Orator, Poëta.
Leonardus Frizon, Gallus, Poëta.
Leonardus Garzonius, Italus, Scripturista.
Leonardus Lessius Belga, Theologus Scholasticus Moralis, Polemicus, Asceticus.
Leonardus Penafiel, Hispano-Peruanus, Theologus Scholasticus.
Leopoldus Mancinus, Germanus, Asceta.
Lucas Pinellus, Italus, Asceta.
Ludovicus de Alcazar, Hispanus, Scripturista.
Ludovicus Cellotius, Gallus, Poëta.
Ludovicus Mæratius, Gallus, Theologus Scholasticus.
Ludovicus Maimbourg, Lotharingus Historicus, Concionator.
Ludovicus Molina, Hispanus, Theologus Scholasticus.
Ludovicus de Palma, Hispanus, Asceta.
Ludovicus de Ponte, Hispanus, Asceta.
Ludovicus Richeomus, Gallus, Asceta.
Lucius Turrianus, sive Torres, Hispanus, Theologus Scholasticus, & Moralis.
Maginus Pagetius, Hispanus, Philosophus.
Marius Bettinus, Italus, Mathematicus Poëta.
Martinus Antonius Delrio, Belga, Poëta, Physiologus, Scripturista.
Martinus Becanus, Belga, Theologus Speculativus, & Polemicus.
Martinus du Cygne, Belga, Rhetor Poëta, Historicus.

Mar-

Martinus de Esparsa, Hispanus, Theologus Scholasticus.
Martinus L'hermitte, Belga, Historicus.
Martinus Hincza, Polonus, Asceta.
Martinus Martinius, Germanus, Cosmographus.
Martinus Perez, Hispanus, Theologus Scholasticus.
Martinus de Roa, Hispanus, Scripturista.
Martinus Smiglecius, Roxolanus, Dialecticus, Controversista.
Matthæus Bembus, Polonus, Controversista.
Matthæus de Moya, Hispanus, Theologus Moralis.
Matthæus Raderus, Germanus, Sacer Historicus.
Matthæus Riccius, Italus, Mathematicus, Cosmographus, Astronomus.
Matthias Sambar, Hungarus, Controversista.
Matthias Borrul, Hispanus, Theologus Scholasticus.
Matthias Casimirus Sarbievius, Polonus, Poëta, Concionator.
Matthias Faber, Germanus, Concionator.
Matthias Mairhovius, Germanus, Theologus.
Matthias de Sà, Lusitanus, Asceta.
Matthias Tanner, Bohemus, Sacer Historiographus.
Maximilianus Habbequius, Belga, Poëta Lyricus
Maximilianus Sandæus, Belga, Theologus, Controversista, Orator, Asceta.
Maximilianus Shmid, Germanus, Asceta.
Melchior de la Cerda, Hispanus, Rhetor.
Melchior Cornæus, Germanus, Philosophus, Controversista.
Melchior Inchofer, Hungarus, Historicus Ecclesiasticus.
Metellus Caracciolus, Italus, Scripturista.
Michaël Alfornus, Anglus, Chronologus Ecclesiasticus.
Michaël de Almeida, Lusitanus, Concionator, Indicus.
Michaël de Avendano Estenaga, Hispanus, Theologus, Asceta.
Michaël Coyssardus, Gallus, Poëta, Orator, Asceta.
Michaël Eiselinus, Germanus, Theologus.
Michaël de Espinosa, Hispanus, Theologus Scholasticus.
Michaël Gomez, Hispanus, Theologus Scholasticus.
Michaël Pexenfelder, Germanus, Rhetor, Historicus Ecclesiasticus.
Michaël Radau, Prutenus, Orator.
Michaël Staudecher, Germanus, Concionator.
Michaël Vasquez, Hispanus, Theologus Scholasticus.
Mutius de Angelis, Italus, Philosophus Theologus.
Nicolaus Avancinus, Germanus, Orator, Poëta, Asceta.
Nicolaus Baldellus, Italus, Theologus Moralis.

Ni-

Nicolaus Bobadilla, Hiſpanus, Scripturiſta.
Nicolaus Cabeus, Italus, Philoſophus.
Nicolaus Cauſſinus, Gallus, Rhetor, Tragædus, Aſceta.
Nicolaus Cichovius Polonus, Theologus, Controverſiſta.
Nicolaus Cuſanus, Germanus, Aſceta, Controverſiſta.
Nicolaus Elffen, Germanus, Aſceta.
Nicolaus Henardus, Lotharingus, Concionator.
Nicolaus Lancicius, Lithvanus, Aſceta.
Nicolaus Lombardus, Gallus, Scripturiſta.
Nicolaus Orlandinus, Italus, Hiſtoriographus.
Nicolaus de Sault, Gallus, Aſceta.
Nicolaus Serarius, Lotharingus, Theologus, Controverſiſta, Scripturiſta.
Nicolaus Suſius, Belga, Orator, Poëta.
Nicolaus Trigautius, Belga, Hiſtoriographus.
Nicolaus Zucchius, Italus, Philoſophus, Aſceta.
Octavianus de Tuſo, Italus, Scripturiſta.
Oddo de Comitibus, Italus, Rhetor, Philoſophus.
Odo Malcotius, Belga, Mathematicus.
Oliverius Bonartius, Belga, Scripturiſta.
Oſovaldus Kruger, Prutenus, Mathematicus.
Paulus de Barry, Gallus, Aſceta.
Paulus Caſatus, Italus, Mathematicus.
Paulus Comitolus, Italus, Theologus Moralis.
Paulus Guldinus, Germanus, Mathematicus.
Paulus Laymannus, Germanus, Theologus Moralis, Canoniſta.
Paulus Roſmer, Belga, Theologus Scholaſticus.
Paulus Segnerus, Italus, Aſceta.
Paulus Scherlogus, Hiſpanus, Scripturiſta.
Paulus Zechentner, Germanus, Aſceta.
Petrus de Abarca, Hiſpanus, Theologus.
Petrus Alois, Italus, Concionator, Poëta.
Petrus Angelus, Perſicus, Italus, Aſceta.
Petrus de Arrubal, Hiſpanus, Theologus Scholaſticus.
Petrus de Aviles, Hiſpanus, Theologus Scholaſticus.
Petrus Biverus, Hiſpanus, Concionator, Aſceta
Petrus Bobynet, Gallus, Mathematicus.
Petrus Bourdin, Gallus, Mathematicus.
Petrus de Brun, Gallus, Orator.
Petrus de Bugis, Belga, Theologus.
Petrus Cottonus, Gallus, Concionator, Controverſiſta.
Petrus Courcier, Gallus, Mathematicus.
Petrus Fonſeca, Luſitanus, Philoſophus
Petrus Franciſcus Chiffletius, Gallus, Chronologus.
Petrus Gaultruche, Gallus, Philoſophus, Mathematicus, Poëta.
Petrus Gorſius, Gallus, Aſceta.
Petrus Haloix, Belga, Sacer Hiſtoriographus.
Petrus Hamerius, Belga, Concionator.
Petrus Hurtadus, de Mendoza, Hiſpanus, Theologus Scholaſticus.

Petru

Petrus Jarricus, Gallus, Hiſtoricus.
Petrus Joannes Perpinianus, Hiſpanus, Orator.
Petrus Joſſet, Gallus, Hiſtoriographus.
Petrus Juſtinellus, Italus, Aſceta.
Petrus Labbe, Gallus, Rhetor, Poëta.
Petrus Ludovicus, Hiſpanus, Theologus Scholaſticus.
Petrus Mambrun, Gallus, Poëta.
Petrus Maucorps, Gallus, Theologus, Scripturiſta.
Petrus Morales, Hiſpanus, Scripturiſta.
Petrus le Moyne, Gallus, Orator, Aſceta.
Petrus Oxea, Hiſpanus, Theologus Scholaſticus, & Moralis.
Petrus de Onnate, Hiſpanus, Theolologus Moralis.
Petrus D'outreman, Belga, Hiſtoriographus.
Petrus Pazmannus, S. R. E. Cardinalis, Hungarus, Concionator, Controverſiſta.
Petrus Poſſinus, Gallus, Hiſtoricus, Græcorum Authorum Interpres.
Petrus Redanus, Hiſpanus, Scripturiſta.
Petrus Ribaideneira, Hiſpanus, Hiſtoriographus Sacer.
Petrus de Salas, Hiſpanus, Rhetor, Poëta.
Petrus Sanctius, Hiſpanus, Sacer Hiſtoriographus.
Petrus Skarga, Polonus, Concionator, Controverſiſta.
Petrus Taffinus, Belga, Hiſtoriographus.
Petrus Talbottus, Hibernus, Controverſiſta.
Petrus Thyrræus, Germanus, Phiſiologus, Controverſiſta.
Petrus Wadingus, Hibernus, Theologus Scholaſticus, & Moralis, Poëta.
Philippus Alegambe, Belga, Sacer Hiſtoricus.
Philippus Bebeus Belga, Aſceta, Poëta.
Philippus de Berlaymont, Belga, Aſceta.
Philippus Brietius, Gallus, Geographus, Chronologus.
Philippus Kiſelius, Germanus, Concionator.
Philippus Labbe, Gallus, Hiſtoricus, Chronologus, Poëta.
Philippus D'outremam, Gallus, Aſceta.
Philippus de Triev, Belga, Philoſophus, Dialecticus.
Richardus Archdekin, Hibernus, Theologus, Polemicus.
Richardus Lyncæus, Hibernus, Philoſophus, Theologus.
Robertus Bellarminus, S.R.E. Cardinalis, Italus, Theologus, Polemicus, Aſceta, Scripturiſta, Concionator.
Robertus de Nobilibus, Italus, Aſceta.
Robertus Perſonius, Anglus, Theologus, Polemicus, Sacer Poëta.
Rodericus de Arriaga, Hiſpanus, Philoſophus, Theologus.
Scipio Scambata, Italus, Aſceta.
Sebaſtianus de Urſis, Italus, Mathematicus.
Sebaſtianus Barradius, Luſitanus, Scripturiſta.
Sebaſtianus Gonzalez, Luſitanus, Hiſtoricus.
Sebaſtianus Hejſſius, Germanus, Theologus, Polemicus.
Sebaſtianus Izquierdo, Hiſpanus, Theologus Scholaſticus, Aſceta.

Sfortia Pallavicinus, S.R.E. Cardinalis, Italus, Theologus, Historicus.
Sidronius Hosschius, Belga, Poëta.
Sigismundus Lauxmin, Polonus, Rhetor, Controversista.
Sylvester Noritius, Anglus, Controversista.
Sylvester Petrasancta, Italus, Theologus, Polemicus.
Simon Waggnereckius, Germanus, Græcorum Authorum Interpres.
Stanislaus Grodicius, Polonus, Concionator, Controversista.
Stanislaus Warszawicius, Polonus Historicus.
Stephanus Arator, sive Szanto: Hungarus, Controversista.
Stephanus Audebertus, Gallus, Controversista.
Stephanus Baunij, Gallus, Theologus Moralis.
Stephanus Binetus, Gallus, Sacer Historiographus.
Stephanus Fagundez, Lusitanus, Theologus Moralis.
Stephanus Moquojus, Gallus, Theologus, Polemicus.
Stephanus Natalis, Gallus, Philosophus, Physiologus,
Stephanus Tuccius, Italus, Chronologus, Theologus.
Tarquinjus Gallutius, Italus, Orator, Poëta.
Theodorus Baeck, Germanus, Mathematicus.
Theodorus Moretus, Belga, Mathematicus, Asceta.
Theodorus PELTANUS, Belga, Theologus, Interpres Græcorum Authorum.
Theophilus Bernardinus, Gallus, Asceta.
Theophilus Raynaudus, Gallus, Theologus Naturalis, Moralis, Asceticus, Polemicus.
Thomas Bisdomini, Italus, Philosophus, Theologus Moralis.
Thomas le Blanc, Gallus, Interpres Scripturæ Sacræ.
Thomas Comptonus, Anglus, Philosophus, Theologus Scholasticus.
Thomas Gonzalez, Hispanus, Rhetor, Poëta.
Thomas de Ituren, Hispanus, Theologus Scholasticus,
Thomas Masbutius, Italus, Asceta, Sacer Historicus.
Thomas Mlodzianowszy, Polonus, Philosophus, Theologus.
Thomas Reina, Italus, Concionator.
Thomas Sanchez, Hispanus, Theologus Moralis.
Thomas Tamburinus, Italus, Theologus Moralis.
Thomas Worthingnonus, Anglus, Controversista.
Tobias Lohner, Germanus, Theologus, Asceticus, & Ecclesiasticus.
Valentinus Blatowicz, Lithvanus, Poëta.
Valentinus de Herice, Hispanus, Theologus Scholasticus.
Valerius Reginaldus, Burgundus, Theologus Moralis.
Vincentius Brunus, Italus Asceta.
Vincentius Carafa, Societatis JESU Generalis, Italus, Asceta.

Vin-

Vincentius Baleſtrierius, Italus, Concionator.

Vincentius Filliucius, Italus, Theologus Moralis.

Wenceslaus Schwertfer, Germanus, Poëta, Aſceta.

Zacharias Trinkellius, Hungarus, Aſceta.

Finis Scriptorum Societatis JESU, non omnium, ſed præcipuorum duntaxat, & quidem ſolùm ad Annum Chriſti, 1675.

CATALOGUS V.

Non defuerunt hoc quoque Sæculo in Eccleſia plurimæ perſonæ, Sanctitate inſignes, ſed quia harum Beatificatio, vel Canonizatio, non dum eſt à Sancta Sede Romana declarata, ideo ijs prætermiſſis, appono hîc duntaxat, eorum Numerum, qui ex ſola Societate JESU, hôc & priore Sæculo, Martyrium ſubjerunt, & Veritatem Fidei Catholicæ, morte & ſanguine ſuo, teſtati ſunt, in omnibus quatuor Orbis partibus, Ordine Alphabetico, eosdem recenſendo:

In Europa.

P. Alexander Briantus, Anglus, Londini in Anglia. 1581.

Andreas Martini Franco, Rubeaci in Germania. 1634.

P. Arnoldus à Boëcop, Belga, in Germania. 1622.

Blaſius Schelling, Bavarus, Eberſpergæ, in Germania. 1632.

P. Briantus Cansfeldus, Anglus, Eboraci, in Anglia. 1643.

P. Chriſtophorus Spotecus, Polonus, Stocholmiæ, in Suecia. 1601.

Curbertus Preſcottius, Anglus, Londini, in Anglia. 1647.

Dominicus Colinus, Hibernus, Corkæ, in Hibernia. 1602.

P. Edmundus Arouſmithæus, Anglus, Lancaſtriæ, in Anglia. 1628.

P. Edmundus Campianus, Anglus, Londini, in Anglia. 1581.

P. Edmundus Donatus, Hibernus, Corciagiæ, in Hibernia. 1580.

P. Edvardus Oldcornus, Anglus, Vigorniæ, in Anglia. 1606

P. Emmanuel Fernandez, Afer, Eboræ, in Luſitania. 1564.

Emmanuel Neri, Italus, Claudiopoli, in Tranſylvania. 1603.

P. Franciſcus Pages, Anglus, Londini, in Anglia. 1602.

P. Geraldus Paëſman, Belga, Trajecti ad Moſam, in Belgio. 1638.

P. Godefridus Thelen, Germanus, Caubæ, in Germania. 1620.

P. Gvilielmus Boytonus, Hibernus, in Hibernia. 1647.

Gvilielmus Saltemochius, Gallus, Albenaci, in Gallia. 1593.

P. Henricus Garnettus, Anglus, Londini, in Anglia. 1606.

P. Henricus Morſæus, Anglus, Londini, in Anglia. 1645.

P. Henricus Walponus, Anglus, Eboraci, in Anglia. 1595.

P. Hervæus Malvesius, Gallus, Cleraci, in Gallia. 1622.

P. Hieremias Fischer, Boëmus, in Silesia. 1634.

P. Jacobus Salesius, Gallus, Albenaci in Gallia. 1593.

P. Joannes Arnoldi, Westphalus, Visselhofdæ, in Germania. 1631.

P. Joannes Bathæus, Hibernus, Pontani, in Hibernia. 1649.

P. Joannes Boddens, Belga, Trajecti, ad Mosam. 1638.

P. Joannes Cornelius, Anglus, Dorcestriæ, in Anglia. 1594.

Joannes Esto, Polonus, Stocholmiæ, in Svecia. 1601.

P. Joannes la Garde, Gallus, S. Riani in Gallia. 1622.

P. Joannes Grossus, Anglus, Lincolniæ in Anglia. 1645.

P. Joannes Lelesy, Hungarus, intoxicatus veneno, in Transylvania. 1588.

P. Joannes Meagh, Hibernus, ad Guttenbergam, in Boemia. 1639.

P. Joannes Ogilbæus, Scotus, Glasci, in Scotia. 1615.

P. Joannes Sandæus, Belga, prope Wepstadium, ad Rhenum. 1622.

P. Joannes Vorthingtonus, Anglus, in Anglia. 1652.

P. Jodocus Majering, Westphalus, Rubeaci, in Germania. 1634.

P. Laurentius Everardi, Belga, in Belgio. 1600.

P. Laurentius Passokius, Silesius, ad Lipsiam, in Germania. 1642.

P. Martinus Gutierrez, Hispanus, Cardeliaci, in Gallia. 1573.

P. Martinus Laterna, Polonus, in mari Balthico. 1598.

Martinus Ignatius, Silesius, ad Guttenbergam, in Boëmia. 1639.

P. Matthæus Grimes, Gallus, Londini, in Anglia. 1650.

P. Matthias Cramerus, Boëmus, ad Lipsiam, in Germania 1642.

P. Matthæus Burnatius, Silesius, prope Rovenszkum, in Boëmia.

Matthias Vitriarius, Lithvanus, Stocholmiæ, in Svecia. 1601.

P. Melchior Grodecius, Silesius, Cassoviæ, in Hungaria. 1619.

Nicolaus Krziwozanziewicz, Lithvanus, Stocholmiæ, in Svecia 1601.

Nicolaus Odoënus, Anglus, Londini, in Anglia. 1606.

P. Ottho Campensis, Hollandus, in Belgio. 1600.

P. Petrus Buzelinus, Belga, in Belgio. 1600.

P. Petrus Michaël, Germanus, Moguntiæ, in Germania. 1595.

P. Petrus Venustus, Helvetus, Bibonæ, in Sicilia. 1564.

P. Petrus Wricthus, Anglus, Londini, in Anglia. 1651.

Philippus Nottin, Belga, Trajecti ad Mosam. 1638.

P. Richardus Bradlæus, Anglus, Marchestriæ in Anglia. 1645.

P. Robertus Netervillius, Hibernus, Pontani, in Hibernia. 1649.

P. Robertus Southuvellus, Anglus, Londini, in Anglia. 1595.

P. Rogerius Filkockius, Anglus, Londini, in Anglia. 1601.

P. Ru-

P. Rudolphus Corbæus, Hibernus, Londini, in Anglia. 1644.
P. Stephanus Pongracz, Hungarus, Cassoviæ, in Hungaria 1619.
P. Theodorus Rifwig, Belga, Neomagi, in Belgio. 1625.
P. Thomas Cottamus, Anglus, Londini, in Anglia. 1582.
P. Thomas Garnettus, Anglus, Londini, in Anglia. 1608.
P. Thomas Hollandus, Anglus, Londini, in Anglia. 1642.
P. Thomas Mettamus, Anglus, Visbici, in Anglia. 1592.
Wenceslaus Trnoſka, Moravus, ad Guttenbergam. 1639.
P. Joannes Simonides, Hungarus, in Hungaria. 1683.
P. Guilielmus Irlandus, Anglus, prope Londin. ad Tybourn, in Anglia. 1678.
P. Thomas Harcottus, Angliæ Provincialis, prope Londinum ad Tybourn, in Anglia. 1679.
P. Guilielmus Waringus, alias Barrous, Anglus, prope Londinum ad Tybourn, in Anglia. 1679.
P. Antonius Turnerus Anglus, prope Londinum ad Tybourn, in Anglia. 1679.
P. Joannes Fenoicus, Anglus, prope Londin. ad Tybourn, in Anglia. 1679.
P. Joannes Gavanus, Anglus, prope Londinum ad Tybourn, in Anglia. 1679.
P. Philippus Evanus, Anglus Cardiffæ, in Anglia. 1679.
P. Carolus Bakerus, aliàs David Ludovici, Britannus, Iskæ, in Anglia. 1679.
P. Edvardus Harvæus, Anglus fustibus & ſclopis ad mortem contuſus. 1678.
P. Thomas Morfordus, alias Dovuns Anglus, carceris ærumnis confectus in Anglia. 1678.
P. Humfredus Anglus Brunus, laboribus, & ærumnis confectus in Anglia. 1679.
P. Ignatius Pricius, Anglus ærumnis confectus, in Anglia. 1679.
P. Nicolaus Tempeſtus, in Carcere obijt in Anglia. 1679.
P. Franciſcus Nevillus, aliàs Cottogus, ærumnis confectus in Anglia. 1679.
P. Franciſcus Parkerus, Anglus, ærumnis confectus in Anglia. 1679.
P. Guilielmnus Harcottus, Anglus, confectus ærumnis Anglicis, in Hollandia obijt. 1679.
P. Thomas Jeniſonus, Anglus, obijt in carcere Londinenſi. 1679.
P. Richardus Laceus Anglus, Oxonienſis in carcere Londin. obijt. 1680.
P. Carolus Prichardus Anglus, Laboribus in Anglia confectus. 1680.
P. Franciſcus Simonis, aliàs Bruningus, laboribus confectus in Anglia. 1680.
P. Guielmus Atkins, Anglus, jam octogenario major, ſub prætextu perduellionis condemnatus, obijt in carcere. 1681.

Africa.

P. Abrahamus Georgius Syrus, in Africa. 1595.

Alexius Delgadus, Luſitanus, in itinere Braſilico. 1570.

Alphonſus Fernandez, Luſitanus, ad Inſulam Tertiam. 1571.

Alphonſus Vaena, Hiſpanus, in itinere Braſilico. 1570.

Alvarus Mendez, Luſitanus, in itinere Braſilico. 1570.

Andreas Gonzalez, Luſitanus, in itinere Braſilico. 1570.

P. Andreas Gvaldanez, Hiſpanus, Mazvæ in Æthiopia. 1562.

Andreas Pais, Luſitanus, in itinere Braſilico. 1571.

Antonius Correa, Luſitanus, in itinere Braſilico. 1570.

Antonius Fernandez, Luſitanus, in itinere Braſilico. 1570.

Antonius Svarez, Luſitanus, in itinere Braſilico. 1570.

P. Apollinaris de Almeida, Luſitanus, Oinadegæ, in Æthyopia. 1638.

P. Benedictus de Caſtro, Luſitanus, in itinere Braſilico. 1570.

P. Bernardus Nugveira, Luſitanus, in Æthyopia. 1653.

P. Bernardus Pereira, Luſitanus, in Æthyopia. 1625.

P. Blaſius Ribera, Luſitanus, in itinere Braſilico. 1570.

P. Brunus à Sancta Cruce, Italus, in Æthyopia. 1640.

P. Didacus de Andrada, Luſitanus, in itinere Braſilico. 1570.

Didacus Carvalius, Luſitanus, in itinere Braſilico. 1570.

Dominicus Fernandez, Luſitanus, in itinere Braſilico. 1570.

Emmanuel Alvarus, Luſitanus, in itinere Braſilico. 1570.

Emmanuel Fernandez, Luſitanus, in itinere Braſilico. 1570.

Emmanuel Pajecus, Luſitanus, in itinere Braſilico. 1570.

Emmanuel Rodriquez, Luſitanus in itinere Braſilico. 1570.

Ferdinandus Sanchez, Hiſpanus, in itinere Braſilico. 1570.

Franciſcus Alvarus, Luſitanus, in itinere Braſilico. 1570.

Franciſcus de Caſtro, Luſitanus, ad Inſulam Tertiam. 1571.

P. Franciſcus Maccidus, Luſitanus, in Æthyopia. 1625.

Franciſcus Magallianez, Luſitanus, in itinere Braſilico. 1570.

Franciſcus Perez, Hiſpanus, in itinere Braſilico. 1570.

Franciſcus Paulus, Luſitanus, ad Inſulam Tertiam. 1571.

P. Franciſcus Riberius, Luſitanus, in Africa. 1620.

P. Franciſcus Rodriquez, Luſitanus, Ojnadegæ, in Æthyopia. 1638.

Gaſpar Alvarez, Luſitanus, in itinere Braſilico. 1570.

Gaſpar Goëz, Luſitanus, ad Inſulam Tertiam. 1571.

P. Gaſpar Paës, Luſitanus, in Æthyopia. 1635.

P. Gon-

P. Gonzalus Cardosus, Lusitanus, in Æthyopia. 1574.
Gonsalvus Henriquez, Lusitanus, in itinere Brasilico. 1570.
P. Gonsalvus Sylveria, Lusitanus, Monomotapæ. 1561.
Gregorius Scribanus, in itinere Brasilico. 1570.
P. Hyacinthus Francisci, Italus Ojnadegæ, in Æthyopia. 1638.
Jacobus Perez, Lusitanus, in itinere Brasilico. 1570.
P. Ignatius Azevedius, Lusitanus, in itinere Brasilico. 1570.
Joannes Baëza, Hispanus, in itinere Brasilico. 1570.
Joannes Fernandez Brachovensis, Lusitanus, in itinere Brasilico. 1570.
Joannes Fernandez, Lusitanus, Ulyssiponensis, in itinere Brasilico. 1570.
Joannes à Sancto Martino, Hispanus, in itinere Brasilico. 1570.
Joannes Majorgo, Hispanus, in itinere Brasilico. 1570.
P. Joannes Pereira, Lusitanus, in Æthyopia. 1635.
Joannes Zaurus, Hispanus, in itinere Brasilico. 1570.
P. Ludovicus Cardeira, Lusitanus, in Ætyopia. 1640.
Ludovicus Correa, Lusitanus, in itinere Brasilico. 1570.
Marcus Caldeira, Lusitanus, in itinere Brasilico. 1670.
P. Mauritius Serpius, Lusitanus, in Africa. 1578.
Michaël Aragonius, Hispanus, ad Insulam Tertiam. 1571.
Nicolaus Dinis, Lusitanus, in itinere Brasilico. 1570.
P. Petrus Diaz, Lusitanus in itinere Brasilico. 1571.
Petrus Diaz, Lusitanus, in itinere Brasilico. 1571.
Petrus Fernandius, Lusitanus, in itinere Brasilico. 1571.
Petrus Fonseca, Lusitanus, in itinere Brasilico. 1570.
Petrus Fontorus, Lusitanus, in itinere Brasilico. 1570.
Petrus Nunnez, Hispanus, in itinere Brasilico. 1570.
Sanctus Joannes, Lusitanus, in itinere Brasilico. 1570.
Simon Acosta, Lusitanus, in itinere Brasilico. 1570.
Simon Lopez, Lusitanus, in itinere Brasilico. 1570.
Stephanus Zurara, Cantaber, in itinere Brasilico. 1570.

Asia.

P. Ægidius de Abreu, Lusitanus, Jacatræ in Java majore. 1622.
P. Albertus Meczinsky, Polonus, Nangasachi in Japonia. 1643.
P. Alexander Lopez, Hispanus, Mindanai in India. 1655.
P. Alphonsus de Castro, Lusitanus, in Molucis. 1558.
P. Alphonsus Pacieccus, Hispanus, in India. 1583.
P. Amarus Moureira, Lusitanus, ad Goam, in India. 1639.

Ambro-

Ambroſius Fernandez, Luſitanus, Omuræ, in Japonia. 1620.
Andreas Sayto, Japon. 1614.
P. Antonius de Anacade, Luſitanus, Goæ in India. 1634.
P. Antonius Capecius, Italus, Nangaſachi, in Japonia. 1614.
P. Antonius Criminalis, Italus in India Orientali. 1549.
P. Antonius Critana, Hiſpanus, in mari Japonico. 1613.
P. Antonius Franciſcus, Luſitanus, in India. 1583.
P. Antonius Jſcida, Japon, Nangaſachi, in Japonia. 1632.
Antonius Kiuni, Japon, Nangaſachi, in Japonia. 1622.
P. Antonius Rubinus, Italus, Nangaſachi, in Japonia. 1613.
P. Antonius Sociro, Luſitanus, in Indijs. 1637.
P. Antonius de Sonta, Luſitanus, Nangaſachi, in Japonia. 1633.
P. Antonius Vaſconcellus, Luſitanus, in India. 1633.
Auguſtinus Ota, Japon, Ixineſcimæ, in Japonia. 1622.
P. Balthaſar de Torres, Hiſpanus, Nangaſachi in Japonia. 1626.
P. Bartholomæus Sanchez, Hiſpanus, in Philippinis Inſulis. 1642.
P. Benedictus Fernandez, Luſitanus, Nangazachi, in Japonia. 1633.
P. Bernardinus Peccius, Italus, in Regno Jafana. 1628.
P. Camillus Conſtantius, Italus, Tabiæ, in Japonia. 1622.
P. Carolus Spinola, Italus, Nangaſachi, in Japonia. 1622.
P. Chriſtophorus Ferreira, Luſitanus, in Japonia. 1652.
Conſalvus Fuſai, Japon, Nangaſachi in Japonia. 1622.
Damianus Fucaye, Japon, Nangaſachi, in Japonia. 1633.
P. Didacus Carvallius, Luſitanus, Scenday, in Japonia. 1624.
P. Didacus de Morales, Hiſpanus, Nangaſachi, in Japonia. 1643.
P. Didacus Yuki, Japon, Ozacæ, in Japonia. 1636.
Dionyſius Fugixima, Japon, Nimabaræ, in Japonia. 1622.
Dionyſius Jamamoto, Japon, Cocuræ, in Japonia. 1633.
P. Emmanuel Barretus, Luſitanus, in Japonia. 1633.
P. Emmanuel Borges, Luſitanus, Nangaſachi, in Japonia. 1637.
Franciſcus Aranea, Luſitanus, in India. 1582.
P. Franciſcus Buldrinus, Italus, in Japonia. 1633.
P. Franciſcus Carrion, Hiſpanus in Japonia. 1590.
P. Franciſcus Lopez, Luſitanus, in mari Cocinenſi. 1568.
P. Franciſcus Marquez, Japon, Nangaſachi, in Japonia. 1643.
Franciſcus Martinez, Sina, Cantonæ, in Chinis. 1606.
Pater Franciſcus de Mendoza, Luſitanus, in Philippina Inſula Mindanno 1642.

P. Fran

P. Franciſcus Paciecus, Luſitanus, Nangaſachi, in Japonia. 1626.

P. Franciſcus Paliola, Italus, in Inſula Indiæ, Mindanno. 1648.

P. Gaſpar de Caſtro, Luſitanus, in Japonia. 1626.

Gaſpar Santamatſu, Japon, Nangaſachi in Japonia. 1626.

P. Georgius Kavvathal, Luſitanus, in India. 1592.

P. Georgius Fernandez, Luſitanus, in Java Inſula. 1580.

P. Gomes Damaralius, in Java Inſula. 1580.

P. Henricus Henriquez, cum Anonimo Socio, in Promontorio Comorino. 1555.

P. Hieronymus de Angelis, Italus, Iendi in Japonia. 1623.

P. Jacobus Grannonius, Italus, Scimabaræ, in Japonia. 1633.

B. Iacobus Giſay, Japon, Nangaſachi, in Japonia. 1593.

P. Jacobus de Meſquita, Luſitanus, in Japonia. 1614.

Jacobus Tacuſcina, Japon, Sciki, in Japonia. 1638.

P. Ignatius Fialko, Luſitanus, in Regno Mogor. 1633.

Ignatius Kindo, Japon, Nangaſachi, in Japonia. 1633.

P. Joannes Acoſta, Luſitanus, Nangaſachi, in Japonia. 1633.

P. Joannes Adamus, Italus, Nangaſachi, in Japonia. 1633.

P. Joannes Areſius, Italus, in Philippinis Inſulis. 1645.

P. Joannes de Baëza, Hiſpanus in Japonia. 1626.

P. Joannes del Carpio, Hiſpanus, in Inſulis Philippinis, Ogmuci. 1634.

Ioannes Hungocu, Japon, Nangaſachi, in Japonia. 1622.

P. Joannes de Fonſeca, Luſitanus, in Japonia. 1620.

B. Joannes de Goto, Japon, Nangaſachi, in Japonia. 1597.

Joannes Kider, Japon, Ximabaræ, in Japonia 1633.

P. Joannes Macciadus, Afer ex Inſula Tertia, in Japonia, Omuræ. 1617.

P. Joannes Metella, Luſitanus, in Ceilano, Indiæ Orientalis Inſula. 1616.

P. Joannes Montiel, Italus, in Indijs. 1655.

Joannes Xamu, Japon, Fendi, in Japonia. 1633.

P. Joannes Zola, Italus, Nangaſachi, in Japonia. 1626.

P. Joſephus Furlanattus, Italus, Nangaſachi, in Japonia. 1692.

Joſephus Reomuy, Japon, Nangazachi, in Japonia. 1633.

P. Julianus Nacaura, Japon, Nangaſachi, in Japonia. 1633.

P. Julius Margicus, Italus, Siami, in India. 1630.

Leonardus Kimura, Japon, Nangaſachi in Japonia. 1619.

Ludovicus Caſucu, Japon, Cocuræ, in Japonia. 1633.

Ludovicus Cavarai, Japon, Nangaſachi, in Japonia. 1622.

Ludovicus Caſucu, Japon, Cocuræ, in Japonia. 1633.

P. Ludovicus Pelingottus, Luſitaus in Ceilano, Indiæ Orient. Inſula. 1616.

P. Mancius Firabajacci, Japon, in exilio Japonico. 1614.

Mancius Mizogveci, Japon, in exilio Japonico. 1614.

Mancius Taicicu, Japon, in exilio Japonico. 1614

P. Marcellus Maſtrillus, Italus, Nangaſachi, in Japonia. 1637

Matthæus Japon, Nangaſachi, in Japonia. 1633.

P. Matthæus de Couros, Luſitanus, in Japonia. 1633.

P. Matthæus Fernandez, Indus, in Regno Jaſanæ. 1628.

Matthias Sangá, Japon, in exilio Japonico. 1614.

P. Michaël Carvallius, Luſitanus, Omuræ in Japonia, 1624.

Michaël Xumbo, Japon, Nangaſachi, in Japonia. 1622.

Michaël Nacaſcima, Japon, in Japonia. 1628.

P. Michaël Pineda, Japon, Nangaſachi, in Japonia. 1633.

Michaël Tozo, Japon, Nangaſachi, in Japonia. 1626.

Nicolaus Tucunanga, Japon, Nangaſachi, in Japonia. 1633.

P. Nunnius Riberius, Luſitanus, in Molucis Inſulis. 1549.

B. Paulus Miki, Japon, Nangaſachi, in Japonia. 1597.

Paulus Rion, Japon, in exilio Japonico. 1614.

P. Paulus Saito, Japon, Nangaſachi, in Japonia. 1633.

Paulus Scinſuke, Japon, Nangaſachi, in Japonia. 1626.

Petrus Japon, Nangaſachi, in Japonia. 1633.

Pater Petrus Berna, Italus, in India. 1583.

P. Petrus Caſſoi, Japon, Jendi, in Japonia. 1639.

P. Petrus Muſcarenia, Luſitanus, in Inſulis Molucis. 1582.

P. Petrus Navarrus, Italus, Ximabaræ, in Japonia. 1622.

Petrus Unizvecha, Japon, Ximabaræ, in Japonia. 1626.

Petrus Rinkis, Japon, Nangaſachi, in Japonia. 1626.

Petrus Sambo, Japon, Nangaſachi, in Japonia. 1622.

P. Petrus de Zamora, Luſitanus, in India. 1639.

P. Rudolphus Aquaviva, Italus, in India 1683.

Sacerdotes duo Anonymi, in Inſulis Salſetis, Indiæ orientalis. 1554.

P. Sebaſtianus Kimura, Japon, Nangaſachi, in Japonia. 1622.

S. Sebaſtianus Vieira, Luſitanus, Jendi, in Japonia. 1634.

Quinque Socij Patris Sebaſtiani Vieiræ, Japones, Jendi, in Japonia. 1634.

Simon Jempo, Japon, Jendi in Japonia. 1623.

P. Sixtus Tocuum, Japon, Nangaſachi, in Japonia. 1633.

P. Theodorus Mantelo, Belga, in Japonia. 1593.

Thomas Axafoxi, Japon, Nangaſachi, in Japonia. 1622.

Thomas Niſciferus, Japon, Nangaſachi, in Japonia. 1633.

Tho-

Thomas Rivean, Japon, Nangasachi, in Japonia. 1633.

P. Thomas Tzugi, Japon, Nangasachi, in Japonia.

Valentinus Alvarez, Lusitanus, in India. 1606.

Vincentius Caunus, Japon, Nangasachi, in Japonia. 1626.

P. Vincentius Damianus, Italus, in Insulis Philippinis. 1649.

America.

P. Alphonsus Rodriquez, Hispanus, in Paraquaria. 1628.

P. Antonius Bellavia, Italus, in Brasilia. 1633.

P. Antonius Daniel, Gallus, in nova Francia, 1648.

P. Antonius Lopez, Hispanus, in Peruvia, 1596.

P. Antonius Riparius, Italus, in Paraquavia. 1639.

P. Bernardus de Cisneros, Hispanus, in nova Hispania. 1616.

P. Bernardus REVS, Hispanus, in Peru. 1629.

P. Carolus Garnier, Gallus, in nova Francia. 1649.

P. Christophorus de Mendoza, Peruanus, in Paraquaria. 1635

Christophorus Rotundus, Hispanus, in Florida Insula. 1571.

P. Cornelius Beudin, Belga, apud Taraumarenses, in America. 1650.

P. Didacus de Alfaro, Peruanus, in Paraquaria. 1639.

Didacus de Montalvan, Mexicanus, in Regno Chilo. 1612.

P. Didacus de Orosco, Hispanus, in nova Hispania. 1616.

P. Emmanuel Martinez, Lusitanus, in America, apud Varochios. 1632.

P. Ferdinandus Santaren, Hispanus, in nova Hispania. 1616.

P. Ferdinandus de Tovar, Hispanus, in nova Hispania. 1616.

P. Franciscus Pintus, Afer, in Brasilia. 1608.

Fratres duo Annonymi, in Brasilia. 1555.

Gabriel Gomez, in nova Francia. 1649.

P. Gabriel Lallemandt, Gallus, in nova Francia.

Gabriel de Solis, Hispanus, in Florida Insula. 1571.

P. Gaspar Osorius de Valderarum, Hispanus, in Paraquaria. 1639.

P. Gundisalvus de Tapia, Hispanus, in Mexico. 1594.

P. Hieronymus de Moranta, Hispanus, in nova Hispania 1616.

P. Horatius de Vechi, Italus, in Regno Chilo. 1612.

P. Jacobus Basile, Italus, apud Papigochos Indos in America. 1652.

P. Joannes de Brebene, Gallus, in nova Francia. 1649.

P. Joannes de Castillio, Hispanus, in Paraquaria. 1628.

P. Joannes de Fonte, in nova Hispania. 1616.

JacobusMendez,inFloridaInſula. 1571.

P. Joannes de Segam, in Florida Inſula. 1571.

Joannes Sora, Luſitanus, in Braſilia. 1554.

P. Joannes de Valle, Hiſpanus, in nova Hiſpania.

P. Iſaacus Joquez, Gallus, apud Hironaaos. 1646.

P. Julius Paſqualez, Italus, apud Varchios, in America. 1633.

P. Ludovicus de Alabes, Hiſpanus, in nova Hiſpania. 1616.

P. Ludovicus de Quires, Hiſpanus, in Florida Inſula. 1571.

P. Martinus de Aranda, Valderion Chilenſis, in Regno Chile. 1612.

Matthæus Fernandez, Indus, in Paraquaria. 1645.

P. Michaël de Urre, Hiſpanus, in Peruvia. 1597.

P. Natalis Chorbonet, Gallus, in nova Francia. 1645.

P. Petrus Corrue, Luſitanus, in Braſilia. 1554.

P. Petrus de Eſpinoſa, Hiſpanus, in Paraquaria. 1637.

P. Petrus de Linarez, Hiſpanus, in Florida Inſula. 1571.

P. Petrus Martinez, Hiſpanus, in Inſula Florida. 1566.

P. Petrus Romerus, Hiſpanus, in Paraquaria. 1645.

P. Raphaël Ferrer, Hiſpanus, in America. 1611.

Renatus Goupil, Gallus,

P. RochusGonzalez, Paraquarienſis, in Paraquaria. 1628.

Sanctius Savellius, Hiſpanus, in Florida Inſula. 1571.

CATALOGUS IV.

Eventuum Memorabilium, decimi ſeptimi Sæculi.

Raymundus de Pennaforti, à Clemente VIII. in Sanctorum numerum refertur. 1601.

Alba Regalis Turcis eripitur. 1602.

Rex Serræ leænæ, in India Orientali, ejusque liberi quatuor, ac duo Fratres, à Patre Balthazare Barreira Societatis JESU, baptizantur. 1606.

Sereniſſima Reſpublica Veneta, Sanctæ Sedi Apoſtolicæ reconciliatur. 1607

Franciſca Romana, in Catalogum Sanctorum adſcribitur, anno Chriſti. 1600

Conſtantinopolim, operâ Henerici IV. Regis Galliarum, Societas JESU inducitur. 1609.

Henricus IV. Rex Chriſtianiſſimus, à ſceleratiſſimo ſicario confoditur. 1601

Sereniſſimus Princeps Wolffgangus Wilhelmus, Dux Neoburgi, ejurat Luthero, Fidem Catholicam amplectitur. 1614.

Rebellio Boëmica ſopitur, & regnum illud hæreditario jure Auguſtiſſimæ Domui Auſtriacæ ſubjicitur. 1619.

Oſma

Osmanes Imperator Turcarum, ad pacem ineundam à Polonis adigitur. 1621.
In Japonia quam plurimi pro Fide Catholica gloriosum Martyrium subeunt.
Andreas Corsinus Episcopus Fessulanus, ab Urbano VIII. in numerum Sanctorum refertur. 1629.
Suecicum Bellum in Germania, quòd deinde annis 30. duravit exoritur. 1630.
Pax inter Hispaniæ Regem, & Hollandos post 80. annorum Bellum concluditur. 1647.
Carolus Stwardus Angliæ Rex, à proprijs subditis publico supplicio afficitur. 1649.
Christina Regina Sueciæ relicto regno Fidem Catholicam amplectitur, & Romam proficiscitur. 1655.
Societas JESU ad statum Venetum honorificentissimè reducitur. 1658.
Vienna à 200. millibus Turcarum obsidetur, & hostis à confœderatis Principibus, cum ingenti strage, & ignominia ab obsidione pellitur. 1683.
Pestilentissima Doctrina de Molinos, & Secta Quietistarum damnatur.
Buda Metropolis Ungariæ armatâ manu expugnatur, & tota ferè Ungaria à Tyrannide Turcarum eliberatur.
Christiani Principes turpiter, & inutil[illegible] maximis exercitibus, inter se pugnant, etiam durante bello Turcico.
Canonizatio quinque Sanctorum nempe: Cajetani Thienei, Philippi Benitij, Francisci Borgia, Ludovici Bertrandi, & Rosæ Limensis, à Clemente X. & quinque aliorum, videlicet: Laurentij Justiniani Venetiorum Proto-Patriarchæ, Joannis à S. Facundo Augustiniani, Joannis Capistrani, & Pasqualis Baylon, Ordinis Franciscani, ac Joannis DEI, Fratrum Misericordiæ Fundatoris magna celebritate Romæ peragitur.
In Regnis Sinarum Fides Catholica à Patribus Societatis introducta mirè propagatur.
In Japonia dira persecutio contra Christianos excitatur, & continuatur.

F I N I S.



VI. SYNOPSIS
Seu
EPITOME CHRONOLOGICA.
Rerum Memorabilium, quæ in Pannonia contigerunt, ante adventum Hungarorum in eandem.

PAnnoniæ nomen latiùs patebat olim, quam hodie (quo nomine censetur nunc illa solùm pars, quam complectitur Hungaria) continebat siquidem insuper eam partem Norici quæ nunc est pars Orientalis Archiducatûs Austriæ, & major pars Styriæ, Carnioliæ, & Vindorum Marchiæ ac Sclavoniæ, atque hic tractus terræ nuncupabatur prima, seu Superior Pannonia. Secunda verò, seu inferior Pannonia, extendebatur ad Taurunum usque, quod nunc est *Belgradum*, seu *Alba Græca*, vel saltem hæc ex Tauruni excisi excrevit ruderibus: Subdivisa postmodum fuit variè, nempe: in Pannoniam Cibaliensem, seu Bubaliam, sic dictam à Cibali Urbe, quæ & Bubalis appellabatur, (ubi nunc est Walpo Civitas Sclavoniæ, ad amnem cognominem versùs Dravum) dein in Pannoniam Ripensem, seu Saviam juxta Fluvium Savum extensam (ubi hodie est Sclavonia, & pars borealis Croatiæ) tum in Pannoniam Sirmiensem circa Sirmium Urbem: demum in Panoniam Volcæam seu Valeriam, quæ juxta Danubium fluvium ad ortum & Valenam, paludem (quæ nunc Balaton dicitur) interjacebat. E contrario verò posthac Hungariæ accessit terra Jazigum Mitanestarum, Dalmatia, Servia, Bosnia, Bulgaria, & Dacia, (ubi nunc est Transylvania, Valachia, & Moldavia,) quamvis jam indiscriminatim Hungaria nuncupatur etiam Pannonia, & vicissim. Quinam autem fuerint Pannoniæ Incolæ, ante Hungarorum in eam adventum, vide Dissertationem quartam Partis primæ Decadis secundæ hujus Operis. §. V. Num 7. Ubi & res memorabiles Pannonum (in quantum ex tenebris illorum Sæculorum erui poterant) leviter attinguntur, usque ad *Augusti* Imperatoris tempora, sub quo primum Pannonia Romano Imperio fuit adjecta. Unde

hanc

hanc præsentem Synopsim Chronologicam, solùm ab *Augusti* temporibus, per seriem Annorum Christi, usque ad ingressum Hungarorum in Pannoniam breviter deducemus.

Anno igitur Christi 1. exiverat ab Augusto edictum, ut conscriberetur totus Mundus Romano Imperio subjectus, quod tamen in Pannoniam non extendebatur, utpote nec dum Imperio Romano subjectam.

2. Augustus Imperator subdividit Herodis Ditiones in Tetrarchias, subdivisurus postmodum, saltem per suos Successores, & Pannoniam in plures partes.

3. Romæ Matris DEUM ædes incenditur, cùm commoraretur Mater DEI in Nazareth, futura suis temporibus Patrona Pannoniæ.

4. Augustus Cæsar Tiberium in Successorem adoptat (per quem dein Pannoniam Juris Imperij Romani effecit) eúmque in Germaniam, & fines Pannoniæ cum exercitu expedit.

5. Tiberius in Germania rem prosperè agit, soloque jam Nomine, qui priùs armis erat, formidabilis fit, non solùm Germanis, sed & vicinis Pannonijs.

6. Marobaudus Marcomannus, accitis in Societatem belli Pannonijs, & Dalmatis, non solùm armis Romanorum resistit, sed & ipsi Italiæ prædabundus imminet.

7. Tiberius suspectus esse Augusto incipit, quasi de industria bellum cum Marcomannis, Pannonijs, & Dalmatis protraheret. Mittitur proinde ab eo in Pannoniam cum copijs Quæstor *Germanicus*, qui mox *Macros* Gentem Dalmaticam prælio vincit, quò sibi in liberas populationes in Pannoniam usque, viam aperiret.

8. Dalmatæ & Pannonij, rerum inopiâ potiùs, quàm armis devicti, à Romanis pacem petunt.

9. Nec dum impetratâ à Dalmatis & Pannonijs apud Romanos, quam postulabant, pace, Romani cladem non modicam ab ijsdem accipiunt.

10. Tiberius Militarem Disciplinam Romanorum in Germania restaurat, & magnam Germaniæ, & finibus Pannoniæ vastitatem inducit. Circa hæc tempora Segestum & Sirmium Romani expugnant, & sui Juris constituunt.

11. Tiberius atque Germanicus easdem vastitates continuant.

12. Tiberius æquiparatur Augusto in omnibus Provincijs & exercitibus, ita postulante Senatu, & assentiente ipso Augusto, ac de Pannonijs triumphum celebrare Romæ intendit, pro quo tamen tempus idoneum nec dum advenerat.

13. Au-

13. Auguſtus Cæſar Tiberio ob res præclarè contra Germanos, & Pannones geſtas, in aliud decennium Tribunitiam poteſtatem concedit. Auguſtus decem Legiones ſub finem vitæ ſuæ, Pannonijs imponit.

14. Auguſtus Imperator moritur, poſt cujus obitum Luna deficit, quâ Eclipſi Lunæ visâ, & auditâ morte Cæſaris Auguſti, Pannonicæ Legiones tumultuantur, ſedantur tamen à *Druſo*, illuc à Romanis miſſo.

15. *Germanicus* junctis cum *Ceciano* copijs, Germanos, & Pannones terret, & Arminium capitalem Romanorum hoſtem fugere compellit.

16. Tiberius Cæſar ex invidia, *Germanicum*, ut Victoriarum ejus curſum interrumperet, ex Germania revocare, & in orientem ducere ſtatuit.

17. Antequam *Germanicus* proficiſceretur in Orientem, de *Cattis*, & *Cheruſcis*, alijsque Germanicis populis magnificentiſſimum triumphum Romæ celebrat, & loco illius contra Illyricos & Pannones *Druſus* à Tiberio ſubſtituitur.

18. Germanicus dum Druſum Fratrem ſibi contra Illyricos & Pannones ſucceſſiſſe videt, conſulatum init apud Nicopolim Achajæ Urbem.

19. *Arminius* Germanicæ & Pannonicæ libertatis contra Romanos vindex, à ſuis interficitur, anno ætatis trigeſimo ſexto. *Germanicus*, qui olim Exercitui Romano contra Pannones præerat, dum in oriente res ordinat, in morbum incidit, & moritur, non ſine ſuſpicione veneni ſibi à Piſone dati.

20. Germanici cadaver Romam delatum, ingenti omnium luctu excipitur, *Piſo* verò accuſatus Romæ de morte illata *Germanico* ipſemet ſe jugulat.

21. Druſus à Tiberio ob res bene contra Pannones geſtas ſecundum in conſulatum aſſumitur. Tiberius Cæſar ineunte Anno in Campaniam ſecedit: & *Druſo* Rempublicam Romanam gubernandam permittit. Thraces aliqui interim tumultuantur contra Romanos.

22. Juliâ Matre ægrotante & rogante, Tiberius Romam revertitur. Mutatur Tiberius ex optimo Principe in peſſimum, operâ Sejani.

23. Druſus amor ille & Princeps populi, & jam Collega Imperij à Patre dictus, veneno, Sejani ſcelere, tollitur.

24. Romam Tyranide vexat Sejanus.

25. Pannonia hoc Anno, in Provinciam Romani Imperij redigitur.

26. Sejani audacia, & ſcelera creſcunt in dies. Unde etiam

27. Agrippinæ Auguſtæ ſtruens inſidias, ſuſpectum ei Tiberium reddit, quaſi veneno eam tollere vellet. Quare cùm illa in convivio ab omni cibo abſtineret, Cæſar eidem offenſus, ipſam fame enecat.

28. Sejanus in amicos *Germanici* ſævit.

29. Ju-

29. Julia, sive Livia Mater Tiberij Cæsaris moritur. Tiberius Cæsar in multos exercet tyrannidem, *Sejani* utique consilio, quem is maximis cumulat honoribus.

30. Tiberius Sejanum Consulem creat, & ferè parem sibi in Imperio facit.

31. Tiberius Cæsar Sejano offenditur, quem ut securiùs perderet, eum per literas Senatui accusat, à quo statim morti addicitur Sejanus, & carnificis manu cæditur, ejusdémque corpus unco raptatum in Tiberin, unà cum Liberis, Senatûs-consulto necatis projicitur.

32. Romæ clades in Sejani amicos non nihil interrupta, rursus recrudescit. Ad custodiendos limites Romani Imperij duæ Legiones in Pannonia, duæ in Mœsia, duæ in Dalmatia à Romanis locantur.

33. Ob sævitiam Tiberij Cæsaris, non pauci ex primarijs viris Romanis ad voluntariam mortem sibi inferendam adiguntur.

34. S. Paulus ad fidem Christi convertitur, qui postmodum Illyrijs quóque prædicavit Evangelium.

35. Tiberius Cæsar fœdè in omnes grassatur, & ut occultet sua vitia, nequiorem se collegam, Cajum Caligulam adsciscit.

36. Tiberio ægrotanti Thrasyllus Mathematicus fictè prædicit vitam ad 10. annos, hac ratione volens multos morti subducere, alioquin jussu ipsius necandos.

37. Tiberius Imperator in Lucullana villa pulvillo suffocatus à Cajo, moritur, eidémque succedit ipsimet Cajus dictus *Caligula*, initio sui regiminis miræ liber. litatis & clementiæ speciem præferens, & simulans.

38. Cajus Imperator vitia, quæ hactenus subdolè texerat, palàm ostendit, & exinde in omnem libidinem & petulantiam se effundit. Mœsia & Noricum rediguntur in formam Provinciarum sub Cajo.

39. Cajus exhaustis per summam insaniam opibus, universas Romani Imperij Provincias, adeóque & Pannonias maximis exactionibus atterit.

40. Cajus ridiculam suscipit expeditionem, cùm enim in Gallijs ad Oceanum ingentem exercitum eduxisset ad ejus littus machinas disponi jubet, quasi pugnaturus, & mox edicit, ut milites concilia atque ejusmodi maris purgamenta legerent, quibus se & capitolium ditarent.

41. Cajus Caligula Imperator interfectis lectissimis viris Romanis, tam ex Equestri, quàm ex Senâtorio Ordine, conjuratione Prætorianorum confossus 38. vulneribus, è medio tollitur. Locum ejus, in Imperio occupat Tiberius Claudius.

42. Totus Orbis Romanus ingenti laborat fame, quod malum etiam Pannonia experitur.

43. Sanctus Petrus Romam venit, ibíque Cathedram constituit, unde in omnes Romani Imperij Provincias, adeóque & in Pannoniam, mittere Discipulos ad fidem in Christum propagandam destinat.

44. Sanctus Petrus incipit mittere in Europæ Provincias Discipulos, & Episcopos.

45. Jussu Claudij Imperatoris censa sunt Romanorum Civium sex milliones & 940, millia.

46. Lunæ Ecclipsis totalis per universas Romani Imperij Provincias Die 13. Decembris.

47. Laureacum nobilis & pervetusta Norici, ac dein Pannoniæ Civitas super Danubij & Anasi confluentem, missis à Principe Apostolorum Discipulis, qui Christum annunciarent, Evangelium suscipit. Cujus primus Episcopus censetur fuisse Laurentius, doctrinâ & sanctitate clarissimus.

48. Beatissima Virgo Dei Mater in Cœlum assumitur, in cujus rei memoriam postmodum festum Assumptionis sub Titulo Magnæ Dominæ celeberrimum evasit in Pannonia.

49. Claudius hoc anno Judæos Româ expellit, quibus cum & Petrus Hierosolymam venit. Agrippina Filia Germanici Neronis ex Domitio Mater, Claudio Imperatori Patruo suo nubit.

50. Vandinus Rex Seciæ, spoliatus Regno à Jubellio Hirmundaro impetrat à Claudio ad excolendum cum suis agros in Pannonia teste Tacito. Item Nero adoptatur à Claudio Imperatore in Filium.

51. Neroni datur à Claudio virilis toga, Principatus Juventutis, & Proconsulare imperium extra urbem.

52. Claudius atroci Senatus-consulto Astrologos Judiciarios Italiâ pellit, quòd ex sideribus futura inquirerent, & multorum ambitum verificarent. Claudius Imperator Legiones Pannonicas minuit, aliò easdem è Pannonia evocando.

53. Nero Annos sedecim natus Octaviam ducit Uxorem, & cum ea quasi dotale accipit Imperium.

54. Claudius Imperator ab Uxore Agrippina veneno tollitur, succedente eidem Nerone.

55. Nero Claudium sumptuoso funere sepelit, & initio optima quæque de se Senatui, & populo pollicetur, vectigaliáque minuit, interim tamen *Britannicum* veram Claudij stirpem clàm necat.

56. Nero, qui initio Imperij sui summam rerum Agrippinæ Matri ad promittebat, eandem hoc anno satellitio exutam in ordinem redigit, & ipsæ in omnem vitæ licentiam se se effundit.

57. Nero corruptus ab adulatoribus Aulicis suis, in omnem lasciviam ruit, adeo ut servili veste indutus noctibus grassaretur per urbem turpiter.

58. Nero Poppæam Sabinam, ejusdem meretricijs lenocinijs devictus deperit, ideóque Maritum ejusdem Othonem in Lusitaniam non tam procul hæc sejungantur ab invicem Præfectum mittit.

59. Ne-

59. Nero instigante Poppæâ Agrippinam Matrem solutili navi imponit, ut Oceano mergeretur, sed periculum evadens ab eodem interimitur.

60. Sanctus Lucas Evangelista postquam Evangelizâsset etiam Dalmatiæ, apud Patras Achajæ Martyrio coronatur. Sergius Galba Pannonijs præest.

61. Sub Tyrannide Neronis instar aliarum Provinciarum ingemiscit Pannonia.

62. Nero Affranium Burchum, Præfectum Prætorij, magnum Reipublicæ virtutísque columen, qui solus eundem à vitijs retrahebat, veneno tollit, & relegatâ Uxore Octaviâ in Insulam, ibique occisâ, Póppæam ducit in Uxorem.

63. Nero inter Equestrem ordinem & plebem de industria dissensionis ansam præbet, illorum loca sedilibus hujus præponendo, in Pannonia verò Legiones adauget.

64. Nero Urbem Romanam, excidium Trojæ sibi præsentari cupiens, succendi varijs in partibus curat, quod postea crimen calumniosè Christianis imputat.

65. Nero subitanea iracundiâ ictu calcis Poppæam gravidam interimit. Et primam persecutionem in Christianos excitat.

66. Sancti Petrus & Paulus Romam redeunt, confirmaturi Christianos à Nerone vexatos.

67. Sancti ijdem Apostoli jussu Neronis Martyrio afficiuntur.

68. Nero à Senatu damnatus, & ab omnibus desertus fugit ex urbe, atque subinde latebras mutans, tandem desperatione adactus, se ipsum gladio transverberat. Titus Fabius Pannoniæ, Pompejus Syllanus Dalmatiæ præsunt.

69. Succedit Neroni Galba, qui Pisonem adoptat in Collegam Imperij, sed Otho utrumque interficiens Imperium occupat, at victus post tres menses à Vitellio se ipsum interimit.

70. Interim Vespasianus invitus licet, acclamatur Imperator à Militibus in Syria, qui proinde relictô contra Jerusalem Tito Filio, Romam redit, cui mox plurimæ Legiones adhærent, sed præsertim eæ, quæ erant in Mœsia & Pannonia, quarum Præfectus Antonius in Italia adversùs Vitellianos pugnans, eorum exercitum oppresserat ipse vero Vitellio, sæpius fugam captans, & se occultans, tandem inventus Carnificis manibus lentis ictibus interficitur.

71. Capitolium exustum restaurat Vespasianus, & eodem curru cum Tito Filio de Judæa triumphat, ac in Pannonia Legiones superauget.

72. Ebioni & Cherintho Hæresiarchis divinitatem Christi negantibus opponunt se S. Joannes Apostolus, & SS. Ignatius Martyr, ac Dionysius, qui nefandus error post multa sæcula traductus fuit etiam in Pannoniam per blasphemos Arianos.

73. Tradunt nonnulli circa hoc tempus Andream Apostolum prædicâsse Evangelium Russis, seu Ruthenis (uti inter cæteros est Marcus Reguscrus de Re-

gno Slavorum) quorum pars una postmodum sedem fixit in certis partibus Pannoniæ.

74 Addit Bucellinus circa hæc eadem tempora à Sancti Petri Discipulis tunc posita initia prædicationis Evangelij Germanis, cujus fama utique pervenit etiam ad Pannonias, Germaniæ finitimas.

75. Templum Pacis æternæ, à Vespasiano Imperatore Romæ extructum, hoc Anno spolijs Judæorum exornatur & dedicatur.

76. Hadrianus Imperator nascitur. Vespasianus sive ærarij inopiâ pressus, sive genio senum, avaritiâ correptus miras, eásque exoticas Pannonijs cæterísque Provincijs imponit exactiones, quæ ab ipso Tito Filio improbabantur.

77. Romæ hoc Anno, qui fuit nonus Vespasiani Imperatoris, tanta lues grassatur, ut dena hominum millia singulis diebus, per multas hebdomadas morerentur.

78. S. Linus summus Pontifex, primus Successor S. Petri Apostoli Martyrio afficitur, succedit eidem Cletus.

79. Vespasianus Imperator moritur, succedit eidem Titus Filius.

80. Urbs Romana trium noctium spatio magna ex parte conflagrat. Pannoniæ per Proconsules administrantur à Romanis.

81. Titus optimus Imperator, unde Deliciæ generis humani est dictus, è vivis decedit, succedit eidem Domitianus ejusdem Frater.

82. Domitianus initio imperij modestiam ac liberalitatem simulans, multa præclarè decernit.

83. 84. Domitianus facilitatem quam præ se tulerat, exuit, & crudeliter in multos desævit.

85. Domitianus multos Senatores Romanos in exilium mittit.

86. Domitianus Capitolium, quod Titi tempore iterum conflagraverat, magnificè restituendum curat.

87. Domitianus eò dementiæ prolabitur, ut Deum se dici voluerit, & Palladis Deæ filium.

88. Domitianus Daciam (ubi nunc est Transsylvania, Moldavia, & Valachia) Romano Imperio subigere contendit, sed à Decebalo illius Rege fortiter reijcitur. Mox in Marcomannos & Cundo (hodie Moravos, & Silesitas) arma convertit, sed ab his victus, & fugatus mox cum Decebalo pacem init.

89. Domitianus reversus in Urbem ridiculum triumphum de Dacis agit, à quibus tamen repulsus ignominiosè fuerat. Romanis ipsis ejusdem insaniam potiùs quam pompam demirantibus.

90. Domitianus secundam in Christianos persecutionem excitat.

91. Cle-

91. Cletus Papa fit Martyr, ſuccedit eidem Clemens Romanus, Diſcipulus S. Petri, & in ordine quartus ſummus Pontifex.

92. Patiuntur plurimi pro fide Chriſtiana, & mortem glorioſam ſubeunt, etiam Auguſti Sanguinis. S. Joannes Evangeliſta & Apoſtolus cruciatus in dolio ferventis olei, inde purior, ac vegetior evadit. Id tamen alij ad ſequentem annum referunt.

93. Perſecutio inchoata à Domitiano, jam ab aliquot annis hoc anno potiſſimùm erumpit. Unde aliqui pro hoc anno ponunt ſecundæ perſecutionis ſub Domitiano initium. Illuſtrat hoc anno primus Conſulum Romanorum nomen fide Chriſti & Martyrio M. Anicius, cujus Poſteri poſt multa ſæcula facti ſunt Incolæ Pannoniæ, quos inter fuit etiam Frangepanorum Illuſtris Familia.

94. Domitianus Edictum ſuum anno priore factum, quo prohibebat novellationem vitium in Italia, & jubebat vineta vel ex integro, vel ex parte ſuccidi, in alijs Provincijs, adurget, cum ſummo detrimento Incolarum. An autem jam tunc fuerint Vineta etiam in Pannonia incertum eſt.

95. Domitianus jubet interfici omnes de ſtirpe David, ne Judæi ullum inde Regem ſperantes aliquid moliantur.

96. Domitianus ob ſummam crudelitatem, à conjuratis, multis vulneribus confoſſus, cæditur, & Coccius Nerva in Imperatorem eligitur.

97. Nerva omnes Statuas Domitiani everti jubet, ſibique ullas poni vetat; Accuſationes Chriſtianiſmi prohibet, augmentum tributorium pœnæ nomine abrogat, multáque alia laude digna præſtat, atque in Succeſſorem Imperij, neglectis propinquis ſuis M. Ulpium Trajanum, tunc Germaniæ & Pannoniæ Præfectum adoptat.

98. Nerva Imperator correptus febri in hortis Salluſtianis 6. Kalendas Februarij moritur, cùm imperâſſet anno uno, menſibus quatuor, diebus undecim, ſuccedit eidem Trajanus.

99. Trajanus Romam veniens, cum applauſu Senatûs, & populi excipitur, optimíque regiminis dat initia, prohibitis tamen Sodalitijs, Præfectis, ac Præſidibus Provinciarum, dat occaſionem in Chriſtianos ſæviendi.

100. Claudit hoc ſæculum beata mors S. Joannis Apoſtoli & Evangeliſtæ. S. Clemens Papa in Cherſoneſo Martyrio afficitur. Decebalus Rex Dacorum à Romanis deficit. Trajanus Legionem decimam tertiam ex prima Pannonia ad bellum Dacicum deputat, & in locum illius primam & ſecundas Adjutricem, in Pannoniam deducit.

101. Trajanus Imperator contra Decebalum Dacorum Regem proficiſcitur, eúmque devincit, ingenti tamen utrinque cæde, Decebalus verò ne Romam in triumphum duceretur, ipſe ſibi mortem adſciſcit. Theſauri tamen ejus ſunt inventi, licet eos in Sarvetiæ fluminis alveo (qui nunc Strol dicitur ab Incolis Hungaris, Iſtríque

Germanis, in parte meridionali Transylvaniæ, & in Merisum fluvium se exonerat, testibus Sambuco, & Lazio) defodisset.

102. Trajanus debellato Decebaldo, Danubium ponte lapideo jungit cujus nunc etiam vestigia extant.

103. Trajanus Daciam in Pannoniæ formam redigit, Coloniâ Zarmigethusâ, quæ Vlpia Trajana nominata est in eam deducta, & in tractu illo, qui nunc est inter Albam Juliam, & Cibinium collocatâ.

104. Trajanus bello Dacico confecto, & Deceballi capite allato (quod Romanis tantum voluptatis exhibuit, quantum ejus nomen priùs terroris incusserat) in urbem veniens, multarum gentium Legationes excipit.

105. Trajanus contra Armenos & Parthos, proficiscitur.

106. Trajanus subactâ Armeniâ, finitimos Reges sine certamine in deditionem accipit.

107. Trajanus in Oriente versans tertiam persecutionem in Christianos edicit.

108. Plurimi Christiani per Provincias Romani Imperij Martyrio afficiuntur.

109. 110. 111. 112. 113. 114. 115. 116. His Annis ubique sed præsertim in Oriente, ubi Trajanus morabatur, in Christianos atrocissimè sævit persecutio. Extremis tamen Imperij sui annis remittit aliquid à persecutione Trajanus, quod Syriæ Præses moneret: non se parem Occidendis, qui sponte se ad Martyrium offerrent.

117. Trajanus movens in Mesopotamiam, Hadriano in Syria relicto, apoplexiâ, & aquâ intercute laborans perlatus Selimuntem Celiciæ, moritur quare eadem dicta est postea Trajanopolis. Succedit eidem in Imperio Ælius Hadrianus illius Nepos.

118. Hadrianus Imperator Romam venit, & tributa Fisco, aut ærario debita in annos 16. remittit, tabulis publicè crematis; indéque profectus in Mœsiam (ubi nunc est servia & Bulgaria) cum Sarmatis & Roxdanis pacem componit. Persecutio quarta in Christianos ab Hadriano indicitur, vel potiùs Trajani continuatur.

119. Prædicta persecutione Evariftus Papa Martyrio coronatur, cui subrogatur Alexander ordine Septimus Pontifex, qui afflictæ Ecclesiæ providet.

120. Hadrianus Nicomediam & vicinas Urbes terræ motu eversas, publico sumptu restaurat, visitat Galliam, Germaniam, ac Britanniam, severè ubique inquirens in Provinciarum Præsides.

121. Hadrianus Britanniam visitans, murum 80. milliarium construi jubet, dividentem Romanos à Barbaris.

122. Hadrianus reversus ex Oriente, rursus Galliam, post Hispaniam lustrat, & securitati Provinciarum providet, Sævit interim in Italia persecutio.

123. Hadrianus in Orientem redit, & Parthorum motus colloquio solo componit, inde venit in Græciam, & Athenienses in ordinem redigit. Martyrum per urbem ingens numerus, totis urbibus se ad mortem offerentibus.

124. Hadrianus Hyeme Athenis transactâ Romam redit, sed antea eidem Quadratus Episcopus, & Aristides Philosophus Atheniensis Apologiam pro Christiana Religione porrigunt, quâ inflexus Hadrianus faciliorem se adversùs Christianos præbet.

125. Hadrianus visitat Africam, multáque beneficia Provincijs indulget.

126. 127. 128. Hadrianus redux, ex Africa Athenas sibi charissimas invisit, ibique exactâ alterâ jam Hyeme, in Asiam migrat, & Toparchas varios, Regésque, ac præcipuè Chosroëm Parthorum Regem ad amicitiam magnis beneficijs invitat, excessúsque Præsidum Provinciarum qua qua transit examinat, & corrigit, eósque pro meritis præmiat, vel punit.

129. Hadrianus venit in Syriam, eámque à Phoënicia separare conatur, ne Antiochia, cui infensus erat, tot Urbium & Provinciarum esset Metropolis; post Hierosolymas funditùs à Tito dirutas restaurare aggreditur.

130. Hadrianus circa Hierosolymam aliam Urbem extruit, quam Æliam Capitolinam nuncupat, adjuncto Jovis Capitolini templo, ubi olim Sanctum DEI Templum fuerat: Inde in Arabiam pergit, & Pelusiam veniens sepulchrum Pompeij magnificentiùs exstruit.

131. 132. 133. Judæi in Syria ob profanata Hyeroso'ymis ab Hadriano loca sacra, arma corripiunt, quâ occasione plurima millia eorum cæduntur.

134. 135. Judæis per omne Imperium Romanum rebellantibus Hadrianus opponit Julium Severum, qui multitudine eorum territus, non audet cum ijs aperto Marte congredi, sed singillatim lento bello at minore periculo, commeatu undique prohibito, varijsque stratagematibus usus, faméque edomitos intra triennium ita atterit, ut pauci ex hoc tumultu superstites manserint. Ac demum captâ *Bethire* & 50. arcibus munitissimis Judæorum funditus eversis, & in excursionibus per se, suosque cœsis 580. millibus, bello Judaico finem imponit.

136. Julius Severus confecto bello Judaico ad Bithyniam administrandam à Hadriano mittitur.

137. Dux Limitis Illyrici (ubi nunc Austria inferior) Consulari ejus Provinciæ Præsidi in partem laborum ab Hadriano assignatur. Hadrianus Imperator adoptat in Filium *Commodum Verum*, cúmque Ælium Verum Cæsarem appellat, qui statim Prætor factus, Pannonijs Dux & Rector præponitur.

138. Interea anni hujus exordio Ælius Verus Cæsar à Hadriano adoptatus, moritur, quare Hadrianus, ingravescente morbo sibi in successorem adoptat Antoninum Pium, atque eodem anno vivis decedit, cui statim Antoninus Pius succedit.

139. An-

139. Antoninus Pius Imperium à clementia, mansuetudine, & liberalitate feliciter auspicatur.

140. Persecutio sub Hadriano excitata per Apologiam S. Justini pro Christianitate Antonino Pio datam aliquantisper mitigatur.

141. Tranquillitate Antonini Pij Imperatoris fides Christiana propagatur, & usque ad Sarmatas, Dacos, Germanos, & Scythas profertur.

142. Nesciente Antonino nihilominus Præfecti Provinciarum in Christianos sæviunt.

143. Antoninus Imperator vetat legi libros Sibyllinos, eò quòd in illis Religio Christiana stabiliri videretur.

144. Romanum Imperium diversis cladibus affligitur, plerique existimarunt vindice DEO id fieri, ob tot Christianos necatos. Quare Antoninus timore perculsus, rescripto edito persecutionem cohibet.

145. 146. 147. 148. Temporibus Antonini Pij Imperatoris florent Viri in omnibus fere Disciplinis celeberrimi.

149. Tranquillitas orbis maxima dum Antoninus Pius non solùm exactiones prohibet, sed omnes ex suo adjuvat & sublevat.

150. S. Justinus alteram Apologiam pro Christianis tradit Antonino Pio Imperatori ejúsque adoptivis Filijs Marco & Lucio Philosophis Senatui deníque, & ipsi Populo Romano.

151. 152. Multa iterum funesta Romanis accidunt, ideóque iteratò Antoninus Imperator Decretum de non persequendis Christianis emittit.

153. 154. 155. Dum à persecutionibus quiescit Ecclesia, ejusdem unitatem Valentinus, & Cerdo, Hæresiarchæ perturbare conantur.

156. Hyginus Papa moritur Martyr, succedit eidem Pius Aquiliensis.

157. Pius Papa traditionem Apostolicam de celebrando Paschate Die Dominico, Decreto suo contra Judaizantes, & Quartadecimanós confirmat.

158. 159. 160. Multæ Nationes etiam remotissimæ æquitate Antonini Pij permotæ, depositis armis, se illius arbitrio submittunt.

161. Hoc anno Antoninus Imperator, rebus suis, & suorum bene dispositis, moritur. Succedunt eidem M. Aurelius Antoninus Philosophus, & Lucius Ælius Verus Antoninus.

162. M. Aurelius, Lucium Verum Collegam Imperij & Fratrem in Orientem mittit, qui in omnem intemperantiam effunditur, per suos tamen Legatos rem contra hostem feliciter agit.

163. 164. Persecutio in Christianos sub novis Imperatoribus rursus recrudescit.

165. Pius Papa Martyrio coronatur, eíque ſuccedit Anicetus, Syrus.

166. Redit hoc anno confecto per ſuos Legatos bello Parthico, & Armeniâ ſubactâ, Lucius Verus, & ambo Imperatores Armenici & Parthici dicti, decreto Senatûs triumphant.

167. Marcomanni interim à Romanis deficiunt.

168. Ambo Imperatores ad bellum Marcomannicum magno aparatu ſe accingunt.

169. Inchoatur hoc anno bellum Marcomannicum, quibus multæ gentes (quas inter fuiſſe etiam vicinos Pannones eſt credibile) ſe adjungunt, & Romanis ſtrenuè reſiſtunt. Quæ cauſa fuit, ut ambo Imperatores compoſitis Illyrici rebus, Italiâque ita munitâ, ut nihil à Marcomannis erumpentibus timendum eſſet, Romam redeunt; dum interim Lucius Ælius Verus apoplexiâ tactus, in itinere moritur. Addunt tamen aliqui Marcomannos Imperatoribus obviam Legatos ſuos miſiſſe, qui multorum defectionis deprecarentur veniam, ſicque Imperatores Romam redire ſtatuiſſe.

170. M. Aurelius ingentem undique contrahit pecuniam, pro Bello Marcomannico reſtaurando. Marcomanni viciſſim ad ſui defenſionem adversùs Romanos ſtrenuè ſe parant, & vicinos Populos, adeóque & Pannonios ad ſuas trahunt partes.

171. Variante Marte, pugnatur Romanos inter, & Marcomannos.

172. Marcus Aurelius Marcomannos & Jaziges in ipſo Iſtri glacie adſtricti tranſitu, vincit.

173. Marcus Aurelius deceptus ab impoſtore quodam Alexandro nomine, ſibi victoriam de Marcomannis & Quadis pollicente, 20. millium ſuorum ſtragem accipit.

174. Marcus Aurelius à Marcomannis, Quadis, & vicinis alijs Populis, adeóque & Pannonijs cum toto ſuo exercitu circumcluſus, & toto exercitu ſiti atque æſtu penè enecto, jubet Chriſtianos Legionis duodecimæ Melytenæ, precari DEUM ſuum, & implorare auxilium, quod fruſtra ab Idolis ſuis ſperaret. Illi flexis Genibus, ſtatim impetrant copioſum imbrem, ſimulque grandinem, & fulmina contra hoſtes, ſicque Imperator de ijsdem inſignem reportat victoriam. Agnovit Imperator hanc gratiam à DEO Chriſtianorum factam, uti ipſemet ad Senatum datis Litteris perſcripſit. Unde etiam edicto cavit, ne deinceps quis, ſolo nomine Chriſtianitatis accuſaretur, imò ſic accuſantes juſſit igne comburi. Addit autem Imperator in ijsdem Literis, ſe dum eas ſcriberet in media Germania fuiſſe, montibus undique concluſum: Unde aliqui putant hoc prælium in inferiori Pannonia, ubi nunc eſt Auſtria, contigiſſe.

175. Falſo rumore ſparſo, quaſi in hoc prælio M. Aurelius occubuiſſet,

Avidius Cassius in Oriente Imperium invadit, verùm veritate rei comperta de vita Cæsaris superstite, is â proprijs Militibus unà cum filio incerimitur.

176. M. Aurelius Ægyptum & alias Provincias Orientis visitat, & L. Commodum filium sui Successorem in Imperio declarat. Pannonia inter Proconsulares Provincias Romanorum refertur.

177. Recrudescit hoc anno iterum in Christianos persecutio, quæ utcúnque Edicto Aureliani fuerat compressa. Marcus Aurelius rursus contra Marcomannos, Quados, Sarmatas, aliósque Populos ijsdem adhærentes, bellum triennale suscipit.

178. 179. 180. Marcus Aurelius triennio hoc, ita attrivit hostes Marcomannos & Quados, ut si superesset annus, eorum Regio in Provinciam convertenda videretur. Demum anno 180. moritur *Vintibonæ* (quæ nunc est Vienna) in Pannonia, inediâ voluntariâ accitâ sibi morte. Succedit eidem L. Commodus Antoninus, Filius.

181. *Commodus* Antoninus Romam redit, rebus utcúnque in Germania & Pannonia compositis, & de hostibus Marcomannis & Quadis triumphum instituit, quos tamen adhuc integros, & ultionem spirantes reliquerat.

182. 183. *Commodus* Imperator longe dispar parenti, vitæ suæ turpitudine, aulam Romamque defœdat.

184. 185. *Commodus* Imperator ob vitæ turpitudinem odium & contemptum Senatûs incurrit, qui proinde in eum conspirat, & ê medio tollere statuit.

186. Re hac patefactâ *Commodus* in Senatum & Cives sævit, & opulentissimos quosque vitâ privat.

187. Venalia omnia officia proponit *Commodus*, ita ut uno anno 25. Consules legerentur. Septimius Severus Proconsulari Imperio Pannonias regit.

188. 189. Commodus Imperator totum quantum se voluptatibus turpissimis tradit, prorsus omisâ cura Imperij

190. Commodus Imperator vult haberi, & dici Hercules Filius Jovis, unde Colosso aufert caput solis, suúmque substituit.

191. Commodus Imperator varia spectacula Romanis exhibet, plurimásque feras ipsemet ex theatro Sagittis, & hastis conficit.

192. Commodus Imperator dum Romam per summam dementiam incendere statuit, ac pleròsque Romanorum, etiam Senatorum, aliorúmque familiarum morti destinat, ab his præventus immisso Narcisso Athleta, cum quo luctari solitus erat, compressis faucibus strangulatur.

193. Ineunte hoc anno *Helvius Pertinax*, à Militibus invitus in Imperatorem

torem eligitur, & mox etiam à Senatu confirmatur, sed post dies 88. à Prætorianis Militibus consoditur Didij Juliani scelere; qui pactione pecuniariâ à Militibus imperium emit, sed populo invisus, Senatûs sententiâ post 65. dies sui imperij obtruncatur. Interim Septimius Severus in Pannonia Sabaria, Carnuti, à Militibus Imperator acclamatur: Et Piscenius Niger in Syria, ac Clodius Albinius in Britannia sibi Imperium usurpant. Sed Septimius Severus rerum potitur, oblatáque Cæsaris dignitate Albino, eundem sibi reconciliat, contra Piscenium verò ducit exercitum.

194. Piscenius Niger varijs prælijs à Severi exercitu victus tandem obtruncatur.

195. Severus Imperator Bizantinos Piscenij Nigri partes obstinatè defendentes obsidione vexat, Ducésque Nigri ac Tribunos occidi mandat.

196. Severus Imperator obsidionem Bizantij per suos Duces urget, ipse verò contra Barbaros Piscenij Nigri fautores bellum movet.

197. Severus Bizantinis ad deditionem post triennalem obsidionem adactis, libertatem & mœnia aufert, & in vilem quasi vicum redigit, ipse verò Romam cum triumpho redit, ac in itinere filium Busianum Cæsarem creat.

198. Severus Imperator in Galliam contra Albinum proficiscitur, à quo quidem primo conflictu vix non superatur, sed iterum ad Lugdunum majore contentione eundem aggressus, vincit, ac semineci caput abscindi curat, Romámque ovans regreditur.

199. Severus ex Senatûs-consulto Basianum Filium Imperij Collegam declarat.

200. Severus in Orientem profectus, Parthis Seleuciam & Babylonem ab Incolis desertas Urbes, adimit.

201. Severus in Ægyptum venit, atque hujus Regionis loca antiquis monumentis famosa percurrit.

202. Severus gravissimam persecutionem, quæ in ordine quinta nuncupatur, in Christianos excitat.

203. Severus Romam ex Ægypto rediens cum Filijs, de Parthis alijsque Nationibus, magnificè triumphat.

204. 205. Ludos Sæculares, Romanis cum Spectaculis, Severus Imperator exhibet.

206. Sublato & interfecto jussu Severi Imperatoris Plantiano summo Christianitatis hoste, & qui omnia apud Imperatorem poterat, ita ut videretur Imperatoris Imperator, Persecutio in Christianos magna ex parte mitigatur.

207. 208. Severus bellum in Britannos, qui fines transgressi Romanam

ditionem invaserant, parat, ac post unà cum Filijs, & Exercitu eò proficiscitur.

209. Severus Imperator Britannos repellit, & muro 130. milliarium, intra suos fines coërcet.

210. Severus Imperator Getam Filium præficit illi parti Britanniæ, quæ Romanis parebat, adhibitis illi prudentibus Consiliarijs, alterum vero Filium Antoninum retinet secum, eíque bellicas expeditiones committit. Dacia & Pannonia administrantur per diversos Præsides Romanos.

211. Severus Imperator moritur Eboraci in Britannia, succedunt eidem Filij Antoninus & Geta, alter alteri insidiantes, qui redeuntes ex Britannia, deferunt secum cineres Parentis Romam.

212. Antoninus Imperator, dictus Caracalla à vestis genere quam Romano Populo dedit, Getam Fratrem, in ipso gremio Matris interficit, ac dein in ejus fautores crudelissimè sævit.

213. 214. Antoninus Imperator ad Istrum, & in septemtrionales partes proficiscitur, eásque Regiones perlustrat.

215. Antoninus Antiochiam venit, ibíque parum moratus Alexandriam properat, multósque ex Alexandrinis, eò quòd aliquando malè de ipso locuti fuerint, per suos milites occidi curat.

216. Antoninus Imperator Antiochiâ movet in Parthos, & ab eorum Rege callidè Filiam sibi petit in Uxorem, quo sub doloso prætextu pacificè admissus in Provinciam, eandem ex improviso aggreditur, vastat, ac exspoliat.

217. Antoninus Imperator, jussu Opilij Macrini Præfecti Prætorij à Martiali Centurione interficitur, & Macrinus pollicitationibus impetrat à militibus Imperium, ac Diadumenum Filium, statim in Collegam Imperij sibi assumit.

218. Macrinus unà cum Diadumeno Filio occiditur à Militibus, succedit eidem Heliogabalus, aliàs dictus Sardanapalus.

219. 220. 221. Heliogabalus Romam venit, & luxuriosâ, ac impurissimâ vitâ urbem contaminat. Interim tamen adoptat Alexandrum Mammaæ Filium, Patruelem suum, eúmque Cæsarem appellat. Interea Dacia & Pannonia unà cum reliquis Romani Imperij Provincijs incuriâ Imperatoris plurimùm labefactantur.

222. Heliogabalus ob nefandas turpitudines omnibus invisus, militari tumultu, unà cum Matre occiditur. Cui succedit Alexander, à Mammæa Matre sanctè institutus, ac educatus.

223. 224. Præclara dat Alexander Imperij sui initia, sæpiùs illud Christianum axioma interans: Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.

225. Alexander labefactatam à suis Antecessoribus Rempublicam, salutaribus Legibus instituit.

226. Alexander Thermas Romæ ædificat, de suo Nomine Alexandrinas dictas.

227. 228. Alexander Imperator optimè de re Christiana sentiens, totus est in libidine, alijsque vitijs ex urbe profligandis.

229, 230. Nihil Alexandro chariùs pace, qui proinde in Præsides Provinciarum, præsertim magis remotarum, uti erat Dacia & Pannonia, severè inquirit, & ne subditi affligerentur, diligenter cavet.

231. 232. 233. Pergit Alexander Imperator in prudenti, clementi ac pacifica gubernatione Imperij, quod efficit dum doctissimos quósque & aptissimos adhibet Ministros ad Reipublicæ & Provinciarum administrationem.

234. Alexander Imperator Artaxersem invadit, atque officio & boni Militis, & boni Ducis functus, nobilem de Persis victoriam reportat, spolijs ditatum Exercitum Romam reducit, triumphúmque de hostibus celebrat.

235. Alexander Imperator tumultuantibus Germanis in eosdem bellum movet, coactus ferè, utpotè pacis amantissimus, quâ occasione cùm esset Militaris Disciplinæ retinentissimus, ob excessus militares aliquot Legiones exautorat, unde odium apud cœteros milites incurrit, & ab ijsdem interficitur. Post cujus mortem, Maximinus Gotho Patre natus, & Mana Matre, gente & moribus Barbarus invadit Imperium, & Augustus ab exercitu appellatur, qui mox sine Senatûs authoritate Filium suum Cæsarem dicit. Atque confecto bello Germanico feliciter, venit in Pannoniam, Syrmijque hibernat, ubi datâ Præfectis potestate sæviendi, prædandi, atque furandi, non Imperatorem, sed Tyrannum agit.

236. Dum in Pannonia, ac per totum Romanum Imperium non imperat, sed furit Maximinus, Exercitus qui erat in Africa ortâ seditione Gordianum, Africanum Proconsulem ætate senem, invitum & repugnantem eligit in Imperatorem, eidémque dat pro Collega Filium Gordianum Juniorem.

237. Gordiani ambo in Africa occiduntur à Capelliano Duce *Maximini.* Interim Senatus eligit in Imperatores Marcum Clodium Pupienum Maximum, & Decimum Cælium Balbinum, quibus adjectus est à populo & militibus Cæsar, puer Gordianus senioris Gordiani nepos, cui hi velut avitum Imperium conservarent. Maximinus interea ex Pannonia movens superatis Alpibus Italiam ingreditur, & dum Aquileiam obsidet à suis Militibus unà cum Filio interimitur.

238. Pupienus & Balbinus qui erant potiùs Tutores Gordiani pueri Imperatoris, quàm Imperatores, Populo accepti & gratissimi, sed invisi Militibus, ab his

ab his interficiuntur, solúsque Puer Gordianus imperare incipit, magno favore tam Senatûs, quàm Populi. Procurator Pannoniæ datur Cornelius Fuscus, qui succedit Tito Fabio genere conjuncto Fabiano Pontifici, hoc ipso anno electo.

239. Pacificè gubernat Imperium Gordianus Junior, pace quóque fruuntur Christiani sub modestissimo Juvene.

240. Sabjanus in Africa rebellat Gordiano, sed hic reprimitur per Mauritaniæ Præsidem, & Ducem Gordiani.

241. Grave bellum imminet Romanis, Persis fœdè Mesopotamiam populantibus. Unde videns Juvenis Imperator se egere consilio hominis sibi addictissimi, ducit Uxorem Misithei viri doctissimi & eloquentissimi filiam, illiúsque consilijs utens, prudentiâ supra ætatem, aulam & Imperium gubernat.

242. Gordianus cum ingenti exercitu proficiscitur ad bellum Persicum, & frequentibus prælijs Persas vincit, Misithec Socero suo ac Præfecto omnia prudentissimè disponente, præsertim in annona militari providenda.

243. Moritur Misitheus, quo extincto, exercitus annonæ caritate laborans, & Gordiano imperitiam exprobrans, Philippum Arabem Præfectum ac Tutorem Gordiani creat.

244. Dum Gordianus Romam cogitat, ut de Persis triumphum ageret, jubente vel connivente Philippo, ab Exercitu Imperio privatur, ac paulò post occiditur. Princeps aliàs omnibus animi & corporis dotibus ornatus, & cui nihil aliud deesset ad Imperium, præter ætatem. In cujus locum eligitur à Militibus Philippus, Præfectus prætorij, qui mox in consortium Imperij assumit Philippum Filium.

245. Philippus Imperator pace cum Persis stabilitâ, ædificatâque urbe Philipopoli in Arabia, Romam unà cum Filio Phlippo proficitur. Senatus verò confirmat Philippum Imperatorem, ejusdémque Filium Philippum Imperij Collegam creat.

246. Utérque Philippus Imperator operâ Fabiani Papæ Christianam amplectitur fidem.

247. Philippus Pannonijs charus, eos multis beneficijs afficit: nam & Ecclesiam Laureacensem hactenus pauperem magnificè ditavit, & ut multi de populo salutari lavacro abluerentur author fuit. *Fabiana* verò quæ hodie est Vienna Austriæ Metropolis, per Eutherium postea Lauracensem Episcopum, Fides Christiana, mirè propagatur.

248. Philippus contra Carpos suscipit expeditionem, qui Istro circumposita loca, suis excursionibus vastabant, de jisque triumphat.

249. Philippus Imperator unà cum Filio à Militibus occiditur, ille Veronæ,

ronæ,

ronæ, hic Romæ. Succedit in Imperio Decius ſex inferiore Pannonia ortus Cibali Urbe natus, vir fortis ac bello clariſſimus, qui mox Hetruſcum Filium Cæſarem dicit.

250. Decius ex odio in Philippos Chriſtianos Imperatores gravem perſecutionem in Chriſtianos movet, quam fugiens S. Paulus Primus Eremita in Eremum ſe recipit. Quam eandem perſecutionem fugiens Maximilianus Cetenus Celeje Pannoniarum, genere nobili ortus, Romam venit, ibique aliquot latet annis.

251. Decius Imperator dum adverſus Gotthos Mœſiam & Thraciam infeſtantes decertat, à Trebunio Gallo Limitanei Exercitûs Duce, proditus, amiſſo in prælio Filio, ipſe equo ſalutem captans, in profundam paludem demerſus interit. Succedit eidem ille ipſe Trebunius Gallus, qui mox Filium ſuum Voluſianum in Collegam Imperij ſibi adſciſcit.

252. Dira peſtis ex Æthyopia exorta totum Imperium Romanum miſerabiliter depaſcit, ac ipſam quoque Romam.

253. Dum peſſimè adminiſtrant Imperium Gallus & Voluſianus, plurimæ Provinciæ à Romano Imperio deficiunt, inter quas & Pannonia, quâ occaſione Æmilius Æmilianus Pannonicarum Legionum Dux, ab Exercitu acclamatus Imperator, qui ſtatim in Italiam properans, obvios ſibi Gallum & Voluſianum Imperatores prælio vincit, & hi à ſuis militibus interficiuntur, ac Æmilianus ab ijsdem Auguſtus appellatur, ſed trimeſtri duntaxat Imperio functus ab ijsdem occiditur.

254. Succedit in Imperio Lucinius Valerianus ab Exercitu creatus Imperator, & à Senatu confirmatus, qui ſimul ejuſdem Filium Gallienum Cæſarem dicit.

255. 256. Marcomanni iterum Provincias Romani Imperij vaſtant.

257. Novam perſecutionem Valerianus contra Chriſtianos inſtituit.

258. Valerianus relicto in Occidente Gallieno Filio ipſe in Orientem contra Perſas progreditur. Interea.

259. *Ingenuus* (alijs Eugenius) qui tunc regebat Pannonias à Mœſianis Legionibus Imperator acclamatur, ſed hic celeriter per *Celerem Verianum* oppreſſus, ne ad Gallieni manus deveniret, ſe pugione confodit.

260. Valerianus Imperator à Sapore Rege Perſarum comprehenditur, & ab eo captus, inſtar viliſſimi mancipij tractatur, ac poſtmodum vivus excoriatur. Gallienus ſolus imperat. Hoc eodem anno S. Maximilianus à Sixto Pontifice miſſus in Pannoniam revertitur, & ingenti cum fructu laborat in Vinea Domini.

261. Gallienus clade Patris recipiſcens, perſecutionem in Chriſtianos com-

comprimit, promulgatâ ubique pace. Idem Gallienus Pannoniæ superioris partem concedit *Pipæ* Marcomannorum Regis Filiæ, dum eam Matrimonij spe à Patre suscipit.

262. Rebellionibus Imperium dissipatur, plurimique passim salutantur Imperatores, sed omnes pereunt invidiâ.

263. Occisis Tyrannis alij alijque insurgunt, Gallienus interim decennarem Imperij sui, exquisito voluptatum luxu, Romæ celebrat.

264. Dum Gallienus luxu marcessit, & voluptatibus se immergit, Odenatus, Orientis Imperium tuetur, ac Persas vincit, unde etiam Augustus à Gallieno dicitur.

265. Dacia & Pannonia secessionem à Romanis moliuntur.

266. Odenatus in Oriente insidijs Mœonij sui Consobrini unà cum Filio Herode perimitur.

267. Dacia à Trajano quondam ultra Danubium, Imperio Romano adjecta, ab eodem avellitur.

268. Pannonia à Sarmatis & Quadis vastatur. Item pars illa Pannoniæ superioris, quam Gallienus Imperator Pipæ Marcomannorum Regis Filiæ concesserat, à Romano Imperio separatur. Aureolus ex Pannonijs, quas tenebat, Romam contendens, à Gallieno vincitur, & Mediolanum usque fugatur. Ipse verò Gallienus dum Mediolanum obsidet, nocte intempesta à suis confoditur, unà cum Valeriano Fratre, in ejúsque locum in Imperatorem eligitur ab exercitu Claudius, Origine Dalmata, Senatu universo illius electionem approbante, qui Aureolum prælio victum occidit.

269. Claudius Gotthos Romanum Imperium, & præsertim Illyricum vastantes insigni prælio devincit.

270. Claudius Imperator extinguitur, succedit ei ejusdem Frater Marcus Aurelius Quintilius, sed post 16. dies à suis Militibus cæditur. Post quem communi Legionum suffragio eligitur in Imperatorem L. Domitius Aurelianus, Sirmio in pannonia oriundus, obscuro quidem genere natus, sed rebus gestis clarissimus.

271. Marcomanni & Alemanni, quibus haud dubiè immixti erant etiam Pannonij, Italiam subeunt, ac circa Mediolanum omnia vastant, cum quibus dum Aurelianus fortiùs quàm cautiùs pugnat, ingentem ab ijs cladem accipit, qui tamen recollecto milite carptim hostes aggressus omnes fere concidit, ac dein Victor in Urbem redit.

272. Aurelius in orientem contra Zenobiam Odegati Viduam expeditionem suscipit.

273. Aurelianus, Zenobiam devincit fuso fugatóque illius exercitu, ac ejus Ditiones Romano Imperio iterum adijcit.

274. Aurelianus ex Oriente Victor Romam redit, & magnificentissimum triumphum celebrat. Daciam autem Provinciam, quæ se in Anno 267. ab Imperio Romano separaverat, studiò, ac ex proposito recuperare negligit, negans eam utilem esse Imperio Romano, & multorum bellorum inanium esse causam.

275. Aurelianus Imperator dum contra Persas proficiscitur, Mnestei Notarij sui fraude occiditur. In ejus locum à Senatu, M. Claudius Tacitus eligitur.

276. Tacitus Imperator Scythas Asiam excursionibus suis vexantes ad internecionem delet, & eodem Anno seu morbo, seu suorum insidijs vivere desijt. Mox Imperium invadit ejusdem ex Matre Frater M. Annius Florianus, quasi jure hæreditario, non exspectatâ Senatûs, aut Legionum voluntáte, verùm is post duos Menses cæditur, dum interim electus fuisset à Militibus in Imperatorem M. Aurelius Probus Pannonius, ex Civitate Syrmiensi, Matre illustriore, quàm Patre progenitus.

277. Probus Imperator Germanos Gallias vestantes devincit, & 60. Civitates ab ijsdem occupatas, recipit, hostésque ad sua redire compellit.

278. Probus in Isauria, Lydium & Palfurium Latronum Principes, pertinaci bello vincit. Sed hoc alij referunt ad Annum post sequentem.

279. Probus in Illyrico Sarmatas, unà cum alijs Barbaris eò progressis, debellat. Item Pannonijs popularibus suis gratificari cupiens, vites habere permittit, quod antea vetuerant alij Imperatores. Primus igitur Almum montem juxta Sirmium militari operâ vitibus consevit. Unde postmodum & apud Pannonios, & apud alias gentes, ipsosque Romanos. Vinum Sirmiense in pretio semper fuit, & nunc apud Hungaros est.

280. Probus Imperator multas res præclaras in Oriente agit, Romanúmque Imperium protendit.

281. Probus ex Oriente rediens per Thraciam, rebelles Barbaros conterit, & in ordinem redigit.

282. Probus Imperator ad Persicum bellum se parans, ob severitatem in Milites, in Pannonia ad Sirmium (frustra ad Turrim ferratam confugiens) ab ijsdem occiditur, eíque M. Aurelius Carus, Romæ ex Parentibus Illyricis natus substituitur, qui statim duos suos Filios Cæsares creat, & Carinum quidem ad Gallias tuendas destinat, Numerianum verò apud se detinet.

283. Carus Imperator bellum Persicum aggressus, facilè Mesopotamiam capit, Persis domestica seditione occupatis, sed paulo post ægritudine correptus,

reptus, vel ut quidam volunt fulmine tactus extinguitur. S. Maximilianus Laureacenses Episcopus, & Pannoniarum Apostolus, Martyrio afficitur, Cileæ sub Evilasio, tunc Pannoniæ Præfecto.

284. Numerianus Filius Cari Imperatoris, dum Parentis mortem luget, ab Arrio Apro Socero suo, Imperium affectante cæditur. Quo occiso Militiæ Duces ac Tribuni, Valerium Dioclem (qui postea Diocletianus dictus est) Natione Dalmatam, obscuris Parentibus natum, in Pago Diocle prope Salonas in Imperatorem eligunt. Cùm & toti Ecclesiæ præesset, eodem tempore Cajus pariter Dalmata Filius Maximi seu Maximini Fratris ipsiusmet Diocletiani.

285. Carinus alter Filius Cari, & frater Numeriani, dum adversùs Diocletianum progreditur in Mœsiam, acie victus apud Murgum (nunc Essekinum) à proprijs Militibus interficitur.

286. Varij in diversis Regionibus sibi usurpare Imperium conantur. Quam ob causam Diocletianus Maximilianum Herculium Augustum, & Collegam Imperij creat, ut sic fortiùs ac efficaciùs cæteros Tyrannos & Imperij invasores opprimere valeat.

287. 288. 289. Extinctis Tyrannis Diocletianus & Maximianus de cæterò liberè Imperium administrant.

290. Otio usi Imperatores contra Christianos, plurimos Martyrio afficiunt.

291. Cùm bella undique imminerent ac seditiones, neque tot turbis atque locis pares se judicarent duo Imperatores, ambo in Cæsares seu Collegas assumunt Duces bellicâ laude inclytos, Diocletianus quidem Constantium Chlorum, Maximianus autem Gallerium Maximianum Armentarium, in Dacia Ripensi prope Sardicam ortum, atque huic Diocletianus dat in Uxorem Filiam suam Valeriam, quam unicè dilexit, adeò ut ex ea partem unam Pannoniæ deinceps vocari jusserit Valeriam, & ad Danubij ripam fixerit ac extruxerit urbem Valeriam, in monumentum Paterni sui amoris in illam, ipsi verò Gallerio commisit partes Pannoniæ, & ora Illyrici usque ad Pontum Euxinum pro defensione ac gubernio.

292. Hoc anno Chloro Constantio & Gallerio Armentario Neo-Cæsaribus data est Tribunitia potestas, ut plus possent ac meliùs animati, fines Imperij sibi commissos tuerentur.

293. Diocletianus Imperator adorari se ut DEUm jubet, & in Christianos sævit crudeliter, interim Britanniam astu & seditione *Allecti* deperdit.

294. Diocletianus Imperij sui decennalia celebrat, Maximianus verò contra Sarmatas expeditionem suscipit.

295. Ex victis anno priore Carpis, Bastarnis & Sarmatis ingentes captivorum

vorum copiæ, in finibus Romanorum ab Imperatoribus collocantur. S. Susanna Filia Gabini alterius Filij Maximi, seu Maximini Fratris Diocletiani, jussu ejusdem Diocletiani Martyrio afficitur.

296. Ambo Imperatores, & utérque Cæsar diversas expeditiones bellicas suscipiunt. Et quidem Diocletianus expugnat in Ægypto Alexandriam, & cædibus, ac proscriptionibus sævit in rebellionis authores. Chlorus Constantius occiso *Allecto* invasore, Britanniam recuperat, Maximinus Herculeus in Africa contra Quinquegentianos feliciter pugnat, at Galerius Maximianus Armentarius à Persis vincitur, & amisso exercitu fugatur, ob idque à Diocletiano despectuosissimè tractatur.

297. Galerius Maximianus Armentarius, infamiam anno priore ex infeliciter cum Persis commisso prælio contractam delere volens, per Illyricum ac Mœsiam Pannoniasque contractis copijs, Narsem Regem Persarum Mesopotamiam devastantem aggreditur, eúmque gloriosè devincit, captis ejusdem Uxore & prolibus, ideóque redux ad Diocletianum maximo cum honore ab eodem suscipitur. S. Cajus Pontifex, & S. Gabinius ejusdem Frater, Diocletiani Imperatoris Cognati, jussu ejusdem Martyrio coronantur.

298. 299. 300. Pacatis jam Provincijs, rursus Imperatores Diocletianus & Maximianus in Christianos inauditam exercent crudelitatem. Interim tamen Marcomannos & cæteras vicinas eisdem gentes, quæ absente Romanâ Militiâ, illico tumultuari solebant, transferunt in interiores Romani Imperij ditiones.

301. Dioclètianus & Maximianus ingenti pompâ de Persis Romæ triumphum celebrant.

302. Populo Romano in Circensibus ludis contra Christianos conclamante Maximianus Imperator, qui in circo maximo ludos spectabat, contra eosdem generalem decernit persecutionem. Quo eodem Anno Martyrio afficitur S. Quirinus Episcopus Sisciæ, juxta Sabariam Pannoniæ Civitatem Sancti Martini Patriam.

303. Decima Persecutio generalis à Diocletiano & Maximiano Imperatoribus in Christianos edicitur, atque executioni simul datur. Hinc Pannonia quoque plures hoc anno edidit Martyres præcipuè tamen Syrmij, quos inter: Iræneus, ejusdem Urbis Episcopus, & Montanus illius Presbyter, S. Maxima, S. Demetrius Diaconus, S. Syrenus Monachus, SS. 22. Martyres, SS. 7. Virgines, SS. Innocentius & Sebastia, cum alijs 30. Socijs. S Pollio Lector, Cibali (quæ nunc est Valpo) & S. Alexander Miles, Driziparæ, quæ hodie teste Sophiano *Missini* nuncupatur, Civitas in Thracia.

304. Dioclètianus & Maximianus Herculius abdicant se Imperio, ille ex

Imperij tædio, hic nec displiceret Collegæ, ambo fortassis ex desperatione, eò quòd viderent se omnibus viribus adhibitis non posse id, quod intendebant assequi, ut scilicet opprimerent, & abolerent Christianam religionem: Succedunt mox iisdem Constantius Chlorus, & Gallerius Maximinianus Armentarius, atque huic in partem Imperij obveniunt inter alias Provincias etiam Illyricum & Pannoniæ. Utérque autem Imperator assumunt sibi Collegas eosque Cæsares creant, ille quidem Valerium Severum, hic verò Galerium Maximinum. Porro deposito Imperio priores duo Imperatores, Maximianus Herculeus secedit in Lucaniam, Diocletianus verò Salonas in Dalmatiam privatam acturi vitam. Evilasius Præpositus Quæstionibus de Christianis habendis per Pannoniam postquam plurimos morte ob fidem Christi affecisset, ex admiranda Faustæ Virginis constantia in Martyrio, fidem Christianam ipse quoque amplectitur, & mox jussu *Maximiani* Martyrio afficitur.

305. Non obstante Diocletiani & Maximiani Herculei resignatione Imperij, continuatur tamen adhuc vi illorum Decreti in Christianos persecutio.

306. Constantinus Chlorus Cæsar obit Eboraci in Britannia, succedente eidem Filio Constantino, qui dein Magni Cognomen adeptus est. Verùm cùm ejus Imago Romam delata esset, Maxentius Suppositititius Filius Maximiani Herculei à Prætorianis Militibus acclamatur Imperator.

307. Galerius Maximianus Armentarius, audiens Maxentium Suppositititium Filium Maximiani Herculei sibi usurpâsse Imperium, mittit contra eum Severum Cæsarem cum exercitu, verùm hic à Maxentij Militibus vincitur, & à suis desertus Ravennam fugere cogitur, ac in fuga occiditur. Advolat proinde ipse Galerius cum exercitu Romam, sed cùm videret Milites omnes in Maxentium bene animatos, neque minis efficere posset, ut is arma deponeret, in Illyricum recedit, & Valerio Licinio Pannonias tuendas committit, eúmque Cæsarem, in locum Severi occisi creat.

308. Eundem Licinium Galerianus Maximianus Armentarius, humili loco in Dacia natum creat Augustum Carnuti in Pannonia, ut haberet quem hostibus opponeret.

309. Galerius Maximinus Imperator & Maxentius Imperij Usurpator pergunt sævire in Christianos.

310. Maximianus Herculeus insidias struere volens Constantino Imperatori suo genero, ab eodem prævenitur, & fugere compulsus Massiliam, ibidem strangulatur.

311. Galerius Maximianus Armentarius Imperator pestilentem efflat animam, ex corpore vermibus ad horrorem scatente.

312. Constantinus Imperator bello aggreditur Maxentium & crucis si-

gno

gno super solem cum illis verbis : *In hoc signo vinces*, viso bene animatus, Maxentium vincit, qui fugâ salutem quærens in Tiberim prolabitur, miseréque mergitur.

313. 314. Extinctis Tyrannis, sub Constantino Imperatore, cessat persecutio in Christianos, ac demum incipit reflorescere Christiana Religio.

315. Licinus Imperator hostem Constantini Imperatoris se esse declarat: Hinc atrox prælium ad Cibalem (nunc Valpo) Civitatem Pannoniæ inter eos committitur, in quo victus Licinus, amissâ magnâ parte exercitûs, qui proinde cum Uxore & Filio ac thesauris Sirmio elatis, fugit in Thraciam, ibique Valentem Cæsarem creat. At Constantinus Cæsar Cibali & Sirmio alijsque Oppidis Licinum fugientem in Thracia assequitur, & fere ad internecionem reliquias copiarum ejusdem delet, nihilominus ad pacem ineundam, eundem admittit, hac conditione, ut Thracia, Asia, totúsque Oriens eidem relinqueretur, Pannonia verò & reliquum Imperij Constantino cederet, atque ut priùs *Valens* ab ipso denominatus Cæsar cæderetur.

316. Moritur miserè Diocletianus Imperator Salone in Dalmatia. Hoc eodem anno nascitur S. Martinus Sabariæ in Pannonia.

317. Constantinus Imperator filios suos Crispum & Constantium Cæsares creat.

318. 319. Licinus Imperator in Oriente in odium Constantini Imperatoris Christianos vexat.

320. Crispus Cæsar Constantini Magni Filius feliciter contra Germanos depugnat.

321. Quinquenalia Crispi magnificè curat celebrari Constantinus Parens.

322. Constantinus Imperator occasione horum Quinquagenalium, plurimis subditis gratiam præstat, multísque multa indulget.

323. Constantinus Magnus Imperator dum Sirmij in Pannonia moratur, Ethnicorum contra Christianos insectationem, sanctionibus suis coërcet.

324. Licinus Imperator toties victus, totiésque à Constantino in gratiam receptus, rursus novo bello lacessit Constantinum, sed ab eo iterum, & ultimatè ad Bizantium vincitur, & ademptâ dignitate Imperiali, privatam vitam ducturus Thessalonicam ablegatur.

325. Licinus agens Thessalonicæ, novas res moliri deprehensus, jussu Constantini strangulatur, Martinianúsque ab eo dictus Cæsar in Cappadocia cæditur. Concilio Oecumenico Nicæno finis imponitur, cui interfuisse scribuntur etiam Episcopi, Pannoniarum Domnus Stridonensis ex Provincia Pannoniæ, & Domnus Laureacensis Austriæ Superioris, quæ tunc Pannonia Superior dicebatur.

326. Stupente orbe Romano, Crispus Cæsar jussu Parentis Constantini vel Romæ, vel Polæ in Istria occiditur, uti & Licinius Junior Licinij Imperatoris filius, Constantino aliàs charissimus. Necis hujus causam nemo scit, nec eam divinare convenit: Illius autem causa fuit calumniosa accusatio Novercæ ejusdem, Faustæ, quæ & ipsa postmodum, ob falsam calumniam Crispo impositam, in balneo interfici ejusdem Imperatoris decreto, jussa est. Constantinus Magnus Hierosolymas instaurare decernit, ubi & celeberrimam Basilicam μαρτέριον dictam statuit, Mater autem ejus S. Helena duas, in Monte Oliveti unam, alteram in Oppido Betlehem. His verò post multa Sæcula S. Stephanus Rex Hungariæ Jerosolymis insigne Cœnobium Monachorum addidit, prædijsque ac Vineis ditavit. Sanctus Martinus annos natus decem, invitis Parentibus, utpote Gentilibus Sabariæ in Pannonia ad Ecclesiam confugit, & Catechumenis adscribi petit.

327. Obit pientissimè S. Helena Mater Constantini Magni, quæ sanctissimam Crucem Hierosolymis repererat infossam humi à Gentilibus in odium Christianorum, cujus dein particulæ dispersæ sunt per varias orbis partes, ac ipsam quoque Pannoniam, novissimè verò una illarum obvenit Congregationi S. Crucis Tyrnaviensi in Collegio Societatis JESU, ex liberalitate Eminentissimi Cardinalis à Kollonics, cum authentico testimonio, quòd sit deprompta, ex illa parte verissimæ Sanctæ Crucis, quæ conservatur in thesauro Augustissimæ Domûs Austriacæ, Viennæ.

328. Constantinus Magnus Imperator ex veteri Urbe Bizantij, novam Urbem condit, quam ex suo Nomine Constantinopolim, ac novam Romam appellat, ubi dein S. Stephanus Hungariæ Rex quoque eximij operis Templum exstruxit, ac Sacro apparatu abundè instruxit. Hoc eodem anno nascitur Attila Pannoniæ Rex futurus.

329. Occasione Josephi Comitis ex Judaismo in ferventissimum Christianum conversi, Constantinus Magnus Legem contra Judæos Christianis infestos, quam olim in Pannonia Murgilli condiderat, rursus contra eosdem Constantinopoli renovat. Unde infert Inchofer, tempore Constantin Magni, sicut in alijs locis pluribus, ita & in Pannonia fuisse non paucos ex Gentilibus ad Christum conversos.

330. Constantinus Magnus Urbem Constantinopolitanam Beatissimæ Virgini dedicat, quem postmodum imitatus S. Stephanus Hungariæ Rex, totum Regnum Pannoniæ eidem Sanctissimæ Virgini obtulit ac dicavit; atque hujus vestigijs insistens modernus Augustissimus Imperator & Hungariæ Rex LEOPOLDUS I. post recuperatas à Turcis Hungariæ partes, idem votum renovavit, ac magna cum pietate confirmavit.

331. Con-

331. Constantinus Magnus totius Orbis Romani spolijs Urbem Con-stantinopolitanam locupletat, ædificijsque ornat, atque sic instruit, ut eam de suo Nomine dici non doleret.

332. S Martinus Pannonius annos natus circiter septendecim jussu & statuto Imperatorum Romanorum in Militiam adscribitur.

333. Constans Constantini Filius Cæsar creatur.

334. Sarmatarum Servi contra Dominos suos Rebelles, pulsi, ad Con-stantinum Imperatorem confugiunt, ab eodémque recipiuntur, ac supro 300. Millia eorum, per Thraciam, Scythiam, Macedoniam, & Italiam distribu-untur.

335. Constantinus Imperium inter tres Filios Constantinum, Constan-tium, & Constantem dividit, qua in divisione Pannonia cum Illyrico Constan-ti Filio obvenit

336. Constantinus Magnus Constantinopoli Legatos ex Indijs Orien-talibus cum rarissimis, & pretiosissimis muneribus, quibus *Constantinum* Impe-ratorem suum, Orbisque Principem fatebantur excipit.

337. Constantinus Magnus in Villa proxima Nicodemiæ Adyrona di-cta, moritur, cùm annis 32. circiter imperâsset, Princeps non solùm de toto Imperio Romano, adeóque & Pannonia, sed & de Religione Christiana meri-tissimus. Succedunt eidem Filij Constantinus, Constantius, & Constans, & Imperium inter se dividunt, juxta Parentis priùs jam factam dispositionem.

338. Post mortem Constantini Magni imminente bello Persis, Constan-tius ejusdem Filius (cui Oriens in divisione Imperij obvenerat) in eosdem expeditionem parans insanabili ulcere percussus à DEO, ut ad sanam rediret mentem (jam enim ab Arianis depravatus fuerat) à S. Spiridione Cypri Epi-scopo, solo attactu illius miraculosè sanatur.

339. Tres Fratres Cæsares, Constantini Magni Filij divisione Imperij à Parente facta non contenti, ad mutua bella se præparant.

340. Constantinus igitur Junior, Constantis Fratris ditiones invadit, verùm in commisso cum eodem prælio, equo dejectus, ab hujus Militibus igno-tus interimitur.

341. Franci interim invadunt Gallias, sed hos facilè reprimit Constans; Cùm interea Frater illius Constantinus hoc, & priore anno novem prælijs, pa-rum prosperè pugnat cum Persis. S. Hieronymus nascitur Patre Eusebio op-pido Stridone in confinibus Pannoniæ & Dalmatiæ, vel rectiùs Sclavoniæ, quam nunc vulgariter Croatiam vocant.

342. Constans Imperator Francos ad pacem petendam adigit, sic enim

illos

illos repressit, ut Romanorum Socij atque fœderati fieri pro gratia reputaverint. Photinus Ancyrianus Patriâ, Episcopus Sirmiensis hæresim suam promit, de Christo solùm homine.

343. Moritur S. Paulus Primus Eremita, sub cujus Nomine postmodum institutus Ordo Sancti Pauli Primi Eremitæ in Pannonia, ubi nunc quoque floret.

344. Persecutio in Christianos in Persia hoc anno quoque durat.

345. Igitur contra Persas Constantius rursus expeditionem suscipit, sed rursum parum felicem, licet enim illi essent infecti sanguine Christianorum, hic tamen è contra fuit infectus Hæresi Arianorum. Gallus, & Julianus Filij Constantis Fratris Constantini Magni tonso crine Clerici fiunt, voluntate Cæsarum, ut sic natalium suorum oblivíscerentur, pacatiorésque viverent.

346. Ariani abusi favore Constantij Imperatoris Orientis, mirè perturbant Ecclesiam, ideóque à Julio Pontifice, annuente etiam Constante Imperatore Occidentis indicitur Concilium Sardicense, ad quod invitantur Pannoniæ quóque Episcopi.

347. Celebratur Concilium Sardicense interventu 376. Episcoporum, quos inter fuêre etiam Episcopi Pannoniarum, Norici, Mœsiæ, & Daciæ, ac in his Valens & Ursacius, qui in Mœsia & Pannonia ipsa sedes habebant, ac utérque Arianæ Hæresi favebat.

348. Constantius maximum, sed infelicissimum committit cum Persis prælium.

349. Constans & Constantius diffident inter se quo ad negotium Religionis, & ille quidem tuetur Catholicos, hic verò Arianis favet.

350. Constans Imperator ad Oppidum Helena vulgò Elne (quæ nunc Eszecum nuncupatur) à Maxentio Exercitûs sui Duce, è medio vivorum tollitur, atque hic mox Imperium sibi usurpat. Auditâ autem Constantis nece, ac rebellione Maxentij Vetranio pariter Pannonici Exercitûs Dux se Augustum dicit. Igitur Constantius Imperator contra utrúmque exercitum ducit, & Vetrarionem quidem ad suas partes attrahit, ne sibi cum duobus res esset, sed postquam ejusdem Milites abduxisset, eundem octavo Mense dignitate prvat & in ordinem redigit, de honesta tamen & pro statûs illius dignitate intertentione eidem providet. Ursacius, & Valens Episcopi Pannoniæ, dum antea Arianis favissent, resipiscentes Romam proficiscuntur, & à Julio Pontifice benignè suscipiuntur.

351. Constantius Imperator Petruelem suum Gallum creat Cæsarem. S. Martinus Pannonius baptizatur, cùm annum trigesimum quintum ageret. Sirmij in Pannonia contra Photium ejusdem Urbis Episcopum Concilium celebratur.

352, To-

352. Totum hunc fere annum Conſtantius Imperator in parando exercitu contra Magnentium Tyrannum inſumit.

353. Conſtantius Imperator inſignem in Pannonia apud Murſam (Eſzek) deMagnentio reportat victoriã, & hic rebus deſperatis, profugus in Gallias apudLugdunum ſe interficit.

354. Conſtantius Imperator Flavium Gallum Cæſarem à ſe creatum, ex Oriente ad ſe Arelatem callidè evocat, eundemque in itinere aut Polæ in Iſtria, aut in Flanone, Inſula Illyrici priùs exauthorari, deinde etiam neci dari mandat.

355. Conſtantius Imperator in locum FlavianiGalli interempti, Julianum Fratrem ejusdem, malo omine Cæſarem creat.

356. Conſtantius Romæ ob victum Magnentium triumphat, & Julianum jam Cæſarem cum Exercitu in Gallias mittit. S. Martinus à Juliano miſſionem è Militia poſtulat, eandémque etiam impetrat.

357. Julianus Cæſar de Alemannis Gallias infeſtantibus victoriam reportat, Conſtantio Imperatore tunc morante Sirmij in Pannonia.

358. Francos ex Gallijs reijcit Julianus: aliunde autem Sarmatas & Quados depopulantes devincit Conſtantius, unde & Sarmaticus dici meruit.

359. Julianus Germanos ad pacem petendam adigit: Conſtantius autem Sarmatas acriùs premit. Urſinus & Valens Epiſcopi Pannoniæ & Ariani, Sectam ſuam per illum promovent; non obſtante ficta revocatione errorum ſuorum, Romæ.

360. Julianus Lutetiæ Pariſiorum Auguſtus acclamatur Conſtantino Imperatore indignante, ac cum Sapore, Rege Perſarum infeliciter pugnante.

361. Julianus Auguſtus in Conſtantium rebellat, & ſimul à fide Chriſtiana apoſtatat, & mox contra Conſtantium Imperatorem exercitum movet. Quibus auditis Conſtantius Pacem cum Perſis componit, & Juliano obviam cum ſuis copijs procedit, verùm in itinere moritur, poſtquam annis 24. & ampliùs imperâſſet. Hinc Julianus jam ſecurus Thraciam advolat, & Conſtantinopolim ingreditur, Imperijque ſui facit initium.

362. Julianus Apoſtata contra Perſas bellum movet, & interim palam Chriſtianos perſequitur, qua occaſione emicuit multorum in fide Chriſtiana conſtantia, ſed præſertim fortiſſimorum Militiæ Ducum: Joviani, Valentiniani & Valentis, qui omnes dein ſucceſſivè clavum Imperij, DEO ſic providente tenuerunt.

363. In Perſico bello miſerè perit Julianus Apoſtata, inter blaſphemas in Chriſtum voces. In cujus locum à Militibus acclamatur in Imperatorem Jovinianus Sigundini in Pannonia natus.

364. Gravi omnium bonorum luctu, Jovinianus Imperator moritur, cui ſuccedit omnium Militum voto Valentinianus, & ipſe Pannon Cibali in Pannonia

ortus, non nobilitate generis, sed propriâ virtute clarissimus, qui mox in Collegam Imperij assumit Valentem Fratrem, eique Orientem gubernandum relinquit, dum ipse Occidentem regeret.

365. 366. Procopius Juliani Apostatæ Propinquus absentibus ambobus Imperatoribus, Imperium Constantinopoli arripere attentat, sed à suis ob Imperium malè administratum comprehensus, & vinctus, ad Valentem adductus capite minuitur. Valentinianus Junior Valentiniani Imperatoris Filius nascitur.

367.368. Valentinianus Imperator gravi morbo conflictatus Gratianum Filium Augustum, nominat, & cum eo in societatem quoque belli assumpto Alemannos ad Rhenum profligat.

369. Valens Imperator interea sæpius Gotthos aggressus, tandem bello longo attritos Gotthos ad pacem petendam adigit. Nascitur, S. Patritius Matre Concha è Pannonia, Sorore S. Martini Sabariæ Cive.

370. Valentinianus Saxones & Alemannos devincit, Valens verò in Oriente Episcopos Catholicos persequitur.

371. Valentinianus per suos Duces duo bella hoc anno feliciter conficit, unum contra Alemannos, alterum verò in Mauritania concitatum. Valens verò se in Arianismo promovendo perniciosè occupat.

372. Bellum contra Quados infelici successu Valentinianus suscipit, è contra Theodosius Junior Mœsiæ Dux Sarmatas in finibus Imperij fortiter reprimit. *Sequitur Synopsis Chronologica Rerum Hungaricarum ab egressu Hungarorum ex Scythia.*

APPENDIX.

Continens Nomina vetustissima: Urbium, Fluviorum, Montium, aliorumque locorum Pannoniæ, & Hungariæ, quibus antiquissimis temporibus, à priscis Geographis, & Historiographis, præsertim Ptolomæo, Strabone, Plinio, Tacito, cæterisque; appellabantur, præpositis ijsdem novis nominibus, quibus hodie appellantur, Ordine Alphabetico.

Abruckbánya, *Autariarum*, Oppidum Transylvaniæ.

Adom. *Potentiana*, *Salinum*, Castrum inferioris Hungariæ ad Danubium fluvium, quinque milliaribus infra Budam ad meridiem, Tolnam versùs.

Adelsperg. *Pistonia*, *Avendone*, *Adulis*, Oppidum Carniolæ.

Alba Julia. *Apulum*, Urbs Transylvaniæ.

Alba Græca. *Taurunum*, Urbs Serviæ.

Albona. *Alvum*, Oppidum Istriæ.

Almissa *Alminium*, *Pegontinum*, Oppidum Dalmatiæ.

Altenburgum, Hungaris Ovár. *Flexum*, Oppidum Hungariæ, ad Danubij fluvij ramum minorem, ubi Leitham amnem recipit.

Altenhofen. *Arrianum*, *Vetus curia*, Oppidum Austriæ.

Alten-

Altenhofen aliud. *Caratæ*, Oppidum itidem Austriæ.

Alpataria. *Almus*, mons Hungariæ propè Syrmium, qui primus in Pannonia vitibus fuit consitus.

Amelsfeld. *Cosobus*, *Cassovius*, *Campus merulæ*. Planities Serviæ juxta Danubium, Hungaris Rigó Mező.

Ardacher. *Aredate*, Vicus Austriæ, ad Danubium fluvium.

Argisch. *Argida*, Oppidulum Valachiæ.

Arsa. *Arsatianum*, Oppidum Hungariæ ad Dravum fluvium.

Babba. *Tomis*, Civitas Bulgariæ, ubi exulabat Ovidius.

Babolicza. Carethna, *Vallis Cariniana*, Castrum Inferioris Pannoniæ.

Bakolcza. *Mansuetium*, *Pons Sociorum*, *Pons Mansuetudinis*, Castrum Hungariæ, Posegam versùs.

Badena. *Aquæ Pannoniæ*, Civitas Austriæ.

Bakony. *Baconia Sylva*, Sylva vasta Hungariæ.

Balaton. *Volcææ lacus*, Lacus Hungariæ inferioris extendens se ad 16. millia passuum in longum, & sex millia in latum.

Banyaluka. *Blandona*, Urbs Bosniæ.

Banya vulgò, Nagy Bánya, *Rivuli puellarum*, *Rivulinum*. *Rivuli Dominarum*, Civitas Hungariæ superioris in confinio Transsylvaniæ.

Barbowina. *Barbis*, Oppidum Hungariæ, cujus rudera adhuc visuntur ad Dravum fluvium, tribus milliaribus à Quinque Ecclesijs ut opinatur Lazius, sed alijs est *Borzeche* Castrum ad eundem fluvium paulo supra situm.

Baranyvar. *Varonianum*, Oppidum Hungariæ, Comitatûs Baraniensis Caput, ad Crassum fluviolum, qui paulò infra cadit in Danubium.

Bars. *Uscenum* Castrum Hungariæ ad Granum fluvium, à quo denominatur Comitatus Barsiensis.

Basilista. *Rhodope*, mons Thraciæ notissimus.

Batha. *Antiana*, & *Antian*, Oppidum inferioris Hungariæ ad Danubium, ubi Sárvizium fluvium recipit.

Bathaszek. *Batanatis*, Tractus inferioris Hungariæ.

Bathmonstor. Bathanatij, quo nomine vocabatur vicus quoque, qui Batka Hungaris dicitur.

Belas. *Sidrona* Oppidum Liburniæ, seu in confinio Pannoniæ latè sumptæ.

Belusia. *Curta*, oppidum inferioris Panoniæ ad Danubium fluvium, inter Comaromium, & Strigonium, teste Lazio.

Bistricz. *Pistriensis villa*, pagus inferioris Pannoniæ, patria Sozomeni Historici, ad Istrum fluvium, teste Lazio, paulo supra Petri-Varadinum.

Boccariz. *Velura*, Oppidum Liburniæ.

Bogasar. *Sestos*. Oppidum Thraciæ.

Bon monster. *Bononia Prnnoniæ*, Urbs tempore Ptolomæi, nunc Pagus ad Danubium fluvium, inter Eszekum & Belgradum.

Bodon. *Bononia Mæsiæ*, Oppidum superioris Mœsiæ, sed quæ nunc dicitur Bodon, Bydena videtur esse Græcis, olim *Viminaccum* dicta.

Bojana, olim *Barbana* Fluvius Dalmatiæ.

Bontuda. *Bragatium*, Castrum Hungariæ, cujus rudera aliqua adhuc prope Comaromium exstant.

Bosvetha. *Bacuntius*, Plinio, fluvius inferioris Pannoniæ in Sclavonia, prope Sirmium Urbem præterfluens.

Bauron, olim *Pistonia*, Civitas Thraciæ.

Brajlano, olim *Piroboredava*, Oppidum Moldaviæ.

Brassovia. *Corona, Prætoria Augusta, Stephanopolis, Patrovissa*, Urbs Transylvaniæ, in confinio Valachiæ.

Brinhyda, *Cimbriana*, Oppidulum Bulgariæ.

Buda, olim *Sicambria*, alijs *Aquincum*, Urbs Hungariæ.

Budinum vel Bitinum olim *Oescus*, Oppidum Mœsiæ.

Basas vel Buzas. *Napuca*, Castrum Transylvaniæ.

Calica. *Callatia*, Oppidum Bulgariæ.

Campon. *Campania*, Oppidum Styriæ.

Capenstian & Capenberg. *Capedunum*, cujus meminit Strabo, Oppidum Pannoniæ, cujus adhuc exstant vestigia teste Lazio.

Capsia. *Carpudæmum*, Oppidum Thraciæ.

Caradrina. *Drilus & Drilo*, fluvius Serviæ.

Carasto. *Nesus*, fluvius Thraciæ.

Carniolia. *Japydia*, olim pars Pannoniæ Saviæ.

Carpen. *Carpis*, vicus Hungariæ ad Danubium.

Chernik. *Inicerum*, & *Incerium*, Castrum Sclavoniæ.

Chognicz. *Æquum*, Oppidum Sclavoniæ.

Czitra. *Citrorum Insula*, Insula Danubij in Hungaria.

Clausemburg. *Petriussa & Claudiopolis*, Urbs Transylvaniæ.

Clissa, Jopsica. *Lopsica*, *Clitia*, *Clusi Salo*, *Andetrium*, Castrum Dalmatiæ.

Clussi. *Æquium*, Oppidum Sclavoniæ.

Comora. Crumerum Civitas Hungariæ.

Corck. *Gorsio*, vicus Hungariæ inferioris.

Chelo. *Diorna*. Oppidum Transylvaniæ.

Chege. *Zabolez*, Oppidum Hungariæ superioris.

Chasina. *Dantena*, Oppidum Hungariæ superioris.

Chalisera. *Dionysiopolis*, Oppidum Sclavoniæ.

Ceshemet. *Partiscum*, Oppidum Jazigum Metanistarum, Ptolomæo, quod Lazius interpretatur Parolzlo oppidulum Hungariæ superioris, Agriæ finitimum, ab ea in ortum vadens, sed ego potius interpretor Keczkemét oppidum vastum ejusdem Hungariæ, id enim & loci situs, & nominis affinitas suadere videtur.

Cudelas. *Cusi*, Pagus Hungariæ.

Cumoniza. *Hœmus*, Mons Thraciæ.

Curiorowicze. *Rhodope*, Mons Thraciæ.

Curzola. Corcyra nigra & Corcyra Melana, Insula Dalmatiæ.

Czuslmaur. *Cetium*, vicus Austriæ Inferioris.

Czernicz. *Saloniana*, Oppidum Dalmatiæ.

Czcovik. *Cirtta*, Castrum Sclavoniæ.

Czirknicz. *Circonnensis* lacus, & Lugea palus, Lacus Carnioliæ.

Dagno. *Thermidara*. Urbs Dalmatiæ.

Dam-

Damna. *Dalmana*, Oppidum Sclavoniæ.
Demnio. *Delminum*, Oppidum Dalmatiæ.
Delez. *Tullum*, Mons Sclavoniæ.
Deës. *Comidava*, Castrum Transylvaniæ.
Denigu. *Dinogatia*, Oppidum Bulgariæ.
Dercon. *Deleos, Delta*, Urbs Thraciæ.
Develto. *Develtus*, *Dibaldum*, Urbs Thraciæ.
Diod. *Tiasum*, Oppidum Valachiæ.
Drasat. Teuteburgum, Pagus Hungariæ.
Draunsée. *Felicis lacus*, Lacus Austriæ superioris.
Drimago. *Dinogetia*, Oppidum Bulgariæ.
Drivenicz. *Proteras*, Insula Dalmatiæ.
Drivesto. *Enderna*, Oppidum Dalmatiæ.
Drabomnicz. *Ragusium*, Urbs Dalmatiæ.
Dulcigno. *Olchinium*, *Ulcinum*, Urbs Dalmatiæ.
Eschnek. *Cæsaria, sive Cæsariena*, Oppidum Pannoniæ.
Eszek. Mursa, Fortalitium Hungariæ, noviter fortificatum.
Fertö. *Peyso*, Lacus Hungariæ.
Friburg. *Cardaliana*, Oppidum in Confinio Hungariæ & Styriæ.
Fuzél sive Töplicza *Aquaviva sive Aquavia*, Oppidum Hungariæ in Confinibus Styriæ, teste Lazio
Gabowina. *Barbis*, Oppidum Pannoniæ, cujus rudera visuntur, ad Dravum fluvium, tribus milliaribus Germanicis à Quinque Ecclesijs, sed alijs est Berzoncze castrum, ad eundem fluvium paulò supra. Vide Barborina.
Galumbacz. *Tricornium, Zuzidiva*, Civitas Serviæ.
Ghigen. *Escaomus*, Fluvius Bulgariæ.
Gyula. *Julia*, Civitas Transylvaniæ.
Gradisch. *Ulpia Trajana, Zarmigethusa*, Pagus Transylvaniæ.
Grana. *Cromone*, Vicus Dalmatiæ.
Græcium. *Savavia Grajacum*, Urbs Styriæ.
Grossechana. *Tiriscum sive Tiros*, Oppidum Valachiæ, quod hodie creditur Tergovista & Tarvis, caput Moldaviæ.
Grosseu. *Istropolis*, Urbs Bulgariæ.
Guizzing. *Ringus*, Oppidum Hungariæ, sed fortè rectiùs Güszek Civitas.
Heraclea. Perinthus, Urbs Thraciæ maritima.
Huan. *Pharos*, Insula Dalmatiæ.
Hamburg. *Comajenum*, Civitas Austriæ.
Ibar. *Moschius*, fluvius Bulgariæ.
Ichtiman. *Stenimachum*, Castrum Thraciæ.
Jenö. *Jenum*, Castrum Hungariæ.
Ilmiczve Iltz. *Ulmi*, vicus Austriæ in confinio Hungariæ.
Imertipitia. *Celadussæ*, Insula Dalmatiæ.
Ischo. *Escaurus*, fluvius Bulgariæ.
Insula-Zara. *Lissa*, Insula Dalmatiæ.
Insulæ Mediæ. *Elaphites*, Tres insulæ Dalmatiæ.
Istrig. *Sargetia*, fluvius Transylvaniæ.
Ivonigrad. *Asisia*, Castrum Bosniæ.
Jurgano. *Frateria*, Oppidum Valachiæ.
Karon. *Carnocum*, Castrum Hungariæ in Comitatu Valkoniensi.
Kemensalo sive Salakemin. *Mariana*, Oppidum Hungariæ ad Dravum.
Keres Banya. *Aurariarum*, Oppidum Transylvaniæ.
Keres. *Chrysius*, fluvius Hungariæ.
Kerka. *Tinia*, Urbs Bosniæ.

Kerlburg. *Gerulato*, Oppidulum Hungariæ.

Kermen. *Germia*, Urbs Thraciæ.

Körmedt. *Cormendinum*, Oppidum Hungariæ.

Keſmark. *Cæſareopolis*, Civitas Hungariæ.

Kornburg. *Carrodunum*, Oppidum Styriæ.

Killia. *Callatia & Achillea*, Inſula Bulgariæ.

Kiris. *Drinus*, amnis Dalmatiæ.

Kisdawnocz. *Claudius mons*, Mons Hungariæ.

Kliſs. *Andetrium & Chliſſum*, Oppi- Dalmatiæ.

Kloſteaneiburg. *Claudivium*, Civitas Auſtriæ.

Koppan. *Camponia*, Caſtrum Hungariæ.

Krempak. *Carpates*, Mons inter Hungariam & Poloniam.

Kruppa. *Carpis*, fluvius Bulgariæ.

Kuſty. *Auguſtia*, Oppidum Valachiæ.

Lubatlan. *Commercium*, olim oppidum nunc vicus Hungariæ, uno milliari diſtans à Strigonio, ut ſcribit Lazius, ex veteri inſcriptione ibi reperta.

Labacum. *Nauportus*, Urbs Carnioliæ.

Lauſperg. *Segeſtia*, Oppidum Regni Hungariæ in Sclavonia, quod ab incolis dicitur Szegesdt in Comitatu Zagrabienſi, prope Siſciam, & confluentem Colapis in Savum.

Lauffen. *Laviacum*, oppidulum Auſtriæ ſuperioris.

Leua. *Leventium*, Oppidum Hungariæ, ubi Turcæ grandi clade fuère affecti à Souches Generali 1664. Qua in pugna perijt Stephanus Kohari Heros inſignis.

Leutſchovia. *Leuconium*, Urbs Hungariæ in Comitatu Scepuſienſi.

Lemana. *Odeſſus*, Urbs Bulgariæ.

Limpach. *Tutatia*, Arx Auſtriæ ſuperioris, juxta amnem Krebs teſte Cluverio.

Leſina. *Pharos*, Inſula Illyrici, in mari Adriatico, quæ & Pharia Ptolomæo, ante dicta Paros teſte Plinio, & vulgò à Slavis Hvar nunc appellatur.

Leybnicz. *Savavia*, Oppidum Styriæ.

Licoſtemo. *Harpys*, Oppidum Bulgariæ.

Linczium. *Aurelianum*, *Lentio & Lentium*, Urbs Auſtriæ.

Lupadi. *Apollonia*, *Lopadium*, Urbs Mœſiæ.

Lympach. *Olimacum*, Oppidum Hungariæ, indigenis, Alſo Lindva in confinio Styriæ.

Magariſa. *Melas*, fluvius & ſinus Thraciæ.

Magoniche. *Ardotium*, Oppidum Liburniæ.

Malaca. *Pangæus*, Mon Thraciæ.

Malida. *Seſtus*, Oppidum exciſum Thraciæ.

Manſpurg. *Mennanianæ*, Caſtrum Pannoniæ Saviæ, ex conjectura Wolffgangi Lazij, alijs enim eſt Monoczlo Caſtrum, inter Savum & Dravum fluvios.

Maros. *Mariſius*, fluvius Hungariæ in confinio Tranſylvaniæ.

Marogna. *Maronea*, *Iſmaros*, Civitas Thraciæ.

Maurkirchen. *Admauros*, vicus Auſtriæ.

Medling. *Meclaria*, *Medaria*, *Metullum*, Oppidum Germaniæ in Auſtria.

Medon. *Doclea* Oppidum Dalmatiæ.

Moravi. Marcomani populi Germaniæ.
Mestri. *Mestriana*, Oppidum Pannoniæ Inferioris.
Misini. *Drusipara*, Urbs Thraciæ.
Modrusa. *Tradiasdum*, Urbs Liburniæ.
Mochatium. *Amantia, Anamiscia, Mochaczina*, Oppidum Hungariæ ad quod Ludovicus II. Rex Hungariæ à Turcis, cum exercitu cæsus est.
Moncastron. *Tyras*, Urbs Bessarabiæ.
Mons niger. *Ibalia*, Mons Dalmatiæ.
Morava. *Moravus major*, fluvius Bulgariæ.
Morava. *Moravus minor*, fluvius Serviæ.
Morlaca. *Albius*, Mons Croatiæ, in ora maris Adriatici.
Motay. *Claudius mons*, mons inferioris Hungarlæ.
Mulbach. *Miliare*, fluvius Transilvaniæ.
Mulbach. *Zeugma*, , Oppidum Transylvaniæ.
Muzon. *Monsenum*, Castrum Hungariæ dirutum, olim Mosoniensis Comitatus caput.
Neocastro. *Hermum*, Promontorium Thraciæ.
Nestoralba. *Hermonassa*, Oppidum Bessarabiæ.
Nissa, *Nessus*, fluvius Thraciæ.
Neomarck. *Novidunum*, Oppidum Carnioliæ.
Neomarck alterum. *Nova Marchia*, Urbs Transylvaniæ.
Nona. *Ænona*, Civitas Dalmatiæ.
Obrach, *Obbracum*, Oppidum Serviæ.
Ofisa. *Ofimusa, Tyras*, Civitas Moldaviæ.
Ombla *Arionæ*. fluvius Dalmatiæ.
Pandala· *Callustia*, Oppidum Bulgariæ.
Pantiva. *Heraclea, Perinthus*, Urbs Thraciæ.
Paraczlo. *Parsiscum*, Oppidum superioris Hungariæ ut vult Lazius.
Paxs. *Lussonium*, Urbs Pannoniæ inferioris Ptolomæo, postea intercisa in Pannonia Valeria Ripensi, nunc Castrum, ad Danubium fluvium, in Comitatu Tolnensi.
Pescha. *Argiruntum*, Oppidum Croatiæ.
Pockaricz. *Peccatinum*, oppidum Hungariæ inferioris.
Peliesacz. *Pleræi*, Populi Dalmatiæ.
Pelysz vel Pilis, *Pelysia*, Oppidum Hungariæ inferioris Pilisiensis Comitatûs caput.
Pontole. *Ripa alta, Simplero est Tolna* oppidum Hungariæ.
Perechszasz vel rectius Berechszasz. *Peregia*, oppidum superioris Hungariæ.
Persemburg, Hungaris Bars. *Uscenum, Uspium*, Urbs erat Jazigum Metanistarum, juxta Ptlomæum, nunc est vicus, ad Granum fluvium.
Pescha. *Argiruntum*, Oppidum Liburniæ, in ora maris Adriatici.
Peseher & Petzer. *Pessium*, Oppidulum Hungariæ transdanubianæ in Comitatu Czanadiensi.
Pettav. *Petovio*, *Petavium* Civitas inferioris Styriæ.
Phanarion. *Panium*, promontorium Thraciæ.
Pilari. *Vardæi*, populi Dalmatiæ.
Piros. *Romantiana*, oppidulum Bulgariæ.
Polla. *Julia pietas*, Urbs Istriæ.
Polina. *Hiulca palus*, palus Pannoniæ infe-

inferioris prope Walponem ," quam Probus Imperator siccari jussit.

Polinaha. *Titius*, fluvius Sclavoniæ.

Possega. *Basiana*, Urbs Pannoniæ in Sclavonia.

Prasovo. *Hæmus*, Mons Thraciæ.

Prisna. *Justiniana secunda, Vulpianum, & Villa Vulpia*, Urbs Serviæ.

Proclian. *Scardonicus lacus*, Lacus Dalmatiæ.

Pruck. *Lejtapons, Lusipons, Motenum*, Civitas inferioris Austriæ.

Pruth. *Hicrasus, Perota*, fluvius Valachiæ.

Ragusa. *Epidanus, Rhauzium, & Ragusium*, Urbs Dalmatiæ.

Rackespurg. *Bolentum, Rachelburgum, Raclitanum*, Arx & Civitas Styriæ.

Rachzkavi. *Intercisa*, oppidum Pannoniæ Ripensis, nunc vicus in confinio Styriæ & Hungariæ.

Radtschach. *Romula*, pagus Croatiæ.

Rascia. *Dardania*, pars Serviæ.

Ratza. *Rhittium*, oppidum inferioris Hungariæ.

Recrea *Heræum*, Civitas Thraciæ.

Repicza. *Rhamidava*, oppidum Valachiæ.

Risano. *Formio*, fluvius Istriæ.

Rosay. *Ardius*, Mons Dalmatiæ.

Rosena. *Thingola*, Palus Bulgariæ.

Rusio. *Rutium, Doberus, Topires*, Urbs Thraciæ.

Sagova. *Thynias*, oppidum Thraciæ.

Salankemen *Acuminicum Rhittium*, oppidum inferioris Hungariæ.

Samagvan. *Ad fines, Fines*, Castrum Croatiæ.

Samendria. *Spenderobis*, Urbs Serviæ.

S. Andreas. *Legio XIV. Germanica*, Locus & Insula prope Budam.

Scalman. *Salva*, vicus inferioris Hungariæ prope Budam.

Schiltberg. *Butenij Montes*, montes inferioris Hungariæ.

Schilterperg. *Mons Clypeorum*, mons inferioris Hungariæ, Incolis Vértes.

Segesvar. *Segethusa Sciburgirm, Sandava, Singìdava*, Urbs Transylvaniæ.

Segna. *Senia*, Urbs Dalmatiæ.

Sciltaro. *Nicopolis* Urbs Bulgariæ.

Scabring. Sacarbantia Scarabantia, Civitas Hungariæ inferioris, quæ nunc Czeprech ab incolis dicitur.

Scardin. *Scardona*, Urbs Dalmatiæ fere diruta.

Sellie. *Sala, Salijs*, oppidum Hungariæ.

Scugad. *Senia*, Civitas Liburniæ.

Severeno. *Acmona*, Castrum Hungariæ ad Istrum fluvium, prope rudera pontis Trajani, à Severo Imperatore condita, & Severinum dicta, ab alijs etiam Saravium.

Sigetincz. *Singidunum*, Pagus Sclavoniæ.

Silistria. *Tiressa*, Civitas Bulgariæ.

Siffech. *Siscia*, Castrum Dalmatiæ.

Swrichicar. *Oxybithum*, Castrum Bulgariæ.

Sladicza. *Ossinus*, fluvius Bulgariæ.

Sminderom. *Singidunum*, Civitas Serviæ.

Sofia. *Sophica Sardica*, Civitas Bulgariæ.

Solui. *Jader*, fluvius Dalmatiæ.

Solta. *Olyutha*, Insula Dalmatiæ.

Soppan. *Sepianæ*, Castrum Hungariæ ad Sarvizum.

Spalatro. *Spalatum Palatium Diocletiani*, Urbs Dalmatiæ.

Steyr. *Claudivivum*, Castrum Austriæ.
Stravica. *Istropolis*, Urbs Bulgariæ.
Strigonium. *Istrogranũ*, Urbs Hungariæ
Strumicza. Tiberopolis, Urbs Thraciæ.
Studij. *Sicum*, Urbs Dalmatiæ excisa.
Svonigra. *Aranzona*, Oppidum Dalmatiæ.
Susied. *Nedinum*, Oppidum Dalmatiæ.
Swerany. *Severinũ*, Castrũ Hungariæ
Swinar. *Sarbinum*, Oppidum Bosniæ.
Szeget. *Secundinum*, *Singidava*, Civitas Hungariæ.
Szigeth. *Salinæ*, pagus Transylvaniæ.
Targorod. *Zividavia*, Civitas Valachiæ.
Taris. *Tiriscum*, Civitas Moldaviæ.
Tedia. *Terta*, Oppidum Thraciæ.
Telez. *Tullum*, Mons Sclavoniæ.
Terapia. *Pharmaciæ Sinus*, Locus Thraciæ.
Tewriana. *Tauasis*, Oppidum Serviæ.
Terzacz. *Tersatica*, Castrum Croatiæ.
Theten. *Campania*, *Matrica*, *Campona*, Oppidum inferioris Hungariæ.
Thurn. *Turres*, Oppidum Croatiæ.
Tine. *Tinia*, Oppidum Bosniæ.
Titul. *Tibiscum*, Castrum Hungariæ.
Tnina. *Tariona*, Oppidum Bosniæ.
Tolna. *Altinum*, Civitas Hungariæ.
Torda. *Dierna*, Civitas Transylvaniæ.
Totam. *Legio decima Germanica*, Oppidum Hungariæ.
Trachina. *Trisamis*, Oppidum Bulgariæ.
Trapu. *Trogurium*, Civitas Dalmatiæ.
Thaun. *Duris*, fluvius Austriæ.
Temeswar. *Tomæra*, *Tomi* in Bulgariæ.
Temesvar, *Temesvaria*, Urbs Hungariæ.
Thata. *Cæsarea Thodata*, *Data*, Dotis, Oppidum Hungariæ.
Trebigna. Tribulum & Tribunium, Civitas Dalmatiæ.
Troja. *Metullum*, Castrum Styriæ, in Comitatu Cilleinsi.
Trucula. *Ticaria*, *Truconis*, Insula Dalmatiæ.
Tuina. *Tariona*, Oppidum Bosniæ.
Tuln. *Castra Catulina*, oppidũ Austriæ.
Tulza. *Sitioenta*, Oppidum Bulgariæ.
Tyhan. *Tyhonia*, Insula inferioris Hungariæ.
Tzupriet Cupri. *Cuperium*, Locus Thraciæ.
Valachia. *Dacia* Alpestris, regio Europæ.
Valbach. *Valena*, vicus inferioris Hungariæ.
Valkovar. *Valcum*, Oppidum Hungariæ inferioris.
Valiza. *Rhodope*, Mons Thraciæ.
Valpo. *Cibalis & Valcum*, Civitas Hungariæ in Sclavonia.
Valcevo. *Collontum*, Castrum Dalmatiæ.
Varheli. *Vulpia Trajana*, Pagus Transylvauiæ.
Varne. *Zyras*, fluvius Bulgariæ.
Vaczia. *Vaccia*, Civitas Hungariæ.
Verdiso. *Perenticum*, Oppidũ Thraciæ.
Vetus Buda. *Herculea*, Castrũ Hungariæ.
Vrana. *Aurana*, *Blandona*, Oppidum Dalmatiæ.
Vscopia. *Scupi*, Urbs Serviæ.
Vdvarhely. *Vdava*, Locus in Transylvania.
Vylack. *Jvollum*, Castrum inferioris Hungariæ.
Waram. *Variana*, pagus Hungariæ in Sclavonia.

Wérthes. *Mons Clypeorum*, Mons Hungariæ inferioris.

Wenicza. *Vincena*, Oppidum Hungariæ inferioris.

Werfl. *Cataractes Danubij*, Casus Danubij in Austria.

Welka. *Fulsinum*, Oppidum Vegiæ Insulæ Dalmatiæ.

Vienna. *Ala Flaviana, Vindibonda*, Urbs Austriæ.

Zagrabia. *Soroga, Vicus Italicus*, Urbs Sclavoniæ.

Zawiko. *Ansiana*, Oppidum inferioris Hungariæ.

Zara. *Jadera*, Urbs Dalmatiæ.

Zara Vechia. *Alba maritima, Blaudosa*, Oppidum Dalmatiæ.

Zarnownicza. *Epetium*, Vicus Dalmatiæ.

APPENDIX II.

Catalogus Imperatorum Romanorum, qui Pannoniæ, & Romano Imperio, usque ad ingressum Hungarorum in eam, præfuerunt.

1. Augustus Imperator, primus fuit, qui Pannoniam Romano Imperio adjecit, & imperavit ad Annum Christi 14.
2. Tiberius Nero ad Annum 37.
3. Cajus Caligula ad Annum 41.
4. Tiberius Claudius ad Annum 54.
5. Nero Claudius ad Annum 68.
6. Sulpitius Galba 69.
7. Ottho Sylvius 69.
8. Aulus Vitellius 69.

Hi tres eodem anno interempti.

9. Flavius Vespasianus ad Annum 79.
10. Titus Vespasianus Filius, ad annũ 81.
11. Domitianus, ad Annum 96.
12. Nerva, ad Annum 98.
13. Ulpius Trajanus ad Annum 117.
14. Hadrianus ad Annum 138.
15. Antoninus Pius ad Annum 161.
16. Marcus Aurelius Verus, cum Lucio Ælio Vero Fratre, ad Annum 169.
17. Ælius Commodus, ad Annum 193.
18. Ælius Pertinax, ad Annum 193.
19. Didius Julianus, ad Annum 193.

Omnes tres hi eodem anno sublati.

20. Possenius Niger ad Annum 194.
21. Clodius Albinus ad Annum 197.
22. Septimus Severus ad Annum 211.
23. Antonius Caracalla ad Annum 217.
24. Macrinus cum Diadumeno Filio ad Annum 218.
25. Heliogabalus ad Annum 222.
26. Alexander Seuerus ad annum 235.
27. Julius Maximinus cum Filio ad Annum 238.
28. Gordianus Senior & Junior, ad Annum prius electi 237.
29. Pupienus & Clodius Balbinus, ad Annum 238.
30. Gordianus puer ad Annum 244.
31. Philippus Senior & Junior ad Annum 249.
32. Decius cum Filio ad Annum 251.
33. Vibius Gallus ad Annum 254.
34. Vibius Volusius ad eundẽ anũ 254.
35. Licinius Valerianus ad Annum 260.
36. Licinius Gallienus ad Annum 268.
37. Fluvius Claudius ad Annum 270.
38. M. Aurelius Quinctilius ad eundem Annum 270.

39. Va-

39. Valerius Aurelianus ad Annum 275.
40. Claudius Tacitus ad Annum 276.
41. Annius Florianus ad Annum eundem 276.
42. Aurelius Probus ad Annum 282.
43. Aurelius Carus ad Annum 283.
44. Numerianus ad Annum 284
45. Carinus cum Caro ad Annum 285.
46. Diocletianus cum Maximiano Herculeo ad Annum 304.
47. Constantius Chlorus ad Annum 306.
48. Galerius Maximianus Armentarius ad Annum 311.
49. Maxentius ad Annum 312
50. Galerius Maximianus ad Annum 313.
51. Aurelius Licinius ad Annum 325.
52. Constantinus Magnus ad Annum 337.
53. Constantinus Junior ad Annum 340.
54. Constans Constantini Junioris Frater ad Annum 350.
55. Constantius Frater Constantis ad Annum 361.
56. Julianus Apostata ad Annum 363.
57. Flavius Jovinianus ad Annum 364.
58. Flavius Valentinianus ad Annum 375.
59. Valens ad Annum 378.

Atque hoc Valente Imperatore imperante, Hungari primo seu egressu, occuparunt Pannoniam.

Observatio.

Intra spacium 268. Annorum, quibus imperarunt 13. Austriaci Cæsares, fuerunt Gentiles Imperatores, inter Constantinum Magnum primum Christianum Imperatorem, & Tiberium Neronem Numero 48. Ita pietas est ad omnia utilis & vel maxime ad Imperij diuturnitatem.





VII. SYNOPSIS

Seu

EPITOME CHRONOLOGICA:

Rerum Hungaricarum, ab Exitu Hungarorum ex Scythia, usque ad exordium Regiminis Sancti Stephani, Primi Christiani Regis Hungariæ, seu ab Anno Christi 373. usque ad Annum 1000.

Editio secunda, Correctior, & Auctior.

OPiniones, quæ de Origine Gentis Hungaricæ, à varijs referuntur Authoribus, sicut diversæ, ita incertæ prorsus sunt, & dubiæ, imò non nullæ fabulosæ, omnino, & manifestè falsæ. Illorum tamen Sententia plùs habet speciminis & vero similitudinis (teste Melchiore Inchofer Societatis JESU, Annalium Ecclesiasticorum Regni Hungariæ Scriptore) qui Hungarorum genus deducunt, à *Magor* primogenito *Nemroth*, (cujus, & Attila se Nepotem scribebat) & ab eo dicunt denominatos esse priùs *Magoros*, sive *Magaros*, postea verò pronunciatione gentis interjecta litera *y Magiaros*, (quo nomine etiam nunc Hungari suâ linguâ se nominant) & pari ratione & *Hunnos* ab *Hunnor* fratre ejusdem Magoris, ac dein Hungaros, asserunt esse appellatos. Illud verò certum ac indubitatum est: Hunnos, sive Hungaros, temporibus Valentis Imperatoris, ex parte illa Scythiæ, quâ Tanais fluvius Europam ab Asia disterminans, se in paludem Mœotidem exonerat, in maxima multitudine (nempe supra decies centum millia capitum numerante) in Europam irrupisse, peragratísque ac debellatis multis Regionibus, Pannoniam tandem, præ omnibus alijs, soli ubertate, illectos, pro habitatione sibi elegisse, ibique fixis sedibus, nomen Regioni de se dedisse, sicque *Pannoniam* olim, postea *Hungariam* denominatam esse. Verùm quid postea ab illis in Pannonia degentibus sit actum, vix sciri potest, ex defectu eorum, qui res patrias literis mandâssent, præter paucula ea, quæ ab externarum Nationum scriptoribus referuntur de Attila, sed ne hi quicquam aliud, præterquam illatas per illum eis injurias, planctuosi carminis instar scripsisse inveniuntur, altô silen-

tiô

tiô prætermiſſis rebus glorioſè per eum geſtis, totque ac tam præclaris ab eo de hoſtibus victorijs reportatis. His addo, quòd neque hi ipſi Authores, vel de tempore adventûs Hungarorum in Pannoniam, vel de ætate & diuturnitate Regiminis, ac vitæ ipſius Attilæ, mortísque anno, inter ſe conveniant. Annales enim Hungarici, ejus obitum ponunt ad Annum Domini: 445. Externi verò Scriptores eundem extenduntad Annum Chriſti 454. Et horum quidem calculatio ac computatio, magis exacta eſſe videtur: conſtat ſiquidem Theodoſium II. Imperatorem, non unam cladem ab Attila accepiſſe, quas inter, non poſtrema fuit illa in Dacia Ripenſi, in qua *Arnegislus* Dux Romani Exercitûs pugnans occubuit, quæ tamen Anno 447. ſcribitur contigiſſe. Tradit inſuper *Brietius*, & alij Hiſtoriographi, Attilam tantos progreſſus armorum per Occidentem feciſſe; ut auſus fuerit à Valentiniano III. Imperatore, Romæ Palatium ſibi ad habitandum poſtulare, idque ajunt Anno 451. eveniſſe. Difficultatem quoque acuratioris hujus Chronologiæ deſcriptionis id auget, quòd Hiſtorici illi, (uti ſunt Thuroczius & Ranzanus, Callimachus item, & Nicolaus Olahus, imò & Bonfinius) qui res ab Attila geſtas, copioſiùs & ſtudioſiùs conſcribere conabantur, ſeriem annorum intermittant, & cumulatim tantùm, omnia ejus geſta referant. Unde non erat quid novi, quòd Synopſis Chronologica, de Regia Urbe Budæ, in noſtris Ephemeridibus Tyrnavienſibus, Anni 1686. quò ad ſeriem Annorum, circa res geſtas Attilæ, à non nullis minimè probata fuerit, nam ſequendo hos Authores, neceſſum quoque erat, ſequi diſcrimen in temporum ſerie, à nobis, & ab alijs Authoribus allatum. Ab ipſo dein Attila, usque ad Geyſam. Ducem, imò ferè usque ad ipſa Sancti Stephani, primi Chriſtiani Regis Hungariæ tempora, vix ulla extant à noſtratibus narrata: quare nil mirum erit, ſi hâc Synopſi Chronologicâ, aliquorum Annorum res geſtæ compendioſè percurrantur, aut nec quidem annotentur: Ea tamen, quæ ab exteris illorum temporum ſcriptoribus annotata ſunt, aut à noſtratibus, ſequentibus ſæculis conſcripta, non prætermittemus, ſed in annos ſingulos diligenter referemus, ipſorum etiam Scriptorum nomina, imò ubi commodè fieri poterit, etiam eorum verba, pro majori authoritate Hiſtoriæ, diligenter adducendo.

Hunni igitur, poſt Hungari, & ſuo idiomate *Magyari*, Anno Chriſti 373. (à quo hanc Synopſim Chronologicam ordimur) tempore Valentis Imperatoris, & Damaſi I. Romani Pontificis, ex Scythia Aſiatica, ſoli ſterilitatem, & populi multitudinem cauſantes, egrediuntur. Capitaneis ſeu Ducibus conſtitutis: *Belâ* filio Cholæ, de genere Zemen, *Keme* & *Kadicka* fratribus ejusdem: *Attilâ*, *Kewe*, & *Budâ*, ſive *Bledâ* filijs, *Bendeguck* de genere *Kadar*: Ex centum octuaginta tribubus, decies centies, & octoginta millibus numeratis. *Thuroczius lib. 1. Chronicæ Hungaricæ, Cap. 10. Inchofer, in apparatu ad Annales*

Ecclesiasticos Regni Hungariæ. Et primò quidem in *Alanos*, qui scythicas solitudines incolebant, sæviunt. Deinde anno sequenti.

374. Gotthos Gentem robustissimam, quæ multas concusserat sui terrore Orbis partes, proprijs sedibus expellunt. *Thuroczius ibidem. Paulus Ozorius, suarum Historiarum, lib.* 1.

375. Gotthi ab Hunnis pulsi, novas sedes à Romanis expetunt. Sanctus Martinus ex Pannonia, Sabariâ Civitate ortus, in Episcopum Turonensem, in Gallia ordinatur. *Severus Sulpitius, in Dialog. lib.* 1. *Cap.* 6. Interim Hunni, sive Hungari, Bessos & Cumanos pertranseunt, sibique subigunt. *Thuroczius locô citatô*.

376. Iidem Gotthi, à Romanis suscepti, locatique in Thracia, ad Imperij Occidentalis fines à Barbaris tuendos, dum quietè inter Romanos agunt, *Lupicini* Ducis Romani avaritiâ exasperati, contra Romanos insurgunt, & hospites suos multis cladibus atterunt, victo fugatóque *Lupicino*. *Brietius*, *Ammianus*.

377. Continuantur Gotthorum cum Romanis prælia, atque sic Hungari, Gotthis sibi vel resistere non valentibus, vel ob conceptum in Romanos præsens odium, dissimulantibus, per fines Imperij orientis victoriosè transeunt, multísque alijs nationibus collectis, liberè ubique grassantur. *Ammianus lib*. 31. *Brietius, Ricciolus, Inchofer.*

378. Valens Imperator, præcipiti consilio cum ijsdem Gotthis confligit, duodecimo milliari ab Hadrianopoli, die 6. Augusti, ubi sagittâ sauciatus, & à suis in agrestem casam deportatus, à Barbaris, accensâ casâ, miserè exuritur. *Ammianus lib.* 31. *Nicephorus lib.* 11. *Cap.* 50. Hungari interim progressus & itineris, & victoriarum, magnos faciunt

379. Theodosius, contra Gotthos fæliciter pugnans, à *Gratiano* Occidentis Imperatore Syrmij Imperator Orientis creatur, Gotthosque ex Thracia pellit, & subinde etiam de Hunnis aliquas victorias reportat. *Zozimus*, *Idacius*, *Prosper in Chronico*. Longobardi, (quos inter postmodum & Hunnos multa fœdera intercesserunt) ex Scandia Peninsula egressi, Ducibus *Iborea* & *Ajone* Vandalos profligant, eorúmque Regionem sibi vendicant. *Brietius*, *Prosper in Chronico*. Hoc eodem anno, Hunnos sive Hungaros in Pannoniam primò pervenisse deducit *Inchofer ex Petro Ranzano*.

380. Procurante Gratiano Imperatore, pax cum Gotthis firmatur. *Prosper in Chronico*: Hoc eodem anno, vel certè adhuc priore, Hunni, sive Hungari, perspectâ Pannoniæ ubertate, & Regionis amœnitate, in eadem sedem sibi figere, unanimi statuunt voto. Incolebant autem tunc Pannoniam variæ Nationes, sed potissimùm Jaziges, Slavi, Alemanni, & Italici, (ut eos nominat Thu-

'huroczius, verùm quod addat inter illas fuisse etiam Longobardos, cùm hi rimò anno priore ex Scandia egressi fuerint, id non videtur verosimile) erat- ue tunc Pannonia magna ex parte Romano Imperio subjecta, cui præerat sin- ulari Romanorum gratiâ *Macrinus*, natione Pannon, Patriâ Sabariensis, homo rte militari valde celebris, è contra Germaniæ præfuit nomine Romanorum *'heodoricus* de Verona, seu *Detricus*, vel *Thetricus*, Patriâ Alemannus. *Macri- ius*, cùm immensam ignotæ gentis (Hungarorum scilicet) multitudinem, in- ra sibi commissæ ditionis limites, jam jam penetrâsse, atque ad Tibisci ripam astra posuisse inaudijt, imò certis percepit nuncijs, advenas, suis violentas in- icere manus, bonáque hostiliter diripere, consternatus animo, consilijque am- biguus, quid hoc rerum statu agere deberet, suis diffisus viribus, statuit Roma- iorum implorare auxilium, nec frustra; hi enim quam primùm ad preces *Ma- crini* proni, *Theodorico* in mandatis dant, ut *Macrino* modis omnibus opitule- tur, ad hostes improvisos Pannoniâ excludendos, neque is trahit moras, sed mox collecto ingenti exercitu, in Pannoniam descendit, castrisque suis ad Ci- vitatem *Potentianam*, ad Danubij littus sitam, (quæ à Lazio creditur nunc *Adom* incolis dicta) cum castris *Macrini* conjunctis, cum eo de modo inva- dendi Hunnos consultat. Interim tamen uterque Dux, noctes quietas secu- rasque ducunt, (rati Danubium interjacentem, ponte destitutum eò loci, tu- tissimum esse munimentum; præsertim cùm scirent hostes navigijs quibus flu- vium traijciant destitutos esse) dum ecce Hunni, sub tenebrosæ noctis silentio, inflatis suis utribus, (quorum beneficio à suo è Scythia egressu, quàm plurima assueverant tranare flumina) Danubium quoque infra Sicambriam transeunt, atque super hostilem Exercitum, nihil tale metuentem, vel suspicantem, irru- unt. Ingens igitur exoritur tumultus, corripiuntur arma, acerrimum com- mittitur prælium: cadunt utrinque quàm plurimi, ultimatè tamen prævalent Romani, Hunnosque in fugam agunt: sed cùm ipsi quoque non minorem quàm Hunni accepissent cladem, fugientes non sunt persecuti, sicque reliqui indemnes transmisso Danubio, ad suos revertuntur. Sed & *Detricus* & *Ma- crinus* cum sui Exercitûs residuitate versùs Tulnam Civitatem recedunt. Ita *Thuroczius Chronicæ Hungaricæ, Cap.* 11. Verùm *Nicolaus Olahus*, & *Bonfinius*, hanc pugnam paulo aliter referunt contigisse. Ajunt enim Macrinum & De- tricum cum suis Exercitibus repentina hac hostium incursione perculsos, arma & castra deseruisse, ac in fuga ab Hunnis magnam cladem accepisse, ipsos verò Hunnos in valle *Tarnok* non procul à Potentiana Urbe, castra sua locâsse; se- quenti verò die, rursus à Macrino & Detrico, contractis, qui adhuc à clade su- pererant, & alijs quoque qui in vicinis præsidijs Romanorum erant, in ordinem redactis militibus, Hunnos in illa ipsa valle Tarnok, invasos fuisse, cruentoq; præ lio

lio utrinque commisso, ac à prima luce, ad solis occasum protracto; magnam utrinq; ediditam stragem, ita, ut ex parte Hunnorum in hac pugna centum viginti quinque millia desiderata esse tradantur, ex parte autem hostium, ducenta decem millia scribantur cæsa. Ultimatè tamen declinante jam sole, Hunnos terga vertisse, quos dum *Macrinus* & *Detricus* persequi non possent, pugnando defessi, Hungaros, eâ, quâ prius celeritate Danubium trajecisse, & ad suos redijsse. Detricum verò & Matrinum, cum militum suorum reliquijs Tulnam oppidum versùs celeri itinere se recepisse.

381. Hungari post acceptam hanc cladem, renovato Exercitu, partes transdanubiales invadunt, atque illis obtentis, ac sub jugum missis, Tulnam Civitatem, ubi *Theodoricus* & *Macrinus* manebant, procedunt rursúmque cum ijs acriter confligunt, ita feliciter, ut Romanorum Exercitum penitus profligaverint, fugaverintque. Cecidit in hoc cruento prœlio, Macrinus, Theodoricus verò sagitta in fronte læsus, ægrè Hunnorum manus evasit.

382. Gotthi universi se Romanis tradunt. *Idacius*. confecto præmentionato prælio, Sicambria, cum tota ferè Pannonia, in manus Hungarorum devenit. *Thuroczius*, *Bonfinius*, *Olachius*.

383. Pars aliqua Hunnorum, sub Ducibus *Melga* & *Gavan*, à Gratiano Imperatore, contra *Maximum* Tyrannum evocatur. Quo tempore Sancta Ursula, cum undecim millibus Virginum, ab ijsdem Hunnis, utpote tunc Gentilibus, ad Coloniam Agripinam, pro Virginitate DEO dicata, & constanter defensa, ad Virginitatis coronam, Martyrij Coronâ decoratur. De Passionis tamen harum Sanctarum tempore, (quo eodem anno *Gratianus* proditione Alanorum & Hunnorum, quos in auxilium advocaverat, *à Maximo* Tyranno, per *Andragathium* Ducem occiditur. *Baronius*, *Ricciolus*, *Zosimus lib.* 4. *Sozomenus lib.* 8. *Cap.* 13.) discordant Historiographi, cum alij eam referant, ad ipsius Attilæ tempora, & sub quodam *Julio*, seu *Gyula* Duce Hunnorum factum id fuisse, perhibent. Ita *Thuroczius & Olaahus.*

384. Distractis Imperij Romani ad multas partes viribus, Hungari se in possessione Pannoniæ firmant.

385. Hungari, indigenis prioribus partim ejectis & pulsis, partim in servitutem redactis, dispersi per Pannoniam, selectis melioribus Regionis locis, domicilia sibi figunt, totámque Pannoniam inter se dispertiunt. Sanctus Hieronymus, Stridone ex Pannonia oriundus, doctissimis suis scriptis jam orbi notissimus, Româ Hierosolymam descendit. *Inchofer.*

376. Sanctus Martinus Pannonius, Treviris à *Maximo* Imperatore, ejúsque conjuge, summo cum honore suscipitur, cui ut Viro Sancto, ipsa Imperatrix epulum manibus suis parare, eidémque ministrare mensæ accumbenti voluit,

voluit, ac sublatis ex illius mensa reliquijs pasci. Verùm Martinus ex his honoribus, & præsertim, quòd *Maximi* dolo *Ithacianis* Schismaticis ad horam communicâsset, mœrens ex aula Imperatoris discedit. *Sever. lib. Dialog.* 3. *Inchofer.* Sanctus Hieronymus & ipse Pannonius Bethlehemum pergit, ibique ad interpretandas Sacras Literas Linguam Hæbraicam perdiscit. *Brietius.*

387. *Maximus* Imperator, vel rectiùs Imperij invasor Romam occupat. *Zosimus* lib. 4. Hungari interim ditionum suarum fines dilatant.

388. *Maximus*, contra Theodosium Imperatorem pugnans ad Aquilejiam, sicut ei prædixerat Sanctus Martinus, interimitur. *Zosimus Lib.* 5. *Capite* 14.

389. Longobardi, Ducibus defunctis, primum sibi Regem creant *Agelaundum*, Aionis Ducis filium. *Prosper in Chronicis*, *Inchofer*, *Brietius.*

392. Sanctus Hieronymus, Librum de Scriptoribus Ecclesiasticis absolvit. *Brietius.* Et Tetradium Consularem ad Fidem Christi convertit. *Severus, in vita Sancti.*

393. Theodosius Imperator expeditionem contra Eugenium Tyrannum suscipit, accitis variarum nationum copijs, quas inter & Hunnos non paucos fuisse, credibile & verosimile est.

394. Theodosius, Eugenium Tyrannum devincit, profligat, & captum occidi curat. *Orosius lib.* 7. *Capite* 30. Inter Sanctum Hieronymum & Sanctum Augustinum, amica viget de Quæstionibus Sacris desceptatio, ut ex utriusque doctissimis Epistolis, videre est. *Brietius.*

395. Rufinus Aquitanicus, Romani Imperij proditor, Gotthos sub Adalrico militantes, & Hunnos, ad invadendos fines Imperij invitat, & varijs promissis compellit, atque hi Orientalis Imperij partes vastando, Rufini votis obsecundant, & Illyrium, Mæsiam, Macedoniam, depopulantur. *Zosimus lib.* 5. Præfuisse autem Hunnorum Exercitui in hac expeditione, inter alios, Attilam nec dum Regem, ex Ranzano colligit, *Melchior Inchofer*, *Sozomenus lib.* 8. *Cap.* 1. *& Olahus Cap.* 4. *asserit.*

396. Multi Hunnorum ad Fidem Christianam convertuntur, operâ Sancti Nicetæ Dacorum Episcopi, ut notat idem Author. Ex Epistola Sancti Hieronymi 7. & 11. Quod si ita est, necesse est, aut jam tunc Hungaros aliquos Daciam seu Transylvaniam incoluisse, aut Sanctum Nicetam, non solùm Daciæ, verùm partium quoque Hungariæ Apostolum fuisse. Theodosio succedit Arcadius in Imperio Orientali, cujus metu Attila cum suis Hunnis, in Pannoniam regreditur. *Olahus Cap.* 4.

399. Nicetas Daciæ Episcopus, ex Italia reversus, res gestas Sancti Martini, è Libello à Severo Sulpitio conscripto, per Daciam & Pannoniam, longè laté-

latéque spargit, ejusque famam Sanctitatis, apud ejusdem Patriotas disseminat *Inchofer, Paulinus, Epistola* 5. *ad Severum.* Attila reducto Exercitu, ne id quoque temporis, quod supererat bello gerendo, inutiliter, ac præter suorum commodum absumeret, Regnum Pannoniæ Legibus stabilire statuit.

399. Gajnas, Exercitûs Arcadij Imperatoris Dux, in Arcadium rebellat: *Zosimus, lib.* 5. *Ricciolus.* Hungaris interim eventum ejusdem rebellionis præstolantibus.

400. Idem Gajnas tumultuari, Imperiúmque Orientale perturbare pergit, sed ab Arcadij copijs in Thraciam reijcitur.

401. Uldes Hunnorum Dux, Gajnam Danubium traijcere parantem inhibet, interficit, ejusque caput hastili præfixum, Arcadio Constantinopolim mittit. *Zosimus, lib.* 5. *Sozomenus, lib.* 8. *Cap.* 4. Hoc eodem anno Christi 401. & ab exitu Hunnorum ex Scythia vigesimo octavo, ab ijsdem Hungaris, unanimi voto, & consensu, in caput & Ducem, ac Regem universæ gentis, eligitur Attila, unus ex primis in eorum egressu ex Scythia, Ducibus, *Inchofer ex Ranzano.*

402. Ad hunc Annum refert Baronius obitum Sancti Martini, Patriâ Pannonij, Episcopi Turonensis in Gallia, Viri Sanctissimi, & plurimis miraculis in vita & post mortem clarissimi. Attila Dominatum suum in Pannonia firmat, ejusque limites extendit.

403. Alaricus, Rex Gotthorum, ab Hunnis pulsorum, Italiam invadens à Stilicone, Romanæ Militiæ Duce, (sed simul Romani Imperij insidiatore ac occulto ejusdem hoste, adeóque & ipsius Attilæ fautore) ad Pollentiam Liguriæ Urbem, vincitur, & capitur, sed perfidiosè elabi ab eodem permittitur. *Brietius.*

404. Attila Urbem Sicambriam, ob loci & soli amœnitatem, in Regiam & Metropolim suam deligit, eâ tamen, imò totâ Hungariâ minimè contentus, stimulante innatâ ambitione, vicina quoque Regna, ac Provincias, opportuno sibi tempore invadere, statuit.

406. Radagajsius natione Scytha & Paganus, cum ducentis millibus suorum, Italiam invadit, & jam Romæ obsessæ & expugnandæ imminet; sed DEO sic disponente, ab *Huldia* & *Saro* Hunnorum Gotthorúmque Ducibus, quorum uterque tunc à Romanis stabant, vincitur, & atteritur. Amputatur Radagajsio caput, milites illius captivi, singulis aureis, & viliori adhuc pretio divenduntur, sicque mancipijs Italiam totam, quam terruerant, implent. *Ozorius lib* 7. *Cap.* 22. *Brietius, Inchofer.*

407. Imperium Romanum in occidente turbatur, per Stiliconis proditionem, quâ de re Sanctus Hieronymus Epistol. 5. ad *Ageruchiam* sic scribit: *Quid-*

Quidquid inter Alpes & Pyræneum est, quòd Oceano & Rheno includitur, Pannonij hostes vastârunt.

408. Stilico Romanorum Imperium affectat, & varios hostes, & inter hos etiam Hunnos, contra Honorium Imperatorem excitat, quorum auxilio, *Fucherium* filium suum, Cæsarem creare destinat, ast proditionis convictus, ab Honorio interimitur, id quod percommodè accidit Honorio, Hunnis cum suo Duce tunc Stiliconi rebellantibus. *Zosimus lib. 6. Theophanes, Socrates lib. 6. cap. ultimo, Inchofer, Brietius.*

409. *Alaricus* Gotthorum Rex, conjunctus fratri *Ataulpho*, qui Exercitum ex Gotthis & Hunnis confecerat, statuit Romam caput Imperij impetere, aut saltem terrere, vel si fortuna faveret etiam occupare; hac vice tamen, multô aurô à Romanis appensô, obsidionem Urbis solvit, & cum Honorio Imperatore, pacem inire statuit. *Brietius.*

410. Pacem, quam Alaricus, cum Honorio Imperatore stabilire statuerat, eam Hunni, sub Honorio militantes, cum suo Duce perturbant. Hic enim cum trecentis suis selectissimis, in Alaricum incautum irruens, aliquot ex Gotthis interimit, & omnes perturbat; unde iratus *Alaricus*, Honorio, quasi hujus cladis authori, ad obsidendam Romam redit, eandémque occupâtam deprædatur. *Brietius. Zosimus, Osorius lib. 2. cap. 29.*

411. Alaricus, post Urbem occupatam, & exspoliatam, profectus *Rhegium*, ut inde in Siciliam, & Africam traijceret, navibus tempestate disjectis, morbo perit, cui succedit frater ejusdem Ataulphus, qui rursus Romam redit, eámque iteratò capit, ac diripit. *Inchofer.* Quod tamen alij ad proximè præcedentem annum referunt, ita, ut utráque hæc Urbis expilatio, in eundem annum incideret.

413. Burgundiones ab Hunnis pressi, Fidem Catholicam amplectuntur, rati hâc ratione se efficaciùs, quàm ullâ humanâ ope, Hunnis resistere posse. Nec vanè, hâc enim suscepta, sæpiùs, licet pauciores numero, de majori copia hostium, victorias reportârunt. *Inchofer ex Socr. lib. 7. cap. 30.* Verùm id longè prius videtur accidisse, nempe, dum adhuc Hunni ex Scythia progredientes, alias gentes & nationes interjacentes expugnarent. Nam ut Calimachus, in Attila, numero 50. refert, inter alias bellicas expeditiones, Hunni in suo progressu memorantur duas in Burgundos aggressiones suscepisse, & secundam sic enarrat: *Quandoquidem Burgundi, priore bello, multis certaminibus, re malè gestâ, rursus contra se venisse senserunt, ad Divinam opem confugêre, Christianisque Misterijs initiati, magno prælio fusos hostes, cæsósque, finibus suis exturbavêre.* Porro Burgundiones, seu Burgundos incoluisse tunc illas terras, per quas Hunnis transire necesse fuerat, utpote Gotthis vicinos. *Ex Plinio, & Tacito,*

alijsque constat. Qui postmodùm inde egressi, primò Chattorum & Alemannorum occupavêre terras, ac tandem in Galliam Celticam transmigraverunt, ibique Regnum Burgundiæ erexerunt. Ut pluribus describit *Cluverius, & ex illo Baudrand, in sua Geographia.*

416. 417. Attilæ Societatem armorum, nominis, fortitudinis, ac in rebus militaribus gloriæ famâ pellecti, quàm plurimi exteri populi exoptant. *Olahus capite* 4.

418. Attila Generalem Conventum suis Sicambriam indicit, consilium cum illis de expeditionibus bellicis, quas animo volvebat, initurus, ad quem multi ex externis quoque Provincijs Proceres, vel spe prædæ, vel liberalitate Attilæ allecti conveniunt, quos inter fuit etiam *Theodoricus* seu *Detricus* Veronensis, juratus antehac & infensissimus Attilæ, Hunnorúmque hostis. *Thuroczius, Olahus.*

419. Attila, tam pro sua authoritate conservanda, quàm benevolentia captanda, prædictum Theodoricum, aliósque cœteros Principes, ad hæc comitia convenientes, muneribus Regijs exornat.

420. Attila ingentes apparatus bellicos facit, exercitum recenset, ac conscribit, armorum & machinarum bellicarum, ad mœnia hostilia diruenda, non parvam vim comparat: ad hæc decem millia curruum falcatorum, quibus castrorum suorum munitionem, velut muro arceret, constituit. *Thuroczius, Olahus.* Sanctus Hieronymus Patriâ Pannonius sanctè obit. *Baronius.*

421. His ita dispositis, cum ingenti Exercitu, ex suis, exterísque collecto, expeditiones bellicas suscipit, primóque Illyricas Provincias invadere statuit. Intereà verò ne per absentiam suam, quid turbarum oriri in Pannonijs posset, Fratrem suum Budam, Regni sui participem facit, eúmque in Regni administratione, locò sui constituit. *Ricciolus. Marcellinus.*

422. Attila Thraciam, & vicinas illi Regiones, crudeliter devastat, ijsque perdomitis Sicambriam redit.

423. Joannes quidam Imperij Romani invasor, Hunnis per Aetium Romani Exercitûs summum Ducem accitis, ad petendam veniam, à Theodosio Juniore Imperatore compellitur. *Inchofer, Socrates, lib. 7. cap. 23.*

425. Idem Dux Aetius, offensus à Placidia Honorij defuncti Sorore, sexaginta millia Hunnorum evocat, magnáque utrinque editâ Strage, rem suam amicè componit, & à Placidia in gratiam receptus, Hunnos auro donatos, in Patriam suam remittit. *Prosper, Marcellinus, Socrates, Libro 7. Capite 23. & sequentibus.*

428. Idem Aetius, Gallias Rheno proximas, à Francis occupatas, recuperat. *Prosper, Ricciolus.*

429. Idem

429. Idem Aetius, Magiſter militum factus, propè Arelate, Gotthos debellat. *Idatius.*

432. Idem Aetius, infortunatè in Aſia pugnans, Romam profugit, mox in Dalmatiam, ac inde in Pannoniam abit, & Hungarorum uſus amicitiâ, & auxilio, pacem obtinet, & ad Romanum ſolum, dignitatémque priſtinam redit. *Inchofer, Proſper in Chronico.*

435. Gvadicarius Burgundiorum Rex, ab Aetio victus, pacem obtinet, ſed illum Hunni, cum ſtirpe & populo delent. *Proſper, Ricciolus.*

436. 437. Aetius Narbonam à Theodorico Gotthorum Duce obſeſſam, liberat. *Idatius.* Et bellum adverſus eosdem Gotthos, auxiliantibus Hunnis gloriosè gerit. *Ricciolus.*

438. Littorius, ſecundæ ab Aetio Patritiæ Poteſtatis, Hunnis auxiliaribus præpoſitus, dum Aetij gloriam ſuperare contendit, cum Gotthis imprudenter conſerendo, magnâ clade afficitur, & capitur, *Inchofer.*

440. 441. Hunnorum pars una, non confæderata Romanis, Romanorum Imperium in Occidente vexat, altera verò cum Attila, Illyrium & Thraciam depopulatur, omnésque Civitates & Caſtella Thraciæ, præter *Hadrianopolim*, & *Heracleam*, in ſuam poteſtatem redigit. *Inchofer, Brietius, Paulus Diaconus, Libro 14.*

442. Theodoſius Cæſar, ad placandum Attilæ furorem, eidem ſex millia librarum auri perſolvit, & mille annuas promittit. *Proſper & Chronicon Alexandrinum,*

443. Attila cum ſuo Exercitu, prædâ divite, Pannoniam repetit.

444. Attila poſt tot Provincias everſas, rapinas, & ſtrages hominum, rèdux in Pannoniam, ubi deprehendit Budam fratrem creditam ſibi in Regni adminiſtratione poteſtatem tranſcendiſſe, indignatus, iratúsque, captâ, arreptâque occaſione, dolô circumventum ſtringit, proprijsque necat manibus, atque ejus cadaver in Danubium abjici, demergique præcipit. *Inchofer, Brietius, Ricciolus.*

445. Attila Svaſu Theodorici Veronenſis, & ambitionis propriæ ductu, Occidentales Imperij Provincias invadere ſtatuit.

446. Hunc in finem igitur non inſcius, quos hoſtes habiturus eſſet, quàm maximas copias militares comparat, & non ſolùm per univerſas Pannonias delectum habet, verùm etiam externas alias nationes, in armorum ſocietatem pertrahit, quæ ſpe prædæ, eidem maximo numero adhærent, ita, ut ſupra quingenta millia armatorum jam numeraret. *Bonfinius, Decadis 1. lib. 4.*

447. His ita diſpoſitis, Attila in terras deſignatas ſuſcipit expeditionem, ſed priùs cum *Amegiſilo* Romanæ militiæ Duce, in Dacia Ripenſi, ſcribitur con-

flixiſſe, cœſo ipſo Duce, & Exercitu illius diſſipato, ac ferè deleto. *Marcellinus in Chronico, Inchofer, Ricciolus.*

448. Attila tanto furore Germaniam aggreditur, ut vicos paſſim, & oppida concremaret, omnes cæderet, ſacra & prophana æque dirueret, nec ætati, nec ſexui, uſquam parceret, omnia cædibus, & rapinis compleret, facilem ex immani ſævitia ſperans ſe conſecuturum victoriam, illis tantùm partibus Germaniæ parcens, quarum populi ſecum armorum ſocietatem inijſſent. *Bonfinius Decad.* 1. *lib.* 4.

449. Superato dein *Adulæ* montis jugo, in Helvetios pari crudelitate graſſatur, & quidquid inter Rhodanum, Rhenúmque interjacet, paſſim diripit. *Idem, Ibidem.*

450. Tranſgreditur cum Exercitu ſuo Rhenum Attila & Burgundiam aggreditur, ac Sigiſmundum ejus Regionis Principem, cum magna manu ſibi occurrentem fundit, fugátque, qui dein utilitati ſuæ conſulere cupiens, pacem per Legatos ab Attila obtinet: pollicitus ſub ejus ductu & auſpicijs, ſtipendia ſe facturum, & grata ſemper obſequia præſtiturum. Deinde ſecus Rhenum tranſeundo, Argentinam Civitatem munificentiſſimam obſidet, expugnátque ac diripit, direptámque mœnibus, plurimis in locis nudat, ita, ut ex omni parte Urbis, pateret per eam aditus, & liber tranſitus. *Bonfinius Decadis* 1. *Cap.* 4. *Calimachus, Olahus.*

451. Hinc movens cum Exercitu, Gallias vaſtat, ac depopulatur, & Civitates munitas, ac fortes, opibúſque divites, expugnando diripit, ac pleraſque ſolo æquari jubet, Noménque *Flagelli DEI* circumferens, ex prædictione cujusdam Sancti Viri, ad ſcelera Chriſtianorum punienda, in cunctos ſævit. Metenſium Urbem, in ipſa Vigilia Paſchæ ſuccendit, & totam in cineres redigit. *Trecas* quo minùs perderet, precibus ſuis impedivit Epiſcopus ejusdem loci, Sanctus *Lupus.* Hic enim cùm Attilam appropinquare audivit, Pontificali mox indutus amictu, cum omni Cleri ſui cœtu, illi obviam proceſſit, ac ubi ad eum veniſſet, ſic eum alloquitur: *Tu, quis es, qui terram diſſipas, ac conculcas?* Cui Atila: *Ego ſum Attila Rex Hunnorum, Flagellum DEI.* Ad quam vocem Sanctus Lupus Epiſcopus, portas Civitatis aperiri jubet, & ad Regem ait: *Bene venerit Flagellum Domini mei*, illúmque ac ejus Exercitum in Urbem introducit. Hunni verò ſivè humanitate Epiſcopi exigente, ſive Divino Numine aſpirante, absque cujuslibet offenſione, mediam ſine ullo nocumento tranſeunt Civitatem, inſuper Attila Sanctitatem Viri admirans, ſe eidem commendavit, & ut DEUM pro ſe precaretur, humiliter rogavit. Dein in *Tholoſanam* venit Civitatem, quam tamen intactam & indemnem reliquit, eò, quòd per cives ejusdem, honorificè fuerit exceptus. Poſt hæc *Rhemenſem* Urbem, depopulatâ

latus priùs universam illi adjacentē regionem, acri obsidione cingit, atq; eandē vi expugnat, incolis omnibus internecione deletis. *Aurelias* quò minùs caperet, Sancti Aniani Episcopi precibus, divinitus id datum est. Sic & *Parisios* quò minùs perderet, Sanctæ Genovefæ Orationibus & meritis adscribitur. Et tandem in *Hispaniam* usque victricibus armis penetrat, atque in campis Catalaunicis, longè latéque patentissimis, cum potentissimo Rege Gotthorum, & Aetio Romano Senatore, ac Militiæ Magistro, crudelissimo omnium prœlio confligit, multis suorum amissis, multis quoque hostium cœsis, ita, ut ex utraque parte centum octuaginta millia hominum, in eo perijsse scribantur. Peractâ cruentâ hac pugnâ, eodem fermè utriusque partis successu & detrimento, Attila in ijsdem Catalaunicis campis, plaustrorum inter munimenta aliquantisper se continet, dum interea Romanus etiam Exercitus, cum auxiliaribus copijs dispergitur. Pars una Hungarorum, quæ huic prælio interesse non potuit, ob metum Attilæ, redire ampliùs in Pannoniam ausa non fuit, sed ibidem in Catalaunicis oris permansit, & ejusdem Regionis incolatum accepit. *Brietius*, *Sigbertus*, *Gregorius Turonensis*, *lib.* 2. *Histor*. *Cap.* 6.

452. Post hæc Attila Italiam invadit, priùs tamen Illyrici sinûs oram depopulatur, & Trigurium, Sebenium, Polam, Segniam, & cœteras Civitates diripit, & incendit. Mox Italiam ingressus, Aquilejiam, Patavium, Licinum, Mediolanum, & reliquas Italiæ Urbes vastat, sed dum Italiæ caput Romam aggredi parat, per Sanctum Leonem summum tum Ecclesiæ Pontificem, placatur, ejusque interventu, pacificè recedit, & Exercitum in Pannoniam reducere statuit. *Marcellinus*, *Cassiodorus*, *Blondus*, *Lib.* 3. *Decad.* 1.

453. Circa hæc tempora, effecit id Attilæ barbaries, crudelitásque, ut vicini populi, cum quàm plurimis Aquilejiæ civibus, (qui ante obsidionem sibi fugâ consuluerant) quò ab Hungarorum impetu securi essent, sese in Insulam (quæ Rivus altus dicebatur) reciperent, & celeberrimæ Venetiarum Urbi initium darent, tutissimum refugium in medijs aquis futuræ, elusuræque Hunnorum navigijs destitutorum, furorem & conatum.

454. Tandem Attila, tantorum jam bellorum pertæsus, Bactrianorum Regis Filiam *Mikolth*, Virginem speciosissimam, in uxorem ducit, ipsáque nocte nuptiarum, sanguine copioso è naribus in fauces exundante, suffocatur. Anno ætatis 124. *Inchofer*, *Brietius*, *Idatius*, *Theophanes*. *Hungaricum Chronicon*, mortem Attilæ, an Annum 445. refert, quod & nos secuti fueramus in Synopsi Chronologica, de Regia Urbe Buda. Sed re melius perpensâ, nunc sequimur, aliorum Historiographorum, potiorem partem, & majorem authoritatem.

455. Post mortem Attilæ, gravissima inter Hungaros, & maximè inter duos

duos natu majores filios; *Chabam*, ex Honorij Græcorum Imperatoris filia primogenitum, & *Aladarium*, de Illustri Germaniæ Ducum Familiæ *Kremheyleh* vocitatæ matre susceptum, exoriuntur discordiæ, illis suam veterem libertatem vendicantibus, his verò regnandi præeminentiam sibi invidentibus, eripientibusque. *Thuroczius*, *Bonfinius*, *Olachus*.

456. Discordia memorata, in pugnam & cœdem, si unquam aliàs cruentem erumpit. Hoc siquidem fraternum certamen, & intestina tanti populi clades, quindecim ferè continuorum dierum tenuit spatium, tanta utriúsque partis strage, ut ob effusum humanum sanguinem, Danubius secùs Budam, non tantùm rubicundus, sed in sanguinem versus videretur. *Thuroczius*, *Antiqvum Hungariæ Chronicòn*.

457. Rebus ita turbatis, *Aladarius*, ut viribus impar, & suis ferè nudatus populis, à Gelfidarum Rege *Ardarico*, bello petitur, superatur, & interimitur. *Chronicon Hungariæ*.

458. Chaba, alter Attilæ filius, metuens parem stragem, cum suis reliquis natu minoribus fratribus, & residuo quindecim millium Exercitu, fugâ sibi consulens, in Græcorum Imperatoris, cui sanguine justus fuerat, tutelam se recipit. *Thuroczius*, *Olachus*.

459. Residui Hungari, in confinia Transylvaniæ se recipiunt, ibíque sedem suam figunt, ac deposito Hunnorum nomine, sese *Siculos* denominant, ubi eorum posteri, ad hanc usque diem manent, terrásque illas ac nomen retinent.

460. Ardaricus, Rex Gepidarum, Hungaris partim cœsis, partim ultrò fugientibus, recedentibúsque, & ijs paucis, qui adhuc in Pannonia remanserant, ejusdem Imperio se subdentibus, Pannoniæ invadit Dominium.

468. *Denzices*, unus ex Attilæ filijs, qui cum *Chaba* se in Græciam receperat, in Leonem Græcorum Imperatorem insurgit, magnásque turbas excitat. *Marcellinus in Chronico*.

469. Leo Imperator Græcorum, Duce *Cathelico*, prælio *Danzicem* vincit, cujus caput conto Constantinopolim delatum, magnâ omnes lætitiâ efficit, victorique ingentem gloriam conciliat. *Priscus*, *Inchofer*, *Brietius*.

471. Chaba filius Attilæ, post tredecim annorum in Græcia moram, desperans pro hac vice reditum in Pannoniam, cum residua Hungarorum sibi adhærentium parte, in Scythiam discedit, non cessans usque ad finem vitæ, suis suadere, ut data occasione, rursus Pannoniam repeterent.

478. Ostrogotthi, observatâ exiguâ potentiâ Gepidarum, & Hunnorum clade, fugâque, necnon remota Gotthorum affinitate persuasi, Pannonias sui Juris faciunt, atque per complures Annos, sub *Athalarico*, *Valamire*,

mire, *Theodomire*, *ac Theodorico* Regibus, ſibimet ſuccedentibus, eaſdem pacificè poſſident. *Vetus Hungariæ Chronicon.*

481. Hoc anno facta eſt translatio Corporis Sancti Martini Pannonis, ex loco in quo conditum fuerat, tot miraculis, quæ ad ejus ſepulchrum fiebant, minùs congruo, in Baſilicam, ſplendidè à *Perpetuò* Epiſcopo, qui ſextus à Martino Eccleſiæ præfuit, extructam. Eodem anno moritur Sanctus Severinus Noricorum, & Pannoniæ Apoſtolus. *Inchofer.*

499. Symachus Papa, Theodoro Laureacenſi Archi-Epiſcopo pallij uſum concedit, ejúſque Juriſdictioni Pannoniam quoque ſubjicit. *Inchofer.*

Hoc eodem anno, primùm Bulgari, ex partibus Tartariæ Moſchoviticis, (ubi etiamnum eſt hujus nominis Provincia) prodeunt, Thraciam vaſtantes, quam poſtmodum etiam ſui juris fecerunt, & à ſuo nomine, Bulgariam denominârunt.

502. Bulgari, iterum Thraciam nullo prohibente, depopulantur. *Brietius*, *Bucelinus.*

503. Ijdem Bulgari, Pannoniam infeſtant. *Ricciolus.*

504. Theodoricus Rex Oſtrogothorum, Bulgaros vincit, & Pannoniam Syrmienſem ſibi ſubjicit. *Inchofer*, *Caſſiodorus.*

515. Hunni Scythici, Capadociam vaſtant. *Caſſiodorus*, *Bucelinus*; *Ricciolus.*

516. Anaſtaſius Imperator Orientis, cum ijſdem Hunnis paciſcitur. *Bucelinus.*

526. Longobardi Anduino Rege, Pannoniam occupant, Oſtrogothis inde pulſis. *Ita Chronica Hungarica. Vide infra Anno* 549.

528. *Bareza* vidua, *Bólachi*, ſeu *Malachi*, Regis Hunnorum eorum, qui *Saberi*, aliàs *Izabeni* dicebantur, quondam uxor, cum centum millibus ſuorum, ad partes Juſtiniani Imperatoris accedit, & duos Reges Hunnorum, à Calade Perſarum Rege, contra Juſtinianum excitos, per fines ſuos tranſire tentantes, devincit, & unum illorum *Glonca* nomine, in acie interimit, alterum *Styriacem* vinctum, Conſtantinopolim mittit. *Cedrenus*, *Brietius*, *Ricciolus*, *Inchofer.*

539. Hunni, à Sinu Jonico, omnia, uſque ad Conſtantinopoleos ſuburbana, depopulantur; ingentíque prædâ onuſti, nemine penitus eis reſiſtente, domum revertuntur. *Procopius*, *Ricciolus*, *Brietius*, *Inchofer.*

540. Hunni, ex hac depopulatione reverſi, Cherſoneſum expugnant, anguſtias maris, inter *Abidum* & *Sextum* tranſeuntes, in Aſiam excurrunt, cunctáque deprædantur, & ipſum Imperatorem Juſtinianum, ad tributum pendendum cogunt. *Procopius*, *Inchofer.*

544. Hoc anno Martyrium obit Sanctus Laurianus Hispalensis, natione Pannonius, sive ut omnes ferè Hispanorum Scriptores loquuntur, Hungarus, Episcopus Hispalensis, in Hispania, occisus in odium Fidei, à Totila Gothorum Rege, Turonij, dum Sacras Reliquias Sancti Martini gentilis sui ibidem inviseret. *Mariana lib. 5. cap. 8. Breviarium Hispalense, Inchofer.*

548. Sclavini, sive Sclavi, transmisso Istro, Illyrium occupant, eíque nomen à se imponunt. *Brietius.*

549. Longobardi à proprijs sedibus, super Istrum positis, egressi exemplo Sclavorum, qui anno superiore, eodem flumine transmisso, Illyrium occupârunt, ipsi quóque finitimas Regiones populantur, grassatique in Dalmatiam, Illyrium, Epidaurum usque, cuncta devastant. *Procopius, Brietius, Inchofer.* Verùm quòd hi Authores addunt Longobardos, hâc occasione etiam Pannoniam occupâsse, minùs verisimile est. Constat siquidem Longobardos, annis quadraginta duobus Pannoniam incoluisse, & inde anno 598. à Narsete evocatos in Italiam fuisse, nisi fortè per Pannoniam, intelligant partes illas Pannoniæ, quæ sunt extra illam Pannoniam, quæ nunc Hungaria dicitur. Olim enim nomen Pannoniæ longè latiùs se extendebat.

550. Ex eadem gente Sclavonica, alter Exercitus Istrum transit, & residuas partes Illyrij, Thraciámque devastat. *Procopius, Inchofer.*

551. Sclavi, ad Hadrianopolim, Romanum Exercitum profligant, & usque Constantinopolim irrumpunt, ægrèque inde repelluntur. *Brietius Chronica Hungariæ.*

552. Ijdem Sclavi, & Hunni, Orientale Imperium Romanum, acriùs infestant. *Ricciolus.*

558. *Zaberga*, Contrigurorum Hunnorum Dux, Scythiam, Mœsiámque transgressus cum ingentibus copijs, partem Exercitûs in Græciam, partem in Chersonesum Thraciæ dimittit. Ipse cum aliquot millibus Equitum, Constantinopolim pergit, & ubique miserandam stragem edit. Quem tamen *Belizarius* licet jam senio confectus, ultra progredi inhibuit, Hunnísque ut ad propria redirent persvasit, sed non nisi appenso auro, annuóque tributo promisso. *Brietius, Inchofer, Ricciolus.*

559. Sanctus Martinus mirandis virtutibus erga *Chramnum* filium *Clotarij* Regis Francorum claret. Hic enim à parente, ob concitatam rebellionem, ter in vincula datus, ter invocata Sancti Martini ope, catenis spontè refractis, ac dissilientibus liber evasit. Quod Rex in animum demittens, non solùm liberum esse jussit filium, sed & pristinæ gratiæ restituit. *Sanctus Gregorius, de miraculis Sancti Martini, lib. 1. cap. 27.*

560. *Theodemirus*, aliàs *Ariamirus* Rex Svevorum, in Gallicia Hispanorum, ex Arianismo, ad Fidem Catholicam convertitur, motus miraculo Reliquiarum Sancti Martini, quarum ope & attactu, filium à lepra mirabiliter sanatum ipsemet conspexit. Eodem autem tempore, quô hæ Sacræ Reliquiæ in Galliciam advectæ sunt, ibidem Sanctus Martinus junior, & ipse Pannonius, imò & Sabariâ, Patriâ Sancti Martini Senioris oriundus, in Episcopum ordinatur. *Sanctus Gregorius*, *lib. citato cap.* 10. *Baronius*, *Brietius*, *Inchofer*.

562. Basilica Sancti Martini Turonis, per *Wilicharium*, qui in eam confugerat Socerum *Chramni*, filij Clotarij Regis, ejúsque conjugem succenditur. Eadem tamen protinus jussu Clotarij reparata, pristinæ elegantiæ restituitur. *S. Gregorius lib.* 4. *cap.* 20. *Inchofer.*

564. *Chramnus* filius Clotarij, rursus in patrem rebellans, & cum eo confligere ausus, vincitur, & capitur, ac cum uxore & filiabus, à quibus ad rebellionem incitabatur, in tuguriolo rustico, jussu Patris, vivus exuritur. Ita igne luerunt, quorum culpâ Divi Martini Basilica igne conflagravit. *Inchofer*, *Brietius.*

566. Sanctus Gregorius Turonensis, insigni miraculo, virtute Sancti Martini, cui se commendaverat, à lethali febre sanatur. *Idem Gregorius*, *lib. miraculorum Sancti Martini*, *cap.* 32. Eodem anno, ab Hunnis Legati, ad Justinum XI, Imperatotem Orientis mittuntur, annuam pensionem receptu-ri, quæ ijs ab ejusdem antecessore Justiniano numerabatur, sed à Justino rejiciuntur, indicto insuper ijsdem bello, nî imposterum à talibus abstinerent. *Brietius.*

567. Hunni igitur hoc responso Cæsaris incitati, Duce *Avario*, rursus Pannonias invadunt, atque à nomine hujus Ducis, longo tempore Avares denominati sunt. Interea verò *Narses* Eunuchus, Militiæ Imperatoris Justini Dux, offensus à Sophia Augusta, ab eadémque contemptus, *Alboinum* Regem Longobardorum, qui tunc Pannoniæ dominabatur, â Pannonia in Italiam evocat. *Paulus Diaconus*, *lib.* 1. *cap.* 6. *de gestis Longobardorum.*

568. Longobardi facto fœdere cum Hunnis, ijsdem pannoniam relinquunt, eâ conditione, ut si aliquando Longobardos redire oporteret, liceret eis in Pannoniam, ad antiquas possessiones redire. Ipsi verò post quadraginta duos annos Pannoniæ cultæ, cum uxoribus & liberis, in Italiam proficiscuntur, eandem occupaturi. *Idem Paulus Diaconus*, *lib.* 2. *cap.* 6.

569. Hunni, sive *Avares*, hoc anno gravem accipiunt cladem, à Tyberio Excubitorum Comite, Exércitûs Justini Duce, pacémque ab eo petere coguntur. *Brietius*, *Ricciolus.* Interea Alboinus Rex Longobardorum,

magnam partem Italiæ occupat. *Paulus Diaconus*, *de gestis Longobardorum*, *lib.* 2. *cap.* 20. *Blondus lib*, 7. *decad.* 1.

570. Longobardi Mediolanum expugnant, & Ticinum seu Papiam obsidere statuunt, omniáque castra & Urbes, usque in Tusciam obtinent. *Brietius.*

571. Alboinus Rex Longobardorum, Ticinum deditione capit, nec diu post *Veronæ* dolo uxoris *Rosemundæ* occiditur, in locum cujus *Clephis* à Longobardis substituitur. *Gregorius Turonensis*, *lib.* 4. *cap.* 35. *Paulus Diaconus*, *lib.* 2. *cap.* 14. *Varnefridus lib.* 2. *cap.* 28.

573. Longobardi Italiam vexare continuant, *Clephis* tamen Rex eorum, post regimen septemdecim mensium, à servo occiditur, post quem fuit Interregnum decem annorum. Quo temporis spatio, triginta Duces Longobardorum, diversa loca & Civitates Italiæ, inter se diviserunt, & sibi usurpârunt. *Brietius*, *Paulus Diaconus*, *lib.* 2. *cap.* 17. *Sanctus Gregorius lib.* 4. *Epist.* 34.

574. Tyberius Excubitorum Comes, qui anno 569. contra Hunnos, sive Avares feliciter pugnaverat, hoc anno Justini temerarijs consilijs obsecutus, ab ijsdem profligatur, & tantùm non captus est. *Cedrenus lib.* 4. *Histor. Inchofer.*

576. Beati Martini orationibus Reges Francorum *Gutheramus*, & *Sigisbertus* decertantes, conciliantur, pace ex improviso compositâ: eodémque ipso die, tres paralytici, & omni ferè membrorum usu destituti & defecti, ad ejusdem Sancti Sepulchrum orantes, admirabiliter pristinæ sanitati restituuntur. *Gregorius Turonensis*, *lib.* 2. *miraculor. cap.* 5. 6. & 7.

577. Longobardi, qui nuper in Italiam venientes, Pannoniam Hunnis sive Huugaris reliquerant, Romam ipsam obsident, per totámque Italiam cædibus flammísque grassantur. *Brietius.*

584. Longobardi, Romam Urbem ad angustias redigunt. Hinc Pelagius Romanus Pontifex á Mauritio Imperatore auxilia implorat. *Brietius.*

585. Longobardi, à cæde Regis sui *Clephis*, decennio toto carentes Principe, filium ejusdem *Clephis*, dictum *Autharith*, Regem eligunt, eique omnes illi XXX. Duces, qui inter se partiti fuerant Italiam, substantiæ suæ dimidium, pro usibus Regalibus tribuunt. *Paulus Diaconus*, *de gestis Longobardorum*, *lib.* 3. *cap.* 8.

587. *Cangerius* Dux Avarorum, seu Hungarorum, ferè usque Constantinopolim prædando excurrit. Sed à Commentiolo Duce Romani Exercitûs, improvisò circumventus, plurimis suorum amissis, retrocedere cogitur. *Cedrenus*, *Inchofer.*

591. Mor-

591. Mortuo Authariio Rege Longobardorum, ſubſtituitur *Agilulphus*, qui totâ Italiâ potitus, præter Romam & Ravennam, cum adjacentibus locis, ex Arianâ hæreſi, cum omnibus Longobardis, ad Fidem Catholicam convertitur. *Paulus Diaconus, lib.* 4. *cap.* 1. *&* 2.

592. Sanctus Gregorius Papa, pacem cum Longobardis init, ſicque ſuis Romanis providet. *Brietius.*

593. Vel juxta alios 594. *Chaganus* ſeu *Cajanus* Hunnorum Dux, cum Avaribus & Sclavis Iſtro trajecto, Thraciam invadit, ac inundat, omniáque fœdè diripit, Heracleam uſque exurrens; ſed multis certaminibus circumventus, conſilio clari, & eloquentiâ miſſi Legati perſvaſus, pacificè cum ſuis in Pannoniam redit.

595. Hunni, ſive *Avares*, è Pannonia, in Thuringiam impetum faciunt, & graviſſima prælia cum Francis gerunt, poſtmodùm tamen ab his, ingenti pecuniâ acceptâ, ad propria revertuntur *Inchofer, Blondus lib.* 8.

600. *Chaganus* cum ſuis Hunnis, ſeu *Avaribus*, Thraciam rurſus invadit, tantúmque terrorem Thracibus incutit, ut plerique conſilium caperent, Europâ deſertâ migrandi in Aſiam. Sed ſimpietas *Chagani*, timidum hoc conſilium impedijt. Cúm enim *Driziparâ* direptâ, Templum Sancti Alexandri Martyris, in ea ſitum incenderet, ſepulchrúmque illius argento ſpoliaret, ſacráſque ejus Reliquias ignominiâ afficeret, peſtis ingens *Chagani* Exercitum invadit, ac magnam partem illius conſumit, ſicque in Patriam ſuam, malè mulctatus redire cogitur. *Theophraſtes in Miſcellaneis, Nicephorus, lib.* 18. *cap.* 28. 29.

602. *Mauritius* Imperator, à Phoca Centurione, unà cum filijs & conjuge, miſerabili morte occiditur, haud dubiô illius clementiam, ac immiſericordiam puniente. Nam cùm Chaganus nupero bello, ingentem multitudinem ex populo Mauritij incaptivâſſet, & *Chaganus* eorundem reſtitutionem Mauritio ultrò obtuliſſet, ſi pro ſingulis captivis, ſingulos nummos eidem rederet, abnuit id facere Mauritius. Tunc iratus *Chaganus*, ad unum omnes internecioni dedit: hæc Legato reddens: Judicet inter me, & Mauritium DEUS. *Nicephorus lib.* 18. *cap.* 40. *&* 41.

604. *Phocas*, cum Chagano Duce Hunnorum ſeu Avarum inducias paciſcitur, & contra Coſrhoem Regem Perſarum, bellum ducit, ſed prorſus infelici exitu, ac eventu *Cedrenus*. Item *Phocas* Imperator, Narſetem Ducem, aliàs Rebellem, qui Longobardos ex Pannonia in Italiam evocaverat, iteratis juramentis de ſecuritate perfidioſé revocatum, vivum exuri jubet. *Cedrenus, Brietius.* Longobardi verò firmato in Italia Regno, nunquam ampliùs repetiêre Pannoniam.

618. Heraclius, iturus contra Cosrhoem Regem Persarum, cum Chagano Duce Avarum seu Hungarorum præproperè pacem sancit: sed deceptus ab eodem, tantùm non comprehenditur: Insuper cùm Heraclius Bizantio abest, ille usque ad Urbis Regiæ mœnia, cuncta deprædatur. *Cedrenus*, *Theophanes*.

620. Heraclius à Persis multis cladibus attritus, cogitur cum Chagano Duce, pacem inire.

621. Heraclius in Persidem contra Cosrhoëm movens, Chagano Duci Hungarorum scribit, eundemque ad pacem initam, fideliter conservandam hortatur, & in signum sinceræ amicitiæ, illi Urbis Regiæ negotia commendat, & Tutorem filij (quem Constantinopoli reliquerat) appellat. *Theophanes*, *Inchofer*.

625. Cosrhoës Persarum Rex, mutatâ fortunâ, iteratis vicibus ab Heraclio Imperatore victus, & extrema tentans, cum omnibus hostibus Imperij fœdus init adversùs Heraclium, cum Chagano, Hungarorum Duce, de fide sollicitat Bulgaros, & Sclavos, eisdem svadet, ac etiam persvadet, ut Constantinopolim invadant, ac obsideant, quam illi obsidentes, acriter oppugnant, sed tandem Divæ Virginis ope, (cujus honori hæc Urbs dicata fuerat à Constantino Magno) plurimis suorum amissis, recedere coguntur. *Theophanes*, *Inchofer*.

626. Hungari hâc expeditione plurimùm attriti, longo tempore sese in pace continent.

628. Sanctus Rupertus, Bojorum quidem Apostolus, sed non mediocriter de ipsis quoque Pannonijs bene meritus, quos identidem visitans, eam Evangelij sementem fecit, quæ posteà in uberem segetem excrevit, sanctissimè obit, Juariæ, quæ nunc Salisburgum dicitur. *Raderus in Bavaria Sancta*, *Inchofer*.

639. Floret Sanctus Emmeramnus, qui à puero litteris sacris, & disciplinâ Christi eruditus, id consilij capit, ut totum se in gentium conversionem impendat, & præsertim, ut Hungaros gentem bellicosam, & tunc Religioni Christianæ maximè infensam, ad Fidem Christi convertat. *Inchofer*, *Raderus*.

649. Sanctus Emmeramnus in Pannoniam pergens, Reginoburgi in Boica à Regionis Principe Theodone, multis precibus, ut rem Christianam ibidem promoveat, detinetur, nec multò post ejusdem loci Episcopus constitutus, doctrinâ, virtute & exemplo inclarescit. *Inchofer*, *Raderus*.

652. Sanctus Emmeramnus postquàm triennio Evangelium Christi in Boica prædicâsset, multósque ad Fidem Orthodoxam adduxisset, raro Martyrio

tyrio ex causa inusitatæ Charitatis erga proximum suscepto, & tolerato, ad cœlestia prœmia migrat. Eum, post acceptum Evangelium Hungari, ut Patronum, non unâ Basilicâ venerati sunt, quas inter, diu enitnit, quæ singulari opere prope Quinque Ecclesias constructa erat; altera, quæ etiam num Nitriæ magnificè extructa cernitur, ſéstque Cathedralis illius Capituli Ecclesia.

663. Ariperto Longobardorum Regi defuncto, succedit Grimoaldus, vir bellicosus ac fortis, qui mox fœdus cum Chagano Duce Hunnorum, renovat, & confirmat.

664. Grimoaldus Rex Longobardorum, Avares sive Hungaros, ex Pannonia in Italiam, contra Lupum Ducem, Foro-Julij Ducatum sibi usurpantem, in subsidium evocat, & Foro-Julium occiso Lupo Duce feliciter reoccupat. *Paulus Diaconus lib. 5.*

669. Hunnos confecto bello Foro Juliensi, primò hoc anno, rogatu Grimoaldi, scribunt nonnulli redijsse in Pannoniam. *Blondus lib. 9. decad. 1.*

670. Interea mortuo Chagano Duce Hunnorum, diu res Hungariæ jacuerunt, Hunnis partim diversis bellis diminutis, partim Ducibus bellicosis destitutis.

678. Ex Chaba filio Attilæ, qui in Scythiam cum adhærentibus sibi Hungaris, redierat, nascitur *Almus*, (is qui deinde cum sibi subjectis VII. Ducibus rursus in Pannoniam Hunnos ex Scythia eduxit) Patre Elendo genitus, quem inter, & Attilam duo alij intercesserunt, *Ed* & *Ugek*, hic Avus, ille Abavus *Almi*, sed quorum gesta obscura manserunt. *Inchofer.* Verùm *Bonfinius*, & & Scriptores Annalium Hungaricorum, longiorem seriem Genealogiæ *Almi* seu *Alomi* recensent, Juxta quos *Almus* genitus est ex Elendo, Elendus ex Vegeko, Vegekus ex Edo, Edus ex Chaba, Chaba ex Attila, qui etiam memorant matrem *Almi*, cùm gravida esset, aquilam è sublimi devolantem, per somnium, in gremio suo caput reclinantem vidisse, & mox ex utero fluvium erupisse, eúmque quò longiùs per aliena loca flueret, eò majora augmenta sumere, longè latéque in alienos campos & sata exundare. Ex quo omine genitus infans *Alomi* (nam Hungaris *Alom* somnum significat) nomen tulit, eventúque postmodùm matris visum confirmavit.

737. Luithprandus Longobardorum Rex, ex eo, quòd Gregorius Papa Transmundum Ducem Spoletanum, suum hostem, ad se confugientem, reddere noluisset, advocatis Hungaris, qui adhuc in Pannonia supererant, Romam obsidet, & Basilicam Sancti Petri in Vaticano, temporibus illis extra mœnia positam, fœdè expilat. *Gregorius in Epistola ad Carolum Martellum, Inchofer.*

742. Luith-

742. Luithprandus Rex Longobardorum, magnus amicus Hungarorum, quibus ſicut profuit in multis, ita viciſſim ab illis commoda percepit, in rebus non paucis, ſatis concedit. *Paulus Diaconus*, *Inchofer*.

743. Interea Hungari, qui in Scythia ſupererant, haud dubiô memores Chabæ Regis adhortationum, quas traditione acceperant. (Hic enim poſt mortem Patris ſui Attilæ, ex Pannonia in Scythiam rediens, ſummis laudibus ſemper Pannoniam extollendo, inſtigare non ceſſabat Hungaros, uſque ad finem vitæ, ut ubi viribus aucti fuerint, Pannonias rurſus repetant). Sub Duce *Almo*, univerſi ex Scythia exire ſtatuunt, & ad egreſſum unà cum uxoribus & prolibus, totáquè eorum ſubſtantia, ſeſe diſponunt, mos namque apud Hungaros olim erat, ut cùm res communitatem æquâ ſorte tangentes occurrerent, aut generalis expeditio Exercitûs incumberet, mucro ſangvinis aſpergine tinctus, media Hunnorum per habitacula, caſtraque deferretur, & voce præconiâ, edictum hiſce verbis promulgaretur. *Vox DEI, & præceptum communitatis univerſæ, ut unuſquiſque tali loco, ac tempore armatus, vel qualiter poteſt compareat: communitatis conſilium ſimul & præceptum auditurus*. Sancitum inſuper fuerat, ut tranſgreſſores hujus mandati, niſi rationabilem aſſignarent excuſationem, cultro, media per viſcera dividerentur, vel in perpetuam ſervitutem, ac ruſticitatem redigerentur. *Thuroczius*.

744. *Alomus* itáque ſive *Almus*, immenſis auctus copijs, è Scythia egreditur, & ſuperato Tanai fluvio, per Roxolanos, Sarmatas, Beſcos, Chunos, aliáſque gentes, iter faciens, ſub ſeptem Ducibus, divjſo in totidem claſſes Exercitu, quà quá tranſit, loca omnia populoſque fulminis inſtar proſternit, ac tandem in Tranſylvaniæ regiones Pannoniæ finitimas penetrat; multi Siculorum qui extremam Daciæ partem, poſt mortem Attilæ occupârant, & hucuſque tenuerant, audito cognatorum adventu, his in Roxolanos uſque ſcribuntur occurriſſe. *Bonfinius*, *Thuroczius*.

745. *Alomus*, cum alijs Septem Ducibus, in Tranſylvania tantiſper ſubſiſtit, ac totidem in Caſtra & Exercitus diſtribuit, (exercitus porrò ſinguli Triginta-hominum millibus, & octingentis, quinquaginta ſeptem, planè conſtabat) ſinguláque Caſtra, vallo ac foſsâ altiſſimâ muniri jubet, unde & Regionis ſumptum eſt nomen, ita, ut hodiéque à Germanis regio illa Siebenbûrgia vocitetur. *Bonfinius*, *Thuroczius*.

746. *Alomus* magnâ parte copiarum versùs Pannoniam dimiſsâ, dum res Tranſylvanorum ſive Dacorum incautè ordinat: ab ijſdem occiditur. Quô auditô *Arpadus* filius, parte Exercitûs ex itinere reducta, mortem patris ulciſcitur, eidémque conſenſu reliquorum Ducum ſuccedit, cum quibus præ-

præcipua quidem authoritate, pari tamen voto, & consilio rem administrat, móxque pacatâ Daciâ, in Pannoniam Exercitum ducit. *Inchofer.*

747. *Arpadus* cum reliquis Ducibus, Pannoniam intrat, & ut hospes à Swatoplugo (quem alij Swatem appellant,) tunc in Pannonijs Principatum obtinente, benevolè suscipitur.

748. *Arpadus*, non jam ut hospes & advena, sed ut Pannoniæ possessor, à Swatoplugo Provinciam sibi dari, & tradi postulat, quod cum precibus non impetrat, armis Swatoplugum aggreditur, atque hunc, vim vi repellere conantem, prælio, in campo prope Danubium commisso, devincit, tanto successu, us cæsis, profligatísque incolis, ipse Swates, ne in advenarum deveniret manus, desperatione actus, quia fugiendi locus non erat, in Danubium insilierit, mersúsque fuerit. *Thuroczius.*

749. Septem Duces, Pannonias inter se partiuntur. Et sic primo Duci *Arpado*, utpote authoritate reliquos omnes excedente, & Albæ, viciníque ejusdem terræ tractus, obvenêre. Secundo, dicto *Zabolcz*, ditio Transtibiscana, cujus pars, nunc etiam Comitatus Zabolczensis nuncupatur. Tertio *Gyula* nomine, pars illa Transylvaniæ, in qua sita est Alba Julia, vel rectiùs Alba Gyula. Quartus *Kevad*, vel *Chundus*, ad amnem Nyir se cum suis collocavit. Quintus *Lehel*, sortitus est illas partes terræ, quæ Galgoczio & Vago adjacent, ubi etiam num Pyramis ejusdem sepulchralis visitur. Quamvis non desint, qui scribant hunc Ducem *Lehel*, in divisione Pannoniæ, cum socijs belli, Mœsiam superiorem, ejectis Bulgaris occupâsse, & Hungariæ adjecisse, sed hoc fortassis seriùs postmodùm factum est. Sextus Dux *Verbuchus*, totam illam Regionem, quæ Balathonem lacum circumscribit, sibi vendicavit. Septimus denique Dux *Urs* cognomine, in Sejano, sive Sajo agro, & adjacentibus eidem partibus, substitit.

750. Hoc modo divisâ inter se Pannoniâ, à Septem Ducibus Hungaricis, sex annis quievêre, donec in ditionibus nuper occupatis se firmarent, ac stabilirent, & arma, & equos meliorarent. *Thuroczius*, *Chronica Hungariæ, capite* 23.

756. Itaque postquam de omnibus rebus ad expeditionem bellicam, sibi Hungari providissent, Moraviam, & Bohemiam repentè invadunt, & crudeliter exspoliant, átque deinde cum victoria redeuntes, uno anno conquiescunt. *Idem Thuroczius. ibidem.*

758. Carinthiam, Styriam, átque Carnioliam deprædantur, rursúsque tribus annis quiescunt. *Idem, ibidem.*

762. Bulgariam aggrediuntur, & ex ea thesaurum ingentem, ac armenta innumerabilia abducunt. *Idem, Ibidem.*

763. Per Forum Julij, usque ad ipsam Marchiam Longobardiæ intrant, omniáque in ea depopulantes, Paduam igne & gladio consumunt, & cum magna præda in Pannoniam redeunt, ac decem continuis annis in pace continent. *Idem, Ibidem cap.* 24.

768. Carolus Magnus, succedit Pipino Parenti in Regno Franciæ, quem inter & Hungaros, magna postmodùm intercessêre bella. *Rictius, Brietius.*

773. Novis animis ac viribus collectis, irruunt in Saxoniam, Lotharingiam, Sveviam, & Bavariam, Franconiam & Burgundiam, sed in reditu prædâ onusti, ab Alemanorum Exercitu sistuntur, & cæduntur. *Thuroczius loco citato.*

774. Carolus Magnus contra Saxones feliciter pugnat, ipsísque Hunnis magnum metum incutit. *Inchofer.*

777. Telericus Rex Bulgarorum, qui multoties adversus Constantinum Copronymum Orientis Imperatorem, feliciter pugnaverat, Christianæ Religionis amore, suos deserens, venit Constantinopolim, & sacrum Baptismum suscipit. Cujus fama plurimos Hungaros, ipsósque imprimis Duces, cum Arpado suspensos habet, circa gentilismum abjiciendum, & exemplo Telerici, Fidem Christianam amplectendam. *Brietius, Inchofer.*

782. Saxones vicibus iteratis Carolo rebellantes, demùm hoc anno plenè debellantur, & ne ulterius rebellionem moliri possent, è patrijs sedibus evulsi, per varias regiones, jussu Caroli sparguntur. Quâ occasione credibile est, eos etiam in Hungariam & Transylvaniam devenisse.

787. *Tassilio* Bojoariæ Dux, impulsu uxoris, Desiderij Regis Longobardorum filiæ, à Francis Regno pulsi, cum Hungaris contra Carolum fœdus init, qui è Pannonia evocati, Augustam usque omnia terrore implent. Verùm convenientibus aliquot Principibus Germaniæ, in campis Lycijs cæduntur, plurimáque milita illorum, in Lycum fluvium acta, aquis merguntur. *Inchofer, Brietius.*

788. *Tassilio* Bojoariæ Duce devicto, & in Monasterium cum filio Theodone retruso, Carolus Sclavis Danubium accolentibus bellum indicit, illúdque feliciter, unâ duntaxat æstate conficit. *Bonfinius.*

789. Hungaros inter & Carolum, qui gloriâ magnorum facinorum, Magni nomen jam circumferebat, de confinijs Regnorum ac ditionum, quibus discerni deberent, controversia, & inde diuturnum bellum oritur. *Bonfinius, Brietius, Ricciolus, Inchofer.*

791. Carolus comparatis validis copijs, bipartito Exercitu Pannoniam ingreditur, & usque ad fluenta Arabonis vulgò Raba pervenit, magnâque Hungarorum strage editâ, victor revertitur. *Inchofer, Rhegin.*

795. Vel

795. Vel juxta Gallicos Scriptores 796. *Theodo*, vel *Theado*, unus ex Ducibus Hungarorum, Legatos mittit ad Carolum, eidémque ſpondet, ſe cum ſuis Chriſtianam Fidem ſuſcepturum. *Inchofer.*

796. Pipinus Caroli filius, juſſu Parentis, novam in Hungariam ex-peditionem ſuſcipit, & Hungaris trans Tiſſam fluvium (hodie Tibiſcum) ugatis, omnibúſque opibus direptis, ad Patrem Aquiſgrani tunc commo-antem redit, & ſpolia regni, quæ ſecum detulit, eidem præſentat. Eo-lem anno, & *Theado* prænominatus Dux Hungarorum, Aquiſgranum, ad Carolum Magnum advenit, ibíque cum omnibus, qui ſecum venerant, ba-ptizatur, & à Carolo honorificè excipitur, & remuneratur. *Inchofer.*

797. Ad hunc annum ponit Anonymus, & ex eodem Vrſpergenſis, veniſſe in Saxoniam novos Legatos Hungarorum ad Carolum Magnum, magnis cum muneribus: eoſdémque à Carolo libenter auditos & abſolutos. Verùm utrùm Legati hi *Theodonis*, vel alterius Principis ex Pannonia fue-rint, (tunc enim Hungaria à diverſis Ducibus, ſeu Principibus gubernaba-tur) incertum ait eſſe. *Inchofer.*

798. Interim *Theado* nutat & in fide Chriſtiana, & in fidelitate erga Carolum Magnum, ac tandem ab utraque deficit. *Inchofer.*

799. Hungari recenti *Theodonis* defectione animati, in Bojoariam, ſeu Bavariam magnâ manu irrumpunt. Ad primum tumultûs hujus nuncium, occurrunt ijſdem *Henricus* Foro Julienſium *Dux*, & *Geroldus* Bo-oariæ Præfectus, à Carolo Magno, exauthorato Taſſilione, huic Provin-ciæ Præpoſitus, ingénſque prælium cum illis committunt, penes quos au-tem ſteterit victoria non conſtat, certùm tamen eſt ipſum *Geroldum*, in hac pugna periiſſe. *Rhegius*, *Anonymus*, *Urſpergenſis*, *Inchofer.*

800. *Carolus Magnus*, à Leone III. Pontifice, Romæ in Baſilica San-cti Petri, in Imperatorem coronatur, ſicque Imperium Romanum, ſeu Oc-cidentis, rurſus reſtauratur. *Rhegius*, *Anonymus*, *Baronius.*

801. *Hungari*, accepto nuncio, de *Carolo* ad Imperium ſublimato, ſuam ferociam, ab eo infringendam rati, tumultuantur, viréſque omnes, ad ſe tuendum, contra *Caroli* conatus, intendunt. *Inchofer.*

802. Imprimis igitur Bulgaros, ac dein etiam Nicephorum, Orientis Imperatorem, in ſocietatem armorum ſollicitant, verùm ab hoc nihil impe-trant, nam Nicephorus eodem hoc anno, pacem cum *Carolo* initam, con-firmat. *Inchofer.*

802. *Carolus*, jam Imperator Occidentis, adverſus Hungaros, magno cum apparatu proficiſcitur, & ubi Pannoniæ fines attingit, triduanum je-junium toti Exercitui, pro felici pugnæ exitu edicit. Et primò DEI auxi-

lium, ac dein Sanctorum, sed præsertim Sancti Martini intercessionem, supplex implorat, & re ipsâ etiam exorat. Hungari siquidem Duce *Chaba*, (qui votis omnium ad hoc bellum electus fuerat) in campo Sicambriæ, eidem occurrentes, prælio gravi commisso, ab eodem ingenti plagâ afficiuntur, & vincuntur. Victis *Carolus* (qui non tam pro Regione, quàm pro Religione Catholica hoc bellum susceperat (hanc dat optionem: *Qui Christo nomen daturi sunt, liberi sunto, qui renuissent, ademptâ cum fortunis libertate, vitam duntaxat, permittunto.* Multi ne facultatibus ac libertate privarentur, Fidem Christianam susceperunt, pauci autem charitate verâ succensi. Porrò reportatâ hâc victoriâ, *Carolus* Budam, sive Sicambriam, ad quam se *Chaba* Dux receperat, arctissimâ cingit obsidione, quæ & ipsa in potestatem Imperatoris, paucos intra dies concedit, eandémque renitente licet aliquantulum *Chabâ* Duce, *Carolus* Urbem ingressus, Regiam sibi dedi postulat, ad extremum tamen deditione accipit, ejúsque ærarium, auro, argentoque, & alijs pretiosissimis rebus refertissimum, quas Hungari ex tot annorum deprædationibus plurimarum Provinciarum congesserant, subinde exspoliat, & partim in Ecclesias, partim in bene meritos distribuit, ipsum verò *Chabam* Ducem, in vincula conjicit, qui non expectatâ Imperatoris clementiâ) quam tamen liberalissimè, maximè supplicibus, seséque subjicientibus, largiebatur,) violentam manum sibi infert, ab Imperatore nihilominùs splendidâ sepulturâ donatur. Deinde *Carolus*, templa Idolorum, *Martis* & *Herculis* quæ Sicambriæ exstabant, demoliri jubet, in eorúmque locum Templa Beatæ Virginis poni jubet. Demum *Chaganum*, ejusdem gentis virum eximium, ac in Baptismo Theodorum dictum, qui ad eum securitatis causâ se receperat, Sicambriæ, & Hungaris præficit, ipse verò rebus per Hungariam bene ordinatis & dispositis, in Germaniam revertitur. *Rhegin. in Chronolo. Bonfi. Inchofer.*

804. Carolus Magnus, quod antea per omnem Germaniam & Galliam fecerat, in Pannonijs quoque scholas instituit, quò facilior esset à primis Elementis, ingeniorum cum moribus ad Religionem Christianam traductio. *Inchofer.*

805. *Hungari* à Carolo Magno defectionem tentant, spreto *Chagano*, seu *Theodoro* Duce, quem illis Carolus præfecerat. Quare Pipinum filium, inde Italiæ Regem, adversùs eos mittit, qui multis prælijs commissis, attritos tandem in officio retinet. Et aliquamdiu quidem Hungaris præest, sed dein à Parente revocatur, ad Italiæ Regnum moderandum, ac in locum illius, *Carolus* item Caroli Magni alter filius, in Hungariam mittitur. *Inchofer.*

806. *Hungari*, Carolo Juniore, novos tumultus excitant, paucorumq;

scelere

celere pacem perturbant. Itaque sæpiùs cum eo levioribus prælijs congressi, modò victi, modò victores fiunt, ultimatè tamen, uno prælio ferè debellati, florem juventutis Hungaricæ amittunt, sed & à Slcavis, Bohemis, â occasione, assiduis latrocinijs vexantur. *Inchofer.*

807. Non dum planè confecto bello in Pannonia Carolus Junior, à Carolo Imperatore, & Parente revocatur. Hungari porro, non parùm adversâ fortunâ fracti, ad Carolum Augustum Legationem mittunt, sanctiùs & certiùs fœdus culturi, simul & auxilia contra Slavos, adeóque & Bohemos, præcipuam Sclavorum nationem petunt, ac etiam impetrant. Idem ergo Carolus Junior, rursus à Cæsare in Pannoniam destinatur, eidémque ut Slavos coërceat, imponitur. Qui illuc profectus, non minori conatu, bellum pro Hungaris, quàm paulò ante contra illos suscipit, ac feliciter perficit. *Inchofer*, *Brietius*, *& alij Annales Francici*, *licet hi id biennio priùs scribant contigisse.*

808. Interea *Chaganus* seu *Theodorus* Dux, ad Carolum Imperatorem proficiscitur, & Præfecturâ Hungariæ se abdicare conatur, locum unà sibi dari postulat ad habitandum, in quo cum reliquis Religionis socijs, DEO, sibíque vacare liceret. Optione igitur sibi ab Imperatore datâ, eam partem Pannoniæ eligit *Chaganus*, quæ inter Caruntum, (cujus vestigia Viennâ Posonium euntibus, non longè à Castro Divæ Petronillæ olim dicato) & Sabariam interjacet. *Eginchardus*, *Inchofer.* Ubi postmodum quoad vixit, vitam quietam, & ex sanctitate institutam egit. Carolo Juniore interdum, rebus Hungarorum, non sine Optimatum gentis consilio, moderante.

809. Paucis admodùm post mensibus, *Chaganus* seu *Theodorus* Dux, *Sabariæ* diem extremum claudit. Succedit eidem *Chaganus* alter, filius, an consangvineus, non exprimitur, sed planè ejusdem animi, & zeli Religionis Christianæ, ac fidelitatis erga Cæsarem. Qui continuò ad Imperatorem de Optimatibus suis mittit, petens honorem, quem Parens suus habebat, sibi dari. Cujus precibus Imperator assensum præbuit, & summam totius Regni eidem commisit. *Anonymus*, *Inchofer.*

810. Verùm non diu hâc dignitate *Chaganus* Junior frui potuit, nam hoc ipso anno, diem suum obijt, neque alius postmodùm, ex eadem gente in tali necessitate successit, sed Hungaria in Provinciæ formam redacta est, Leges, Magistratúsque à Carolo Jmperatore accepit, ac in aliquot ætates, Duces proprios habere desijt. *Inchofer*, *Anonymus.*

811. Hoc anno *Carolus*, Caroli Magni primogenitus, qui Pannonias ex institutione Parentis, hactenus summo Jure gubernavit, moritur. Neq;

ullus quoad Carolus Imperavit, ex sangvine Regio Hungariæ præfuit, sed per Legatos, ex Optimatum sententia administrata est. *Inchofer*, *Eginchardus*, *Brietius*.

812. Non parùm Hungaris animi accedit ad novos tumultus ciendos, audito Nicephori Imperatoris Orientis, interitu, & Bulgarorum, cum quibus Hungaris conveniebat, insigni de eodem anno elapso reportatâ victoriâ. *Inchofer*.

813. *Crunus* Rex Bulgarorum, prope Adrianopolim, Exercitum Michaëlis Imperatoris Orientis, & Nicephori successoris profligat. *Cedrenus*, *Theophanes*. *Carolus Magnus*, Aquisgrani, convocatis Principibus, & Episcopis, Ludovicum Filium, saluberrimis consilijs instructum, sui in Imperio Successorem|, & interim Collegam declarat. *Ricciolus*, *Brietius*.

814. *Carolus*, nomine & re Magnus, Aquisgrani obit, anno ætatis suæ septuagesimo secundo, Regni Francici XLVII. Imperij, XIV. Vir tam de Ecclesia, ac universa Christianitate, quàm etiam de gente Hungarica cujus bonum strenuè promovere pro viribus conatus semper fuerat, si quis Princeps alius, optimè meritus. Ludovicus auditâ Patris morte, ex Aquitania Aquisgranum venit, summóque omnium consensu, ac favore, eidem succedit. Ad quem ex Pannonia statim mittuntur Legati, quibus cum ille, de administratione Regni benignè agit, compromittens Electionem ex eorum gente, qui nomine Regio res Hungariæ administraret.

815. Defuncto Magno Carolo, Hungari, Ludovicum, Italiæ ordinandæ intentum conspicati, occasionem observant, quâ Regnum suum, ad pristinum statum revocare possent, ad arma dein respiciunt, & quò eventu bellum gesturi forent, deliberant. Ad cujus Executionem offert se *Lindeutus*, in inferiori Pannonia, Nobilitatis primæ, plurimósque ad se trahens, manifesta dat defectionis signa. Id quod cùm intellexisset *Ludovicus*, maturè occurrendum ratus, Legiones suas ad eum compescendum, mittit. *Inchofer*.

816. Interim in superiori Hungaria, quidam *Gadolaus* nomine, pariter caput erigit, sitq; æmulatio inter defectionis Principes, mox etiam ferro, antequam adessent copiæ Ludovici, inter eos decertatur, & victus *Lindeutus*, *Ludovici* quoque hostis efficitur, qui æquior *Gadolao*, tanquam è fide rem gerenti, Rerúmq; Hungariæ administrationi adjungitur, æquatísque utrinque pacis conditionibus, quietus Reipublicæ status redditur.

817. *Ludovicus* Imperator, Bernardum nepotem, Regem Italiæ, adversùm se conjurâsse accipiens, ex Gallia, Germania, & Hungaria, copias suas militares evocat.

818. *Lu-*

818. *Ludovicus* Imperator, conjuratione patefactâ, ejúsque authoribus in potestatem redactis, omnes, etsi judicio Francorum, capitali sententiâ Aquisgrani damnati essent, luminibus tantùm jubet privari. Episcopos autem in eodem scelere deprehensos, synodaliter deponi, & partim monasterijs mancipari, partim proscribi. *Inchofer.* Adfuêre hoc eodem anno *Ludovico*, missi à *Lindeuto* Duce inferioris Hungariæ, Legati, qui æmulum suum *Gadolaum*, crudelitatis & insolentiæ accusabant, interim autem ipse res novas moliebatur. *Anonymus*, *Inchofer.*

819. *Lindeutus* in Hungaria, iterum rebellat; contra quem missus à *Ludovico* Exercitus, parùm prosperè rem gerit. Hinc *Lindeutus* superbiâ elatus, Legatis missis, propositis quibusdam conditionibus, pacem simulatè petit, quas dum *Ludovicus* admittere abnuit, ille in perfidia obfirmatus, vicinas circumquáque gentes contra *Ludovicum* sollicitat, hunc tamen *Baldrichus*, qui *Gadolao* febri extincto successerat, ad fluvium Dravum ducentem Exercitum, parvâ manu fundit, & è Provincia fugat. *Lindeutus* interea in Dalmatiam evadit, collectóque rursus aliquo Exercitu, eandem igne & ferro vastat. Ad extremum verò gravi suorum damno facto, à *Borna* Dalmatiæ Duce, inde quoque excedere cogitur.

820. *Ludovicus* Aquisgrani Senatum habet, in quo de *Lindeuti* Pannoniæ inferioris Ducis defectione deliberatum, decretúmque est, ut tribus simul Exercitibus, sed diverso ingressu, Pannoniæ pars illi subjecta, invaderetur. Contra quos *Lindeutus* nihil tum molitur, munitione duntaxat, in arduo monte excitata, se suósque continet, nihil de bello, vel pace inferens. Exercitus interim à *Ludovico* missi, illatâ locis vastitate, nullo ab hoste passo damno, revertuntur, *Inchofer.*

821, Tres rursus Exercitus à *Ludovico*, contra *Lindeutum* mittuntur, qui in Pannoniam ingressi, rebellium agros per vices vastant, sed neque sic *Lindeuti* insolentia coërci potuit.

822. Exercitus ex Italia, ad conficiendum contra *Lindeutum* bellum in Pannonia, tertiò mittitur, manebat tunc *Lindeutus* Sisciæ, verùm nec ibi satis securum se fore judicans, Sisciâ relictâ, ad Sorabos, qui tum Dalmatiæ partem obtinebant, confugit, missis tamen ad Exercitum Imperatoris Legatis suis, ad cujus præsentiam stiturum se promittit.

823. *Lindeutus* relictis Sorabis, in Dalmatiam, ad Lindemustum Avunculum Bornæ Ducis, se recipit, ubi aliquamdiu confidenter moratus, ab eodem Lindemusto, insidijs circumventus, interficitur.

824. Morte Lindeuti, aliquamdiu Pannonia conquiescit. Hoc eodem anno, legitur editum Diploma illius, à *Ludovico* Pio, quod extat apud Lazium,

zium, in quo de adjectis suæ ditioni, & conversis à Carolo Magno, non paucis Hungaris, multísque Ecclesijs apud illos erectis, luculentum edit testimonium.

825. Neque tamen ab interitu Lindeuti prorsus sopita fuit Hungarorum defectio, sed lente spirabat in animis eorum, qui Lindeuti partes secuti erant, quæ cùm non lateret *Ludovicum* Imperatorem, ejus jussu Ludovicus minor natu filius, quò propinquior, & proximior Hungaris esset, in Bavariam venit.

826. Bulgari advertentes plures Hungarorum Duces, ægrè sequi *Ludovici* partes, per medias Pannonias, in Dalmatiam, infesto agmine penetrant. Rem totam dissimulantibus ijs, quos *Ludovicus* Hungariæ præfecerat.

827. Ijdem Bulgari, eam partem Pannoniæ, quam Slavi ad Dravum fluvium insidebant, invadunt, & expulsis Officialibus *Ludovici*, Bulgaricos Præfectos constituunt. Ab hinc Hungaria pace fruitur, usque ad mortem Pij Imperatoris *Ludovici*, qui suâ pietate & vigilantiâ id effecit, ut Hungaros non solùm pacatos, sed & ad sua jussa paratos haberet, etsi Præfectorum injuriâ non parùm lacessitos. Mortuus autem est piè ac sanctè, *Ludovicus*, Anno 840. die primâ Mensis Julij:

841. Defuncto Ludovico Pio Imperatore, Civile bellum conflatur, inter ejus filios, Lotharium, Ludovicum, & Carolum, prælióque commisso, vincitur Lotharius, & nomen victoriæ apud Carolum, Ludovicúmque manet. Interfuêre huic pugnæ non pauci Hungari, atque etiam desiderati sunt; manentibus interea suspensis reliquorum animis, eventum discordiæ tantæ, inter fratres Principes, præstolantibus.

842. Renovatur rursus inter Fratres Principes bellum, exin verò induciæ factæ in annum, & delecti utrinque quadrageni Proceres, quorum fide prudentiáque pax firma ac secura componeretur. Igitur conventum est, ut Carolus Rex Franciæ diceretur, Ludovico Germania, & Hungaria cederet, reliquæ opes, Italia, ac Imperium penes Lotharium forent. *Paulus Æmilius, Nidchardus, illius temporis Historicus, & Caroli Magni Nepos.*

843. Confectâ hâc ratione pace, Hungari hanc dissensionem, & distractionem virium inter Fratres Principes, suam occasionem rati, diu noctúque laborant, quibus modis se in pristinam libertatem reponant; nihil tamen apertè attentant, sed ab eventu rerum consilia sua moderantur. *Inchofer.*

844. Addit ad hos conatus Hungaris animum, inopina Bernardi Ducis Barcinensis cædes, hoc anno à Carolo Rege Franciæ patrata, ob quam Reges Consangvineos ac Fratres in bello ciendos, haud dubiò rebantur

adeóque

adeóque abstracto à Noricis Ludovico, Præfectos Pannoniæ facilè opprimendos: Carolus siquidem hâc cæde Regnorum quietem turbâsse credebatur, præsertim cùm Wilhelmus, filius Bernardi Ducis, excelsi animi juvenis, Patris mortem ulturus, *Habdaraghamo* Saracenorum Principi adhæsisset, ejúsque auxilijs omnia misceret. *Brietius*, *Inchofer.*

845. Hoc anno Nortmanni in Gallias irrumpunt, eásque fœdè vastant ac depopulantur, in hoc tamen etiam rerum statu, Ludovicus se in Germania continet, contra atque Hungari cogitâssent, & ne quid turbarum in Hungaria oriretur, prudenter providet. *Inchofer.*

846. Northmanni, prioris anni strage non contenti, Urbem Turonensem in Gallia, ubi Sancti Martini Pannonij corpus in veneratione habebatur, obsidione cingunt. Incolæ loci, nec à Carolo suo Rege, nec à Ludovico fratre illius succursum sperantes, ad Divi Martini Patroni sui opem confugiunt, nec mora, piè levatum ejus Corpus, ad locum, in quo violentior belli impetus furebat, deferunt. Et subitò Northmanni fugiunt, quos Turonenses persequentes, partim cædunt, partim capiunt, præter nonnullos, qui subsidio fugæ dilapsi sunt. Saraceni Africani, ingenti comparatâ classe, Romam ex improviso aggrediuntur, & Basilicam Sancti Petri, omnibus suis ornamentis, atque divitijs spoliant.

847. & 848. Sergio Papæ defuncto, succedit Leo IV. qui mox novam Civitatem, (Leoninam dictam, condit, ac Basilicam Sancti Petri, quæ tunc extra mœnia Urbis sita erat) mœnibus includit, ne ea deinceps Saracenorum & grassatorum pateret excursionibus. Lothario quoque & ejusdem Fratribus, ad hoc opus, pecuniam subministrantibus. *Brietius*, *Inchofer.*

849. Saraceni Africani, novâ instauratâ classe, Romam denuò diripere cogitant, sed ad portum Romanum, à classe Neapolitana, malè mulctantur: deinde divinitùs vehemens ventus repentè coortus, classem infidelium disjicit, plures fluctibus haurit, non pauci emergentes, partim patibulis suspenduntur, partim capti, ad operas Basilicæ Principis Apostolorum, quam ante triennium deprædati fuerant, mancipantur, & servitijs cœmentariorum addicuntur. Quod ubi innotuit Hungaris, saniora consilia cœperunt, considerantes, Saracenos, qui alioqui omnem Christianorum Principum vim superare posse judicabantur, tam turpiter, nec semel, nec in uno loco fusos esse. *Anastasius*, *Baronius*, *Brietius.*

850. *Northmanni*, Caroli Regis Franciæ ditiones denuò invadunt, qui proinde in auxilium Lotharium Imperatorem fratrem evocat, interim mutato consilio, cum ijsdem paciscitur, partem Neustriæ, quæ deinceps dicta est Northmannia, ijsdem ad habitandum concedendo, quod graviter fert Lotharius, atq;

ſic re infectâ regreditur: Interim & Ludovicus alter frater, à Bohemis magnam accipit cladem. Hungari tamen nec hâc vice, ad excutiendum Ludovici dominatum, quidquam moverunt, quod ſanè divinâ providentiâ eſt factum, & Ludovici attentione, atque ſvavi modo agendi, in eorum gubernatione. *Sigibertus*, *Ricciolus*, *Brietius*, *Inchofer*.

851. *Ludovicus* Lotharij Filius admodùm adoleſcens, juſſu Parentis Lotharij Imperatoris, venit in Italiam adverſus Saracenos, de iiſque gloriosè triumphat, unde redux, à patre cum plauſu excipitur, & Hungariæ præficiendus ab eodem judicatur. *Leo Oſtienſis*, *Inchofer*.

852. Leo IV. Urbem novam perficit, ac de ſuo nomine Leoninam dicit. Carolus II. cognomento Calvus, Caroli Magni Filius, & Franciæ Rex, nepotes ſuos Pipinum, & Carolum, in Regno ſuo, ob hæreditatem tumultuantes, capit, ac in monaſterium relegat, ac trudit.

853. Northmanni Turonicam Civitatem occupant, Eccleſiamque Sancti Martini Pannonij, ſuccendunt, ſed antea ex eo elatum erat Sancti Martini corpus, Aurelias primò, deinde Antiſiodorum translatum, utrobique miraculis coruſcans, inde poſtmodùm in priſtinum locum reductum. *Oddo Cluniacenſis*, *Ricciolus*.

854. Ut ponit *Brietius*, vel 855. ut alij volunt Chronologi, Leo IV. Pontifex, optimus vir, & ſanctiſſimus, poſtquam Ludovicum Regem, qui ſe inviſerat, à ſe dimiſiſſet, non poſt multos dies, piè in Domino obdormivit.

855. Lotharius Imperator, convocatis Proceribus, ijſdem valedicens, deponit Imperium, & diviſo Regno inter filios, Ludovico tradidit Italiam, cum titulo Imperatoris; Lothario, ditionem, quam in Francia poſſidebat; (exceptis illis partibus Regni, quæ Carolo Fratri in diviſione obvenerant) ipſe verò fit Monachus in monaſterio Prumiacenſi Lotharingiæ, quam à ſuo nomine dici voluit. *Rhegino*, *Ricciolus*, *Inchofer*.

856. Rex Lazorum, orationis & devotionis causâ, venit Romam, ad limina Apoſtolorum, plura etiam afferens dona, ut ſcribit *Anaſtaſius*, & poſt eum *Inchofer*, & *Ricciolus*. Quiſnam autem fuerit Rex iſte Lazorum, variant Authores. *Inchofer* exiſtimat eum fuiſſe Regem illorum Hunnorum, quibus pariter ex Scythia oriundis, & ſub Juſtiniano Imperatore converſis, Imperator partes illas in Aſia, prope Colchidem, ad inhabitandum conceſſerat. Quæ Regio defactò etiam extat, éſtque pars Colchidis, verſus Phaſim fluvium, inter Pontum Euxinum, Moſchicos montes, & Caucaſum, ejúſque populi etiamnum dicuntur Lazi, & à Turcis vocantur *Curti*, ut teſtatur *Baudrant in nova ſua Geographia*. Unde ſuſpicari licet, an non hæc

hæc ipſa Regio ſit illa, quam Moſchi *Uhriam* vocant, & ex ea prodijſſe Hungaros, qui occupârunt Daciam, & Pannonias, gloriantur, cùm tamen hæc Regio potiùs dicta ſit ab *Uhris*, (ſic enim Moſchi ſuâ lingvâ Hungaros vocant,) ex Scythia prodeuntibus, & tractum illum terræ occupantibus.

857. *Carolus Calvus*, Franciæ Rex, In Comitijs ad Sanctum Quintium habitis, cum Fratruelibus Lotharij Imperatoris filijs, Ludovico, & Carolo, ac cum Ludovico Germaniæ Rege, & Pannoniæ poſſeſſore, concordiam firmat. *Annales Francici*, *Brietius*, *Ricciolus*.

858. Ludovicus Germaniæ Rex, & Pannoniorum poſſeſſor, ad componendas factiones & turbas, evocatur in Galliam, quò is validò pergit Exercitu, ſed cùm ad Regnum componendum animum adjeciſſet, illic hyematurus, inſperatè auditâ *Soraborum*, ſeu *Slavorum*, qui terras versùs Album & Faium fluvios incolebant, contra ſe rebellione, ad propria reverti cogitur. *Vetus Chronicon Francorum*, *Brietius*, *Inchofer*. Ne quid autem turbulenti Hungari hâc occaſione moverent, cùm non paucæ *Soraborum*, ſeu *Slavorum* reliquiæ inter eos eſſent, effecit Ludovici benevolentia, aut etiam fortaſſis paucorum ſtudia, qui jam Religioni Chriſtianæ ſavebant, & pacem amabant, ac ſingularis DEI providentia.

859. Ad hunc annum meminit *Sigibertus* Ludovicum plurima contra Slavos, (vel rectiùs Sorabos rebelles) prælia ſtrenuè geſſiſſe, & capto eorum Principe *Raſtrich*, ob violatam fidem, oculos eidem erui juſſiſſe.

860. Hoc anno, in Confluento Caſtello, factus eſt Conventus Epiſcoporum, Abbatum, & Procerum, in quo rurſus ſancita eſt inter Fratres Reges, nempè Carolum & Ludovicum, fratres; nepotéſque ipſorum, Lotharium, Ludovicum, & Carolum, mutua concordia, quam tamen Carolus Rex Franciæ, paulò poſt violavit.

861. Scythæ, per mare Euxinum progreſſi, uſque ad Inſulas *Byzantio* adjacentes perveniunt, omnia loca ſacra & profana devaſtando, quorum fama in Pannoniam perlata, fomitem addidit erupturæ mox flammæ, quam diſcordia Fratrum Regum, paulatim excitabat. *Inchofer*.

862. Nicolaus Papa, ad Sablonarias Concilium cogit, Francorum Regibus Ludovico & Carolo, nec non Lothario, inter ſe diſcordibus, adeſſe juſſis. Cogit & Lotharius Aquiſgrani Conventum ſuorum Epiſcoporum, in cauſa divortij legitimæ ſuæ Uxoris, cui ſuperinducere *Waldradam* pellicem intendebat. Sed & aliam idem Nicolaus Papa Synodum Metis indicit, in eadem cauſa Lotharij, miſſis Româ Legatis, qui eam moderarentur. *Inchofer*, *Ricciolus*.

863. Nicolaus Papa, Metenſem Synodum abrogat, & Epiſcopos ini-

quæ ſententiæ, in favorem Lotharij authores damnat. *Annales Francici.*

864. Idem Nicolaus Papa, cauſam Lotharij Regis, de dimiſſa uxore legitima, & pellice in conjugem accepta, definiturus, Synodum Romæ parat, ſed eam Regis fratres, aliàs inter ſe diſſidentes, impediunt.

865. Idem Nicolaus Pontifex, Lotharium adigit, ad Thierbergam Reginam repudiatam recipiendam, & pellicem ſuperinductam repudiandam, mittit præterea Legatos in Franciam, ad Ludovicum Regem, & Carolum Fratrem ejus, nec non Lotharium Nepotem eorum, ad pacem & concordiam inter eos renovandam. Interim cùm non eſſet, qui Hungaros in officio retineret, (hactenus enim à morte Lotharij, benevolentiâ duntaxat Ludovici, eos utcunque remorabatur) meditatum diù bellum, ſignis explicant, ad quod non minimam occaſionem ijs præbuerat ipſe Ludovicus, quod ad Caroli Fratris Regnum ſibi occupandum, cum Exercitu ingreſſus in Gallias, Germaniam copiis privavit: ut non facile eſſet, qui Hungaris, ſi libuiſſet, aciem educentibus, reſiſtere poſſet. *Inchofer.*

866. Dum *Hungari* bellum contra Chriſtianitatem parant, Michaël Rex Bulgarorum, cum Nicolao Papa, de modo convertendi reliquos Bulgaros ad Chriſtum, ſeriò agit. Moritur *Hardericus* Archi-Epiſcopus Laureacenſis, Apoſtolicæ Sedis per Moraviam & Pannoniam Legatus. Saraceni Africani, Italiam circa Beneventum invadunt, contra quos Ludovicus Imperator, cum ingenti Exercitu movet, atque ſic de reprimendo motu Hungarorum, impeditur. *Inchofer, Brietius.*

867. Ludovicus Imperator de Saracenis, Civitate Bari receptâ, & Principe eorum capto, inſignem victoriam reportat. *Leo Oſtienſis.*

868. Ludovicus Rex Germaniæ, & Pannoniæ, occupato Ludovico Fratruele Imperatore, in Expeditione contra Saracenos, nequit motos tumultus in Hungaria componere.

869. Lotharius Rex moritur, ejuſdem Regnum Ludovicus Imperator, legitimâ ſucceſſione, tanquam Frater prætendit, ſed Proceres Regni, id Carolo Calvo, Lotharij Patruo, deferunt.

870. Ludovicus Germaniæ Rex, minis intentatis Carolo, qui Regnum Lotharij invaſerat, ab eodem in Regni conſortium adſciſcitur.

871. Ludovicus Imperator, Romæ, ab Hadriano Pontifice, coronatur novo titulo, tanquam legitimus Lotharij fratris ſucceſſor, in Regno. *Anoimus.*

872. Ludovicus Imperator circumventus ab *Aldegiſio* Duce Beneventano, ex inſidijs capitur, & in carcerem detruſus, in pacta ab ipſo propoſita jurare cogitur. *Rhegino, Leo Oſtienſis.*

873. Lu-

873. Ludovicus Imperator, in Conventu Romano, à Pontifice abſolvitur à præmentionato juramento, quod coactus fecerat, & *Aldegiſius* hoſtis Reipublicæ declaratur.

874. Joannes Papa, Ludovicus Imperator, & Ludovicus Rex Germaniæ, Veronam conveniunt, de Republica Chriſtiana promovenda deliberaturi.

875. Ludovicus Imperator moritur, eo defuncto, *Carolus Calvus* invadit Italiam. E contra, Ludovicus Rex Germaniæ *Caroli Calvi* Regnum deprædatur, & Carolomannum Filium mittit cum Exercitu in Franciam, ut ſic Carolus cogeretur deſerere Italiam, ſed hunc Carolus ſpe munerum deludit, & Romanos pecuniâ corrumpit, adeò, ut Joannes Pontifex adactus fuerit eum coronare in Imperatorem. *Rhegino*, *Anoimus*, *Ajmonius*.

876. *Ludovicus* Rex Germaniæ, & Pannoniæ Poſſeſſor, obit Francofurti, poſt quem nullus ampliùs, ex Caroli Magni Familia Pannoniam poſſedit. Cujus Regnum *Carolus* Imperator, ſtatim invadens cum magno Exercitu, recuſanſque pacis conditiones, cum Ludovico defuncti filio, ab hoc vincitur, & fugatur, divinitùs in Caroli Exercitum immiſſo terrore. *Ajmonius.*

877. *Joannes* Papa, iteratò à Carolo Imperatore, contra Saracenos Italiam infeſtantes, auxilium implorat, ac etiam impetrat. Corolomanus falſo nuncio de ingenti Exercitu Pontificis & Imperatoris, per eandem viam, quâ venerat, fugit ex Italiâ. *Ajmonius*, *Ricciolus*. Eodem anno moritur Carolus Imperator. *Rhegino*.

878. Carolo in Imperio ſuccedit Ludovicus Filius, non diu & ipſe gubernaturus. Septimo ſiquidem Imperij menſe decimâ Aprilis, in die Paraſceves vitâ fungitur 879.

Quo eodem anno Sanctus Methodius, Moraviæ, & Pannoniorum Apoſtolus, accuſatur Joanni Pontifici, quòd circa ritum celebrandi Miſſas, non ad amuſſim, cum Romanis correſponderet, ſed eaſdem lingvâ Slavonicâ, cantari ſineret. Effecit interea quoque id Methodij Sanctitas, quâ apud Pannonios plurimùm valuit, ne Hungari turbatis tunc vicinis Regionibus, eaſdem invaderent, ac vaſtarent.

880. Sanctus Methodius evocatus à Joanne Papa, Romam venit, doctrinæ ſuæ rationem redditurus, à quo auditus, non ſolùm probatus, & abſolutus eſt, verùm etiam & Sventopulchro Moravorum Principi eximia cum laude commendatus, addito eidem etiam Presbytero Wichino, quem Joannes in Epiſcopum Nitrienſem conſecravit, & Methodio Archi-Epiſcopo ſubeſſe juſſit. *Inchofer*.

881. Hoc anno *Carolus Crassus*, Ludovici Regis Germaniæ Filius, ex Germania egressus, brevi tempore totam Italiam occupat, Romámque veniens, à Joanne Pontifice, & Senatu Romano honorificè excipitur, ac tandem in die Natalis Domini, Imperator coronatur, *Rhegino*, *Ajmoinus*.

882. & 883. Moritur Ludovicus Germaniæ Rex, Carolus Crassus ejusdem Filius, & jam Imperator, contra Northmannos Gallias depopulantes ex Italia, in Galliam cum Exercitu properat, cum ijsdémque pacem init, aut potiùs eam ab illis emit, oblatâ pecuniâ, datâque. *Frisingensis*.

884. & 885. Carolo Imperatore in Gallijs cum Northmannis agente, Saraceni in Italia, Campaniam sibi vicinam, magnâ clade afficiunt. Carolomanus Rex moritur, eique succedit *Ludovicus Ignavus* dictus. *Brietius*, *Ajmoinus*.

886. Mortuo Rege Carolomano, Carolus Imperator, in Hungariam quoque Jus suum prætendit, sed Hungari longè absentis Imperium, tanquam nullum dissimulant, aut planè contemnunt. *Inchofer*.

887. Carolus Imperator, sæpè adversâ fortunâ usus, hoc anno Imperio se abdicat. sive spontè, ut scribit *Vrspergensis*; sive coactus, ut tradit *Frisingensis*. Quâ occasione Hungari majores assumunt animos, non solùm se contra impetitores tuendi, sed etiam vicinas Provincias infestandi. *Inchofer*. Hoc eodem anno, Corpus Sancti Martini Pannonij, Antisiodoro ex Burgundia, quo ante triginta & unum annos, metu Nortmannorum translatum fuerat, revehitur Turonium, quàm plurimis miraculis in itinere coruscans.

888. Carolus Imperator, non multô postquam Imperio exutus fuisset, moritur. Tum Imperium multis modis scinditur. Singulis Provincijs singulos Reges creare cupientibus. Arnulpho tamen pars maxima ditionum cessit. Ita in Italia *Berengarius* Dux Foro-Juliensis electus est Rex Italiæ. *Gvido*, Lamberti Ducis Spoletani filius, nomen Imperatoris assumpsit. In Francia *Odo* Comes Parisiensis, titulum Regis sibi usurpavit, etsi viveret Carolus simplex legitimus hæres, *Rudolphus* item Conradi filius, Rex voluit appellari. *Arnulphus*, Carolomani filius, Germaniæ Rex fuit salutatus. Hinc orta tot bella, tantæ devastationes Provinciarum, & totius Imperij occidentalis perturbatio.

889. Cùm igitur Arnulpho Regi, pars maxima in divisione Regni obtigisset, ita, ut Bavaris, Svecis, Francis Orientalibus, Lotharingis, Saxonibúsque Jus diceret, ac *Zwentebaldum* quoque Moravorum Ducem sibi subjicere vellet, ísque viriliter repugnaret. nullâve potentiâ se in ordinem redigi pateretur. Eapropter *Arnulphus* Hungaros sponte suâ, in omnem occasionem intentos, adscifcit, eorúmque operâ *Zwentebaldum* devincit, Regnóque ejusdem potitur. *Inchofer*, *Brietius*.

890. Bel-

890. Bello hoc feliciter confecto Hungari, ab *Arnulpho* Imperatore stipendia sibi promissa urgent, quæ si obtinuissent: ijs contenti, pedem ad sua retulissent. Sed cùm is solvendo in præsenti non esset, promissis tandem efficit, ut Patriam repeterent, certum diem exolutionis expectantes. Qui cùm adesset, neque tamen *Arnulphus* suis promissis staret: Hungari, fraudatos se querentes, in Germaniam Exercitum suum ducunt, omniaque usquè in Frisiam depopulantur. Mox & Galliam, & Italiam adoriuntur, ferro & igne cuncta vastantes, arreptaque hâc occasione negati stipendij, non solùm ab *Arnulpho* apertè deficiunt, sed etiam bellum apertum, magna cum contentione eidem inferunt. *Rhegino*, *Brietius*, *Inchofer*.

891. Dum Hungaria tumultuatur, Northmanni Germaniam invadunt, jámque victoriâ insolentes, cum *Arnulpho*, de summa rei prælium inire audent, quos tamen *Arnulphus*, divinitùs uti creditur, in tantùm profligat, ut ne nuncius quidem cladis superesset. *Rhegino*, *Marianus Scotus*.

892. Northmanni, qui superioris anni cladi non interfuerunt, collectis viribus, iterum Germaniæ Ecclesias affligunt, vires suas conjuncturi cum Hungaris, si possint. *Inchofer*.

893. Verùm conjunctionem hanc duarum potentissimarum Nationum impedivit, Leo Imperator Orientis. Hic enim bellum contra Bulgaros moturus, Hungaros adversùs eosdem concitavit, sícque eos Bulgarico bello implicuit.

894. *Zwendebaldus* Dux Moraviæ, qui hactenus pro mortuo habebatur, omnibus existimantibus, quasi in pugna cum *Arnulpho* Rege inita, occubuisset: Hoc anno in Eremo, vitam privatam & sanctam ducens, sanctè moritur. Quô auditô *Arnulphus*, Moraviam filio ejusdem Swatocopio, tanquam ex Sorore sua nato, possidendam relinquit. *Cromerus*, *Rhegino*, *Inchofer*.

895. Swatocopius Sanctum Methodium, Moraviæ, & Pannoniæ Episcopum impiè persequitur, & ex suis ditionibus (quas inter fuit etiam magna pars Pannoniæ) exesse compellit. *Inchofer*.

896. *Arnulphus* Germaniæ Rex, invitatus à Formoso Papa Romam, de hostibus illius vindictam sumit, & ab eodem in Imperatorem Romanorum coronatur.

897. *Arnulphus* Imperator, ut etiam Pannoniæ consuleret, Wichindo olim Nitriensi Episcopo, Civitatem Patavienſem, nunc Passaviensem donat, & illius loci Episcopum constitui curat. *Inchofer*.

898. Mortuo hoc anno Swatocopio, Regnum Moraviæ discerpitur: partem enim illius Germani & Bohemi, partem Poloni, atque Hungari quoque sibi vendicant,

899. *Arnulphus* Imperator, multis malis in vita conflictatus miſerrimâ quoque morte extingvitur. Atque ſic à Carolo Magno qui Hungariam ſibi ſubegerat, integrô ferè ſæculô, per illum ejúſque poſteros, utcunque Hungari fuêre coërciti. At poſt mortem Arnulphi, frænum ſibi abſtractum animadvertentes, avitæque libertatis amantes, rurſus ad ingenium redeunt, conſvetáſque depopulationes, & devaſtationes vicinarum Regionum reſumunt, uti ſequentis ſæculi oſtendet hiſtoria.

900. Arnulpho in Regno Germaniæ, ſuccedit *Ludovicus* Filius, ad quem & Hungaria Jure Paterno ſpectabat: Interim de Imperiali dignitate obtinenda, atrox Bellum inter Berengarium, & Ludovicum Boſonis Flium, exoritur. Hungari hanc diſſenſionem Principum, occaſionem ſuam rati, præſertim cùm Berengarium, Regi *Ludovico* etiam graviter offenſum ſcirent, arma reſumunt, prælióque ad Auguſtam cum *Ludovico* Rege congreſſi, Exercitum ejus ad internecionem profligant. Inde Svevorum ac Francorum, deinde Saxonum ac Bavarorum fines, rapinis atque incendijs pervaſtant. Et quæ pridem parturiebant Orbi mala, hoc demum anno parere incipiunt. *Inchofer.*

901. Hungari nuperis ſucceſſibus elati, hoc anno ad Italiam quoque invadendam, animum adjiciunt, finéſque Venetorum ingreſſi, ad *Brentam* agri Patavini amnem Caſtra figunt: mox tamen paucitati ſuorum diffiſi, motis Caſtris domum revertuntur, totámque hyemem in apparatu armorum, & exercitatione militum ponunt.

902. Exactâ hyeme, imò jam adultâ æſtate, copijs ſuis auctis, rurſus in Italiam redeunt, totámque Regionem tranſpaduanam vaſtant, flammis miſcentes omnia, quibus occurrens cum innumeris copijs Berengarius, ab ijſdem turpiſſime profligatur. Victoriâ tam inſperatâ, ut eam victores ipſi mirarentur, qui eodem mox impetu, & Tarviſium, & Vincentiam, & Patavium diripiunt.

903. Hungari fortunam ſecuti, hoc anno Venetos aggrediuntur, compluréſque eorum Civitates evertunt, ac deprædantur. Inde à Duce Petro navalibus copijs acriter inſiſtente repulſi, ſeſe ad mediterranea effundunt, atque ad Appeninum uſque populando progreſſi, obvia omnia, quæ munita non erant loca, vaſtant, ac tandem acceptâ à Berengario ingenti pecuniæ ſummâ, promittentes ſe in Italiam non ampliùs redituros, in Pannoniam ſpolijs onuſti revertuntur.

904. Continent ſe hoc anno Hungari in Pannonia, ut partis priori anno, per otium, & ſine periculo, tranquillè fruerentur.

905. *Ludovicus* Imperator Boſonis Filius, à Berengario captus, &

oculis privatus, cùm ultionem de Berengario, evocatis in hanc rem Hungaris moliretur, mœrore conficitur. Quô vitâ functô, Hungari, auxilia, quæ in ejus subsidium paraverant, in Ludovicum Germaniæ Regem convertunt, eúmque inopinatè obruunt. *Sigibertus*, *Inchofer*.

906. Hungari novà prædandi cupiditate, novis populationibus Italiam infestant, neque eis multum adversatur Berengarius, propter suorum, æmulo suo Lamberto faventium, perfidiam.

907. Hungari suæ fortunæ præfidentes, in Bavariam hoc anno irruunt, cum quibus congressi Bavari, multâ cæde cadunt. *Anonymus*, *Inchofer*.

908. Deinde paulisper conquiescunt. Mox anno:

909. Galliæ fines incursant, populósque eorum, ac urbes, igne, gladio, excidio, fœdè devastant. Anno verò:

910. Francos in confinio Bojariæ & Franciæ, secum congredi ausos, fugant, & magnâ clade profligant. *Anonymus post Rheginonem*.

911. *Leo* Philosophus, Orientis Imperator, ex hac vita decedit, postquam viginti quinque annis imperâsset. Amabant *Leonem* omnes exteræ nationes, sed Hungari præsertim, magnâ reverentiâ eum prosequebantur, libenter ab eo Leges, & Religionem accepturi, si res, & tempora tulissent. *Zonaras*, *Inchofer*.

912. Perturbato Imperio, per mortem Ludovici Regis Germaniæ, Hungari, nullo resistente, Franconiam devastant. *Sigibertus*, *Anonymus*.

913. Hungari rursus partes Alemaniæ vastant, sed à Bavaris, & Alemanis, juxta Oenum fluvium cæduntur. *Anonymus post Rheginonem*, *Inchofer*.

914. Hungari hoc anno, adversùs Conradum Germaniæ Regem, prælio cruento decertant, sed ancipiti Marte; mox domum reversi, eò quòd Conradus collectis Germaniæ viribus, fortior ijs restitisset. *Inchofer*.

915. In hunc annum conjiciunt quidam, immanem illam persecutionem, quâ Slavi & Hungari Saxonicas vastabant Ecclesias, ac Hungaris quidem tribuitur Bremensis Ecclesiæ excidium, Slavis vero Hamburgensis Sacræ Ædis desolatio. Sed hæc biennio priùs contigisse, notat *Krantzius*.

916. Hungari Fuldam usque Excursiones continuant. *Anonymus*, *Sigibertus*.

927. His non contenti, hoc anno Lotharingiam ac Franciam, spolijs earum Provinciarum inescati, deprædantur. Ast anno:

918. Basilæam Urbem evertunt, ac exspoliant. *Marianus*.

919. Obijt hoc anno Conradus Germaniæ Rex, ditione suâ in Henricum Saxoniæ Ducem translatâ, cui postea multa cum Hungaris intercesserunt bella. *Anonymus*, *Lambertus*, *& alij Historici.*

920. Henricus Germaniæ & Saxoniæ Rex constitutus, à Carolo Rege Francorum, manum pretiosi Martyris Donysij, auro gemmísque inclusam, dono accipit, ope cujus, is postea gloriosas de Hungaris reportavit victorias. *Witichindus, hujus temporis Scriptor.*

921. Dum Henricus stabiliendæ paci studet, & reprimendæ Slavorum sævitiæ insistit, Hungari iterum effusi, vel potiùs necdum ad sua reversi, continuatis cladibus, diversas Alemaniæ populantur Provincias. *Inchofer.*

922. Evocantur interim à Berengario Hungari in Italiam, relictâ proinde Alemaniâ, in Burgnndiam irruunt, eámque devastant. *Frodoardus.*

923. Henricus Germaniæ Rex, pacem cum Hungaris ad novem annos firmat, quam tamen hi, non multò post violant. *Sigibertus.*

924. Hungari, ductu Berengarij, quem Longobardi pepulerant, Italiam intrant, eámque igne, ferróque vastant. Papiam quoque Urbem populosissimam, atque opulentissimam igne succendunt. Verùm Berengarius à suis cœsus, meritas pœnas luit. *Luitprandus*, *Frodoardus.*

925. Mortuo Berengario, Hungari, non aliter, quàm ingenti priùs pretiô ab incolis persolutô, Italiâ excedunt. Inde per abrupta Alpium juga transeuntes, Anno:

926. In Galliam veniunt, quos *Rudolphus* Cis-Alpinæ Galliæ Rex, & Hugo Viennensis, inter angustias collium Alpinorum claudunt, plurimósque ex ijs sternunt. Ast reliqui, per devia montium evadentes, priùs Alsatiam, ac dein etiam Alemaniam, contra inducias cum Henrico, ante triennium initas depopulantur, sícque in Pannoniam redeunt. *Anonymus*, *Rhegino*, *& Hermannus.*

927. Hungari, quò hôc anno bellum vertant, inter se disceptant, quibusdam Germaniam & Italiam svadentibus, alijs contra Græcorum Imperatorem ducendum, aut certè ejus auspicijs, si roget, contra Bulgaros, Constantinopolitanæ Urbi infestos, bellandum contendentibus. *Inchofer.*

929. Pars igitur Hungarorum una, Simeoni Hungarorum Regi se conjungit, qui mox gravissima Constantinopolis suburbijs infert damna; donec pace redemptâ muneribus, reverteretur ad propria. *Curopalates.*

929. & 930. Henricus Germaniæ Rex, ubique insignes reportat victorias, profértque Regnum in exteras quoque Nationes, eas tributarias sibi reddens. Cujus proinde metu, Hungari quoque suis continent se finibus. Ast anno:

931. Ul-

931. Ulteriorem moram ferre non valentes, rurſus per Italiam graſſantur, ac in reditu Germaniam quoque populantur. Verùm ab Henrici Exercitu excepti, conſerto prælio, magnâ clade afficiuntur. *Hermannus*.

932. Pauliſper hoc anno conquieſcunt, Aſt anno:

933. Iterum Franconiam Orientalem, multis Civitatibus, igne & gladio conſumptis, percurrunt, & *Rhenum* juxta Vormatiam tranſeuntes, Galliam uſque ad mare Oceanum devaſtant. *Rhegino*.

934. Hungari, hoc anno, maximis copijs collectis, adversùs Henricum Germaniæ Regem, bellum movent, & Saxoniam prætereuntes, in Thuringiam evadunt, ferro & igne omnia vaſtantes. Sic cuncta populantes, aggreditur Rex *Henricus*, eóſque ad internecionem uſque delet. Triginta ſex millibus cœſis, cæteris aut captis, aut flumine abſorptis. *Sigibertus*, *Frodoardus*.

935. Reddidit hæc clades quietos Hungaros, uſque ad mortem ejuſdem *Henrici* Regis, quò defuncto. Anno:

937. Poſito metu, rurſus erumpunt, ac relictâ Germaniâ, utpotè minùs bellis ſuis favente, bipartito Exercitu Italiam & Galliam aggrediuntur. Verùm, qui in Italiam ivêre, à Marſis, Peligniſque in unum convenientibus omnes trucidantur. Felicior eorum graſſatio fuit, qui in Galliam penetraverant, ex qua non tantùm incolumes, ſed & cum ſacra profanàque rediêre præda. *Inchofer*.

938. Hoc annô adversùs Othonem Regem Germaniæ, Filium Henrici, anno priore defuncti, plures Principes rebellant, de quibus tamen Otho miraculosâ prorſus potitus eſt victoriâ. *Sigibertus*, *Hermannus*, *Frodoardus*.

939. & 940. Celebres ſunt hi quoque anni prodigioſis Othonis victorijs, quarum unam de ijſdem rebellibus Principibus, alteram de Boleſlao Duce Bohemiæ, gloriosè reportavit. Quibus auditis Hungari, Othonis fortunam ſuſpicientes, eúmque non degenerem Filium Parentis animadvertentes, & ſimul plurima divinæ protectionis argumenta, circa eum conſiderantes, meliora cœperunt cogitare conſilia, ac ſaniùs de Fide Chriſtiana ſentire, ferocitatéque depoſitâ, ea potiùs quæ pacis ſunt cogitare; unde compluribus annis, cum externis nationibus, pacem ſanctè colendo, quieti mansêre. Verùm anno:

947. Impatientes ulterioris quietis, iterum ad bellum ſe convertunt, Bavariámque hoſtiliter invadunt; ſed congreſſi prælio cum Bavaris, ab ijs devincuntur, ac repelluntur, ingentíque jacturâ domum reverti coguntur.

948. Hungari, nulli jam extero Regi parere docti, hoc anno novum sibi Regem *Toxin* nomine, ab Attila longâ serie descendentem creant.

949: & 950. *Toxin* novus Hungariæ Rex, virtutem suam militarem ostentare volens, neque tamen Othonem, (fortunam ejus veritus) lacessere audens, in Italiam venit, eámque depopulatur. Cui Berengarius II. ut Italiâ excederet, decem modios aureorum largitus est, sed non ex sua pecuniâ, verùm ex pauperum, & Ecclesiarum fundis, majore longè autem parte, pecuniæ congregatæ, sibi reservatâ. *Inchofer.*

951. Hungari igitur Italiâ excedentes, superatis Alpibus, in Aquitaniam penetrant, quâ per aliquot menses vastatâ, multísque cædibus patratis, & prædâ ingenti actâ, rursum per Italiam, in sua revertuntur. *Leo Ostiensis, Frodoardus.*

952. Quievêre iterum aliquamdiù hâc prædâ ditati Hungari. Donec anno:

954. A Luitdolpho Filio Othonis, contra Parentem rebellante, in subsidium evocarentur. Igitur Anno:

955. In Germaniam, tantâ multitudine se infuderunt, quantam tunc viventium hominum, nemo se vidisse, in ulla regione profitebatur. Hos itaque Otho, Augustam Vindelicorum obsidentes, pietate potiùs, quàm armis instructus, confidenter invasit, die Sancti Laurentij, ac tantâ delevit clade, ut pauci admodùm eorum effugerint. *Sigibertus, Rhegino.*

956. Hungari, nuperiori clade enervati, & non parùm afflicti, animos ad otium salutare, de fide Christiana suscipienda, convertunt, rati hâc ratione Othonem, ipsúmque DEUM, efficacissimè placari posse. *Inchofer.*

957. Otho Germanorum Rex, videns Hungaros, jam suo malo attritos, studium omne convertit, ut eos ad Religionem Christianam suscipiendam, quà consilijs, quà armis adducat. Ast expeditionem in eos suscepturus, à tumultuantibus Slavis, impeditur. Sed & Hungari, metu Othonis, ab armis & deprædationibus abstinent, atque impósterùm vivunt pacificè, usque ad finem vitæ Othonis. Cujus mors sancta contigit anno 973. cùm in Imperatorem coronatus esset, anno 962. Antehac solo titulo Regis Germaniæ contentus. Ob res plurimas, præclarè gestas, meritò nomen *Magni* promeritus. Interea temporis, anno:

970. Moritur *Toxin* Hungarorum Rex, postquàm res Hungarorum variâ fortunâ, Ducis perinde ac Regis appellatione gessisset, Filio Geysâ in spem Successoris relicto, qui tamen Regno necdum ob ætatem maturus, nonnisi post quadriennium, Patri subrogatus est. Igitur anno:

974. Gey-

974. *Geysa* Regni habenas capessit, atque initio statim sui Regiminis, pace potiùs, quàm bello suis prospicere decernit. *Inchofer.*

975. *Geysa*, Christianis favet, & conversionis suæ gentis ad Fidem Christianam, consilia suscipit.

976. Hunc in finem, omnes Advenas Christianos, in Regnum Pannoniæ benignè admittit, atque suis ut imposterùm mitiùs cum Christianis agant, severè præcipit.

977. Hoc anno, Benedictus Papa, Ecclesiam Sancti Bonifacij, Romæ, in monte Aventino, Sergio Damasci Episcopo, pro Monasterio juxta eandem erigendo, tradit, in quo Sanctus Adalbertus, Hungarorum Apostolus, antequam in Hungariam proficisceretur, compluribus annis egit.

978. Eminet hoc vel maximè annô *Wolffgangi* sanctitas, alterius Hungariæ Apostoli, dum Exercitum Othonis, miraculosè, per exundantem fluvium *Axonam*, incolumem traducit. *Sigibertus.*

979. *Geysæ.* meditanti de modis Hungaros ad Fidem Christianam adducendi, Beatissima Virgo MARIA apparet, eúmque ad sancti propositi executionem animat. Qui eodem anno *Piligrinum* Laureacensem Episcopum, missâ honorificâ Legatione, in Pannoniam invitat, ut sibi, suísque populis, Christianam interpretaretur Philosophiam.

980. *Piligrinus*, tam præsentem Christo lucrifaciendi occasionem, haud prætermittendam ratus, assumpto secum Sancto Wolffgango, in Pannoniam venit, & à *Geysa* benignè suscipitur, qui illicò manum ad excolendam Domini vineam applicat, verbo & exemplò Christianæ Fidei veritatem, omnibus persvadere adlaborans.

981. Hoc anno Sanctus Adalbertus, in Episcopum Pragensem eligitur, & consecratur, jam tunc â DEO, pro conversione Hungariæ, ordinatus. *Inchofer.*

982. Sanctus *Nicon*, Bulgaros, plurimósque Hungaros, qui in Bulgaria sedem fixerant, ad Christum convertit.

983. Sanctus Adalbertus, relicto Episcopatu, vitæ sanctioris desiderio, Romam proficiscitur, atque in dicto Sancti Bonifacij Monasterio, vitam Monasticam amplectitur.

984. Occasione tumultuum, ex morte Othonis II. Imperatoris in Germania, Hungari de bello ciendo iterum cogitant. Verùm *Geysa*, jam animo erga Christi Religionem, Regno suo inferendam, obfirmatus, eisdem constanter obnititur. *Inchofer.*

985. *Geysa*, cum conjuge & tota Familia, multísque familiaribus suis,

undis ſalutaribus expiatur, Chriſtianúſque efficitur. Eodem anno Sanctus *Stephanus* Strigonij naſcitur.

986. *Geyſa* nihil intermittit, quò univerſos populos ſuos, ad Fidem Chriſti adducat.

987. Hungari, difficiles ſe ad converſionem præbent.

988. Bohemi revocant Pragam Sanctum Adalbertum, Româ, qui ſecum inſignes doctrinâ, & ſanctitate viros, adducit, quorum multi præclaram poſtea præſtitêre, in converſione Hungariæ, operam. Otho III. Imperator, & reliqui Principes Chriſtiani, cognito rerum Hungariæ ſtatu, & quòd *Geyſa* Princeps, ſuſceptâ Chriſti Fide, Religionis propagandæ ſtudio arderet, plurimùm gaviſi, omnem ei favorem, opem, & auxilia deferunt, ſi ea neceſſaria eſſent, contra detrectantes.

989. Sanctus *Adalbertus* indignitate morum ſuorum Pragenſium motus, rurſus Bohemiam deſerit, atque in Hungariam, ad *Geyſam* Ducem venit. *Inchofer.*

990. Inde rurſus Romam redit, priſtinæque quieti, in eodem Monaſterio Sancti Bonifacij, ſe tradit. *Inchofer.*

991. Sanctus *Piligrinus* Hungariæ Apoſtolus, in cœlum migrat.

992. 993. & 994. Sanctus *Stephanus*, futuræ ſuæ Sanctitatis, eximia dat indicia.

995. Hungari, paulatim cervicem flectunt, & gentilem ſuperſtitionem, quotidianâ ad Chriſtum acceſſione, exuunt.

996. Sanctus *Adalbertus*, à Gregorio V. Summo Pontifice, rurſus Pragam remittitur.

997. *Geyſa* jam ſenio gravis, Regno ſe abdicat, cui ſubrogatur Filius ejuſdem *Stephanus*, magnâ voluptate Patris, qui eodem anno ſanctiſſimè obijt. Adalbertus redux Româ, ſeditione Civium, Bohemiâ prohibetur, qui ob id Hungariam repetit.

968. Divulgatâ Sancti Regis *Stephani* per orbem famâ, multi exteri ſanctiſſimi viri, in Hungariam confluunt, ad verbum DEI diſſeminandum, & Evangelium Chriſti prædicandum. Quos inter fuit & *Aſtricus* Abbas, dein Archi-Epiſcopus Colocenſis creatus.

999. Sanctus *Stephanus* rebelles vincit, & pro reportata victoria, ex voto, Divo Martino, in monte Pannoniæ, Monaſterium Religioſis Sancti Benedicti, fundat.

1000. Sanctus *Stephanus* aliquot Epiſcoporum Sedes deſignat, inter quas Strigonienſem, Natalis ſoli, dignitate Metropolitanâ fulgere decernit. Legationem dein ad Sylveſtrum II. Papam mittit, & ab eodem Coronam

Regiam impetrat, quin & potestatem Crucis ante se deferendæ, tanquam Rex Apostolicus, accipit, atque eodem anno, die, qui Assumptæ Virgini sacer fuit, in magna Procerum, & populi frequentia, in Regem ungitur, & Diademate Sacro redimitur. *Carthuitius*, *Bonfinius*.

VIII. SYNOPSIS

SEU

CHRONOLOGIA HUNGARIÆ,

Ab Anno Christi 1000. usque ad Annum 1500.

ANno Domini 1001. Anno primo sæculi undecimi, Sanctus *Stephanus* Rex, Archi-Episcopatum Strigoniensem, & decem Episcopatus, in Hungaria fundat, & primum quidem Archi-Episcopum Strigoniensem, Sebestianum, ex Divi Martini Cœnobio Monachum, instituit. Colocensi verò Ecclesiæ, (quæ successu temporis, in Archi-Episcopatum erecta est) Astricum Abbatem præficit.

1002. Sanctus Rex *Stephanus*, Cœnobium Sancti Martini, Montis Sacri, ex spolijs hostium locupletatum, singularibus Privilegijs exornat.

1003. Inter *Stephanum* Regem, & Gyulam, qui Transylvaniæ præerat, ejusdem Avunculum, intestinum bellum exoritur, quo *Stephanus* Gyulam gloriosè debellat, atque cum uxore, duobúsque liberis captum, in Hungariam abducit. Verùm post Religionem Christianam susceptam, eosdem libertati, ac pristino Statui restituit. Eâdem fortunâ, & reliqui populi Transylvaniæ Fidem Christi amplectuntur, ipsáque Transylvania, Regno Hungariæ perpetuo jure adjungitur. Ad hunc eundem Annum, videtur spectare etiam Episcopatûs Transylvaniensis, seu Albæ Juliæ, Fundatio & erectio.

1004. Sanctus *Stephanus* Rex, in Bulgaros, Hungariam & Transylvaniam latrocinijs infestantes, magno ubique delectu habito, movet, mox inferiorem Mysiam ingressus, eosdem adoritur, & profligat, *Ceâ* Principe eorum in pugna cæso, castris direptis, tantâ adeptâ prædâ, nemo ut hostium spolijs, non dives redierit.

1005. Ste-

1005. *Stephanus* vigesimum jam agens ætatis annum, despondet sibi Gyselam Sancti Henrici Imperatoris Sororem, ætatis ferè paris, sanctitatis æqualis, Virginem, quæ deducta in Hungariam, statim in Reginam coronatur.

1006. Gysela post acceptam coronam, jam Regina cum Rege pietate certat, & Vesprimiensem Ecclesiam proprijs impensis exædificat, & liberalissimè dotat. *Stephanus* vicissim inchoatum à se Templum DEIparæ Virginis, Albæ Regiæ, admirandæ structuræ opus urget, & promovet.

1007. Sanctus *Emericus* Albæ Regalis nascitur. Sanctus *Stephanus* Abbatiam Ordinis Sancti Benedicti, ad Radices Montis ferrei, in Diœcesi Quinque Ecclesiensi, vulgò Péch-Várad dictam erigit, ac fundat; sed extra Regnum pietatis suæ monumenta extendit; Nam Romæ pro Hungaris Romam peregrinantibus, Hospitium & Oratorium ædificat. Collegium item duodecim Canonicorum. Constantinopoli quoque hoc eodem anno, mirifici operis condit Ecclesiam.

1008. Pergit eadem pia opera promovere Sanctus Rex *Stephanus*.

1009. Crescente Religione in Hungaria, frequentes etiam peregrinationes piè suscipiuntur ab Hungaris, ad invisenda loca sacra, non solùm utriusque Romæ, sed & Hierosolymorum, unde pius Rex, de fundandis illic domibus, hospitijs, ac nationis Templo deliberat, serióque animum applicat, sed quò minùs id hoc anno præstare potuerit, Hiesolymitani Templi, quod Sepulchrum Redemptoris Nostri servabat, jussu *Ammirati* Babyloniæ Principis, ac astu Judæorum, facta eversio, in causa fuit. Interea Sanctus Rex Episcopatum Quinque-Ecclesiensem in Hungaria erigit, ac fundat. Sanctus Andreas Eremita, qui & Zorardus, vel rectiùs Zoërardus nuncupabatur, in Hungaria in Territorio Nitriensi in cælos migrat.

1010. Restituto ac restaurato iterum Hierosolymitano Templo, per Matrem ejusdem *Ammirati* Principis, fœminam Christianissimam, omnium fidelium, adeóque & Hungarorum revixit fervor, ac devotio invisendi loca Sacra, in quibus Redemptionis nostræ peracta sunt Mysteria; itaque Sanctus Rex hoc anno, quod Superiori deliberaverat, effectui mandat, Cœnobium Hierosolymis fundat, additis domibus & hospitijs, pro Hungaricæ Nationis Peregrinis, quorum curam dictis Cœnobiarchis committit.

1011. Sanctus *Emericus*, jam quadriennis, piâ parentum curâ, ab optimis moderatoribus instituitur, ac pientissimè educatur. Interea & ipse Rex *Stephanus*, majoribus in dies incrementis pietati studens, non solùm indigenas pauperes, sed & externos quoque largissimis Eleemosynis sublevat.

1012. Hoc

1012. Hoc anno Benedictus Eremita, à latronibus in ſpelunca prope *Skalkam* jugulatur, & in flumen Vágh demergitur, ac inter Martyres aſſeritur.

1013. Sanctus Emericus, jam ſexennis, prima Litterarum elementa doctus, totum lectioni piorum librorum ſe tradit.

1014. Henricus per duodecim annos Rex Romanorum, & cognatus Regis Stephani, hoc anno unà cum conjuge Cunegunde Romæ coronatur, & Imperiale nomen ſuſcipit.

1016. Sanctus Stephanus Rex, pro ordinando Regno, ſaluberrimas Leges, ſuorum Procerum utriuſque Statûs interventu, condit, quas utique ſi Hungari conſtanter tenuiſſent, in Labyrinthum tot miſeriarum & calamitatum, ad quas relictis Legibus Sancti Regis Stephani, poſtea devenerunt, nunquam deveniſſent.

1017. Dum Hungaria ſub Stephano majoribus in dies incrementis cultûs Chriſti radiat, Gallia ſub Roberto Rege Manichæorum Hæreſi laborat.

1018. Templum Hieroſolymis, à Srephano Rege conditum, cum reliquis Monaſterijs & Templis, per *Hequem* Calipham evertitur.

1019. Sanctus *Stephanus* Emericum Filium ſanctis præceptis, libello ad id compoſito, imbuit, quæ etiam num extant, in publicis Regni Decretis, ad confuſionem Acatholicorum, qui à pietate ſuorum anteceſſorum, tam turpiter defecerunt.

1020. Dum *Stephanus*, ſingulis triennijs Monaſteria more ſibi aliàs conſveto viſitat, Weſprimiúmque hoc anno venit, Sanctus Emericus annum tertium ſupra decimum agens, in Baſilica ibidem à Matre ſua *Gyſela* ædificata, preces noctu fundens, divinitúſque admonitus, votum perpetuæ Virginitatis concipit.

1021. *Beſſi* Thraciæ populi, latrocinijs & rapinis vitam traducentes, omnibus quidem Chriſtianis, ſed maximè Hungaris, non ita pridem Chriſtiana amplexis, infenſi, per Tranſylvaniam, hoſtilem incurſionem faciunt, aſt Tranſylvani præmoniti à Sancto *Stephano*, divinitùs de periculo imminente edocto, ad tutiora loca ſe recipiunt, ſicque Barbarorum manus, potiori ex parte evadunt.

1022. *Stephanus* & *Gyſela* Veterem Budam viſitantes, amœnitate loci, & frequentiâ populi, capti, novam Baſilicam Principibus Apoſtolorum Petro & Paulo dicatam, condunt.

1023. *Stephanus* Rex, & *Gyſela* Regina, Religioni ac pietati intenti, Romam pro Reliquijs Sanctorum mittunt, quas liberaliter eiſdem offert

Benedictus Papa, & ab his magno gaudio, ſolennique apparatu excipiuntur, ac per varias Regni Eccleſias diſtribuuntur.

1024. Sanctus Henricus Imperator, *Gyſelæ* Reginæ Hungariæ Frater, præclaris, ac immortalibus operibus editis, temporale Regnum relinquens, ad cœleſte tranſit.

1025. Sancta Virgo Cunegundis Auguſta, ipsâ anniverſarij die obitûs Henrici Imperatoris, in *Confugienſi* Monaſterio, quod erexerat, in dedicatione ejus Baſilicæ, poſito crine & ornamentis Imperatorijs, Monaſticum ſuſcipit habitum, ut in eo monialibus inſerviret, ubi ad obitum uſque, annis quindecim perſeveravit. Quæ ubi audita ſunt in aula Regis *Stephani*, mirùm quantopere accenderint animos utriuſque conjugis, ac præcipuè Emerici eorundem filij, ad caduca hujus mundi contemnenda.

1026. Unde Sanctus *Stephanus*, ut curis ſæcularibus depoſitis, cœleſtibus melius vacare poſſet, Emericum filium Regni ſucceſſorem deſignat, eidémque Virginem ſtirpe Regiâ natam deſpondet, quæ Sanctiſſimo Sponſo, caſtitatiſque voto, jam antea DEO obligato nupta, ipſa quoque cum Virgine Virgo permanere ſtatuit. Sícque alterum par Matrimonij, cum Virginitate conjuncti, ad imitationem Sancti Henrici, ac Cunegundis, in Hungaria quoque, eodem ſæculo eluxit.

1027. Ad hunc annum referunt aliqui obitum Sancti Romualdi Abbatis, de Hungaria etiam optimè meriti.

1028. Per Hungariam Fides Catholica mirum in modum floret.

1029. *Stephanus* Rex, totus intentus promovendæ DEI gloriæ, ſtabiliendæ Fidei Catholicæ in Hungaria, hoc anno in Comitatu Simigienſi, & Diœceſi Weſprimienſi, Abbatiam Religionis Sancti Benedicti, Sancto Mauritio dicatam, & vulgò in *Bakon* nuncupatam, fundat.

1030. *Conradus* Imperator, bellum movet contra Sanctum *Stephanum* Regem, quem tamen DEUS miraculosè protegit, ac *Conradi* exercitum diſſipat, poſtquam Rex Sanctus, ſe, ſuóſque Patrocinio Beatiſſimæ Virginis, tanquam Patronæ Hungariæ commendâſſet. Hoc eodem anno, unicus filius ejuſdem Sancti *Stephani* Emericus, Patri ſanctimoniâ propè par, terras cum cœlo commutat. Quô eodem anno, Sanctus *Gerardus* in Hungariam venit. *Inchofer.*

1031. Hoc & ſequentibus duobus annis, *Stephanus Rex*, & *Gyſela* Regina, ab obitu Emerici, multò magìs pietatis operibus intenti, non ſolùm templum, quod ante aliquot annos Hieroſolymis fundaverant, & quod poſtea Saraceni everterant, rurſus reſtaurant, ac ornant, ſed & Chriſtianos Hieroſolymitanos, liberalibus Eleëmoſynis adjuvant, ut continuos haberent illic ad Sepulchrum Chriſti, pro ſe exoratores. 1034. Qua-

1034. Quatuor Proceres Hungariæ, etiamnum paganiſmi perfidiam in corde foventes, in necem Sancti Regis *Stephani* conſpirant, rati morte illius, Hungaros ad priſtinos gentilitatis ritus redituros, ſed Divinâ providentiâ, conſpiratio impia detegitur, & à Sanctiſſimo Rege parricidis venia ſceleris conceditur. Hoc eodem anno, ſanctiſſimè obijt Anaſtaſius ſive Aſtricus, Colocenſis Præſul, is, qui Coronam auream *Stephano* ſacrando, à Pontifice Romano retulerat. Obijt autem plenus meritis, & annis ſeptuagenario non minor, poſtquam veniſſet in Hungariam, anno trigeſimo ſecundo, ut notat *Inchofer*, qui tamen ejus mortem ad annum 1046. refert.

1035. Hæreſis *Berengarij* reſuſcitatur in Gallia, quæ mox Germaniam quoque penetrat; penetratura etiam ad Hungaros, niſi pientiſſimi Regis Religio obſtitiſſet.

1036. Durante interregno in Polonia, Bohemi atque Rutheni, Regnum illud invadunt hoſtiliter, cuncta ſacra & profana miſcentes, quo in tumultu Bohemi ipſis etiam corporibus Sanctorum, Gneſnenſem ſpoliant Eccleſiam, inter quæ fuêre corpora Sanctorum quinque Martyrum: Matthæi, Benedicti, Joannis, Iſaac, & Chriſtiani, qui omnes aliquando ſub Anaſtaſio Abbate, poſtea Colocenſi in Hungaria Archi-Epiſcopo, monaſticam ducebant vitam. Eodem anno, Sanctus *Stephanus* Rex, Gerardum Monachum ab Eremo revocans, Epiſcopum Chanadienſem (invitum licèt) conſtituit.

1037. Ut primum autem Gerardus Epiſcopalem ſuſcepit dignitatem, complures in Hungaria ædificat Eccleſias, ac hoc anno, principalem Eccleſiam in honorem Sancti Georgij Martyris, Chanadini, ad littus Maruſij fluvij extruit, quam *Stephanus* Rex, dotalitijs muneribus notabiliter ditat.

1038. Obijt hoc anno Sanctus *Stephanus*, primus Hungariæ Rex, Budæ, ætatis ſuæ circiter 53. Regni verò 38. exacto, die 15. Auguſti, in feſto B. Virginis Aſſumptæ, uti ipſe concupierat, & quo die olim coronatus fuerat, commendato Regno, ſingulari Patrocinio Beatiſſimæ Virginis, quam jam antè Patronam Hungariæ, & Dominam dixerat.

1039. Sub finem prioris anni, non diu poſt obitum Sancti Stephani Regis, cùm Rex Sanctus hærede careret, Petrus natione Alemanus, Sancti Stephani ex ſorore nepos, Rex Hungarorum nominatus, hoc anno coronatur, qui ſtatim in ipſo limine, à veſtigijs avunculi, plurimùm deflexit, & Regnum quaſi jure, non ſorte accepiſſet, contemptis Legibus, ſibi ſubjectos, temerè gravare cœpit. Hoc eodem anno *Gyſela* Regina, non ſine

mœrore ac luctu Hungarorum, ex Regno discessit, Patavíúmque (quod nunc Passavium dicitur) profecta est, ibique in Sanctæ Crucis Monasterio, à Sancto Henrico germano, & Cunegunde cognata fundato, religiosam vitam amplectens, vitam reliquam eximia cum sanctitate traduxit.

1040. Post discessum Reginæ Gyselæ, res Hungarica declinare cœpit, Petro Rege non ex consensu, & consilio Procerum, sed pro libidine omnia agente. Communi igitur omnium voto admonetur insolentiarum, priùs ab Antistitibus, & præcipuè à Gerardo Episcopo Chanadiensi, eximiæ Sanctitatis famâ celebri, dein à reliquis Optimatibus Regni; ast is impatiens correptionis, monitoribus, nisi monitis abstinerent, pejora interminando, in malè ceptis tumidè contumax manet, & in dies evadit deterior.

1041. Tandem Hungari, Tyrannidis pertæsi, eundem Regno dejiciunt, & *Abam* Hungarum, Regem in locum illius eligunt.

1042. *Aba* Rex, qui initio sui Regni, magnas spes rerum bene gerendarum Hungaris dederat, jam in honoribus regijs constitutus mutat mores, & multorum sangvine fœdè cruentat sceptrum, diráque servitute Hungaros premit. Intereà Henricus Germaniæ Rex (ad quem Petrus pulsus Regno Hungariæ confugerat,) in *Abam* (quem alij *Albonium* seu *Ovonem* vocant) exercitum ducit, ut Petrum in Regnum Hungariæ restituat, Rex *Aba* è contra, Henricum præveniens, prior bello invadit Austriam, & Bavariam, ac insuper Carinthiam etiam vastat.

1043. Henricus ingentes copias in Hungariam ducit, cui ad Jaurinum non minori multitudine *Aba* occurrit, committitur mox inter utrumque exercitum ingens prælium, in quo *Aba* à suis ob sævitiam magna ex parte desertus, vincitur, & fugatur, ac *Petrus* Regno iterum restituitur.

1044. Rex Aba, nuper ex prœlio fugâ elapsus, diù quæsitus, & tandem inventus, occiditur.

6045. Sublato Abâ sive Ovone, *Petrus*, qui Regno restitutus, emendatæ indolis, magnam universis spem fecerat, metu æmuli liberatus, priorem resumit ferociam, unde Proceres quidam Hungariæ, res novas contra eundem moliuntur. Obijt hoc eodem anno Sanctus Guntherus Eremita, Divi Stephani Regis cognatus.

1046. Conspirant igitur in *Petrum* Regem, atque *Andream* & *Leventam*, Regij sangvinis adolescentes, in Russia seu *Roxolania* tunc exulantes, ad Regium sceptrum capessendum evocant. His intellectis *Petrus*, fugâ se in Austriam recipere intendit, sed ex itinere retractus, ad Mosoniensem agrum, in Pago *Zamurem*, unà cum conjuge, in potestatem Hungarorum

venit,

venit, ac continuè luminibus privatus, Albam Regalem abducitur, paucísque post diebus dolore vulnerum, animíque mœrore, extingvitur.

1047. Petro Rege sic oppresso, Hungari *Vathà* nequissimo ac sceleratissimo Duce, ad paganismum magna ex parte redeunt, ac Sanctum Gerardum Episcopum Chanadiensem, aliosque aliquot Episcopos, martyrio afficiunt, mirèque in cæteros quoque Christianos sæviunt. Tandem sub finem anni, *Andream* Ladislai Calvi Filium, in Regem Hungariæ eligunt, non aliter tamen, quàm ut sibi libertatem paganismi permittat. Cujus promissione factâ, simulatè, & tempori serviendo, paucis post diebus, is, Regni insignia suscipit, & Albæ Regalis coronatur.

1048. *Andreas* libertatem prædictam paganismi, utpotè perniciosam, & à se vi extortam, in animo damnans, per omnem latè Hungariam, publico edicto sub capitis pœna, paganismum proscribit, veramque Religionem Regno restituit.

1049. Henricus III. Imperátor, mortem Petri Regis ulturus, ingentem exercitum contra *Andream* Regem, in Hungariam ducit, cujus primos impetus excepturus *Andreas*, & ipse se accingit. Cùm pacem à Henrico, etiam ipso Pontifice Leone mediatore, impetrare nullis rationibus valeret.

1050. Henricus Imperator, Hungariam hostiliter ingressus, Posonium obsidione cingit, ac spatio duorum mensium acriter illud oppugnat. Interim *Andreas* Rex, ad opem Divinam confugit, DEO votum nuncupando, de Templo ac Cœnobio, sub patrocinio Divi *Anniani* Aurelianensis quondam Antistitis sanctissimi, si hostem repelleret. Nec vana ejus fuêre vota, obsessorum enim repentina eruptione, mox castra hostium perturbantur, acies dissipantur, exercitus ferè totus, in fugam agitur, sícque obsidio Urbis feliciter solvitur. Ita hoste pulso Rex *Andreas*, eodem anno statim votum exolvit, Abbatiámque Tyhaniensem medio propemodum Balatonis lacu, saluberrimo cœlo, solóque & prospectu amœnissimo, fundat, ac è fundamentis Templum Cœnobiúmque erigit. Hæc inter verò, Belam fratrem minorem natu, quo cum olim exulabat, in Hungariam revocat, eidémque tertiam partem Regni ultroneè cedit.

1051. *Andreas* Rex, nihil non agit apud Leonem IX. Pontificem, pro authoritate interponenda, ne Henricus Imperator denuo Hungariam bello invaderet, movit tantæ rei momentum, Sanctissimum Pontificem, ita, ut ipsemet in persona se in Germaniam conferret, ad pacem constantem, Henricum inter & *Andream* componendam, sed amicis discordiæ interturturbantibus, id frustra fuit. Henricus itaque (Leone Pontifice re in-

fectâ Romam redeunte) longè majori apparatu bellico, exercitúque auctiori, duplici ex parte Hungariam aggreditur; ast defectu commeatûs, jam antea ab *Andrea* Rege, ex industria præcisi, pars illa exercitûs, quam ipsemet Henricus secundùm defluxum Arrabonis fluvij ducebat, fame magnâ laborare cœpit. Quibus visis Henricus, Regi *Andreæ* pacem, priùs ab hoc expetitam, & ab illo denegatam, jam ultrò offert, quam etiam is lubens acceptat, sicque pax exoptata, inter duas potentissimas nationes concluditur.

1052. Pro confirmada proximè elapso anno inita pace, inter Salamonem filium *Andreæ* Regis, & Sophiam Henrici Imperatoris filiam, sponsalia ad Moravam amnem, qui Moraviam ab Hungaria disterminat, magnifico apparatu celebrantur, ac fœdera facta utrinque renovantur, ac demum Sophia Neo-sponsa magno comitatu, singularique cum pompa, in Hungariam deducitur. Agebat autem tunc Salamon, quartum infantiæ annum, Sophiâ intra pueritiam constitutâ.

1053. *Andreas* Rex, periculi jam securus, novâque affinitate Henrici Imperatoris, finitimorúmque Principum amicitiâ auctus, totum se ad pacis & pietatis studia, curámque stabiliendi Regni, pro filio suo Salamone convertit. Quô consiliô, multa pro incremento Religionis Catholicæ facit, filiúmque suum Salamonem, puerum adhuc quinquennem, Belâ etiam fratre assentiente, in Regem Hungariæ coronari curat.

1054. Bela, Frater Regis *Andreæ*, dolens se consensisse in coronationem Nepotis Salamonis, ipséque interim occultè Regnum affectans, neque ob id satis *Andreæ* Regi fidens, in Poloniam fugit. *Andreas* Rex è contra, à Bela sibi timens, Salamonem filium, ejúsque sponsam securitatis causâ, ad Henricum Imperatorem ablegat.

1055. Bela in Polonia spontè exulans, de Regno Nepoti Salamoni extorquendo, curas omnes impendit.

1056. Obijt hoc anno Henricus III. Imperator, jam anno proximè præterito filio quinquenni in Regem Romanorum coronato.

1057. *Andreas* Rex, audito Henrici Imperatoris obitu, plurimùm dolet, mox datis ad Agnetem Augustam, & Filium ejus Henricum Regem litteris officij plenis, Salamonem filium eisdem commendat, meliori tempore in Patriam revocandum.

1058. Pergit interea *Andreas* Rex in rectè administrando Regno, Religionéque Catholica firmanda, & promovenda.

1059. Boleslaus Rex Poloniæ, Belæ exulis, & uxoris ejusdem suæ amitæ precibus fatigatus, bellum *Andreæ* Regi indicit, vicissim *Andreas* Hen-

Henricum Regem Romanorum, & Wradislaum Bohemiæ Principem in ſocietatem armorum evocat. Committitur igitur ad fluvium Tibiſcum atrociſſimum prælium, in quo Bela victor evadit, & *Andreas* Rex fugiens, ab hoſtibus comprehenſus, miſerè perit.

1060. Poſt Andreæ Regis interitum, *Bela* fraterno bello ſuperior, fuſis hoſtibus, rerúmque potitus, Albam victor ingreditur, ac conſenſu omnium Procerum, in Regem Hungariæ coronatur. Hic ab exordio ſtatim ſui Regni, ad pacandam Regionem, & curanda gentis commoda, fidémque Orthodoxam firmandam, animum applicat, ſapientérque Regnum adminiſtrat, & quod à principio intendit, è ſententia conſecutus eſt, ac ne quæ fraus in commercijs & dolus committeretur, monetam argenteam cudi facit, ac auream quoque introducit, neque aliam ullam quôad vixit admiſit; menſuras item ac pondera inſtituit, pretiaque rerum venalium omnium conſtituit, ac ſtabilivit.

1063. Tertio autem Regni ſui anno, in oppido *Demes*, cùm cauſis judicandis vacaret, ruinâ conclavis, unà cum ſolio Regio adeò conquaſſatus eſt, ut deſperatâ valetudine, ægrotare cœperit, nec multò poſt obierit, ſepultúſque eſt in Divi Salvatoris Cœnobio *Zegzard* dicto, quod ipſe exædificaverat: reliquit filios Geyſam, Ladislaum, & Lampertum. Eodem anno Salamon audito Regis Belæ obitu, Henricum IV. Imperatorem, (cujus ſororem Sophiam uxorem ſibi deſtinatam habebat) extemplò adit, rogans, ut ſe in Regnum jure ſibi debitum reſtituat. His precibus ille victus, validiſſimum repentè exercitum cogit, Salamonémque in Hungariam deducit, qui mox Albæ Regali ab Hungaris denuò coronatus, Rex proclamatur. Geyſa item & Ladislao filijs defuncti Regis Belæ, cùm ſe viribus Imperatoris impares eſſe intelligerent, ſe ad ſuos, unde ex matre orti erant, in Poloniam recipientibus. Henricus autem reſtituto *Salamone*, ac pacatâ Hungariâ, in Alemaniam redit.

1064. Poſtquam Geyſæ & Ladislao ſignificatum eſſet, Henricum Imperatorem Hungariâ abijſſe, haud quaquam rem differendam rati, cum Polonicis copijs Regnum repetunt, & *Salamon* ſibi metuens, ad tutiora ſe recepit. Aſt Procerum & præcipuè *Deſiderij* Archi-Epiſcopi Strigonienſis operâ, pax & fœdus inter Patrueles fratres, hâc conditione initur, ut *Salamoni*, quamvis juniori Regnum cederent, & velut legitimo Regi parerent, Geyſa & Ladislaus Paterno Ducatu potirentur.

1065. Zolomerus Rex Dalmatiæ, qui Sororem Geyſæ ac Ladislai Ducum in uxorem habebat, ad *Salamonem* Regem, & prædictos Duces, Legatos mittit, ab utriſque auxilia militaria petens, contra Carinthos, qui tunc Marchiam Dalma-

Dalmatiæ occupaverant. Rex igitur, & Dux Geyſa collecto exercitu, ipſi in perſona in Dalmatiam expeditionem ſuſcipiunt, & ablatam Marchiam integrè eidem reſtituunt.

1067. Bohemi Wradislao Duce, audaciâ & temeritate inflati, in Trenchinienſem Comitatum erumpunt, ferróq; ac incendio cuncta vaſtant, pecoribus multis abactis, & captivis quoque plurimis abductis. His injurijs Hungari accenſi, *Salamonis* Regis, & Geyſæ Ducis, ductu, auſpicijsque, Bohemiam, tam validis copijs invadunt, ut hoſtibus in aciem prodire non audentibus, univerſam ferè ſpoliarint, vaſtârintque.

1069. Poſt hæc, ne fortuna Pannoniam otio torpere pateretur, Chunorum bellum exarſit. Qui innumerâ multitudine, Hungariam inſperatè invadentes, totam Provinciam, quam *Nyir* vocant, uſque ad Civitatem Byhor, crudeliter devaſtârunt, ac depopulati ſunt. Rex igitur *Salamon*, & Dux Geyſa, cum fratre ſuo Ladislao, collectiſſimo exercitu, in eos jam prædâ onuſtos, & ad ſuos cum triumpho revertentes, fortiter irruunt, eóſque fugant, diſſipant, magnâque clade afficiunt, univerſamque prædam recipiunt, ingentémqne multitudinem captivorum Chriſtianorum, è horum paganorum manibus eliberant.

1073. Tertio autem poſt eruptionem Chunorum anno, Biſſeni ac Bulgari, trajecto Savo in *Syrmium*, inferiorémque Hungariam hoſtiliter ſe effundunt, cuncta diripiunt, pecora cum hominibus abducunt, & remenſo amne, rapiniſque onuſti, in Bulgariam ſe recipiunt. Rex proinde *Salamon*, & Dux Geyſa, ultionem de Bulgaris ſumere cupientes, Albam Græcam obſidione cingunt, eámque vi expugnant, ac juris Hungarici faciunt.

1074. Interea Imperator Græcorum, auditâ liberalitate & humanitate Ducis Geyſæ, Legatos ad firmandam cum eo pacem, ac amicitiam, (præterito *Salamone* Rege) mittit, quam etiam impetrat. Unde Rex *Salamon* contra Geyſam invidiâ tacitùs exardeſcit.

1075. Privatæ hæ ſimultates inter Regem *Salamonem*, & Duces Geyſam ac Ladislaum, in apertum erumpunt bellum, in quo *Salamon* Rex vincitur, & amiſſo exercitu, vix fugâ ſe ſalvat ad *Zigetlén* Danubium tranſiens, cum uno duntaxat itineris comite. Mox Geyſa & Ladislaus, cum exercitu victore, ad Albam Regalem veniunt, & tunc Geyſa Dux, compellentibus Hungaris, coronam Regni ſuſcipit.

1076. Salamon Rex à ſuis penitus deſtitutus, rurſus ad Henricum IV. Imperatorem confugit, ab eóque auxilia expoſcit, ac etiam impetrat; ſed Ducum, qui exercitui præfecti erant perfidiâ, Henricus, qui ipſemet in per-

in persona, pro restituendo rursus Salamone, in Regnum advenerat, re infectâ in Germaniam revertitur.

1077. Rex Geysa cognomento Magnus vocatus, à suis, in ægritudinem incidit, & 7. Calendas Maij, rebus humanis excedit. Post cujus obitum, vivente licèt adhuc Salamone, Hungari unanimi consensu, *Ladislaum* Geysæ fratrem, Regem declarant, imò ferè magis affectuosissimis precibus compellunt, Salamon interim privatam vitam ducens, commorabatur Posonij, & ei adjacentibus locis, nec tamen unquam de recuperando Regno spem & conatus deposuit.

1081. *Ladislaus* Rex, quamvis sciret Salamonem nimis esse trucem & implacabilem, victus tamen pietate, pacem init cum eodem, donans ei stipendia, ad regales expensas sufficientia. Salamonem autem præconceptæ iracundiæ amaritudo, in *Ladislaum* laniabat. Cœpit itaque machinari varios dolos in *Ladislaum*, cujus flagitio deprehenso *Ladislaus* Salamonem capit, & in Vissegrad, in carcerem retrudit.

1083. Sanctus *Ladislaus*, charitate fraternâ motus, Salamonem è carcere liberat, paratus eidem iteratò regnum reddere, si is Ducatu suo se frui permittere voluisset, & nisi Proceres reclamâssent.

1084. Salamon Rex carcere emissus, paucos dies cum *Ladislao* Rege agit, & mox in solitum furorem iracundiamque recidens, ad *Cutescum* Chunorum Principem profugit.

2085. Salamon à *Cutesco* auxilia exorat, eidémque Transylvaniam, jure jurando pollicetur, si in pristinam dignitatem per eum restitui posset. Barbarus ergo hâc inani spe tractus, coacta ingenti multitudine, in Hungariam erumpit, contra quem Ladislaus confestim exercitum cogit, eundem aggreditur, fundit fugatque, *Cutesco* cum Salamone clandestinâ fugâ sibi salutem comparante.

1086. Rex Salamon rebus sic desperatis, Hungariam infestare præsumere amplius non audens, cum latrunculis Chunorum, Bulgariam & confinia Græciæ invadit, Græci itaque his occurrunt, eosque in fugam vertunt atque in tantum cædunt, ut pauci ex ijs evadere potuerint. Ipse quoque Rex Salamon fugiens, congelatum Istrum sicco pede transiens, hostium manum vix effugit. Cumque venisset ad quoddam nemus magnum, relictis socijs fingens se confestim reversurum, in opacas partes sylvarum abijt, nec unquam ampliùs comparuit, sed in solitudinem se recipiens, asperam egit pœnitentiam, ac demum Religionem ingressus, in eadem piè mortuus est, ac Polæ in Istria sepultus. Ejus postea reliquiæ 1487. à Loci Episcopo, in al-

tari ab eo conſecrato, ſunt repoſitæ, & anno 1657. ibidem inventæ, cum inſcriptione: Corpus Sancti Salamonis Regis Confeſſoris.

1087. Chuni Duce *Copulch*, Tranſylvaniam priùs deprædati, in Hungariam cum valida manu intrant. Rex *Ladislaus* igitur magnâ celeritate, cum exercitu forti ad eos perſequendos properat, quos circa flumen Temes invenit, atque ad internecionem uſque cædit, ita, ut nemo ex eis evaſerit, præter unum ſervientem, nomine Eſcembum, qui ſuis cladem referret.

1089. Chuni priorem cladem ſuorum vindicare cupientes, rurſùs in Hungariam irrumpunt, quos Rex *Ladislaus*, maturè ad fines Regni ijſdem obvians cum eximio exercitu paratus exſpectat, & *Acum* Ducem eorum, ad ſingulare certamen provocans, hunc victor proſternit, illos per copias ſuas fugat, ac cædit, in tantùm, ut Chuni nunquam ampliùs vitâ durante *Ladislai* Regis, Hungariam invadere, vel infeſtare tentaverint, ſed nec valuerint.

1090. Sanctus *Ladislaus* Rex, Expeditionem in Ruthenos ſuſcipit. Cauſa belli fuit, quòd *Chunos* in ſe concitâſſent, auxilia eiſdem miſiſſent, commeatúque eos juviſſent, quos tamen ſibi ſupplices, ingenuèque culpam fatentes, & imperata ſe cuncta facturos pollicentes, clementi animo ſuſcipit, ut non tam vi, quàm pietate, hoſtem ſibi perpetuò, conciliârit.

1091. Mox Poloniam ijſdem ex cauſis aggreditur, Cracoviámque Regni Metropolim, tertio obſidionis menſe, deditione capit, ſícque caſtigatâ Polonorum pervicaciâ, Urbem ijſdem ſpontè reſtituit, admonendo, ne contempto amicitiæ jure in poſterum quicquam in Hungariam molirentur, quæ ſe facturos illi ſanctè pollicentur. Inde in Bohemiam tranſit, & quos ibi habebat olim infenſos, exactâ injuriarum ultione, multíſque in captivitatem aſſertis, victor cnm ditato exercitu, in Hungariam redit.

1092. Sanctus *Ladislaus*, Civitatem Varadienſem, ad fluvium *Chriſium* condit, in eáque inſignem Baſilicam Divæ Virgini dicat, ac ejuſdem loci Epiſcopatum fundat.

1093. Sanctus *Ladislaus* Rex ob præclaras virtutes, plurimáque glorioſè geſta, multis precibus ad Imperij coronam invitatur, quam tamen is conſtantiſſimè recuſat.

1095. Conſpirantibus Regibus quibuſdam, ac Principibus Chriſtianis, ad Terram Sanctam Saracenis eripiendam, Sanctus *Ladislaus* Rex, pro expeditionis ſacræ Duce, invitatur ab ijſdem, quod officij genus, hilari fortíque animo ſe ſuſcepturum adpromittit, verùm DEO aliter diſponente, dum in Bohemiam pro Conrado Duce, injurioſè à Sentapologo detruſo, in priſtinam dignitatem reſtituendo, exercitum ducit, in ipſis finibus Regni, gravi morbo corripitur, magnóque omnium Chriſtianorum luctu extingvitur, eidémque ſucce-

ſuccedit in Regno eodem anno *Colomannus*, Geyſæ I. Regis major natu filius.

1096. Exercitus confœderatorum Chriſtianorum Principum, ad Regem *Colomannum* nuncios mittit, obnixè eundem rogando, ut delatum tot Principum nomine, ſacroſanctæ expeditionis Imperium, quod Ladislao Regi, paulò ante oblatum fuerat, lubenter accipiat, aut ſaltem copias ſuas eidem adjungat. At ſpe ſuâ fruſtrantur, ille enim multa impedimenta cauſatus, non tantùm obſtinatiſſimè delatum ſibi munus recuſavit, ſed nec ullis copijs expeditionem adjuvit, quin & tranſitum per ſuum Regnum eiſdem nefariè denegavit. Mox tamen ſacro exercitu vi viam ſibi per Hungariam parante, & re ipsâ aperiente, dum aliquandiu armatâ manu reſiſtit, mutatus in melius, (quòd maximam infamiæ notam ſibi inuſtam inde intelligeret) nullum humanitatis ac hoſpitalitatis officium prætermittit, eúmque pacificè in Orientem tranſire permittit.

1097. Inter *Colomanum* Regem, & Ducem *Almum*, fraternum bellum iniquorum ſuſurronum malitiâ exoritur, quod tamen ſapientiorum Procerum conſilio, mox ſopitur.

1099. Poſt hæc Rex *Colomannus*, Ruſſiam hoſtiliter invadit, cui Duciſſa Ruthenorum obviam venit, ejúſque provoluta pedibus, cum lacrymis obſecrat, ne gentem illam diſperderet; quam tamen is magna cum indignatione calce repellit, quæ vi indignè rejecta, elatis in cœlum manibus, divinam opem ingeminat, dirámque repulſam incuſat, nec fruſtra; nam Rutheni, cum auxiliaribus copijs Chunorum, ex improviſo *Colomannum* ſecundâ noctis vigiliâ invadunt, & ad internecionem uſque delent, vix ipſo *Colomano* cum paucis Nobilibus, fugâ turpi evadente.

1101. *Colomanno* Regi, ex prima uxore, duo filii, Ladislaus & Stephanus naſcuntur.

1105. Northmanni Dalmatiam, quæ tunc partim Veneti, partim Hungarici juris fuerat, infeſtant.

1106. Veneti igitur cum *Colomanno* Rege fœdus ad repellendos [illo Regno Northmannos ineunt. Venit itaque in Dalmatiam *Colomannus* expedito cum exercitu, atque hâc occaſione uſus, Venetis *Jadram*, aliáque plurima loca eripit, præſidijſque communiens in Hungariam redit.

1107. Veneti ob occupationem Dalmatiæ, *Colomannum* graviter incuſant, perpetuâque violati fœderis infamiâ notant, quod ipſi ſanctè huc-uſque ſervâſſent. Contra ille, ſe neque fœdus violâſſe, neque in ſocios arma ſumpſiſſe, neque detractâſſe amicitiam conſtanter aſſerit, ſed ſuos tantùm recepiſſe populos, qni hæreditario jure ad ſe ſpectabant.

1108. Magnam igitur Veneti claſſem parant, & *Ordeoſalum* Ducem, ad recuperandam Provinciam mittunt, qui mox *Jadram* acri obſidione circumvenit, circumventámque oppugnat, ac itidem expugnat, ſed mox à ſuperveniente Hungarorum exercitu, cui ipſe Rex *Colomannus* præerat, ad *Jadræ* mœnia, ferè ad internecionem cæduntur, *Ordeoſalo* Duce occumbente. Profligato autem hoſte, Hungari *Jadram* ultrò ſe dedentem recipiunt, & *Colomannus* pacatâ Dalmatiâ, diſpoſitíſque ubique præſidijs, prout loci cujúſque conditio poſtulabat, in Pannoniam ſe recipit. Veneti poſt hanc cladem acceptam, per Legatos in Hungariam miſſos, pacem petunt, atque etiam impetrant.

1109. Dux *Almus* frater Regis *Colomanni*, rurſus accerſito Polonorum, & nonnullorum Hungarorum auxilio & conſilio, novas res molitur, quibus nudatis, Rex *Colomannus* eundem in caſtro quod occupaverat obſidet, & in ſequentem diem cum eo pugnare decernit. Verùm *Almus* humanitate potiùs quàm vi, fratrem vincere ſtatuit: ſolus igitur patefactâ portâ equo inſidens, in Regia caſtra properat, & cùm ad tentorium Regis veniſſet, ex equo deſiliens, & ad fratris continuò pedes procidens, culpam ſuam palam fatetur, veniámque pro ijs qui eum temerè ſecuti fuerant, à Rege ſupplex deprecatur, ac poſcit. Rex verò fraternâ pietate motus, veniam omnibus ultrò concedit, auxiliares copias impunè dimittit, fratrémque in Regiam reducit. Hoc tamen aliqui ante bellum cum Venetis in Dalmatia ſuſceptum, geſtum fuiſſe ſcribunt, quibus & *Bonfinius* adſtipulatur.

1110. Dux *Almus*, devotionis ergo Hieroſolymas proficiſcitur, & redux à Rege pacificè ſuſcipitur.

1111. *Almus* Dux, Monaſterium *Demes* conſtruit, ac in venationibus quibus mirè delectabatur, eſt aſſiduus.

1112. Dum verò quadam vice in Baconenſem ſylvam (quæ multis ferarum omnium generibus abundat) venandi causâ veniſſet, ex occaſione ambigua, quædam verba protulit, quæ ſine mora ſuſurrones, in alio ſenſu, & longè aliter Regi *Colomanno* deferunt: Dux igitur ſibi timens, rurſus in Germaniam profugit. Eodem anno *Colomannus* Rex, ſecundam duxit uxorem de Ruſſia, quam poſt, deprehenſam in adulterio, in Patriam remiſit.

1113. Henricus V. ingenti cum exercitu ad confinia Hungariæ venit, *Almum* Ducem ſecum adducens, ut ei Regem *Colomannum* reconciliaret, & pacem inter eoſdem faceret. *Almus* igitur ſupplex, præſente Imperatore, veniam petit, quam non ſine lacrymis eidem *Colomannus* condonat,

donat,

donat. Abituro verò Imperatori certatim ab utroque gratiæ adjectis muneribus aguntur, & *Almus* cum Rege ſe in Hungariam recipit, ſed non diù poſt, priſtinâ malorum arte, ſimultas & ſuſpicio inter eos redintegrantur. Unde anno:

1114. *Almus* Dux, juſſu *Colomanni*, & filius ejus *Bela* infantulus, è matris gremio ereptus, excæcatur. *Almus* in Monaſterium *Demes*, ab ipſo ædificatum detruditur, ſed non ſine divina ultione, nam eodem anno Rex *Colomannus* obit.

Eodem anno 1114. *Stephanus II.* Rèx Hungariæ Colomanni filius, in Regem, adhuc adoleſcentulus aſſumitur & coronatur, octóque penè annis, alieno ductu, & auſpicijs, ſapientum nempè Antiſtitum & Procerum conſilio, gubernat feliciter, deinde initâ tempeſtivæ virtutis ætate, ſe in libertatem aſſerit, pro libidine ſua cuncta geſturus; cùmque belli potiùs, quàm otij ſtudijs teneretur, Anno Regni ſui 9. & Chriſti 1122. in Dalmatiam proficiſcitur, ubi vulgò honorificentiſſimè receptus, provincialium fidem redintegrat, præſidia oppidatim reſtaurat, nutantium animos confirmat, mox curatâ Provinciâ, in Pannoniam ſe recipit.

1123. Poſtquam in Hungariam ex Dalmatia reverſus eſt, in Polonos exercitum mittit, qui ſibi & Patri ſæpè injurij fuerant; inductus miles longè latèque graſſatur, cunctáque igne ac ferro vaſtat, & abactâ ingenti prædâ domum redit.

1124. Mox in Bohemos bellum molitur, verùm Optimates contra, id haud temerè ſumendum cenſuêre, quare Bohemorum Ducem in colloquium invitandum eſſe judicârunt, ut in præſentia ultrò citròque injuriarum mutuarum ſuſpiciones diluerent; quod tamen colloquium malitiâ unius veteratoris interturbatum eſt, ac in inſperatum prælium erupit, ex utraq; parte plurimis cæſis.

1125. *Stephanus* Rex, cœlibem hactenus vitam ducens, ducit in uxorem Roberti Gviſcardi, qui in Apulia & Sicilia latè dominabatur, filiam.

1126. Poſt hæc in Ruthenos bellum ducit, ſed interfecto Duce *Bezen*, pro quo reſtituendo in priſtinam dignitatem agebatur, Procerum ſvaſu ac conſilio, obfirmatáque in contrarium voluntate, exercitum in Hungariam, reducere adigitur.

1128. Nondum tres annos domi requieverat, cùm exacto mox otio, Poloniam hoſtiliter invadit, terrore ac tumultu omnia complet, & in pagos ac oppida ferro ignéque graſſatur.

1129 Atroci dein bello Bulgariam, ac univerſam ferè Macedoniam, cum ſuperiori Myſia infeſtat, ſed â Græcis, priùs navali bello, dein etiam terre-

terrestri, ad *Carasum* fluvium, magnâ clade afficitur, & demum pacem ac fœdus cum Græcis init.

1130. Antistites ac Proceres Hungariæ, cùm Regem liberis carere conspicarentur, inito inter se consilio, *Belam* Ducis Almi filium, pari cœcitate affectum, & hactenus iu occulto, ac tuto à quibusdam Principibus conservatum, adhuc vivere, *Stephano* Regi patefaciunt. Quem cùm ille ex cœcitate mortuum olim credidisset, ex insperato in maximam lætitiam effunditur, eúmque continuò ad se adduci jubet, ac Regni successorem declarat, atque Helenam Regiæ stirpis virginem viri Macedonis filiam, eidem in matrimonium collocat.

1131. Decedit ex hac vita *Stephanus II.* Rex, Regni sui 18. anno, in morte Monachalem habitum, in pœnitentiæ signum suscipiens, cui eodem anno succedit *Bela II. Cœcus*, Almi Ducis filius.

1132. *Bela Cœcus* licèt, prudentissimè Regni administrationem inchoat: orbitate námque oculorum, ita se ipse collegerat, ut in consultando, ac deliberando, semper versaretur. Genuit verò ab anno 1130. usque ad annum 1136. circiter, quatuor elegantissimæ indólis filios, Geysam, Ladislaum, Stephanum, & Almum.

Circa annum 1137. Regis edicto, frequens Conventus ad *Arad* oppidum indicitur, in quo cùm Rex sedisset super solium regium, venit Regina cum quatuor filijs suis, & ad Proceres præfata, obsecrat eosdem ut vindictam sumant de ijs, qui excœcationis viri sui fuêre causa. Nec mora, populus illicò irruit in eos Barones, quorum consilio Rex excœcatus fuerat, & 68. ibidem ex ijsdem crudeliter trucidat. Reliqui Senatus consultò proscribuntur, eorúmque universa bona ad Fiscum rediguntur, ac dein in Ecclesias Cathedrales dividuntur.

1138. Nonnulli Proceres Hungariæ hoc facto, quod tamen Rex improbabat, offensi, vel consvetæ sibi instabilitatis & novitatis aviditate ducti, *Borith* Colomanni putatitium filium, ex Polonia ad Regnum capessendum evocant. *Borith* itaque adscito Ruthenorum Polonorúmque auxilio, venit in Hungariam, sed à Rege *Bela* in tantùm profligatur, ut pauci cum *Boritho* ex prælio evaserint, cæteri fusi & fugati in rusticorum manus incidentes immaniter trucidati sunt.

1139. Pacato Regno, *Bela* Rex otio se tradit vinóque nimio indulget, unde in hydropim incidens, moritur anno 1141. Idibus Februarij. Corpus Albam Regalem delatum, ubi quatuor liberis superstitibus, Helenaque conjuge, honorificè sepultum est. Quo eodem anno *Geysa II.* Belæ II. primogenitus, jam à Patre priùs designatus, in successorem omnium

Princi-

Principum consensu votisque populorum, in Regni fastigium effertur, cùm necdum ex ephœbis excessisset.

1142. Nondum annum post initum munus exegerat Rex *Geysa*, dum bellum ei, ab Henrico Duce Austriæ infertur. Posonio per Julianum Comitem astu occupato, unde longè latèque incursionibus gravissimè vexabatur Pannonia. Adolescentis animus ingenitâ quâdam magnitudine præditus, haud quaquam his consternatus est. Undique igitur statim colligit copias, & puer, ac tyro licèt adhuc, ipsemet ad castra prodire gestit, & prælio interesse vult, cunctósque milites hortando ad pugnam, animans, insignem reportat de hostibus victoriam.

1143. Post hoc bellum, Pannonias sæva fames invasit, quâ vulgò grassante, maxima pars hominum est absumpta.

1147. *Conradus* Imperator, per Hungariam cum exercitu transit contra Saracenos pugnaturus in oriente, per militem indisciplinatum, haud parvo sacris & prophanis detrimento illato. *Conradum* secutus est *Ludovicus* Rex, qui ubique sanctissimum se piæ militiæ Ducem ostendit, magnâ severitate ducens exercitum, & vim militibus passim inhibens.

1149. *Geysa*, raro amore fratres suos Ladislaum & Stephanum (nam Almus præ cæteris mortem obijt) prosequitur, quos & paternâ & regiâ liberalitate ac indulgentiâ fovet, ac utrumque Ducali dignitate exornat, pro dignitate eisdem proventus, & vectigalia assignans.

1150. Post hæc, Ruthenorum bellum exardescit, contra *Lodomerium* pro *Minoslao* Principe, cujus filiam *Geysa* Rex duxerat. Rex igitur exercitum in Russiam mittit, qui sedato bello, & reposito ad Principatum *Minislao*, non paucis suorum amissis in Hungariam redit.

1152. *Lodomerius* iterum *Minislaum* adoritur, & hic rursus à Genero efflagitat auxilium, Rex proinde ne Socerum periclitantem deserat, comparato exercitu, unà cum Ladislao & Stephano fratribus, in Russiam contendit, & *Lodomerium* prælio vincit, ac *Minoslaum* iterato restituit, ac victor Pannoniam repetit.

1154. Saxones Transylvanos Rex *Geysa* magnis privilegijs exornat.

1157. Nitriensem Ecclesiam dotat, & in Cathedralem convertit, delecto primo Episcopo Edvardo.

1161. *Geysa* Rex in adversam valetudinem incidit, quâ in dies ingravescente, Stephanum primogenitum successorem Regni declarat, dispositísque omnibus, pientissimè obit, pridie Calendas Junias. Eodem anno *Stephanus III.* prædicti Regis Geysæ II. filius, Rex Hungariæ coronatur. Hic statim ubi Regno potitus est, ad regnandum haud quaquam intempesti-

pesti-

pestivum se ostendit, nihil sine Senatûs authoritate & Patris amicorum, gerens aut statuens. Triennij dein Regnum immunitate donat, & multa captandæ popularis auræ gratiâ, edicta promulgat, omnium ordinum benevolentiam captans.

1164. Esto verò otium & quietem pro viribus ab initio captare fuerit visus, mox tamen sociorum & Regni causâ in bella descendit. Igitur Anno 1165. eductis multis ex Hungaria copijs, Dalmatiam à Venetis recipere intendjt, unde non solùm Regionis illius Urbes milite complet, sed ab eo tractu, Venetorum fines longè latèque vexat.

1166. Veneti sub duce *Vitali*, novam in Dalmatiam classem mittunt, *Jadrámque* expugnant, multis civium cæsis, & parte murorum, à parte maris dirutâ, ut rebellandi ijsdem præriperent facultatem. Hinc cæteri Dalmatæ, metu perculsi, Hungarorum præsidia ejiciunt, & ad Emmanuelem Græcorum Imperatorem deficiunt, nec graviter hoc fert *Stephanus*, quando hæc Imperatoris, quàm Venetorum ditione teneri malebat.

1167. *Stephanus* Rex proinde Emmanuelem Imperatorem ultrò Venetorum progressibus invidentem, bonis ac pecunijs magis adhuc incendit, ac Dalmatas clam sollicitat, & clandestinâ arte Jadrenses, Tragurios, & Ragusinos, à Venetorum studijs, ac fide revocare nititur.

1168. *Stephanus* Rex, cùm Emmanuelem in persequendis Venetis deferbuisse, & aliò mentem intendisse animadverteret, ipse quoque in re Dalmatica aliquantulum intepescit.

1172. Ladislaus, Regis Belæ II. Cœci filius, vivente adhuc *Stephano III.* Rege, violenter regiam dignitatem sibi usurpat, sed intra sex menses, Regnum ejus cum vita exspirat, Calendis Februarij.

1178. Stephanus Ladislai frater, & ejusdem Belæ Cœci filius, pariter vi Regnum Hungariæ, vivente etiamnum *Stephano III.* sibi vendicat, quod tamen pauculis mensibus duntaxat tenuit, paulò post in castello quodam, quod *Zemler* appellant, mortuus, quo eodem anno obijt & ipse Rex *Stephanus III.*

1174. Redintegratâ Pannoniâ, ac sopito bello fraterno per mortem de corona disceptantium: deficientéque prole ex Stephano III. Hungari *Belam III.* Stephani Regis fratrem communibus suffragijs, & votis in Regem eligunt. Qui diebus Januarij coronatus Albæ, inter primas curas habet, ut Regnum à latrocinijs, quæ tunc in Hungaria frequentissima fiebant, expurget, unde saluberrima hac de re publica condit edicta.

1175. Post edictum, cùm sicarij & latrones quàm plurimi, qui diu facinoribus occaluerant, nequaquam se abstinerent, magnâ severitate, extremisque supplicijs eos mulctat. 1176. Cre-

1176. Crescit post hanc severitatem Regis authoritas, & facinorosi metu suppliciorum, se à latrocinijs coërcent.

1177. *Bela* Rex, primus ex Regibus Hungariæ, petitionum, ac precum formulas, ex Imperatorum, Pontificúmque more, instituit, & duos precum ministros adscivit, qui quotidianas petitiones, ei secretò legerent, rescriptáque manu Regiâ, referrent.

1177. Regnum ex omni parte strenuè tutatur, nihil à finitimis adimi permittens.

1178. Circa hæc tempora, tumultuaria, & quasi momentanea, priùs cum Polonis, deinde cum Bohemis gerit bella.

1183. Ad omnem occasionem attendit, ut Dalmatiæ maritimam oram, quam Veneti occupârant, occupatámque sæpiùs amiserant, Hungaricæ iterum Coronæ adjungat. Sed id inhibebat Venetorum tunc fortuna, & authoritas.

1188. *Jadrenses* rati jura sua à Venetis lædi, ad *Belam III.* deficiunt. At Rex auditâ defectione, quâ nihil habebat antiquiùs, comparato magno exercitu, in Dalmatiam illico concedit, validissimóque præsidio Urbem munit, & nonnulla alia etiam municipia, milite complet.

1189. Veneti mirâ celeritate classem instruunt, ac in Dalmatiam mittunt. Et quidem Insulæ facilè fuêre à Venetis receptæ, sed in Urbis expugnatione, quam *Bela* Rex amplo præsidio & commeatu optimè munierat, omnem operam perdunt.

1190. Clemens Pontifex perbenignè Venetos Hungarósque hortatur, ut unà cum cæteris Principibus Christianis, pro recuperanda Terra Sancta, arma sua convertant, pace inter se factâ, ac privatis simultatibus depositis.

1191. Pontificij Diplomatis interventu, utriusque partis animi sedantur, ac duorum annorum pacem inter se ineunt.

1149. Pisani, Polam, Venetæ ditionis occupant, quâ re auditâ *Bela* Rex, cùm pactas biennij inducias, jam exactas intelligeret, animos pro recuperanda residua quoque Dalmatiæ parte, resumit.

1169. Pisani interim à Venetis atteruntur, páxque inter eos concluditur, & stabilitur.

1194. *Bela* igitur, qui Venetos gravissimis expeditionibus detineri cupiebat, ne quid in Dalmatas molirentur, post pacem inter Pisanos & Venetos confectam, & ipse de expeditione in Dalmatiam suscipienda, curam omnem deponit. Ac demum ingravescente ætate, ac langvore increbrescente, humanis rebus excedit, Calendis Maij, relictis duobus filijs, Emerico

merico, & Andreâ, quorum ille parenti ſuccedit in Regno, eodem anno. Ubi obiter notandum, Chronologos Hungariæ, hìc aliquantulum aberrare, in computu annorum. *Thuroczius* enim ſignat, Belam III. Regem obijſſe anno 1190. regnâſſe verò annis 23. menſe uno, diebus 19. ſucceſſiſſe autem in Regno Stephano III. Fratri immediatè, qui obijt anno Chriſti 1173. unde, ſi is, dicto anno 1190. mortuus fuerit, neceſſe erat eum duntaxat 17. annis regnâſſe. *Bonfinius* è contra, ſic de tempore mortis illius ſcribit: obdormivit autem in Domino Calendis Maij, ſalutis anno undecenteno, ſupra undecies centum, hoc eſt anno 1199. atque recognoſcit ſimul eum immediatè ſucceſſorem fuiſſe Regis Stephani III. hunc verò obijſſe 1173. unde conſequens erat, eum regnâſſe annis 26. cùm tamen idem author ponat eum exceſſiſſe Regni ſui anno 23. menſe uno, & die undeviceno. Hinc turbatur Chronologiæ ordo, & aliorum duorum ſubſequentium Regum. Nam *Bonfinius* ſecutus *Thuroczium*, ponit tempus mortis Emerici Regis, qui Belæ III. ſucceſſerat, anno 1200. & regnâſſe eum ait annis 8. menſibus 7. & diebus ſex, cùm tamen ab anno 1199, quô mortuum ſcribit Belam, quovè eidem ſucceſſit Emericus Rex, ad annum 1200. ſupereſſet tantùm unus annus. Si verò Emericus Rex mortuus eſt 1200. & Regnum capeſſivit poſt mortem Belæ, qui (ut ſcribit *Thuroczius*) obijt 1190. regnâſſet Emericus minimum 10. annis. Plura ſimilia inconvenientia patebunt ex aſſignatione annorum, ab ijs in ſerie Chronologiæ poſitorum. Unde mutanda eorum ſeries.

Belâ igitur Calendis Maij mortuo, eodem anno ſucceſſit Emericus, nempe 1197. qui poſtquam Regium munus adeptus eſt, omnia Patris, quæ ad coërcendos mores, & inhibenda flagitia pertinebant, in uſum diligenter revocavit.

1198. *Emerici* Regis Mater Maria, præ nimio divinæ charitatis ardore Domini Sepulchrum viſere decernit, ac frequentiſſimum Nobilium Hungarorum ſibi comitatum deligit, ſed præter opinionem voto ſuo fruſtratur, quandoquidem cùm Ptolemaidem appuliſſet, pauló poſt itineris langvore confecta, diem obijt.

1199. Rex *Emericus*, audito Matris caſu, honorificentiſſima juſta eidem per totam Hungariam perſolvi curat.

1201. Suſcipitur expeditio Cruce Signatorum in Palæſtinam, quæ, cùm pecuniæ deeſſent ad naves, ſuppeditantur eædem liberaliter à Venetis, cum hac tamen conditione, ut priùs eoſdem juvent *Jadram* in Dalmatia, quæ tunc Hungarici Juris erat, capere, quód etiam illi licèt inviti præſtitêre; ob quod tam ij, quàm Veneti, à Pontifice ſunt excommunicati,

mox

mox tamen absoluti, ne sacra militia, in suo proposito recuperationis Terræ Sanctæ, impediretur.

1202. Interea Fraternum bellum in Hungaria exoritur: *Andreas* enim frater *Emerici* Regis, quippe qui magnitudine animi præditus, ad maxima quæque anhelabat, ratus ad imperandum se potiùs, quàm parendum esse natum, bellum fratri infert, quod tamen *Emericus* Rex pietate magis, quàm armis continuò dissolvit, & Andreas veniam apud indulgentissimum Regem, consequitur.

1204. *Emericus* Rex ex hac vita migrat, anno Regni sui septimo, Calendis Decembris. Sepulchro conditus Agriæ.

1205. Succedit Emerico filius unicus *Ladislaus III.* qui vix Menses sex & dies quinque in Regno exegerat, cùm immaturâ morte subreptus diem obijt, qui ab omnibus deploratur, ejusque exequiæ ab Andrea honorificentissimè Albæ Regiæ celebrantur, ac corpus inter monumenta Regum honestè reponitur, cui eodem anno succedit *Andreas II.* Belæ III. filius, ac Regis Emerici frater, ac 27. post obitum Nepotis die, Regijs insignibus, Albæ insignitur, Quarto Calendas Junij, in ipso Festo Pentecostes.

1206. Rex *Andreas* Uxorem ducit *Gertrudem*, nobili genere Germanorum natam, ex qua quatuor liberos suscepit, Belam, Colomannum, Andream, & Sanctam Elisabetham.

1207. Rex *Andreas* sapienter administrans Regnum, præ justitia & integritate sua, per multos annos illud paccatum habet.

1212. Cùm sic Regnum omni curâ & vigilantiâ, sine turbis domesticis, aut bellis externis, in pace retinet, cogitationes de expeditione pro recuperatione Terræ Sanctæ suscipienda resumit, ad quam, dum adhuc esset Dux, à Pontifice incitabatur, & Pater ejus Bela, voto se olim obstrinxerat.

1214. Paternis plerumque per noctem manibus sollicitatur Rex *Andreas*, ut Patrem voti nexu obstrictum, per militiam sacram, pro terra Palæstinæ, in qua Redemptionis nostræ peracta sunt Mysteria, è manibus impiorum liberanda exolveret.

1216. Honorius Pontifex, Innocentio III. suffectus, *Perusiam*, universos Principes Christianos, & ipsum præsertim Regem *Andream*, ad suscipiendum bellum sacrum contra Saracenos, infensissimos Christianitatis hostes, invitat, ac modis omnibus excitat.

1217. *Andreas* Rex, cum ingenti exercitu, in Orientem proficiscitur, & Constantinopolim venit, ibique Legatum Apostolicum inveniens, dum cæteri Duces convenirent, aliquamdiu exspectare cogitur.

1218. *Andreas* Rex omnium Principum consensu totius expeditionis Imperator, ad *Damiatam* Urbem castra movet, eámque fortissimo animo obsidet, ac turrim *Phaream* dictam, in medio Nili sitam, potissimum Urbis munimentum expugnat.

1219. Urbem deinde ipsam capit, ac in castris quoque Saracenos cædit, eáque divitijs refertissima diripit.

1220. Interim Cumani Hungaris vicini, ad fidem Christi, magna ex parte convertuntur.

1221. *Andreas* Rex à Saracenis circumventus, ob ingentem Nili exundantiam, cujus aquas fractis aggeribus, in castra Christianorum Sultanus immiserat, iniquis conditionibus, pacem cum Saracenis inire cogitur.

1222. Redit ex Oriente, & Hierosolymis in Hungariam *Andreas* Rex, (ob iter hoc susceptum, ac bellum pro Terra Sancta gestum, Hierosolymitanus dictus) & Nobilitatem Hungariæ, quæ in hac expeditione cum eo egregiam præstiterat operam, magnis privilegijs ornat.

1227. Obijt hoc anno in Calabria Cruce signatus, ex morbo Ludovicus Landgravius Turingiæ, Maritus Sanctæ Elisabethæ, & Regis *Andreæ* Gener.

1228. Sancta Elisabetha, à lege viri soluta, depositis gloriæ sæcularis exuvijs, Ordinem pœnitentium Beati Francisci ingreditur, in eoque ad finem usque vitæ perseverat, atque plurimis sanctis operibus se continuò exercens, sui obitûs prædicens diem, DEO spiritum reddit, ipsis Calendis Decembris 1231.

Anno dein sequenti 1232. Corpus ejusdem Sanctæ, in theca aurea, coram Friderico Imperatore, multísque Principibus includitur, maximo concursu populorum, ac frequentiâ miraculorum.

1235. *Andreas* Rex, vix annos quatuor, post felicissimum Sanctæ suæ Filiæ in cœlum transitum supervixit, & tricesimo Regni sui anno, langvore corporis & animi moritur. Cujus corpus honorificentissimo funere à liberis honestatur, & in Cœnobio *Egres* dicto, conditur. Atque eodem anno *Bela IV.* Andreæ filius major natu, Pridie Idus Octobris, *Albæ* in Æde Divi Petri, quam ipse consecrari fecerat, ex more coronatur.

1236. *Bela* Rex susceptis Regni habenis, æquitatem & Justitiam retinere ante omnia studet, pacémque cum finitimis singulariter colit.

1240. Cumani, cum Duce suo *Cunete* à Tartaris pulsi, ad Regem *Belam* confugiunt, quos Rex humanissimè excipit, eisdem in Hungaria amplissimas terras, pro incolendo attribuens, eósque singulari benevolentiâ complectens, usque ad ipsorumet Hungarorum invidiam.

1241. Vix quinquennium regnando Rex *Bela* implet, cùm Tartari infinitâ multitudine Hungariam invadunt. Contra quos *Bela* Rex, juxta fluvium Sajum, prælians vincitur, in quo prælio, universa ferè militia Hungarica extingvitur, ipso Rege ad maritimas partes Dalmatiæ se recipiente.

1242. Tartari subjugatâ Hungariâ, tribus annis in eadem morantur, ac tandem ex ea excedunt.

1244. Recedentibus Tartaris, Rex *Bela* à Comitibus Frangepanis, atque Rhodijs Equitibus, & validissimo Equitatu, & auxiliaribus copijs, in Regnum reducitur, quos Rex posthac, non solùm amplissimis privilegijs honoravit, sed & oppidis, & pagis ditavit. Reversus Rex, desolatum Regnum invenit, & quia seminare illis temporibus Hungari non poterant, ideo anno 1245. tanta fames Regnum incessit, ut multò plures post exitum Tartarorum, fame perierint, quam illi, qui in captivitatem ducti sunt, & gladio ceciderunt.

1246. Rex *Bela*, injuriarum insignium, quas à Friderico Austrio, tempore excursionis Tartarorum acceperat, non immemor, exercitum suum, & auxiliares copias, è Dalmatia ductas, adversùs eundem ducit, mox conserto ad Neapolim Austriæ prælio, atrox committitur pugna, in qua victoria quidem ex parte Friderici stetit, ipso tamen Friderico cæso, ac interempto.

1247. Rex *Bela*, confecto hoc bello, in Pannoniam redit, & ad pacandum Regnum, legendásque ejusdem reliquias, animum intendit.

1248. Diu dein in resarciendo Regno versatus, velut in dispersis naufragij fragminibus, ubique terrarum ac gentium, dispersos Hungaros, finirâ pietate disquirit, Urbes ac oppida restaurat, securitatem populis sibi subjectis procurat, pacem cum vicinis colit, ac conservat. Verùm anno:

1260. *Belæ* Regi Othocarus Bohemorum Rex bellum indicit, in Moraviam itaque uterque convenit, *Bela* cum Stephano filio, & *Alprâ* Cumanorum Duce eò iverat, cùmque acies utrinque constitissent, collatis signis acerrimè pugnatum est. Ast quia Hungarorum exercitus, plus auxiliaribus copijs, quàm proprijs dimicabat, siquidem ad ultimum ferè exitium Pannoniam bella planè deduxerant, alienis autem auxilijs raro victoria comparatur, quamvis diu atrocissimè ac pari Marte utrinque pugnaretur, novissimè tamen Hungari, multis suorum amissis, terga vertunt, ipséque Rex castris exutus, profugere cogitur.

1261. Reliquum tempus regiminis sui, *Bela* Rex pacificè exigit. Erat enim vir pacificus, ac ingenitâ probitate præditus, & ad pacem potiùs quàm bellum natus, ac in prælijs minimè fortunatus. Obijt autem anno

anno 1275. Nonis Maij, in Insula Budensi, sepultúsque est Strigonij, in Ecclesia Fratrum Minorum, quam ipse regio sumptu construi fecerat, & honori Beatissimæ Virginis dicârat, cujus patrocinio servatum se esse sciverat. Succedit eodem anno, Parenti filius *Stephanus* V. patre multò fortunatior. Nam initio statim sui Regni 1276. Othocarum, qui Patrem suum Belam in Moravia superârat, Hungariæ fines invadentem fudit, fugavítque, ut parem pro Patre vicem eidem retulerit. Dein 1277. Bulgariam, quæ ejus Imperium detractabat, ita infestavit, ut prædæ multùm inde abduxerit, *Bodóque* eorum Metropoli expugnatâ, Regem Bulgarorum sibi stipendiarium fecerit, cum universa Mysia. Demum anno:

1278. Excessit humanis, anno Regni sui tertio, in *Magna* ut vocant Insula, atque in Budensis Insulæ Ecclesia Divæ Virgini sacra, tumulatus est. Eodem anno *Ladislaus*, quem *Chunum* deinde Hungari cognominârunt, filius ejusdem, omnium consensu Regnum suscipit, ac ritè coronatur. Et conjunctis armis cum Imperatore Rudolpho I. Othocarum Regem Bohemiæ, in Austria vincit, ac victor in Patriam redit.

1279. *Ladislaus*, ex hac societate, & fœdere cum Rudolpho Imperatore, Regno tantùm otij comparavit, ut aliquot annis Regnum pacatum omnino habuerit.

1282. *Oldamir* Cumanorum Princeps coacto exercitu, Hungariam hostiliter invadit, *Ladislaus* audito Cumanorum tumultu, comparatis legionibus, his occurrit, felicitérque cum ijs manus conferit, & gravissimum prælium init. Nam commissâ durantéque pugnâ, diu ancipiti Marte, subitò & inopinatè ex clementia Divina, pluvia grandis exoritur, ac in faciem hostium propellitur, unde *Cumani* terga vertentes, in fugam convertuntur. Quibus insistentes Hungari, hostes passim proterunt, quibus partim cæsis, partim captis, domum ovantes redeunt.

1285. *Cumani*, cùm ex dicta strage pauci superfuissent, nec ampliùs Hungaris resistere valerent, ad Tartaros confugiunt, ultionémque suam, ijsdem commendant. Quâ re commoti Tartari, vice jam alterâ Hungariam intrant, & instauratos paulò ante pagos, igni ferróque vastant, homines ex more interficiunt, plurimos verò in diram servitutem abducunt, cuncta pecora abigunt, & Pestum usque cuncta depopulantur.

1286. *Ladislaus*, spreto thoro conjugali, Cumanorum filiabus adhæret, & ex his complures pellices intertenet, quarum amore, totum ejus cor depravatum est.

1287. Hinc *Ladislaus* ab Hungaris *Chunus* nominatur, & à suis Baronibus odio habetur.

1289. Ob

1289. Ob idem etiam Summus Pontifex, ad Magnatum preces & delationem, Philippum Firmium, Sedis Apoſtolicæ Legatum, ad Regem mittit. Qui in Hungariam veniens, Antiſtitum & Procerum rogatu, Regem, primò mitiſſimis admonitionibus hortatur & orat, ut ſanctum & conjugalem thorum colat, concubinas amoveat, nihilque alienum ab Orthodoxa fide agat, poſt ſeveriùs etiam corripit, ac tandem anathematis pœnas interminatur, nî correctis & caſtigatis moribus, honeſtiùs religioſiùſque vixerit. Cùmque Rex vitijs & turpi libidini immerſus, ad hæc omnia obſurdeſceret, & in dies pervicacior eſſet, eundem communione fidelium privat, & anathematis vinculo ferit, & cùm neque ſic proficeret, deſperatis rebus in Urbem redit.

1290. Non multo poſt tempore, Cumanorum conſvetudo eidem perniciosa ac exitialis fuit. Hoc anno ſiquidem non procul à caſtello *Kereſzeg*, ab ipſis Cumanis, quos in delicijs habebat, circumventus, miſerabiliter interfectus eſt.

1291. *Andreas III.* filius Stephani, filij Andreæ Secundi, cognomento *Venetus*, qui vivente adhuc Ladislao, in Hungariam adductus fuerat, poſt ejus interitum, omnium ſuffragijs populorum, Rex declaratur, & coronæ inſignibus decoratur.

1292. Aditâ poteſtate, ſtatim in Auſtriam expeditionem ſuſcipit, & rem ſat feliciter gerit, ſed auditâ ſuorum factione in Hungaria, revertitur.

1293. Redux in Hungariam, factionem ſuorum comperit, in factioſos tamen novo Principi ſubditos non ſævit, ſed potiùs connivet, ne à ſeveritate, potiùs quàm clementiâ nomen inchoaret.

1294. Hinc verò magis, conjuratis animi adaugentur, quippe, qui prudentiam patientiamque Regis, pro ignavia interpretabantur.

1295. Conjurati rem ſuam promovent, & anno 1296. *Carolum* Siciliæ Regis filium, à Pontifice Maximo ſibi pro Rege efflagitant.

1298. Pontifex non ſolùm Procerum efflagitatione, ſed & inſtigante Siciliæ Rege impulſus, *Carolum* vix adhuc annum undecimum natum, ijs mittere decernit.

1199. Vivente adhuc Andreâ Rege, *Carolus*, Caroli Martelli Regis Siciliæ filius, in Hungariam à conjuratis introducitur. Interim anno 1301. Rex Andreas Budæ moritur. Mortuo verò Andreâ Rege, Proceres Regni, in duas factiones ſcinduntur, & pars una *Carolo*, jam priùs è Sicilia ad Regnum evocato adhæret, pars verò *Wenceslaum* Ducem Bohemiæ, Othocari Bohemiæ Regis, ex Wenceslao filio Nepotem, in Regem eligit.

1302. *Wenceslaus*, vix tertium decimum annum ætatis excedens, Budam

dam deducitur, ac post Albæ ritè coronatur, ac Rex Hungariæ consalutatur. Unde seditio gravis, discordiáque inter regnicolas redintegratur, dum hi *Carolum*, illi *Wenceslaum* Regem agnoscunt & sequuntur.

1303. Quibus auditis in Bohemia Wenceslaus Pater, Gnato timens, ne Hungarorum *Carolo* adhærentium, dolo circumventus occumbat, collecto magno exercitu, in ulteriorem Hungariam descendit, filiúmque *Wenceslaum* unà cum Regni corona, secum in Bohemiam adducit.

1304. Post *Wenceslai* excessum, *Carolus* res suas promovere studet, necdum tamen rerum potiri valebat, neque Optimates, qui ei suffragabantur, adhuc tantas vires sibi comparârant, ut hunc Regem efficerent, esto cuncti qui eidem adversabantur, interdicto, & excommunicationi à Summo Pontifice subjicerentur.

1305. Imò hinc magis exacerbati illi, qui *Carolo* infensi erant, cum magna Nobilium manu conjurant, & Othonem Bavariæ Ducem ad Sceptrum evocant. Qui priusquam in Regnum veniret, coronam Regni à Wenceslao ablatam, sibi ab eodem restitui impetrat, quam secum defert, ac eâdem Albæ, magno cum applausu populi, coronatur.

1307. Post hæc *Otho* Transylvaniam lustrare statuit, ut se legitimum quoque illius Principem, suâ etiam præsentiâ testaretur, sed ubi eò perventum est, confestim à Ladislao Provinciæ Vajvoda, haud citra dolum capitur, & in vincula conjicitur, qua ex captivitate expedire se non potuit; donec potestati Regiæ renunciârit, Regnóque se abiturum spoponderit.

1308. Cardinalis *Gentili*, cum amplissima potestate, à Summo Pontifice in Hungariam mittitur, ut regnicolis electionem, & coronationem *Caroli* persvadeat.

1309. Idem Cardinalis, severum anathematis edictum, nomine Summi Pontificis, in pertinaces *Caroli* adversarios promulgat.

1310. Tandem *Carolus*, post iteratas preces, & interminationes Summi Pontificis, ab Hungaris communi omnium consensu, Rex acceptatur, & de more coronatur.

1312. Secundo post coronationem suam anno, contra Matthæum Trenchiniensem expeditionem suscipit *Carolus* Rex, & cum eodem cruentum prælium init, quovè crudeliùs post Tartaricum bellum nullum fuisse Hungarorum Annales affirmant. In eo licèt ex parte Regis plures ceciderint, penes tamen Regem stetit victoria.

1315. Maria prima conjunx Regis *Caroli* natione Polona, Casimiri Ducis filia, vitæ cursum feliciter terminat Themesvarini, & in Æde Virginis Beatæ, Albæ Regalis sepelitur.

1318. *Ca-*

1318. *Carolus* Rex, in alteram uxorem ducit Beatricem, Henrici VII. Romanorum Imperatoris filiam, quæ vix anno uno viro suo convixit, ac mortua, Varadini in Cathedrali Ecclesia sepelitur.

1320. Ducit *Carolus* Rex tertiam uxorem, filiam Ladislai Regis Poloniæ, Elisabeth nomine. Ex qua insequenti anno 1321. filium suscipit, cui Paternum nomen est inditum. Verùm hic præmaturâ morte præreptus, eodem anno, quo natus est obijt, Albæ Regalis sepultus.

1324. Exin tertio post anno, alium filium de eadem Regina suscepit nomine Ladislaum.

1325. Rex *Carolus*, cœpit ædificare Ecclesiam, Fratribus Minoribus in Lippa, ad honorem Beati Ludovici Episcopi Tholosani, qui fuit frater carnalis sui Patris, ac filius Mariæ Reginæ, filiæ Stephani Regis Hungariæ, filij Belæ IV..

1326. Mox anno insequenti nascitur ejusdem Regis alter filius, quem nomine hujus Sancti consangvinei sui Ludovicum appellat, ac rursus 1327. alter.

1329. Moritur Ladislaus, *Caroli* Regis major natu filius.

1330. *Carolus* Rex, cùm in pace justè Regnum administrat, grave periculum vitæ subit Wissegradi, nam cum Regina & prolibus, à quodam Feliciano Nobile graviter vulneratur, percussor tamen confestim à Satellitibus regijs membratim conciditur, & familia ejusdem penitus deletur. Dum autem idem *Carolus* Vajvodam Walachiæ *Bozardum* injusto bello appetit, totum ferè exercitum amittit, & ipse mutato habitu, fugâ elapsus, vix vitam servat,

1332. Post hanc stragem, in infestæ fortunæ lenimen, ipso festo Sancti Stephani, nascitur *Carolo* quartus filius, quem Stephanum quoque appellari jubet.

1333. Rex *Carolus* filium suum Andream sexennem, in Italiam deducit ad Robertum Neapoleos & Siciliæ Regem, à quo Andreas, in ditionum suarum hœredem, desponsatâ eidem nepte suâ Joannâ, adoptatur, utpotè sangvine sibi proximè junctus, cùm ipse filio præmaturè mortuo, alio successore careret.

1334. Redeunte ex Italia Rege in Hungariam, Joannes Rex Bohemiæ cum *Caroli* filio, qui postea Romanum Imperium sortitus est, & Casimirus Rex Poloniæ, Wissegradum ad *Carolum*, circa Sancti Martini solennia conveniunt, pro perpetuæ pacis concordia componenda, pacto fœdere, ut si quenquam ipsorum Regum, vel Regna eorum hostis invaderer, cæteri in eius adjutorium, & juvamen adesse tenerentur,

1338. *Locha* Dux Ruthenorum, Wissegradum ad *Carolum* Regem, cum delecto equitatu advenit, postulans ab eodem perpetuam pacem, & vicissim ipse amicitiæ officia cuncta promittens. Cujus postulationi *Carolus* benignè annuit, virúmque icto fœdere honorificè donatum dimittit.

1339. Casimirus Poloniæ Rex, ad *Carolum* Regem, iterum in Hungariam venit, cum magna Procerum & Antistitum suorum comitiva, qui cùm careret filio, Ludovico ex sorore nepoti, & *Caroli* primogenito filio, Poloniæ Regnum legat, eúmque in filium adoptat.

1340. Duobus sequentibus annis, infinita multitudo locustarum, per Syrmium Hungariam ingreditur, cunctas segetes, prata, & arbores penitus devastans, ac depascens, solis vineis præter opinionem, omnino parcens.

1342. *Carolus* post Regnum per 32. annos optimè administratum, dilatatum, contra varios hostes fortiter defensum, non sine nominis sui perpetuâ gloriâ Wissegradi extremum diem claudit, Albæ per quam honorificentissimè sepultus, in Regum monumentis. Peractis exequijs Caroli, *Ludovicus* ejusdem filius, Optimatum suffragijs, Rex Hungariæ declaratur. Eodem anno, obijt & Robertus Neapolis Rex, cui succedit Andreas Caroli defuncti Regis Hungariæ filius, ac *Ludovici* Regis frater.

Vix Comitijs Regni finitis, & coronationis solennitate peractâ, *Ludovicus* Rex tunc decimum septimum annum agens, delectu militum habito, in Transylvaniam exercitum ducit, ut Saxonum eam incolentium frangeret contumaciam, qui detrectabant debita Regi solvere vectigalia. Ubi in Transylvaniam ventum est, captis & occupatis plerísque oppidis à Rege, cæteri Saxones levitatis & insolentiæ pertæsi, redeunt ad debita obsequia. Sed & Alexander Valachiæ Transalpinæ Vajvoda, qui à Carolo Rege quondam defecerat, *Ludovicum* supplex sponte adit, veniam exorat, munera pretiosissima offert, pollicitus se postea imperata cuncta facturum, fidelitatémque perpetuò servaturum.

1343. Elisabeth Regina, vidua, Caroli Regis, *Ludovici* Hungariæ, & Andreæ Regum mater, habito honorificentissimo selectu matronarum, ac Procerum Antistitúmque Hungariæ, sacram peregrinationem Romam, ad limina Apostolorum visitanda, magna cum devotione suscipit, visitatura simul Andream filium, & Joannam ejusdem uxorem.

1344. Regina Elisabeth, ex Italia in Hungariam, in domum suam in Wissegrad, in anniversario sui recessûs redit, quam Rex *Ludovicus*, & Dux Stephanus filij, ac Proceres Regni, cum magna exultatione, & ingenti gaudio suscipiunt. Eodem anno, Rex *Ludovicus* transit in Poloniam,

niam, ad Socerum ſuum Regem Caſimirum, cujus filiam jam duxerat, nomine Margaretham, conjunctiſque armis ſtatuit invadere Lithvanos Paganos. Cùmque jam parata eſſent bellico uſui neceſſaria, in Lithvaniam per glaciem lacuum conceſsêre, ſed ingruentibus Auſtris, quibus glacies omnis ſolvi cœperat, pedem illicò referre, re infectâ, & fruſtratis viribus coguntur.

1345. Eidem Caſimiro Regi, contra Joannem Bohemiæ Regem, in Poloniam irrumpentem, & ipſam Cracoviam Polonorum Metropolim obſidentem, numeroſum exercitum ſubmittit, qui Urbem obſidione liberat, & Poloniâ Bohemico hoſte liberatâ, victor in Hungariam redit. Dein triplex bellum intra breve tempus conficit, Tartaricum ſcilicet, Croaticum, & Dalmaticum, atque Tartaros à finibus Tranſylvaniæ repellit. Croatiæ Principes Gregorium, & Neleptium rebellionis primipilos, ad præſtandum fidelitatis officium revocat, ſed in Dalmatia, contra Venetos parùm feliciter pugnans, in Hungariam redit. Eodem anno 1345. Andreas Rex Neapolitanus, *Ludovici* Regis Hungariæ frater, inſolentiâ ſuorum, ac fortaſſis ipſiuſmet etiam Joannæ uxoris ejuſdem perfidiâ, ſtrangulatur.

1346. Juſſu Summi Pontificis Clementis VI. ac Comitis Novelli, Regis Andreæ cognati operâ, atrox ſupplicium, de complicibus mortis Andreæ ſumitur. Verùm his non contentus *Ludovicus* Rex, ipſam Joannam Reginam, ut ſceleris conſciam, in jus vocat, armíſque mortem fratris vindicare ſtatuit.

1347. Joanna Siciliæ Regina, vidua Andreæ Regis, nubit Ludovico Principi Tarentino, at cùm videret accedere cum copijs *Ludovicum* Hungariæ Regem, mortis Andreanæ vindicem, fugit cum marito Avenionem.

1348. Rex *Ludovicus* per omnes Italiæ quas tranſibat Urbes honorificentiſſimè ſuſceptus, *Averſam* venit, Neapolitanam Urbem intrat, ubi cum magna ſolennitate excipitur, ac titulo Regnorum Hungariæ, Hieruſalem, & Siciliæ utitur, & Carolum Dyrrhachinum eodem loco, quô frater ejus Andreas necatus erat, cœdi jubet, ejúſque fratres, alióſque Principes, vinculis conſtrictos, in Hungariam mittit. Dein

1349. *Ludovicus* Rex ordinatis Regni Neapolitani rebus, & munitioribus locis præſidijs validis impoſitis, in Hungariam ovans redit, relicto ibidem cum militaribus copijs Stephano Tranſylvaniæ Vajvodâ, ad tumultus ſi qui exorirentur, componendos.

1350. Vix *Ludovicus* Rex in Hungaria ex itinere quietem cœperat, Joanna Regina cum Ludovico marito Neapolim redit, quibus complures ex Nea-

ex Neapolitanis adhærentes, præſidium *Ludovici* Regis ex Urbe pellere nituntur, & Stephanum Tranſylvaniæ Vajvodam varijs prælijs infeſtare præſumunt. Redit igitur Rex *Ludovicus* rurſus in Italiam, ac totum propè Regnum Neapolitanum recipit, bis tamen in expugnatione Urbium periculum ſubit. Demum ad interpoſitionem Pontificis, pacem eâ lege concedit, ut vocaretur in jus Joanna Regina, de viri Andreæ Regis nece, ac ſi illa Apoſtolicâ ſententiâ rea comperiretur, Regnum Siciliæ *Ludovico* à Pontifice traderetur, ſin autem à crimine abſoluta pronunciaretur, omnes Urbes ac Arces, quas *Ludovicus* in ſuam poteſtatem redegerat, Joannæ reſtituerentur, refuſis ab ea Hungaris, ob belli ſumptus trecentis aureorum millibus. His ſancitis *Ludovicus*, Apuliâ diſceſſit, & primò Romam ad Apoſtolorum limina, & alia ſacra Urbis loca luſtranda, promerendámque criminum expiationem, Jubilæum lucraturus, deinde in Pannoniam ſe contulit.

1351. Joanna Neapolis Regina, in jus à Pontifice, ob necem Andreæ Regis vocata, innocens declaratur, aſſenſit & *Ludovicus* Rex huic Pontificio Decreto, (adeò inſignis in eo erat erga Pontificem obſervantia) & Siciliæ, ac Neapolitano Regno, pacem à ſe reſtitutum iri pollicetur. Eodem anno Caſimiro Regi Poloniæ, auxiliares copias contra Tartaros ſubmittit, quæ hoſte profligato, & Duce eorum *Keyſtuto* capto, feliciter in Patriam reverſæ ſunt.

1352. Reſtitutâ ſub præſcriptis à Pontifice, inter Joannam & *Ludovicum* Regem, in Regno Neapolitano pace, *Ludovicus* omnes Urbes & Arces Joannæ remittit, Salernitano duntaxat Principatu, quem Avus & Pater, tum ipſe etiam jam priùs poſſiderat ſibi retento, quin & trecenta illa aureorum millia, quæ eidem Joanna ob ſumptus belli factos, refundere ex pacto debuiſſet, eidem liberalitate magnâ remittit, profeſſus Hungariæ Regem non auri cupiditate, ſed juſtiſſimæ vindictæ Andreæ fratris necis vindicandæ voluntate, ad bellum concitatum, ſed & Principes ante triennium captos, & Viſſegradi detentos in captivitate, liberos permittit, & uſque Venetias cum ſecuro conductu honorificè deduci curat.

1353. *Ludovicus* Rex, à Venetis erepta Coronæ Hungariæ in Dalmatia complura loca, per Legatos repetit, & recuſantibus bellum indicit, ſed ad interpoſitionem Caroli IV. Romanorum Imperatoris, à bello ijſdem inferendo, hoc anno adhuc abſtinet.

1354. *Ludovicus* Rex, Stephanum Raſciæ Deſpotam, aggreſſus vin-

cit, &

cit, & capit, mox tamen illum liberum permittit, cùm is ſimulatè cum Pontifice agens, de repetendo Eccleſiæ gremio, ac damnando ſchiſmate conſilium ſe ſumpturum adpromiſerit.

1355. Rurſus Rex *Ludovicus*, apud Venetos per ſuos Oratores, pro reſtituenda Dalmatia inſtat, dúmque res diu Legatis & litteris agitaretur, nec quidquam concluderetur, armis dirimendam litem ratus. Itaque:

1356. Cum quadraginta & compluribus hominum millibus Adriaticum agrum inundat, plurimáque loca à Venetis per deditionem capit.

1358. Veneti à *Ludovico* Rege pacem exorant, & tandem huic Dalmátiam & Jaderam, multorum bellorum cauſam relinquere compelluutur.

1357. Antequam tamen exercitum è finibus Venetorum *Ludovicus* Rex reduceret, Pontificem, adversùs Tyrannos, qui ditiones Eccleſiaſticas in *Flaminio* oppreſſerant, egregiè juvat.

1359. Cùm Raſciani ſchiſmatici, ante paucos annos, mediante Pontifice, eò quòd Eccleſiæ unionem adpromiſiſſent, *Ludovici* manus evaſiſſent, neque factis promiſſa comprobarent, *Ludovicus* jam à Pontifice, Dux ſacri belli contra Schiſmaticos conſtitutus, bellum ſuſcipit, & menſe Majo trajectu potitus, Raſciam victorijs percùrrit, ac victor in Pannoniam exercitum reducit.

1360. Innocentium VI. Pontificem Maximum, pro aſſerendo Romanæ Eccleſiæ Imperio, contra *Bernabonem*, Vice-Comitem Mediolanenſem, adjuvat, miſſis ad eum Legatis, per quem eum minis ac imperijs deterrebat à cœptis.

1361. Idem Innocentius, Ægidium Cardinalem mittit in Hungariam, qui *Ludovicum* Regem, ad ſuſcipiendam Romanæ Eccleſiæ clientelam, tuendáque illius jura excitaret; ſed alia agitantem tunc conſilia, ad id adducere is non valuit.

1362. Obijt hoc anno Ludovicus Neapolitanus Rex, ætatis quadrageſimo ſecundo, nullâ relictâ prole ex Joanna, olim Andreæ Regis, & fratris *Ludovici* vidua, & hæc tertio marito nubit Jacobo Belearicæ ſtirpis Principi, inopi ac profugo, hâc tamen lege, ne ſibi Regis Siciliæ nomen unquam uſurparet.

1363. Quibus tamen conditionibus poſtea detractat ſtare Jacobus; at illâ cedere nolente, relictâ uxore abijt in Hiſpaniam, ſub Petro Rege Caſtellæ ſtipendia facturus.

1364. Urbanus V. preces repetit apud *Ludovicum* Regem, qui ſub Innocentio Eccleſiæ Signifer creatus fuerat, ad debellandum Bernabonem, ad quod *Ludovicus* paratum ſe offert. Unde is ad pacem cum Eccleſia inclinat, eámque init.

1366. Joannes Palæologus, Constantinopoleos Imperator, in Hungariam Budam ad *Ludovicum* Regem venit, Sacramento unà cum filijs obligans se, unionem cum Ecclesia Romana initurum, si is cum reliquis Principibus Christianis, Græcorum Imperium adversùs Turcarum sævitiam, defendendum susciperet, quibus egregijs promissis, pius Princeps delinitus, & Divinæ gloriæ propagandæ studio accensus, ad retundendos Turcarum impetus, ac vicissim Palæologus, ad unionem amplectendam, se obstringunt, atque Oratores suos, ad Urbanum mittunt, ut hæc Apostolicâ confirmaret authoritate.

1367. Rex Poloniæ Casimirus in Russiam expeditionem suscipit, magnámque illius partem occupat, acceptis à *Ludovico* Rege etiam, auxiliarijs copijs.

1368. In Bosnia, cùm Religio in dies effloresceret, senior frater Bajus schismaticus, fratrem Stephanum Catholicum persequitur, qui mox confugiens ad clientelam *Ludovici* Regis, auxilium ab eo implorat, & impetrat.

1370. Urbanus VI. ad ferenda Palæologo Constantinopolitano Imperatori auxilia contra Turcas Christianos Principes excitat, & specialiter illam causam *Ludovico* Regi commendat. Eodem anno, moritur Casimirus Rex Poloniæ, & *Ludovicus* eidem succedit in Regno.

1371. Gregorius XI. Summus Pontifex, contra Bernabonem, ditionum Ecclesiasticarum invasorem, auxilia à *Ludovico* Rege, pro earundem defensione implorat.

1372. Invalescente formidabili potentiâ Turcarum, qui post deletos insigni prælio Græcos, Rasciæ ac Valachiæ jam imminebant, idem Gregorius Papa, eundem *Ludovicum* Regem Hungariæ ac Poloniæ, utpote viribus & bellicâ virtute pollentem, ut expeditionem in Turcas sumeret, multis argumentis incitat, ac invitat, pericula exponens, quæ imminerent Pannoniæ, ni maturè ad eorundem conatus elidendos prosiliret.

1373. Potiti ingentibus victorijs Turcæ, atque Epiro & Macedoniâ in sævam Tyrannidem, majore ex parte redactâ, attritísque Græcis, Rascijs, & Bulgaris, Hungariam quoque terrent, sed cùm suam potentiæ *Ludovici* Regis imparem esse metuerent, fœdus cum Tartaris ineunt, & eosdem contra eum incitant. Quibus *Ludovicus* auditis, ad propulsandos barbaros se comparat.

1374. Contundere poterat Turcarum tyrannidem *Ludovicus* Rex, sed nescitur quibus ex causis à proposito resilit, quin & ad fœdus commune Principum Christianorum, accedere detrectat.

1375. Rursus Pontifex Gregorius XI. ad ferendam Græcis opem

Luvicum ſolicitat, neque tamen is monenti Chriſti Vicario, cum maximo rei Hungariæ detrimento, obſecundat.

1378. Moritur Gregorius Pontifex, cui ſuccedit Urbanus VI. contra quem nonnulli Cardinales, Clementem VII. eligunt. Hinc diſtracti ſunt Principes, his uni; alijs alteri faventibus, Rex tamen *Ludovicus* conſtanter Urbano, qui poſtea ſemper habitus eſt pro vero Pontifice, adhæret.

1379. Conſiderans *Ludovicus* Regna ſua ac ditiones circumquaque ſtatu tranquillo florere, ſeſe à negotijs publicis tractandis retrahit, reliquúmque vitæ, operibus pijs inſiſtens, & orationibus vacans ſtudioſiùs impendit, ac tandem 1382. ætatis ſuæ 56. Regni 40 relicto ſubditis magno ſui deſiderio, ex hac vita migrat 11. die Septembris, ſepultus Albæ Regali, in Capella, quam ipſe in latere Eccleſiæ Beatæ Virginis Collegiatæ conſtruxerat, ſuccedit ei Maria filia, ob merita Parentis non Regina, ſed *Rex* ſalutata, ſub tutela matris Eliſabethæ, Sigiſmundo Marchioni Caroli IV. Imperatoris filio, adhuc impuberi, & genitore tunc adhuc in vivis agente, tali pacto deſponſata, ut dum Virgo nubiles perveniret ad annos, eundem ex ſponſo maritum, & Regem ſimul faceret, quæ conditio univerſis Regni nobilibus placuit, & ab omnibus acceptata fuit.

1383. *Maria* Rex, & mater Eliſabetha Regina, ob adminiſtrationem Regni, per Nicolaum de Gara Palatinum, regnicolis nimis imperioſam ac duram, apud Proceres odium grave incurrunt. Unde ij fœmineum, ac puellare dedignati ſceptrum, conſilia de novo Rege introducendo, inter ſe agitant.

1384. Conſilijs inter ſe ſic agitatis, conveniunt ut Carolum Siciliæ Regem, Andreæ Regis, & fratris Ludovici Patris, Mariæ Reginæ filium, ad ſceptrum Hungaricæ Coronæ evocent, ad quem miſſis Ablegatis in Apuliam, eidem ſceptrum Hungariæ deferunt, qui inexſpectatâ hâc collatione, mox ad petita flectitur, & necdum bene firmato Regno Siciliæ, in Hungariam ire decernit.

1385. Carolus igitur ex Sicilia in Hungariam proficiſcitur, reclamante licet uxore Margaretha, eique Regni Siciliæ curâ commiſſâ, relictóque illi in ſolatium Ladislao filio, & Conſiliarijs Regni Neapolitani. Quo audito mater Eliſabetha, & filia *Maria*, pactas olim à parentibus nuptias, cum Sigiſmundo accelerant, & Caroli conſilia interturbant. Recedit tamen in ſuam Bohemiam Carolo impar Sigiſmundus, & Carolus Proceribus ſibi conciliatis, & populo ſpe ac promiſſionibus illectis, in Regem Hungariæ coronatur.

1386. *Carolus* Rex Hungariæ ſimul & Siciliæ, authore Nicolao Garâ, à

râ, à Blaſio Forgachio graviter ictus in capite, truditur in carcerem, in quo miſerabiliter paulò poſt perit. Poſt hæc Eliſabeth mater, cum *Maria* filia, & Nicolao Gara, omnia tuta credentes, dum inviſunt inferiores Regni partes, ſine militum præſidio, ab Horvatho Croatiæ Præfecto, invaduntur, & capiuntur. Gara & Forgachius repugnantes fortiter, trucidantur, Eliſabetha Regina, in flumen demerſa, ſubmergitur, *Maria* in captivitatem ab eodem trahitur. At Sigiſmundus poſtmodum in Horvathum expeditionem ſuſcipit, eúmque cum præcipuis perduellionis capitibus capit, ac per vicos Urbis Quinque-Eccleſienſis circumductum candentibus forcipibus minutatim concidit. Atque eodem anno in Regem Hungariæ coronatur.

1387. *Sigiſmundus* Rex, Regnum perturbatum, à turbulentis Proceribus, ordinat ac pacat, & urgente multùm uxore, de complicibus turbarum vindictam ſumit.

1390. Quarto anno à ſua coronatione, expeditionem in Moldaviam ac Walachiam ſuſcipit, Principéſque earum Regionum, quæ ſub Maria receſſerant, in ordinem redigit, & tributa ſolvere cogit.

1392. Rebellant rurſus Walachi, & ut ſe defendant, validam Turcarum manum conducunt. Rurſus igitur *Sigiſmundus* in eos movet, & fugatis hoſtilibus copijs, Nicopolim caſtrum obſidione cingit, & expugnat, ac præſidio Hungarico firmat, jugóque genti impoſito, cum triumpho felix in Hungariam redit. Necdum tamen redierat, cùm Regina Maria, gravi præventa ægritudine, Regnum pariter ac vitam reliquit, magno *Sigiſmundi* dolore.

1393. Ladislaus Poloniæ Rex, contra *Sigiſmundum* Regem copioſum exercitum movet, ratus ad ſe pertinere Hungariæ Regnum, utpote cùm haberet Hedvigem uterinam ſororem Mariæ Reginæ defunctæ; ſed reperiens confinia multo armatorum cœtu munita, regreditur.

1394. Excurſio prima Turcarum in Hungariam per Syrmium.

1395. Triginta duos Nobiles præcipuos tumultuantes, Regnúmque turbantes, & deprædantes, *Sigiſmundus* capit & necari jubet, ob quod averſionem apud Hungaros incurrit.

1396. *Sigiſmundus* Rex laturus opem Græcis, contra Bajazethem Turcarum Imperatorem, Conſtantinopolim obſidentem, per Walachiam exercitum ducit. Quod cùm audîſſet Bajazethes, relictâ tantiſper obſidione, *Sigiſmundo* ad Nicopolim occurrit, atque commiſſo cum illo prælio, eundem vincit, ipſo *Sigiſmundo*, amiſſo exercitu vix fugâ elapſo.

1397. *Sigiſmundus* re malè geſtâ in prælio, fugitivo ſimilis, altas Dadu-

Danubij & æquoris per undas remorum officio navigans, & ad Dalmatiæ ac Croatiæ oras perveniens, in ijſdem partibus maritimis demoratur, ac tandem in Hungariam redit.

1398. Interea nonnulli Proceres contra Sigiſmundum clam conſpirant, & Ladislaum Caroli Regis Neapolitani filium, ad Regni Hungariæ habenas capeſſendas invitant, qui tamen miſeram ſui Genitoris ſortem animo revolvens, cunctatur.

1401. *Sigiſmundus* Rex, à ſuis capitur, & in cuſtodiam detruditur, evocato, & poſt multas cunctationes, tandem aſſentiente Ladislao, qui Jaderam venit, ibíque quò res pergerent, opperitur.

1402. *Sigiſmundus* interim, vinculis ſolutis, à matre fratrum duorum Gararum Hungariæ Magnatum, quibus cuſtodia Regis commiſſa fuerat, in Bohemiam ſe recepit. His auditis Ladislaus Dalmatiæ Urbe Jaderâ Venetis venditâ, Neapolim redit.

1403. Rex *Sigiſmundus* ex Bohemia cum exercitu in Hungariam venit, & Regnum occupat.

1405. *Sigiſmundus* Rex ultionem de ſuis proditoribus ſumpturus, non ſtatim poſt reditum, delinquentium in perſonas, gravi vindictâ utitur, non enim in ipſorum perſonam ſæviebat, ſed tantùm prædia ipſorum auferebat, & ſuis collocabat fidelibus.

Circa annum 1406. Conventum poſtmodum Udvarhelyi Regnicolis indicit, in quo Stephanum Vajvodam, conjurationis contra Regem factæ caput, illico captivari, ac mox capite plecti jubet, reliquos ejuſdem complices, alios morte, alios exilio mulctat.

1407. *Sigiſmundus* Rex, expeditionem in Turcas parat, optimam occaſionem rei bene gerendæ nactus, ditiones à Corona per eos divulſas, ad ſceptrum Hungaricum revocandi, cùm poſt Bajazethem à Tamerlane captum, extinctúmque, Turcæ in civile bellum converſi, ferrum in mutuas cædes acuerent, quæ tamen intentio poſtea non habuit effectum.

1408. Sublato Stephano Vajvoda, ejúſq; ſodalibus, quieto potitur ſceptro.

1410. Communibus ſuffragijs Electorum, *Sigiſmundus* ut Marchio Brandeburgicus, in Regem Romanorum eligitur.

1413. Gliſcente Huſſitarum in Bohemia hæreſi, Joannes Papa XXII. & *Sigiſmundus* Rex Romanorum, *Cremone* convenientes, generale Concilium ad peſtem hanc exſtingvendam indicunt.

1414. Conſtantienſe Concilium inchoatur, cui intereſt etium ipſe *Sigiſmundus*, jam coronatus Rex Romanorum.

1415. Condemnatur Joannes Huſs à Concilio Conſtantienſi hæreſis,

& vinctus, à sacris Ordinibus degradatus, sæculari potestati traditur, ac vivus comburitur, ipso *Sigismundo* Romanorum & Hungariæ Rege, sententiam condemnationis ac supplicij approbante.

1416. *Sigismundus* Constantiâ transit in Galliam, ubi magnificè suscipitur, transit deinde etiam in Angliam, ut dissidentes hos Reges componeret, venit etiam in Hispaniam, ad colloquium cum Ferdinando, & Petro de Luna faciendum, & schisma tollendum.

1418. Hoc anno Concilio Constantiensi finis imponitur, quod tribus annis & sex ferè mensibus tenuit, de quo *Sigismundus* gloriam etiam in terris retulit immortalem, utpote Concilij hujus author, promotor, ac strenuus propugnator, per ejus tamen nimiam clementiam Hæresis Hussitarum augetur magis.

1419. Moritur interea Venceslaus Bohemiæ Rex, in omni vita sua, sed vel maximè in sopienda Hæresi Hussitarum ignavus, cui jure sangvinis succedit *Sigismundus.*

1420. Nimium invalescunt Hussitæ in Bohemia, Ziscâ qui de monoculo in obsidione Urbis fuerat factus cœcus, Duce, cum quibus congressus Imperator vincitur, coronatur tamen Bohemiæ Rex.

1421. *Sigismundus* iterum cum Hussitis congreditur, iterúmque ab ijs vincitur.

1422. Hussitæ contrà *Sigismundum* conspirantes, Regnum Bohemiæ Vladislao Regi Poloniæ primò, ac dein etiam Vitondo Duci Lithvaniæ offerunt, qui tamen illud recusant, dicentes prohiberi se conscientiâ Hæreticis favere, vel illos in fidem accipere, præterquam quod scirent Bohemiam jure hæreditario ad *Sigismundum* spectare. Celebratur Conventus Ordinum Imperij Norimbergæ, in quo à Cæsare & Principibus bellum, ad extremam Hæreticorum internecionem decernitur.

1423. In Hussitas sacra expeditio à Cæsare & Principibus Imperij paratur.

1424. Bellum Hussicum magnâ utrinque atrocitate geritur. Zisca nefariorum sectariorum Dux moritur.

1425. Georgius Despotes Belgradum, in signum singularis fidelitatis *Sigismundo* Regi cedit, cui vicissim *Sigismundus* complures arces & oppida, dignitati ejusdem sufficientia donat, ac tradit.

1426. Hussitæ Monasteria & templa dirè vastant, atque despoliant, & nostros iterum vincunt.

1427. Operâ Martini Papæ, ac *Sigismundi* Imperatoris, rursus exercitus contra Hussitas ducitur, qui tamen nec conspectum hostis sustinet.

Hussi-

Hussitæ interim grassantur in Germania, licet inter se diffidentes, ac divisi in tres factiones, Thaboritarum, Pragensium, & orphanorum, & in Catholicos præcipipuè sæviunt.

1428. *Sigismundus* hoc anno expeditionem suscipit in Turcas, sed parùm feliciter; nam trajecto Danubio cum parte una copiarum, eandem Barbaro concidendam objicit.

1429. Perseverant hoc anno etiam Hussitarum grassationes, qui tripartito agmine, Hungariam, Poloniam, Austriam, hostiliter infestantes, magnam illis Regionibus vastitatem inducunt, *Sigismundo* cunctantiùs contra eos rem agente.

1430. Clades ingentes inferunt Hussitæ Catholicis, in Mysnia, atq; Lusatia.

1431. Paratur grandis exercitus à *Sigismundo*, ex Comitijs generalibus Norimbergæ habitis, adversùs Hussitas, qui hoc tempore Silesiam, & Austriam crudeliter divexabant, quæ expeditio partim infelix, partim sat prospera fuit. Nam Fridericus Marchio Brandeburgicus, dum primò bene rem gerit, audito postmodum cum majoribus copijs eorum adventu, nimio terrore correptus, diffluere copias suas passus est. Albertus è contra Austriæ Dux, felicius contra eosdem in Austria pugnat compellendo illos se submittere, & definitionibus futuri Concilij Basiliensis acquiescere.

1432. *Sigismundus*, defensionem Concilij Basiliensis zelosè suscipit, illúdque strenuè promovet, ad quod invitati sunt Hussitæ, ijsque litteræ securitatis datæ, quas *Salvi conductûs* vocant.

1433. *Sigismundus* in Italiam proficiscitur, & Romæ ab Eugenio Pontifice, in Basilica Vaticana, Augustalibus insignibus, & aureâ Coronâ redimitus, in Imperatorem creatur.

1434. Subortâ discordiâ inter Hussitas, cœsisque Orphanorum, & Thaboritarum Hæreticorum reliquijs, *Sigismundus* Rex Bohemiæ, tam à Catholicis, quàm reliquis Hussitis, in Conventu Ratisbonensi, ubi tunc idem Imperator versabatur, agnoscitur.

1435. Dum *Sigismundus* restaurare pergit Imperium, gener ejus, Albertus Austrius, cum Hungaris adversus Turcas feliciter pugnat, cœsis Barbarorum octodecim millibus.

1436. *Sigismundus*, Iglaviæ in Moravia conventum celebrat, præsente Genero Alberto Austriæ Duce, in quo Rockysana præcipuus Pragensium Doctor, cum alijs sectæ suæ Presbyteris, nomine totius Cleri obedientiam Sedi Romanæ professi sunt, omnésque Bohemi anathemate soluti, & pax diu exoptata, tandem inita est.

1437. *Sigismundus* aliquot Bohemos Hæreticos mulctat, plures immut-

immittit cum Hungaris in Turcas, & hi Turcis magnas intulêre clades; multis tamen etiam ex ſuis amiſſis, qui ſive vincebant, ſive vincebantur, victoriâ ſimul & clade ſuorum proficiebat *Sigiſmundus*, per victoriam triumphans de Turcis hoſtibus, per funera Hæreticorum, liber à perduellibus. Atque eodem anno Znojmæ in Moravia moritur, ſexto Idus Decembris, ex Paralyſi, annos natus 70. Regni Hungarici 51. Romanorum 27. Bohemici 27. Imperij 5. Sacramentis rite munitus. Pro voto ſuo, Varadini ad Sanctum Ladislaum, cui devotiſſimus erat, ſepultus eſt.

1438. *Albertus II.* Archidux Auſtriæ, deſignatus à Sigiſmundo Rex Hungariæ, filiæ ejuſdem Eliſabethæ maritus, eodem anno triplici Coronâ inſignitur, Albæ Regalis, in Regem Hungariæ, Calendis Januarij, Pragæ in Regem Bohemiæ, tertio Calendas Julij. Francofurti in Regem Romanorum, decimo tertio Calendas Aprilis.

1439. Idem *Albertus II.* dictus Honorificus, correptus diſſenteriâ, ex eſu peponum, moritur in Hungaria, Regnorum & Imperij, anno 2.

1440. Alberto Rege mortuo, per imprudentiam fœmineam turbatum eſt Regnum Hungariæ, quæ relicta cum duabus filiabus, & prægnans, parere timens fœminam, hortata eſt Hungaros, ut alium ſibi Principem in Regem eligant, fœminâ, magis ad gubernandum Regnum idoneum. His perſvaſi Proceres Hungariæ, Vladislaum Ducem Lithvaniæ, Regis Poloniæ fratrem, in Regem eligunt. Sed cùm poſtea filium peperiſſet, (qui in Baptiſmo nomen Ladislai ſuſcepit) Regnum pro eo ſervare voluit. Unde magnæ & pernicioſæ ortæ in Regno ſeditiones. Pars enim Hungarorum Vladislao recens electo adhæſit, pars infanti Ladislao. Interim antequam Vladislaus in Hungariam veniſſet, Regina Eliſabeth, cum parte ſuorum Baronum, Albam Regalem petit, filiúmque ſuum, qui nondum quatuor ſuæ ætatis impleverat menſes, inungi in Regem, pariter & coronari facit, atque imminente Vladislao, in Auſtriam, in Friderici Cæſaris tutelam, unà cum filio, & ſacrâ Coronâ clam ſurreptâ, ſe recipit.

1441. Adducitur & Vladislaus in Hungariam, Budæque magnificè recipitur, & in defectu Coronæ ablatæ, coronationem per impoſitas Sancti Stephani ex capite reliquias, admittit.

1442. Gliſcentibus ſic inter Hungaros diſſidijs, Amurathes Belgradum obſidione cingit, ſed poſt ſeptimeſtris ſpatium, obſidionem re infectâ ſolvere, à Joanne Hunyade Vajvoda Tranſylvaniæ turpiter cogitur, cæſis Turcarum triginta millibus, captis quinque millibus.

1443. Hunyades auſpicijs *Vladislai*, alterâ vice cum Turcis congreſſus, eorum triginta millia cædit, cæteris partim captis, partim fugâ dilapſis, ad

pſis, ad centum millia. Hinc ad fines Thraciæ & Macedoniæ procedit, ac Carambajum Præfectum Aſiæ capit, ejúſque copias grandi clade delet. Interea Regina Eliſabeth obijt, cujus mors plures ex Magnatibus illam ſequentibus, ad *Vladislai* partes traduxit. Eodem anno Amurathes impetrat pacem, ab *Vladislao* valde æquis conditionibus.

1444. Chriſtiani hoc anno, contra Turcas ingens bellum parant, fœdúſque inter ſe ineunt, ad quod invitatus etiam *Vladislaus* Rex Hungariæ, eidem nomen dare, ob recens factam pacem, cum Amurathe, tergiverſatur, ſed demum ſvadente Juliano Cardinali, pacem abrumpit, occurrit eidem Amurathes, ad *Varnam* oppidum, pugnatur utrinque acerrimè, ac diu anceps fluctuat victoria, ſed demum Chriſtiani cæduntur, & ipſe Rex *Vladislaus*, fortiſſimè in prælio dimicans occumbit, cum multis Epiſcopis & Baronibus, Julianus quoque Cardinalis à latronibus trucidatur,, Hunyades plures ſervare cupiens, ægrè evadit.

1445. Cæſo Vladislao, Hungari *Ladislaum Poſthumum* Alberti filium, quinquennem, in cunis coronatum, in Regem eligunt, & Joannem Hunyadem, interim pro Gubernatore Regni conſtituunt.

1446. Hunyades pacificè Regnum gubernat, mox tamen anno inſequenti:

1447. Sacrum Diadema, quô Reges Hungariæ coronari ſolent, Puerulúmque Regem, qui jure naturæ, Regno dominari debebat, conventu cum Magnatibus, & Regnicolis habito, à Friderico Romanorum Rege, priùs per Legatos, ac dein etiam armis repetit. Pluribus itaque armatorum agminibus compoſitis, Carinthiam Styriámque vaſtat, ac depopulatur, nec ſic tamen Fridericum ad reſtituendum *Ladislaum*, & Coronam Hungaris flectit.

1448. Idem Joannes Hunyades, ignominiam ad Varnam acceptam abolere cupiens, ingentem cogit adversùs Turcas exercitum, ſed proditione Georgij Deſpotæ præventus eſt ab Amurathe in campo Merula, ſeu Rigo mezô dicto, in Raſciæ & Bulgariæ finibus, & licet imparibus copijs, certamen tamen non detractavit Hunyades, acerrimè igitur tribus diebus pugnatum eſt Hungaros inter & Turcas, tandem victoria ſtetit penes Turcam, cæſáque magnâ parte Procerum, & Nobilitatis, victi ſunt Chriſtiani; cæſa in hoc prælio Chriſtianorum octo millia, Turcarum 24. millia Fugit etiam ipſe Joannes, ut magnum Ducem ſuis ſervaret, & in fuga juſſu Georgij Deſpotæ eſt retentus, à quo dimiſſus non eſt, niſi dato obſide Ladislao majore natu filio.

1449. Poſt hanc cladem acceptam, aliquantiſper quievit Hunyades, aſt anno:

1450. In debellationem & extirpationem Bohemorum, graviter Regnum opprimentium, reliquorúmque deprædatorum, totus incumbit. Contulerat siquidem Regina Elisabetha post mortem Alberti Regis, Zoliense castrum, nonnullásque munitiones, cuidam Joanni Gizkræ Bohemo, homini rapinæ avido, qui, cùm Barones in se sævire vidit, mox prædabundus, totam circumjacentem deprædabatur terram, cunctáque occurrentia rerum direptione, incendióque vastabat. Sed & Pancratius Lyptoviensis Comitatûs incola, ac Petrus Komaromsky, alijque Bohemi, Poloni, ac Sclavi, quos præda delectabat, aggregato milite muniti, omnem vim suam: in Regni deprædationem converterunt. Erat & aliud genus latronum, ex collectitio, & gregario milite, qui se *Bratrik* vocitabant, hi constitutis inter se Capitaneis, varias Regni partes deprædabantur & vastabant.

1451. Joannes Hunyades proditione suorum Magnatum, qui felicibus ejus progressibus invidebant, ad oppidum Losonczo, â nefario prædone Izkra prænominato superatur, & castris exuitur. Verùm mox Joannes, novis assumptis armis, sibi fidelioribus militibus, varias munitiones eidem eripit. Eodem anno, idem Hunyades, Georgium Despotam Rasciæ, contra Amurathem Turcarum Imperatorem egregiè adjuvat, Turcísque cæsis magnâ clade, victor in Hungariam revertitur. Interim Fridericus Imperator, Ladislaum puerum, jam duodennem, secum in Italiam ad coronationem pergens, ducere parat, eúmque Hungaris nonnisi virum & aptum Regno redditurum negat.

1452. Redux ex Italia, in Austriam Fridericus Imperator, Hungaris Ladislaum sibi restitui enixè flagitantibus reddere recusat. Cùm igitur id impetrare nequirent Hungari, Duce Hunyade ad arma convolant, Fridericúmque Imperatorem in Nova Civitate seu Neostadij tunc temporis commorantem arctâ obsidione cingunt. Sícque Fridericus, tum metu, tum penuriâ victualium admodum laborans, Regem Ladislaum suorum Regnorum Proceribus, reddere est coactus. Reductus itaque puer Princeps Viennam, ubi à suis Austriacis, Hungaris & Bohemis, juramentum fidelitatis accipit, ipséque Hunyades officio Gubernationis cedit, sed in eodem à Ladislao confirmatur, atque ita in Hungariam multis ab eodem honoribus & muneribus auctus remittitur. Eodem anno Beatus Capistranus Minorita, in Hungariam venit.

1453. *Ladislaus IV.* Rex Hungariæ, Viennâ anno ætatis suæ decimo tertio, in Hungariam venit, Budæque à Proceribus Regni suscipitur magnificè.

1454. Captâ anno elapso Constantinopoli à Turcis, consternati Prin-

Principes, de bello Turcis inferendo, conventus binos celebrant, primum Ratisbonæ, qui inutilis evaſit Principibus Chriſtianis, mutuis inter ſe odijs decertantibus; alterum Francofurti, in quo adnitentibus maximè Æneâ Sylvio, tunc in Germania Nuncio Apoſtolico, ac dein Pontifice Summo, & Joanne Capiſtrano, decernitur bellum in Turcas.

1455. Mahometes Turcarum Imperator, ſuperbiâ tumens ob Græcos penitus debellatos, ad Hungariam quoque ſuo Imperio ſubigendam, totum animum & vires convertere ſtatuit.

Anno igitur 1456. Belgradum ſeu Albam Græcam munitiſſimam ad Savum atque Dravum confluentes fluvios, jam alias à Patre ſuo fruſtra tentatam, cum 150. & eò ampliùs millibus armatorum obſidet, quo audito *Ladislaus* Rex, cum Patruo Ciliæ Comite, qui ſuis conſilijs Regnum dirigebat, Budâ vacuâ præſidio, per longum tempus relictâ, unius noctis ſilentio Viennam ſe recipit. Interim Hungariæ reliquis Dominis, quâdam deſidiâ, quaſi gravi ſomno laborantibus, ſolus Hunyades arma corripit, adjunctis exercitui ſuo 40. Chriſtianorum Cruce ſignatorum millibus, quos Beatus Joannes Capiſtranus ducebat, & prolatâ imagine Crucifixi, ad propugnandam fortiter fidem Chriſtianam, ſuis ferventiſſimis exhortationibus animabat, glorioſè caſtra Turcarum invadit, atque priùs in fluvio, ac dein terrâ eoſdem devincit, & obſidionem relictis omnibus machinis bellicis ſolvere cogit, ipſo Mahomete Imperatore in pectore vulnerato, præcipuiſque belli Ducibus cæſis tantâ clade, ut eâ nuſquam majorem Turcæ acciperent. Cæſa tunc fuiſſe perſcribuntur 40. millia Barbarorum. Nec multò poſt ex nimio labore incidit in febrem lethalem Hunyades, ex qua ſanctiſſimè obijt, reliquit duos filios, Ladislaum jam armis aſvetum, & Matthiam adhuc impuberem. Hunyadem paulò poſt ſecutus eſt Beatus Joannes Capiſtranus, ſeptuagenario jam major.

1457. Ladislaus & Matthias, Joannis Hunyadis filij, carceri mancipantur, ob trucidatum à Ladislao Hunyade Ulricum Ciliæ Comitem, avunculum *Ladislai* Regis (qui Ulricus Comes, jam olim Joannem Hunyadem, ac poſtea ejuſdem filios mirè perſequebatur) & poſt triduum Ladislaus Hunyades, Budæ capite plectitur, cum tanta etiam tortoris commiſeratione, ut vix ei quarto ictu caput ſecuerit, Matthias verò Viennam, ac dein Pragam abducitur. Eodem anno *Ladislaus* Rex, non ſine veneni ſuſpicione, Pragæ, in quam venerat celebraturus nuptias, cum Magdalena Franciæ Regis filia, repentè extingvitur.

1458. Matthias Corvinus dictus, Joannis Hunyadi filius, in Bohemia in carcere & poteſtate Georgij Podiebrachij exiſtens, ab Hungaris Proceribus,

ceribus, in Regem Hungariæ, anno 17. ætatis ſuæ eligitur, ac pauló poſt 1459. inRegnum inducitur, à Georgio Rege non priùs dimiſſus, quàm Catharinam ejus filiam in uxorem duceret.

1460. *Matthias* Rex, mira ſtatim initio Regiminis ſui prodit prudentiæ argumenta, mox ad recuperandam Sacram Coronam, quæ in Friderici Imperatoris manu erat, animum advertit, quando citra Sacroſanctum Diadema, legitimè Regno potiri ſe, haud quaquam poſſe putabat. Igitur è Senatus conſulto, duos ex Optimatibus, ad Imperatorem mittit, qui eam repeterent; ſed hi continuò verba ſolùm ſibi ab Imperatore dari intelligentes, re infectâ, domum revertuntur, Hoc eodem anno, Frater Gabriel Ordinis Sancti Franciſci Epiſcopus Agrienſis, & Petrus Epiſcopus Weſprimienſis, inter S. R. E. Cardinales connumerantur.

1461. Initio ſtatim Regni, tria graviſſima bella *Matthiæ* Regi fortuna proponit: unum cum Romano; cum Turcico alterum Imperatore, intercedebat; tertium cum Bohemis, qui initis inter ſe ſocietatibus, quas fraternitates nuncupabant, univerſam ulterioris Hungariæ plagam, hoſtilibus incurſionibus infeſtabant. Primum ex Auſtria erupit bellum, Cæſari multis ex Procericus faventibus, tunc *Matthias* Simonem Magnum cum exercitu, ad Sabariam opponit, ſed hic à Cæſareanis & Hungaris eidem adhærentibus, confeſtim profligatur, & fuſus fugatúſque ad *Matthiam* redit.

1462. *Matthias* nil fractus animo, exercitum rurſus reparat, conſpirationem Procerum differt, hóſque ſibi conciliat; eodem Duce Simone, cum Cæſareanis confligit feliciùs, fuſis fugatíſque hoſtibus, mox cum eodem Cæſare pacem init. Eodem anno ducit bellum in Bohemos, domeſticos latrones feliciter. Fuêre autem dicti Bohemi inducti in Hungariam, ab Eliſabetha, Ladislai Regis matre, quorum Duces Giſram, & Telephum, illa multis oppidis & fortalitijs præfecerat: ſucceſsêre deinde ex his fraternæ Bohemorum ſocietates, quæ varia circum caſtella temporanea erexerant, impoſitíſque præſidijs, ex illis frequentiſſimas excurſiones faciebant, cunctáque longè latéque depopulabantur, & latrocinia exercebant, ſícque Hungariam octo circiter & viginti annis divexabant. *Matthias* Rex aſſentationibus, & falſis criminationibus, à nonnullis Magnatibus inductus, Michaëlem Szylagyium avunculum, & Regni Gubernatorem, in vincula conjicit, atque is à fidelibus ſuis ſervis è carcere liberatus, à Rege poſtmodum in gratiam recipitur, priſtinæque libertati reſtituitur.

1463. Rex *Matthias* in Boſniam expeditionem ſuſcipit, & Jajczam Metropolim ejuſdem Turcis eripit, magnámque illius partem ſibi ſubjicit. Mahometes Turcarum Imperator, auditâ Jajczæ expugnatione, cum ingenti

genti exercitu, eandem vicissim oppugnare aggreditur; sed audito solùm rumore adventûs *Matthiæ*, obsidionem solvit.

1464. Rex *Matthias*, redemptâ sexaginta millibus aureorum, à Friderico Imperatore Sacrâ Coronâ, (quam Elisabetha mater Ladislai Regis, clàm ad Fridericum abduxerat) Albæ Regali, magna cum solennitate redimîtur, pace priùs cum eodem Friderico factâ, ac firmatâ. Cum Venetis quoque arctum fœdus contra Ottomannicam potentiam init, vi cujus Veneti quadraginta millia aureorum in annos singulos contulêre *Matthiæ* Regi, ut perpetua cum communi hoste bella gereret. Rex igitur statim post suam coronationem, delectum militum facit, & undecunque potest, auxilia cogit, & appropinquante autumno Savum trajicit; Mysiamque superiorem ingreditur, ac primò Zebernicum, quod ab Argentifodinis nomen habet, prosperè expugnat, ac dein Zvinichum, Rasciæ fortalitium, in arduo monte situm, arctâ obsidione cingit, & duobus ferè mensibus acriter oppugnat, sed vulnerato Comite Emerico Zapolya, Equitum Præfecto, auditóque rumore, Mahometem Turcarum Imperatorem in horas, cum numeroso exercitu adfuturum, præproperè obsidionem solvit, Savóque remenso, in agrum Syrmiensem redit. Dein Szegedinum conventum generalem indicit, in eóque Michaëlem Orszag Palatinum creat, duósque Oratores, Romam, ad Paulum II. Pontificem, mittendos designat, qui eidem prompta obsequia deferrent, & adversùs communem Reipublicæ Christianæ hostem, opem & auxilia implorarent.

1465. *Matthias* Rex in Croatiam, ad redigendos in ordinem Frangepanos Comites, minus sibi obsequentes castra movet, sed cùm vix Zagrabiam pervenisset, auditâ novâ Bohemorum, Duce Swecla, in Hungaria rebellione, è vestigio reducit exercitum, seditiosósque persequitur, ab ijsq; pro meritis debitas exigit pœnas, ita, ut ex hac nova Bohemorum fraternitate, quæ septem millibus hominum constabat, perquam pauci evaserint, sed omnes ferè aut ferro, aut fame, aut publico supplicio consumpti sint.

1466. Hoc anno *Matthias* Rex in Transylvaniam, cum decem selectorum millibus contendit; Transylvani siquidem commotâ seditione palàm à fidelitate Regia defecerant, Joannémque Sancti Georgij Comitem sibi à Rege Vajvodam seu Ducem impositum, vel invitum, in Regem sibi elegerant. Igitur Rex magna cum festinatione in Provinciam properat, passúsque imprimis ejusdem angustissimos inter juga altissimorum montium, quibus undique cingitur, præoccupat, ac dein in patentes campos exercitum deducit, & aciem contra rebelles explicat. His visis, novitatis authores animo consternantur, depositísque armis, veniam ad Regis pedes provo-

provoluti, humiliter exorant, atque etiam impetrant, paucis exceptis, qui perfidiæ ac defectionis primi motores fuerunt. Post hæc Rex, pacatâ Transylvaniâ, in Moldaviam, contra Stephanum Vajvodam, seu Principem regionis, arma vertit, quòd hic quoque imperata Regis (esto ab antiquissimis temporibus Principatus iste Coronæ Hungaricæ subesset) Transylvanicas quoque factiones fovisset, ac primo impetu Romanum Forum dictum oppidum, occupat, dein pagos, & obvia omnia quævis oppidula, igni ferróque passim devastat; sed ad Civitatem *Banya* nuncupatam, grave periculum subit, à Moldavis circumventus, ac invasus, quos tamen fortiter repellit, & gloriosè devincit, cœsis ex hostibus facilè septem millibus, amissis tamen ex suis duobus millibus & ducentis, ipse quoque sagittâ graviter sauciatus: ultimò tamen Stephanum Vajvodam supplicem per litteras, in gratiam recipit; ita tamen, ut imposterum obsequia grata legitimaque præstaret, sícque utraque Provinciâ pacatâ, in Hungariam redit. Interea verò temporis, Michaël Szilagyius, Regis avunculus, cum Turcis ad Bozazin, infra Szendoroviam confligens, ab hostibus capitur, & Constantinopolim mittitur, jussúque Imperatoris, capitis supplicium subire cogitur.

1467. *Matthias* Rex, conventum publicum regnicolis Agriam indicit, ut de futura duplici expeditione bellica, cum ijsdem decerneret, unâ, contra Turcas, perpetuos Hungariæ hostes, alterâ, contra Bohemos, Hussitas hæreticos, ad quam non solùm ob privatas injurias incitabatur, verùm etiam à Paulo Pontifice Romano, & à Friderico Imperatore stimulabatur, adpromissis ab utroque magnis pecuniarijs subsidijs.

1468. Rex *Matthias*, Georgio Podebrachio, Regi Bohemiæ, bellum indicit, Moraviámque invadit, & plerásque ejusdem Civitates, ultroneâ deditione in suam potestatem redigit, Hradisthium tamen non tentat, eò, quòd fortissimo veteranorum militum teneretur præsidio, ipséque locus naturâ munitissimus, ob exundantiam Moravi fluvij esset. At Brunam, & Olomuczium occupat, Spilperga, quæ Brunensi Urbi adjacet, aliquamdiu fortiter resistit, sed & hæc postmodum deditionem facit.

1469. Rex *Matthias*, conventum Olomuczium indicit, in eóq; Marchio Moraviæ, & Rex Bohemorum, ab ipsis Provinciarum harum Proceribus declaratur; ac salutatur. Deinde castra movet in Silesiam, cujus imperio, Wratislavia, Metropolis illius Regionis, se illico submittit, atque Wratislaviensium exemplo, reliquæ quoque Silesiæ Civitates, fidelitatem & obsequia eidem deferunt. Mox continuatis itineribus, Victorinum Regis Po-

debrachij filium, nova in dies molientem, in Vezile oppido obsidet, locóque expugnato eundem capit, & in Hungariam secum deducit.

1470. Georgius Rex Bohemiæ, auditâ Victorini filij captivitate, præ dolore paucis diebus extingvitur. Rex igitur Matthias cùm Comitia Regni Bohemiæ *Cuthnam* indicta instarent, in Provinciam se conferre censet, & per Legatos agit, ut Regni Corona, pro qua jam priùs à Pontifice, & Catholicis Proceribus declaratus fuerat, sibi re ipsâ conferatur; verùm Bohemi, prævalentibus Hussitis hæreticis, in Vladislaum, Casimiri Regis filium, vota sua conferunt, eúmque in Regem eligunt, & postmodum regío coronant diademate. Quo vehementer exardescens *Matthias* Rex, in Bohemos crebris excursionibus ex Moravia, Bohemiam, longè latéque vastat, & tam assiduis rapinis, & tot populationibus afficit, ut oppidorum, ac Civitatum pars magna, pacem mercari, multæ verò se dedere cogerentur. Interim non leve detrimentum in Hungaria accipit; Turcæ enim scientes *Matthiam* Regem Bohemico bello occupatum, viginti millia hominum, ad Savum amnem clam destinant, & cum expeditis artificibus, ac operarijs mittunt, ut è conspectu Syrmiensis Agri, temporaneum è materia castellum erigerent, & summâ arte & præsidio munirent, ut quoties libido ferret, Syrmiensem Agrum infestare possent. Quorum intentionem ut Rex interverteret, expeditam militum manum eò mittit, sed in cassum: Turcæ siquidem jam se egregiè muniverant, & locum affatim commeatu, & omni genere munitionum obfirmaverant, munitioníque erectæ nomen Sabácz imposuêre.

1471. Proceres Hungariæ, tam Ecclesiastici, quàm sæculares, magna ex parte in *Matthiam* Regem conspirant, & Casimirum alterum, Casimiri Regis Poloniæ filium introducere decernunt, ut postquam hunc Regem declaraverint, ejusdem copijs *Matthiam* ejicerent. Causam autem hujus suæ defectionis prætendebant, quòd *Matthias* Rex nimijs impositionibus, supra modum Regnicolas premeret, & sub prætextu bellicarum necessitatum etiam Ecclesiasticos proventus, ad se attraheret, ac pro libitu suo, nullâ habitâ ratione Procerum, ac consiliorum eorundem, cuncta disponeret, & Regni negotia administraret. Venit itaque Casimirus cum viginti millibus suorum in Hungariam, (cui adjungunt se multi in Hungaria, seditionis conscij & participes) atque Nitriæ subsistit præstolaturus ibidem Magnates, à quibus ad capessendum Regnum evocatus fuerat. Interim *Matthias*, conscius jam hujus contra se conspirationis, Budâ movet cum Exercitu, & adhærentibus sibi Optimatibus, Strigonium contendit, ibíque Metropolitam conjurationis principem, sibi reconciliat, rectâque Nitriam

properat, Casimirúmq; ibi inclusum obsidet, commeatum omnem inhibet, & diram famem eidem interminatur. Casimirus itaque ad has angustias redactus, & ab Hungaris, qui hactenus eum sequebantur, desertus, cum *Matthia* clam per internuncios agit, atque impetrat, ut intempestivâ nocte sibi egredi, & in Poloniam tutò redire liceat, séque Regno nullum unquam bellum posthac illaturum, jure jurando pollicetur. Exercitus Polonicus qui remanserat, arctiori obsidione circumventus, quotidianis internuncijs tutò abeundi, ne inediâ conficeretur potestatem petit, cui Rex lubens annuit, hâc adjectâ conditione, ut in remeando itinere, nihil hostilitatis exercerent; sed quia hanc cautionem postmodum non servârunt, aut dirâ fame pressi, servare non potuerunt, maximè cùm finibus Poloniæ appropinquabant, palantes ac effusi, ac in diversas vias divisi, à rusticis circumveniuntur, spoliantur, & in prædam ferè omnes vertuntur.

1472. Postquam ejectis hostibus, propulsatísque periculis, Rex Budam se recepisset, ad ultionem de seditiosis sumendam animum revocat, & ab Archi-Episcopo Strigoniensi facit initium, hunc igitur Budam evocat, & in aula retinet, & adhibitâ custodiâ, pro dignitate, asservari jubet, ac demum Wissegradum deduci mandat; postmodum tamen memor ingentium ejus beneficiorum, & aliorum fidelium servitiorum, eundem è carcere dimittit, & pristinæ dignitati restituit, qui tamen dolore ex hac infamia concepto, eodem hoc anno, diem ultimum obit.

1473. Præter perpetuum cum Turcis bellum, qui datâ quacunque occasione, modò Daciam, modò Pannoniam, modò Dalmatiam infestabant, duplex aliud bellum *Matthiæ* Regi exoritur, unum Polonicum, alterum Bohemicum. Vladislaus enim in Regem Bohemiæ coronatus, cùm Regnum mutilatum offendisset, opulentissimis Provincijs Moraviâ, & Silesiâ, quin & ipsius Bohemiæ partibus non paucis, à *Matthia* Rege avulsis, & possessis, vehementer indoluit, ad patrémque scripsit, se non ad Regnum, sed ad Regni reliquias evocatum esse: Casimirus itaque sæpiùs per litteras cum *Matthia* agit, eúmque hortatur, ut Vladislao filio easdem spontè redderet, adpromittens se magna ex parte eidem belli sumptus recompensaturum. Contra ille, mutuæ amicitiæ causâ, se id ultrò facturum adpromittit, si quadringenta millia aureorum, quæ in bello erogaverat, sibi rependerentur, interea se partis ditionibus potiturum. Cùm autem hæc summa immensa Casimiro videretur, neque fideret sibi ullis medijs eam comparare posse, & *Matthias* de proposito suo nihil cedere vellet, devenitur ad arma. Mox delectus militum utrinque magnus habetur. Casimirus & Vladislaus, longè majores multitudine exercitus comparant, haud

haud tamèn *Matthias* consternatur. Denique hostem non exspectare decernit, proinde ipsemet in Silesiam exercitum ducit, eúmque in Urbe Wratislaviæ, ac ejusdem suburbijs collocat, ex altera autem parte, Comiti Scepusiensi, & Paulo Kinisio in mandatis dat, ut expeditissimo equitatu Poloniam invadant, nec alicubi consistant, aut expugnationibus se detineant, sed igni ferroque cuncta vastent. Cùm itaque Casimirus Poloniam vastari ab Hungaris intelligeret, neque contra *Matthiam* aperto Marte, utpote in tutissimo loco castra sua habente, quidpiam efficere posset, atque in suis castris tantâ gentium varietate refertis, annonæ caritate jam laborare inciperet; colloquium & inducias aliquot dierum à *Matthia* expetit. Initis itaque inducijs, strenuè ab utriusque partis Proceribus, de pace & concordia Regum agitatur, ipsi quoque Reges seria & longa inter se colloquia hac de re instituunt, & iteratò repetunt, ac tandem pacem inter se conditionibus utrique parti faventibus concludunt; junctísque dextris, in signum initæ pacis, perpetuíque fœderis, sese mutuò amplexantur.

1474. *Matthias* redux ex Silesia, nullò modò arma deponere statuit, donec à Polonorum latrocinijs, qui in Hungariæ, Poloniæque confinijs superfuerant, Provinciam purgâsset. Ij námque præsidia duo statuerant, unum ad Nagy Mihály, alterum ad Homonnam, unde latius viciniam depopulabantur. Hæc quidem Rex brevi tempore in suam potestatem redigit, præsidiariósque cunctos partim cædit, partim captivos Budam mittit.

1475. Compositis in Bohemia rebus, Moraviâ, Silesiáque pacatâ, ac superiori Hungariâ à latrocinijs liberatâ, Rex *Matthias*, ad expugnandam munitionem Sabácz, quam Turcæ, cùm is in Regno Bohemiæ occupatus fuisset, ædificaverant, animum intendit: eò igitur magno cum exercitu progreditur, & trajecto Savo, acerrimam oppugnationem aggreditur, ac intra trigesimum obsidionis diem expugnat feliciter.

1476. Regis *Matthiæ* exercitus, ex præsidiarijs Belgradensibus, & Temesvarinensibus, Turcas, Ducibus Alibego, & Xeuderbego, oras illas vastantes, castris exuit, & ad internecionem delet, totámque recipit prædam. Beatrix sponsa *Matthiæ* Regis, in Hungariam deducitur, & Albæ Regali prius coronata, ad solennia nuptiarum Budam ducitur. Interea Mahometes Turcarum Imperator, cùm Regem cum tota Pannonia nuptijs occupatum intelligit, Dalmatiam, & Croatiæ fines, depopulatur.

1477. *Matthias* Rex, Fridericum Imperatorem, appetit bello, quibus ex causis, varia est, variorum opinio. Movet igitur cum universo exercitu ex Hungaria, in Austriam, & usque Crembsium, omnia ferè deva-

devastat. Cæsar pacis amans, missis Legatis ad *Matthiam*, cum eodem pacem init, atque hic, omnia quæ cœperat in Austria, Cæsari sponte reddit, revocatóque in Hungariam exercitu, Posonium descendit. Ex hoc autem tempore, constituta *Matthiæ* Regi, à Romano Pontifice, Venetóque Senatu stipendia abrogata sunt, ne ij adversùs Romanorum Imperatorem, *Matthiæ* Regi opem adferre viderentur.

1478. Hoc anno *Matthias* Rex, unà cum Regina Beatrice, & magna Aulicorum manu, ut à bellicis curis aliquantisper animum relaxaret, Urbes, locáque præstantiora Hungariæ lustrat, cui ubique ex Civitatibus, & oppidis occurrentes Provinciales, eximios honores præstant.

1479. Reges, & Vladislaus, ex condicto Olomuczium conveniunt, fœdúsque initum, denuò confirmant, & mutuam amicitiam redintegrant. Turcæ, absente Rege, Hungariam invadunt, & ad Castrum fer eum usque, & Styriæ fines, cuncta depopulantur, & abactâ præda ingenti, & triginta millibus hominum, secum in Bosniam abducunt: Quibus auditis Rex *Matthias*, Stephano, & Petro Garaj in mandatis dat, ut Turcas insequantur, quod hi fideliter præstant, & siquidem jam in Pannonijs Turcas insequi non valebant, in ipsam Bosniam irrumpunt, & par pari hosti reddunt.

1480. Ruptis indicijs inter Fridericum Imperatorem, & *Matthiam* Regem, Rex *Matthias*, cum utroque Imperatore, uno eodémque tempore bellare cogitur. Cùm enim Rex *Matthias* Zagrabiæ, Judicia Regni celebrat, famâ accipit, exercitum Imperatoris, Hungariam longè latéque usque Jaurinum vastare. Unde irâ inflammatus, partem exercitûs in Styriam præmittit, ipséque mox Zagrabiâ movens, eundem subsequitur, & Rackenspurgum pervenit, dein Marieburgum concedit, quod unà se jam jam expugnaturum sperans, ecce adest Pontificis Legatus, apud Cæsarem internuncius, qui Cæsarem excusat, *Matthiam* hortatur ad pacem, quam propediem, si Rex dictis audierit, se compositurum pollicetur. Paret Rex admonitioni Legati, intermissáque oppugnatione loci, Rackenspurgum redit, pacísque confirmationem ibidem expectat, sed Cæsare nolente eandem inire, spe suâ frustratur, indignabundúsque Budam versùs iter suscipit, relictóque in Styria Stephano Zapolya Comite Scepusiensi, & Jacobo Székel, quorum hic jam Rackenspurgum, ille verò Petavium, in deditionem Regis acceperant. Interea rumor increbescit, ad Szenderoviam, turmatim indies Turcarum ingentem convenire exercitum. *Matthias* Rex proinde Stephanum Batoreum Transylvaniæ Vajvodam, & Paulum Kinisium Temesvari Præfectum admonet, ut hostium conatus diligenter observent, ijsdem pro virili resistant; exequuntur hi fideliter jussa Regis, & copias

copias, quas possunt colligunt; cùmque Turcæ incredibili coactâ prædâ jam pedem referrent, Stephanus eosdem insequitur, ac Kenyér-Mezö dicto loco assequitur, & sequenti die prœlio aggreditur, nec illi pugnam detrectant, sed fortiter pro vita, & parta præda dimicant, utrinque res strenuè agitur, dubiâ utriusque partis victoriâ, donec Paulus Kinisius cum suis copijs adveniret qui mox restaurat prœlium, & Turcas à tergo, cum magna ferocia invadit, Turcæ cùm à fronte tergóque se inclusos intelligunt, salutem fugâ quærunt, fugientes nostri cædunt, prædam recipiunt, castra hostium diripiunt, captivos in libertatem vindicant, & Albam Gyulam ovantes redeunt. Dicuntur in hac pugna triginta millia Turcarum, ex nostris verò decem millia desiderata fuisse. Atque utinam gloriosissimus Rex, omnes suas vires in continuandum contra Turcas bellum & arma convertisset, neque diuturno bello cum Friderico Cæsare se implicuisset, majorem certè nominis sui gloriam posteris reliquisset, Regnúmque Hungariæ magis stabilivisset, ac dilatâsset! Insequenti igitur anno:

1481. In Austriam cum exercitu movet, Hamburgóque obsesso, Pridie Kalendas Octobris, illud deditione capit, quo eodem anno, tria millia Turcarum, in campo Beczkerek Szenderoviæ proximo, ductu Pauli Kinisij; & Petri Doczy, in acie cæduntur, præter captos, & saucios multos. Anno dein:

1482. *Pruchum*, quod præsidio forti munitum fuerat, & Vicanensem Agrum infestat, finitimáque, ac conjacentia oppida, in suam potestatem redigit. Hinc cum paucis equitum turmis, nonnullísque cohortibus peditum, ad obsidionem Ginsium, non procul à Sopronio remotum (quod tunc sub potestate Friderici Cæsaris erat) contendit, & sine magno negotio capit, & ad hyberna copias, ex Austria, in Hungariam revocat. Post, anno:

1483. Claustroneoburgum, & oppidum Sancti Hippolyti occupat. Bruchum obsidet, & non sine magna difficultate expugnat, suóque præsidio firmat.

1484. Obsidet Corneoburgum, quô nonnisi post longam obsidionem potitur.

1485. Obsidione cingit Viennam, vigesimâ septimâ Januarij, & Calendis Junijs, fame execrabili adactis Civibus, deditione accipit.

1486. Viennâ captâ, Budam frequentissimum Conventum indicit, optimísque Legibus & statutis, Rempublicam firmat.

1487. Novam Civitatem, seu Neapolim Austriæ, priore adhuc anno obsessam, in suam potestatem redigit.

1488. Con-

1488. Conventus ad Sanctum Hippolytum, indicitur, quô Rex, & Cæſarei Oratores, & Dux Saxoniæ Albertus, convenientes inducias concludunt.

1489. Rex *Mathias* legitimis prolibus carens, totus in id incumbit, ut Joannem gnatum, ex illegitimo thoro natum, pro ſucceſſione ſui in Regno diſponat, quem in finem, eidem, quàm plurima Dominia in Sileſia, Luſatia, Hungaria, & Pannonia, comparat. Eodem anno, multos diverſorum Principum Oratores excipit, nec ullum tamen indonatum abire permittit. Compoſitis dein motibus Provinciarum omnibus, podagrâ intantùm corripitur, ut nunquam pedibus ultra conſtiterit. Demum:

Anno 1490. Viennæ appoplexiâ, & cum magno luctu Reginæ, Joannis naturalis filij, & Procerum, ultimum diem vitæ claudit, ætatis ſuæ anno quadrageſimo ſeptimo, Regni trigeſimo ſecundo. Mortuo glorioſiſſimò Rege Matthiâ, ſtatim in deteriùs prolabi cepit Hungaria. Is enim non tantùm integram Hungariam, annexas illi provincias, nempe: Tranſylvaniam, Walachiam, Moldaviam, Boſniam, Sclavoniam, & magna ex parte Serviam conſervaverat, ſed & Luſatiam, Sileſiam, Moraviam, partemque Auſtriæ eidem adjecerat, & hoc in ſtatu, ac in tanta amplitudine, Regnum Hungariæ reliquerat. Sed hæc magno labore, longóque bello, à Matthia parta, poſt illius mortem, brevi tempore ſunt dilapſa. Intellectâ enim illius morte Maximilianus Cæſar, ſine mora Viennam recepit, & nonnulla alia quoque loca in Auſtria, è Hungarorum poteſtate recuperavit. Cæteræ Provinciæ, ſucceſſu temporum, avulſæ ſunt, vel diminutæ. Porrò inter quatuor Competitores Coronæ Hungariæ, nempe: Maximilianum Cæſarem; Vladislaum Bohemiæ Regem; Albertum, fratrem ejuſdem Vladislai, Caſimiro Rege Poloniæ genitum; ac Joannem Corvinum, naturalem Matthiæ filium; Vladislaus, ſuffragantibus Beatrice Reginâ, quæ illius nuptias appetebat, earúmq; haud dubiâ ſpe ſuſtentabatur, & Stephano Zapolyano, Palatino Comite Scepuſienſi, quem largitione, & ingentibus promiſſis, ad ſuas partes reduxerat, à Regnicolis in Regem eligitur, & Albæ Regali ſolenni ritu ſacro Diademate coronatur. Cæteri autem competitores, armis ſuas prætenſiones conabantur promovere. Etenim Maximilianus Cæſar, Albam Regalem expugnat, & niſi ſeditione militari, ob non perſoluta ſtipendia, inhibitus fuiſſet, Budam quoque eodem impetu aggreſſus fuiſſet. Albertus verò ſuperiorem Hungariam infeſtabat. (Joannem autem Corvinum, certis conditionibus, jam prius ſibi Vladislaus reconciliaverat) contra Albertum fratrem, Rex ipſe duxit exercitum, ſed cùm prælium committi deberet, Fratres ad colloquia conveniunt, & pacem inter ſe ineunt.

1491. *Vladislaus* Rex, Albam Regalem, à Maximiliano Cæſare priori anno occupatam, & mox etiam reliquas eidem adhærentes partes, armatâ manu recipit. Aſt Albertus rurſus bellum inſtaurat, ſed per Stephanum Comitem Scepuſienſem, prælio vincitur, Eperieſiníque obſeſſus, ſe, ad arbitrium victoris ſubmittere cogitur. A fratre tamen *Vladislao*, liberè in Poloniam abire permittitur.

1492. Comitia Regni, Budam, à *Vladislao* indicuntur. Caſimirus Rex Poloniæ, Parens *Vladislai*, è vivis excedit. Cui Albertus filius, & frater Vladislai in Regno ſuccedit, licet *Vladislao* jus Regni Polonici, ſecundùm ætatis prærogativam competeret, ipſe tamen illud in Albertum fratrem, à quo infinitas injurias, & quæquæ hoſtilia perpeſſus erat, omnium injuriarum oblitus, liberaliſſimè transfert, pacéque cum eo perpetuâ, uti & cum Maximiliano Cæſare initâ, totum animum ad ferendas, emendandáſque leges adjicit.

1493, Fridericus Cæſar moritur. In Dalmatiæ partibus, à Comitibus Frangepanis, Bernardo & Joanne, inter ſe diſſentientibus, novæ turbæ exoriuntur. Quas cùm Joannes Corvinus, ab *Vladislao* Illyrici Banus conſtitutus, obſtinatis Comitum animis, componere non poſſet, indignatione motus, officiô ultrò cedit, eíque Emericus Derencenius, cum Bothone in Præfectura à Rege ſufficiuntur. Hi mox Comitem Bernardum Frangepanum tumultuantem, armis ad officium adducere aggrediuntur, eúmque ad Arcem ſuam Briniam confugientem, obſident. Qua quidem in obſidione, Bothus plumbeâ glande ex arce emiſſâ ictus, è veſtigio concidit. Derencenius verò obſidionem continuans, & urgens, Comitem ad deditionis conditiones compellit. Interea, durante adhuc obſidione, Turcarum decem millia, Duce Jacuppe Boſniæ Præfecto, in Carnioliam irrumpunt, cunctáque Labacum uſque devaſtant, quibus prædâ partâ reducibus, cum eodem exercitu, alijſque copijs adauctus occurrit fortiter Berenkenius, eoſdémque magno animo aggreditur, ſed infelici ſucceſſu; fusô enim & fugatô ab hoſte noſtro exercitu, ipſemet ſtrennè præliians, capitur. Periêre in hac pugna noſtrorum, ſupra quinque millia hominum. Rex hac clade auditâ, Ladislaum Kiniſium Illyrico præficit, ac non multò poſt Budæ Venetorum Legatos excipit, qui eum ad inferendum bellum Turcis hortabantur, ſed hos Rex, prætendens triennales inducias cum Turcis initas, ſine optato reſponſo dimittit, atque iiſdem diebus Raguſanam Rempublicam, à multis ſæculis Pannoniæ Regibus clientalem, in fidem & clinteelam recipit. Eodem anno Kiniſius cladem Derencenianam ulturus, coactâ magnâ militum manu Samandriam uſque excur-

excurrit, atque Alibegi Samandriæ Præfecti, duo castella, interfectis omnibus Turcis, magnâ cum præda occupat, victórque feliciter exercitum reducit. Interea Proceres Hungariæ, in Comitijs Budensibus, gravissimas querelas *Vladislao* objiciunt, ac in specie, quòd domi sedendo cum singulari detrimento Regni, ad summam ignominiam gentis Hungaricæ, quietem, & desidium, venandíque studium necessario bello præferret, ac Silesiam, Moraviam, & Lusatiam, contra pacta initio Regni stabilita, Bohemis tribuisset, neque Turcarum incursiones sufficienter reprimeret: *Vladislaus* tamen singula sibi objecta refutat, dissimulatâque indignatione, clam per certos homines, sibi Maximilianum Cæsarem conciliat, ac Albertum fratrem Leutschoviam evocat, cum eoque arctum fœdus init, ut se, & suam dignitatem ab intestinis Procerum insidijs tuerentur, & si necessitas postularet, stabiliendæ authoritatis suæ causâ, arma consociarent.

1494. *Vladislaus*, sæpiùs irritatus injurijs, & multiplicibus calumnijs exagitatus Laurentij, Ducis Syrmij, bellum adversùs eum decernit, bellóque huic Dragffium præficit, quem ipsemet dein Rex ad castra subsequitur. Mox à regijs arces, & oppida Laurentij, non sine forti resistentia præsidiariorum, partim expugnantur, partim deditione capiuntur. Quibus periculis Dux perterritus, & præsertim suorum defectu à Rege, quibus is sanctè indemnitatem omnem adpromiserat, qui intra triginta dies Laurentij partes deseruissent, secus facturis, capitis, fortunarúmque omnium noxam imminere denunciàsset, Palatini opem implorat, matrem quoque ad placandum Regem, subornat. Verùm Rex ejus causæ revisionem, ad futura Regni Comitia relegat.

1495. Regiæ copiæ, reliquas arces Laurentij, ut Caposvariam, Rachociam, Posegæ proximam, Német Ujvarinum (Germanis Gissingam) in Styriæ finibus sitam, expugnare pergunt. Laurentius Dux, pluribus deprecatoribus usus, fide publicâ acceptâ, ipse ad Regem supplex, temeritatis suæ veniam petit. Verùm Rex, pariter ut ante, causam ejus ad Conventum Budensem differt. Jnterea Priorem Auranæ, unum ex adhærentibus Laurentij factioni capi, ac in carcerem conijci jubet.

1496. Legati Bajazethis Turcarum Imperatoris ad Uladislaum veniunt, magnis cum muneribus, ab eodemque alias triennales Inducias petunt, atque etiam obtinent. Exinde sæviente peste, Budâ in sylvam Vittesiam secedit, ibique totam ferè æstatem venando, aucupandoque transigit.

1497. Remissâ pestilentiâ, *Vladislaus* Budam Comitia indicit, in quibus revisâ Laurentij Ducis causâ, eundem certis conditionibus in gratiam reci-

am recipit. Authoritate eorundem Comitiorum, Beatrici Reginæ Mathiæ Viduæ, Rex *Vladislaus*, spem totam, ac omnia jura conubij renunciari curat, quæ in cassum sui repudium deplorans, plena indignatione, non multo post in Italiam abit.

1498. *Vladislaus* Rex, evocato è Polonia Sigismundo fratre Budam, eidem Præfecturam utriusque Silesiæ, & Lusatiæ confert.

1499. Tartarorum, & Turcarum irruptione in Russiam, Reges, Hungariæ, & Poloniæ fratres, fœdus inter se adversùs communem Christianitatis hostem renovant. De Moldavia quoque, quæ paucis ante annis Poloniæ se adjunxerat; sic inter fratres Reges conventum est, ut ea, utì & Transalpina Valachia, in Hungarorum fide maneret, & si à Turcis his bellum immineret, uterque Rex ijsdem auxilium ferret.

1500. Veneti fœdus contra Turcam, cum Venceslao Rege Hungariæ ineunt. Thomas Bacocius, Archi-Episcopus Strigoniensis, in numerum Cardinalium adoptatur. Jajcziam, Bosnensis Regni caput, Turcæ adoriuntur, & obsident, verùm Joannes Corvinus, Mathiæ Regis filius naturalis, obsidionem illius solvit, & Turcas prælio cædit. Interea Albertus Rex Poloniæ, repentinâ apoplexiâ vitam finit, cujus obitum, licet is competitor Regni Hungariæ fuerit, *Vladislaus* tamen ægerrimè fert, & Regnum Poloniæ, quod eum jure primogenituræ concernebat, fratri juniori, Alexandro cedit.

IX. SYNOPSIS

SEU

SÆCULUM XVI.

ANno 1501. *Vladislaus* Rex, jam prope Quinquagenarius, Annam Aquitanam, Regij sangvinis Virginem, ex Galliis, in uxorem ducit. Turcæ trajecto Savo, Posegam & Valconem, Hungariæ Regiones depopulantur. Quod tamen incommodum acceptum, Hungari excursione factâ in Bulgariam, cumulatis cladibus, & majoribus damnis, ho-

sti reddunt. Interim Veneti, pacem à Bajazethe Turcarum Imperatore redimunt, & Hungari octennales ab eodem obtinent inducias.

1502. Fridericus Cardinalis, frater *Vladislai*, & non multò post Elisabetha mater ejusdem, finem vivendi faciunt. Moritur & Joannes Corvinus, Matthiæ Regis filius naturalis, ætatis triginta quinque annorum. Cujus relictam viduam, *Vladislaus*, Georgio Marchioni Brandeburgensi, sororis suæ filio, connubio jungit, hæredémque omnium ex asse constituit, & Corvino in Præfectura Dalmatiæ, & Illyrici, Andream Bodonem, & Franciscum Balassium primò, ac dein hujus locò Marcum Mislenovicium succedere jubet. Petrus Gerebus Regni Hungariæ Palatinus, obit, cui sufficitur Emericus Pereni.

1503. Obijt Stephanus Moldaviæ Vajvoda, disciplinæ militaris scientiâ clarus, sed fluxæ ac instabilis fidei, cui succedit Bogdanus filius.

1504. Comitia Regni Budam indicuntur, in quibus de Silesia, Moravia, & Lusatia, Hungariæ Coronæ adscribendis, acriter disceptatum est.

1505. Ludovicus filius *Vladislai* nascitur, & Anna Regina ex partu obit. Siculi in Transylvania tumultuantur, ad quos componendos Paulus Tomoræus à Rege mittitur, qui primò quidem repellitur, sed dein majore auctus exercitu, eosdem vincit ac domat, victósque ac domitos, imperata facere cogit.

1506. Maximilianus Cæsar, misso Cuspiniano Legato, ad *Vladislaum* Regem, eundem de fœdere adversùs Venetos ineundo, & de affinitate mutuò jungenda sollicitat, disvadentibus id nonnullis è Senatu Bohemico, & Pannonico Proceribus. Quibus tamen non obstantibus. Anno:

1507. *Vladislaus* fœdus cum Cæsare sancit, Radulo Walachiæ Vajvoda, Budam ad *Vladislaum* venit, clientelæ suæ (quæ antiquo jure Reges Hungariæ respicit) declarandæ causâ, versatúsque in Aula Regis aliquamdiù, officijs honoribúsque auctus, ad sua redit.

1508. Beatrix Regina, Matthiæ Regis vidua, obit.

1509. *Ludovicus Vladislai* filius, adhuc bimulus, in Regem Hungariæ eligitur, & coronatur.

1509. Idem *Ludovicus* coronatur in Regem Bohemiæ. Induciæ inter Turcas & Hungaros, ad triennium prorogantur.

1510. Atrox pestilentia Budam, & totam ferè Pannoniam invadit, quâ territus *Vladislaus* Rex, cum liberis, Posonium Budâ descendit.

1511. Invadente etiam Posonium lue, *Vladislaus* inde primò in Moraviam, ac postmodum in Silesiam contendit.

1512. *Vladislao* è Silesia reverso, Barbara filia Stephani Zapolyani Comitis

mitis Scepusiensis, Sigismundo Regi Poloniæ desponsatur, & in Poloniam cum splendidissimo comitatu deducitur. Berislaus Episcopus Vesprimiensis, post obitum Andreæ Bodo, & Marci Meslenvicij, Præfectorum Illyrici, constituitur earum partium Banus. Hic dum primò ad eas oras venisset, repressit Turcarum deprædationes, cum duorum millium strage, captis plurimis, & multò majore parte eorum, in Savum demersa. Leges Hungariæ jussu *Vladislai*, à Stephano Verbôcio digestæ, in tres libros conduntur, & confirmantur.

1513. Thomas Bacocius Cardinalis, & Archi-Episcopus Strigoniensis, Legationem Romam suscipit, ut Principes Christianos, ope Pontificis ad bellum Turcicum concitet.

1514. Idem Cardinalis, cùm ob intestina bella Principum Christianorum, alia auxilia contra communem & naturalem Christianitatis hostem, obtinere non posset, à Leone X. Pontifice, universorum criminum veniam, ad bellum Turcicum euntibus impetrat, & in Hungariam redit. Nec multò post, Diploma illud Pontificium, passim per Regnum promulgari curat, ad cujus promulgationem, mox ingens ruricolarum multitudo, prætextu Religionis confluit, ita, ut intra mensem, quadraginta millia Cruce signatorum concurrerent, justúmque exercitum conficerent. Huic igitur exercitui Cardinalis, Georgium Siculum, virum aliàs militarem, Ducem præficit. Verùm, cùm Nobilitas rusticis interdiceret, ne militatum abeant, abeuntésque retraheret, gravitérque in contraeuntes suis inhibitionibus, animadverteret, Georgius furore correptus, arma in Nobilitatem vertit, bonáque illius ferro, flammâ, rapiníśque vastat. Mox Csanadinum oppidum capit, ac diripit. Loci ejusdem Episcopum, Joannem Czakium, peracutâ sude per ingvina adactâ occidit, eadémque crudelitate in alios quosque grassatur Nobiles, ac insuper & Temesvarinum obsidere non dubitat. Rex igitur agrestibus his, & insperatò factis hostibus perterritus, Regias suas primò, & prætorianas cohortes, in eos Duce Bornemiszâ immittit. Qui priusquam dubiâ aleâ cum illis decertaret, animos perduellium tentavit, si quô pactô ad saniorem mentem reduci possent, & bellum citra cædem, & sangvinem conficeretur: Missis igitur præconibus, proclamari curat, ut quibus bona pacificáque consilia amplecti, cordi esset, abjectis armis, in dexteram partem confestim digrediantur, qui verò in pertinacia & obstinatione persistere vellent, ad sinistram deflectant, eos enim se hostium locò habiturum minatur. Pars itaque illorum sanior, factâ deditione, ad dexteram partem secessit, complures sinistram tenuêre, quos prælió commissô, Regij facilè utpote inexpertes belli, perturbant, ac profligant, cædunt multos, ac quos capiunt,

capiunt, auribus & naſo mutilatos, ut eſſent exemplo alijs, dimittunt. Aliunde verò Rex, Joanni Scepuſienſi Comiti, Vajvodæ Tranſylvaniæ, bellum contra eoſdem committit, qui Georgium explicatâ è diſciplina militari, & directâ acie aggreditur. Initiò agreſtes fortiter reſiſtunt, ac acriter pugnant, ſed tandem in fugam conjiciuntur, & Georgius, ac frater ejuſdem *Gezo* dictus, vivi capiuntur, ac demum diriſſimis ſupplicijs afficiuntur. Sigiſmundus Rex Poloniæ ad *Vladislaum* fratrem Regem Hungariæ, venit in Hungariam.

1515. Duo fratres Reges, *Vladislaus* & Sigiſmundus, conveniunt Viennam ad Maximilianum Cæſarem, & Maria neptis Cæſaris, ex filio Philippo Rege Hiſpaniæ, deſponſatur *Ludovico Vladislai* filio, Anna verò filia *Vladislai*, repromittitur Carolo, vel Ferdinando, alterutri ex nepotibus, ejuſdem Philippi filijs. Eodem anno, obit Emericus Perény, Palatinus Hungariæ. Joannes Zapolyanus Tranſylvaniæ Vajvoda, cùm temerè *Cavallam* ſive *Sarnonem* arcem oppugnat, non ſine clade gravi à Turcis accepta, repellitur.

1516. Vladislaus Rex Hungariæ moritur. Succedit patri *Ludovicus* filius, decimum ætatis annum agens.

1517. Joannes Vajvoda, occaſione puerilis ætatis Regis, ad Gubernatoris officium aſpirat, & hôc non obtentô, Palatinatum ad minimum ambit. Verùm voto Regis & Senatûs, Nobilitatíſque conſenſu, Stephanus Bathorius eidem præfertur.

1518. *Ludovici* præclara indoles, à Georgio Marchione Brandeburgenſi, plurimùm in educatione depravatur.

1519. Bohemi, ſummam poteſtatis adminiſtrationem *Ludovico* deferunt. Obit Maximilianus Welcij, duodecimâ Januarij. Carolus V. in Regem Romanorum eligitur. Selymus Turcarum Imperator moritur, ſuccedit eidem Solymanus.

1520. Solymanus Turcarum Imperator, Regnum Boſniæ aggreditur, & primò Srebernicum, in finibus Boſniæ, auri, argentíque fodinis clarum ac celebre occupat. Dein Teſſenium, & Socoliam arces invadit. Tandem Jajczam obſidione tentat, ſed ſucceſſu infelici, Petri Kegleviczy, qui Jajczæ præfuit, ſolertiâ cum clade repulſus. Eodem anno, Turcæ limitanei Tininium oppidum diripiunt, & mox etiam Pethium caſtrum occupant. Quorum conatibus, & progreſſibus, cùm Petrus Boreslaus, Epiſcopus Veſprimienſis, & Illyrici totius Præfectus reſiſtere, & amiſſa recuperare contendit, in itinere apud amnem Coreniciam, in inſidias incidens, interficitur. Interim Turcici Legati Budam ad *Ludovicum* veniunt, ac ſub-

dolè

dolè petunt inducias. Thomas Bacocius Archi-Epiſcopus Strigonienſis, Cardinalis, ſenio confectus moritur, cui ſufficitur Georgius Szakmarius, priùs Regni Cancellarius.

1521. Solymanus Belgradum obſidet, & quà vi, quà proditione, ac deditione Thracum occupat, Sabacium quoque expugnat.

1522. Lutheri dogma in publicis Comitijs, à Rege Hungariæ proſcribitur. *Ludovicus*, à Principibus Chriſtianis auxilia contra Turcas ſollicitat, Rhodus obſidetur à Solymano, & poſtquam ea acerrimè, & pertinaciſſimè defenſa à Rhodijs Equitibus fuiſſet, nemine ex Principibus Chriſtianis in auxilium clariſſimæ Urbi, ac Inſulæ accurrente, ad deditionem cogitur. *Ludovicus* Rex, cum Maria conjuge, in Bohemiam proficiſcitur, juramentúmque Bohemis renovat, & Reginam coronari curat.

1523. Obit Georgius Szakmari Archi Epiſcopus Strigonienſis, cui ſucceſſit Georgius Salcanus. Obit & Georgius Frangepanus, Archi-Epiſcopus Colocenſis, in cujus locum ſubſtituitur Paulus Tomoræus, olim militarium copiarum ductor, ac dein Sancti Franciſci Seraphici Religioſus. Ejuſdem anni autumno, Ferhates Baſſa, collecto exercitu, cum quindecim circiter equitum millibus, & trajecto Savo Syrmium irrumpit, totámque ejus viciniam igne & ferro vaſtat, ſed Tomoræus, temerè collectis copijs, hoſtes fortiter reprimit, fundit fugátque, occiſo ipſo Ferhate. Obit Laurentius Dux Sirmij, cujus bona, quæ erant ampliſſima, cùm ea ad Fiſcum regium redirent, *Ludovicus* Rex, varijs de Republica bene meritis diſtribuit. Jajczam primarium Boſniæ fortalitium, rurſus Turcæ obſident, ſed à Chriſtophoro Frangepano, glorioſè repelluntur, cæduntur, & multis amiſſis in fugam conjiciuntur, ob quod etiam Frangepanus, titulo Defenſoris Sclavoniæ, à *Ludovico* Rege inſignitur.

1524. Comitia Regni, in campis Peſthinis celebrantur, ſed ea prorſus turbulentiſſima, Nobilitate (authoribus, Verbóczio & Zobio, partibus Joannis Zapolyani, Comitis Scepuſienſis, & Vajvodæ Tranſylvaniæ, nimiùm quantum faventibus) tumultuante, atque ad privatum Conventum, Hatvaninum, è publicis Comitijs ſecedente.

1525. Verbóczius & Zobius, maximâ coactâ armatorum multitudine, omnia nefarijs ſuis conſilijs Hatvanini turbant, & Regem ac Proceres ad Comitia Hatvaninum evocant, boni quidem publici prætextu, interim autem ut Stephanum Bathoreum ex officio Palatinatûs, locò moveant, eidémque Joannem Zapolyanum ſubſtituant. Seditioſis igitur Rex *Ludovicus* acriter obſtitit, & Verbóczium ac Zobium ſeditionis authores proſcribit.

1526. Acc-i

1526. Accidit hoc anno funestum illud prælium, Turcas inter & Hungaros, clades Mohacsiensis nuncupatum, à quo fatali quadã determinatione, non exspectatis subsidijs diversis (quæ jam in procinctu fuerunt) nullo consilio hi abduci poterant. Hungari igitur temerè paucis copijs, nempe viginti sex millibus duntaxat, cum potentissimo exercitu Turcarum confligunt, & vincuntur, ac pereunt; perit ipsemet pariter Rex juvenis, cum flore Procerum, tam Ecclesiasticorum, quàm politicorum. Obtentâ victoriâ Turcæ, excursiones & depopulationes bipartito agmine instituunt, uno Balatonem versùs, altero autem Strigonium versùs, (Strigonium nihilominus & Visegradum defensum est) Regina fugit Posonium, Budam advenit ipsemet Solymanus, quam vacuam invẽnit, eâdémque relictâ, Adrianopolim, ac dein Constantinopolim, cum victore exercitu redit.

1527. Joannes Zapolyanus Comes Scepusiensis, & Transylvaniæ Vajvoda, orbatis Rege Hungaris, Regnum Hungariæ affectat, quem in finem, multos ex Proceribus Tokainum convocat, atque imprimis Petrum Perénium, custodem Sacræ Coronæ sibi conciliat, ab eóque Sacram Coronam sibi consignari, ingentibus promissis impetrat. Mox ibidem in eodem Conventu, proclamatur Rex Hungariæ, conventúsque alius Albam Regalem, pro coronando indicitur. Nec diu moratus Budam venit, eámque occupat, & præsidio militari firmat, atque Albæ Regalis inauguratur. Interea Palatinus, & Regina Maria, alia Comitia Regni Posonium indicunt, in quibus à Proceribus Regni, Ferdinandus I. in Regem eligitur, & Joannis irrita electio declaratur. *Ferdinandus* igitur convocato exercitu, in Hungariam venit, Budáque potitur, fugato Vajvodâ, & Albæ per eundem Petrum Perénium, Coronâ allatâ, in Regem coronatur. Joannes verò Vajvoda se in Poloniam recipere cogitur, ubi à Joanne Tarnovio, Castellano Cracoviensi, & exercitûs summo Duce, profugus, Regnóque pulsus, benignè excipitur. Interea Turcæ Jajczam obsident, & ignaviâ Præfecti occupant.

1528. Joannes Zapolyanus Ex-Rex, per Lascum Siradiensem Palatinum, auxilium à Solymano Turcarum Imperatore solicitat, atque etiam impetrat.

1529. Joannes Zapolyanus, contractâ aliquâ militum manu, in Hungariam è Polonia iter suscipit, cui Optimates nonnulli Transylvaniæ, suas quoque copias conjungunt, quâ cum comitivâ, Solymano, in campis Mohaczianis supplex occurrit, benignèque ab eodem recipitur. Solymanus itaque continuatis itineribus, Budam ducit exercitum, eámque deditione, opinione sua citius capit, & Vajvodæ restituit. Mox ad obsidionem Viennæ pergit,

pergit, & ex itinere Strigonium, Jaurinum, Altenburgum, loca à noſtris deſerta, in ſuam poteſtatem redigit, ac Viennam ipſam obſidione cingit, die vigeſimâ ſextâ Septembris, ſed poſtmodùm obſidionem Urbis ſolvere cogitur. Redux verò inde, Joanni Vajvodæ, Coronam & Regia inſignia confert, relictoque Ludovico Gritto, cum tribus millibus Turcarum, apud Joannem, ipſe Conſtantinopolim redit.

1530. Comitia à Joanne Inter-Rege Budam indicuntur, ad quæ tamen pauci ex Proceribus comparent, in quibus Joannes Banfius eligitur in Palatinum Regni. *Ferdinandus* Rex magno ex Hungaria & Bohemia Exercitu collecto, Duce Wilhelmo Rogendorffio Budam obſidet, irrito licet conatu, Mehemet Belgradi Præfecto Budenſibus opem ferente. Interim ne Mehemet fruſtra veniſſe videretur in Hungariam, partes Hungariæ, ad Nitriam & Vagum fluvios uſque depopulatur, abductis præter ingentem numerum pecorum, circiter decem millibus captivorum. Maria Ludovici Regis vidua, in Belgium, ad Gubernium illarum Provinciarum proficiſcitur.

1531. *Ferdinandus* Rex, Romanorum Imperator creatur, & Legatos ad Solymanum mittit, de inducijs & fœdere æquis conditionibus ineundo.

1532. Vajvoda, Pauli Vardani, Archi-Epiſcopi Strigonienſis defectione ad *Ferdinandum* offenſus, Strigonium obſidione premit, Ludovico Gritto ductore, nec tamen expugnat. Solymanus novam in Hungariam expeditionem ſuſcipit, & ex itinere Ginzium Urbeculam obſidet, quod tamen Nicolaus Juriſſius præter omnem ſpem acerrimè defendit, re igitur infectâ, Solymanus intellecto Caroli V. Cæſaris, cum ingenti exercitu adventu, relicto Ginzio, verſus montana Styriæ movet. Interim tamen levioris armaturæ milites in Auſtriam expedit, qui Linczium uſque excurrunt, atque devaſtatâ undique regione, cœſis, aut captis incolis, & in cinerem redactis pagis, reditum ad Solymanum parantes, à noſtris eoſdem aſſequentibus, cæduntur, & in itinere, quindecim millia eorum delentur. Solymanus verò per difficillimas vias, & non ſine maximo vitæ periculo, mediâ ferme hyeme, Adrianopolim venit. Et Cæſar quoque in Italiam redit. Eodem anno, Carolus Cæſar, claſſem ingentem adversùs Turcas, Duce Andreâ Auria expedit, qui *Coronam* oppugnat & expugnat, *Patras* quoque Urbem Achaiæ capit, Dardanellis pariter potitur.

1533. Joannes Inter-Rex, *Ferdinando* pro pace ſupplicat, & loco illius inducias annuas impetrat. Joannes Banfius Palatinus à Vajvoda dictus, moritur. Ludovicus Grittus autem à Vajvoda Gubernator Pannoniæ

designatur, & Constantinopolim abit. De pace, inter *Ferdinandum* & Joannem Posonij, sed irrito conatu tractatur.

1534. Grittus in reditu Constantinopoli, in Transylvania, ob cædem Emerici Cibaci, Provinciæ Præfecti, à Transylvanis publico supplicio afficitur.

1535. Cassovia, à Vajvodianis ex insidijs intercipitur, & fœdè diripitur, & vicissim à nostris, Satmarinum Vajvodæ eripitur. Leonardus Felsius Generalis in superiori Hungaria, à *Ferdinando* missus cum exercitu, ex itinere arcem Perénij Sarosiam expugnat, mox copias à Vajvoda contractas fundit, & Tokainum ad fidelitatem *Ferdinandi* recipit. Interim pax inter *Ferdinandum* & Vajvodam concluditur, & Felsius à Ferdinando cum exercitu revocatur. Obit Stephanus Bathorius Palatinus.

1536. Mehemet Belgradi Præfectus, ex improviso Posegam arcem à paucis custoditam occupat, Glissam quoque premit, alia insuper Croatiæ loca, in potestatem suam redigit. *Ferdinandus* his hostilitatibus irritatus, duos exercitus opponit Turcis, atque unum in Dalmatiam, Duce Petro Crusitio, Clissiæ Præfecto, alterum verò Duce Joanne Caciano, Posegam & Essecum versùs, ire jubet.

1537. Utraque hæc *Ferdinandi* expeditio, infaustum sortitur effectum, Crusitius enim cùm Salonæ Castro Dalmatiæ immineret, ab Amurathe Usrephi Bosnensis Præfecti alumno cæditur, & profligatur, ac interficitur, mox etiam ipsa Clissia, ostenso capite Crusiaci, aliàs inexpugnabilis timiditate præsidiariorum Turcis traditur. Cacianus verò, in cujus exercitu sedecim millia censebantur, dum Essecum oppugnare decernit, defectu commeatûs, re infectâ recedere cogitur. Nec mora, Turcæ nostros discedere animadvertentes, eosdem varijs velitationibus infestant, & ijs persequendis ac infestandis, nullum finem faciunt. Itaque nostri, & fame oppressi, & alijs incommodis exagitati, cùm nec pares essent Turcis, nec famis subsidijs, aut ullâ spe aliorum sustentarentur, metúque ingenti perculsi, infamem fugam capessunt, totúsque equitatus, unà cum Duce suo Caciano, sub noctem turpissimè profugit, deserto perfidè peditatu. Mane igitur Lodronius, peditum Præfectus, cùm Turcas, qui in propinquo erant, fremere & strepere sentit, equitum copiarum præsidijs se nudatum videns, cùm fugæ locus amplius non esset, peditum animos confirmat, atque in ordinem milite disposito gradum promovet, sed vix castris egressi, ab incondita Barbarorum turba, undique circumfunduntur, & licet acerrimè pugnarent, demum tamen dissipantur, & partim interficiuntur, partim capiuntur. Lodronio quoque dum fortissimè pugnat, graviter vulnerato, & capto.

1538. Usref-

1538. Ufreffus & Amurathes, arce Dubicziâ, & aliquot alijs locis in Croatia potiuntur. Solymanus Petro Moldaviæ Principi bellum infert, eoque in Tranſylvaniam profugo, Stephanum ejuſdem fratrem, Moldaviæ præficit. Interim *Ferdinandus*, & Joannes, ab inſidijs Solymani ſibi metuentes, adversùs eundem copias conſcribunt, ſed hæ Solymano Conſtantinopolim redeunte, poſtmodùm diſſolvuntur.

1539. Pace cum *Ferdinando* confectâ, Joannes Inter-Rex, cœlibem hactenus ſecutus vitam, ad nuptias, ducendamque conjugem animum applicat, Iſabellamque Sigiſmundi Poloniæ Regis filiam, quam ille è Bona Regina Joannis Galecij Sfortiæ Mediolani Principis filia ſuſceperat, in uxorem ducit, & Albæ Regalis in Reginam Hungariæ coronari curat.

1540. Naſcitur filius Joanni Zapolyæ ſeptimâ Julij. Quo nuncio vix accepto Zapolyanus, in Száz Sebes moritur, 20. Julij, facto tamen prius teſtamento, & Georgio Monacho, Epiſcopo tunc Varadienſi, ac Petrovicio pro Tutoribus filij relictis. Ufreffus Boſniæ, & Amurathes Cliſſiæ Præfecti, crudelem in Croatiam excurſionem faciunt, & arcem Zrinium obſident, irrito licet conatu. Comites Zriniani viciſſim, in ditiones Turcicas, expeditionem ſuſcipiunt, & par pari referunt, abductis in ſervitutem quàm plurimis hoſtibus, & magno numero abactis pecoribus. Mortuo Joanne, *Ferdinandus*, vi pactorum, ab Iſabella vidua, Regnum Hungariæ repetit, quod quia bonis modis non impetrat, Leonardum Felſium cum exercitu mittit, qui primò Viſſegradum, dein etiam Vaciam, ac Peſthum occupat, Budamque ipſam obſidet, ſed hanc quibuſdam Proceribus diffiſus repentè ſolvit. Albam tamen Regalem, in fidelitatem Regis *Ferdinandi* recipit.

1541. *Ferdinandus*, bellum Turcicum, Duce Rogendorffio reſtaurat, & rurſus Budam obſidet, ac proditione jam ferè capit, ſi ea improſperè non ſucceſſiſſet incuriâ ipſiuſmet Rogendorffij. Interea durante adhuc obſidione Budenſi, Solymanus Mahometem Baſſam, in auxilium Viduæ præmittit, noſtrique ab obſidione à Turcis repelluntur, Rogendorffius quoque ex vulnere & mœrore fato fungitur. Solymanus interea Budam advenit, atque ſuo & filiorum nomine, Reginæ ac filiolo munera offert, & ut cum Proceribus quibuſdam in caſtra ſua filiolum mittat Reginæ imponit & mandat, venientémque blandè excipit, & rurſus ad matrem remittit. Verùm mox Reginam cum filio in Tranſylvaniam amandat, Budámque ſibi reſervat, ipséque Conſtantinopolim redit, Solymano Baſſæ recommendatâ Urbe.

1542. Comitia frequentia à Principibus Germaniæ celebrantur Ratisbo-

tisbonæ, & bellum adversùs Turcas decernitur. Convenit itaque multitudo copiosa militum, ita ut florentissimum efficeret exercitum, sed partim ob tarditatem, partim ob discordias, & competentias, nullâ re gloriosè gestâ, dissolvitur. Franciscus Revaius Pro-Palatinus creatur. Infinita Locustarum multitudo ab oriente advolat, corruptísque ubique segetibus vineísque, magnam annonæ caritatem inducit.

1543. Solymanus, instigante Francisco Rege Galliarum, novam in Hungariam expeditionem suscipit, & cum exercitu Samandriam venit. Ulumanes interea Bosniæ Præfectus, in Illyrico aliquot arces occupat. Solymanus verò potestati suæ subjicit Valponem, Soclosiam, Quinque Ecclesias, Strigonium, Tatam, Albam Regalem. Quibus fortalitijs suæ potestati subactis Solymanus, Tartaros ad depopulationes emittit, qui tamen à Comite Nicolao de Zrinio haud leviter mulctantur, cæsis eorum ampliùs tribus millibus. His autem peractis Solymanus Constantinopolim redit, Pontificis interim & *Ferdinandi* Regis auxilia tandem, sed tardiùs, & serò comparent.

1544. Turcæ Vissegradum oppugnant, ac deditione factâ à præsidiarijs siti tantùm non enectis, ob penuriam aquæ & vini, capiunt, præsidiarios tamen post deditionem, fide violatâ, Turcæ nefariè trucidant. Neogradum quoque à nostris turpiter relictum occupant, uti & Hatvanum. Quibus successibus animatus Mahometes, altera ex parte, Osoram, Simontornyam, & Dobrogossum, eodem impetu, deserentibus has arces nostris, sub ditionem Turcarum redigit. Sed & Ulumanes Bosniæ, & Malehus Hercegoriæ Præfecti, Velicam in Illyrico obsident, & per aggrestium proditionem capiunt, eâdémque sorte & *Montem Claudi* occupant, atque eodem progressu, Zrinij & Bidenstenij copias, sibi obviam ad resistendum venientes, cædunt, & dissipant. Insuper & Strigonienses Turcæ Levam capiunt, & diripiunt, verùm hos *Nyarius*, domum redeuntes invadit, cæditque, ita, ut pauci eorum reverterentur Strigonium.

1545. Induciæ inter *Ferdinandum* & Turcas, non sine multis difficultatibus, ad quinquennium concluduntur.

1546. Bellum Schalmadicum in Imperio exoritur, ad quod equites Hungari Duce *Nyario* mille centum quinquaginta, à *Ferdinando* evocantur.

1547. Anna Regina, *Ferdinandi* Regis uxor, partûs doloribus extingvitur. Cæsar Carolus V. ac *Ferdinandus* frater, feliciter contra Protestantes bellum conficiunt, qua in pugna, Josephus Lacanus Hungarus, Quinque Ecclesiensis, Saxoniæ Ducem, Protestantium exercitûs antesignanum, vulnerat, & capit.

1548. Co-

1548. Comitia Regni, Tyrnaviam indicuntur, in quibus aliquot Magnatum Hungariæ, ſcelera, ac rapinæ, diſcutiuntur, & rei, publico Regni decreto, proſcribuntur.

1549. *Ferdinandus* Rex, contra proſcriptos, & flocci Decreta Regis, & Regni, pendentes, Duce Salmenſi expeditionem adornat, eóſque ad obſequia, armis redigere, & arces perduellium expugnare ſtatuit. Qui primò Sitnam arcem capit, dein Levam obſidet, & vi occupat, indéque ad Muranum obſidendum, Caſtra promovet, & Boſonem unum ex rebellibus obſidet, ac proditione capit, atque fugâ elapſum, & ab opilione captum, capite minuit. Paulus Archi-Epiſcopus Strigonienſis, è vivis excedit. Eodem anno obit Sigiſmundus Rex Poloniæ, annos natus octoginta unum, ac Franciſcus I. Galliarum Rex. Georgius Monachus, Epiſcopus Varadinenſis, Joannis Sigiſmundi Principis tutor, conſilia clandeſtina, cum *Ferdinando* init. Interim Veliganes Perſa, Albæ Præfectus, magnâ Turcarum manu collectâ, inter Jaurinum & Papam regionem populatur, ſed à noſtris, Duce Paulo Ratkai Papæ, & Emerico Telekeſſy Weſprimij Præfectis, cæditur & fugatur.

1550. Regina Iſabella, cognitâ Monachi factione, Comitia Claudiopolim convocat, & Solymani præſidio freta, Georgio bellum infert, cui è contra Georgius, conflato exercitu ſe opponit, & Turcicas ac Valachicas in ſubſidium copias, Reginæ in auxilium adventantes, profligat. Poſt *Ferdinandi* auxiliarem Cæſaris exercitum, Duce Caſtaldo, accerſit, Reginámque adigit, ut Tranſylvaniam *Ferdinando* cedat, & Coronam ac Inſignia Regia, Legatis ejuſdem tradat, uti & arces cunctas, quæ ſuo nomine poſſidebat. Regina igitur invita, Tranſylvaniâ excedit, Caſſoviæque interim aliquamdiù ſubſiſtit. Interea juſſu Solymani, Mahometes Beglerbegus, expeditioni Pannonicæ ſe accingit, ut Reginam cum filio reducat in Tranſylvaniam, qui ex itinere Chanadinum, aliáque complura caſtella, ſine cœde, & ſangvine ſuorum, in poteſtatem Solymani redigit. Mox & Lippa, turpiter à noſtris deſerta, hoſtium juri cedit. Idem Mahomet, Temeſvarinum obſidione cingit, ſed cùm præſidiarij fortiter ſe tuerentur, decimo quarto die ab inchoata obſidione recedit, & caſtra Belgradum reducit. Poſt cujus diſceſſum, noſtri Lippam obſident, nec ſine magna difficultate capiunt. Oriuntur interim inter Caſtaldum, & Georgium Monachum, jam in Cardinalium collegium ſuſceptum, & ad Archi-Epiſcopatûs Strigonienſis dignitatem evectum offenſiones varijs ex cauſis, & Georgius à Caſtaldo inſidijs circumventus, è vivis, per ſicarios, tollitur.

1551. Solymanus, violatas inducias à *Ferdinando* Cæſare, per occupatio-

pationem Transylvaniæ, & ejectionem ex illa Isabellæ Reginæ, interpretatus, novam in Transylvaniam parat expeditionem, & vicissim *Ferdinandus* Cæsar, supplementa exercitûs conscribit, ac novas insuper legiones conducit, cunctáque ad bellum necessaria diligentissimè curat, dum interea Isabella dote à Ferdinando acceptâ, & persolutâ, Cassoviâ in Silesiam iter intendit. Eodem anno, nostri Szegedinum ex insidijs occupare conantur, & quidem oppidum feliciter ex improviso capiunt, sed dum Hajdones Hungari civitatem diripiunt, & spolijs prædísque intendunt, ac vino se ingurgitant, *Aly* Budæ Præfectus superveniens, nostros adoritur, magnáque clade cædit, fugat, aut in diram servitutem redigit, atque in signum reportatæ victoriæ, quinque millia nasorum, ex cadaveribus nostrorum abscissorum, cum quadraginta vexillis, multísque captivis, Bizantium mittit.

1552. Castaldus, Cæsarei exercitûs in Transylvania Ductor, Statibus, & Ordinibus illius Provinciæ, *Ferdinandus* verò Rex Hungaris, Posonium Comitia indicunt. Aly Eunuchus, Wesprimium obsidet, atque etiam ignaviâ & proditione præsidiariorum, paucos intra dies occupat. Elias Moldaviæ Vajvoda cum Walachis & Turcis, Transylvaniam, longè latèque vastat, sed dum domum redire parat, ab insequentibus nostris, prædâ omni receptâ, non sine cæde suorum, pro merito mulctatur. Adulto dein vere, Ahometes, cum Mahomete Beglerbego Temesvarinum expugnant, Lippámque, Solmosiam, Chanadinum, aliaque fortalitia interjacentia occupant. His tantis progressibus hostium visis, *Ferdinandus* copias militares in unum corpus colligit, ijsque Erasmum Tejffelium præficit, sed is infeliciter prorsus cum ijsdem confligit, amisso siquidem exercitu, ipsemet captus, cum cæteris captivis, & quadraginta militaribus signis, Constantinopolim mittitur. Animati his successibus Ahometes & Aly Eunuchus, eodem anno Szolnokum invadunt, & capiunt, mox etiam Agriam obsidione cingunt, sed fortitudine propugnantium, postquam supra duodecim millia ferrearum ingentis ponderis pilarum, in eadem insumpsissent (non numeratis minoribus falconum, & colubrinarum pilis) eandem solvêre, *Ferdinando* præsidiarios, ob rem bene gestam, liberaliter remunerante.

1553. Legati à *Ferdinando* Cæsare pro pace concludenda, ad Solymanum mittuntur, qui, barbarâ arrogantiâ, duriùs ab eo excipiuntur & habentur, ac demum rebus infectis redire jubentur. Interim Ulumanes Bosniæ Præfectus, repetitas facit excursiones, & aliquot minora fortalitia in potestatem suam redigit. Eodem anno Turcæ, Duce Hamon, & proditore quodam Æthyope, Filekinum fraude, & dolo intercipiunt. Demum comitia à *Ferdinando* Cæsare, Sopronium indicuntur, & celebrantur, in qui-

in quibus Thomas Nadasdius, Palatinus creatur, & Archi-Episcopatus Strigoniensis Nicolao Olaho, à *Ferdinando* confertur, Doboni verò, adjuncto eidem Kendio, Præfectura Transylvaniæ committitur.

1554. Solymanus, minaces ad Dobonem dat litteras, quibus ei & reliquis Proceribus, seriò mandabatur, ut ejectis ex Transylvania Germanis, Isabellam cum filio, in Provinciam reducat.

1555. Tvikonus, Budæ Præfectus, Hajdonum rapinis commotus, Caposvarinum invadit, & à nostris metu consternatis desertum, occupat, & mox etiam Babocziam deditione capit.

1556. Solymanus Turcarum Imperator, Szigethum in suam potestatem redigere intendit, illiúsque expugnandi curam Aly Eunucho Vezírio committit, qui prompto alacríque animo, & non sine ingenti fastu, hoc onus in se suscipit, nec diù moratus, cum magno Janicerorum, & equitum prætorianorum numero, Belgradum venit, & ad omnes limitum Præfectos, qui in Bosnensi Regno, ac Dalmatiâ, & Illyrico, Pannoniæque ac Transylvaniæ finibus erant, mandata dat: ut Quinque Ecclesias milite & armis quàm optimè instructi conveniant, ibique exertitui suo se conjungant, quô facto motis castris munitionem obsidione cingit, structísque aggeribus, eandem acriter tormentis diverberat. Interim Thomas Nadasdius, Hungariæ Palatinus, ad liberandam Szigethi obsidionem, Baboczium Turcarum præsidium circumvallat, & quatuor continuis diebus, magnâ vi oppugnat, mox Aly Eunuchus, Szigethianâ obsidione intermissâ, Baboczianis subsidio accurrit, atróxque prœlium cum nostris committit, in quo Turcæ vincuntur, & in fugam conjiciuntur. Nec sic tamen de cœptis rebus desperat Aly Eunuchus, sed denuo obsidionem Szigethianam repetit. Verùm multis irritis conatibus fractus, auditóque Ferdinandi Archiducis, *Ferdinandi* Regis filij cum exercitu adventu, tandem obsidione solutâ, inglorius exercitum suum, amissis suorum in diversis cum nostris certaminibus, non paucioribus decem millibus, Bizantium reducit. Ferdinandus quoque Archi-Dux Babocziâ crematâ, & parte quæ ab incendio intacta restabat, sulphureo pulvere disjectâ, & Corethnâ arce vi captâ, Szigethíque ruinis reparatis, ac propugnatoribus collaudatis, & bene remuneratis, copias ad hyberna dimittit, ipse verò Viennam ad Patrem redit, ab eóque blando lætóque animo excipitur. Deteriore fortunâ Duces in Transylvania, & superiori Hungaria, belli consilia agunt. Nam qui occultè Reginæ viduæ, ac filio ejusdem Joanni Sigismundo Zapolyano favebant, partim spontè, partim svasu Petrocij, ad arma convolant, seditionémque movent, & hac vix à Tahio repressâ, Proceres Transylvaniæ, novâ inter se factâ conspiratione,

à *Ferdi-*

à *Ferdinando* deſciſcunt, ac Reginam Iſabellam, ejúſque filium in Provinciam revocant, unde novum bellum Tranſylvanicum, quod multo poſtmodum tempore duravit, exoritur. Caſſovia fortuito incendio tota ferè conflagrat.

1557. Arx Conſtanitza in Croatia, Turcis opportuniſſima, ex qua non multòpoſt, omnis illa inter Hunam & Colapim regio, in ſolitudinem redacta eſt, incertum negligentiâ ne ac diſcordiâ, vel fraude ac proditione Præfecti ejuſdem, ab Aly Baſſa Boſniæ Præfecto capitur. Ferhates, qui Aly Baſſæ in Præfectura Boſniæ hoc anno ſucceſſerat, ſucceſſu anteceſſoris ſui elatus, trajecto Savo, partem illam Sclavoniæ, quæ Zagrabiæ adjacet, igne, ferróque vaſtat, ac populatur, ſed à noſtris, eum jam cum præda reducem inſequentibus cæditur, & dimidiâ ſuorum parte amiſsâ ægrè ipſemet, nec ſine vulnere evadit. Comitia Poſonium, à *Ferdinando* Rege indicuntur, ex quibus Legati Ratisbonam, pro petendis auxilijs contra Turcam expediuntur, quæ etiam amplæ, à Principibus & Ordinibus Imperij adpromittuntur.

1558. Solymanus, reductâ in Tranſylvaniam viduâ, ejuſdémque filio Joanne Sigiſmundo Zapolyano, factus voti compos, ſpe induciarum, Busbequium Legatum *Ferdinandi* Regis, Conſtantinopoli retinet, remiſſis alijs duobus, Antonio Verantio, & Franciſco Zaio. Interim *Ferdinandus*, à ſeptem viris Electoribus, Francofurtum congregatis, Imperator agnoſcitur. Et Carolus V. ejuſdem frater, ſpontaneâ reſignatione Imperij, & tot Regnorum, alijſque glorioſè geſtis rebus clarus, è vivis decedit.

1559. *Ferdinandus* Imperator, Ordinibus Imperij Auguſtam, & Hungaris Poſonium, comitia indicit, & illis quidem ipſemet præeſt, his autem Maximilianum filium, Regem Bohemiæ præficit, quæ magnis querelis & clamoribus fuêre ſatis turbulenta, ob militum regiorum graviſſimas inſolentias. Solutis his Comitijs, Tata arx abſente ejuſdem Præfecto, ab Hamſa Turca ex inſidijs intercipitur. Duces Iſabellæ Reginæ, novos tumultus moliri tentantes, à Telekeſſio profligantur, copiæque eorum diſſipantur. Multa præterea præclarè agit & operatur idem Telekeſſius, pro parte ac commodo *Ferdinandi*, in ſuperioribus partibus Hungariæ, arcibus & caſtellis aliquot eorum, qui Iſabellæ adhærebant, ereptis, & nonnullis Magnatibus, quà conſilio, quà minis, ad fidelitatem Cæſaris reductis, ac demum Turcarum quoque populationibus repreſſis, verùm Caſſoviam reverſus in morbum incidit, & magno dolore omnium, paucos poſt dies, annum tertium & ſexageſimum agens, extingvitur.

1560. Iſabella, Inter-Regis Joannis vidua, ejuſdémque mater, Bona Polo-

Poloniæ Regina, obeunt, hæc in natali ſolo Apulia, illa verò in Tranſylvania, cùm vel maximè conaretur ſibi, ſuóque filio, *Ferdinandum* Imperatorem reconciliare, & fœdus cum eodem ſancire, quod ipſum poſtmodùm & ipſe Joannes Sigiſmundus, mediante Poloniæ Rege Sigiſmundo, qui hunc in finem Nicolaum Prerembium, Archi-Epiſcopum Gneſnenſem ſubmiſerat, inſtanter adurget, ſed cùm conditiones Cæſari iniquæ eſſe viderentur, rebus infectis, Legati in Tranſylvaniam revertuntur.

1561. Moldavia, auctore Jacobo Heraclide Deſpotà, ex improviſo perturbatur, cui Vajvoda Alexander, Provinciâ cædere, & deſperatis rebus, Conſtantinopolim ſe recipere cogitur. Ferdinandus Cæſar, Maximilianum filium, ſucceſſorem ſibi in Hungaria declarare conſtituit, id tamen hâc vice à Proceribus Hungariæ, repugnante plurimùm Thomâ Nadaſdio, Palatino, impetrare non potuit. Legati à Cæſare & Hungaris, ad Concilium Tridentinum deputantur, Georgius Draskovicius, Epiſcopus Jaurinenſis, Joannes Coloſvarius Cſanadienſis, & Andreas Duditius Tininienſis, Epiſcopi. Thomas Nadaſdius, Regni Hungariæ Palatinus, peſtilenti, ac repentinâ febre correptus, moritur.

1562. Inter *Ferdinandum* Romanorum, & Solymanum Turcarum, Imperatores, octennales induciæ concluduntur. Interim Joannes Sigiſmundus Zapolyanus, in Tranſylvania novas res molitur, ſed à noſtris Ducibus Zaio & Balaſſio prævenitur, & dum cum Cæſareanis Duce Nimethio, congredi audet, in tantùm ejuſdem Exercitus atteritur, & diminuitur, extremèque ruinatur, ut ipſemet hàc clade auditâ, timore perculſus, in Poloniam profugere cogitaverit, niſi à ſuis animatus, & in ſpem novam erectus fuiſſet. Verùm mox auctus Turcicis auxilijs, Szakmarinum obſidet, & cùm noſtri é contra Szeczeninum circumvallant, à Haſan Filekienſium Turcarum Præfecto, mirâ celeritate, vincuntur, fugantur, & diſſipantur. Hanc tamen cladem Comes Nicolaus Zrinius, Szigethi ſupremus Commendans, Turcis non diù poſt refundit ac reddit ad Dravum fluvium, Arslane cum ſuis in turpem fugam adacto, & in fuga multis hoſtium, quà cœſis, quà captis. Interim & Tranſylvani ac Turcæ, à Szakmarienſi obſidione, rerum neceſſariarum inopià preſſi, ſine optato ſucceſſu, diſcedunt. Dum hæc in Hungaria, & Tranſylvania, alternante belli & victoriæ vices fortunâ geruntur, Maximilianus incredibili Patris lætitiâ, in Regem Bohemiæ, & mox Francofurti, in Regem Romanorum eligitur, ac coronatur, intérque eum ac Turcarum Imperatorem, octennales induciæ confirmantur.

1563. Idem *Maximilianus*, in Regem Hungariæ Poſonij, ſacrâ Co-

ronâ redimitur. Moldaviæ res turbulentiſſimæ, ob Vajvodarum iteratas mutationes, Walachorúmque inconſtantiam, ac mutuas proditiones.

1564. *Ferdinandus I.* Rex Hungariæ, & Imperator Romanorum, ſanctiſſimè obit. Tumultibus à Tranſylvanis excitatis, res Hungariæ turbantur, & in apertum bellum exardeſcunt; à *Maximiliano* Rege, proinde exercitus novus comparatus, Duce Lazaro Svendio, in Tranſylvaniam mittitur.

1565. Svendius exordio ſuæ expeditionis, Tokainum obſidet, & octavâ die capit: mox etiam Szakmarinum ab hoſte metu deſertum, occupat, & novâ munitione, in inſula erectâ, firmat. Rivulum quoque Dominarum, deditione recipit: quibus viſis Joannes Sigiſmundus, pacem antiquis conditionibus, haud tamen ſyncero affectu (ut poſtmodum eventus docuit) petit, atque etiam impetrat. Sub idem tempus quo hæc geruntur, in ſuperiori Pannonia, haud leve detrimentum in Illyrico à Turcis infertur. Muſtapha enim Boſnenſis Turcarum Præfectus, Crupam arcem in ulteriori Unæ fluminis ripa ſitam, obſidione cingit, & poſt viginti quinque dies, præſidiarijs fortiter ſe tuentibus, adeoque omnibus ad unum cœſis expugnat, & paulò poſt alteram quoque arcem Novium, pari ſucceſſu, in ſuam poteſtatem redigit, ac demum majora arroganti animo volvens, cum ſeptemdecim millibus ad totam illam partem Illyrici, quæ eſt inter Chriſium & Capronczam, ferro, ignéque vaſtandam, & depopulandam, animum adjicit, ſed à Comite Petro Erdôdio, cum magna ſuorum clade, cæditur, & fugatur. Interea Legati Cæſarei Bizantio redeunt, quibus Solymanus adjungit Hidajetem Scribam, ac Interpretem ſuum, eâ lege ſe pacis conditiones ſervaturum adpromittens, ut Tokaium Tranſylvano reſtituatur, & annuum munus honorarium, primo quoque tempore ſibi mittatur: ſed utrumque Cæſar facere abnuit. Inter hos pacis tractatus cum Turca, à Joanne Sigiſmundo quoque Legati Polonici, & Tranſylvanici, Viennam ad Cæſarem, pro firmanda pace mittuntur, ſed fide rurſus fictâ, propoſitis Cæſari novis, & præjudicioſis conditionibus; unde Cæſar, Svendianis conditionibus ſe inſiſtere reſpondens, Legatum quidem Polonicum honorificè remittit, Tranſylvanicum verò, uti aſtutæ prævaricationi obnoxium, in cuſtodia detineri mandat. Quo facto offenſus Joannes Sigiſmundus, advocatis in auxilium Turcis, arcem Jenô vi, Desôvium autem & Vilagoſvarinum deditione occupat, mox junctis ſuis cum Turcicis copijs, caſtra Svendiana, ad Szakmarinum poſita, irrito tamen conatu oppugnat: poſt irritum hunc conatum, Turcæ & Tranſylvani, ad obſidendam arcem Erdôdium, caſtra promovent, quam initiò quidem præſidiarij

diarij ſtrenuè propugnant, poſtmodum tamen incolumitate promiſsâ, eandem dedunt, ſed fide læsâ à Turcis contrucidantur, Erdôdio capto & everſo, Huſanes, cum viginti quinque Turcarum millibus, rurſus ad caſtra Svendiana oppugnanda regreditur, & quidem Svendius de ſumma rerum, prœlio cum hoſte decernere ſtatuit, ſed intervenientibus utrinque impedimentis, levioribus duntaxat prœlijs certatur, & ingruente jam hyeme, copiæ utrinque dimiſſæ, ad hyberna redeunt.

1566. *Maximilianus* Cæſar, de Solymani ingentibus belli apparatibus certior factus, Auguſtam, Ordinibus Imperij, Poſonium verò Hungaris comitia indicit, & illis quidem ipſe præeſſe vult, his verò Carolum fratrem præficit, in utriſque de illis rebus, quæ ad ſuſtinendum tam formidabile imminens bellum requiruntur, conſultaturus. Et quidem in Auguſtano conventu, non ſine ſumma omnium totius Germaniæ Ordinum alacritate, magna peditum equitúmque auxilia, utpote quinquaginta ſex millia adæquantia, Cæſari ſunt adpromiſſa; in Hungaria pariter, decreta ſunt, quanta afflictæ vires opéſque ferre poterant, pecuniaria ſubſidia, ſimúlque ſancitum: ut ſecundùm antiqua nobilitatis inſtituta, præſenti in caſtris Cæſari, quiſque pro virili præſtò adeſſe contendat. Solymanus igitur à Tranſylvano, & Arslane Budenſi Vezirio, aſſiduis ad bellum nuncijs inſtigatus, initio Junij, ſuperbiâ ac furore actus, Bizantio diſcedit, ac inde lentis itineribus, Adrianopolim pervenit, ac iſthic Pertaffum purpuratum ſororis ſuæ filium, cum duobus Janicerorum millibus, ac viginti quinque millibus promiſcui ordinis militibus, in Pannoniam præmittit, Tranſylvanis verò & Tartaris, Szakmarinum, aut Tokainum oppugnanda demandat, ipſe verò Agriam vel Szigethum ſibi invadenda deſtinat. Neque Pertaffus longas moras trahit, ſed quarto Nonas Julias, Gyulam arcem obſidione cingit. Dum verò hunc in modum Gyula lentè oppugnatur, Solymanus cum potiori parte exercitûs Belgradum pervenit, quem ibidem Joannes Sigiſmundus, cum ſplendido comitatu adit, cum eóque colloquitur, ſed nec indonatus ab eodem ad ſuos revertitur. At dum Solymanus, ad expugnandam Agriam, cum exercitu ſuo movet, Mahometes Boſniæ Præfectus, ad Sicloſiam, à noſtris Szigethianis, inopinato impetu oppreſſus, cæditur. Cujus clade irritatus Solymanus, omiſsâ Agriæ obſidione, caſtra Szigethum promovet, & Pertaffus interea deditione Gyulam capit, ac mox etiam Jenô arcem â noſtris relictam occupat. *Maximilianus* Cæſar, cum Ferdinando fratre decimâ quintâ Auguſti, cum prætorianis, Viennâ, ad ſua caſtra Ovarienſia diſcedit, in quibus ſupra centum equitum ac peditum ſimul numerabantur millia, & promotis copijs, caſtris locatis, ad Jaurinum conſidet. Joannes

Sigismundus, sub idem tempus Tokainum cum Tartaris obsidet, atque hi excursione factâ Saros-Patakinum & Munkaczium versùs, plurima hominum millia, in diram abducunt servitutem. Neque otiatur Solymanus, sed Calendis Augusti, cum tota mole copiarum, quæ ad centum millia equitum, præter Janiceros, & Asapos pedites constituere ferebantur, Szigethum oppugnare inchoat, eámque oppugnationem strenuissimè continuat, quæ tamen munitio virtute maximâ, à Comite Nicolao Zrinio propugnatur, ac hostes cum ingenti strage suorum, semper rejiciuntur. Dum interim Solymanus, Alvi profluvio in ipsis castris extingvitur; Mahomete supremo Vezirio ejus mortem celante, pergit acerrima oppugnatio, donec octavâ Septembris, arx quoque interior, ignibus injectis, totaliter incenditur, quo instanti temporis, Mahometes invadendæ arci, signum dari jubet. Quod cùm vidisset Comes Zrinius, desperatis tandem rebus, ad mortem heroicè, & forti animo oppetendam se adornat, atque animatis suis, qui adhuc supererant, apertâ portâ, & tormento, cum sexcentorum hostium strage disploso, fortissimè in Turcas irruit, glorioséque duobus ictibus trajectus, occumbit; cœteri quoque ejusdem commilitones, barbarorum multitudine circumventi, eodem vestigio conciduntur. Perijsse autem tota in ea obsidione, ac diversis oppugnationibus, viginti millia hostium perhibentur. Mahometes supremus Vezirius, hâc ratione expugnato Szigetho, factâ priùs crudelissimâ usque ad Canisam, & trans Arabonem fluvium depopulatione, exercitum & cadaver Solymani, Bizantium deducit. Joannes Sigismundus quoque, auditâ Solymani morte, solutâ obsidione Tokaini discedit, & Tartarorum excursiones, nonnisi prœlio cum illis commisso, sistit & inhibet, demum Cæsar quoque lustrato Comaromio, Viennam extremâ Octobris redit.

1567. Hunc in modum transacto magno quidem bellico apparatu, sed effectu eidem minùs correspondente priori anno, præsens annus pariter, sine notabilibus operationibus, tam ex nostra, quàm ex hostium parte præterijt. Svendius enim exercitûs Cæsarei in superiore Hungaria Ductor, satisfacturum se suo muneri existimabat, si arces Bebeci, qui partes Joannis Sigismundi sequebatur, in Cæsaris redigeret potestatem. Et quidem Szenderőnem, per præsidiarios Cæsareos, qui in ejus oppido agitabant, & quibus liber ad arcem patebat accessus, facilè & ex improviso occupat. Mox Szádvariam acri obsidione premit, & tandem expugnat, tandem & Munkaczinum, ignaviâ Præfectorum ejusdem, deditione obtinet, verùm Husti oppugnandi consilium, Turcicis & Transylvanicis subsidijs deterritus, omittit, reductóque exercitu, Cassoviam redit. Hassanes verò

verò Temesvarienſis, cum ſuis Turcis, arcem Dedeſſam obſidet, quam etiam non ſine ſuorum ſtrage obtinet, indéque Putnokum, & alia minora caſtella occupat, ac demum flammâ, ferróque Agriæ, Tokaini, & Caſſoviæ regiones depopulatur ac vaſtat, ſpectante Svendio, nec cum hoſte congredi auſo. Joannes Sigiſmundus autem arcem Kővariam obſidet, eámque vi expugnat, mox ad Rivulum Dominarum caſtra promovet, & urbeculâ quidem dedentibus ſe mox civibus, facili negotio potitur, ſed arcem & munimentum, quod erat in angulo mœniorum, ad ſolis occaſum, à noſtris exſtructum, & præſidio firmatum, nonniſi cum ingenti cœde ſuorum obtinet, atque in ijſdem caſtris, inteſtinorum doloribus correptus, lecticâ domum defertur. Interea *Maximilianum* inter & Selymum Imperatores, octennales induciæ concluduntur, & publicantur.

1568. Joannes Sigiſmundus, quietis & pacis oſor, multis, & ingentibus pollicitationibus, Magnates & Proceres Hungariæ, ad defectionem à Cæſare ſolicitat, & à non paucis etiam aſſenſum impetrat. Verùm conſpiratione detectâ, Cæſar Poſonium indictis Comitijs, totam ſeriem conjurationis regnicolis proponit, ac detegit, & nonnullos ex reis cuſtodiæ tradi jubet, reliquis verò conjuratis, pro ſua benignitate veniam dat, culpámque condonat, eóſque in priſtinam recipit gratiam.

1569. Fuit hic, ut præcedentes duo, annus multorum clariſſimorum virorum funeribus per Regnum Hungariæ inſignis. Quos inter fuit Melchior Balaſſius, vir utrâque fortunâ clarus, & ſtrenuus belli Dux, Franciſcus Zaijus, pacis bellíque artibus, ac laborioſâ ad Solymanum Legatione celebris: Gabriel Perénius, cujus opulentiſſima ditio, cùm nullo hærede relicto deceſſiſſet, in fiſcum redacta eſt; Chriſtophorus Orſzagus, qui pariter ſine ullis hæredibus mortuus, ampliſſima bona, eidem Fiſco regio reliquit: Stephanus Banffius Lindvanus, Georgius Bebecus, illuſtri familiâ ortus, qui maleſanis conſilijs abductus, à Cæſare, ad Joannem Sigiſmundum deſciverat, cujus ſimiliter arces & bona, (ſiquidem nullos mares liberos reliquiſſet) quæ ſub Cæſare erant, & pro quibus tantopere armis certatum fuerat, Cæſaris Fiſco ceſſerunt. Atque in his tribus viris, Orſzagorum, & Bebecorum, ut vetus, ita illuſtris familia, & progenies defecit, ſicut & Pereniorum præcipua linea.

1570. Annus hic, inſolitâ fame, & rerum omnium terrâ naſcentium, ſterilitate & penuriâ, ingratam ſui memoriam reliquit, ſic, ut multa millia agricolarum & inopum, ex eo, quòd frugibus carerent, ad inuſitata conficiendi panis ac eduliorum genera adigerentur: exindéque fieret, ut varij

demum pestilentésque morbi vulgo emergerent, quibus maxima pars mortalium, promiscui sexûs, passim interiret.

1571. *Maximilianus* Cæsar, & Rex Hungariæ, à Principibus Christianis, contra Turcas confœderatis, & contra eosdem ad Echinadas Insulam gloriosè triumphantibus, solicitatur in societatem ejusdem belli ac fœderis, verùm is prudenter advertens, fœdus hoc non diù duraturum (uti postea eventus docuit (ne Turcarum vires & arma, in se unum converteret, in proposito conservandæ pacis, cum Selymo non pridem initæ, constans permanet. Joannes Sigismundus quoque Transylvaniæ Princeps, societatis Turcicæ, & belli incommodorum pertæsus, pacem cum *Maximiliano* init, & eodem anno moritur, ætatis trigesimo secundo, die decimâ sextâ Martij. In cujus locum, à Regnicolis Stephanus Bathorius eligitur, & ab utroque Cæsare, in Principatū illo confirmatur.

1572. Sigismundus Poloniæ Rex, absque hærede obit. Vilis quidam homuncio Gregorius Niger, somnijs suis, & simulatâ vitæ austerioris professione, in superiori Hungaria, novos tumultus concitat, magnâ hominum, etiam armatorum multitudine ad eum confluente, sed à Debreczinensibus comprehenditur, & publico supplicio afficitur. *Rudolphus Maximiliani* Cæsaris primogenitus, in Regem Hungariæ eligitur, & vigesimâ quintâ Septembris, consvetis cæremonijs, Posonij coronatur. Henricus, Dux Andegavensis, frater Caroli IX. Regis Galliarum, à Polonis in Regem eligitur.

1573. Judicia Octavalia Eperjesinum indicuntur: in quibus Antonius Verantius, Archi-Episcopus Strigoniensis, qui ijsdem præerat, tanquam Locumtenens Regius, moritur, ac eidem in officio Locumtenenentiæ, Stephanus Radetius, Episcopus Agriensis substituitur. Palatinatûs officio interea vacante. Civitas Canisiensis ex insidijs, à Turcis nocturno tempore invaditur, ac crudeliter diripitur. In Croatia concitatur seditio rusticorum, contra Nobilitatem, authore quodam Gubecio, sed maturè sopitur, quamvis non sine armis, ac multorum cæde eorundem, immaníque Gubecij Ducis ipsorum, supplicio.

1574. Carolus IX. Rex Galliarum obit, cujus mortis audito nuncio, Henricus Rex Poloniæ, clàm elusis Polonis, discedit in Galliam, fratri in Regno successurus. Moldavia denuò turbatur, cæso perfidè à Turcis Joanne Vajvodâ, qui Bogdano legitimo successori, Principatum illum fraude ademerat. Selymus Turcarum Imperator, apoplexiâ correptus, interit, succedit eidem Amurathes filius.

1575. *Rudolphus* Rex Hungariæ, Ratisbonæ Romanorum Rex creatur.

tur. Pars magna Polonorum Procerum, quorum Princeps erat ipſe Archi-Epiſcopus Gneſnenſis, *Maximilianum* Cæſarem eligit in Regem, pars tamen altera factionis Sborovianæ ſcilicet, prævalet, & Stephano Bathorio Principi Tranſylvaniæ, Coronam & Regnum Poloniæ defert, à cujus acceptatione Cæſar, utpote à potiore parte Procerum in Regem electus, Bathoreum primò per Legatos adhortatur, dein Bequiſſium, Bathorei æmulum, ad occupandam, aut ſaltèm perturbandam Tranſylvaniam ſubmittit. Sed Bathoreus adhortatione Cæſaris rejectâ, Bequeſſio devicto, Provinciam Chriſtophoro fratri, cum ſumma poteſtate conſignat, ipſe verò in Poloniam ſplendido apparatu iter ſuſcipit.

1576, Stephanus Bathoreus, Cracoviæ in Regem Poloniæ coronatur, & Anna Jagelonica, Sigiſmundi primi filia, ac Secundi ſoror germana, eidem matrimonio jungitur. Dum Cæſar Ratisbonæ, comitijs peragendis vacat, Turcæ levi ex cauſa, à Joanne Balaſſio irritati, non obſtantibus inducijs, arcem Plauenſtanium, ac dein etjam Devénium, & Simontornya, vi & armis, in Hungaria occupant; ſed & in Illyrico, caſtella aliquot, (in quibus & Zrinium, Comitum Zrinianorum Natale domicilium) eâdem perfidiâ, poteſtati ſuæ ſubjiciunt. Interim *Maximilianus* Cæſar, & Hungariæ Rex, in ijſdem Comitijs Ratisbonenſibus obit, quarto Idus Octobris, anno ætatis undequinquageſimo.

1577. Carolſtadium, ad reprimendas Turcarum excurſiones excitatur.

1578. Poſonienſia Comitia à *Rudolpho* Cæſare, & Rege Hungariæ, indicuntur.

1579. Nonnullas arculas & caſtella, noſtri in Illyrico, Turcis eripiunt, quæ Turcæ diſcedentibus noſtris rurſus recipiunt. Eodem anno, ibidem Alybegi Szigethienſis Turcarum Præfecti, copiæ à noſtris profligantur, Ducibus Georgio Zrinio, Balthaſare Battyanio, & Franciſco Nadaſdio.

1580. Satis pacatus hic annus fuit Pannoniæ, durantibus inducijs, & Turcis bello Perſico occupatis; non ita tamen, quin frequentiores excurſiones tam Turcarum in Chriſtianorum partes, quàm noſtrorum ad Turcicas ditiones fierent, in quibus plerumque Turcæ victi diſceſsêre.

1581. Comitia Regni Poſonium indicta, quibus Erneſtus Archi-Dux, Cæſaris nomine præfuit, rebus infectis (quod nunquam antea contigerat) diſſolvuntur. Caniſa de cælo fulmine tacta, magnâ ſtrage exuritur. Variæ Turcarum excurſiones, fortiter à noſtris reprimuntur, & novæ quoque in ditiones Turcicas inſtituuntur.

1582. Co-

1582. Comitia anno elapso dilapsa, redintegrantur, in quibus Nicolaus Istvanfius, in Pro-Palatinalem dignitatem, locò Emerici Czoborij, qui è vivis excesserat, à Cæsare, consentientibus omnibus Regni Proceribus, ac Nobilitatis, in Civitatum ablegatis, substituitur. Safvares Solnoki Præfectus, à nostris, ad arcem Onobiam profligatur. Celebrata est hoc anno Constantinopoli, maximo apparatu, Mahomet'sj Amurathi filij, annorum sedecim adolescentis, circumcisio, ad quam ferè omnes Monarchæ, & Reges, ac comprimis etiam Cæsar *Rudolphus*, invitati fuerant, varijs & admiratione dignis ludis & spectaculis exhibitis, per quadraginta integros dies. In quibus spectandis, cùm inter Legatos Galliæ, & Hungariæ Regis, orta controversia fuisset, de ordine & dignitate sessionis, altercatione ad Sinanum delata, qui tunc purpuratorum, ac Sultanici consilij Princeps erat, ita dirempta est: ut Regem Galliæ, clari quidem, haud dubiè & opulenti, unius tamen Regni esse Regem, Hungariæ, plurimorum Regem fuisse, adeoq; proinde huic præcedentiam tribuendam esse decreverit.

1583. Alia rursus Posonium Comitia indicuntur, quæ planè fuêre turbulentissima, Nobilitate acriter restitutionem suarum libertatum urgente.

1584. Hassanes Szigethi Præfectus, & Ferhates Bosniæ, partes nostras, graviter infestant, sed vicissim nostri, ijsdem, par pari referunt, eósque commodè armis reprimunt. Lazarus Svendius, & Ruberus, exercitûs Cæsarei in Hungaria summi Duces, è vivis excedunt.

1585. Georgius Draskovitius, Episcopus Jaurinensis, & Regni Hungariæ Cancellarius, vir doctus; ac vitæ morúmque sanctimoniâ ac pietate celebris, in Cardinalium Collegium, à Sixto V. Pontifice, cooptatur, & paulò post obit. Moritur hoc quoque anno Christophorus Bathoreus Somlianus, Stephani Regis Poloniæ frater germanus, cui ille Regnum Poloniæ adeptus, Transylvaniæ Principatum cesserat, relicto Sigismundo filio, circiter duodecim annorum juvene.

1586. Pestilentia summa sævit per Hungariam, insuper & terræ motus Posonium, Zagrabiam, aliáque loca Pannoniæ concutit. Hassanes Præfectus Turcarum Szigêthi, nostros populatur, & vicissim Palffius, Alba-Regalenses Turcas cædit. Stephanus Bathoreus gloriosus Rex Poloniæ, è vivis excedit.

1587. Nadasdius militari astu Copanium Turcarum Præsidium intercipit, ac simul diripit, sed vicissim nostri Ujvarino excurrentes, à Budensibus Turcis fœdè profligantur. Ac rursus Safvaris Szigethi Præfectus, dum Christianorum ditiones populatur, à nostris tumultuariâ manu collectis, &

ctis, & hosti occurrentibus, in turpem fugam conjicitur, duobus millibus suorum cæsis, ac totidem captis, ingentíque prædâ nostris relictâ.

1588. Nostri prælio ad Sixonem commisso cum Ferhate Budensi Vezirio, insigni prorsus potiuntur victoriâ.

1589. Nostri vicissim, temerè tentatâ fortunâ, à Strigoniensibus Turcis cæduntur. Turcæ post quindecim annorum gestum bellum cum Persis, fædus ac pacem cum ijs ineunt, bellúmque in Hungariam, contra Cæsarem, induciarum fide confisum, nefariè transferre statuunt. Ferhates Budensis Vezirius, à suis occiditur, eíque Hasanes in Præfectura substituitur.

1590. Terra, vehementi impetu, Viennæ, Posonij, Tyrnaviæque, & propinquis eidem locis, ac in Illyrico Zagrabiæ, & non procul à mari, Segniæ, non sine ingenti mortalium formidine, collapsis quoque ædificijs, concutitur.

1591. Sinanus supremus Vezirius, propositi sui tenax, Pannoniam bello invadendi, Hasani Bosnensi Bassæ in mandatis dat, ut cruentis excursionibus, ad Cæsareanos irritandos, adjacentes ditiones Christianorum infestet, quod dum is exequitur, & factâ in Illyrium irruptione, cum quinque millibus suorum ingentes prædas agit, à nostris Germanis, & Illyris ex finitimis arcibus in unum collectis, cùm jam onustus prædâ ad suos rediret, invaditur, & cæditur, sed recollectis viribus rursus excurrit, & Scisciam arcem Capituli Zagrabiensis, irrito licet conatu aggreditur. Alter verò Hasanes, Szigethi Præfectus, arcem Kis-Komaromiensem improviso impetu capit, quibus injurijs Erdôdius Croatiæ Banus, irritatus, *Montem Claudium* vicissim Turcis eripit.

1592. Idem Hasanes Bosnensis, Bihigium in Croatia, obsidione cingit, & deditione capit, ac Petriniam præsidium, contra nos erigit, insuper nostros ab Erdôdio Bano collectos, & erectionem fortalitij impedire volentes, magno ímpetu aggreditur, & multis cœsis, in fugam conjicit, atque hâc partâ victoriâ, Scisciæ obsidionem iterum repetit, cùmque eam in suam redigere potestatem non posset, totam illius viciniam ferro ignéque vastat, & depopulatur.

1593. Idem Hasanes Bosnensis, ingentem numerum militum ex omnibus præsidijs contrahit, & Scisciam denuò obsidet; interea Erdôdius & Equenpergius, collectis copijs suppetias ferunt, & acerrimo prœlio cum Turcis congrediuntur, & licet longè minores numero fuerint, insignem tamen victoriam de ijs reportant, cœsis hostium duodecim millibus, ipsóque Hasane Bosnensi interempto. Quâ clade Amurathes Turcarum Im-

 perator

perator auditâ, bellum Cæſari indicit, & Cæſar denunciatione belli acceptâ, mox exercitum cogit, Petriniámque obſidet. Interea Sinanes ſupremus Vezirius, adhibitâ ſuorum celeritate, cum exercitu Belgradum venit, nihílque moratus, filium ſuum Beglerbegum Petrinienſibùs ſubſidio præmittit, quem ipſe quoque cum reliquo corpore exercitûs ſubſequitur. Noſtris interea dilapſis, nec hoſtem expectare volentibus, aut etiam non audentibus; Turcæ non ſolùm Petriniæ obſidionem ſolvunt, verùmetiam Sciſciam occupant. Dein etiam Weſprimium, ac Palotam, in ſuam poteſtatem redigunt. Dum hæc geruntur, Cæſareus quoque exercitus, in unum coaleſcit, jam quadraginta circiter millia armatorum numerans, & Albam Regalem aggreditur. Mox obſeſſis Haſanes Budenſis Vezirius, opem adferre nititur, aciéque utrinque inſtructâ, cum noſtris aperto marte confligit, & diu ancipiti prœlio dimicatur, hoſtes tamen tandem vincuntur & fugantur, amiſſis ſuorum ſex millibus peditum, & quatuor millibus equitum. Obtentâ hâc victoriâ, noſtri ab obſidióne Alba-Regalenſi, ejus commodiſſimâ occaſione omiſsâ, inconſultè diſcedunt, domúmque reverti maturant. Sed & Sinanus ſupremus Vezirius, auditâ hâc ſuorum clade, Eſſecum revertitur. Ex alterâ verò parte Tiffenbachius, cum Simone Forgach, Stephano Homonaio, Bathorio, & Rakoczio, Sabatum caſtellum, à Turcis Filekienſibus, paucos ante annos, in Rimæ fluminis ripa, opportuno adversùs noſtros loco conſtructum, expugnant, & poſt, Filekinum quoque deditione capiunt, inſuper & auxiliares turcarum copias, Filekini obſidionem ſolvere volentes, profligant, compluréſque minores arces, partim deditione, partim metu noſtrorum, à Turcis deſertas, recipiunt. Sícque ad hyberna glorioſi diſcedunt.

1594. Annus hic initio Chriſtianis in Hungaria, fauſtus fuit, in medio, fortunæ ambiguæ, in fine fatalis ferè. Etenim Matthias Archi-Dux Erneſto fratri, ad gubernationem Belgij evocato, in Pannonici belli, nomine Cæſaris, Præfecturá ſuccedens, initio ſtatim anni, Viennâ Jaurinum profectus, de ſumma belli deliberaturus, ſolutis vix nivibus, Neogradinum obſidet, & tandem etiam expugnat. Poſt Duce Tiffenbachio, Hatvanum, & Strigonium inſuper obſidione cingit, Haſanem Budenſem, & Beglerbegum, Hatvano opem ferre conantes; cum ſuis copijs profligat. In Croatia pariter, Maximilianus Archi-Dux, Ducibus Comite Georgio Zrinio, & Sigiſmundo Herberſtainio, ac Friderico Trautmanſtorffio, Berſenſam, & Seguſium, Turcis metu noſtrorum dilapſis, occupat, & Bobociam deditione accipit, Dein & Petriniam, ac Sciſciam recipit. Verùm poſtmodùm adveniente Sinane Baſsâ, cum centum quinquaginta millibus, noſtri, tam Hatvani,

Hatvani, quàm Strigonij obſidionem ſolvere coguntur. Sinanes verò Baſſa, his non contentus, Jaurinum obſidet, atque etiam per deditionem occupat. Papam inſuper, aliaque vicina præſidia, in ſuam ditionem accipit. Dein Comaromium quoque acri obſidione cingit, ſed cùm audiret Matthiam Archi-Ducem novis copijs advenire, metu perculſus, eandem ſolvit.

1595. Sinanes cum triumpho Conſtantinopolim redux, & ab Amurathe magnâ benevolentiâ exceptus, animos majores aſſumit, exercitúmque reparat, denuò ſe regreſſurum, & majora adhuc præſtiturum, ipſámque Viennæ expugnationem, gloriosè ſibi, & Amurathi blandiendo pollicetur. Sed & *Rudolphus* Cæſar, ob amiſſum Jaurinum, non adeo perturbatur, quin eâdem infracti ardentíſque animi magnitudine, quâ bellum initiò ſuſceperat, generoſiſſimo conatu illud continuare quoque deliberaret. Primum igitur, cum Sigiſmundo Bathorio Principe Tranſylvaniæ fœdus init, illúmque à Turcica ſubjectione deſciſcere facit, deſponſatâ eidem Chriſtiernâ Caroli Archi-Ducis patrui ſui filiâ. Deinde hoc mediante, Moldaviæ quoque & Wàlachiæ Vajvodas, ad ſuas pertrahit partes, tum copias ſuas militares reſtaurat, eáſque auget, auxilia inſuper à Pontifice, & Hetruriæ Duce, quorum illa duobus millibus equitum, & octo millibus peditum, hæc verò tribus millibus peditum conſtabant, accipit, atque his omnibus Carolum Mansfeldium, exercitatiſſimum belli Ducem, è Belgio evocatum, ſummo cum imperio præficit. Qui ut Cæſaris, & omnium de ſe expectationi ſatisfaceret, Calendis Julij Strigonium circumvallat: Turcáſque obſeſſis opem ferre volentibus, Calendis Auguſti feliciter profligat, cœſis hoſtium quatuordecim millibus, cæteris fugatis, caſtríſque eorum direptis, verùm in hoc prœlio laborioſiſſimo, cùm viribus exhauſtus, ac ſitibundus, fructus varios avidè ſumpſiſſet, moleſtâ febri correptus, brevi cum magno luctu totius exercitûs, & Chriſtianitatis extingvitur. Quo mortuo, Matthias Archi-Dux, ad Exercitum advolat, & obſidionem ſtrenuè proſequitur, ac tandem Calendis Septembris, deditione capit. Mox Viſſegradum oppugnare inſtituit, & feliciter recipit, & quia frigidior autumnus jam præ foribus erat, ope divinâ rebus bene geſtis, dimiſſis, ac diſtributis per hyberna copijs, Viennam revertitur. Sub idem verò tempus, quo noſtri Strigonium oppugnant, Comes Georgius Zrinius, cum Joanne Sigiſmundo Herberſtainio, Babociam, mox & Petriniam felici ſucceſſu denuò occupant. Sed neque Sigiſmundus Bathorius otio tempus terit, nam Bóchciam, Varſocium, Totvardiam, Fadſatum, Lippam, aliáque complura loca fere ſine ſangvinis effuſione, Turcis eripit. Interea Sinanes Baſſa, magno àcto exercitu, Conſtantinopoli ſe movet, primòque Michaëlem Walachiæ Vajvodam

vodam aggredi, eandémque Provinciam, uti & Moldaviam, ac Transylvaniam, sub pristinum jugum submittere statuit. Verùm Michaël, acceptis à Transylvano debitis ex fœdere auxilijs, quibus Kiralius præerat, maturè adventum Sinani armis præoccupat, & primò Flocium opidum, haud procul à Nicopoli situm occupat, ac funditus diruit, dein Arsonam capit ac inflammat, & Silistriam Urbem amplam, haud dissimili detrimento afficit, insuper Achmatem Eunuchum, cum Turcis, Tartaris, & Bulgaris, sibi obviam venientibus, fundit, fugátque, Bugarestrámque ovans regreditur. Interea Sinanes Bassa in Walachiam advenit, & Bugarastam ac Tergostam facilè occupat, Michaële de industria cum exercitu & Kiralio, se ad Alpes recipiente, donec Sigismundus Bathoreus, cum suis copijs, Germano quoque equitatu à Cæsare submisso, unitis, ac Moldavi quoque adessent. Sinan Bassa his intellectis, Bugarestram se recipit, quem Sigismundus cum Michaële, ibidem plenis castris aggredi decernunt: sed Sinanes metu perculsus, fugâ inde se proripit, fugientem insequuntur nostri, & assecuti adhuc magnam partem exercitûs, eundem fundunt, cædunt, ac mergunt, ingentíque prædâ receptâ, & multis Christianis è servitute liberatis, domum læti revertuntur.

1596. Sigismundus Bathoreus Transylvaniæ Princeps, Pragam ad Cæsarem venit, eíque duo difficillima, & maximè ardua negotia suppliciter proponit: unum de permutanda, Cæsaríque reddenda Transylvania, alterum de insperato conjugis divortio. Sed Cæsar utrumque, quòd longiori egeret consilio, ac deliberatione, in aliud tempus rejicit, eúmque bene in Turcas animatum, subsidijsque, exercitu, tormentis, pecuniâque ad stipendia, jure fœderis cumulatum, benevolè in Provinciam remittit. Appetente hujus anni vere, Clissiam, ante sexaginta annos à Turcis occupatam, in Dalmatia, nostri astu occupant, quam tamen Turcæ rursus ad Calendas Junias obsidione premunt, & recipiunt. Lippam quoque superiori anno à nostris receptam, frustra tentant, sed vicissim & Sigismundus Bathoreus Temesvarinum irrito conatu obsidet, Turcas tamen & Tartaros insigni clade profligat. Memorabilis quoque hic annus fuit oppugnatione Petriniæ, quam Achmad Eunuchus, copioso exercitu obsederat, sed nostris succurrentibus, in turpem fugam conjicitur, & devincitur. Interim Maximilianus Archi-Dux Hatvanum obsidet & expugnat, Vaciam quoque à Turcis desertam recipit. Mahometes Turcarum Imperator, cum ducentis millibus, in Hungariam venit, & Agriam oppugnat, & præsidiariorum ignaviâ deditione capit. Maximilianus Archi-Dux cum Mahomete acriter confligit, in quo prœlio, primò nostri victores evadunt, sed cùm prædæ

partæ


partæ inhiant, Turca resumptis animis revertitur, exercitúmque nostrum turbat & fugat: periêre hoc in prœlio, quo nullum acrius ac magis cruentum eâ tempestate fuit, decem millia ex nostris, ex hostibus verò viginti millia, sícque fine huic anno imposito, Mahometes Constantinopolim revertitur, Maximilianus verò Viennam, indéque Pragam ad Cæsarem se confert.

1597. Sigismundus Bathoreus Transylvaniæ Princeps, cum splendido comitatu, Pragam ad Cæsarem venit, eíque Transylvaniam, utpote antiquitus ad Hungariæ Coronam spectantem, his conditionibus resignat: ut Cæsar eidem Principatum Oppolitanum in Silesia redderet, & quotannis quinquaginta millia aureorum penderet. Interim Maximilianus bellum in Hungaria redintegrat, & Papam adoritur, ac tandem deditione capit, mox & Jaurinum oppugnat, sed adventu Turcarum sub Mahomete Satergi, obsidione relictâ, ad Comaromiensem Insulam se transfert, quam Turcæ maximo numero acerrimóque impetu aggrediuntur, sed fortissimè rejiciuntur, Coloniczio, Nadasdio & Palffio, rem strenuè agentibus. Unde Mahometes castris motis, Pestum exercitum reducit, Maximilianus similiter dimissis copijs Viennam redit. Interea Sigismundus Bathoreus, denuò Temesvarinum oppugnat, sed irrito rursus conatu, nam post quadragesimam oppugnationis diem, eandem relinquere cogitur.

1598. Rudolphus Cæsar, Comitia Ratisbonam Germaniæ Principibus, & Hungariæ Proceribus Posonium indicit, atque illis Matthiam Principem fratrem, his verò Maximilianum Archiducem præficit. Sigismundus Bathoreus, Cæsari Transylvaniam tradit, ipséque in Silesiam contendit, & Maximilianus Archi-Dux ad capessendam eam Provinciam à Cæsare mittitur. Sed hoc jam in Transylvaniam appropinquante, Sigismundus ingenti animi inconstantiâ, ex Silesia, dissimulatâ personâ, Claudiopolim redit, & Transylvaniam rursus sibi vendicat. Michaël Vajvoda Transalpinæ Walachiæ, in clientelam Cæsaris, uti Hungariæ Regis se submittit. Jaurinum insigni stratagemate, à Svarcenburgio, & Comite Nicolao Palffi recuperatur. Mahometes Satergis è contra Chanadinum, Aradum, & Naglacum, loca à nostris metu perculsis deserta, occupat. Varadinum â Turcis, & Buda à nostris, eodem die obsidentur, ac post irritos vigintiquinque dierum conatus, eâdem quoque die obsidio utrinque solvitur.

1599. Sigismundus Bathoreus, missis Pragam ad Cæsarem Legatis, de renovando fœdere agit, verùm paulò post mutatâ sententiâ, ne quidem ablegatorum reditu expectato, Provinciam Cardinali Bathoreo cedit, qui tamen eâ non diù potitur, statim enim invasus à Michaële Vajvoda Trans-

Transalpinæ Walachiæ, victúsque in campis Cibiniensibus, diu oberrans, fame, ac siti confectus, triduo post adversum certamen, crudeliter trucidatur. Ibraim purpuratorum Princeps, cum ingentibus copijs in Hungariam venit, ac de pace cum Cæsareanis Ducibus tractat, sed cùm iniquissimas conditiones proponeret, rè infectâ utraque pars ad arma revolat, móxque Ibraimus, castra sua nostris castris admovet, & declinato prœlio Turcas & Tartaros longè latèque Hungariæ partes, quas nondum sibi subjecerat, populari, urere, ac vastare jubet, ac tredecim millibus hominum abductis, Belgradum, dimissis copijs, regreditur.



X. SYNOPSIS CHRONOLOGICA,

Continens Res memorabiles, nostro Sæculo gestas in Hungaria.

Anno 1600. Exordio hujus sæculi, accidit toti Hungariæ luctuosa mors incomparabilis viri, ac Herois Comitis Nicolai Palffi, qui post recuperationem Jaurini, plurimásque res bello præclarè gestas, in arce sua Vereskő, anno ætatis quinquagesimo, obijt 24. Aprilis, & sepultus est Posonij. Galli præsidiarij Papenses, ob dilationem stipendiorum tumultuantur, atque Michaële Marothi arcis Præfecto in vincula conjecto, quartâ Junij, cum Turcis Albæ Regalis, de fortalitio prodendo agunt. Svartzenburgius proinde nullis medijs præsidiarios à perfidia revocare valens, Papam obsidione cingit, in qua etiam postea sub finem ejusdem mensis, glande plumbeâ ictus occumbit. In defuncti hujus locum, subrogatur Melchior Raderus, atque hoc quoque morbo correpto, ac paulò post vitâ functo, Franciscus Nadasdius subrogatur; hoc itaque acrius obsidionem urgente, Galli urbe deserta decimâ Augusti, fugâ sibi consulere volentes, iter Albam Regalem versùs arripiunt; verùm ab Hungaris equitibus deprehensi, ad extremas sylvæ Baconiæ oras, majori ex parte cœduntur, residui verò

verò à cæde retracti, diris ac exquiſitis ſupplicijs, pro meritis afficiuntur. Supremus Vezirius Ibraimus, cum 200 millibus Turcarum & Tartarorum in Hungariam venit, atque in tranſitu Baboczam aggreditur, & quartâ Septembris occupat. Mox Caniſam octavâ ejuſdem menſis circumvallat: accurrit interea ad obſidionem ſolvendam cum Archi-Duce Matthia Dux Mercurianus, è Regia Galliæ Regum familia *Valdemontiâ* oriundus, ejuſdémque Legatus Tillius, ac Sigefridus Coloniczius, ex Hungaris verò Franciſcus Nadaſdius, Franciſcus Bottyanius, Georgius Zrinius, & Joannes Draskovitſius Croatiæ Banus, ſed ob multas difficultates, ac maximè ob commeatûs inopiam, poſt iteratas velitationes, cum Turcis factas, retrocedere coguntur: Vezirius itaque poſt noſtrorum receſſum, majori vi Caniſienſes premit, ac demum vigeſimâ Octobris, quadrageſimâ quintâ obſidionis die, fortiſſimum hoc præſidium, cum magno Chriſtianitatis damno, deditione capit. Sigiſmundus Bathoreus, rurſus reſumit Tranſylvaniæ Principatum, ſed à Michaële Vajvoda Walachiæ, qui tunc Cæſaris partes ſequebatur, magnâ afficitur clade; aſt mox mutatâ aleâ fortunæ, idem Michaêl, à Zamojskio Regni Poloniæ Cancellario, ac ſummo copiarum Duce, reliquiſque partes Sigiſmundi ſequentibus, victus è Moldavia, jam priùs quoque á ſe occupatâ, in Tranſylvaniam (quam pro Cæſare tunc gubernabat) profugere compellitur. Verùm nec ibi ſatis tutus, Tranſylvanis in eum conſurgentibus, adſcito in ſocietatem belli, ipſo Georgio Baſtâ, Cæſarei exercitûs in ſuperiori Hungaria Duce, apud quem per eoſdem in ſuſpicionem perduellionis venerat, profligatur, amiſſóque decimâ octavâ Octobris Walachorum exercitu, Targoviſtiam fugâ ſe recipit.

1601. Michaël Vajvoda, Pragam, ad Cæſarem contendit, criminationes apud eum purgaturus, à quo benignè auditus, acceptis in præſentiarum excuſationibus, pacificè, quin & multis auctus muneribus, remittitur, ut communicato cum Baſta conſilio, conjunctiſque viribus, de recuperanda Tranſylvania operam daret, (interea etenim Tranſylvani à fidelitate Cæſaris, rurſus Sigiſmundo adhæſerant) ſtudio igitur Gonzagæ, Caſſoviæ in ſuperiori Hungaria tunc Præfecti, Michaël cum Baſta redit in gratiam, mox uterque Caſſoviâ movet, Tranſylvaniámque ingreditur, iterúmque cœſo exercitu Sigiſmundi, Duce Moyſe Siculo, quartâ Auguſti, ipſóque Sigiſmundo decem millibus ſuorum amiſſis, vix fugâ elapſo, (qua in pugna Rottalius, & Ludovicus Rakoczius ſtrenuè rem geſsêre) Provinciam pro Cæſare occupant; verùm non multò poſt recrudeſcentibus inter Baſtam & Michaëlem ſimultatibus, decimâ nonâ Auguſti, è medio à Baſta tollitur, cujus morte intellectâ Sigiſmundus Bathorius, redit in Tranſylvaniam,

conſe-

confestímque iterum â suis recipitur. Ferdinandus Archi-Dux, cum ingentibus copijs, quà suis proprijs, quà auxiliaribus, & præsertim Pontificijs, Canisam anno superiori amissam obsidet quartâ Septembris, sed præ gravissimis cœli tempestatibus, ac intemperie aëris impeditus, obsidionem decimâ quartâ Novembris solvere cogitur. Felicior expeditio fuit Ducis Mercuriani, nam & Albam Regalem, nonâ Septembris obsessam, vigesimâ ejusdem expugnavit, & accedentes ad ejusdem recuperationem Turcas, post Mathiæ Archi-Ducis ad eadem Castra, vigesimâ sextâ Septembris adventum non semel repulit, ac tandem decimâ quintâ Octobris, intantùm profligavit, ut de ejusdem recuperatione spem omnem abjicere debuerint. Post hanc enim ultimam pugnam, Turcæ nihil ampliùs tentârunt, sed dies ferè decem eodem in loco permansêre, dein Castris Budam versùs motis discedunt, missis equitum promptissimis, qui nostris proclamarent. *Germanos, cum quibus hisce diebus dimicâssent, viros fortes esse omnes ac invictos, nec se cum ullis uspiam melioribus militibus congressos hactenus, nunc quidem se discedere, sed redituros, experturi, an etiam & imposterum futuri sint tales.* In hac tota expeditione, singularis virtus militaris enituit Ducis Mercuriani, Hoffkirchij, & Coloniczij, Thursonis item, Nadasdij, & Forgachij, Christophoro Bottyani minore, & Matthiâ Ostrozitzio, in ultimo prœlio fortiter occumbentibus. Eodem anno moritur Tyrnaviæ vigesimâ septimâ Septembris, Joannes Kutassy Archi-Episcopus Strigoniensis, & Locumtenens Regius. Item Michaël Telekessius, familiæ inter Magnates Hungariæ præcipuæ, ultimus hæres, ob publica latrocinia, ac viarum obsessiones, quas per suos exercèbat, jussu *Rudolphi* Cæsaris, in ipsis Comitijs, publicè Posonij decollatur.

1602. Dux Mercurianus magno Hungariæ & Christianitatis detrimento extingvitur decimâ septimâ Februarij, Norimbergæ, (quà iter in patriam susceperat.) Budensis Aly-Bassa, ex improvisò ab Hajdonibus capitur, septimâ Junij. Sigismundus Bathori, rursus in gratiam Cæsaris recipitur, Provinciâque Bastæ pro Cæsare traditâ, ad eundem Pragam contendit, ubi tandem post tot inconstantissimi animi argumenta, constantem in arce Lobkovicziana sedem figit. Neque hic tamen adhuc tranquillatæ sunt res Transylvaniæ. Duce enim prædicto Moyse Siculo, Transylvani iterum Turcam, in societatem belli advocant: cui Basta sine mora occurrit, magnâque strage copias ejusdem prosternit, totámque Transylvaniam rursus juri Cæsareo subigit; verùm occupatam pessimè administrat, mirè eandem expilando, vastando, ac depopulando; unde ingens consecuta est fames, & ob insolentiam inauditam militum, summa aversio à Cæsare, ac inde etiam novo-

novorum tumultuum occasio. Vezirius interea Budensis Hasan Bassa, Albam Regalem obsidet decimâ secundâ Augusti, & vigesimâ nonâ ejusdem eandem rursus reoccupat. Matthias Archi-Dux vice versâ, Budam vigesimâ nonâ Septembris circumvallat, Roswurmio exercitûs Duce. Et quintâ Octobris Pesthum capit, ac sequentibus diebus aliquot vicina Turcarum præsidia in potestatem Cæsaris redigit. Turcæ Canisienses & Szigethienses, Budensibus obsessis opitulari volentes, à nostris, Ducibus Francisco Nadasdio, & Georgio Thurzone, ac Sigismundo Herbersteinio repelluntur, ac cæduntur; ast summus Vezirius nihil clade hâc suorum territus, promotis magna cum celeritate copijs vigesimâ secundâ Octobris, castra sua non procul à nostris castris figit, ac eodem tempore, quo nostri Budam, ille Pesthum acriter oppugnat, utriúsque tamen partis conatus fuêre irriti, unde Vezirius primâ Novembris Pesthi, Archi-Dux verò, Budæ decimâ tertiâ Novembris obsidionem solvit. Itaque ille Belgradum versùs castra promovet, hic verò Viennam revertitur. Priusquam tamen nostri discederent, à Nadasdio, Thurzone, & Pogranio Ducibus, Adonum, Paxum, & Földvarium occupatur, nativúsque miles ijsdem pro præsidio imponitur. Eodem anno magna pestilentiæ vis, & terræ motus ingentes, per Hungariam & Austriam fuêre.

1603. Tartari, Comitatum Castriferrei, mox etiam insulam Muraköz iteratis vicibus trigesimâ Januarij, & secundâ Februarij, ac dein etiam Croatiam decimâ tertiâ Aprilis fœdè depopulantur. In Transylvania rursus novi motus fiùnt, Duce eodem Moyse Siculo, sed hic â Radula Vajvoda Walachiæ, Cæsareo cliente, (qui Michaëli à Basta interfecto successerat) castris exuitur, ipséque interficitur vigesimâ secundâ Augusti; reparârunt nihilominus copias suas Transylvani, verùm iterum à Comite Tampirio & Ludovico Rakoczio, cæduntur & fugantur, receptáque rursus Provinciâ pro Cæsare; Decem viri à Basta pro gubernio ejusdem constituuntur. Sigefridus Coloniczius, Canisienses Turcas profligat vigesimâ septimâ Martij. Comes Georgius Zrinius, Nicolai, Szigethianâ obsidione clarissimi, filius, quartâ Maij Posonij moritur. Idem Coloniczius, & Franciscus Nadasdius, Turcis Lacum & Bolondvaram ad Lacum Balathonem decimâ Junii eripiunt. Ejusdem Coloniczij Hajdones, aliquot minora castella Turcarum expilant, magnámque prædam primâ Augusti reportant. Eodem anno, idem Coloniczius & Sulczius, Murathem Budensem, ex improviso adoriuntur, eúmque opprimunt, ac cædunt. Operâ Francisci Nadasdi, Turcæ ex insula Leporum dicta, Budæ opposita ejiciuntur, ac profligantur, cœsis aliquot millibus eorum vigesimâ nonâ Septembris. Sigismundus Trautmonstorffius, & Ni-

& Nicolaus Zrinius, Georgij nuper fato functi filius, regionem Posegam vastant, & castella duo Turcarum, ad Dravum flumen, infra Baboczam sita, vi capiunt, ac succendunt, incoluméque reducunt exercitum decimâ secundâ Octobris. Eodem anno, Roswurmius, Hatvanum obsidet, decimâ quintâ Novembris, & decimâ nonâ deditione capit; in hac oppugnatione Hatvani, Germanicus Strasoldus glande grandioris sclopeti è muro ab hoste displosi ictus, vulneratur, ac equo prolabitur, inque vestigio exspirat. Atque sic hæc familia illustris, septem Heroes in Hungaricis bellis occumbentes contra hostem, numerat. Adon arcem nostri temerè deserunt, sextâ Julij. In Transylvania Basta, Lippam, & Lugosium reoccupat, Patrésque Societatis JESU summa cum injuria, ab Hæreticis Claudiopolitanis, sub rebellione Moysis Siculi ejectos, in urbem restituit.

1604. Franciscus Nadasdius, vir bellicâ laude clarissimus, obit quartâ Januarij, anno ætatis 49. Sub idem tempus, è vivis excessit Mahometes III. Turcarum Imperator, anno Imperij sui 9. eidémq; successit Achmetes, anno ætatis 14. De pace cum Turcis rursum tractari cœptum tertiâ Martij Pesthi, sed ob iniqua postulata Turcarum ea coalescere non potuit, unde infectis rebus utrinque discessum est, revocat proinde ex Transylvania *Rudolphus* Cæsar Georgium Bastam, eúmque universo exercitui contra Turcam præficit, in ejúsque locum militiæ Germanicæ in Transylvania & superiori Hungaria, BelgioJosam substituit. Magnus interim Vezirius Hasanes, totis viribus, contra nos movet, ad cujus solam famam Jagenrajterius, decimâ Septembris turpiter Pesthum deserit: idem faciunt præsidiarij nostri Vaczienses, ac dein etiam Hatvanienses. Quibus animatus Hasanes, decimâ nonâ Septembris Strigonium obsidet, sed à loci præsidiarijs, gloriosè rejicitur, ac ob eorum fortitudinem, & imminentis nostri exercitûs sub Basta Duce potentiæ timorem, decimâ Octobris, obsidionem solvere cogitur. Eodem tempore, ijsdem ferè diebus, quibus Strigonij obsidio soluta est, Stephanus Bocskaius in partibus Transtibiscanis, turbulentissimos ac periculosissimos tumultus concitat, adhærentibus eidem Hajdonibus cum suis Ducibus Lippaio & Nimethio, utróque Blasio, quorum operâ partem copiarum BelgioJosæ, ex improviso aggreditur, ac profligat; mox etiam BelgioJosam, primò Varadinum, ac postea Tokainum, ac demum planè Cassoviam redire cogit, sed is inde quoque à civibus (qui jam clam Bocskaio adhæserant) excluditur. Quare nullibi satis tutus, Pragam ad Cæsarem proficiscitur. Igitur jussu Cæsaris Basta contra Bocskaium, post Strigonij obsidionem solutam, cum quindecim millibus, quà equitum, quà peditum progreditur, ac primo statim prœlio Bocskaianos

nos hajdones, Duce Blaſio Nimethi cædit, & fugat, ipſúmque Nimethium capit, & ſupplicio affici curat.

1605. Bocskaius rurſus accitis auxilijs Turcicis, exercitum reparat, Baſtæque occurrere ſtatuit, Baſta quoque audito hoſtium adventu, copias ſuas promovet, ac mox prœlio utrinque magnis animis initio, eoſdem vincit, ac profligat. Interim exercitus ad dilationem ſtipendiorum, graviſſimè tumultuatur, atque horum ſpe fruſtratus, ad rapinas & prædas ſe convertit, atque nec his contentus, reditum ex ſuperiori Hungaria à Baſta extorquet, ſícque victoriæ curſum retardat, imò fortunam Cæſaris totam evertit; diſcedente enim Baſtâ cum exercitu, brevi univerſam ſuperiorem Hungariam, pro ſe denuo occupat Bocskaius, ac mox Szerenczinum factioſis ſuis Comitia indicit, in quibus in Principatu Tranſylvaniæ ab omnibus confirmatur, Principatúſque inſignia à Chauſio, nomine Turcarum Imperatoris, eidem offeruntur. Baſta verò exercitûs tumultuantis ſeditione coactus, fugienti ſimilis, uſque Poſonium venit, inſiſtente ejuſdem veſtigijs ubique Bocskaio, omniáque pro ſe occupante. Ob nimias ſiquidem indiſciplinati militis Baſtiani inſolentias factum eſt, ut etiam qui hactenus fideles erant Cæſari, Bocskaianis adhæſerint partibus. Stephanus Cſaki, corrivalis & æmulus Bocskai, veneno è vivis tollitur. Alter quoque Stephanus Bathorius Ecſedienſis, ſine ullo hærede vigeſimâ quintâ Julij, anno ætatis quinquageſimo quinto moritur. Bocskaiani Ductore Georgio Nimethi, cum Turcis & Tartaris, partes Cis-Danubianas, & Auſtriæ ac Styriæ vaſtant, Sigiſmundo Trautmonſtorffio Croatiæ Generali, Joanne Draskoviczio Bano, Franciſco Battyani, & Nicolao Zrinio, ulterioribus eorundem conatibus fortiter reſiſtentibus. Conſtans tamen fama eſt, ſupra octoginta millia Chriſtianorum, ex ſolius Georgij Nimethi caſtris, in Turcicam captivitatem abducta fuiſſe. Ludovicus Vitalis Epiſcopus Weſprimienſis crudeliter à Bocskaianis occiditur. Martinus Pethô quoque Archi-Epiſcopus Colocenſis, & Locumtenens, ab ijſdem, omnibus exſpoliatus, barbarè tractatur. Sed & alij Catholici, præſertim Sacerdotes Religioſi, truculenter vexantur. Stephanus Illyeshazius, ex exilio Polonico, à Bocskaio revocatur. Mahometes Vezirius, viſâ tantâ inter Hungaros confuſione, Strigonium iteratò obſidet, (contra pacta cum Bocskaio inita) & 35. obſidionis die expugnat, ac occupat. Intendebat quidem Baſta novo auctus milite, rurſus ut anno priore obſidionem Strigonij ſolvere, ſed à Bocskaianis præpeditus fuit, qui eo pertinaciæ venerant, ut eodem tempore Duce Redeio Ujvarinum (ut ſic magis Cæſaris vires diſtraherent) obſederint, & in caſtris Georgij Nimethi, auditâ Strigonij Tur-

cis factâ deditone, sublato ingenti clamore, quin & tormentorum, ac bombardorum explosione, stultissimè applauserint. Bocskaius, Budam proficiscitur, ubi, à Vezirio Hungariæ Rex nuncupatur, & Coronam ac Sceptrum, reliquáque insignia regia ab eodem accipit, quamvis is protestatus fuerit, se ea loco muneris, non ad usum, aut Regiæ dignitatis signum acceptare, eò, quòd adhuc legitimè coronatus Rex Hungariæ in vivis superesset. Redux Budà Bocskaius, animadversis Turcarum technis, Comitia Carponam indicit, animúmque ad pacem cum Cæsare ineundam adjicit.

1606. Igitur Stephanum Illyeshazium ad componendam pacem Viennam ad Archi-Ducem Matthiam mittit, quæ tandem ultrò citròque agitata, decimâ quartâ Junij certis conditionibus conficitur, ac à *Rudolpho* Cæsare postea confirmatur. In retinendis tamen Societatis JESU Patribus, quos Bocskaiani è Regno ejiciendos, modis omnibus urgebant, Cæsar authoritatem suam firmam, ac stabilem esse voluit. Mox expediti Viennâ etiam ad tractandam pacem cum Turcis Cæsarei, ac simul ex Hungaris Bocskaiani ablegati, qui vigesimâ Octobris, pacis tractationem inchoant, ac post multas & graves conditiones, utrinque propositas, & magna cum contentione disputatas, eandem ad viginti annos concludunt. Sub finem ejusdem anni, 14. Decembris, Bocskaius sine ullo hærede, anno ætatis 50. moritur Cassoviæ, Comitem Valentinum Homonnai, pro successore, in Transylvaniæ Principatum, prærogativo suo suffragio, Regnicolis commendando. Verùm Transylvani eo prætermisso, Sigismundum Rakoczium invitum licet, ac reluctantem, imò & deprecantem, Principem creant. Homonnaius hac spe delusus, ad diripiendos Bocskaianos thesauros animum adjicit, & confestim selectiores sedecim currus, quibus ij in Transylvaniam, unà cum cadavere defuncti vehebantur, ex itinere retrahit, domúmque secum reducit. Idem faciunt cum reliqua parte opum, & alij itineris Duces, & nominatim Nicolaus Nyarius, & Georgius Szecius, sícque malè parta, malè dilapsa sunt. Basta apoplexiâ tactus, è vivis excedit, homo, bello aliàs clarus, qui si abstinuisset rapinis, & Nobilitatis, ac aggrestium oppressione, non solùm Hungariam, sed & Transylvaniam in fidelitate Cæsaris conservâsset. Nicolaus Istvanffius Rerum Hungaricarum scriptor, cum hoc anno finit suam Historiam.

1067. *Rudolphus* Imperator, conditionibus pacis cum Turca initæ, subscribere cunctatur, occultèque novum bellum contra eosdem, pro recuperanda Hungaria, molitur, cui præficere Ferdinandum nepotem, Caroli Archi-Ducis Styriæ filium, statuit, quin & pro suo successore, tam in Regnis Bohemiæ, ac Hungariæ, quàm Imperio eundem (prætermisso fratre Archi-

Archi-Duc Matthiâ) designat. Hinc orta aversio, in Archi-Ducè Matthia à Cæsare. Quâ occasione arreptâ Stephanus Illyeshazius, Matthiam Archi-Ducem, ad occupandum Regnum Hungariæ animat, regnicolarúmque ad eundem eligendum disponit animos. Nec morâ, Matthias Archi-Dux, sub prætextu componendi Hajdones, qui sub idem tempus, in superiori Hungaria, rursus tumultuari cœperant, inscio *Rudolpho*, tunc Pragæ inter privatos parietes commorante, copiosum conscribit militem, præcipuósque Austriæ & Moraviæ Proceres, ad suas attrahit partes.

1608. Itaque ad primam Januarij, Matthias Archi-Dux comitijs publicis indictis Posonium proficiscitur, in quibus ab Hungaris, in Regni Gubernatorem eligitur, confœderationéque Hungarorum cum Austriacis & Moravis confecta, collectísque non contemnendis copijs, statim ineunte vere, Viennâ Pragam versùs contra Cæsarem fratrem movet. Non defuêre qui Cæsari vim vi repellere, Archi-Ducique armis obviare svaderent, verùm res omnis juxta Archi-Ducis postulata, operâ potissimùm Francisci Dietrichsteinij Episcopi Olomucensis, & S. R. E. Crrdinalis, pacificè composita est. Neque multò post 27. Junij, per eundem Cardinalem, reliquósque Legatos, Coronam Hungariæ, cum reliquis Regalibus insignibus Matthiæ transmittit, (atque ita sacrâ Coronâ postliminio quinquaginta quatuor annorum, in manus Hungarorum redijt) idémque Regnum, unà cum Austria & Moravia, ac simul successionem in Regnum Bohemiæ, eidem cessit. Archi-Dux potitus hunc in modum Coronâ ac Sceptro Hungariæ, Posonium altèra Comitia indicit, ac in ijs in Regem Hungariæ coronatur, 19. Novembris. In ijsdem Comitijs Stephanus Illyeshazius in Palatinum eligitur. Quæ dignitas ab obitu Thomæ Nadasdi, usque ad hoc tempus, per annos quadraginta sex vacaverat. Confirmatur quoque pax cum Turcis inita, ac Petrus Revai, & Stephanus Palffi, Custodes Coronæ constituuntur, Franciscus Forgachius, Archi-Episcopus Strigoniensis, S. R. E. Cardinalis creatur. Sigismundus Rakoczius, tot, turbarum, laborum, ac periculorum pertæsus, spontè cedit Principatum Transylvaniæ Gabrieli Bathorio. Hic autem neglecto Cæsare, confugit ad Turcas, & fidem Orthodoxam, commutat cum Calviniana secta, nempe pretiosam purpuream vestem, cum vili lacerna, non quidem alio fine, quàm ut sic faciliùs Principatum assequi, & retinere valeret, à quo tamen brevi miser excidit.

1609. Moritur Stephanus Illyeshazius, vir magnarum divitiarum, magníque consilij & dexteritatis, sed Lutheranâ labe infectus, & quidem absque ullis posteris. Ex consensu Regio, pro hærede suo jam prius assumpserat

pſerat Caſparum Illyeshazi, ſangvine ſibi proximè junctum, verùm cum gravi onere, nempe ut veterem ac veram Religionem, cum novitia ac fa'-ſa commutaret. Comitia nova à Rege *Matthia* Poſonium indicuntur, in ijſdémque Georgius Thurzo 8. Decembris, in Palatinum Regni eligitur.

1610. *Rudolphus* Cæſar, ægrè ferens tot Provincias ſibi à *Matthia* fratre, quaſi vi ereptas, vindictam ſpirat, novúmque exercitum contra eundem conſcribi mandat, ſed & hic de omnimoda ſecuritate ſibi providere ſatagit, réſque jam ad arma utrinque ſpectabat, verùm Principes Imperij, ſe opportunè interponunt, fratréſque ſibi mutuò reconciliant. Res utcunque pacatæ, hoc anno in Hungaria; in Tranſylvania verò dubiæ, gliſcentibus indies majoribus ſimultatibus, inter Radulam Vajvodam Tranſalpinæ, Regi *Matthiæ* magis quâm Turcis fidum, & Gabrielem Bathorium Tranſylvaniæ Principem, mordicus Turcis adhærentem, eorúmque opera, univerſam Daciam ſibi ſubigere intendentem.

1611. Itaque Gabriel Bathorius ingentem exercitum contra Radulam parat, quo tamen univerſo, ab eodem Radula exuitur ad Braſſonem, ac ipſemet fugatur. Quibus intellectis Sigiſmundus Forgachius, juſſu *Matthiæ* Regis Tranſylvaniam ingreditur, ac Claudiopolim, aliáque munita loca, ad *Matthiæ* obſequium traducit. Verùm mutatis rebus, quæ eſt bellicæ ſortis inconſtantia, Bathorius reparatis copijs, auxilijſque Turcarum & Tartarorum adjutus, Forgachium cædit, compulsúmque in ſylvas, per fines Moldaviæ & Poloniæ, Caſſoviam, unde venerat, redire cogit: mox Turcæ & Tartari in prœmium laborum ſuorum, Tranſylvaniam depopulantur, & ex ſola Siculia, duodecim millia hominum in captivitatem abducunt. *Matthias* Rex, vivente adhuc *Rudolpho* Cæſare, 13. Maij, in Regem Bohemiæ coronatur, & eodem anno, in uxorem ducit Annam, Ferdinandi Archi-Ducis Tyrolenſis filiam, die 4. Decembris.

1612. *Rudolphus* Imperator, hydrope, 20. Januarij, Pragæ, anno ætatis unde ſexageſimo, Imperij 15. moritur, vir pacis & tranquillitatis, quàm belli amantior. Suffectus eſt eidem, eodem anno, Francofurti, *Matthias* frater, jam Hungariæ, & Bohemiæ Rex. Turbatior fuit Tranſylvaniæ ſtatus, cùm enim Bathorius, miſiſſet ad Achmetem Imperatorem Turcarum, Andream Geczium, ut nova auxilia adversùs *Matthiam* Imperatorem obtineret, hic ſublato jure legationis, oblata Lippâ, Jenő, alijſque propugnaculis Varadino adjacentibus Turcarum Tyrannidi, ſibi ab Achmete Principatum obtinuit, juſſus itaque Mahometes Baſſa, Bathorium ejicere, & Geczium in Principem conſtituere; Bathorius deinde, tam potentiam Turcarum, quàm ſuorum inconſtantiam ſuſpectam habens,

habens, ſe ſe in tutelam *Matthiæ* Cæſaris, paulò ante ſibi offenſi, mediante Georgio Thurzone Palatino, recipit, auxiliáque contra æmulos implorat, ac etiam impetrat.

1613. Sigiſmundus Bathori, quondam Tranſylvaniæ Princeps, ſæpè depoſito, ſæpè reſumpto Principatu famoſus, moritur hoc anno ex apoplexia, Pragæ. Gabriel Betlehemus Conſtantinopoli, quò pro Principatu ſibi obtinendo perrexerat, eundem ab Achmete iiſdem conditionibus impetrat, quibus Andreæ Geczio is promiſſus fuerat, ac ſine mora ope Scanderi Baſſæ, ac Boſnenſis in Tranſylvaniam redit, eámque pro ſe occupat, ſicque Geczius ſpe ſuâ fruſtratur. Gabriel verò Bathorius his viſis, Varadinum in Hungariam velocibus equis profugit, verùm ibidem non multò poſt à ſuis inſtigante eoſdem Deczio prædicante, perfidè ac proditoriè 27. Octobris trucidatur. His peractis, Turcæ Betlehemum in Principatu confirmant, ipſique ex Tranſylvania exeunt, ſed in ſuo exitu, ſupra ſedecim millia Chriſtianorum ſecum in miſeram captivitatem abducunt. Idem Betlehemus juxta pacta, Lippam, eidémque vicina loca Turcis tradit, promebat etiam hoc fine arcem Jenô, ſed inde à Stephano Petenházy fortiter rejectus eſt. Moritur eodem anno Petrus Erdôdi, 27. Februarij, & Joannes Draskovics, Croatiæ Banus, Poſonij, 11. Maij.

1614. Complices necis Bathorij, Joannes Szilaſy, & Georgius Nadanyi, ad comitia Megyeſinum citantur, & à Betlehemo, ac Ordinibus factum eorum approbantibus, à crimine abſolvuntur, ſed ab efferatis militibus, & tumultuante plebe, ad mortem expoſcuntur, unde in turrim urbis profugere compulſi, cùm tantæ multitudini reſiſtere non poſſent, ex eadem vi dejiciuntur, ſicque morte afficiuntur. Hungari præſidiarij tempore hyemis glacie conſtrictum lacum Balaton tranſeunt, acritérque cum Turcis confligunt, eoſdémque magnâ clade profligant, Kopanienſi & Mohacſienſi Begis captis, *Matthiæque* Cæſari Viennam tranſmiſſis.

1615. Franciſcus Forgach Cardinalis, & Archi-Epiſcopus Strigonienſis moritur 16. Octobris. Eodem anno obijt Nicolaus Iſtvanſius octuaginta annorum, 1. Aprilis, eximius rerum Hungaricarum ſcriptor. Achmetes Turcarum Imperator, à diverſis hoſtibus laceſſitus ac preſſus, pacem aut potius inducias vicennales cum Cæſare *Matthia* renovat, bellum aliàs eidem illaturus, niſi eum impediviſſet inſperata Arabum ſeditio, & Cozacorum Conſtantinopolim uſque iteratæ depopulationes, Perſarúmque novæ in dies in everſionem Monarchiæ Turcicæ molitiones. Veneti graviter Ferdinando Archi-Duci offenduntur, ob enormia Uskochorum in ditionibus ſuis, terrâ maríque patrata latrocinia, ob quæ eidem etiam bellum inferunt, & Forum Julium armis invadunt.

1616. Us-

1616. Uskochi, propter tot in ditionibus Venetorum, ac etiam Turcarum factos excessus, à Ferdinando Archi-Duce coarguuntur, sed hi Principis sui monita spernentes, eidem ipsi audacter & temerè se opponunt, quare appetiti sunt bello, jubente Ferdinando; quod quidem illi alacriter suscipere, imò & in Styriam irrumpere sunt conati, verùm ab Archi-Duce iteratis vicibus sunt repressi, de audacia & feritate multùm post hac remisêre, his tamen non obstantibus, Veneti pergunt bellum susceptum, contra Archi-Ducem in Foro-Julio continuare. Moritur interea Petrus Draskoviczius, vir summi consilij. Dein etiam Benedictus Thuroczy Banus Croatiæ, 8. Novembris. Ac demum Thurzo Regni Hungariæ Palatinus, 24. Decembris. Petrus Pazmanus in Archi-Episcopum Strigoniensem assumitur.

1617. Ferdinandus Archi-Dux Styriæ, ita volente *Matthiâ* Cæsare, in Regem Bohemiæ coronatur Pragæ, 29. Junij. Bohemi, Silesitæ, Moravi, Lusati, in ejus verba jurant. Achmetes Turcarum Imperator, moritur, succedit Mustaffa frater, sed hoc brevi exauthorato, ob innatam stoliditatem & ferocitatem, Osmanes, Achmetis defuncti filius, duodecim duntaxat annos natus, in solio paterno collocatur. Lutherani passim ubique annum centesimum sui Evangelij, per modum Jubilæi, ad imitationem Catholicorum celebrant, quod tamen frivolis disputationibus, & compotationibus ab ijs celebratum est, Catholicis ridentibus, quòd hâc ratione novitatem fidei suæ, publicè, ac ultroneè profiteri voluerint.

1618. *Matthias* Imperator Posonium Comitia indicit, in quibus Ferdinandus Archi-Dux, & jam Bohemiæ Rex, in Regem Hungariæ coronatur, 1. Julij. In ijsdem Comitijs Sigismundus Forgach, in Palatinum Regni Hungariæ eligitur. Moritur hoc eodem anno Viennæ Maximilianus Archi-Dux, Cæsaris frater, & Anna Imperatrix prægnans. Cometa horribilis comparet, sub ipsis comitijs Posoniensibus. Pragæ datum est à Protestantibus tumultuum ac apertæ rebellionis initium, quæ post se iliadem traxit calamitatum, quibus Hungariam quoque miserè involvit.

1619. *Matthias* Imperator, extingvitur Viennæ 20. Martij, ætatis anno sexagesimô secundo, Imperij sexto, cum novem mensibus, cui in omnibus Provincijs hæreditarijs, ac Regnis succedit *Ferdinandus II.* in quo nihil ad justum, bonúmque Principem desiderabatur, sed cùm esset Catholicæ fidei mirus zelator, contra eum mox seditionem movent Viennenses cives Lutherani, in auxiliúmque Comitem Henricum Matthiam à Turri, Bohemicarum rebellium copiarum antesignanum evocant. Ast DEUS pijssimum Principem, non sine luculento prodigio ab extremo periculo

riculo eripit, seditiosósque confundit; Hos ille protinus exarmat, ac dein etiam Moraviam & Bohemiam ad obsequium redire satagit, atque eodem anno in Imperatorem Romanorum eligitur, ac coronatur Francofurti 18. Augusti. Hoc eodem anno Gabriel Betlehemus Hungariam invadit, Catholicis, & DEO sacris crudeliter exceptis. Adhæret eidem continuò superior Hungaria, Comite tamen Georgio Homonnai nullâ ratione, à fidelitate Cæsaris recedere volente. Tota igitur belli moles in hunc versa est, sed is maturè sibi consulens, in Poloniam jam se receperat. Sævitum igitur est in ejusdem amplissima, quæ habebat bona, Arces omnes occupatæ, ac thesauri direpti; quâ expeditione confectâ, Betlehemus, Cassoviam Comitia indicit, omnésque Comitatus ad montem Fatra usque inclusivè, ad fidelitatem sibi præstandam cogit. Interea dum Betlehemus, Cassoviæ moratur, Georgius Széchi, milites confiniarios ad ejusdem partes sequendas, quà minis, quà promissis attrahit, cæteros imitati sunt Ujvarienses præsidiarij, hoc insuper pro auctuario suæ perfidiæ addentes, quòd Petrum Koháry Arcis Præfectum, secum idem sentire nolentem, incaptivaverint, & vinctum Széchio in manus tradiderint. Erat hic Petrus Koháry parens illius Stephani, qui præterito bello Turcico, gloriosè pugnando pro Patria occubuit, & avus moderni Stephani Kohary, qui nuper Filekinum tam strenuè contra hostes Christianitatis propugnavit, & similiter ac avus, in captivitatem à suis traditus est. Superiori itaque Hungariâ in ordinem redactâ, relicto ibidem Georgio Rakoczio, ipse Posonium usque progreditur, & à civibus magno cum applausu intromittitur. Erat tunc in arce Posoniensi, Sigismundus Forgach, Regni Hungariæ Palatinus, cum Coronæ custodibus, hos Betlehemus varijs pollicitationibus per iteratas ablegationes, ad se in urbem evocat, ac post multas compromissiones, ad suas partes attrahit, ipsámque Coronam sacram sui juris facit. Hinc transmissá parte copiarum per Danubium, partes Cis-Danubianales peragrat, cui absque tergiversatione, imò ultroneè arces, Comitatus, & Magnates omnes se se submittunt, Ginzio solo, ex Proceribúsque, Nicolao Eszterhazy, Georgio Zrinio juniore, & Thomâ Nadasdi, in fidelitate Cæsaris permanentibus. Interea Comes Georgius Homonnai fidus Cæsari, validis subsidijs e Polonis & Cozacis conscriptis, in Hungariam superiorem erumpit. Occurrit eidem Rakoczius, pro tuenda Hungaria superiore à Betlehemo relictus. Pugnatur utrinque strenuè, ac prœlium in biduum protrahitur. Poloni tandem fugam simulantes, Hungaros & Transylvanos dissolutis ordinibus, sibi instantes, ac prædæ inhiantes, reversi, fundunt, ac profligant. Peditatum totũ ferè cædunt; Rakoczius cum equitatûs parte, vix fugâ se salvat,

cujus rei auditâ famâ Betlehemus, Sopronio, Posonium redit, eòque Comitia indicit, pro pace concludenda, in quibus multùm ultrò citròque actum, sed iniri non potuit; tota igitur spes ejusdem in futurum, in armistitium præsens commutatur. Hoc eodem anno Fridericus Comes, Palatinus Rheni, in Cæsarem insurrexit, ac se Regem Bohemiæ dixit, & necdum rebus bene firmatis, coronam sibi imponi præcipiti festinatione curavit.

1620. Moritur Thomas Nadasdius 29. Februarij. Extingvitur quoque veneno in Polonia 25. Julij, Comes Georgius Homonnai, cum magno Cæsaris, & Reipublicæ detrimento. Comitia à Betlehemo Neosolium indicuntur, in quibus à tumultuantibus in Regem Hungariæ eligitur, ac multa nefanda in ijsdem constituuntur. Interea sub auxiliorum prætextu, (ex occulto tamen Betlehemi consensu) à Vezirio Budensi Lippa obsidetur, & per deditionem à Francisco Struz factam, occupatur. Cis-Danubiana confinia, ad Betlehemianas partes transeunt, arciúmque Præfectis ultroneè á fidelitate Cæsaris deficientibus, solo Paulo Zicsi Wesprimiensi Capitaneo excepto, quem ob id proprij præsidiarij invadunt, præsidióque ejiciunt. Comes Nicolaus Eszterhazi, in sua arce Lacompaciensi, à Stephano Huszár obsidetur, obsesso opportunè succurrit Tampierius, sicque hostis magna cum clade rejicitur, fugatur, cæditur. Hâc clade suorum intellectâ Betlehemus, Danubium rursùs ipsemet transit, & dictam arcem Lacompác occupat, Ginzium quoque invadit, sed strenuè à Christophoro Hagymásy inde repellitur. Interea Tampierius Posonium cum novemdecim millibus, terrâ & Danubio tentat, sed dum arcis situm perspecturus circumambulat, glande plumbeâ ictus prosternitur, cæso Duce, miles Hamburgum redit. Comes Frangepanus Croatiæ Banus, cum Regnicolis insurgit ad repellendum Betlehemum, qui Dravum transire, & Croatiam quoque jam sibi subigere intendebat, quâ Croatarum resolutione visâ Betlehemus, à proposito desistit, indéque per partes Sopronienses, in Austriam movet. Mox Hamburgum iterato assultu aggreditur, sed non cum exiguo suorum damno repellitur. Interea Ambrosius Spinola cum exercitu Hispanico Palatinatum ingressus, in eo multa oppida, quâ vi, quà deditione capit. Elector quoque Saxoniæ Cæsarianas secutus partes, occupat Lusatiam. Maximilianus Dux Bavariæ, Austriæ superioris rebelles domat, Provinciámque Cæsari subjicit; mox in Bohemiam movet, & cum Bucquoio Cæsarei exercitûs Duce, junctis viribus, urbes aliquot recipit, demúmque ad ipsam Pragam pervenit. Oppositus illi erat Friderici Palatini, & Bohemorum exercitus, in Albo monte castris opere militari munitus, conserturus de summa totius rei cum Cæsareanis. Igitur initum est certa-

certamen ipso festo Sancti Martini, Dominico à JESU MARIA Hispano, Carmelitâ, certissimam victoriam Cæsareanis promittente. Resistunt aliquamdiù hostes, sed repentinâ Hungarorùm fugâ, (quorum novem millia Betlehemus Palatino submiserat) turbantur ordines; auget terrorem *Maximilianus*, plenâ acie exercitum Palatini aggrediendo, fit ingens hostium strages, fuga, & cædes: ipse Palatinus amisso exercitu, cum uxore, ac liberis Wratislaviam in Silesiam fugit: postridie victores Pragam triumphabundi intrant, ac totam ferè Bohemiam, & brevi Moraviam quoque ac Silesiam ad Cæsaris obsequium trahunt. Betlehemus intellecto infausto casu Friderici consternatur, & conversus ad consvetos sibi dolos, de armistitio, vel pace componenda, cum Cæsare agere incipit, ipso Palatino Forgachio mediante. Annuit ejus postulatis optimus Cæsar, nîl aliud desiderans, quàm quietem Regni, ac tranquillitatem, atque sic terminatus est hic annus.

1621. Conventus itaque pro tractanda pace statim anni hujus initio Hamburgum indicitur, cui interfuêre Gallici quoque Legati, ut intermediatores, totáque Hyems hac de re consultantibus consumitur, sed inani prorsus eventu. Gabriel enim nec titulo Regis abstinere valuit, nec seriò pacem intendere visus est. Clam enim interea Turcarum & Tartarorum subsidia contrahebat: unde etiam contracta est invidia, & in Hungariæ Proceribus gravis ab eodem aversio. Hinc conventu finito, Sigismundus Forgachius, Viennam directè perrexit, & in gratiam à Cæsare receptus est, hunc subsecutus est Georgius Szécsi, qui insuper Franciscum Redéi, Betlehemi exercitûs Ductorem, vi adortus, cœpit, & multos ad Cæsaris partes traxit. *Ferdinandus* evanescente spe pacis, duos exercitus in Hungariam mittit, unum ad partes Trans-Danubianas, quem committit Comiti Colaldo, & Comiti Nicolao Eszterházy, alterum verò ex hac parte Danubij, cui præficit Palatinum, & Comitem Bucquoium Generalem: Betlehemo interim unà cum Corona Veterosolium, inde Cassoviam, ac tandem Ecsedinum recedente. Multæ Civitates ac Comitatus spontè redeunt ad Cæsaris fidelitatem, Ujvarinum tamen quod propugnârat Stanislaus Thurzo, vim experiri gestiebat. Hoc igitur Bucquoius obsidione cingit: jamque in arcto erant res Betlehemi, cùm obsessi in pabulatores erumpunt, & Bucquoium audacius ad auxiliandum provectum, multis vulneribus confodiunt. Ex ijsdem castris Sigismundus Forgachius Palatinus, morbo contracto Tyrnaviam revertitur, ibidémque diem extremum claudit. Thomas Bosnyákius, & Stephanus Palffius, dum cum parte una exercitûs Comitatus supra Fatram sitos, pro Cæsare occupare satagunt, circum-

venti à Betlehemianis capiuntur, & Betlehemo Caſſoviam vincti remittuntur. Auditâ morte Bucquoij Betlehemus, Caſſoviâ novo cum exercitu movet, & magna cum celeritate Ujvarinum properat: cujus vel ſolâ auditâ famâ, Cæſareani, utpote Duce deſtituti, viginti octo ingentibus tormentis, alijſque plurimis impedimentis relictis, Poſonium uſque recedunt, ibique caſtris metatis vallo ſe muniunt: Betlehemus proinde Ujvarino Tyrnaviam venit, ibidémque ſe ſe Joanni Georgio Marchioni Jagerndorffio conjungit. Poſonium dein, ſed irrito conatu impetit, & poſt cuncta circa Poſonium depopulatus, Szakolczam penetrat, ac inde intactas hactenus Auſtriæ & Moraviæ partes devaſtat, ultimatè tandem à Cæſareanis ſæpius carptus, Jagerndorffij in Sileſiam receſſu, & commeatûs inopiâ, ac Tranſylvanis dilapſis, animo fractus, rurſus ad pacis conſilia animum applicat. Conventionis igitur locus de pace conficienda à Cæſare conſtituitur Nikelſpurgum, quò Cæſar nomine ſuo miſit Cardinalem Dietrichſtain, Epiſcopum Olómucenſem, Petrum Pazmanum, Archi Epiſcopum Strigonienſem, & Comitem Nicolaum Eſzterházy, præter alios aulæ ſuæ Primates, Betlehem verò Emericum Thurzo, ac Joannem Sándor, cum nonnullis alijs. Atque ſic totum reſiduum hujus anni in tractatione ejuſdem Pacis conſumitur. Comes Chriſtophorus Erdődi in florida ætate moritur. Petrus item Balaſſius cum minore natu fratre, extingvitur.

1622. Ipſo die Novi anni, pax inter Betlehemum & Cæſarem inita, publicatur. Abdicat proinde ſe Betlhemus titulo Regis Hungariæ, & Coronam Cæſari reſtituit. Econtra Betlehemo ceſsêre complures arces in Hungaria ſuperiore, cum ſeptem Comitatibus, ſed duntaxat ad finem vitæ, datus inſuper titulus Principis Románi Imperij, cum Opavia & Ratiboria Sileſiæ Ducatibus, ſtatu Religionis, & Jeſuitis in locum quo ante bellum fuerant, rejectis. Dimiſſi utrinque captivi gratis, excepto Palffi, qui in ſui exſolutionem pro lytro quinquaginta millia florenorum Betlehemo deponere debuit, quantam ſummam nec Turca ab eo exegiſſet. Eodem anno *Ferdinandus* Cæſar Sopronium indicit Comitia, in quibus in Palatinum eligitur Staniſlaus Thurzo, & Coronâ deductâ Trenchinio Sopronium, Eleonora Auguſta, in Reginam Hungariæ coronatur.

1623. Inconſtantiſſimæ mentis Betlehemus rumpit rurſus pacem, & auxilijs Tartarorum ac Turcarum adjutus, menſe Septembri, maximas agit per Moraviam devaſtationes, quâ occaſione uſi Turcæ ac Tartari, multa millia Chriſtianorum in duriſſimam abducunt ſervitutem, quorum tamen magnam partem, reduces hoſtes cum præda, invadendo, liberat Comes Nicolaus Eſzterhazy, Ujvarienſis pro tunc Generalis, dilapſis Tartaris ac Turcis,

cùm

cùm nec auxilia Germanica à confœderatis Betlehemo promiſſa comparerent, ad novas inducias is animum applicat, quas etiam à Cæſare pacis cupidiſſimo, facilè impetrat. Inter has cunctas revolutiones, Croatæ omnes conſtantes mansêre ſemper DEO, Regi, Regno, & Coronæ fideles, nempe quia conſtantes Catholici, nec unquam ad novitates Lutheranæ, & Calvinianæ ſectæ prolapſi.

1624. Tota anni hujus hyems, in tractanda pace inter Cæſarem & Betlehemum tranſigitur, ac tandem etiam conficitur, eidem arcis Ecſedienſis perpetuitas conceditur, ſed Opaviâ ac Ratiboriâ Ducatibus, tituloque Principis Imperij privatur. Comes Thomas Erdôdi eximiarum virtutum vir, magno cum luctu omnium bonorum, 17. Januarij, ætatis ſexageſimo ſeptimo, in arce ſua Krapina vivere deſijt.

1625. Fatalis hic annus fuit, aliquot præcipuorum Magnatum obitu. Mortuus ſiquidem hoc anno eſt Comes Nicolaus Zrinius Cſaktornæ, 24. Martij; Stanislaus Thurzo Palatinus 1. Maij; Franciſcus Battyani, 13. Septembris; ſed & Georgius Szécſi, à proprijs famulis perfidè occiditur. Pax inter *Ferdinandum* & Amurathem inſerto etiam Betlehemo renovatur. Comitia Sopronium â Cæſare indicuntur, in quibus Comes Nicolaus Eſzterhazy, in Palatinali dignitate Thurzoni ſufficitur, & *Ferdinandus III.* in Regem Hungariæ, ætatis anno decimo ſeptimo eligitur, ac octavâ Decembris coronatur.

1226. Gabriel Betlehemus matrimonio ſibi jungit Catharinam, Brandeburgici Electoris filiam, & rurſus ad innatam ſibi inconſtantiam redit, bellúmque Cæſari tunc in Imperio occupato, indicit, ſtimulantibus haud dubiè illum ad id Principibus Imperij Acatholicis, qui & Sveciæ, & Daniæ Reges concitaverant ad arma ſumenda hoc fine, ut fidem Catholicam opprimerent, & ſi fieri poſſet, penitus extingverent, ſed fruſtra. Non enim eſt conſilium contra Dominum, neque irrita fieri poteſt æternæ veritatis promiſſio, vi cujus neque portæ inferi prævalebunt contra fundatam à Chriſto Eccleſiam. Miſſus eſt hoc eodem anno in Imperium, cum ſelectis mille militibus Croatis, Comes Georgius Zrinius, Banus Croatiæ, ubi etiam pro Cæſare inſignem militarem navavit operam. Ad inſtantiam & falſam informationem Betlehemi, juſſu Turcarum Imperatoris Mechmetis, Vezirius Budenſis ſtrangulatur, in ejúſque locum Murtezan Baſſa Boſnenſis conſtituitur, qui mox nefario ejuſdem Betlehemi conſilio, cum Cæſare fœdus rumpit, & viginti ſex pagos in Comitatu Nitrienſi depopulatur. Interea Erneſtus Mansfeldius, Caroli Mansfeldij, Strigonij recuperatoris, ex thoro illegitimo, frater naturalis, & Dux Vina-

Vinariensis, cum quindecim millibus, per Germaniam, Silesiam, & Moraviam, repentino itinere, uti inter eos conventum fuerat, ad Betlehemum in Hungariam veninnt, quorum vestigijs ubique insistens Walsteinius, ex Imperio Galgoczium usque eosdem est secutus. In ejusdem comitiva fuit etiam Georgius Zrinius, Croatiæ Banus, ac Nicolaus Eszterhazy Regni Palatinus, Hungaricas suas copias cum ipso conjunxerat. Eodem autem tempore Murtezan Vezirius, Neogradinum gravi obsidione premebat, desendente illud strenuè Paulo Eszterhazy Palatini fratre germano, sed intellecto Walsteinij & Palatini adventu, multis suorum desideratis, repentè obsidionem solvit. Solutâ feliciter obsidione, Walsteinius cum castris ad Ujvarinum recedit, Betlehemus verò sua castra castris Turcicis, ad Palankam conjungit; mox uterque exercitus, mutuò sibi appropinquant, ac generali conflictu concurrere volunt. Betlehemus visâ majori Cæsareanorum potentiâ (nam præter Hungaros, ac Croatas, ex Germanis quadraginta millia peditum, & viginti millia equitum, in castris nostris, effectivè numerabantur) ad consvetas suas fraudes recurrit, armistitiúmque pro una, vel altera tantùm die concedi, à Walsteinio postulat, offerendo se pro mediatore pacis recenter ruptæ, inter Cæsarem & Turcas, certò, sine ulteriori dilatione conficiendæ, sicque inducias usque in crastinum à Walsteinio impetrat, (frustra reclamante Palatino, qui jam versutiam ingenij Betlehemij noverat) sed Betlehemus unà cum Turcis clam eadem nocte se subducit, ac tribus milliaribus inde recedit, Walsteinio fraudem non nisi in sequentem diem advertente, ac tunc etiam hostem insequi intermittente. Fuit hæc occasio magna hostem penitùs delendi, sed principium illud, *de conservando milite*, victoriæ fortunam impedivit. Verùm neque per hanc evitationem & declinationem prælij conservatus est miles: nam donec in Provincias hæreditarias Walsteinius exercitum reduceret, peste, ac morbis, prope vigintiquinque millia militum in eo periêre, quot in conflictu nunquam perijssent, aut saltèm cum hostium ruina. Betlehemus rursus cum Turcis & Mansfeldianis ad Levam castra figit, Walsteinius verò Tyrnaviam versùs regreditur, ubi ad rigidam hyemem usque hæsit, atque devastatis illis omnibus partibus, demum in Silesiam & Moraviam, ad hyberna redijt; similiter & Betlehemus, ac Turcæ in hyberna militem suum distribuunt: ast Mansfeldius, & Vinariensis ad summas angustias rediguntur. Videbant enim intentiones suas cum Betlehemo non progredi; regredi autem unde venerant, Cæsareanis ubique invigilantibus, non erat integrum. Igitur Mansfeldius omnibus tormentis, Vezirio Budensi donatis, vel venditis, traditísque Duci Vinariensi copijs, assumptis suorum expeditissimis,

Buda

Budâ per partes Croatiæ & Dalmatiæ Turcis ſubjectas, Venetias percurrere inſtituit: Verùm in Boſnia diſſenteriæ malo correptus, ibidem miſeram efflat animam. Sed & Dux Vinarienſis, dum plurima per Hungariam molitur, morbo corripitur, eóque triginta duos annos natus conſumitur, militum quos duxerat, parte magnâ demortuâ, non exiguâ quoque in perfidiam Turcicam tranſeunte. Sub finem ejuſdem anni, moritur Comes Georgius Zrinius Croatiæ Banus, 18. Decembris, Poſonij, annorum 28. ſed vel in hac ætate ipſa, ſingularis experientiæ, & virtutis militaris.

1627. Agitur hoc anno iteratò de reintegranda pace à Betlehemo rupta, ſed hic perfidè ac occultè evocat quadraginta millia Tartarorum, quibus in itinere à Polonis cæſis, ipſe quoque tandem pacem amplectitur.

1628. Pax aliqua tandem Hungariæ reddita: funeſti interim belli Svecici, quod poſtea Hungariam quoque involvit, jaciuntur ſemina.

1629. Moritur ſine ullo hærede Betlehemus 16. Novembris, (multis criminibus, & potiſſimùm confœderationibus Turcarum & Tartarorum, crebriſque fœderum, & pactorum violationibus, apud Chriſtianos infamis) ex immani dolore pedum, quo in tantùm cruciabatur, ut plantas quoque fluidis humoribus educendis, ferro findi juſſerit; acceſſit ignis ſacer, ita, ut omnia Elementa in pœnam tot criminum, in eum conſpiràſſe viderentur.

1630. Adoritur Imperium Svecus, & ab Acatholicis, quorum rem potiſſimùm gerebat, patentibus portis paſſim, cum applauſu ſuſcipitur. Caſſovia, Tokainum, cunctáque ad vitam Betlehemo conceſſa, redeunt ad Cæſarem; Betlehemus 20. Januarij ſepelitur. In Tranſylvania varij motus. Eſto enim Betlehemus ſtatuiſſet, ut Catharina ejuſdem conjunx, habito duodecim virorum conſilio, Provinciam gubernaret, ob diſcordiam tamen Procerum, regimen hoc diu ſtare non potuit. Igitur Catharina Brandeburgica, in comitijs publicis Claudiopoli celebratis, cedere Principatui à regnicolis jubetur. Ipſi autem Tranſylvani diſcordibus votis, pars Stephanum Betlehemum, demortui Gabrielis fratrem, pars Georgium Rakoczium pro Principe agnoſcebant: prævalet tandem Stephanus Betlehemus, Principatúque (ſed brevi amittendo) potitur.

1631. Vix inchoato Regimine Stephanus Betlehem, à ſuis gravem averſionem experitur, præter externos, domeſticos quoque ſentit hoſtes, Comitem Stephanum Betlehem ſcilicet, filium proprium, & generum Davidem Zolyomium. Hi enim Georgium Rakoczium ex ſuperiore Hungaria evocant Varadinum, ac inde in Tranſylvaniam, qui ſine mora Provinciam intrat, & à Betlehemo Principatum extorquet, & hic ipſe poſtea quietioris vitæ amans, aut ſaltem id ſimulans, Rakoczium ſuffragijs & clientelâ

adju-

adjuvat, Gubernatoris nomine contentus, filióque ac genero omnem culpam condonans. In superiore Hungaria rustici contra Nobilitatem rebellant.

1632. Gustavus Sveciæ Rex, ad Luzenam in prœlio occumbit. Sigismundo Poloniæ Regi mortuo, ætatis anno sexagesimo sexto, Regni quadragesimo quinto, succedit Vladislaus IV. Hoc eodem anno obit Moguntiæ Fridericus, ex Palatino Rex, ex Rege mendicus, anno ætatis trigesimo septimo. Cæsar Nicolaum Eszterhazy Palatinum, valido cum exercitu expedit ad recuperandam Transylvaniam, sed Rakoczius eam sibi jam priùs subjugaverat. Eszterhazij adventu intellecto Rakoczius (Stephano Betlehemo pro Gubernatore relicto) eidem iturus obviam, prior ipse in Hungariam erumpit, ac nonnullas ejusdem copias atterit, insuper apud Turcam efficit, ut is, stante adhuc pace, aliquot millia suorum ad partes Ujvarienses depopulandas ac vastandas immitteret, vel sic Palatinum à Transylvania reducturus; quibus difficultatibus perpensis Cæsar, & simul ne novo implicaretur bello, ipse quoque electioni Rakoczij annuit, atque sic Palatinus in inferiorem Hungariam, Rakoczius verò in Transylvaniam redeunt cum suis exercitibus. Rebelles rustici in Hungaria superiore, quà adhortationibus, quà vi, quà minis compescuntur, eorum Duce Petro Csaszar supplicio affecto, Cassoviæ.

1633. Transylvania rursus intestinis motibus turbatur. Stephanus Betlehemus siquidem, qui Principatum præ metu Rakoczio tradiderat, pœnitentiâ ductus, ad Turcarum auxilia confugit, eáque impetrat. Rakoczius mutabilem fidem Turcæ detestatus, Austriacis se submittit. Interim verò Sigismundus Kornicsius, Rakoczij partes secutus, auxiliares copias Turcarum pro Betlehemo, profligat. David Zolyomius, in suspicionem veniens, à Rakoczio (quem in Principatu adipiscendo, contra socerum adjuvârat) carceri mancipatur, in quo etiam consenuit, & vitam ipsam finivit. Comes Georgius Homonnai nascitur 8. Junij.

1634. Turcæ excusant apud *Ferdinandum* Cæsarem expeditionem pro Betlehemo à se susceptam, salvis pacis legibus esse factam, Palatinus tamen gnarus Turcicarum fraudium, stipendio Hajdones Cæsari obstringit, à quibus etiam sæpiùs cum Turcis dimicatum est, & quidem plerúmque cum horum detrimento. Interempto Walsteinio, *Ferdinandus III.* jam Hungariæ Rex, totius exercitûs Cæsarei Dux constituitur, qui mox Ratisbonam expugnat, & ad Nordlingam, magnam de Svecis reportatat victoriam.

1635. Pax demum inter Stephanum Betlehem, & Rakoczium conſici-

ficitur, & ille hunc ſuum Principem eſſe agnoſcit, eundémque Turcarum Imperator ſecundum in Principatu confirmat. Nicolaus Forgach Caſſovienſis Generalis, vivere deſijt.

1636. *Ferdinandus III.* in Regem Romanorum inauguratur. Petrus Pazmanus Cardinalis Tyrnavienſem Academiam fundat. Die 12. Maij moritur Paulus Rakoczius. Comes Joannes Homonnay, fit Caſſovienſis Generalis.

1637. *Ferdinandus II.* anno ætatis ſexageſimo primo, Imperij undevigeſimo, Viennæ obit; fortitudinis pro fide Catholica, & pietatis, ac juſtitiæ, aliarúmque virtutum omnibus Principibus ſpeculum, ac exemplar. Quem ſecutus eſt Poſonij, 19. Martij, Cardinalis Pazmanus, vir ſummæ doctrinæ, pietatis, ac prudentiæ, magnúſque fidei Catholicæ in Hungaria reſtaurator. Eodem anno moritur Michaël Thurzo.

1638. Cæſareani iteratis vicibus à Svecis profligantur. Briſacum ab ijſdem obſidetur, & tandem fame expugnatur. Ludovicus XIV. Rex Galliarum naſcitur. Polonia ob Coſacorum rebellionem turbatur. Caſimirus poſtea Rex Poloniæ, Luſitaniæ Pro-Rex conſtituitur, ſed dum eo incognitus per Galliam feſtinat, intercipitur, ac Lutetiam deductus, in honeſta cuſtodia detinetur. Hungaria pace almâ fruitur, ſed ſimul ob ſiccitatem nimiam, ſterilem hunc annum experitur S. Ladislai Sepulchrum Varadini, à Calviniſtis violatur, & theſauri in eo inventi, à Rakoczio Principe auferuntur, quibus tamen additum erat anathema, contra eum, qui priùs quid ex ijs ſumeret, quàm extrema arcis neceſſitas poſtularet.

1639. Conſequitur ob anni præteriti ſterilitatem, ingens per totum ferè Regnum fames. Rakoczius Princeps ab Acatholicis ad arma contra Cæſarem ſumenda ſolicitatur. Leopoldus Archi-Dux, totius exercitus Generalis à Fratre Cæſare conſtituitur.

1640. Naſcitur Auguſtiſſimus Imperator Leopoldus 9. Junij. Mortuus eſt Conſtantinopoli 8. Februarij, anno ætatis trigeſimo ſecundo, Imperij Decimo ſeptimo, Amurates IV. Turcarum Imperator. Succedit eidem frater Ibraimus I. Luſitani ſe ab Hiſpanis ſeparant. Archi-Dux Leopoldus Reginogradecium recuperat, & Bohemiam magna ex parte à Svecis repurgat.

1641. Turcæ in Comitatum Nitrienſem irrumpunt, aliquótque pagos ac oppida devaſtant & depopulantur, miſerâ plebe in ſervitutem abductâ. Emericus Loſy Archi Epiſcopus Strigonienſis moritur.

1642. Sveci Cæſareanos ad Lipſiam profligant, atque Georgium Rakoczium Principem Tranſylvaniæ ad confœderationem armorum varijs artibus

tibus instigant. Georgius Lippai fit Archi-Episcopus Strigoniensis. Rakoczy junior, in Principem Transylvaniæ, vivente adhuc Patre eligitur 4. Maij.

1643. Stephanus Nyary Generalis Cassoviensis moritur, ínque ejus locum Comes Adamus Forgach substituitur. Solennes nuptiæ 3. Februarii, inter Georgium Rakoczium, & Sophiam Bathori, Albæ Juliæ celebrantur. Senior Georgius Rakoczy, arma contra Cæsarem parat, à quo proposito omnibus modis eum abducere Comes Nicolaus Esterhazy Palatinus, laborat, scriptis ad eum multis, & efficacissimis epistolis, quæ etiam nunc apud multos præ manibus habentur.

1644. Initio hujus anni, Franciscus Rakoczius nascitur. Senior Georgius Rakoczy Cæsari bellum indicit. Mox eidem subdit se Cassovia, Comite Adamo Forgachio tunc Generali, ab ipsis Cassoviensibus urbe excedere coacto. Adhærent eidem aliæ quoque civitates, & Comitatus superioris Hungariæ, Comite Joanne Homonnai excepto, cujus propterea arces & bona rapinis ac devastationibus fœdè deturpantur. Rakoczio opponitur Palatinus Esterhazius, & Generalis Puchaimius, suscepto cum exercitu per confinia itinere, Cassoviam usque penetrant, urbemque oppugnant, sed commeatûs ac majorum tormentorum defectu, re infectâ inde discedunt. Franciscus Wesselenius arcem Murán astu occupat, cujus etiam postea à Cæsare hæreditarius factus est Dominus. Pestis ingens per Hungariam grassatur.

1645. Svecorum exercitus, Duce Tarstenzonnio ex Danica expeditione, in Imperium insperatè regreditur, & Moraviam usque penetrat, cœsóque nostro exercitu, quem Götzius ducebat, Iglaviam, reliquaque munitiora loca occupat. Olomucium metropolim Regionis, quod Comes Walsteinius jam diu obsederat, famâ adventûs sui liberat. Mox Brunam totius Moraviæ propugnaculum, quódque unicum in ijs partibus restabat, aggreditur. Georgius Rakoczius quoque interea juxta compactationem venit in Moraviam, Transylvanósque suos Svecis conjungit, ac unitis viribus in Brunæ expugnationem incumbunt, sed utrique malè mulctantur, Generale Souches strenuè Urbem & arcem propugnante. Visâ igitur suorum strage magnâ Rakoczius, pacem cum Cæsare init, nec sine emolumento, aliquot arcibus & Comitatibus sibi ab eodem cessis. Sveci pariter desperatis rebus, post discessum Transylvanorum, obsidionem solvunt. Eodem anno moritur Nicolaus Esterhazius heros eximius, & inter Palatinos Regni Hungariæ, si quis alius, consilio, virtute, ac prudentiâ singularis, cui parem Hungaria vix habuit, an habitura sit, tempus dabit.

1646. Ma-

1646. Maria Imperatrix, menſe Majo, ex venatione reverſa, repentino catharro extingvitur. Hoc eodem anno Ferdinandus IV. in Regem Bohemiæ eligitur.

1647. Comitia Poſonium indicuntur, in quibus Joannes Draskoviczius vir eximiæ fidelitatis erga Cæſarem, magnæque prudentiæ, in Palatinum eligitur. In iiſdem Comitijs *Ferdinandus IV.* in Regem Hungariæ coronatur. Magna pars temporis horum comitiorum in negotio Religionis conſumitur. Acatholici minis inanibus nonaginta novem templa Catholicis extorquent. De Jeſuitarum in Regno retentione, magna inter Orthodoxos, & Heterodoxos diſſenſio, Orthodoxi, & nominatim Croatæ, fortiter pro cauſa Religionis ſtetêre, parati extrema quæque priùs ſubire, quàm iniquiſſimæ poſtulationi adverſariorum aſſentiri. Franciſcus Weſeleni Generalis ſuperioris Hungariæ conſtituitur.

1648. *Ferdinandus III.* ad ſecundas nuptias tranſit, ductâ Mariâ Leopoldinâ, Tyrolenſi Archi-Duciſsâ. Pax Monaſterienſis 24. Octobris concluditur. Vladislaus IV. Poloniæ Rex, morte repentinâ extingvitur, cui ſuccedit Caſimirus frater. Poloni à Coſacis profligantur. Georgius Rakoczius Princeps Tranſylvaniæ moritur. Obijt eodem anno Joannes Draſkoviczius, Regni Hungariæ Palatinus, ob ſingulares virtutes, vitâ longiore digniſſimus.

1649. Joannes Caſimirus in Regem Poloniæ coronatur, mox ipſe movet in Coſacos & Tartaros, & incredibilem eorum edit ſtragem. Veneti contra Turcas feliciter pugnant. Carolus Angliæ Rex, à ſuis ſubditis publico ſupplicio afficitur. Comitia Poſonium indicuntur, in iiſque Comes Paulus Palffi, in Regni Palatinum eligitur. Maria Imperatrix Carolum Joſephum enixa, ex partu moritur. Ibraimo Turcarum Imperatori, filius Mahometes ſuccedit in Imperio.

1650. Maria Anna Archi-Duciſſa, Cæſaris filia, Philippi III. Hiſpaniarum Regis ſponſa, Madritum deducitur. Chriſtina Guſtavi Regis filia, in Reginam ejuſdem Regni coronatur. Romæ Jubilæum magno Chriſtianorum concurſu celebratur. Eperieſini Judicia Octavalia tractantur. Agrienſe Capitulum Jaſzoviâ, Caſſoviam inducitur. Ibidem eodem anno Scholarum Societatis JESU datum eſt initium.

1651. Nuptiæ *Ferdinandi* Cæſaris cum Eleonora Mantuana, magnâ ſolennitate Neoſtadij celebrantur. Maximilianus Dux Bavariæ moritur. Kis-Comaromium irrito conatu à Turcis impetitur.

1652. Coſaci iterum rebellant in Polonos, Duce Chmielnicio. Comitia Ratisbonam à Cæſare indicuntur. Turcarum quatuor millia ad depopu-

populandas Hungariæ, Ujvarino vicinas partes excurrunt, quibus occurrit Generalis earundem partium Comes Adamus Forgach, atque cum ijs acriter confligit, in quo conflictu strenuè pugnando occubuit Comes Ladislaus Esterhazi. Item Franciscus, Thomas, & Casparus Esterhazi, Barones.

1653. Cosaci, Moschis juncti, res Polonicas penè in ultimum exitium præcipitant. Veneti Turcas superant. *Ferdinandus IV.* jam Hungariæ & Bohemiæ Rex, in Regem Romanorum eligitur, in ijsdem Comitijs Eleonora Mantuana Augusta coronatur. Rakoczius, Basilium Moldaviæ Vajvodam, armis invadit, eúmque Provincià exturbat, ac in locum ejusdem Stephanum quendam Cancellarium substituit.

1654. Christina Regina Sveciæ, abdicato Regno, fidem Catholicam amplectitur. *Ferdinandus IV.* Romanorum Rex, Viennæ, anno ætatis 20, moritur. Obijt eodem anno Comes Paulus Palffi, Regni Hungariæ Palatinus. Constantinus Princeps Walachiæ, à suis deponitur, & in vincula conjicitur, sed is feliciter elapsus è custodia, prius ad Stephanum Moldaviæ Vajvodam, ac dein ad Rakoczium incolumis evadit, ac per eundem anno insequenti, pristinæ dignitati, armatâ vi restituitur.

1655. Mahometes IV. Turcici Imperij, (quod hactenus per Vezirios à morte Ibraimi gubernabatur) habenas capessit. Innocentius X. Pontifex Maximus, moritur, succedit eidem Alexander VIII. Carolus Rex Sveciæ, Poloniam invadit. *Leopoldus I.* in Regem Hungariæ, Posonij, 27. Junij coronatur. In ijsdem Comitijs Franciscus Weseleni, in Regni Palatinum eligitur, & Comes Franciscus Nadasdi, fit Judex Curiæ Regiæ, ac Comes Ladislaus Csaki (ut fama ferebat) veneno tollitur. Franciscus Rakoczi à Statibus Transylvaniæ, in Principem Patre vivente eligitur. Georgius Lippai, Archi-Episcopus Strigoniensis, munitionis Præsidij Ujvariensis, magno animo ac liberalitate sibi innatâ, coram Regni Statibus, in se suscipit curam. Larga ubique per Hungariam vindemia, ita ut vasorum inopiam, largitas vini longè superaret.

1656. Pax inter Polonos ac Svecos frustra tentatur. Hos tamen Csarneczius ad Jaroslaviam, quartâ Martij ipso festo Sancti Casimiri, Regni Patroni, insigni clade afficit. Croatæ præclaram de Turcis reportant victoriam. Benedictus Kisdi, Episcopus Agriensis, Cassoviensem Academiam fundat. Georgius Rakoczius, à Polonis tot hostibus circumventis, in auxilium venire rogatur, cum assecuratione successionis in Regno Poloniæ filij ipsius Francisci, si is in fide Catholica educari permitteretur; sed à suis Prædicantibus dementatus, (prout sæpius fassa est Celsissima Principissa Sophia Bathori) postulatis eorum sub annexa conditione, acquiescere recu-

recusat absolutè; hostiliterque potiùs Poloniam intrare, sibique Coronam & Sceptrum Regni statuit usurpare. (Divinâ tamen providentiâ postea factum est, ut idem Franciscus Catholicam fidem, non tantùm non adepto Regno Poloniæ, sed etiam Principatu Transylvaniæ amisso, amplecteretur, quam cum Regno & Principatu conjunxisset, si parens ejus sanctiora consilia secutus fuisset.) Non potuit latere hæc res utrumque Imperatorem, missæ igitur sunt eidem extemplo à Porta Othomanica prohibitoriæ literæ, ne ullo modo Polonos tunc Turcarum amicos præsumat infestare; sed hæ ab eodem contemptæ, iterata ab eadem Porta atrocibus superadditis minis, denuo mandata venêre, sed cum fastu rejecta sunt, nec Sacratissima Romanorum Majestas semet interponere dedignata fuit, misso ad eundem Illustrissimo ac Reverendissimo Georgio Szelepcseni, tunc Regni Hungariæ Cancellario, viro summo, & in varijs ablegationibus etiam ad Portam Othomanicam iterato susceptis, expertissimo, qui sapientissimis suis consilijs, & ponderosissimis rationibus, additis similiter nomine Cæsaris diversis minis, eum à proposito hoc dimovere modis omnibus adlaborabat, sed surdo fabulam cecinit, obstinato enim animo ad imminentem sibi ruinam ultrò festinabat, imò seipsum præcipitabat.

1657. *Ferdinandus III.* Imperator, Viennæ obit 2. Aprilis. Princeps Rakoczius urgentibus fatis Poloniam intrat cum magno exercitu, sed majore cum fastu, adjunctis Cosacis, & Svecis, longè latèque per eam grassatur, sed brevi confœderatis ejus tanquam cautioribus, ad tutiora regressis, solus cum suis relictus, toto fermè exercitu fame confecto, à Polonis circumventus, juxta præscriptas ab ijsdem conditiones, pacem cum ijsdem ignominiosam facere cogitur: ac dein ingentis multitudinis Tartarorum adventu perterritus, in Podolia relicto exercitu, cum trecentorum circiter comitiva, continuato per complures dies itinere Maramorosinum, tandémque Ecsedinum (ubi conjunx, filiúsque ejus erant) inglorius redit. Exercitus verò cum Joanne Keminio relictus, ab innumera multitudine Tartarorum circumdatus, totus quantus, & qui adhuc viginti propè millia numerabat militum, inaudito sanè exemplo, in captivitatem non tam abducitur, quàm abigitur. *Leopoldus I.* Hungariæ Rex, selectum exercitum contra Svecos mittit in Poloniam, & alterum contra Rakoczium deputat in Transylvaniam. Poloni interea ad Munkaczinum insperatè in Hungariam irrumpunt, & bona Rakocziana hostiliter invadunt, ac Patakinum usque depopulantur. *Leopoldus I.* Hungariæ, & Bohemiæ Rex, in Imperatorem Romanorum, Augustæ, coronatur.

1658. Mahometes Turcarum Imperator, offensus Rakoczio, quòd negle-

neglectis suis jussis Poloniam invaserit, Transylvaniæ Principatum eidem adimit: substituitur proinde à Regnicolis in ejusdem locum Franciscus Redei, vir pacificus, ac mitis, sed hic mox à Rakoczio opprimitur. Rakoczius resumpto Principatu, armis se contra Portam Othomanicam vindicare statuit, & Purpuratum Budensem adversùs se venientem, feliciter profligat. Advenit deinde cum centum millibus armatorum supremus Vezirius, & primò arcem Jenö expugnat, ac mox etiam Karansebes, & Lugas occupat. Interea Chamus quoque Tartarorum Transylvaniam intrat, eámque fœdè depopulatur & vastat, quâ excursione supra centum millia Christianorum, utriusque sexûs, vel crudeli neci sunt data, vel in miseram servitutem abducta. Transylvani itaque ad tantas angustias redacti, misericordiam supremi Vezirij implorant, quam tamen non aliter, quàm ingenti depositâ summâ, tributóque annuo aucto, & recepto Acacio Barczaio à se in novum Principem constituto, impetrant.

1659. Barczaius in Principem Transylvaniæ inauguratur. Rakoczius rursus Transylvaniam intrat, ad recuperandum Principatum, Barczaiúmque persequitur, atque hic proprijs viribus diffisus, Temesvarinum auxilia Turcarum imploraturus se recipit: quibus impetratis Szeidi Achmet, Purpurato Budensi sibi adjuncto, (cui ex mandato Portæ Othomanicæ Barczai restitutio in Principatum incumbebat) in Provinciam redit, utrique verò animosè occurrit Rakoczius, pugnámque cum ijs inic, sed infaustam, profligatur enim ab ijsdem, ast neque sic animo pro recuperanda dignitate pristina dejicitur: retrocedente enim Purpurato Budensi, Barczaium Cibinij civitate Saxonicali obsidione sat longâ fatigat. Benedictus Kisdi Episcopus Agriensis moritur. Comes Georgius Homonnai superioris Hungariæ Generalis constituitur.

1660. Barczaius à Rakoczio pressus, rursùs Szeidei Achmet Purpuratum Budensem evocat in subsidium, cui supervenienti, resoluto animo occurrit Rakoczius inter civitatem Claudiopolim, arcémqu Gyula, fortissimèque contra eundem pugnat, sed postquam aliquot hostium suâ manu interemisset, quatuor lethalibus plagis vulneratus, subductus à Duce Prætorianorum, Varadinum perducitur, ibique paucos post dies extingvitur, cadavérque ejus Ecsedinum, ac inde postea Patakinum transfertur. Princeps igitur Barczaius, Cibino egressus, Purpurato Budensi adjungitur, ac cum eodem Hungariam versus tendit. Pervenerat interim Temesvarinum cum universis Europæis Asiaticísque copijs, Purpuratus Alybassa, atque assumpto secum Budensi Vezirio, simul cum Barczaio Principe Varadinum progreditur, illúdque 14. Julij, arctâ obsidione cingit, & 27. Augusti, dedi-

tione

tione capit. Nihil aliud deerat ad hujus præsidij conservationem, quàm numerus propugnatorum, quem quidem Generalis Souches, & Franciscus Wesselenius Regni Palatinus, qui tunc ad Rakomaz cum armada Cæsarea castra metati fuerant, liberaliter Germanico milite augere volebant; sed hunc incolæ, & arcenses Calvinistæ pertinaciter rejecêre, nonnulli ex ijs auditi dicere: se malle Varadini audire Turcarum *Halla*, quàm Catholicorum *Alleluja*.

1661. Expugnato Varadino, Alybassa regreditur, Principémque Barczaium adjuncto eidem pro assistentia Kapussi Bassa, in Transylvaniam remittit. Interea Joannes Kemini Transylvaniam invadit, clam à nonnullis Regnicolis ad Principatum invitatus, quam etiam brevi occupat, & Barczaium Principem, Principatu, mox vitâ quoque exuit, atque pro firmandis suis rebus, Augustissimi Romanorum Imperatoris auxilia implorat, atque etiam impetrat. Princeps Georgius Rakoczius, magna cum solenitate Patakini sepelitur 24. Aprilis, ac dein relictâ ejus viduâ Sophia Bathori, unà cum filio Francisco Rakoczi fidem Catholicam publicè profitetur. Comes Nicolaus Zrinius è regione Canisæ novum munimentum Neo-zrinium nuncupatum molitur & ædificat. Purpuratus Alybassa Transylvaniam hostiliter intrat & vastat, Keminiúmque Regno exturbat. Eodem anno arx Sancti Job à Turcis occupatur.

1662. Joannes Keminius Romanorum Imperatoris suffultus auxilijs, Transylvaniam recuperare nititur. Excellentissimus Generalis Montecuculi, qui in auxilium Keminio venerat Claudiopoli, Szamosujvarini, Betlen, Kővár, & Székelyhidæ, impositis præsidijs, ex Transylvania certis ex causis regreditur. Alybassa Michaëlem Apafium nihil tale opinantem, pro hac tamen dignitate aptissimum, Principem Transylvaniæ constituit, ipséque Temesvarinum ad hyberna secedit. Keminius, Apafium Saspurgi obsidet, sed eidem Kucsuk Memhet Bassa succurrit, cum quo tamen Keminyus magnanimiter pugnam init, ast lapsu equi, vel suorum proditione miserè perit. Princeps Apafius abhinc usque ad præsens tempus pacificè satis Provinciam, tot priùs mutationibus exagitatam, gubernat. Sub idem tempus Reverendissimus Dominus Franciscus Szentgyörgyi Episcopus Vacziensis, in ablegatione à Cæsare ad Principem Apafium missus fuerat, de pace quasi tractaturus, sed per Kucsuk Bassam arestatur, ac Temesvarinum mittitur, & ibidem fato fungitur. Hoc eodem anno, à Cæsare præcisè pro conservatione Patriæ, contra imminens bellum Turcicum Comitia Posonium indicuntur. In ijsdem Comes Franciscus Weseleni Palatinus Regni, aureo vellere insignitur. In ipso festo Ascensionis, inusitatum frigus per totam Hungariam vites omnes concoxit. Hoc eodem anno accidit inaudita

dita illa, èx Carpaticis montibus orta per totum tractum Vagi, & Hernadi inundatio.

1663. Aggrediuntur inſperatè, utpote ad ultimum ferè ſpe pacis Aulam noſtram lactantes Turcæ magnis copijs Hungariam, atque levi cum noſtris ad Parkan commiſsâ pugnâ, cœsâque parte exercitûs Hungarici, temerè cum ijſdem prœlium ineunte, Ujvarinum, aliaque aliquot fortalitia expugnant: eodem anno Tartari Hungariam & Moraviam depopulantur. Comes Nicolaus Zrinius, Generâlis totius militiæ Hungaricæ & Croaticæ à Cæſare conſtituitur.

1664. Vicibus iteratis Cæſar per Generalem Souches in Hungaria reportat victoriam, & Levam ac Nitriam recuperat. Noſtri obſidionem Caniſæ ſolvere à Turcis compelluntur, à quibus etiam non multò poſt Neo-zrinium expugnatur. Poſt inſignem victoriam de Turcis ad Sanctum Gothardum reportatam à noſtris, Pax inter Cæſarem, & Turcarum Imperatorem concluditur. Eodem anno Comes Nicolaus Zrinius Croatiæ Banus, cum Illuſtriſſimo Comite Paulo Eſterhazy, alijſque Magnatibus, pontes Eſzekienſes exurit, aliquótque arces Turcarum expilat, ac deſtruit, cunctaque Quinque Eccleſias uſque devaſtat, ac indemnem exercitum reducit.

1665. Pax inter duos Cæſares ſolenni Legatione ad annos viginti ſtabilitur. Leopoldopolis ad Vagum ædificari cœpta. Székelyhida ex compactatione pacis funditùs diruitur. Comes Nicolaus Zrinius, in venatione ab apro interficitur. Cometa ingens ſub finem anni elapſi ortus, primis menſibus hujus anni, populo terrorem incutere pergit.

1666. Georgius Lippai Archi-Epiſcopus Strigonienſis, vir eximiæ prudentiæ, ac doctrinæ, raræque virtutis, ac merito inter Heroes Hungariæ numerandus, moritur 3. Januarij: ſuccedit eidem Georgius Szelepcheni, poſt officium Cancellarij Regni viginti duobus annis, cum magna ſatisfactione geſtum, póſtque plurima fidelitatis Cæſari, ac Regno præſtita obſequia. Civitas Tyrnavienſis in feſto Sancti Joannis Baptiſtæ, tota ferè exuritur. Quatuor menſium hujus anni ſiccitas, magnam ſterilitatem importat. Celebrantur nuptiæ ſolennes Cæſarem inter & Margaritam Hiſpanam, eâ pompâ, quâ majorem vix unquam Vienna viderat.

1667. Sub titulo extraordinariorum Judiciorum, Conventus Regni Neozolium indicitur, in quo ultimatè cuſa fuit faba omnium ſubſequentium tumultuum ac rebellionum. Eodem tempore, ibidem moritur Franciſus Weſeleni Regni Hungariæ Palatinus, & ipſe per ſuam conjugem tractus in ſeditioſorum partes. Qui tamen poſtmodùm in articulo mortis pœnitentiâ ductus, memórque beneficiorum quæ ab Auguſtiſſima Domo Auſtria-

Auſtriaca cumulatè acceperat, à qua imprimis in Comitatum Ordinem evectus, bonis, arcibus, varijſque clientelis auctus, poſt ad Generalatum Caſſovienſem & ſuperioris Hungariæ, ac demum ad Palatinalem dignitatem, & Equitem Aurei Velleris promotus fuerat, telam univerſæ factionis Cæſari retexere cupiebat, ſed ab uxore, (quæ illum pro arbitrio ſuo verſabat) impeditus eſt. Hinc meritò illa ipſa, deinde poſt mariti obitum, & detectionem conſpirationis, honeſto areſto detenta fuit, in quo etiam diem extremum clauſit. Obijt quoque ibidem, & eodem tempore Joannes Szakmarius, vir officio Perſonalis Præſentiæ, & probitate clarus.

1668. Conſpirationes præmentionatæ, contra Cæſarem clam promoventur, partim per literas; partim per conventicula privata; partim per Acatholicos præcones, qui in ſuis concionibus, Nobilium, & Civium animos ad defectionem ſolicitabant; partim per legationes varias, & ad ipſum quoque Turcarum Imperatorem, & ſupremum Vezirium internuncijs, uſque ad ipſa caſtra, quibus Candiam tunc oppugnabat, miſſis. Sed ex Magnatibus quoque non pauci, & ex Comitatibus, & Civitatibus complures ad eaſdem attrahuntur, ſubſcribentes antea conceptis literis, per quas Turcarum patrocinium & protectio petebatur, & Regnum ijſdem clientali jure, at tributario nomine deferebatur.

1669. Seditioſi in Hungaria, jam de corpore conjurationis certi, de capite ejuſdem curam ſuſcipiunt, & cùm ex Sectarijs nemo ad id ſatis idoneus illis videretur, Stephanus enim Bocskai primæ cæteroquin apud illos venerationis Baro, præter nomenclaturam famoſi quondam Rebellium Ducis, ac Tranſylvaniæ Principis, pariter Stephani Bocskai, nihil in rem præſentem ſufficiens promittebat, ac tanto molimini planè impar videbatur: Occurrebat è propinquo, & ſæpiùs ejuſmodi tumultuum natali ſolo Michaël Apafius Tranſylvaniæ Princeps, verùm is quietis amantior, & Anteceſſoris ſui Georgij Rakoczy malo doctus, maluit ſe in haud ita pridem parto Principatu ſtabilire, quàm aliena quærendo, hunc etiam in certum diſcrimen conjicere. Stephanus autem Tökölius, Emerici Tökölij (tunc adhuc pueri) parens, animo, quàm viribus promptior, morbis jam fractus, nihil ſpei ad recuperandam valetudinem, necdum ad ducendas copias præferebat: alius verò ex Magnatibus Acatholicis, ad rem agendam idoneus in Hungaria nemo ſupererat. Statuunt igitur ipſos tentare Catholicos, atque unum aliquem ex his in rei gerendæ Ducem aſſumere, Religionis nullâ penitùs factâ mentione, ſpecioſo prætento colore, qui non ſolis Heterodoxis arrideret: avitæ ſcilicet libertatis gentis Hungaricæ. Circumveniunt proinde Comitem Petrum Zrinium, Croatiæ Banum, occaſione, quâ is filiam

liam Principi Rakoczio in matrimonium elocaverat, & ad Principem generum invisendi gratiâ, in superiorem Hungariam semel atque iterum venerat, virum cæteroquin manu, quàm consilio promptiorem; & quidem hunc non à fronte, sed quasi ex latere, hoc est per uxorem aggrediuntur, promittentes ambitiosæ fœminæ, posse illam (uti & filiam jam Principissam) Regiâ potiri dignitate, dummodò id marito persvaderet, ut conceptæ conspirationis Ducem agere vellet, cœtera cuncta expedita fore: neque segnem ad sua vota habuêre fœminam, quæ non solùm maritum, sed post & fratrem suum germanum, Comitem Frangepanum, ad suas traxit partes, & intentionem. Restabat tamen adhuc ipse Franciscus Rakoczius, quem suis partibus non accessurum omninò perspiciebant, quamdiu eundem à Principissæ matris Sophiæ Bathori, incomparabilis sui temporis Heroidis latere non avellerent. Persvadent igitur juveni Principi, sub specioso prætextu majoris libertatis & decentiæ, si jam uxoratus, & sui juris factus, non amplius sub disciplina matris, & alieno arbitrio viveret, verùm debitam sibi bonorum & Toparchiarum administrationem usurparet, ac plura ejusmodi proponentes, quæ genium ætatis adhuc improvidæ, blandiùs titillare possent. Quæ machina ubi successisset, mox id quod intendebant, potentiùs urgent, & per socerum, ac socrum speciosis pollicitationibus, imaginarijs designationibus, vanissimisque spebus, juvenis Principis animum complent, oppugnant, expugnant, ac denique persvadent, ut Cæsaris fidelitati renunciet, séque in Hungariæ, aut potiùs factionis caput, eligi patiatur. Socero Petro Zrinio, cum Comite Frangepano, in Croatia, & Hungariæ inferioribus partibus, rem curaturo, cui etiam eæ partes Regni, sic bipartito quasi dominationis Imperio, erant ab ijsdem deputatæ. Fiunt igitur stativa, occulti delectus militum, disponuntúrque ad generalem insurrectionem Comitatus, jubentur prompti esse quovis tempore, ad capessenda arma cæteri incolæ, ac protinus adesse, cùm res posceret, in loco & tempore à Principe designando. Mittuntur subinde à Comite Petro Zrinio novi in Turciam Legati, auxilia promissa exspectantes: sic autem inter eos conventum fuerat, ut uno tempore, simul Zrinius in Croatia, & Rakoczius in superiori Hungaria ad arma conclamarent.

1670. Igitur appropinquante jam præfixo rebus agendis termino, ut quæ consilia in arcano hactenus agitâssent, palàm fierent; ante omnia decernunt Tokainum, vicinam illic munitionem Cæsareo firmatam præsidio, astutiâ intercipere. Loco illi tum præerat Excellentissimus heros, ac Dominus Ernestus Rudigerius Starhenberg, (postea Viennæ propugnator gloriosus, & Sacræ Cæsareæ Majestatis campi Mareschallus, æternâ memoriâ dignissi

digniſſimus) hunc itaque (cui nihil dum de conjuratorum intentionibus innotuerat) de ſuorum conſilio, Princeps Rakoczius Patakinum titulo amicitiæ, & bonæ vicinitatis, cum cæteris Officialibus Cæſaris ad ſe invitat; adeſt ille, nihil doli ſuſpicatus, & mox à valida Conjuratorum manu circumvenitur, exarmatur, incaptivatur, atque in arcem Principis Regécz dictam, ad cuſtodiam deducitur, ipſo uti ad fraudes perduellium, ſic ad majorem eorum vim repellendam haud proviſo. Itur inde mox ad intercipiendum Tokainum, quod jam propugnatore ſuo deſtitutum, credebant faciliùs in ſuam poteſtatem ſe poſſe redigere; validâ ergo manu locum aggrediuntur; ſed opportunè acciderat, quòd ſubtribunus, ſive Vice-Præfectus arcis (alioquin & ipſe cum cæteris invitatus à Principe) tum ex lege militari in præſidio relictus fuerit: hic licèt inopinato ſui Præfecti caſu haud parùm conturbatus, nec ad repentinam obſidionem aut repellendam, aut ſuſtinendam ſatis proviſus, (cùm non appareret, unde hoſtis timeri poſſet) animis tamen haud cecidit; ſed ad vim quâ poſſet virtute propulſandam extemplò ſe alacriter accingit, arcem denique cum ſuis generosè ac fortiter propugnat, adeo ut poſt aliquot dierum conatus irritos, aggreſſores obſidionem tentatam ſolvere, & ad ſua greſſus relegere coëgerit. Interea verò temporis augetur ſeditioſorum numerus, plures ac plures undique ad Rakoczium confluunt, centuriantur cohortes, augentur ſigna, locus & tempus pro generali armiluſtrio deſignatur, & mox etiam coëuntium ſignis completur, & aperta denique Rebellio in lucem prodit. Cùm ecce mirâ DEI providentiâ, quæ juſtorum cauſam non deſerit, hæc invertit omnia repentè, itaque diſpoſuit, ut cùm ſtatus & Ordines Regni Croatiæ ſuis Regibus ſemper fideles, ſeſe maleſanis Petri Zrinij conatibus (contra quam fortè is credebat) opponerent, ac miles etiam Cæſareus adeſſet, factum demum eſſet, ut ipſe Petrus Zrinius unà cum affine ſuo Marchione Frangepano, conſiliorum ejuſdem complice, in poteſtatem Cæſaris deveniret, ac Viennam primùm, inde Neoſtadium ad cuſtodiam adduceretur. Cujus rei nuncio licet primùm non crederetur, brevi tamen comperto veriſſimum eſſe; Princeps Rakoczius confeſtim animo concidit, & pœnitentiâ factorum ductus, exemplóque ſoceri monitus, abſque cunctatione militem dimittit, arma deponit, ad matrem nuper malè deſertam confugit, ejúſque velut inſignis prudentiæ fœminæ, conſilium, patrocinium, & interceſſionem implorat, ac eâ demum intercedente, gratiam à Cæſare impetrat, mansitque poſtea úſque ad obitum in fide Cæſaris, uti conſtans, ita & ſecurus. Protinùs autem Cæſarea Majeſtas validas lecti militis copias, Duce Generali Sporkio, in ſuperiorem Hungariam deſtinat, locíſque munitioribus militum ſuorum præ-

ſidia imponit, complicibus & authoribus Rebellium paſſim diffugientibus, qui partim in Tranſylvaniam, partim in Turciam cum uxoribus & liberis, inopes conſilij ſe ſe recepêre.

1671. Poſonij commiſſio Cæſaris juſſu inſtituitur, ad inquirendum in præfatæ ſeditionis complices, plures Nobilium dantur in cuſtodiam, ſumpto de quibuſdam etiam enormiùs reis, extremo ſupplicio. *Caſſovienſis Citadella* erigitur.

1672. Varia templa, quæ iniquitate temporum ab hæreticis profanata, nullo jure, nullaque lege, ſed dolo, vi, ac fraude occupata, ac hactenus injuſtè retenta fuerant, iterum uſibus Catholicorum, à quorum anteceſſoribus, & in quorum ſolùm uſum ædificata erant, reſtituuntur. Novi tumultus rurſus ab Acatholicis in ſuperiori Hungaria excitantur, qui tamen mox per Excellentiſſimum Generalem Kopff, & Excellentiſſimum Generalem Comitem Paulum Eſterhazi, dein Regni Hungariæ Palatinum, reprimuntur.

1673. Sopita jam, aut ſaltem aliquantum repreſſa eſſe videbatur Rebellio, nihilominus, qui ex Rebellibus ſupererant in Hungaria, non ceſſabant à latrocinijs, & deprædationibus exercendis, illi verò qui ſe in Tranſylvaniam receperant, in cudenda continuatione Rebellionis, ac modis quibuſcunque ad illius promotionem exquirendis, conſilia inter ſe aſſiduè conferebant, oblatámque ſibi gratiam à Sua Majeſtate reſpuentes, in malè ſemel cœptis, obſtinatiſſimi manebant. Auguſtiſſima Margarita Imperatrix moritur. Eperieſino, Cibinio, & Bartphâ, munitiones & tormenta, juſſu Cæſaris avehuntur.

1674. Acatholici Rebelles in ſuperiori Hungaria, palàm Turcis adhærent, atque his nihilo meliores, varias hoſtilitates in Chriſtianos, præſertim verò Catholicos, ac eorum Sacerdotes exercent, eoſdem contumelijs & verberibus afficiendo, captivando, lytro velut mancipia Barbarorum taxando, nec paucos eorum crudeliſſimâ morte, in odium fidei occidendo. Prædicantes tanquam incentores & authores Rebellionis, judicialiter Poſonij convicti, ex Regno Hungariæ proſcribuntur. Non igitur ob Religionem, uti ipſi falsè criminati ſunt, totique Imperio querulosè impoſuerunt; ſed ob læſæ Majeſtatis crimen commiſſum, dum plebem ad ſeditionem, & arma contra legitimum Regem commoverent, & pleraque in finem adornatæ conjurationis exequerentur ipſi; de quo crimine per allegata & probata, ab ipſa Tabula Regia, (cujus deciſiones maximam in Hungaria obtinent authoritatem) aſſidentibus etiam quibuſdam Acatholicis Judicibus, palàm fuère convicti. Unde cùm eodem tempore Svecicus Ablegatus, no-

mine ſui Regis, ſupplicâſſet Suæ Majeſtati, ne perſequeretur Prædicantes, tanquam miniſtros Lutheranorum, reſponſum eſt eidem : Id omninò non fieri ex ea cauſa, ſed propter perfidiam & Rebellionem motam, quo reſponſo habito, & visâ clarè ejuſdem rei veritate, ipſemet poſtea acquievit. Caſſovia majori ex parte incendio conſumitur.

1675. Adhuc tumultuari pergunt Rebelles in ſuperiori Hungaria, qui à ſua Cæſarea Regiáque Majeſtate, ad ſaniora capeſſenda conſilia, fruſtra per Commiſſarios invitati, loca ferè omnia circa Tibiſcum latrocinijs infeſta reddunt. Et juncti quandóque etiam Turcicis copijs, incurſiones faciunt. Interea tamen res Catholicæ Religionis, magis magiſque per Hungariam ſtabilita, Parochis magno numero in locum Prædicantium ſubſtitutis, notabilia ſumit incrementa. Hoc eodem anno ijdem Rebelles ex oppido Turcis Tributario Dôbrôczen, in quo ſub tutela Turcarum vires ſuas recolligere, & ſecurè conſveverant latere, collectis per Excellentiſſimum Generalem Comitem à Straſoldo Cæſareis copijs opportunè ejecti ſunt, rebúſque malè partis, quas eodem coacervaverant, exſpoliati, ac ſæpiùs etiam aliàs pro meritis obſtinatæ perfidiæ caſtigati. Vini exiguus ubique hoc anno proventus.

1676. Acatholici Rebelles in Hungaria, Turcarum auxilia, contra legitimum ſuum Regem, & Chriſtianitatem ſolicitare non ceſſant. Copias interim ex fœce hominum, & deſperatæ conditionis conflant, atque ad aliquot millium numerum circa Tibiſcum inſtaurant. Comitatúſque ſuperioris Hungariæ, uſque ad Liptovienſem, plurimis & crudelibus latrocinijs, rapiniſque infeſtant. DEO, hominibus & máximè genuinis Patriæ filijs, inviſi & exoſi, ob crudelem, & barbaram prorſus immanitatem Obit Claudia Felicitas Imperatrix Viennæ.

1677. Rebelles continuant conſvetas ſuas deprædationes per Hungariam, quin & Eperieſinum ſpe prædæ obſident, ſed mox ad famam adventûs exercitûs Cæſarei, ductore Excellentiſſimo Generale Leslio, diſperguntur. Qui tamen Tibiſcum tranſeuntes, rurſus ad Montanas uſque Civitates excurrunt; & eodem anno, in caput ſuæ factionis Emericum Tôkôlium (abdicato Nicolao Veſſelinyi, qui titulo & nomine tenus ijſdem hactenus videbatur præeſſe) conſtituunt. Interim ex hac vita decedit Franciſcus Rakoczius Munkacſini.

1678. Peſtis in Hungaria graſſatur. Rebellio adhuc continuatur. Tyrnaviam Extraordinaria Judicia indicuntur. Sereniſſimus Rex *Joſephus* naſcitur.

1679. Durat adhuc paſſim & hoc anno per Hungariam Peſtis, ſed neque

neque conquiescit Regnum ab intestinis,ac domesticis tumultibus; malè contenti siquidem aucti nonnullis Gallicis & Polonicis rejectitijs copijs Eperiesinum obsident licèt in cassum, illius tamen suburbia exurunt, & Cibinium, aliaque minora castella expilant, ac deprædantur. Civitates quoque Montanas invadunt, ingentémque ex ijs prædam asportant; & cúm ab appropinquante Cæsareo exercitu se premi viderent, rursus pro armistitio apud Cæsarem supplicant, illúdque etiam obtinent.

1680. Rumpitur iteratò armistitium Cæsareum cum malè contentis, & fiunt utrinque magnæ Regni devastationes ac deprædationes. Ex improviso itaque illi, aliquot companias Caraffæ ad Vagum invadunt, & cædunt. Mox etiam in transitu suburbia Leutschoviensia incendunt.

1681. Sopronij Comitia Regni celebrantur, in ijsque Excellentissimus Comes Paulus Esterhazi, in Palatinum Regni eligitur, & Augustissima Imperatrix Eleonora Magdalena Theresia, in Reginam Hungariæ coronatur. Ad eadem Comitia invitantur à Palatino Regni, etiam Malècontenti, sed hi diffisi suæ causæ, ad illa venire recusant, minas etiam addendo, si quid in ijs conclusum fuerit, quod eorum prætensionibus non arriserit. Interim Cassovia à Transylvanis occupatur, & Szakmarinum levi & inutili obsidione tentatur.

1682. Cassoviensis Citadella per proditionem, à Tőkőlio occupatur, mox & ipsa Civitas, auxilio Budensis Vezirij, ad deditionem cogitur, quâ occasione multa millia Christianorum, in Turciam ad diram servitutem abducuntur. Vicissim verò malècontenti, egregij (scilicet) Patriæ filij, Turcam ad Fűlekinum expugnandum strenuè adjuvant, & deditione extortâ, hostium arbitrio tradunt, abducto ejusdem strenuo Propugnatore Stephano Kohári, in duram captivitatem. Exundationes aquarum ac præsertim Danubij maxima detrimenta, ejusdem accolis, inferunt.

1683. Cassoviam à Tőkőlio tumultuarius Conventus indicitur, & paucorum factione Hungariæ Regnum sub tributo Turcis compromittitur, totaque ferè ejusdem superior pars, à fidelitate Cæsaris deficit. Atque hoc demum anno Rebellio Hungarorum malècontentorum in Turcicum erumpit bellum. Hi enim jam pridem modis varijs, iteratísque vicibus, ac multis importunis sollicitationibus Turcicam adversùs Cæsarem conabantur concitare potentiam, Turca tamen seu ijsdem diffidendo, sive quòd necdum effluxisset pacis ad annos viginti ad Sanctum Gothardum conclusæ tempus, auxilia dare differebat, esto jam priùs per literas protectionales *Atname* dictas, certis conditionibus illos, in suam clientelam recepisset, ijs tamen importunè rem urgentibus, tandem necdum expleto pacis tempore (licet jam

unicus

unicus duntaxat ad illud explendum restaret annus) eandem abrumpit, sed & ipsi malècontenti armistitio suo, quod cum Cæsare habebant, ultroneè abrenunciant. Jámque priùs crebris significabatur literis ingentem undique in Turcia fieri bellicum apparatum, minùs tamen certum fuit Pannoniæ partibus inferendum, ex eo, quòd viginti annorum induciæ, nonnisi anno sequenti exspirarent. Cæsar nihilominus sapientissimè de futuris prospiciens, quâ ratione Christiani Nominis hostis ab Hungariæ finibus repelli queat, omni curâ operâque providet: Quapropter fœdera cum externis Principibus inire, missis ad hunc finem ad Venetos, Moschos, Pontificem, Ducem Bavariæ, & Poloniæ Regem, ablegatis, constituit: dein exercitum ad novam expeditionem reparat, & restaurat, eidémque aptos, habiléſque, ac longo usu bellj exercitatos Duces præficit, ac supremam ejusdem gubernationem, Carolo Lotharingiæ Duci, affinitate sibi juncto committit. Interea tamen Comitem Capraram anno superiore Belgradum, indéque Bizantium ablegaverat, ut quò hic fervens & ingens armorum apparatus tenderet, à Purpuratis, & supremo Vezirio intelligeret, verùm supremus Vezirius Cara Mustapha ancipiti dato responso, Legatum apud se detinet, eundem in castris suis Viennam usque, quam obsidendam decreverat deducturus. Ex his, & alijs manifestis signis Cæsar sibi belli inferendi minimè jam dubius, exercitum maturè in campum educit, ejusdémque armilustrium haud procul Posonio, in amplissimis campis Kitczienſibus instituit, cui ipsemet cum Augusta, & Electore Bavaro, alijsque Principibus, Summus Lustrator interest, ac postmodum Viennam redit: Carolus verò Lotharingus campi Mareschallus, cum tota ea militia, in Hungariam proficiscitur, & cùm ad ò tempestivè exercitus campo successisset, ne miles pugnæ avidus otio torpesceret, Ujvarinum (extremum Turcarum versùs Provincias hæreditarias fortalitium) obsidione cingit, verùm cùm undique certis adferretur nuncijs Mustapham supremum Vezirium cum incondita hominum multitudine Budam accelerare iter, & mox in propinquo adfore, in Austriámque tendere, eandem sapienti consilio (ut hostium obniti conatibus, & Viennæ ipsi succurrere posset) repente solvit, exercitúmque Comaromium reducit, atque illud, uti & Jaurinum ac Leopoldopolim, firmo præsidio, alijsque ad defensionem necessarijs, munit, ipséque in Austriam cum solo equitatu transit, ac continuatis itineribus, ad Altenburgum Teutonicum considet. Accidit autem, ut dum inde exercitum Viennam versùs promoveret, impedimentis majoris securitatis ergò, longo syrmate præcedere jussis; turma Tartarorum, mixta Turcis Hungariſque nonnullis, qui Laitam amnem transnatârant, è sylvula Proncellam inter, & Elend pagos irrueret in Legiones aliquot,

quæ

quæ præmissa impedimenta comitabantur, eásque dissiparet, hæc verò diriperet: ingentes hic casus concitavit in exercitu nostro turbas & motus; verùm Dux Carolus, alias jubet ocyus prioribus succedere legionibus, quæ dum cursum accelerant, Ludovicus Sabaudiæ Princeps, hostium impetu, laxatos ordines, quantâ potest virtute recolligens, suos rursus in hostem educit, strenuèque pugnans, cùm equo succubus, non sine vulnere, eóque lethali corruit (ex quo etiam paucos post dies Viennæ obijt) pari fato Dux quoque Areschotti, dum animosiùs hostem lacessit, pluribus vulneribus confossus, occumbit. Interea Ludovicus Badensis, dissipatas jam aliquot legionum turmas sistit, suísque ordinibus postliminio restituit, ac integras legiones hostibus opponit, quarum vim illi sustinere non valentes, prædam haud contemnendam, hâc tumultuariâ, & vix horariâ irruptione obtentam, celeri cursu præcipites secum abducunt.

Cæsar his nuncijs acceptis, cùm jam clarè pateret Turcas ad obsidendam Viennam appropinquare, convocatis ocyus præcipuis Aulæ Ministris, eorum consilia, quid in re tam ardua, & improvisa faciendum sit, exquirit, qui cùm unanimiter ad securiora discessum svasissent, Cæsar cum Aula sua Urbe excedit, cujus rei famâ per Urbem divulgatâ, metus ingens, ac consternatio, tumultuariáque fuga quàm plurimorum Viennæ tunc commorantium subsequitur. Verùm Urbi addidit animos Caroli Lotharingij, cum equitatu adventus, cum quo in nova Urbe Leopoldopolitana consederat. Interea Tartari universam Viennæ viciniam fœdissimè devastant, & cuncta igne, ferròque, & abductis hominibus depopulantur, quos subsecutus Magnus Vezirius, Urbem obsidione cingit: Carolus verò Dux Lotharingus Danubium per pontes cum equitatu transit, auxiliares fœderatorum ibidem præstolaturus copias, dum sub idem tempus opportunissimè peditatus noster, qui in Insula Schit sepositus fuerat, ex altera parte Urbis, per Insulam Leopoldopolitanam in Urbem inducitur. Dum hæc fiunt in Austria, Tökölius universam ferè Hungariam occupat, multis sponté, alijs verò metu, ad suas pertractis partes, si paucos Magnates excipias (Archi-Episcopus enim uterque, Palatinus item Regni, uti & Regni Cancellarius, Comes Christophorus Erdödi Præses Cameræ, Comes Stephanus Zicsi Coronæ Custos, nonnullique alij, relictis omnibus suis bonis, Regno excesserunt, & Comes Stephanus Csáky Viennæ toto tempore obsidionis substiterat)atque Posonium usque pervenit, ac in Moraviam quoque irrumpit, sed à Carolo Lotharingo tunc cum equitatu Cæsareo trans pontes commorante, binis cladibus afficitur: unâ ad Posonium, quâ fusus fugatúsque & Sentaviam usque pulsus, omnibus impedimentis amissis. Altera ad Moravam flu-

fluvium, quâ decem labara eidem erepta ſunt, & ex ijs, qui ſub illis erant, non pauci cæſi. Interea dum Turcæ acerrimè Urbem oppugnant, coadunantur Chriſtianorum arma Ducéſque, ac periclitanti Urbi ſuccurrere decernunt, aciémque ſic ordinant, ut ſiniſtram alam ſuſtineret Carolus Dux Lotharingus cum Cæſareis copijs, dexteram Joannes hujus Nominis III. Rex Poloniæ, medium Electores Saxo, & Bavarus; mox tribus vijs progreſſi per Montem Cœſium, arduo ſanè itinere, hoſtem aggrediuntur, ac in fœdiſſimam fugam conjiciunt, Urbémque feliciſſimè obſidione liberant, ac univerſa Turcarum caſtra, cum ingenti præda, omnibúſque tormentis, ac munitione, caſtrorúmque apparatu, obtinent, ac diripiunt. Poſtmodum aliquot diebus datâ quiete militi, univerſæ fœderatorum copiæ (Saxone Electore excepto, qui poſt ſolutam obſidionem, cum ſuo exercitu in patriam redijt) inſtare fugientibus hoſtibus, & perſequi Barbaros conſtituunt, ſtructóque ad Poſonium navali ponte Danubium tranſeunt, eôque loco conſiſtunt, quo Turcæ Strigonium inter & Parcanum pontem per Danubium ſtruxerant: præceſſerant autem Poloni, qui gloriâ ducti, non exſpectato cætero exercitu, ſed neque ſuo peditatu, ac tormentorum adventu, ſubitò in hoſtes irruunt, ſed ab ijs repulſi non levem cladem accipiunt, periclitante ipſo Rege cum filio primogenito Jacobo; verùm mox ſuccurrente ijſdem Lotharingo animos reſumunt, Turcáſque in fugam conjiciunt. Interjectis aliquot poſt diebus, fœderati junctis omnibus copijs hoſtem adoriri totis viribus ſtatuunt, aciéque inſtructâ in eundem pedem promovent, Parcanóque appropinquant, aſt Turcæ necdum à noſtris laceſſiti, & jam ad prælium parati, priores ipſi ferociter dextram alam noſtri exercitûs invadunt, in qua potiſſimùm Germani fuerant collocati, verùm cùm hi ferociter reſiſterent, mutato repentè conſilio, in alterum cornu, non minori cum ferocia irruunt, ínque Polonos præcipuum impetum faciunt, quibus dum Generalis Caprara ſuppetias fert, alijque Duces belli ſtrenuè pugnam inſtaurant, Barbarorum ordines perturbantur, obſtinatèque reſiſtentes proſternuntur, cæteri metu perculſi diſſipantur, & quâcunque patebat viâ, præcipiti fugæ ſe committunt; inſequuntur fugientes noſtri, plurimóſque cædunt, donec perveniretur ad Danubij ripas, pontémque per fluvium ſtratum Parcanum inter & Strigonium, aſt hic nimiâ fugientium multitudine oneratus repentè ſcinditur, ac rumpitur, plurimíque hoſtium præcipitantur, gravéſque & prælio defatigati, à gurgitibus aquarum hauriuntur: reliqui quos amnis, ac pons non capiebat, vel in lacum uliginoſum ſe ſe demergentes tormentis petuntur, vel gladio, ac ſclopis interficiuntur; atque in hoc prælio perijt flos militiæ Turcicæ. Hâc tam memorabili victoriâ læ-

Eee ti Chri-

ti Christiani, oppidum Parcanum animosè invadunt, capiunt, & evertunt, & quadringentis prætorianis, & viginti quinque tormentis inde eductis exurunt, & incinerant, mox adducto Comaromio sublimi ponte, Danubium trajiciunt, & Strigonium oppugnare aggrediuntur, atque etiam expugnant, postquàm illud annis octuaginta octo in potestate Turcarum fuisset: varias dein arces vicinas & castella, pulsis, vel ultro ex ijs profugientibus Turcis, recuperant: sícque victor Poloniæ Rex per superiorem Hungariam facto itinere, cum suo exercitu domum redit. Dux quoque Carolus militiam Bavaricam, & Cæsaream in hyberna per Hungariam distribuit, ipse verò Tyrolim, ac Bavariæ Elector Monachium ovantes repetunt, omnésque à suis magno cum applausu recipiuntur: Hungari verò auditâ Viennensis obsidionis solutione, & viso progressu armorum Cæsareorum, tam Magnates & Nobiles, quàm Comitatus inferioris Hungariæ, qui Tökölio sive metu, sive spontè adhæserant, illico ad gratiam Cæsaris confugiunt, atque eandem à Clementissimo Principe facilè impetrant: Quæ res Tököl-lium haud parùm commovit, ut & ipse sibi de securitate provideret, eam ob causam proinde Cassoviam, Eperiesinum, Leutschoviam, & alias insuper arces, quas adhuc sub sua habebat potestate, præsidijs firmat, & sub finem anni emisso edicto, Hungaros, qui ad fidelitatem Regiam redierant, & à se defecerant, non sine gravibus comminationibus ad se revocare laborat, sed planè conatu irrito.

1684. Augustissimus Cæsar post hostem nuper gloriosè obsidione Viennensi depulsum, & in Hungaria prœlio ad Parcanum, devictum, Strigoniúmque receptum, ad victoriæ cursum continuandum operam omnem impendit, atque hunc in finem supplementa exercitûs, novásque legiones conscribi mandat, auxiliares copias à Principibus & Ordinibus Imperij expetit, cum Serenissima Republica Veneta, contra communem hostem defensivum, & offensivum fœdus init, ac cum Polonis arctius confirmat; Electorem Bavariæ ad arma promptissimum, & milite potentem, sibi addictissimum reddit, Summum Pontificem Innocentium XI. unicè hoc bellum promovere zelantem in hoc pio affectu conservat, preces universales & publicas per omnes suas ditiones, pro felici successu belli, instituit, totámque bellicæ expeditionis molem prudentissimè ordinat. Interim etiam reparationem Urbis Viennensis munimentorum, quæ tormentis hostilibus labefactata erant, strenuè, nec sine ingentibus expensis, urget ac continuat, demum ad exstingvendas planè latentes adhuc sub cinere rebellionis in Hungaria scintillas, Serenissimum Carolum Lotharingiæ Ducem, & Baronem Abele Posonium expedit, universalémque per eos condonationem, & amni-

stiam

ſtiam Regnicolis offert, qui novo fidelitatis juramento ſe obſtringere voluerint, quod quidem plerique eorum per ſe, vel ablegatos ſuos haud gravatè præſtant. Adultâ verò æſtate Cæſareus & Bavaricus exercitus Vaczium & Peſthum à Turcis recuperant: Viſegradi civitatem funditus evertunt, Ujvarinum eminùs plocquatâ premunt, Budámque ipſam obſident; verùm ob injurias temporum, & annonæ deficientis incommoda, obſidionem poſtmodum ſolvunt. Interea Tökölius ad Leutſchoviam ſemel, ac rurſus ad Eperieſinum à Cæſareanis profligatur. In Monarchia autem Turcica, magni tumultus, & graviſſimæ diſcordiæ exoriuntur, & ſummus Vezirius, alijque præcipui Aulæ Miniſtri, ob malè res ad Viennam geſtas, laqueo vitam finire coguntur.

1685. Dum noſtri Ujvarinum acerrimè oppugnant, Turcæ Strigonium obſidione tentant, rati hâc ratione noſtros ab illius oppugnatione retrahendos, verùm hâc machinatione majoris victoriæ Chriſtianis occaſionem præbent. Enimverò Sereniſſimi Duces Bavariæ & Lotharingiæ aſſumpto ſolo equitatu, hoſti magnis animis obviant, eúmque aggrediuntur, ac cum eodem acriter confligunt, ac ferè ad internecionem delent, captis ac expugnatis ipſis caſtris, & in prædam actis, omnibúſque caſtrenſibus impedimentis occupatis. Interea autem Generalis Caprara Ujvarinum aſſultu facto capit, præſidiarijſque Turcis omnibus cæſis, feliciter occupat. Nec multò poſt Neogradinum, ſive ex fulmine (ut fama ferebat) ſive ex induſtria à Turcis ſuppoſito ignito fomite, accensóque pyrio pulvere, in auras vibratur; ac magna ex parte diruitur, ſícque à Turcis deſeritur, & à Cæſareanis occupatur. Tökölius interea rebus deſperatis, ad Turcas ſe recipit, & Varadini magno, ſed ſimulato honore, excipitur, nam non multò poſt captivatur, & Belgradum vinctus mittitur. Poſt captum verò Ujvarinum, Generalis Caprara cum parte exercitûs, in ſuperiorem Hungariam vadit, & Caſſoviam recipit, quâ receptâ potior pars Nobilium illarum partium gratiam ſuæ Majeſtatis, & amniſtiam ultrò oblatam grato animo amplectitur. Altera verò pars militiæ Cæſareæ Szolnokum, vicinaſque eidem arces & caſtella recuperat, & Turcas ad *Aradum* inſigni clade profligat.

1686. Cæſar ad inſtaurandum contra truculentiſſimum Chriſtianitatis hoſtem, bellum, omni virium conniſu animum adjicit. Itaque cum Septemviris, de auxiliaribus copijs in Hungariam mittendis ſeriò agit, & præter Brandeburgicorum ſeptem millia, ab Electore Saxoniæ quatuor millia, certis ſub conditionibus accipit. Sereniſſimus autem Elector Bavariæ, cum octo millibus ſuorum ipſemet in Perſona militiam ſuſcipit in Hungariam, nec defuêre aliorum quoque ordinum Imperij auxiliares copiæ; præter quas

aderant nullo conducti stipendio ex Hispania, Gallia, Anglia, Italia complures Nobili prosapiâ oriundi, adeò ut ultra 95. millia bellatorum Cæsareanus numeraret exercitus, cui demum Serenissimus Lotharingiæ Dux è Tyroli, ubi hybernabat, evocatus, præficitur. Tres autem in partes suscepta est hoc anno expeditio, nempe una in Hungariam superiorem, contra rebellionis reliquias, etenim adhuc Munkacsinum pro Tökölij stabat partibus. Ipse quoque Tökölius eliberatus ex aresto Turcico, Belgrado veniens Varadinum, publico misso diplomate ad omnes Hungariæ superioris Urbes, arces, & pagos: olim sibi subjectos, ad vires secum conjungendas, quà minis, quà promissis evocabat: altera verò pars in Croatiam deputata est, ac demum tertia in Hungariam inferiorem adversùs ipsos Turcas. Et quidem corpus exercitûs Cæsarei, unà cum Bavaricis copijs, Budam, biennio licet ab hinc multo sangvine Christianorum cruentatam, summâ vi demùm aggreditur, & post acerrimam, eámque continuatam oppugnationem, in præsentia hostilis exercitus (qui ad solvendam obsidionem advenerat) armatâ vi feliciter expugnat. Quâ re visâ supremus Vezirius exercitum suum (priùs tamen Albâ Regali præsidio militari firmatâ) fugienti similis Eszekum versùs reducit: Hunc itaque Lotharingus cum 40. millibus insequitur, sed neutiquam assequitur, ita timor hosti addiderat alas; arces tamen inter Budam & Eszekum à Turcis desertas fortunatissimè recipit, Budámque reversus, res Urbis, quæ mirum in modum tormentis & incendio deformata, ac ruinata fuerat, in ordinem redigit. Mox Ludovicum Marchionem Badensem, cum aliquot millibus, & nonnullis tormentis Quinque Ecclesias versùs expedit; qui ex itinere, Simonytornam, & Caposvarinum capit, dein copias Quinque Ecclesijs admovet, & post oppugnationem aliquot dierum arbitrio suo ad gratiam & disgratiam ejusdem Præsidiarijs Turcis se tradentibus, deditione recipit. Paulò post Scherfenbergicus occupat Siclosium. Dein nostri Szegedinum oppugnare statuunt, ac Tartaros obsessis opitulari volentes vicibus iteratis profligant, & repellunt, locóque potiuntur, uti & Csanadino non longè ab eo distante, & olim Sede Episcopali insignito, ad confluentiam Marusij & Tibisci situato. In Croatia quoque à nostris nonnulla minora præsidia Turcica, occisis, & interemptis præsidiarijs recipiuntur; & Turcæ Veroviticzam recuperare volentes, sub Ductu Makarij Protribuni cæduntur, atque in fugam aguntur. Sub hæc Generalis quoque Carafa, Fanum S. Jobi, quod tertio à Varadino lapide distat expugnat, & præsidio firmat, pòst Debreczinum versùs movet, oppidanósque ducentis millibus florenorum multat, ingentíque frumenti copiâ militarem vim redimere adigit. Interea Transylvania ad Cæsaris fidelitatem spontè redit: Ragusana quoque Respu-

Respublica clientelæ ejusdem se committit. Turcæ verò tanto progressu armorum Christianorum consternati, pacem à Cæsare solicitant, & ob improsperos rerum exitus, ridiculis, insanísque superstitionibus plenas, placando Numini, & Mahometo supplicationes instituunt: universa autem plebs contra summum Sultanum concitatur, ac commovetur, eidémque ignaviam exprobrat, ac contra eum, ejúsque Aulæ ministros tumultuatur: sed Divinæ Nemesi, non bellicis tantùm calamitatibus, sed & alijs flagellis punire placuit ferocem hunc populum, magnâ in eum immissâ peste, mox etiam excitatis in Arabia domesticis motibus.

1687. Prosperos hos successus in Hungaria, in medio cursu vix non evertunt nonnullorum perververſorum factionis Tökölianæ occultæ machinationes. Res tamen ita clàm agi non poterant, ut eæ ad Officialium Cæsareanorum notitiam, & præsertim Generalis Carafæ, qui superiori Hungariæ tunc præfuerat, non pervenirent. Hic igitur suspectos ad judicium Eperiesinum evocat, & partim vi adduci mandat, legitimèque convictos graviter multat, atque perduellionis reos ultroneè supplicio affici curat. Sed & Finckius Centurio, Budam, Turcis Albaregalensibus prodere volens, deprehensus in vincula conjicitur, & proditionis convictus capite plectitur, quod in eodem ipso loco, per quem hostem inducere volebat hastæ suffixum exponitur, corpus verò in quatuor partes scissum, in vijs publicis suspenditur. Interea Agriæ gravi fame laboranti, Turcæ ac Tartari annonam inferre volentes à Generale Haislero in fugam aguntur, & annonâ quam urbi invehere volebant, exspoliantur. Nec meliori successu Csanadinum, & Fanum Sancti Jobi Turcæ recipere conantur: ab illius siquidem oppugnatione, cùm jam oppidum tormentis quaterent, ad solam advenientium subsidiariarum copiarum famam mirificè consternati rebus infectis discedere coguntur, ab hujus verò infestatione solorum præsidiariorum virtute, & ingruentium imbrium multitudine, non sine suorum damno recedere compelluntur. Novus interea Vezirius Constantinopoli justo cum exercitu proficiscens, ad collapsa & destructa famosissimi Pontis Eszekiensis rudera instauranda animum adjicit, pet quem militiam, in ulteriores partes Hungariæ traducere intendebat, sed subitâ Dravi fluvij exundatione in hoc opere interturbatur, & quamvis repetito conatu reficiendo ponti, operarios, militésque incumbere jussisset, parum tamen hinc commodi sentit, siquidem Cæsareani quidquid is summo cum labore exstruebat, illico sine negotio destruebant. Igitur mutato consilio, infra Eszekum tali loco castra metatur, ut & irruentem forte in se hostem arcere posset, & si quà fugiendum esset, à tergo quoque eidem effugium pateret. Cùm igitur Cæsa-

reani eundem perpetuis aggeribus cinctum, tonantiúmque undique machinarum bellicarum copiâ munitum, commodè aggredi non possent, ad artem confugiunt, recessúmque simulant, ut sic eum in castrorum, sylvarúmque latebris hærentem in apertum campum proliciant, atque stratagema hoc feliciter succedit, Turcæ enim nostros fugere rati, è munitissimis suis castris, aquis uligine stagnantibus, paludibúsque trajectis, cum universo sui exercitûs robore prodeunt, cúmque jam ij in patenti campo essent, nostri in aciem ordinato milite, se contra hostem invertunt, cum eóque congressi, acerrimo prœlio confligunt, atque internecione delent, omníque apparatu castrensi, impedimentis, ac plusquàm centum tormentis, bubalorúmque, boum, equorum, & camelorum, ac mulorum, omnium rerum copiâ oneratorum, ingentíque pecuniâ, aliarúmque rerum abundantiâ, exuunt, & exspoliant: Summus autem Vezirius acceptâ hâc clade fœdissimâ fugâ Eszekinum se recipit, ad quem insequendum Generalis Denewaldius cum decem millibus expeditur, sed hunc supremus Vezirius appropinquare sentiens, relicto præsidio militari Eszekini, Petri-Varadinum, atque dein etiam hinc ob intestinas Turcarum mutuò se calumniantium discordias Belgradum transit, atque ibidem subsistit, plurimis arcibus, & castellis in illa Sclavoniæ plaga vacuis derelictis, ac à Cæsareanis insequentibus occupatis, quin & ipsum Eszekinum ultrò à Turcis desertum, in nostrorum sine effusione sangvinis devenit manus, repertis in eo 52. tormentis, alijsque machinis bellicis, cibariorúmque & annonæ haud exiguâ copiâ. Denewaldius autem hoc arridentis fortunæ beneficio utendum ratus, Walponem quoque invadit, & deditione capit: Posegam dein unà cum alijs adjacentibus castellis Cæsarei juris facit, militaribúsque præsidijs, erectísque munitionibus, quantum temporis ratio ferebat, adversus ingruentem hostium vim firmat. Lotharingiæ verò Dux, cum præcipua exercitûs Cæsarei parte, Transylvaniam intrat, fortalitijsque ejusdem milite Cæsareo imposito, reliquæque militiæ hybernis constitutis, Viennam ovans regreditur.

Hoc eodem anno, Agria, jam à longo tempore à Generale Nigrelli, & Marchione Doria eminus cincta, & fame ad extremam necessitatem redacta, Generali Carafæ certis conditionibus sese dedere adigitur. Præstitêre autem in hac obsidione & receptione Agriæ ex Hungariæ Magnatibus strenuam operam Illustrissimi Comites Stephanus Kohary, & Franciscus Barkoczi, in qua etiam Comes Kohary, dum avidius cum hoste congreditur, globo plumbeo trajicitur, ex quo vulnere tamen mortem evadit, sed ad perfectam illius convalescentiam, pervenire nunquam potuit. Adveniunt hoc eodem anno Legati Moschovitici Viennam, & Moschi in societatem belli

contra

contra Turcas à Cæſare adſciſcuntur. Pro coronide tandem felicium ac proſperarum harum bellicarum expeditionum, circa finem hujus anni, Sereniſſimus Archi-Dux *Joſephus* jure hæreditario, in Regem Hungariæ eligitur, & coronatur. In ijſdem Comitijs, Excellentiſſimus Comes Paulus Eſterhazi Regni Hungariæ Palatinus, in S. R. Imperij Principem creatur, & Excellentiſſimus Comes Stephanus Cſaki in Judicem Curiæ Regiæ per Hungariam (locò Excellentiſſimi Comitis Nicolai Draskovicz Poſonij tunc defuncti) conſtituitur. Interea Othomanicum Imperium graviſſimis tumultibus agitatur, multíque Præfecti, ac adminiſtri Turcici, vitâ, aut dignitate exuuntur, quin & ipſe Mahometes IV. Imperator ſolio deturbatur, eidémque frater ejuſdem Solimanus, qui cum altero ſuo fratre Achmete 40. jam annis cuſtodiâ detentus erat, illico ſubrogatur.

1688. Felicitas huius anni à Munkaczienſis fortalitij, quod non minori Cæſareæ militiæ, induſtriâ, vigilantiáque omnibus ejus aditibus obſeptis clauſum tenebatur, à Tőköliana (quæ hactenus nullis fortunæ adverſantis vicibus ad deditionem illius inflecti ſe paſſa fuerat, niſi poſtquam Hungariæ Ordines, exaratis ex Comitijs Regni literis, ſeriò graviterque eam adhortati fuiſſent, ut hoc præſertim tempore, quo ex communi Regnicolarum conſenſu, Sereniſſimus *Joſephus* Rex inauctoratus eſt, ſe votis totius Regni accommodet) deditione Generali Carafæ factâ, ſumit initium. Quam non diu poſt ſequitur Albæ Regalis à Turcis facta deditio, eandem adurgentibus Excellentiſſimo Comite Adamo Battyani, Comite Joanne Eſterhazi Jaurinenſi Vice-Generali, & Barone Arejzaga Commendante Leopoldopolitano. Dein & Tranſylvaniæ Ordines, omni correſpondentiæ cum Turca renunciant, & ſub clientelam Cæſaris, ejúſque Succeſſorum, eo jure, quo cæteræ Provinciæ ad Coronam Hungariæ ſpectantes, plenè ſe ſe ſubmittunt. Sed & Generalis Carafa caſtellum Lugaſium haud procul à Temeſvarino ſitum, *Pacij* Tribuni operâ, deditione à Turcis recipit. Braſſovia inſuper Metropolis Tranſylvaniæ, præſidium Cæſareum, quod hactenus recuſaverat, acceptare adigitur. Generalis autem Caprara Illokum, in Sclavonia Turcis eripit. Quoniam verò Cæſareanorum Ducum, ac Electoris Bavariæ præcipuum propoſitum fuerat, ut Belgradum, ſeu Albam Græcam Turcis eriperent, ideo prohibendis vicinorum hoſtium excurſionibus occurrendum ſtatuunt: Ideóque Ludovicus Marchio Gradicskam, Comes Adamus Battyanius Caniſam, Vechius Szigethum, Nigrelli Varadinum arctâ indagine cingere, commeatúmque hoſti accidere jubentur: Ipſe verò Sereniſſimus Elector Bavariæ Emmanuel Maximilianus, cum præcipuo robore exercitûs, Savum fluvium navali ponte impoſito heroico tranſit animo, nihil morante eum, hoſtili cuſtodiâ ad-

verſæ

versæ ripæ fluminis oppositâ, in qua Tökölius cum decem millibus Turcarum invigilabat, & transitum nostrorum impedire nitebatur, atque mox ad obsidionem Urbis se accingit, captísque suburbijs amplissimis, ipsam Urbem & arcem, structis tormentorum suggestibus acriter oppugnat, & licèt obsessi strenuè & pertinacissimè se defenderent, tandem tamen armatâ manu gloriosè expugnat, estò non sine multorum suorum amissione. Interea Semandria quoque quondam Rasciæ Metropolis, à Turcis metu deserta ab Haidonibus Hungaris, & à Ludovico Badensi *Titul* occupatur. Generalis Veterani pariter cum quatuor millibus è Transylvania egressus Caransebesum recipit, ac Haislerus Generalis Vigiliarum Præfectus copijs in Bulgaria præesse jussus, Posaraviczam Cæsari subjicit. Post hæc verò & Szigethum situ loci, operéque probè munitum (in cujus obsidione Solimanus Turcarum Imperator obijsse anno 1566. legitur) in dies magis magísque ingravescente fame, & non affulgente spe ullâ subsidij, aut commeatûs, tandem in leges deditionis consentit. Singularem verò fortunam experitur Marchionis Badensis expeditio, is enim ubi hostiles copias, prope Gradiskam hærere cognovisset, castris statim ad *Unnam* fluvium promotis, adjunctísque sibi Croatis, ex itinere Cosztaniczam, Jaszenoviczam, & Dubiczam capit, pòst, Gradieskam desertam, ac conflagrâsse diffugientibus Turcis reperit, ac demum ad Triveniczam Bosniæ pagum cum ijsdem confligit, ac memorabili victoriâ profligat (estò eorum quadruplo plures, quàm nostrorum fuerint) occisis Barbarorum sex millibus, & duobus millibus captis, reliquísque in fugam actis, & Christianorum vix ducentis desideratis: Porrò dum rectè expugnatum fuisset Belgradum, eo ipso die, quo solennes DEO agerentur gratiæ, pro felicissimo successu expugnationis tanti Fortalitij, eodem adveniunt Turcici Legati, pacem solicitantes, qui ad colloquium à Duce admissi, opiparoque prandio excepti, ab eodemque publici Passûs ad Cæsarem litteris impetratis Posonium expediuntur, indéque Potendorfium deducuntur. Sed ecce repentè hic felicissimus Christianorum & victoriarum contra communem Christianitatis hostem, progressus non parum impeditur & retardatur, dum Christianissimus Rex insperatè Cæsari, atque toti Imperio bellum indicit, re ipsâque illud hostiliter invadit.

1689. Indicto hâc ratione à Gallis Imperio bello, réque ipsâ illato, Turcæ, & Tököljus altiores jam sumunt spiritus, nec immeritò, Cæsaris siquidem vires in Hungaria plurimùm hoc incommodo oportebat imminuni, atque distrahi unâ parte exercitûs ex Hungaria in Imperium missâ, ipsoque Duce Lotharingiæ tot victorijs contra Turcas hactenus obtentis inclyto, supremam armorum Cæsareanorum ibidem, contra Gallos gerere jusso. Huic tamen

tamen substituitur haud minoris fortitudinis & experientiæ Belli Dux Marchio Badensis, eidémque summa rei militaris committitur. Interea tamen Legati Turcici elapso anno pro pace concludenda missi Potendorffio Viennam solita cum pompa ad Cæsaris audientiam deducuntur, præsentatísque authenticis fidei literis, in id se missos significant, ut pacem hoc bello interruptam, rursus redintegrent; ad quod petitum pro responso accipiunt: Cæsarem utique non abhorrere à pace redintegranda, dummodo idoneæ eidem conficiendæ proponantur, vel propositæ à se, ab ijsdem acceptentur conditiones: Verùm cùm à confœderatis Principibus, ipsóque Cæsare multa peterentur, quæ eorum potestatem omninò excedere viderentur, super hoc negotio, facultatem, Cursorem suum mittendi ad Sultanum pro clariori informatione postulant, quam etiam impetrant. Et quidem plebs & Status Imperij Turcici ob continuata belli mala, ingruentem rerum inopiam, contributionum pro militia immensa onera, ac accisam hâc tempestate mercimoniorum cessationem adeò potenter expetebant, ut nisi bello finis properè imponatur, apertè palámque defectioni Sultano minari non dubitarent. Sed & ipse Sultanus quibuscunque tandem conditionibus pacem redimendam seriò anhelabat; ast hujus animum, mentémque Legatus Gallicus, planè evertit; is enim Bizantio Adrianopolim profectus, à Rege suo mandata se accepisse affirmabat, ut non solùm defensivum, sed etiam offensivum cum Turcis fœdus ineat, adpromittens Regem suum vires Cæsaris in Imperio ita distracturum, ut ijsdem liceat non tantùm sua tueri, sed & ea, quæ hactenus amissa sunt, recuperare. Ergo Sultanus accitis ad consultationem etiam Chamo Tartarorum, ac Tökölio quoque, bellum semel inchoatum, imposterum etiam esse continuandum decernit, & quamvis illius designationes plurimùm interrumperent duorum Asiæ Præfectorum rebellio, atque Moschorum in Tartariam Criminensem irruptio, his tamen non obstantibus, omnes, quas poterat, sui Imperij vires convocat, & præcipite mense Aprili in campum educit, ac castra ad Adrianopolim posita ipsemet lustrat, suâque præsentiâ haud leviter erigit, ac animat, ac demum exercitu toto Summo Vezirio commendato, ipse Adrianopolim redit: Supremus itaque Vezirius gloriæ cupidus muneri sibi imposito satisfacere volens, hoc præsertim tempore, quo Cæsaris vires Gallico bello distractæ erant, antequam Christianis nova, quæ exspectabant subsidia, accederent, rebus præclarè gerendis, animum & manus applicare statuit. Novigradum igitur oppidum supra Widinum ad Danubij ripam situm finiente Junio per Tökölium aggreditur, atque illud occupat, uti & Orsovam, licèt utrumque dein locum subito igne incenderit, & incineraverit.

Verùm & Ludovicus Marchio, cauti, & non minus fortiffimi Ducis officio fungitur, unde probè conftitutis Walachiæ & Sclavoniæ finibus, hofti obviam magno animo procedit, cum eodem decretoriâ pugnâ, fi fors, & occafio tulerit decertaturus. Jam verò utraque caftra fibi ad invicem appropinquabant, folo flumine Moravo illa præterfluente. Sed dum Vezirius flumen tranfire retractat, quin & veftigia retro legit, alijfque modis exercitum noftrum diftinere laborat; Ludovicus Marchio 4. Calendas Septembris, equeftribus copijs fluvium tranfit, hoftilifque equitatûs partem adoritur, & in fugam convertit, fugientémque infequitur: Interea & peditatus eodem flumine tranfmiffo, exploratoque locorum fitu, prætorianos milites trium circiter millium, qui viarum anguftias, per quas noftris tranfeundum fuerat, magno cum animi ardore invadit, & reluctantes loco movet, & ad ulteriora fe recipere adigit; Poftridie verò Marchio juncto peditatu equitatui, & aditibus locorum, quos Turcæ adhuc tenebant, haud multo labore occupatis, per fylvas, impeditáfque vias, fugientes, ad ipfa ufque caftra Turcica infequitur. Quo vifo cæteri quoque Turcæ, qui in caftris fuerant, vehementer confternati, relictis ipfis caftris, omníque eorum bellico apparatu, impedimentífque; magna cum trepidatione in fugam vertuntur, noftri fic temerè relicta ab hofte caftra protinus invadunt, ingentémque in ijs pecorum, omnífque generis cibariorum, & inftrumentorum bellicorum copiam reperiunt, ínque prædam agunt, ademptis hofti infuper 105. tormentis bellicis. Dein ibidem DEO gratijs pro hac victoria actis, ipfis Calendis Septembris, ad Niffàm movent, & pleniora caftra Turcarum 60. millium adoriuntur, commiffóque acri & repetito prælio, de ijfdem gloriofam victoriam reportant, multis eorum cæfis, plurimifque in Niffava fluvio merfis, ita ut crederentur hâc clade decem hoftium millia perijffe, Chriftianorum ultra 300. haud defideratis læsífque; longè autem major ftrages hoftium edita fuiffet, nifi nox, quæ inftabat, noftros ab ijfdem infequendis impediviffet. Interea Chriftiani, his quoque alijs caftris cum omni fuppellectile, 30. machinis bellicis, 300. generofis equis, mille tentorijs, aliâque divite prædâ potiuntur. Poft hæc Marchio Ludovicus ipfam Niffam Urbem occupat, & hanc, uti & alias arces circumjacentes, à Turcis metu, ac terrore defertas, militari præfidio firmat: Dein Widinum versùs tendit, Civitatémque & arcem, exiguo temporis fpatio in Cæfaris poteftatem redigit. Nec minùs ftrenuè fortitérque interea Generalis Picolomineus rem gerit: expugnato enim Kazantko munito admodum caftro, Scopiam peramplam, fed muris mœnibúfque deftitutam, & ab incolis metu defertam, aliàs Urbem prædivitem, & populofam ingredi-

greditur, & exportatis ex ea cibarijs, mercibúſque quæ ibidem erant, ſubjectis facibus delet; ſed non diu pòſt 9. ſcilicet Novembris, magno dolore totius exercitûs fatis cedit. Sed & Holſatiæ Dux ad Scopiam Civitatem feliciter cum Turcis confligit, duobus millibus ex iiſdem diſcerptis, & obtruncatis, Urbémque poſt obſtinatam incolarum defenſionem, ferro, flammíſque adhibitis perdomat, & in cineres redigit. Summus verò Vezirius ad tumultuantis plebis inſtantiam, munere ſuo, & dignitate demovetur. Hoc eodem anno exeunte Junio Comes Joannes Draskovics, aſſumptis 1200. Croatis in Boſniæ finibus feliciter confligit cum Turcis, in ſignúmque victoriæ, undecim vexilla, per filium, Viennam mittit.

1690. Felicitatem anni prioris, aliqua ex parte ſi non interturbavit, ſaltem attemperavit adverſa fortuna anni currentis, ipsâ quidem die primâ Januarij infauſtè commiſſum prælium à Tribuno Stroſſero cum Tartaris, animos auxit Turcarum, apud quos hæc ſuperſtitio viget, ut à felici in novo anno eventu, de totius anni fauſto, vel infauſto ſucceſſu conjecturam faciant. Extincto námque & morte ſublato Picolomineo, Dux Holſatiæ eidem ſuccedere juſſus fuerat, in ſummo militari Imperio, in Albania, atque conterminis ejuſdem Regionibus, qui nihil antiquiùs habebat, quàm ut militibus in idonea loca diſpoſitis, fines earum Provinciarum adversùs irruentium fortè hoſtium machinationes, abundè muniret. Is itaque ubi certis nuncijs accepiſſet, Tartaros cum viginti millibus, tranſitum per Danubium tentare, validámque impreſſionem facere, in animo habere; Stroſſerum Tribunum ex Urbe Niſſa evocat, eundémque cum commiſſis copijs infra Priſtinam idoneo loco conſiſtere, & Picolomineam cohortem, properatis itineribus adventantem ibidem exſpectare, & præcisè paſſibus, & aditibus cuſtodiendis invigilare demandat. Aſt ille moræ impatiens, & avidus gloriæ, hoſtibus occurrere, copijs ſuis in campo explicatis ad Kazinkum non dubitat, ubi à multitudine eorum facilè circumventi noſtri, licèt per ſeptem horas ſtrenuè pugnantes, omnes ferè, paucis evadentibus jugulantur: funeſto hoc conflictu, non modo campeſtria aliquot tormenta, & vexilla amiſſa, ſed & è noſtris 2241. deſiderati ſunt, quos inter fuêre ipſe etiam Dux expeditionis, & complures alij militares Officiales, illuſtríque genere orti, ac Hannoverianus quoque Princeps: Poſtridie adeſt & Picolominea cohors, omnium quæ acta ſunt ignara, Stroſſero ſe ex condicto jungere volens, at in validas eorundem Tartarorum incidit manus, quæ eouſque colluctata, donec nox conflictum dirimeret, properè Priſtinam, ac cùm hanc à noſtris deſertam reperiſſet, inde Niſſam revertitur.

Eodem Anno, die 27. Januarij, Sereniſſimus *Joſephus* Rex Hungariæ,

in Regem Romanorum, & Auguſtiſſima ejuſdem Mater, in Imperatricem magnâ pompâ coronatur.

Item Caniſa poſt longam plocquadam ab Excellentiſſimo Comite Generali Adamo Battyani, & Illuſtriſſimo Comite Stephano Zichi, continuatam, deditione recipitur, poſtquam annis 90. ſub poteſtate Turcarum fuiſſet, & intera binas obſidiones irritas ſuſtinuiſſet.

Item Carolus Lotharingiæ Dux, tot victorijs de Turcis in Hungaria reportatis clarus, dum à Cæſare Viennam è Tyroli evocatur, in itinere Welſij in Superiori Auſtria catharro ſuffocativo anno ætatis 50. Aprilis 12. die, magno totius Chriſtianitatis dolore ſubitò extingvitur. Quem paucis diebus antevertit in hoc ſtadio Michaël Apaffi Tranſylvaniæ Princeps. At Turcæ ad pacem ineundam valde inclinati, ſvaſu Legati Gallici, omnem actionem de pace vehementer illis diſvadente, Regiſque ſui operam in adjuvando ac promovendo bello contra Cæſarem ijſdem adpromittente, & liberaliter offerente, totam curam & animum ad arma convertunt, & ad continuationem belli ſe reſolvunt. Novus itaque Vezirius bipartito exercitu Cæſareanos invadere ſtatuit, ita ut præcipuo corpori exercitus ipſe præeſſet, quod Niſſæ primùm, ac dein Belgrado admoveret, altero verò Ductore Tökölio Tranſylvaniam invaderet. Ipſe proindè motis Sophiâ caſtris, cum ingenti bellatorum agmine Niſſam versùs movet, eamque (priùs tamen expugnato Pyrotho) obſidione cingit, atque etiam poſtmodum deditione accipit, fortiſſimo licèt præſidio Germanorum firmatam, & pluſquam centum machinis bellicis, omnibúſque rebus ad ſuſtinendam obſidionem idoneis inſtructam. Poſt hæc pari felicitate Vidinum quoque in ſuam poteſtatem redigit, ac Samandriam quoque vi capit. Ex altera verò parte Tökölius, cum commiſſa ſibi parte exercitûs, qui tamen Tartaris præcipuè conſtabat, in Tranſylvaniam avidè contendit; neque id latebat Hajslerum ſummum ibidem Cæſareæ militiæ Ducem; qui proinde partim ex Germanis, partim ex provinciali milite, ſub ductu Teleky (denominati Gubernatoris Tranſylvaniæ, & hoſtis capitalis Tökölij) conflato exercitu, conabatur ſumma cum diligentia impedire irruptionem Tökölij in Provinciam, paſſibus anguſtiſſimis, per quos eidem aditus, patuiſſet, ſeriò invigilando, Tökölius tamen per incognitos & confragoſos calles eandem ingreditur, ſtatímque noſtros hoſtiliter aggreditur. Ubi quidem à Cæſareanis fortiter & ſtrenuè ad initium pugnatum eſt, adeò ut Barbarorum plurimi ſternerentur cum ſpe, quaſi certæ victoriæ, cùm ecce ex improviſo Tranſylvani & Siculi Ducis ſui Telekij morte intellectâ (qui in ipſo fervore pugnæ, generosè pugnando occubuit) in turpem fugam ſe convertunt,

tunt, & ſolùm equitatum Germanicum in prælio relinquunt, qui quidem conſtantiſſimè adversùs Barbaros (eſtò numero longè ſuperiores) præliando præclara fortitudinis ſpecimina edidit, poſtremò tamen ab inſigni hoſtium multitudine circumventus opprimitur, amiſſis ſuorum 1200. & reliquis fugatis, ipsóque Duce Haislero capto, uti & Marchione Doria. His ita conſtitutis Ludovicus Marchio Badenſis, cùm tanto exercitu non abundaret, ut utrique parti ſuccurrere potuiſſet, judicabat prudenter, ſatiùs fore, ſi bene priùs proviſis, quæ ſuſtinere obſidionem ad certum tempus poſſent, integræ Provinciæ Tranſylvaniæ ſuccurreret, eámque Cæſari conſervaret. Igitur properatis itineribus cum exercitu in Tranſylvaniam vadit, eámque Petroczio Tôkôlij complice, nequicquam id impedire conato, feliciter penetrat, Tôkôliúmque ad pugnam haud obſcurè provocat, verùm is nuſpiam conſiſtere auſus, univerſam Provinciam pervagatur, inſiſtente ſemper veſtigijs ejus Ludovico, tandem finiente Octobri Tranſylvaniâ excedere cogitur. At ſummus Vezirius, abſentiâ hâc Ludovici Marchionis animatus, Belgradum caſtra admovet, illúdque obſidet. Et hoc quidem ad obſidionem tolerandam, uſque dum Marchio rediret, imò & ad longius tempus, quoad omnia neceſſaria optimè tunc proviſum fuerat, quàm etiam ſuſtinuiſſet, niſi fatalis alius caſus interveniſſet: Pulveris enim pirij promptuarium, ab igne ſuppoſito, vel certè ab hoſte ignivomo globo injecto, ignem inſperatè concipit, & horribili planè fragore, inſtar ingentis terræ motûs edito, arcem utrinque conquaſſat, mœniáque & valla versùs Savum unà cum tormentis, militibúſque ibidem exiſtentibus, in foſſam præcipitat, humóque contegit, qui verò in alteram partem arcis ſe receperant, penè omnes opprimit, horribilíque incendio atque ruinis totam ferè Urbem delet, paucis reſiduis Chriſtianis diffugientibus, & ægrè ſe ad alteram partem Savi recipientibus: Turcæ itaque paulatim fumeâ pulvereâ caligine ſedatâ, Urbis ruinas magnâ vociferatione ſubintrant, turmatímque per omnes illius plateas diſcurrunt, ſeminecéſque & combuſtos, quos deprehendunt, crudeliſſimè jugulant, eandémque unà cum arce occupant, ac expurgatam à ruderibus magnâ iterum curâ muniunt, & adversùs vim hoſtilem firmant. Poſtmodum verò trajecto Savo, Eſzekum Duce Haſſano Boſniæ Præfecto obſidione cingunt, acritérque illud oppugnant, verùm à Duce de Croy, qui milites minutioribus Præſidijs impoſitos in unum collegerat, inſigni ſtratagemate perterriti, & ſubitò terrefacti, eam trepidè ſolvunt, & tormentis, multóque apparatu caſtrenſi, impedimentíſque relictis, diffugiunt. Sicque Campaniâ hujus anni finitâ, utriúſque partis milites ad hyberna diſtribuuntur.

1691. Proto-Vezirius Cuperlius vir ſagax, & conſilijs, longôque temporis uſu potens, anni prioris proſperitate animatus, majores etiam in futurum ſibi ſucceſſus adpromittit, vel veriùs fingit; Itaque inter Perſas & Turcas firmatâ pace, totus in id incumbit, ut reparatâ priſtinâ nationis ſuæ gloriâ univerſam Hungariam potentiæ Otomanicæ ſubjugaret, aut ſaltem hactenus amiſſa in Hungaria recuperaret. Quare per omnem Imperij Turcici Dominatum ſupra conſvetum prioribus annis, hujus belli modum, bellum parat, militarem nervum, ſeu pecuniam operosè conquirit, copias armigerorum ex Aſia & Europa convocat, terreſtres ac navales apparatus inſtruit: Interea verò Sultanus Turcarum Imperator moritur, & inter alios de Imperio concertantes, operâ Neo-Vezirij Cuperlij, frater defuncti Imperatoris, eidem ſubſtituitur. Agebant autem tam apud defunctum, quàm apud recenter creatum Imperatorem ſtrenuam operam pacis ineundæ Anglorum, & Hollandorum Ablegati, at Ablegato Anglico Huslego è vivis inſperatè ſublato, & Hollandico in gravem infirmitatem incidente, tractatus pacis interrumpuntur; quâ occaſione arreptâ Orator Gallicus, faciliùs ſua negotia apud Novum Sultanum promovet, atque opima ſpolia ſperata commendando, Vires Otomanicas, ſupra modum extollendo, & Cæſareas deprimendo, fœdus nuper fraternum inter has duas nationes Chriſtianiſſimum ſcilicet, & totius Chriſtianitatis inimiciſſimum, initum, in memoriam revocando, inſuper Regis ſui gravem offenſam minitando, id efficit, ut ad hujuſmodi ſuggeſtiones Sultanus bellum continuandum decerneret, illicóque Proto-Vezirium Belgradum ad maturandas expeditiones, amandaret. Sed & Auguſtiſſimus Cæſar, pacem nonniſi glorioſam habere cupiens, his machinationibus Gallicis minimè conſternatur, neque ob fortunæ anno priore aliquantum adverſantis iniquitatem, animo frangitur, quin potiùs in futuros belli eventus conſilia & induſtriam omnem confert, copias undique conſcribit, confœderatos Principes in communem hoſtem animat, fortalitia Belgrado oppoſita magnis expenſis firmari curat, ac tandem toti exercitui de optimo Duce providere ſatagit, ideóque eidem rurſum Ludovicum Marchionem Badenſem præficit. Antequam autem uterque exercitus ad locum ſibi deſtinatum conveniret, minores ex utraque parte complures factæ ſunt velitationes, jam Tökölianis, jam Turcis præſidiorum finitimorum, jam Tartaris, quin quandóque & Walachis, Cæſareanos infeſtantibus; verùm hi repellebantur, & carptim cædebantur à Generali Nigrelli, & Bolando Barone ac Colonello; Tökölianis verò conatibus de occupanda Tranſylvania fortiter reſiſtebat Generalis Veterani, illius copias ſæpiùs fugando, ac inſuper Lippam (per revolutionem anni prioris à

ris à

ris à Turcis occupatam) ſpectante planè hoſtili exercitu, aggrediendo, & feliciter recuperando. Turcarum copiæ interim Albam Græcam inter & Semandriam magno numero conveniunt, ad quas non diu pòſt Magnus Vezirius advenit, eaſdémque luſtrat, ijſdem deductis ad Zemlonium trans Savum caſtra figit. Ludovicus quoque Badenſis ad caſtra noſtra, quæ ad Budam confluxerant, Viennâ deſcendit, ſolennitérque ab armada univerſa excipitur, eâque luſtratâ, eandem Eſzekinum, ac inde ad Petri-Varadinum deducit, ibidémque collocat. Hinc verò poſtmodum exercitum ad unius tormenti ictum ad caſtra hoſtilia acie explicatâ promovet, præliúmque depoſcit: At verò Vezirius cunctando rem ſuis reſtituendam ratus, intra munimenta caſtrorum ſe continet, & ſequenti die quoque in ijſdem hæret. Cùm itaque noſtri aliàs prælij avidi hoſtem ad illud ex caſtris elicere non poſſent, eundem intra ſua munimenta invadere ſtatuunt, ſed cùm exploratorum fide compertum haberent, hoſtilia caſtra bene Danubio & Savo incluſa, & præterea tumulis, foſſis, vallis, & multis pro depellendo inſultu rebus idoneis, & tam tormentis, quàm aculeatis, ferróque præmunitis vectibus eſſe munita, atque adeò hoc opus arduum valde, dubiæque aleæ futurum cernerent, hanc ob cauſam Ludovicus Princeps cenſebat conſultiùs fore, præmiſſis impedimentis, aliquantiſper recedere, & ad campos Petri-Varadini exercitum perducere: Interim Turcæ noſtros fugere arbitrati, ex ſuis caſtris munitiſſimis prodeunt, & terga cedentium inſtanter premunt, & eas potiſſimùm cohortes, quæ tutando itineri relictæ erant, continuis aggreſſionibus infeſtantes, ſine tamen notabili noſtrorum damno, atque ſic integro ſine noxa reducto exercitu, Marchio loco magis opportuno ad Danubij ripam; prope caſtellum Szalankemin caſtra locat, ſequenti verò die Turcæ quoque caſtra ſua promovent, & contra Chriſtianorum caſtra iter inſtituunt, & hoc in itinere Bucquoianam cohortem tardiùs ſe expedientem, cum 200. curribus annonarijs, multitudine obruunt, & ad internecionem ferè cædunt, omni commeatu, impedimentis quoque cunctis in prædam raptis. Quo ſucceſſu erectiores facti, ad Petri-Varadinum propiùs accedunt, caſtríſque ibidem non procul à noſtris collocatis, omnem commeatum Chriſtianis prohibere conantur, quod incommodum noſtri præcavere volentes, hoſtilia caſtra invadere ſtatuunt, atque re ipsâ magno impetu aggrediuntur, & licet eâ opinione ſua longè munitiora inveniſſent, à propoſito tamen non deſiſtunt, ſed initio dato à dextra ala ſtrenuè oppugnant, reſiſtentibus non minori fortitudine Turcis, & planè variante fortunâ, & dubio eventu in quamnam partem inclinaret victoria; interim ſiniſtra quoque ala noſtri exercitûs, quam Dennewaldus ducebat

ſuper-

supervenit, emensis itinerum incommodis, quibus retardabatur, alterámque partem hostilium castrorum adoritur: Ipse vero Ludovicus Princeps Hungarorum & Rascianorum levis armaturæ quinque millia assumit, eósque in medium castrorum impetum facere jubet: Mandata hi promptè exequuntur, & cunctis obvijs prostratis, stupendam stragem, nec leve momentum victoriæ edunt; sequebantur siquidem hos reliquæ Cæsareæ cohortes in hostilia castra, per latera, pérque terga animosè irrumpentes, & licet tam peditatus, quàm equitatus Turcarum fortissimè se defenderet, ad extremum tamen à nostris superantur, & in fugam aguntur, excepto prætoriano milite ad interiora castra refugo, quem proinde novâ pugnâ superare necesse fuerat. Eximia, sed simul cruenta fuit hæc victoria: Periêre siquidem in hac pugna primarij exercitûs Turcici Præfecti ferè omnes, ipséque supremus Vezirius, & primus prætorianorum Præfectus vulgo Aga Janiczerorum dictus, creduntúrque è Turcis, propè quinquaginta millia, partim in conflictu, partim in fuga perijsse: Cesserunt Cæsareanis in prædam & spolia universa castra, impedimenta omnia, cuncta tentoria, commeatus ingens, equorum, & camelorum maximus numerus, boum plusquam decem millia, tormenta majora ex ære fusa 158. plurima quoque vexilla, tota insuper pecunia publica, solvendis stipendijs militaribus destinata. Ex nostris autem desiderati sunt in peditatu 1759. in equitatu 829. non pauci etiam ex Officialibus majoribus, & nobili ex stemmate progeniti, quos inter numerabantur: Christianus Dux Holsatiæ, Comes Caunicziús, Comes Koloniczius, Comes Bucquoi, Comes Pöthingius, Comes Starembergius, Comes Adamus Zrinius, ultimus antiquissimæ suæ familiæ, & de Hungaria, ac tota Christianitate meritissimæ, hæres, saucij quoque plurimi. His peractis selectiora vexilla à Ludovico Principe Cæsari mittuntur, & solennes DEO grates in castris referuntur, dein mortui humantur, ægri verò, & læsi, in loca curandis militibus destinata devehuntur. Turcæ è contra fugitivi, manipulatim & sensim Albam Græcam collecti, primò de amisso prælio dolent, deinde ad invicem querulantur, tandem prætoriani milites pedites cum equitibus in aperta jurgia erumpunt. Princeps autem Ludovicus, otio & quiete militi aliquot dies datâ, ad Majus Varadinum, cum exercitu iter suscipit, & adveniente re tormentariâ, quæ ipsum sequebatur, Urbem tormentis majoribus, mortarijs, pyrobolis, globísque ignivomis hostes territat, ædificia plura inflammat, mœniáque Urbis tormentis quassat; Turcæ nihilominus pertinaciter deditionem facere recusant. Quare Marchio temporis injuriâ, locíque difficultate, milite item fesso, & labore fatigato, alijsque pensatis difficultatibus, ulteriorem oppugnationem Varadi-

radi-

radini, in aliud tempus rejicit, interim tamen partem exercitûs ad includendos aggeribus & tormentis infideles relinquit, partem verò in hyberna distribuit, ac dein Viennam Cæsarem salutaturus abit. Cùm verò hæc à Ludovico aguntur, Dux Croius non minori fortunâ usus, Posegâ, Gradicskâ alterâ, & Brodo potitur, universámque Sclavoniam à Turcis liberat, ac Cæsari subjicit.

Item ingens Locustarum multitudo, in plurimis partibus Hungariæ sata cuncta devastat.

1692. Clade tam grandi elapso anno acceptâ, Turcæ contremiscentes Sultanum suum ad pacem ineundam urgent, ac solicitant; qui eandem etiam populo instantissimè expetenti compromittit, asserens se Neo-Vezirio summo in mandatis dedisse, plenámque eidem potestatem ac facultatem fecisse, quibuscúnque tandem medijs, & conditionibus eandem conciliandi; nec dubium erat, ipsum quoque Sultanum, totámque ejusdem aulam ad ineundam pacem seriò animum adjecisse; sed Orator Gallicus rursus retrahit Turcas ab hac animi propensione, quin eosdem impellit etiam, fœdus iterum tam offensivum, quàm defensivum cum Christianissimo Rege ijsdem in memoriam revocando, pecuniaria subsidia adpromittendo, naves, tormenta, reliquáque belli instrumenta, quin & pyrotechnicos, & architectos militares illis deferendo, omnémque Regis sui operam, auxilia, & consilia pollicendo. Rursus igitur hoc quoque anno utrinque convolatur ad arma. Et quidem Cæsarea potentia hoc anno aucta fuit militiâ Luneburgicâ Serenissimi Ducis Hanoveriani, quem proinde Cæsar in remunerationem, Electorali condecorat dignitate. Antequam autem uterque exercitus conflueret, Varadinum adolescente Junio, post longissimam, & lentam obsidionem, vulgò plocquatam dictam, per Excellentissimum Generalem Haislerum (postquam is lytro deposito, è captivitate Tököliana elibe-ratus fuisset) factâ forti impressione, expugnatur, & Turcis eripitur. Militiæ autem Cæsareæ in Hungaria contra Turcas Dux de Croj præficitur, & Serenissimus Marchio Badensis Ludovicus, exercitui Imperiali contra Gallos, in locum Serenissimi Ducis Bavariæ, qui Belgij Gubernator factus est, summa cum potestate præponitur. Et Neo-Vezirius quidem cum Turcarum exercitu Belgradum venit, sed sive cautus exemplo suorum antecessorum, sive consilio Gallorum usque ad finem autumni se in castris continet, pugnámque ad quam nostri anhelabant, subterfugit, ac tandem militem ad hyberna deducit. Quibus visis, Cæsareus quoque exercitus dissolvitur, & per quarteria in Hungaria distribuitur.

1693. Præsidia Jenö & Vilagos-Vàr à nostris, Turcis eripiuntur. Tar-

tari in Walachia hybernantes, Transylvaniam, & præsertim Siculiam repente invadunt, multáque millia animarum in diram servitutem abducunt. Quorum fama ubi primum ad Generalis Veterani aures pervenit, illico is militares copias in unum cogit, sed hostes celeritate usi, ad sua interiora cum præda discedunt, & sic confligere cum ijs non valens, saltem passus omnes, per quos hostibus transeundum esset, diligenter custodiri mandat, & manu militari munit. Noster exercitus ad Petri-Varadinum, ad Turcarum intentiones diligenter excubat, at illi prælium declinantes Transylvaniam invadere statuunt, eòque etiam progrediuntur; nostri verò ad hostem ex itinere revocandum, Belgradum obsidione cingunt, sicque Vezirius, ut obsessis succurreret, redire cogitur, exercitus tamen noster ante reditum, salvus & incolumis, cum omnibus impedimentis Savum per navalem pontem transit, & ad pristina castra se recipit, atque hâc ratione, sine notabili ex utraque parte operatione hic annus transit, ingruente jam hyeme utróque exercitu ad hyberna redeunte. Eszekum hoc anno strenuè munitur, & fortificatur.

1694. Hic quoque annus inter solos bellicos apparatus ex utraque parte insumitur. Et quidem Vezirius trajecto Savo nostros in castris munitos aggredi non dubitat, tormentis non secùs ac aliquam Urbem munitissimam oppugnando triduo ferè, & vicissim nostri tormentis, & acie explicatâ hostis irruptionem exspectantes, eidem strenuè resistunt. Quare Vezirius visâ Cæsareani exercitûs constantiâ, repente, & quidem clancularié se recipit, sed neque nostri recedentem, hostilem astum metuentes eundem insequuntur, & incolumem exercitum ad hyberna deducunt.

1695. Novus Turcarum Imperator ipsemet in persona expeditionem in Hungariam magnis apparatibus, sed majori famâ quàm re in se decernit; Tartarorum siquidem auxiliares copias, quas habiturum se sperabat & avidè exspectabat, obtinere non potuit, ob Moschorum in Tartariam irruptionem, deposito igitur priori Vezirio, alijsque Officialibus, qui in antecedentibus expeditionibus militiæ præerant, & novis in locum illorum substitutis, Belgradum unà cum uxore & matre (more hactenus apud Turcas inusitato) advenit. Hujus tamen personali præsentiâ nîl Augustissimus Cæsar turbatur, sed exercitum fortem & majorem, quàm alijs hujus belli annis comparat, quem adauget Serenissimus Elector Saxoniæ, copijs selectissimis tam equestribus, quàm pedestribus, ipséque in persona descendit, & Dux totius exercitûs à Cæsare constituitur, adjuncto eidem in tot annorum continuato bello expertissimo militiæ Duce Excellentissimo Generali Caprarâ. Hi itaque castris oportuno loco sitis, & probè firmatis, ac munitis, non pro-

c

cul Pétri-Varadino, parati ſemper ad prælium, avidè hoſtem (qui jam per Savum pontem navalem ad tranſeundum conſtruxerat) exſpectant. Verùm Turcarum Imperator, noſtros in caſtris minimè aggredi audens, conſilium mutat, & Danubium trajicit, expugnaturus *Titulum* (cujus Præſidiarij, ſuis excurſionibus ſupra modum Turcas Belgradenſes vexabant) quo intellecto Duces noſtri, præſidium *Tituli* adaugent, locóque optimè provident, igitur & hunc tunc quidem pertranſit, intactúmque relinquit (ſed poſtmodum navalibus copijs aggreditur, & expugnat, Præſidiarijs ferè omnibus trucidatis; quem tamen locum Turca non diu poſt metu ex vano rumore orto deſerit (eundémque noſtri reoccupant, & meliùs firmant) ac caſtra Temeſvarinum versùs movet, atque hinc, præſidio (quod unicum jam in Hungaria habebat) bene proviſo, & annonâ, milite, munitionéque firmato, Lippæ appropinquat, eandem aggreſſurus, utpote in qua ſciebat immenſam eſſe annonæ, munitionis & tormentorum copiam, in ordine ad deſignatam Temeſvarini obſidionem præparatam. Quare & noſter exercitus priori ſtatione relictâ, per paratos jam prius pontes navales Danubium, ac dein Tibiſcum quoque tranſit, ſed cùm hic tardiori progreditur itinere, Turcæ ante adventum noſtrorum Lippam expugnant, omnibúſque ferè præſidiarijs deletis, opimâ prædâ tam copioſæ proviſionis, potiuntur. Atque cùm corpus exercitûs noſtri minimè exſpectare, vel illud aggredi auderent, recipientes ſe ſemper ſenſim ad partes Temeſvarino vicinas, tandem partem unam exercitûs, quæ nonniſi ſeptem regiminibus militiæ conſtabat, quam Generalis Veterani ducebat, ad Caranſebeſum cum triginta & ampliùs millibus invadunt; licet autem illi longè pauciores numero eſſent, & hoſtes quadruplo eos numero ſuperarent, non tamen pugnam detrectant, (erant enim hi probatiſſimi milites, ac omnes veterani, Dux quoque eorum *Veterani* expertiſſimus, ac veteranus, ut ipſa quoque res nomini optimè correſponderet) verùm hoſti acerrimè reſiſtunt, ac ternis vicibus eundem generoſiſſimè repellunt, atque pugnam in longum tempus protrahunt, donec Turcæ aucti majoribus adhuc copijs, prælium reſtaurant, in quo ipſe Dux expeditionis tribus vulneribus ſaucius, glorioſè occumbit. Quo caſu viſo, reliqua pars illius militiæ Caranſebeſinum recedit, hoſtíque campum relinquit, ac Caranſebeſino quoque vacuo præſidio relicto, ad anguſtos paſſus Tranſylvaniæ (qui Porta ferrea nuncupantur) ſe collocat, ad hoſti per illos tranſitum in Provinciam impediendum. Periêre hac in pugna Chriſtianorum circiter quatuor millia, hoſtium verò ſupra duodecim millia. His ita peractis, noſter exercitus ſe ſubdividit, & quidem Sereniſſimus Elector Saxoniæ cum equitatu Tranſylvaniam ingreſſus, eandem in fideli-

tate Cæſaris conſervat. Excellentiſſimus verò Generalis Caprara, cum pe-ditatu ad Petri-Varadinum redit, obſervaturus inde hoſtium intentiones, & conatus. Turcæ autem videntes tam exiguam manum, tam generosè ſibi reſtitiſſe, de cætero quoque exercitu noſtro à fortiori idem judicium ferentes, ſenſim ad ſua ſe recipiunt, poſt quorum receſſum & noſtri ad optata & grata ſibi hyberna redeunt. Sícque Campania hæc finitur, cum nullo quidem noſtro progreſſu, ſed neque hoſtium tam magno, quàm illi ſperabant, & nos initiò timebamus.

Item frigus ſerotinum hujus anni, quod in ipſo Junio aliquot diebus continuabatur, ingens damnum incolis, tam in ſegetibus præſertim autumnalibus, quàm in vineis intulit; & quod à frigore adhuc remanſerat, id in ſegetibus ingens murium copia ac multitudo conſumpſit.

1696. Sereniſſimus Saxoniæ Dux, & Elector Fridericus, Auguſtus, Rudolphus, decem millibus ſuorum egregiè inſtructorum pro ſuo in Auſtriacam Domum affectu, & publicæ rei promovendæ ſtudio Cæſareo exercitui adjunctis, in Hungaria contra Turcas bello præficitur, eidémque Excellentiſſimus Generalis Æneas Caprara adjungitur. Qui quidem optimè animato milite, adultâ jam æſtate, ternis omnino vicibus Temeſvarinum obſidione cingunt, fortitérque aggreſſi oppugnant; ſemper tamen ob imminentis hoſtis formidabilem vicinámque potentiam, à ſtrenuè ceptis deſiſtere coguntur. Tandem igitur, ne totam æſtatem ingloriè exigerent, rem in aperto campo decidere, & cum potentiſſimo hoſte aperto marte confligere generoſo unanimíque conſilio decernunt: itaque eum quantumvis fortiſſimè vallatum, & undique munitum fortiter adoriuntur, atque ei pugnandi, & confligendi indicunt neceſſitatem. Qui dum noſtrorum aggreſſionem non minus fortiter excipit, retundítque; incaleſcente Marte pugnatur utrinque acerrimè, victoriâ nunc his, nunc illis, (ut dubius ejus eventus eſt) favente. Prælium, ſi quod aliud acre ac ſtrenuum nox ſequeſtra diremit. Deſiderata verò ſunt noſtrorum in hac pugna ſupra tria millia; hoſtium verò (uti quidem fama conſtans aſſerebat) duplò plura. Nocte igitur jam concubiâ plenis caſtris Turcæ Temeſvarinum versùs receſsêre; noſtris etiam non multo poſt Szegedinum, inde in hyberna regreſſis. Atque ita anni hujus Campania brevi actu, vel levi intermedio; non magno ſane utrinque pretio operæ eſt terminata. Pulchriorem ſpe non dubiâ, à tam copioſo lectóque milite victoriam referendam anno hoc nos nobiſmetipſis fueramus polliciti, ſed ei obicem poſuerunt, regimina aliquot Cæſareanorum equitum; qui in ipſo actuali prælio progredi, & alios ſubſequi, generoſíſque præeuntium inſiſtere veſtigijs turpiter tergiverſabantur; pugnare nolen-

nolentes. Interim in ſuo Turcæ reditu Marocziam arcem, à præſidiarijs Raſcianis militibus hactenus cuſtoditam, tridui ſpatio expugnant, & ſolo æquant. Feliciorem ſucceſſum hoc anno ſortita eſt expeditio Excellentiſſimi Domini Comitis Adami Battyani Regni Croatiæ Bani, qui aliquot Turcis erepta fortalitia in Cæſaris poteſtatem redegit, miſsâque parte unâ militum ſub ductu Illuſtriſſimi Domini Comitis Simonis Forgách in Boſniam incurſionem fecit, cæſíſque non paucis Turcis, expilatíſque eorum caſtellis, ſalvum, & incolumem exercitum reduxit. Hoc eodem anno brevis regnicolarum conventus iteratò Poſonij celebratur; præcisè de modo alleviationis militarium portionum, quas Officiales quidam nimium quantum aggravaverant, qui ſcilicet exceſſibus ſuis duriſſimiſque exactionibus longè plus pro ſe, & privatis ſuis uſibus, ac ſua domo, quàm pro Cæſare, & bono communi Regni, Patriæ, Imperij laborantes; ſéque ditantes, miſeram plebem graviter premebant; ut ſubſtantiam ejus emungere poſſent. Moſchi Aſſacum fortiſſimum Tartarorum præſidium expugnant. Galli interim cum Duce Sabaudiæ Amadæo partialem ineunt pacem, per quam univerſali toties optatæ paci, in Imperio, totaque Chriſtianitate via ſternitur.

1697. Sereniſſimus Elector Fridericus, Auguſtus, Saxoniæ Dux, cùm rurſus hoc anno contra Otomanos exercitum ducere in Hungaria cogitaret; interim dum tempus expeditionis adeſt Viennæ commoratur, felici ſanè, ac lætiſſimâ bonis omnibus morâ, in qua ille opportunam nactus ſaluti ſuæ conſulendi occaſionem, fidem tandem Romano-Catholicam ejuratis Lutheri erroribus publicè amplectitur; DEO, quantum converſionem ejus probaret, mox non obſcuris argumentis declarante; quando eo ipſo die, quo ſe Catholicum Elector Sereniſſimus profitetur, nuntium accipit, quo idem FrIDerICVs, AVgVstVs, saXo reX PoLonorVM jam ritè peractâ confectâque electione declarabatur. Noſtri hoc anno Bihaczium Croatiæ Metropolim obſident, & ſat ſtrenuè oppugnant, ſed caſſo exitu, utpote ob multas incommoditates, advenientiáque incommoda obſidionem denique ſolvere coacti. Turbata tumultibus eodem hoc anno ſuperior juxta, ac inferior Hungaria. Et in inferiore quidem Raſcianorum non pauci Duce quodam Perla, abjecto, ſed extremæ audaciæ homine, deprædationes circa Danubij ripas ingentes exercebant, pagos incendebant, & adjacentia Quinque Eccleſijs loca infeſtabant; verùm à Cæſareanis non multo pòſt circumventi, cæſi, diſſipatíque ſunt, Perla Duce capto, Eſzekiníque ſupremo ſupplicio affecto. Quo interempto, prædonum hæc colluvies, ut membra ſcilicet capite deſtituta, illico collapſa eſt, & evanuit. Majus periculum prædatorum horum ſimilium in ſuperiore Hungaria emerſit: cùm eorum jam à longo tem-

tempore cuſa occultè, & clancularijs internuntijs incônſultiſſima, (ut eventus aperuit) conſpiratio inſperatò prima Julij currentis anni erupiſſet. Hi ergo more turbinis omnia pervagari cupientes, mox Tokainum, Patakinum & Szerencs arces ex inſidijs occupant, cæſis locorum præſidiarijs omnibus; jámque adſcita ſibi ruſticorum, plebíſque colluvie prædas agere incipiebant: futurúmque omnino fuiſſe timebatur, ne ulterius furiata hæc, & maleſana inconditæ plebis multitudo graſſaretur, niſi gliſcenti malo in ipſis exordijs, DEO ſic prudentiſſimè ordinante, fuiſſet occurſum. Contigit enim, cùm ad Onodinum quoque occupandum agminatim procederent, ut in Cæſareas Germanicas, & Hungaricas cohortes inciderent; hos igitur ubi primùm Cæſareus exercitus prædonum, & tumultuantium eſſe de numero agnoſcit, aggreditur; neque illi pugnam initiò detrectant, quin pro virili reſiſtunt, at tandem inclinante denique acie terga vertunt ſalutem fugâ quæſituri; itaque amiſſis jam, & quà globo, quà ferro trucidatis plus quàm mille; quâ datâ portâ, pars Tokainum, pars verò Patakinum ſe ſe recepit. Verùm neque illic tutis eſſe licuit. Námque Princeps Waudemontius advectis præproperè Agriâ tormentis, ſine mora, cum milite, quem congregare poterat, huic fini ſufficientiſſimo Tokainum obſidet, cùmque conſternati Rebelles, defenſionem ſimulando, per amicas fugientibus noctis tenebras, deſerto meticulosè præſidio noctu clam omnibus profugiſſent, & majori ex parte Patakinum ſe recepiſſent, Princeps fugientibus inſiſtendum ratus, Patakini quoque novâ eos obſidione preſſos fortiter urget. Rurſus tamen ad notas ſibi artes perduelles confugiunt: peditatui itaque perſvadent, ſpecioſèque imponunt ij, qui equos habebant, ſe in noſtros excurſionem facturos, ab obſidionéque repulſuros. Verùm cùm apertis portis equitatus totus exeundi viam nactus eſſet, non verſus caſtra noſtra; ſed aliorſum deflexit; & quâ potuit, profugit. Peditatus verò (quem ferè totum plebs ruſtica conflaverat) videns ſe adeo turpiter ab equitatu deluſum, rebus, & evadendi ſpe deſperatâ, ad Gratiam petendam confugit; ſed hâc, uti non merebantur, non impetratâ, gratiæ, & diſgratiæ Principis Waudemontij ſe ſubmittere eſt coactus. Quorum non pauci deinde, pro varietate, & gravitate, ſcelerum, ac criminum varijs quoq; ex Juſtitiæ præſcripto pœnis ſunt affecti.

O. A. M. D. G. & B. M. V. P. H.
Honorem.

Mendis, quæ irrepſerunt humaniſſime Lector ignoſce;

Et

Pagina 5. *Numero* 1633. *pro* Locum Alberico. *Lege :* Locum ab Alberico.
Eadem Pag. & num. pro vitandæ *lege* vitandi.
Pag. 8. *num.* 1053. *pro* tranſijt *lege* tranſigit.
Pag. 23. *num.* 1115. *pro* Pachalem *lege* Paſchalem.
Pag. 29. *num.* 1159. *pro* Imperatur *lege* Imperator.
Pag. 35. *num.* 164. *pro* 1129. *lege* 1124.
Pag. 48. *num.* 1249. *pro* nutritius *lege* nutritus.
Pag. ead. num. 1253. *pro* edictio *lege* edicto.
Pag. 51. *num.* 1271. *pro* Ptolemaidæ *lege* Ptolemaide.
Item ibidem. pro 2186. *lege* 1286.
Pag. 57. *Col.* 2. *in Græcor. Imp. Serie verſu* 14. *pro* pulſu *lege* pulſo.
Pag. 64. *num.* 1302. *pro* Impeperator *lege* Imperator.
Pag. 71. *pro numero* 1354. *lege* 1355.
Pag. 80. *verſu* 6. *pro* ſtrangelaverat *lege* ſtrangulaverat.
Pag. 88. *num.* 1424. *pro* Angelis *lege* Anglis.
Pag. 89. *ad annum* 1429. *poſt*, ac armis inſtructa *adde* reſtituit.
Pag. 115. *num.* 1530. *pro* incitatè *lege* incitante.
Pag. 151. *num.* 1609. *verſu penult. pro* penſant *lege* prenſant.
Pag. 158, *verſ.* 3. *poſt* Fundatoris *adde* corpus.
Pag. 162. *num.* 1639. *pro* agunt *lege* agit.
Pag. 165. *num.* 1650. *pro* Creata *lege* Creta.
Pag. 210. *num.* 58. non tam procul *uſque ad* ſejungatur *totum ut eò non pertinens omitte.*
Pag. 256. *lin.* 7. *pro* cruentem *lege* cruentam.
Pag. 264. *lin.* 24. *pro* ſulminis *lege* fulminis.
Pag. 316. *num.* 1325. *pro* poſſideiat *lege* poſſederat.
Pag. 334. *num.* 1473. *poſt* Reges *interpone* Matthias.
Pag. 393. *verſ.* 1. *pro* Comitatum *lege* Comitatûs
Pag eadem. verſ. 23. *pro* necdum *lege* nedum
Pag. 396. *verſ.* 5. *pro* n *lege* in.

Minutiora alia Lector ipſe prudens obſervabit, & pro ſua ſapienti Humanitate corriget.

P. S. Jam huic Synopsi Chronologicæ finis, prælo impositus fuerat, dum eodem adhuc anno currente, nonnulla memorabilia evenêre, meritò eidem addenda.

IMprimis námq; expeditio bellica anni hujus 1697. in Hungaria feliciùs gesta est, quàm susceptæ aliquot proximè elapsis annis expeditiones, per reportatam videlicet, triplici actione, gloriosam de Turcis victoriam.

Prima harum fuit, quâ Serenissimus Dux Sabaudiæ Eugenius, Cæsarei Exercitûs supremus Ductor, ipsum Turcarum Imperatorem cum toto suo Exercitu Tibiscum fluvium, ad Zentam trajicere volentem, ad superiorem Hungariam ac Transylvaniam invadendam, aggressus fuit, oportunissima ad id divinitùs oblata occasione: Sultanus siquidem duplici priùs per flumen strato ponte jam cum Equitatu ad alteram fluvij ripam transiverat, relicto ex hac parte Tibisci peditatu, qui etiam eundem subsequi debuerat. Hunc igitur; noster Exercitus nîl nisi victoriam & gloriam spirans, magno sanè ausu, licèt probè, & ex disciplina militari triplicatis aggeribus circumvallatum adoritur, commissóq; prælio, ac perruptis aggeribus terga vertere cogit, átque fugientem hostem, & gravi metu perculsum, quasi pro arbitrio suo cædit, prosternit, ac conterit, cujus tamen major pars dum fugiendo pontes transire tentat, tantam multitudinem pontibus ferre non valentibus, præsertim cùm ab utróque latere globorum densa grandine à victore milite impeteretur, in flumen devolvitur, átque demergitur, sicque totus peditatus Turcicus, in quo potissimum robur Turcicæ militiæ positum erat, ad internecionem planè, ipso Sultano, ex altera parte fluvij, totóq; illius Equitatu spectante, nec opem ferre valente aut audente, deletur. Constans fama fuit supra 30. millia hostilium peditum in hoc conflictu quà cæsa, quà mersa fuisse; prosecutionem autem ulterioris victoriæ ingruentis noctis tempestas interrupit. Interea verò dum subsequentis diei diluculo nostri trajecto fluvio, Equitatum quóq; invadere statuunt, magnum Sultanum cum toto Equitatu, noctis beneficio profugisse comperiunt, relictis omnibus castrensibus impedimentis, Tormentis, tentorijs, annonâ copiosissimâ, Equis, pecoribus & curribus innumeris, quibus omnibus, ditissimâq; prædâ nostri potiti sunt.

Alteram dein actionem suscepit, post datam aliquot diebus militi quietem, idem Serenissimus Dux Eugenius in Bosniam, fœliciterq; traducto per Savum fluvium Exercitu, Provinciam ingressus, primò obstantes Turcas dissipat, postmodùm Sarallium Urbem, mercatoribus Turcis divitem, capit, expilat, & incinerat; dein aliquot fortalitijs occupatis, eadem præsidiario milite firmat, demùm victoriosissimum Exercitum salvum & incolumen reducit.


Ter-

Tertia militaris actio obtigit Excellentissimo Generali Rabutin, qui cum aliquot millibus suorum Uj-palánkam (noviter à Turcis erectum & firmatum præsidium, Temesvariensibus, cum Belgradensibus, ad communicationis lineam perquàm commodum) fortiter aggressus, defendentibus licèt se strenuè Turcis, illud expugnavit, cæsísq; cunctis præsidiarijs, & sublatis prius omnibus Tormentis ac munitione, funditús diruit, & totaliter excidit, solóq; æquavit.

Hoc eodem anno, pax tot votis ab omnibus bonis desiderata, inter Christianos Principes concluditur.

Sub finem quóq; hujus anni, quidam Impostores, Viennæ gravissimam, contra PP. Societatis JESU, Aulicos, commenti sunt calumniam sed adeò mendacem & tam malè imprudentérq; ac impudenter simul, consarcinatam, ut initiò à prudentioribus, judicaretur, vix fore aliquem rationis compotem, qui eidem assentiretur; inventi sunt nihilominus non pauci malevoli, qui eandem pro comperta veritate haberent, & quidem in tantum, ut percrebrescente postmodùm per Hungariam & vicinas provincias, (licèt fabulosissimâ) famâ, debuerit, ea, publico Cæsaris testimonio ac decreto, ut falsissima, declarari.







Ex Libris Stanislai [illegible]
A.D. 1781
Ex Hungaria [illegible]

